PLANTARUM

Historiæ Universalis Oxoniensis

PARS TERTIA

SEU

Herbarum Distributio Nova,

PER

PROPRIAS COGNATIONES & AFFINITATES

Ex Libro Naturæ Observato & Detecto.

PLANTARUM

Historiæ Oxoniensis Universalis

PARS TERTIA.

40-1-6

PLANTARUM
Hiſtoriæ Univerſalis Oxonienſis
PARS TERTIA
SEU
Herbarum Diſtributio Nova,
PER
TABULAS COGNATIONIS & AFFINITATIS

Ex Libro Naturæ Obſervata & Detecta.

AUCTORE
ROBERTO MORISON
Medico & Profeſſore Botanico Regio, nec non Inclytæ & Celeberrimæ Univerſitatis Oxonienſis P.B. ejuſdemque Hort. Botan. Præfecto primo.

Partem hanc tertiam, poſt Auctoris mortem, hortatu Academiæ explevit & abſolvit
JACOBUS BOBARTIUS *Horti præfectus.*

OXONII,
E Theatro SHELDONIANO
Anno Domini M. DC. XCIX.

ACADEMIÆ OXONIENSI

QUOD

Literarum reipublicæ per orbem decus emineat,

Christianæ fidei grande columen,

Bonorum omnium communis & optatissima patria,

Musisque propria & gratissima sedes.

Vita
ROBERTI MORISONI M.D.

NATUS eſt Robertus Moriſon *Abredoniæ* quæ ad *Deæ* fluminis oſtium ſita eſt, Anno 1620, Patre *Joanne Moriſono*, & *Anna Graia* Matre, familias honeſtiſſimas ejus loci contingens. Philoſophiæ Doctor vel ut vulgo loquimur Magiſter Artium renunciatus eſt anno 1638, & paulo poſt Philoſophiæ in Academia Abredonenſi docendæ eſt admotus. Interea Matheſin excoluit, eoque jacto fundamento, ſane egregio, animum appulit ad rem Botanicam; parentes tamen ſtudia Theologica inculcabant; quibus ille morem ut gereret, linguam Hebraicam addidicit, inque uſus privatos grammaticam a ſe ſcriptam reliquit hodie extantem. Sed vicit Amor Botanices, parenteſque ceſſere fervidæ illæ in rem herbariam propenſioni. Hiſce florentem ſtudiis patria cedere coegit peſtis illa & ſcelus Fanaticorum: verum non ante patriam liquit, quam virtutem ſuam & pietatem demonſtraſſet in eo prælio quod ad pontem fluminis Deæ conſertum eſt inter cives ejus urbis & Fanaticorum copias. In eo prælio Moriſonus noſter fortiter pro Rege & Patria pugnans, gravi in capite accepto vulnere, periculum vitæ adiit.

Statim ut convaluit Galliam petiit, patriam tum Scotis alteram, Pariſiiſque ſedem figens, totum ſe rebus Botanicis, Zoologicis, & Anatomicis dedit: Annoque demum 1648 *Andegavi* creatus eſt *Medicinæ Doctor*. Sed eum tantus amor Diſciplinæ Botanicæ inceſſerat, ut huic ſtudio ſe totum daret: tantamque ſui famam & exiſtimationem apud eruditos peritoſque rei Botanicæ concitaverat, ut anno 1650, *Dux Aurelianenſis* ipſum *horto Regio Bleſenſi* præficeret, ſtipendiumque daret, quo Plantas ubique redimere poſſet, Galliamque peragrare earum inveniendarum gratia.

Dum in eo horto colendo plantiſque omnigenis ornando operam non ingloriam collocat, patefacit Duci Aurelianenſi Methodum illam qua ſola Botanicus Olitore præſtare ſe poteſt. Tum ille Moriſonum hortari ad condendam hiſtoriam plantarum Methodo illi novæ ſuperſtructam, ſumptuſque in eam rem neceſſarios ipſe ſuppeditaturus, emolumentum omne in Moriſonum collaturus: Verum magna cum Rei Botanicæ jactura, ingentique luctu Moriſoni præmature mortuus eſt, anno ſcilicet 1660, magnus ille Dux & vere Princeps Botanicus.

Paulo ante mortem Ducis Aurelianenſis (ſcilicet menſe Februario Anni 1660) *Rex Magnæ Britanniæ Carolus Secundus Bleſenſi in Arce* inviſebat Ducem quippe avunculum ſuum. Dux Moriſonum Regi oſtendit, qui poſtea, fatis functo avunculo, Moriſonum menſe

Auguſto arceſſi juſſit, qui prompte paruit, *Londinumque* eodem menſe anni 1660 venit. Datus eſt ei titulus Regii Medici, & Botanices Profeſſoris Regii, ſtipendiumque in ſingulos annos, 200 librarum Anglicarum decretum. Hæc illi placuere, poſtquam ampliſſimas & honeſtiſſimas conditiones ſpreviſſet, quibus eum in Gallia retinere ſtudebat *Illuſtriſſimus Dominus Fouquet Magnus Ærarii Gallici Præfectus.* Tantus Moriſono amor Patriæ. Dum Regis benevolentia & munificentia, Botanices Profeſſoris officio fungeretur (eodem munere ſibi collato diplomate regio, impreſſione ſigilli magni appenſa, dum ſuperſtes eſſet) *Præludium ſuum Botanicum* Londini anno 1669 in lucem dedit, opus ingens exiguis pellibus arctatum, e quo ceu perenni fonte, Botanici aquam irrigandis hortis ſuis hauriunt, haurientq; ſemper: Hauſit certe vir magni nominis, quam tamen ne agnoſceretur inficere viſum fuit. Hoc præclaro & erudito opere tantam ſibi famam comparaverat, ut celeberrima *Academia Oxonienſis* Moriſonum ad Botanicen docendam Approbatione Regia evocaret, & ſtipendio cohoneſtaret. Non multo poſt nempe anno 1672 dedit *Sectionem partis ſecundæ Hiſtoriæ ſuæ nonam* quæ plantas umbelliferas explicat: Ad hanc edendam pecunias contulerunt largiter Oxonienſes.

Specimen Hiſtoriæ ſuæ voluit hoc eſſe Moriſonus quod mire Botanicis placuit, multis pro eo gratias agentibus: aliquos memorabo. *Arnoldus Seyen Medecinæ & Botanices Lugduni Batavorum Profeſſor*, qui primum *Horti Malabarici* volumen dedit, in quadam epiſtola anno 1674 ad Moriſonum hæc ſcribit. ‘Nunquam, & ut hæc obiter ‘addam, ſive in Lectionibus publicis, ſive apud me ipſum extollere ‘deſinam egregiam illam veſtram ex naturæ ſinu depromptam me‘thodum, qua mihi tanta lux affulſit, præſertim in plantis minus ‘cognitis promptitudo quin & certitudo, ut vel hoc nomine cum ‘reliquis exactioris Botanices cultoribus immortales tibi debeam ‘gratias. Hæc ille Botanicus Lugduno Batavus vir inſignis peritiæ. Excitatus ergo frequentibus eruditorum epiſtolis, anno 1680 *Partem Secundam Hiſtoriæ Oxonienſis* emiſit. Vicit hæc omnium expectationem, & eruditorum opinionem de Moriſono confirmavit. Unius tantum hic (at qualis quantique!) Botanici teſtimonio utar. Is eſt *Paulus Hermannus* Botanices & Medicinæ Profeſſor Lugduno-Batavus merito celeberrimus. Hic in epiſtola ad Moriſonum 8 Maii 1682 data hæc habet. ‘Hiſtoriæ tuæ volumen nuper a Do‘mino Wewitzer Hamburgenſi ex Anglia in Belgium reduce re‘demi, quod non tantum cum voluptate, ſed magna etiam cum ad‘miratione perlegi, ut publice profiteri non verear, quantum tibi ‘hoc prodito opere orbis medicus debeat. Auctor itaque ſum ut quos ‘reliquos præ manibus habes tomos, quantocyus promoveas & ab‘ſolvas. Hæc *Hermannus* qui in præfatione ad *Hortum ſuum Lugduno-Batavum* Botanicos admonet Characteriſticas plantarum a Moriſono eſſe petendas, eundemque *Ducem* vocat, *oculumque Botanicorum, ſolo,* ut Hermanno viſum, *Phœbo Mundi oculo, & inventore Botanices minorem.* Interim non deſunt, quibus pars illa quam inſcribit *Hallucinationes Caſpari Bauhini &c.* non adeo probatur. Alii

Pag. 348. Hor. Lug. Bat.

enim, quod viros de arte Botanica præclare meritos errorum arguat, hoc illi in ſuperbiam vertunt, nimiumque aliorum contemptum. At cordato cuique longe alia ſententia erit poſt lectam iſtius partis præfationem, ex qua abunde patet utrumque fratrem in maximo apud ipſum pretio & honore fuiſſe. Non enim ex inanis gloriæ aucupio aut fiducia ſui nimia, ſed veritatis ſtudio & amore ductus hæc ſcripſit, pro quibus tanquam artis Botanicæ ſolidiſſimis fundamentis nunquam ſatis laudari poteſt: Tantum abeſt ut reprehendi mereatur, ab iis præcipue qui prælucenti Moriſono debent quod tanto jam plauſu clareſcant. Alii vero vocem illam *Hallucinationes* (*Fabio Columnæ* egregio ſane viro familiarem) aſpernantur, neſcii forſan quam latina ſit, quamque modeſtiæ plena, ſi modo Marcus Tullius Cicero (qui paſſim ea utitur) aut Joſephus Scaliger fidem mereantur. *Prolegom. In Euſeb. Chron.*

Oſtendunt hæc Moriſonum *Hiſtoriam Oxonienſem ſcribere auſum, & famæ ſuæ conſuluiſſe, & eruditorum expectationi ſatisfeciſſe*: Quamvis id auſus eſt negare ille qui incrementa ſua in Botanicis omnia præcipue Moriſono debuit. Audiamus iterum Hermannum in præfatione Horti Lugduno-Batavi, 'Singulis (*inquit*) titulis ſeu peri-'odis, ut plurimum illud nomen præmiſi, quod jure naturalis cha-'racteris videbatur magis appoſitum, cætera vero tanquam Sy-'nonyma poſtpoſui, facta tamen ubivis mentione Auctoris, Libri '& Paginæ. Inſpectione itaque plantæ cujuſquam, nomen illico 'agnoſces, ejus genus, & ex cujuſnam Auctoris libro & pagina, 'plantæ Facies, Synonomiæ, Virtutes, aliaque ad plenariam plantæ 'cognitionem ſpectantia ſunt petenda. Videlicet Moriſonus te do-'cebit inprimis plantæ Characterem, Caſparus Bauhinus in Pinace 'Synonomiam, Joannes Bauhinus in tribus ſuis voluminibus Hiſto-'riam naturalem & medicam. Hæc ille. Excerpſit *Joannes Bauhinus* deſcriptiones plantarum plerumque ex aliis; vires etiam medicas aliaque ad hiſtoriam naturalem ſpectantia ex optimis Botanicis collegit: At characterem plantæ naturalem (a quo omnis accurata utiliſque deſcriptio petenda) Moriſono inveniendum reliquit. Quid igitur eſt quod Moriſonum ab univerſali plantarum hiſtoria condenda deterrere debuit? Characteres naturales plantarum, & quod multo majus eſt, methodum characteres explorandi & inveniendi primus explicuit, & demonſtravit Moriſonus. Ex hac methodo fluunt deſcriptiones genuinæ Botaniciſque gratæ; hac duce vires plantarum fœlicius quam multorum voluminum ope deteguntur. Hujus autem rei teſtis eſt omni exceptione major celeberrimus *Raius*, cui methodus hæc (ſcilicet a flore, ſemine, capſula ſeminali deſumpta, non neglectis aliis prout res fert) adeo arriſit, ut, paucis mutatis, novam, uti ſane eſt, atque ſuam appellare non dedignaretur. Quid tandem defuit Moriſono Hiſtoriam Plantarum univerſalem aggreſſuro? Non illi erat opus exſcripta ex aliis methodo, ſive ratione plantas ad leges cognationis & ordinem ab ipſa natura ſervatum exigendi; hanc ille domi ſuæ natam premebat opis externæ nil indigus. Si tali viro jus hiſtoriam plantarum univerſalem ſcri- *Præfat. method. nov. plant.*

bendi denegetur, an illi dabitur qui methodum ex Moriſono didicit, atque deſcriptiones ex eo ipſo ſimulque Joanne Bauhino, & hiſtoriam omnem ex his ipſis aliiſque Botanicis corraſit? Nemo ſanus, aut non nimia invidia flagrans inficias ierit Joannem Bauhinum hiſtoriam Plantarum digne ſcripſiſſe, qui tamen vix 24 plantarum aliis ante ſe non viſarum deſcriptarumque hiſtorias Operi ſuo Botanico intulit, idque ſpatio annorum 50. Cum Moriſonus eo decennio quo horto Bleſenſi præfuit, plantas intuliſſet 250 nulli prius deſcriptas: Methodumque oſtendiſſet omnium apud Botanicos pulcherrimam, hoc eſt expeditiſſimam rationem; viamque ad cognitionem plantarum aperuiſſet, inque ea hujus ævi Botanicis præiviſſet, quanquam jam nullus ſit qui de methodo ſua ſe non jactet. Certe vir candidiſſimus methodum ſuam, & ſcripto & voce, omnibus oſtendere omnes docere nullius invidens famæ, ſuæ ſecurus, cui publicam utilitatem ſemper anteponebat. Huic itaque acceptum referre decet, quicquid id eſt bonæ frugis, quod ex *Hiſtoria Plantarum* Londini anno 1686 excuſa, aut recentiore *Britannicarum ſtirpium ſynopſi* provenit. Audiamus hic varios inſignes Botanicos, & in primis clariſſimum illum *Tournefortium*. [a] *Niſi*, inquit, *acceſſiſſet ad rem Botanicam illuſtrandam Robertus Moriſonius, Faceret ea hodie Cimmeriis tenebris damnata.* Addit tamen hæc, [b] *Non ſatis laudari poſſet Moriſonus, niſi ſe ipſe nimium laudaſſet, quippe non ſatis glorioſum ducens operis omnium in Botanica pulcherrimi partem exegiſſe, cum Columbo ſe confert Orbis novi repertore, nulla etiam facta mentione Geſneri,* aut *Cæſalpini, Columnæque*. Hæc ille: non perpendens forte, omnibus cordatis cenſeri *Harveium* circuitus ſanguinis Inventorem, qui tamen *Cæſalpino* tantum debet, quantum *Italis* Moriſonus: viderique illum ſe nimium laudare vix poſſe, qui dimidium operis omnium in arte Botanica pulcherrimi abſolverit. At Moriſoni *Præludia Botanica*, cum *ſectione illa Umbelliferas explicante, parteque altera Hiſtoriæ Plantarum Oxonienſis* in lucem emiſſis, adverſariaque illa ex quibus, quod deerat, facile illi fuiſſet elicere, pluſquam dimidium maximi operis & omnium in Botanica præſtantiſſimi complectuntur. *Ammanum*, cui ille eſt [c] 'Qui glaciem fregit primus, & qui, quia plantarum naturas dedit, meruit eſſe Stator perpetuus. *Breynium*, a quo dicitur [d] 'Botanicorum inſigne decus, & excellentiſſimus Botanicus. *Mantzelium* qui illum appellat [e] 'Botanicorum noſtri ſæculi curioſiſſimum. [f] *Franciſcum Cupani*, cui eſt Illuſtriſſimus ac ingenioſiſſimus 'Robertus Moriſon, Botanices Princeps & perſpicaciſſimus Botanophilus. *Raium* denique, cui Moriſonus eſt 'Qui in characteribus 'plantarum indagandis, catalogis hortorum componendis, & autorum erroribus detegendis laudem ſane meruit. Quibus verbis Moriſonum eleganter ſatis depingit *Raius*, omnes ei dotes tribuendo quibus ſummo Botanico opus eſt. Nec putandum verba illa quæ huic encomio ſubjungit, eo animo dicta eſſe a viro candido, ac ſi fidem ei derogari vellet. Non enim de Moriſoni fama deſperandum, quamdiu *Raii Synopſis Stirpium Britannicarum*, aut ejuſdem Autoris *Hiſtoria Plantarum* in pretio apud Botanicos erunt: in quibus nulla eſt Pagina quantocumq; lumine perfuſa, ubi Moriſoni ingenium non ſplendet.

Quod

[a] *Præfat. Elemens de Botanique.*

[b] *Vid. Præfat. hiſtoire de Plants &c.*

[c] *Charact. plant.*

[d] *Præf. ad Cent. primam. Et in præf. ad Prodr. 1.*

[e] *In Indice nominum plant.*

[f] *Hort. Cathol. præfat. & pag. 93.*

[g] *Remiſſo opinem Part. 1. Hiſt. plant.*

Quod autem *multorum expectationi non fecit ſatis*, expertus novit *Raius* hoc non uni Moriſono accidiſſe. Olim forſan, exulante e terris barbarie, poſteris noſtris ita fœlicibus eſſe continget, ut, nulla non detecta planta, artem hanc ad ſupremum culmen perducant. At cum ex iis quæ jam detectæ ſunt, abunde conſtet nec ſola ſemina, ſive nuda ſive tegmine cincta, nec flores ſolos ſummis earum generibus figendis ſufficere; non adeo, ut opinor, vanus erit augur qui Moriſono primum inter Botanicos honoris gradum ab illis æquis rerum Judicibus delatum iri prædixerit: qui præter dictas partes aliquid ultra addendum ſtatuit, quod ſumma genera diſterminet; primuſque hiſtoriam plantarum hiſce characteribus ſeſe diſtinguentium poſteritati tradidit; Quem non temere quiſquam damnabit erroris, priuſquam ipſe a gravioribus cavere didicerit. Cum enim a præclaro hujus viri ingenio, ars hæc omnia ſua incrementa capere potuerit, fato unice tribuere oportet quod quæ tam foeliciter inchoaverat, non modo non perficere, ſed ne quidem emendare licuerit.

Cum videret jam Moriſonus partem illam ſecundam viris doctis acceptiſſimam eſſe, reliquis ſedulus incumbebat: Partis enim tertiæ tabulas Iconum quinquaginta affabre ſculptas, totidemq; optime delineatas apud ſe habebat. Ad hæc, deſcriptionum ſectiones quatuor abſolverat, nullamque aliam tertiæ partis omiſerat, quam non leviter attigerat: Londinum etiam venerat, hæc omnia fautoribus & patronis ſuis tanquam diligentiæ ſuæ documenta totidem oſtenſurus; quo magis ipſos excitaret ad pecuniam ſuppeditandam, ut tabulæ reliquæ quam primum expedirentur. Quo minus autem rem omnem ex adverſariis ipſe depromeret, inopina & præmatura mors obſtitit. Obiit viridi ſenecta Londini, anno ætatis 63, æræ Chriſtianæ M. DC. LXXXIII.

Cæterum opus ſuum voluit *Hiſtoriam Plantarum Oxonienſem* vocari, optimo jure & conſilio. Quamvis enim opus id ingreſſus fuerit Auſpiciis Sereniſſimi Gaſtonis Ducis Aurelianenſis, Henrici Quarti Galliarum Regis filii; non tamen, eo prærepto, ſuis aut aliorum votis potuiſſet reſpondere, niſi patrocinium Regio proximum, omniumque rerum opem contuliſſet magna literarum parens *Oxonia*.

Liceat hic admirari conſtantem illam & perpetuam voluntatem bene merendi de republica literarum: Mortuo enim Moriſono, ut opus ejus maturius evulgaretur, ſumma ope nitebatur vir pietate, ſolidaque eruditione illuſtris, eruditorum omnium ſummus Patronus, *Joannes Fell Epiſcopus Oxonienſis Reverendiſſimus, Ædis Chriſti Decanus, & unus ex Delegatis ad curandum Prælum*, qui *Jacobo Bobart* Botanico peritiſſimo, inque methodo Moriſoniana verſatiſſimo (quam ſcilicet ex ipſo Inventore didicerat) tradebat magnificam ſeminum ſupellectilem, operis hujus ingentem baſim: quinquaginta item Iconum tabulas ſculptas, totidemque depictas cælo deſtinatas. Stipendio denique dato, eidem D. Bobarto tradebat Moriſoni *adverſaria*, juſſu Principis Orbis Academiæ, vir egregius *Obadias Walker* Collegii Univerſitatis Oxoniæ tunc temporis Magiſter nec non delegatus Præli. Supra laudatus autem Antiſtes opus hoc ſtrenue promovebat, pictores & chalcographos animando ut Iconum tabulis,

quas Moriſonus intactas reliquerat, expediendis ſtrenue incumberent; adeo ut, ejus opera, maxima harum pars abſoluta fuiſſet, ſi Præſulem hunc Reverendiſſimum diutius ſupereſſe fata ſiviſſent. Verum illius morte (quæ incidit anno 1686) accedente ſimul temporum difficultate, factum eſt ut tarde procederet hoc opus: donec abhinc quinquennium, cura ejus Academiam tangere de novo quaſi inciperet (quo tempore Reverendus admodum vir S.S.T.P. doctorum omnium fautor eximius, ipſeque doctiſſimus *D. Henricus Aldrich Ædis Chriſti Decanus*, Univerſitatis Vice-cancellarius erat) & provinciam reliqui operis perficiundi, prædicto D. Bobart imponeret Academia Oxonienſis ſub uno nomine mille Mæcenates ferens. In quo promovendo præ cæteris plurimum annitebantur Reverendi admodum & celeberrimi Viri S. T. Profeſſores, *D. Timotheus Halton Univerſitatis Oxonienſis Vice-cancellarius annis* 1679, 1680, 1681, & 1685, *Collegii Reginenſis Præpoſitus, necnon diæceſeos Oxonienſis Archidiaconus, Authoris dum viveret fautor inſignis*; *D. Jonathan Edwards Univerſitatis Oxonienſis Vice-cancellarius annis* 1689, 1690, & 1691. *Collegii Jeſu apud Oxonienſes Principalis*, & *D. Arthurus Charlett Collegii Univerſitatis Oxoniæ Magiſter Meritiſſimus*. Ab eoque tempore gnaviter laboravit Jacobus Bobart ut tertia pars tandem mandaretur typis. Dolendum profecto eſt quod prima pars deſideretur, de qua quid factum ſit nemo ſcit, nec ſperandum eſt illam in lucem proditurum. Si vitam Moriſono diuturniorem largiri ſupremo numini placuiſſet, hac tu non careres Benevole Lector; quamque nunc habes partem citius obtinuiſſes.

Erat Robertus Moriſon corpore vegeto, animo ad quævis ſtudia ficto, moribus ingenuis, & qui ficum ficum vocabat, veræ ſcientiæ appetens, ſordidi lucri oſor, non tam privato emolumento proſpiciens, quam publicæ utilitati ſtudens; cui ſane in ſolidum debemus ſi diſciplina hæc, olim legibus ſoluta, jam methodum agnoſcat.

Ad

Ad Lectorem candidum
PRÆFATIO.

QUAM *incredibili ſtudio nuperis annis exculta fuit Botanices ſcientia, neminem clam eſſe poteſt qui libros de* Re Herbaria *tribus adhinc luſtris conſcriptos, aut recentius editos, diligenter evolverit, eoſdemque ſtudioſe comparaverit; ſiquidem Viri eruditi, iique ſummam induſtriam adhibentes, ſive ſtudii jucunditate abrepti, ſive curioſo hujus jam abeuntis ſeculi genio impulſi, hanc* Philoſophiæ *partem quaſi duplo auctiorem fecerunt, & tantum non ad exitum perduxerunt. Neque enim curioſa ſolum, vel tantum jucunda eſt Plantarum cognitio, qua ſtudioſorum animos pulchritudine ſua ac varietate ad ſe alliciat; verum univerſo animantium Generi, ac præ cæteris ab omni parte Hominibus quæſtui eſt, quæ ex utraque parte utilitatem habet conjunctam: enimvero ecquem fugiunt multiplices Plantarum uſus? ſine quibus nec commode vivere, nec bene poſſumus valere: illæ nimirum* & victum *præbent eſurientibus, &* Arti Medicæ *apprime inſerviunt; eædemque præſentem nobis ſanitatem tuentur, lapſamque reficiunt. Scio equidem nonnullos, ex quo tempore invaluit* Ars Chymica, *ſpretis Herbarum viribus ab* Regno Animali *petitis remediis, utramque paginam impleviſſe: Verum haud ſcio an non Ætas illa felicior audiat, qua medicina fuit Herbarum ſcientia: ſane felicior, ſi certis ac probatis Vegetabilium viribus contumaces ceſſerint morbi, qui remediis igne laboratis etiam nunc temporis ægre domantur. Verum cum in his ſumus, neque Lectori ingratum, neque abs re facturum mihi videor, ſi Botanices ortum & progreſſus varios recenſeam; id agam ut* Rei Herbariæ *ſtudioſis ob oculos ponam, quorum Virorum ſtudiis & laboribus promota, varia ſubinde accepit incrementa Nobiliſſima ſcientia, cujus tanta apparet varietas & pulchritudo, ut Mortalium deliciis, juxta & admirationi, & quod maximum eſt Dei Omnipotentis Gloriæ Honorique inſerviat.*

Tyrtamus Leucipienſis, *qui ob divinam eloquentiam* Theophraſtus *poſtea audivit, ac ſtagyritam in Scholæ* Ariſtotelis *apud* Athenienſes *cura excepit, ante natum Chriſtum annis plus minus* 322. *de Re Herbaria varios edidit tractatus; quos deinde* Theodorus Gaza *in Latinitatem convertit: eoſdemque Commentariis illuſtrarunt eximii viri* Cæſar Odonus, Julius Cæſar Scaliger, Robertus Conſtantinus, *ac præ cæteris* Johan. Bodæus a Stapel. *Id quod fecit* Pedacius Dioſcoridis Anazarbæus, *Bonanographorum Pater, qui ad Annum mundi* 3910. *non ſolum de Plantarum natura & deſcriptionibus, verum de Univerſa fere materia Medica multa conſcripſit: Illiuſque opera notis ſuis ac obſervationibus cohoneſtarunt* Hermolaus Barbarus, Marcellus Vergilius, Joh. Lonicerus, Pet. Paduanus, Janus Cornarus, Rob. Conſtantinus, Johan. Ruellius, Valerius Cordus, Amatus Luſitanus, Pet. Andræas Matthiolus, *qui primo in Italicam, deinde in Latinam linguam vertit,* Andræas Laguna *qui Hiſpanice ſcripſit,* Jacobus Geupylus, Antonius Paſſinus, *aliique minoris notæ Authores. Deinde* Plinius *ſecundus, naturæ ſcrutator diligentiſſimus, multa conſcripſit*

ſcripſit e duobus prædictis; aliiſque inferioris nominis Auctoribus, multa ſelegit, ac de Vegetabilibus in Hiſtoria naturali, tempore Veſpaſiani, *copioſe tractavit. Jam inde ab illius ætate Interpretes multi & Commentatores emicuerunt; quorum primarii ſunt* Hermolaus Barbarus *prædictus,* & Jacobus Dalechampius, & *præ aliis* Johannes Harduinus *in eadem materia, in uſum* Delphini *conſcripſit.* Nicolaus Lonicerus *de falſa quorundam Herbarum inſcriptione a* Plinio, *quod publicavit; quem* Pandalphus Colenutius *titulo* Defenſionis Plinianæ *reſpondit: & poſt illum* Salmaſius *eodem ſcripſit ſubjecto. Poſt hunc* Galenus *Medicorum quotquot unquam fuerunt fere omnium* (Hippocratem *ſemper excipio*) *facile Princeps, de hac materia uberius diſputavit: in cujus libros* Oribaſius, Paulus Ægineta, Ætius, Amidenus, & Simeon Sethi, *Animadverſiones & Obſervationes conſcripſere. A quorum ætate nullus extat qui hoc ſtudio inclaruit, donec ſcriptores* Arabes, *Doctrinæ ſervatores, Anteceſſorum ſuorum libros propriis obſervationibus auctos & locupletatos in lucem ediderunt. Ex his fuerunt* Avicenna, Averrhoes, Serapio, Rhazes, Meſues &c. *Et obſervabile eſt, quemadmodum* Romani Imperii *ſubverſio, a Barbaris ſeptentrionalibus incultis, fatale infortunium Doctrinæ effecit; ita per* Græci Imperii, *a Barbaris Orientalibus (viz. Turcicis) devictionem, Græcis doctis, præſertim Aſiaticis, in Italia feliciter receptis & animatis, reſtituta eſt ſcientia Arteſque liberales: quæ* Laurentio Vallæ *præcipue accepta, referenda eſt.*

Jam inde (bis centum plus minus abhinc Annis) imprimendi Arte feliciter inventa, copioſius ſe effundere cæpit Botanica: ipſam non vulgaris eruditionis Viri, multo labore & ſtudio excoluere. Atque ex his præ cæteris claruerunt in Italia Petrus Paduanus, Nic. Lonicerus, Lucas Ghinus Bononienſis, nomine Bumaldi, Aloyſius Anguillara, Aloyſius Mundela: *atque id tempus ſcripſerunt* Petræus Andræas Matthiolus, *cujus Commentaria duodecies excuſa ſunt;* Proſper Alpinus, Caſtor Durantes, Baptiſta Fiera, Barthol. Marantha, Honorius Bellus, Cæſar Odonus, Jo. Baptiſta Pona, Julius Cæſar Scaliger, Franciſcus Calceolarius, Fabius Columna *Vir non vulgari eruditione præditus. Quinimo centum nondum interceſſerunt Anni cum in lucem prodierunt eximii Viri* Andræas Cæſalpinus *Auctor inſignis,* Ferrantes Imperatus, Jacobus Antonius Cortuſus, Adrianus Spigelius, Baptiſt. Ferrarius, Ulyſſes Aldrovandus, Tobias Aldinus, Petrus Caſtellus &c.

In Germania *ſuperiori & inferiori Scriptores primarii fuerunt* Hermolaus Barbarus, Marcellus Vergilius, Otho Brunfelſius, Johannes Ruellius, Ericius Cordus, Valerius Cordus, Hieronymus Tragus, Janus Cornarus, Leonhardus Fuchſius, Conradus Geſnerus, Coſtæus, Joachimus Camerarius, Adamus Lonicerus, Tabernæmontanus, Joh. Thalius, Leonhardus Rauwolfius, Rembertus Dodonæus, Petrus Bellonius, Carolus Cluſius, Emanuel Swertius, Baſil. Beſlerus, Ludovicus Jungermannus, *ac præ cæteris feliciſſimi Fratres* Caſp. & Joh. Bauhini, *quorum diligentia & ſtudiis magnopere ampliatum & locupletatum eſt* Regnum Vegetabile.

Apud Gallos *Rei Herbariæ Auctores inſigniores fuere* Joh. Ruellius, Benedictus Curtius Symphorianus, Robertus Conſtantinus, Joh. de Ghoul, Petrus Bellonius, Jacobus Dalechampius, *cujus* Hiſtoria Lugdunenſis a Joh. Molinæo *edita eſt.* Petrus Pena, Robinus, Paulus Renealmus, Jacobus Cornutus, Dodartius &c.

In Hiſpania & Luſitania *ſcripſerunt* Andræas Lacuna, Johannes Fragoſus, Amatus Luſitanus; & *de Plantis Indicis, Aromatibus, aliiſque ſpecie-*

bus

bus exoticis multa conſcripſerunt Garzias ab Horto, Nicholaus Monardes, Chriſtophorus Acoſta, Chriſtianus Marcgravius, Gulielmus Piſo, Franciſcus Hernandez & Nardus Antonius Recchus, qui Hiſtoriam Mexicanam *compoſuerunt.*

In Anglia *Botanices ſtudium præ cæteris excoluerunt* Guliel. Turnerus Johannes Johnſonus, Johan. Parkinſonus, Gulielmus How, Chriſtophorus Merret &c. *Quorum operibus & obſervationibus Auctores Moderni nunc dierum viventes additiones haud exiguas facere, de quibus loquendi locus erit deinceps.*

Verum enim vero rem animo diligenter perpendenti, atque Auctores prædictos ſtudioſe excutienti (ut ut Viri eſſent haud vulgariter docti, atque in ampliſſima hac ſcribendi materia tantaque Arborum, Fruticum & Subfruticum, *ac potiſſimum* Herbarum *varietate, ſummam induſtriam adhibuerint) patet tamen eorum neminem* Methodum Plantarum *veram ex ipſius Naturæ Libro deſumptam obſervaſſe. Interea temporis* Abredonia *felici, admodum omine protulit* Robertum Moriſonum, *Botanographorum omnium quot quot unquam fuerunt facile Principem; cujus auſpiciis, ineffabili ſolertia & feliciſſimis ſtudiis plus debent* Rei Herbariæ *ſtudioſi, quam univerſis veterum laboribus: id quod cuivis videre in promptu eſt, qui* Animadverſiones *ſuas* in Johan. & Caſp. Bauh. *in* Præludiis ſuis Botanicis Bleſenſibus, & Hiſtoria Oxonienſi *diligenter perpendit:* & Cl. P. Ammanno *recte annotante, (citra tamen injuriam Anteceſſorum) dicere non erubeſcamus,* in nervoſis hiſce Moriſoni operibus jam dictis, plus nitoris, plus veritatis, atque plus commodi ad Philiatros ſpectantes, contineri, quam in numeroſiſſimis voluminibus omnibus qui ſapiunt veterum proſapiam: Conſcientia cujuſvis extra partium ſtudia atque affectus poſiti, ſit arbitra. *Quibus ſane Methodos Veterum convellit & improbat, ſuamque in earum loco in æternum figit & confirmat:* Qua quidem Methodo *factum eſt ut Hiſtoriam Plantarum facilius diſcamus, atque in ejus ſtudio noſmetipſos magis oblectemus, & quod non lævis eſt momenti, Herbarum virtutes & qualitates internas, ideoque earundem uſus, citius percipiamus. Id unum notes velim, Plantas ſub eodem genere militantes, ut plurimum quoque unam eandemque inter ſe habere naturam & vires: quinimo neque id ipſum a veriſimili abludit, Vegetabilium figuras & partium conformationem a propriis ſalibus oriri, qui in has vel illas formas & figuras, pro diverſis Plantarum ſpeciebus ſeſe explicant: ideoque ſimile ſimili gaudere a ratione non alienum eſt.*

Hujus Methodi *inopia, factum eſt ut ante* Moriſoni *ætatem, negocium adeo confuſum atque incompoſitum audierit Botanices ſtudium, quippe in Authoribus ante illum ſcribentibus, vix aliquid reperias præter chaos confuſum, & Plantarum numerum nullo ordine (ſaltem rationi ſatis diſſono) inter ſe diſpoſitarum. Equidem ſcio in hac re aliquid (inepte ſatis) molitos eſſe nonnullos hujus ſeculi ſcriptores, eoſque magni nominis & famæ; quos tamen in* Re Herbaria *non minus inſcitia laborare & ignorantia, quam Anteceſſores ſui, quam evidentiſſime conſtat; donec Vir modo laudatus curioſa atque exquiſita ſua opera excudi curaverit. Quæ cum primum publici juris facta ſint, adeo apud omnes Botanices ſtudioſos invalluerunt, ut ab illius ætate ſinguli pene Botanographi in Authoris ſententiam manibus pedibuſque diſceſſerint; nonnulli licet hujus ſeculi ſcriptores (qui cum eodem non ſentiebant, ac quid ſibi de hac re videbatur ſatis propere dixerunt) Doctiſſimi Viri dignitatem obſcurare, ejuſque per quem*

profecerunt, aliorum opera deprimere, & animis eorum sublimandi, pleni, famæ detrahere conati fuerint.

Visum est Academiæ Oxonienſis Curatoribus, *(qui propensum in studiosos animam nunquam non demonstrare desiderant) ansam hanc arripere, &* Morisonum *obnixe rogare, ut* Historiam Vegetabilium *secundum Methodum a se propositam conscribere aggrederetur. Is eorum votis annuens, opus sane magnum auspiciatus est, ac volumen unum, quinque divisionibus sive sectionibus distinctum, in aspectum lucemque protulit: atque in eo totus erat ut Historiæ quam instituerat ultimam manum imponeret, si Deus longiorem vitæ moram indulsisset. At proh dolor! Vir summus immatura atque subitanea morte correptus, prius desiderari cæpit, quam opus adhuc imperfectum absolvisset.*

Curatores publici, *ut damnum hoc utcunque resarcirent, a me tandem (ut ut indigno) petierunt, ut opus tam pulchre inchoatum, ad umbilicum perducerem: Atque ego sane dum eorum petitiones, (quas ipse uti par erat mandata duxi) Amicorum rogatus, opus ipsum adhuc imperfectum mecum putaverim; ac præ cæteris, ne perirent penitus quas reliquerat Vir laudatus hujus rei notitiæ, & quas studio nostro, labore, conversatione, diutina observatione ac lucubrationibus acquisiveram, publicæ denique utilitatis appetens, eo sum adductus, ut iisdem morem me gessurum promiserim, quamvis tunc temporis, meatum rerum satis sategerim, posteaque mecum sæpius recogitaverim plus animi quam consilii mihi esse cum tantam provinciam in me susceperim.* Deo *autem juvante Herbarum notitia adeo aperta est, ut earum tota doctrina, hisce decem Sectionibus contenta, prioribus addendis, exposita est. Qua cum Plantarum numerus in insignem molem jam extumescit, & eo iis immethodice coacervatis, memoriæ onus justo gravius impositum sit; ad malum hoc jam subducendum, conati sumus, & regulis subjectis ordine collatis, tabulisque affinitatis & cognationis attentis, disciplina facilior reddatur, & abhinc Philiatrorum prolata sit delectatio, earumque humanis officiis magis obvia sit usitatio & applicatio: quæ cum in medendo primum obtineant locum, Medicinæque nobilis scientiæ practicæque bases sint, Virtutes suggerere æquum judicavi. Artem vero Medicam callere non meum est, sed potius Botanicam; Herbarum tamen Vires quam ex Antiquorum quam Recentiorum lectionibus, ac hodierna practica ex fide collectas, breviter exhibitas esse reperies. Id interim profiteri mihi liceat hujus Voluminis partem priorem instituisse* Doctorem Morisonum *ab Academia post mortem ejus immaturam nobis traditam: reliqua autem ita supplevi, & summam manum denuo imposui, ut Plantarum notitia non parum inde sit exculta. In hisce enim Naturæ Methodum veram & constantem secutus sum, a seminibus earumque capsularum dispositione, habitu seu structura desumptam, ita ut ab iis plantis exorsum sit, quæ* unico *gaudent semine, in unius floris locum subeunte; deinde quæ* duobus; 3° *quæ* tribus; *postea quæ* quatuor *habent semina, singulos flores excipientia: atque ita deinceps pro diversis Plantarum generibus uti posthac planius fiet. Opportunum autem ducimus hic monere, Partis, operis hujus primæ, de* Arboribus, Fruticibus & Subfruticibus, *spem omnem, post Auctoris fata esse ademptam (quoniam in eam, operam suam tam impense haud collocasset) ne plura Morisoniana frustra expectet Botanices studiosus. In parte hac tertia tanta sane occurrit materiæ copia, ut non alia quam hac qua vivimus ætate, componi potuisse videatur, quæ tantos ac tam multos habet diligentissimos naturæ scrutatores, qui curiosam hanc ac nobilissimam* Naturalis Historiæ *partem, diligentissime excolunt: siquidem vix*

ulla eſt Plantarum Sectio *ſeu* Claſſis, *quæ non unius Botanographi ſtudio & laboribus ſufficeret, ſi eas omnes recenſeret obſervationes, eaque omnia collectanea enarraret, quæ ab omni terrarum parte quæſita, nunc temporis habemus apud nos; quæque iis præſertim Viris accepta referimus, qui cum Artem hanc diligenter coluerint, nullis pepercerint ſumptibus, quibus* Rei Herbariæ *prodeſſe poſſe ſibi videbantur: quos omnes ſi hic loci vellem enumerare, idem agerem ac ſi defuncti laudes dicerem, quas alii æquo minores, alii e contra majores reputarent: ideoque provinciam hanc multi prudenter recuſandam arbitrantur. Nos autem tam arcto debendi vinculo impræſentiarum ſumus obſtricti, ut nefas eſſet, tantos Viros ſilentio præterire, iiſque animos adimere, qui manus auxiliares nobis porrexerunt; niſi quod tam larga ſit eorum ac genuina in ſtudioſos omnes propenſio, ut non minus ſilentio & ingrato neglectu frangi poſſint eorum animi, quam encomiis excitari. Ex his ſolidam a nobis & grandem inierant gratiam Inſigniſſimi Viri* Honoratiſſimus D. Car. Hatton, D. Leonardus Pluknetius M. D. *Profeſſoris Regii titulo merito ornatus*, D. Johannes Raius *eruditus & limati judicii Author, qui non ſolum* Synopſi Plantarum *in* Anglia *creſcentium, verum* Hiſtoria Plantarum univerſali *Botanices ſtudioſos ſibi devinxit.* D. Hans Sloan M. D. *qui in Regno Vegetabili & magna jam jam præſtitit, & ab eodem docti adhuc ſperant majora.* D. Tancredus Robinſon M. D. D. R. Richardſon M. D. *Diligentiſſimus ille ſecretorum naturalium indagator* D. Gul. Courtenus, Armiger. *Honoratiſſimus ac Venerabilis Vir* Georgius Wheeler Eques auratus. *Reverend. Vir* D. L. Stevens. D. Edvardus Lhwyd. D. Sam. Doody. D. Jacobus Petiver. D. Jacobus Newton. D. Car. Du-Bois. D. S. Dale, *aliique non contemnendæ doctrinæ Authores. Præ cæteris autem ac ſupra omnes alios, non hac in re ſolum, verum quandocunque ſimilis occurreret benefaciendi occaſio & materia, ubique liberalem ſe ac maxime ingenuum præſtitit* D. Gulielm. Sherard. LL. D. *Botanicus primi ordinis: His accedunt Viri Clariſſimi* D. Paul. Hermannus Lugd. Bat. *Medicinæ & Botanices nuperrime Profeſſor Digniſſimus. Ejuſque ſucceſſor* D. Pet. Hotton, D. Guy. Creſcentius Fagon M. D. *&* *Accuratiſſimus* D. Pitton Tournefortius M. D. *&* *Botanices Profeſſor Pariſienſis.* D. Rivinus M. D. *&* *Botan. Profeſſor Lipſienſis.* D. Magnol. *Monſpeſſulanus.* D. Paul. Bocconi. D. Breynius *nuper Dantiſcanus.* D. Commelinus *Amſtelodamenſis.* D. Hen. Van Rheed. & D. D. Seyn, *grandis operis & nobiliſſimi* Horti Malabarici 12. *Voluminibus contenti, editores digniſſimi. Aliique Celeberrimi Viri peregre agentes. Quæ ab his omnibus collectæ ſunt Plantæ, aut in eorum libris deſcriptæ, & in Horto noſtro cultæ fuere, præſertim vero quæ notas ſuas characteriſticas habent inſcriptas, ad unam aut alteram earum quæ hic loci recenſentur Plantarum Claſſium, reducendæ ſunt, ita ut quivis Botanices peritus promptius dignoſcat ſub quonam Vegetabilium genere quævis planta ab hiſce Viris obſervata, mereatur. Quæ res, propter deſcriptiones imperfectas, nequaquam poteſt fieri in quamplurimis earum, quæ in magno iſto opere elaboratiſſimo, nequaquam tamen indigno, Franciſci* Franciſci Hernandez, *Medici, qui a* Philippo ſecundo *in India Occidentali, ad Hiſtoriam naturalem componendam, enavatus eſt; & Regis juſſu, Plantarum ad vivum depictarum, & Latina lingua deſcriptarum, (præter Animalium alia) decem compoſuit volumina, in Bibliotheca Eſcuriana jam conſervata: quæ a* Franciſco Ximenes *breviata, & in Hiſpanicam linguam verſa, in Mexico Urbe A.* 1615. *in* 4°. *impreſſa ſunt: ac deinde a Nardo Antonio*

Reccho,

Reccho, Italo, Philippi *edicto, in Latinitatem converta, & Romæ A°.* 1651. *cum aliorum Doctorum Annotationibus, titulo Rerum Medicarum Novæ Hiſpaniæ Theſauri, excuſa ſunt. Idem dicendum eſt de* Piſone, Marcgravio, Bontio, *aliiſque nonnullis, qui cum in Vegetabilium exoticorum deſcriptionibus non ultra* folia, *aut ſaltem,* flores, *progreſſi fuerint (partes inconſtantes & maxime fallibiles) & Plantarum nomenclaturas ab indigenis impoſitas, quæ nobis nulli uſui eſſe poſſunt (cum notæ Plantarum characteriſticæ exinde ſumi non poſſint) æquum duxi ut quæ ab iis obſervatæ ſunt Plantæ, ſilentio potius præterirem, quam ut deſcriptionibus male intellectis Lectorem in errores inducerem: eæ vero quæ ex deſcriptionibus perfectioribus characteres proprii colligendi ſunt, nominibus correctioribus ſignatis, ad locos conſorteſque ſibi proprios, hoc opere recenſentur. Id unum in votis habeo, ut qui peregre agentes* Phyſiologi, *& in ſecretis Naturæ & curioſis obſervationibus ſe oblectant, Plantarum partes, cæteris conſtantiores, nempe* ſeminum *eorumque* capſularum *deſcriptiones, habitus, & ſtructuras diligenter notarent: ita ut ſeminum diſpoſitionem, habitum ſeu ſtructuram obtineant, legitimis ſuis claſſibus inſerantur; aut ſi novas Plantarum notas & Characteres obſervaverint, ſuis locis inſcribantur, atque ad nova itidem genera reducantur.*

Si Lectori non diſplicuerit Hiſtoriæ Plantarum Univerſalis Pars hæc altera, candidoque animo lucubrationes meas acceperit, noſtroſque conatus æqui bonique conſulet, punctum tuli; & ſat feci ſi aliorum ingenia ad altiora perſcrutanda provocaverim: ſin minus, illius tamen ignoſcas auſis qui ſedulo fecit quod potuit, quo Univerſos Rei Herbariæ ſtudioſos ſibi devinciret.

Dabam Oxoniæ ex Horto Botanico.
Ipſis Idibus Julii 1698.

JACOB BOBART.

BOTA-

BOTANOLOGIÆ SUMMARIUM

Planta Nomen eſt Vegetabili commune;

Ligno ſa vel *Herbacea* eſt.

Ligno ſa eſt vel { *Arbor*; *Frutex vel*; *Suffrutex.*

De quibus agendum eſſet primo Volumine, non edendo.

Planta herbacea ſeu *Herba* eſt, quæ folia mollia, primo a radice, deinde caules, flores & ſemina prodit, & annuo interitu ſupra terram perit. Quædam enim Plantæ ſunt *Perennes*, radice vivaci donatæ; aliæ *Annuæ*, quæ toto pereunt, & e ſemine fato quotannis renovantur. Harum differentiæ totæque eſſentiales a ſeminibus capſuliſque ſeminalibus enunciantur, & ab iis in 15. Claſſes Sectioneſve dividuntur. Quarum Primum locum ſibi vendicant.

1. HERBÆ SCANDENTES, ob anologiam & conformitatem quam cum *Subfruticibus* tenent: Ad eundem enim modum, vel *Caulium*, vel *Capreolorum* beneficio ſcandunt. In tres diſtributiones dividendæ veniunt.

Sunt vel { Bacciferæ, *ut Bryoniæ &c.*; Pomiferæ, *Cucumis, Melo, Pepo, &c. vel*; Campanulatæ, *Convolvulus ejuſque ſpecies.*

2. LEGUMINOSÆ floribus papilionaceis, & ſiliquis bivalvibus, eæque ſunt vel { Siliquis { Propendentibus, *Piſum, Lathyrus, Vicia &c.*; Erectis, *Faba, Lupinus, Gallega, &c.*; Gemellis, *Aſtragalus, Tragacantha, &c.*; Articulatis, *Onobrychis, Scorpioides, &c.* } Trifoliatæ, *Trifolium, Melilotus, Fœnum græcum, Anonis, Lotus, &c.* }

3. SILIQUOSÆ TETRAPETALÆ BICAPSULARES, quibus ſingula ſiliqua longa ſuccedens, flori tetrapetalo, ſeptum membranulamve habet mediam, duplicem ſeriem ſeminum diſterminantem. *Braſſica, Rapum, Sinapi, Eruca, Leucoium, &c.*

Hiſce adjiciuntur quædam Tetrapetalæ, ſiliquis bivalvibus, at ſepto medio deſtituentibus donatæ. *Chelidonium majus, Fumaria, Lyſimachia &c,*

Tetrapetalæ Siliculoſæ ſunt, quæ brevioribus ſiliculis curtis, quaſi cordiformibus, duplicem tamen ſeminum ſeriem continentibus, præditæ ſunt: Et axioma pene exiſtimatur, quod omnis Planta tetrapetala eſt ſiliquoſa, vel ſiliculoſa, & omnis ſiliquoſa eſt tetrapetala. *Thlaſpi Naſturtium, Burſa paſtoris, Myagrum, Veronica, Polygala, &c.*

4. TRICAPSULARES HEXAPETALÆ ſunt vel radicibus { Fuſiformibus, *Aſphodelus, Phalangium.*; Tuberoſis, *Crocus, Gladiolus, Iris &c.*; Bulboſis, *Narciſſus Hyacinthus, Cepa &c.*; Squamatis, *Lilium ejuſque ſpecies.* }

5. TRICAPSULARES { Campanulatæ, *Campanula, Trachelium &c.*
Pentapetalæ, *Hypericum, Androſænum &c.*

Monopetalæ bicapſulares, *Digitalis, Scrophularia, Verbaſcum &c.*
Tetrapetalæ quadricapſulares, *Rutæ.*

Pentapetalæ { Quinquecapſulares, *Gerania.*
Emollientes ſeminibus ſtylum nutritivum rotatim cingentibus, *Malva, Althæa, Alcea.*
Unicapſulares, *Lychnis, Alſine, Caryophyllus &c.*
Seminibus triangularibus, *Lapathum. Rhabarbarum, Acetoſa &c.*
Semin. nigris ſplendentibus, *Amaranthus, Blitum, &c.*

6. CORYMBIFERÆ ſeu CORYMBOSÆ, quarum flores denſe proveniunt in ſummis caulibus, ad inſtar baccarum *Hederæ,* corymbatim diſpoſiti; qui vel *nudi*, ſunt, ut *Tanacetum, Balſamita, Abſinthium, &c.* Vel *ſtellati*, i. e. petalis radiatim umbonem cingentibus, donati; quorum umbo vel diſcus ex plurimis minutiſſimis floſculis luteis tubuloſis, compoſitus eſt: quibus ſingulis ſingulum ſuccedit *ſemen ſolidum,* ut plurimum quadrangulare. Habita ratione florum ſeu petalorum umbonem cingentium, quadrifariam dividuntur. Sunt vel

Floribus { Aureis, *Tanacetum, Abrotonum, Calendula, Chryſanthemum &c.*
Eranthemis ſive rubris, *Flos Adonis.*
Albis, *Bellis, Matricaria, Chamæmelum &c.*
Janthinis ſeu cæruleis, *Scabioſa, Xeranthemum,*

7. PLANTÆ FLOSCULIS QUOQUE STELLATIS prædítæ, ſed hæc ſectio eas continet,

1°. Quarum ex qualibet parte rupta, ſuccus emanat lacteus, & ſemina producunt ſolida, non pappoſa, & idcirco *Plantæ Lactescentes non pappoſæ* dicuntur. *Cichoreum, Endivia.*

2°. *Lactescentes pappoſas*, quarum ſemina quoque oblonga, pappo ſeu lanugine ſummo ſemini adnaſcente donata, venti ludibrio avolant; quales ſunt, *Lactuca, Sonchus, Hieracium &c.*

3°. *Non Lactescentes Pappescentes*, hæ autem ſunt, *Jacobæa, Conyza, Aſter, Doronicum &c.*

4°. *Pappoſas capitatas*; Eæ vero ſunt, *Carduus, Jacea, Cinara &c.* Atque omnes binis hiſce Sectionibus jam dictis contentæ, floribus donantur compoſitis; quibus poſt ſingulos evanidos, ſingulum ſuccedit ſemen.

8. PLANTÆ CULMIFERÆ; ſeu CALAMIFERÆ; CEREALIA & GRAMINA DICTÆ, hæ vel

Granis ſunt { *nudis ſeu decorticatis* { Spicatæ, *Triticum, Secale, Phalaris &c.*
Jubis ſparſis, *Milium, Sorghum.*
tunicatis ſeu corticatis { Spicatæ, *Hordeum, Zea &c.*
Jubis ſparſis, *Oryza, Avena &c.*

Et notandum eſt, quod *Gramina* proxime affinitatis, majoribus ſtatim ſuccedunt, quæ *Cerealia* appellantur, quæ *Gramina* tantum ſunt præſtantiora, v. g. *Graminea triticea, Tritico*; *Gramina avenacea, Avena* ſuccedunt, & ita deinceps. Atque hæ omnes poſt ſingulos flores dehiſcentes, ſingula producunt ſemina.

9. UMBELLIFERÆ ſunt eæ e quarum caulium ſummitatibus plurimi petioli, flores pentapetalos & ſemina gerentes, ex eodem centro radiatim naſcuntur. Poſt quarum ſingulos flores marceſcentes, bina ſequuntur ſemina ſimul juncta; ob formas varias in novem ſubalterna genera diſponuntur.

Umbelliferæ

Umbelliferæ sunt vel
1. Pilliferæ, quarum semina substantia fungosa obducta sunt. *Cachrys &c.*
2. Semine rotundo vel testiculato, *Coriandrum.*
3. Semine breviore striato, *Feniculum, Levisticum, Cicuta &c.*
4. Semine longiore, striato, & non striato, *Myrrhis, Cerefolium, Scandix.*
5. Semine villoso seu hispido, *Daucus sive Carota.*
6. Semine echinato seu aculeato, *Caucalis.*
7. Semine rotundo compresso, *Ferula, Pastinaca, Oreoselinum &c.*
8. Semine ala foliacea cincto, *Thapsia.*
9. Semine alis foliaceis cincto, *Laserpitium.*

Hisce adnectuntur *Planta stellatæ*, quarum *folia* ad caulium nodos, per intervalla dispositos, stellatim sive radiatim proveniunt; quibus etiam post singulos flosculos decidentes, bina succedunt semina. Sunt.

Floribus { Luteis, ut *Rubia*,
Albis, ut *Asperula, Aparine &c.* vel
Cæruleis, purpureisve, *Rubeola &c.*

10. PLANTÆ TRICOCCÆ PURGATRICES. Hæ sub unico flore, conceptaculo triquetro, terna habent semina. Sunt vel *Lactescentes*, *Tithymali*, *Esula*, *Pityusa*, *Euphorbium.* Vel *non Lactescentes*, *ut Ricinus Ejusque species.* Istæque ut plurimum purgatrices sunt.

11. MONOPETALÆ TETRACARPÆ, GALEATÆ VERTICILLATÆ, & ODORATÆ vulgo dictæ. Harum caules quadrati, *flores* plurimos, tubulosos, ex singulis nodis verticillatim dispositos, gestant; in quorum calycis (ut plurimum quinquepartiti) fundo quatuor innascuntur *semina.*

Ex triplici Verticillorum dispositione, triplex oritur divisio.

Sunt vel
1. Spicatæ, quarum verticilla sibi invicem summitatibus incumbentia, contigua, spicam constituunt, *Lavendula, Stœchas, Prunella, Betonica &c.*
2. Verticillis densius per intervalla dispositis, *Pulegium, Marrubium, Stachys, Sideritis, Horminum &c.*
3. Verticillis rarius per intervalla dispositis, sive pediculis adhærentibus donatæ, *Thymus, Acinos, Melissa &c.*

Hisce adjiciuntur Galeatæ non Verticillatæ, *Verbena, Euphrasia &c.* Et Verticillatæ non galeatæ, *Urticæ.*

Et prædictis, naturali ordine sequuntur *Monopetalæ tetracarpæ asperifoliæ*, quæ fundo calycis, sub singulo flore tubuloso quatuor insident semina. Quales sunt *Borago, Buglossum, Echium, Symphytum &c.*

12. PLANTÆ MULTISILIQUÆ POLYSPERMÆ, & MULTICAPSULARES; Quibus singulis excussis floribus, conceptacula nunc plura nunc pauciora, corniculata, ad exortum juncta, & superius divisa, siliquas æmulantia, semina incerto numero continentia, succedunt. Hæ sunt *Pæonia, Aquilegia, Helleborus, Delphinium, Sedum &c.* Vel 2^da^. hujus seriei Distributio *Multicapsulares* continet, quarum semina post singulos flores evanidos, vasculis communi operculo circundatis, & plurimis cellulis membranaceis, intus divisis, continentur; quales sunt *Nigella, Papaver, Nymphæa, Aristolochia &c.*

13. PLANTÆ BACCIFERÆ, quibus singulis floribus numerosa etiam succedunt semina, arillæ, seu acini, baccis sive fructibus humidis inclusa, pulpa intermixta, & pellicula communi tecta, absque membranula intus dispertiuntur.

Solanum, Mandragora, Herba paris, Polygonatum &c.

14. PLANTÆ CAPILLARES EPIPHYLLOSPERMÆ, sic à *radicibus* capillorum tenuium instar fibrosis, & *seminibus* in aversa foliorum parte, maculis lineisve adnascentibus, dictæ: ob quorum seminum exiguitatem, nudis oculis vix conspicuorum, & idcirco, non ut in præcedentibus, distinctiones ab iis extrahi possunt, sed à foliorum formis ac dispositionibus oriuntur inter se discriminationes.

1. Sunt foliis integris, ut *Phyllitis seu Lingua cervina*, *Hemionitis* &c.
2. Foliis sinuatis, undulatis, non ad costam usque divisis, quæ aversa foliorum parte rubigine furfuroso toto obducuntur. *Asplenium seve Ceterach.*
3. Cujus foliorum alæ longiores, non ad costam penitus inciſæ, maculis ruffis in dorso sunt insignitæ. *Polypodium.*
4. Quarum foliorum alæ integræ ad costam mediam usque divisæ sunt. *Lonchitis.*
5. Eæ sunt quæ pediculo pallido donantur, & alæ ipsæ ad nervum usque divisæ sunt, eæque non ramosæ vel ramosæ sunt. *Filices.*
6. *Adianta* nominantur eæ, quarum caules, seu potius pediculi (caules enim proprie loquendo hæ plantæ non habent) politiori nitore nigricant, foliaque ficca, aqua non madescunt.

15. PLANTÆ quædam restant *Heteroclitæ seu Anomalæ*, quæ à notis characteristicis jam explicatis, ad Methodum antedictam reduci non quæant, eæque sunt vel *Terrestres*, vel *Aquaticæ*; quarum divisiones elenchus pagina 597. impressa, fusius explicabit.

ERRATA

ERRATA.

PAg. 5. Linea 30. Lege *Artemiſia vulgaris major* C. B. P. *p.* 11. l. 17. lege *Abrotanum mas anguſtif. incanum* C. B. P. l. 41. lege *mas anguſtif.* C. B. P. *p.* 16. *l.* 21. lege *Chryſanthemum majus foliis in minores lacinias diviſis* C.B.P. Item, 2. *Creticum Cluſ. Hiſt. p.* 19. *l.* 55. pro *Trag.* lege *Fragos. p.* 20. *l.* 51. lege *Buphthalmum alpinum fl. candido Trimeſtri. p.*21. *l.*29. dele *Maritimum* ante *C.B.P.* Item lege *Conyzaria vulgi, ſive bombax humilis Tab. l.* 48. lege *After montanus luteus ſalicis glabro folio* C. B. P. *p.* 26. *l.* 37. lege *Helleborus niger ſtriatacesii Theophraſti* Item *Helleborus niger tenuiſ. buphthalmi flore* C. B. P. *p.* 29. *l.* 16. lege *Alpina alba minor.* Item & 2. *Prod. p.* 30. *l.* 1. lege *ſylveſtris media caule carens* C.B.P. *p.* 32. *l.* 34. pro *qui* lege *quibus. l.* 52. lege *parthenium*, ſive *matricaria maritima* C.B.P. *p.* 35. *l.* 23. pro *C. B. phytobas.* lege *Col. phytobas. p.*36. *l.*30. poſt *leucanthemum* adde *incanum. l.*38. lege *inſiſtunt. p.*39. *l.*13. poſt *prod.* adde *millefolium. l.* ult. pro *Madraſſpatana* lege *Africana. p.* 40. *l.* ult. dele *dracunculus argenteus ſive.* Item *latioribus. p.* 41. *l.* 14. poſt *prod.* adde *abſinthium alpinum. l.* 30. dele *dracunculus latifolius ſive. p.* 45. *l.* 56. pro *montana* lege *latifolia.* Item poſt *laciniata* adde *ſecunda. p.* 48. *l.*13. pro *foliis* lege *floribus.* Item poſt *atqui* lege *foliis. l.*56. dele *indica. p.* 50. *l.* 13. poſt *laciniata minor*, adde *maritima. p.* 55. *l.* 52. *vid. icon. tab.* 35. Item *ſin.* ultima *vid. icon. tab.* 35. *p.* 57. *l.* 30. lege *lactu. l.* 35. lege *lactuca capitata* C. B. P. Item poſt *Ger.* adde *lactuca Sativa capitata. l.* 57. poſt *virente*, adde *nobis.* Item. lege *lactuca foliis undulatis. p.* 57. *l.* 42. dele *montanus.* Item poſt *laciniatus*, adde *latens. p.* 69. *l.* 19. poſt *latifolium*, adde *glabrum. p.* 72. *l.* 38. pro *iſthic* lege *infra. p.*74. *l.* 50. lege *pediculus. p.* 78. *l.* 2. dele *monoclonos. l.* 50. lege *piloſella montana hiſpida parvo flore.* C. B. P. *p.*79. *l.* 48. pro *folio ſimato*, lege *folio oblongo ſimato. p.* 87. *l.* 4. adde *vid. icon. tab.* 19. Item *l.* 26. adde *vid. icon tab.* 17. *p.* 88. *l.*49. adde *vid. icon. tab.* 17. *p.* 89. *l.* 25. lege *piloſella. p.* 90. *l.* 27. adde *vid. icon. tab.* 20. *p.*93. *l.* 8. poſt *roſeum* adde *ſylveſtre. p.* 99. *l.*14. pro *caulibus in* lege *caulium.* Item *l.* 17. adde *vid. icon. tab.* 19. *p.* 101. *l.* 66. lege *valeriana ſoliis calcitrapæ*, C. B. P. *p.* 103. l. 14. 22. 26. 40. 43. 50. dele *valeriana. l.* 32. dele *valerianæ. p.* 108. *l.* 64 poſt *laciniatis* adde *nobis.* Item ante *latifolia* adde *ſive cinerariæ. l.* 45. dele *repens. p.* 114. *l.* 2. lege *Conyza mas Theophraſti, major Dioſcorid.* Item ante *minor Cluſ.* adde *ſemina Theophraſti. p.* 118. *l.* 5. dele *ſubhirſuto ſalicis folio.* Item poſt *after* adde *luteus. p.*119. *l.* 42. lege *after aſiaticus cæruleus vulgaris* C. B. P. *l.* 65. poſt *Auſtriacus* adde *cæruleus. p.* 121. *l.* 43. adde *vid. icon. tab.* 18. *p.* 125. *l.*35. lege *ludibrio. p.*131. *l.* 44. dele *major. p.* 135. *l.* 9. lege *Cyanus orientalis & minor* Park. *vel Cyanus floridus odoratus Turcicus, ſive odoratus major & minor* Park. *p.* 140. *l.* 54. lege *piloſus. p.* 141. *l.* 15. poſt *Park.* lege *montana candidiſſima ſtabes foliis. l.* 28. lege *perennior. p.* 149. *l.* 42. dele *majus. p.* 150. *l.* 35. dele *Cirſium. p.* 152. *l.* 60. dele *alba. p.* 156. *l.* 32. lege *profunde. p.* 158. *l.* 15. dele *carduus ſive. l.* 57. lege *parenchymate. p.* 177. *l.* 32. poſt *ſpica*, adde *latiore. p.* 182. *l.* 3. dele *vulgare. l.*68. dele *loliaceum. p.* 183. *l.*6. dele *loliaceum. p.* 186. *l.* 11. lege *conſtrictus. p.* 128. *l.* 27. poſt *Italicum* adde *ſive. p.* 200. *l.* 9. dele *montanum. l.* 57. dele *elegans. p.*201. *l.*11. poſt *gramen pratenſe*, adde *paniculatum. l.*22. ante *minus C.B.P.* adde *paniculatum. p.* 203. *l.* 53. lege *geniculatoque. p.* 212. *l.* 12. lege *Feſtuca altera capitulis duris C. B. P. l.* 25. pro *C. B. T.* lege *C. B. P. p.* 222. *l.* 59. dele *liggon. p.* 229. *l.* 8. lege *juncus odoratus ſive aromaticus* C. B. P. *p.* 231. *l.* 25. poſt *ſcirpus* lege *major. p.* 232. *l.* 43. lege *juncus acutus maritimus capitulis rotundis*, C. B. P. *p.*233. *l.* 31. poſt *panicula*, adde ex *rubro.* Item dele C. B. P. & lege *cat, plant, cant. p.*236. *l.* 19. poſt *Cyperus*, adde *rotundus. l.* 37. pro C. B. T. 214. lege C. B. P. 14. *l.* 45. poſt *Park.* adde *rotundus. p.* 237. *l.* 67. lege *Cyperus longus inodorus Germanicus*, C. B. P. *l.* 68. pro *ſylvaticus* lege, *longus inodorus, ſylveſtris. p.* 242. *l.* 41. poſt *Park.* adde *Cyperoides ſpicâ pendulâ. p.* 248. *l.* 18. lege *gracilibus. p.* 252. *l.*7. lege *protenſis. l.* 31. dele *aut. l.* 57. dele *ſoris* & pro *ingrigans* lege *nigricans. p.*256. *l.* 22. 25. dele *molucceſis. p.* 259. *l.* 49. pro *capitulis*, lege *paniculis. p.* 260. *l.* 52. 58. adde *vid. icon. tab.* 13. *f.* 7. *p.* 273. *l.* 18. lege *petroſelinum. p.* 278. *l.*29. lege *quartana. p.*281. *l.* 13. lege *cicutariæ. p.* 286. *l.*47. dele *albicans*, & lege *major. p.* 290. *l.* 1. lege *maritimum* pro *marinum. p.* 292. *l.* 32. pro *maximum*, lege *latifolium. p.* 293. *l.* 13. pro *ſeu* lege *&. l.* 33. lege *Hirpis. p.* 294. *l.* 38. lege *ammioides. p.* 299. *l.* 29. poſt *anguſtifolia*, adde *bupleuri folio. l.* 37. pro *vaccanæ* lege *vaccariæ. p.* 304. *l.* ult. dele *plurimis*, & pro J. B. lege C. B. P. *p.*305. *l.* 3. lege *abortivum. l.* 31. lege *paſtinaca tenuifolia ſativa radice butâ* C. B. *prod. l.*37. lege *hiſpidis. p.* 307. *l.*29. poſt *Monſpeliaco*, adde *echinato. l.*39. lege *nodoſo p.* 309. *l.*48. dele *tenuiore folio ſeu. p.* 311. *l.* 38. pro *violatilis.* lege *volatilis. p.*319. *l.*28. lege *Thapſia carotæ folio*, C.B.P. *p.*325. *l.*42. pro *minus* lege *minimum. p.* 329. *l.*25. dele *rotunda*, & poſt *quadrifolia* adde *vel rotundifolia. p.* 331. *l.* 11. lege *Rubia pratenſis lævis acuto folio*, C. B. P. *l.* 26. 29. 31. lege *aſperæ. p.*236. *l.* 68. lege *amæna. p.* 338. *l.* 43. 51. 52. lege *peplus. p.* 342. *l.* 16. lege *dimidiam. p.* 344. *l.* 51. lege *ſalignea. p.* 345. *l.* 33. lege *plantæ. p.* 350. *l.* 6. poſt *cinereum*, adde *vid. icon. tab.* 31. *S.* 11. *p.*354. *l.* 8. lege *ſeculi. p.* 356. *l.* 54. lege *polium montanum minimum ſupinum Lob. Lugd. p.* 362. *l.* 25. lege *cephaloton. p.* 363. *l.* ult. lege *cæruleo*, dele *brunella*, Item poſt C. B. P. *prunella flore magno, folio non laciniato* J. B. *p.*381. *l.* 7. dele *latifolia. l.* 8. dele *anguſtifolia. p.* 387. *l.* 43. lege *ſideritis vulgaris hirſuta erecta* C. B. P. *l.* 45. pro *Cæſ.* lege *Geſn. cat. p.* 391. *l.* 2. pro *Cordi* lege *Geſn. Cat. p.* 392. *l.* 55. dele *album. l.*67. lege *æthiopis foliis ſinuoſis C. B. P.* Item dele *ſclarea æthiopica ſive æthiopis non laciniatis foliis. p.* 393. *l.* 24. ante *ſativum* adde *geminum. l.* 55. pro *magno* lege *majore. p.* 400. *l.* 10. dele *minor. p.* 406. *l.* 28. lege *Ocimum indicum Cluſ. hiſt. p.*414. *l.* 52. lege *mentha cattaria Hiſpanica anguſtioribus foliis*, J. B. *p.* 421. *l.*51. pro *Teucrium aſſurgens Dod.*, lege *Chamædris altera ſeu aſſurgens Dod. p.* 425. *l.* 19. lege *Chamæpytis ſpuria multifido folio lævii flore* C. B. P. *p.* 427. *l.*62. poſt *rubro* adde *& albo. p.* 429. *l.*23. pro *lintria folio*, lege *anguſtifolium. p.*438. *l.* 42. poſt *buglaſſum minimum* adde *flore rubente. p.* 442. *l.* 36. pro *ſemidigitum*, *legendum puto Raius ſemipedem*; *quod reſtius eſſe videtur. l.* 41. dele *purpurea. p.*445. *l.* 39. 40. pro *verſicolore flore Cluſ. hiſt.* lege *& Cluſ. hiſt. p.* 446. *l.* 1. dele *purpurea.* Item pro *luteo* lege *rubro. l.* 11. dele *annua. p.* 448. *l.* 35. lege *Cynoglſſum vulgare C. B. P.* Item poſt J. B. adde *Cynoglſſum. p.* 449. *l.* 23. lege *Cynoglſſum*, 1. *Creticum Cluſ. p.* 451. *l.* 5. 6. dele *Echium ſcorpioides minus floſculis luteis C. B. P. & Prod. p.* 455. *l.* 17. poſt *Hiſpanica* adde *ſeu.* Item poſt *Cam.* adde *pannia ſem. Hiſpanica pumila. p.* 456. *l.* 23. dele *Creticum. p.* 458. *l.* 9. 16. poſt *hortenſis*, adde *multiplex. l.* 19. poſt *hortenſis* adde *multiplici. l.*22. poſt *roſeo* adde *multiplici.* Item dele *ſeu ſtellato ſimpliciori & multipliciori. p.* 465. *l.* 21. lege *Strangulationis. p.* 470. *l.* 47. lege *hirſutis. p.* 471. *l.* 14. lege *melleo. l.* 48. poſt *ſedum minus* adde *odoratum. p.* 476. *l.* 59. pro *C. B. P.* lege C. B. Ph. *p.* 482. *l.* 22. 63. pro *Gentianella* lege *Gentiana. l.* ult. lege *punctato flore ſubcæruleo primo. p.* 483. *l.* 31. poſt *Gentianella* adde *Alpina. p.* 483. *l.* 48. pro *Gentiana* 3. *Cruciata cruciata C. B. P.* lege *Gentiana* 3. *vulgo Cruciata Cluſ. p.* 487. *l.* 24. poſt *C. B. P.* adde *Damaſonium purpureum dilutum ſive bulbocrine, 5. Cluſ. p.* 490. *l.* 61. dele *Cynoſorchis. p.*492. *l.* 47. poſt *J. B.* adde *Tragorchis minor Bavarica. p.* 496. *l.* 42. poſt *triorchis* adde *alba.* Item lege *Triorchis alba odorata major C. B. P. p.* 497. *l.* 14. pro *orchis bifol.* lege *monorchis bifol.* Item poſt *clematidibus*, adde *alpina. p.*498. *l.* 46. lege *orchis palmata femina. ſive palma Chriſti femina maculato folio. p.* 499. *l.* 40. lege *ſerapias minor rubello nitente flore anguſtifolia nullis inſperſis punctulis, Lob. icon. p.* 503. *l.* 14. pro *Ablatum* lege *Amblatum. p.* 504. *l.*18. poſt 16. adde *Orobanche radice coralloide C. B. P.* 88. *l.*48. adde *limonium* poſt *Trag.* & pro *J. B.* lege *Park. p.* 509. *l.* 1. ante *Trag.* adde *beta. p.* 511. *l.* 47. lege *reperi. p.* 516. *l.* 29. lege *calyce & flore. p.* 539. *l.* 23. lege *parva. p.* 562. *l.* 46. pro *ſeparium* lege *ſeparum. p.* 567. *l.* 49. pro *falcæ* lege *falcis. p.*569. *l.* 10. ante *minor* dele *aſpera. p.* 572. *l.* 64. lege *cacumen. p.* 573. *l.* 55. pro *Aſiaticum* lege *Madraſpatanum. l.* ult. ante *C. B. P.* adde *ſeu adianthum album filicis folio. p.* 580. *l.* 5. ante *aculeata* dele *mas. p.* 587. *l.* 56. poſt *foliis* adde *minutis. p.* 600. *l.* 23. poſt *maritimum minus* adde *fubolis. p.* 604. *l.* 4. dele *ſpinoſus ſive. l.* 40. pro *ſibrinum* lege *paluſtre. p.* 609. *l.* 17. pro *lapathum* lege *Apocynum. l.* 45. ante *folio* dele *latifolio p.*616. *l.* 22. lege *recta* pro *erecta l.* 25. poſt *maritima* adde *repens. p.*618. *l.* 1. poſt *aquatica* adde *major. l.* 7. ante *latifolia* adde *aquatica minor. l.* 12. poſt *aquatica* adde *minor. l.* 48. ante *C. B. P.* dele *Stratiotes. p.* 619. *l.* 2. pro *vel etiam* lege *ſive. p.* 619. *l.* 22. pro 1. *lens*, lege *lenticula. p.* 620. *l.* 17. pro *ſubrotundo*, lege *rotundo. p.* 621. *l.* 39. pro *Braſſicenſe*, lege *Baſilienſe. l.* 42. ante *nudum*, adde *foliis.* Item poſt *juncetum* dele *C. B. P. p.* 622. *l.* 14. ante *C. B. P.* adde *majus. p.*623. *l.*54. dele *repens ſive. p.* 625. *l.* 16. pro *terreſtris*, lege *ramoſus. p.*626. *l.* 26. dele *ramoſus. l.* 61. pro *C. B. P.* lege *J. B. p.* 628. *l.*22, 23. dele *muſcus capillaris minor vulgaris ſive. p.*634. *l.* 26. ante *pulmonarius* dele *arboreus. l.* 62. poſt *arboreus*, adde *nodoſus. p.* 636. *l.* 22. pro 14. lege 10. *p.*642. *l.* 49. poſt *referens*, adde *ſive ſambucinus. p.*644. *l.* 9. pro *fontana*, lege *fontalis. p.*645. *l.* 33. poſt 1. dele *fucus ſive. p.* 646. *l.*22. pro *dentatis* lege *diſſectis. l.*25. pro *minor* lege *marinus. p.*647. *l.* 12. lege *longo*, *l.* 28. pro *marinus*, lege *maritimus. p.*649. *l.* 24. pro *minor*, lege *marinus. l.* 42. dele marinus. *p.*650. *l.*25, 26. pro *marinus*, lege *maritimus. p.*651. *l.* 20. dele *candidus. l.*37. pro 10. lege 9. *l.*50. pro 12. lege 11. *l.*51. pro 13. lege 12. *p.* 652. *l.* 2. pro *lævis*, lege *cortice lævi. lineis ſequentib.* 9. 11. 13. 32. pro 7. lege 6. pro 6. lege 5. pro 8. lege 7. *l.* 32. pro *ſeſacea* lege *nigra.* pro 5. lege 4. *p.*654. *l.* 23. pro 4. lege 5. *l.*27. poſt *Imp.* adde *C. B. P.* 368. *l.* 43. ante *minor*, adde *vel. p.*655. *l.* 48. pro 6. lege 5. *p.*656. *l.* 4. poſt *ramoſum*, adde *alterum.* l. 44. ante *affinis*, adde *albo. p.*657. *l.* 38. ante 12. adde *rubrum.*

Erratis Addenda.

PAg. 1. *l.* 30. poſt *teſtatur* pone (.) *l.* 32. *deductum. p.* 3. *l.* 6. *Lepidii. p.* 5. *l.* 26. *Abſinthii. p.* 7. *l.* 38. *& in ramulos. l.* 40. *ſurculis florum vice. l.* 49. *reſerentia. l.*52. *in multos alios. l.*54. *hortos. p.* 8. *l.* 1. *Abſinthii. l.* 2. *Rezolfii. l.* 35. *ſuſtinentibus. l.* 49. *priorum. l.* 69. *vulgaris. p.* 9. *l.* 57. *diſtentus at turgidus. l.*61. *natur eger. p.* 11. *l.* 16. *vix ſpecies diſtinctam. p.* 24. *l.* 45. *Crenata. p.* 32. *l.* 46. *floris vice, qui. p.* 69. *l.*63. *illis alterius. p.*597. *l.*25. *Icone. l.* 40. *ephemerum. p.*606. *l.* 41. *floribus quaterna. p.*622. *l.*36. dele *Muſco-fungum & fungum. p.*623. *l.*51. *de muſco-fungis ordine. p.* 624. *l.* 3. *Indicare. vide icon. Tab. æn.* 5. *l.* 6. dele *vide icon. Tab. æn.* 5. *p.* 631. *l.* 27. *quo caduco. l.* 41. *ſatis longa ſunt. l.* 50. *vaſcula ſeminifera. p.*635. *l.* 41. *Martialis.* —— *Plenus in Bacchidibus. p.* 637. *l.*22. *fuſca. l.* 49. *diffuſum vidiſſe ais. p.*638. *l.*27. *Horum unumquodque magnitudine. l.* 33. *Porcos eadem proboſcidibus ſubvertentes ait obſervaſſe. p.*641. *l.*26. *primam. p.* 642. *l.*22. *compoſueris, nos laxe. l.* 38. *ſuum continet. p.*645. *l.*37. *Plantam hanc in. l.* 46. *medio decurrentibus. p.* 647. *l.* 17. *binorum cubitorum. p.* 648. *l.*9. *pedales ramoſicaulis eſt hic ſucus; hi rurſus in alios, foliolis quamplurimis. l.* 43. *terminatur. p.*650. *l.* 12. *expandebatur caulículi tenues. p.*651. *l.* ult. *rugoſo cortice obducitur. p.*653. *l.*6. *mucagine. p.*654. *l.*10. *conſtat.* ib. *quod genus denſius & durius eſt, cinerei coloris*, delectantur. *l.* 12. *unde hæc herba Spongiæ. p.*655. *l.*7. *falſæ innumeras hujuſmodi plantas. p.*656. *l.* 30. *ponderoſius qui. p.*657. *l.* 18. *& protuberantiis. l.*45. *annumerarunt.*

Errata

Errata in Tabulis æneis.

SEct. 6. Tab. 2. poſt 15. *Abſinthium* adde *ponticum*, poſt 16. *abſinthium* adde *ponticum*. Tab. 3. pro 27 *Chryſanth.* lege 28. *Chryſanth.* pro 48. lege 49. pro 43. lege 44. pro 44. lege 45. pro 45. lege 46. pro 68. lege 72. pro 69. lege 73. pro 56. lege 58. Tab. 4. 2 *Chryſanthemum* lege 5 *Chryſanthemum.* pro 3. lege 4. pro 48. lege 47. pro *vid. pag.* 11. lege *vid. pag.* 109. Tab. 5. pro 25. lege 26. pro 28. lege 29. pro 9. lege 10. & 11. pro 12. lege 13. & 14. pro 14. lege 12. pro 16. lege 17. Tab. 6. dele *vid. pag.* 11. & lege *vid. pag.* 109. & *transferatur hæc icon. ad Jacobeas in Sect.* 7. pro 35. lege 36. pro 74. lege 82. pro 54. lege 55. pro 53. lege 56. pro 61. lege 63. pro 57. lege 59. pro 36. lege 38. & pro *pag.* 20. lege *pag.* 19. pro 37. lege 39. pro 52. lege 53. Tab. 7. pro 23. lege 24. item pro *pag.* 18. lege *pag.* 17. pro 55. lege 57. pro 59. lege 61. pro 60. lege 62. pro 66. lege 70. pro 67. lege 71. pro 75. lege 83. pro 76. lege 84. Tab. 8. pro 18. lege 17. pro 17. lege 18. pro 11. lege 12. pro 33. lege 27. Tab. 9. pro 12. lege 13. *Tres ultimæ icones ſpectant ad Sect.* 7. pro *Sonchus arboreſcens paluſtris* C. B. P. lege Hieracium arboreſcens paluſtre 5. C. B. P. Tab. 10. poſt 1. *matricaria* dele *latifolia*, poſt 5 *matricaria* dele *latifolia*. Tab. 11. pro 6. *milleſolium* &c. lege *milleſolium vulgare album C. B. P.* Tab. 13. poſt 5. *Scabioſa* dele *montana*. Sect. 7. Tab. 2. pro 8. lege 9. Tab. 3. poſt 23 *lactuca montana purpuro-cærulea minor* adde *C. B. P.* In *Sonchus* 9. dele *Creticus*. pro 14. lege 15. Tab. 4. pro 27. lege 29. pro 15. lege 38. pro 34. lege 35. pro 32. lege 34. pro 40. lege 49. pro 45. lege 48. pro 11. lege 10. Tab. 5. pro 38. lege 41. ubi poſt *Hieracium* lege *Echioides*. pro 53. lege 56. pro 13. lege 15. & poſt *J. B.* lege Magnol. pro 14. lege 16. pro 15. lege 17. pro 47. lege 50. Tab. 7. pro 13. lege 16. pro 14. lege 17. pro 7. lege 8. pro 8. lege 7. pro 12. lege 14. pro 43. lege 46. ubi dele *& idem minus*. pro 29. lege 31. pro 6. lege 8. Tab. 10. pro 26. lege 29. pro 23. lege 26. pro 16. lege 18. pro 8. lege 11. Tab. 11. pro 7. lege 8. poſt 14. *Gnaphalium* dele *vulgare*. Tab. 14. Iconi 6. adde 9. pro 4. *valeriana* lege 14. *valeriana*. Tab. 17. pro 6. lege 28. pro 7. lege 8. pro 22. lege 24. ubi poſt *pag.* pro 17. lege 88. pro 4. lege 5. pro 15. lege 17. pro 16 lege 18. Tab. 18. pro 29 lege 31. pro 31. lege 33. pro 38. lege 39. Tab. 21. pro 10. lege 11. pro 15. lege 16. pro 12. lege 13. pro 42. lege 43. pro 16. lege 17. pro 16. *Aſter* lege 9. *Aſter*. Tab. 22. pro 17. lege 18. pro 22. lege 23. pro 18. lege 19. pro 30. lege 31. pro 26. lege 27. pro 36. lege 35. pro 24. lege 25. pro 47. lege 48. Tab. 25. pro 5 *Centaurium majus Cornuti* lege 4 *Centaurium luteum Cornuti & Park.* Tab. 27. pro *pag.* 144. lege *pag.* 141. Tab. 28. in octava & nona icone. pro *pag.* 144. lege *pag.* 139. Sect. 11. Tab. 5. In 4 *prunella* dele major folio non diſſecto. Tab. 7. In 2 *lamium* dele *purpureum*. Tab. 15. In *Salvia* 11. poſt *minor* adde *aurita &*. In 14 *Salvia* dele *minor*. pro 15. lege 14. Tab. 19. pro 5. lege 2. Tab. 31. pro 5 *Ricinus* lege 25 *Ricinus*. Sect. 12. Tab. 1. pro *paonia flore ſimplici latiore folio, quæ mas* C. B. P. lege *paonia folio nigricante ſplendido, quæ mas C. B. P.* Tab. 5. pro *Gentiana major flore cæruleo punctato C. B. P.* lege *Gentiana paluſtris latifolia major flore punctato C. B. P.* Tab. 11. lege 5 *Helleborine montana purpuraſcens C. B. P.* 5 *Cluſ. Pan.* Tab. 12. pro 442. lege 492. Tab. 14. pro *Helleborine paluſtris &c.* lege *Helleborine ſylvatica &c.* Tab. 16. In 2 *orobanche* dele *obſoleto*.

Cætera errata lectori benevolo corrigenda relinquimus.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis
PARTIS III. SECTIO VI.
De Plantis Corymbiferis ſeu Corymbosis.

Herbarum doctrina quinque ſuperioribus Sectionibus, Volumine antecedenti contentis, jamjam abſoluta, Naturæ ordinem (quantum licet) proſequi conabimur, & ad reliquas plantas herbacea materia præditas progrediemur. Proinde in hac Diſtributione ſexta eas recenſemus, quibus, poſt ſingulos flores evanidos ſingula ſuccedunt ſemina: his contiguæ apparent eæ, quibus ſingulis dehiſcentibus floribus, bina ſuccedunt ſemina: deinde jure cognationis eas adjungimus, quibus, excuſſis floribus, terna ſequuntur ſemina: ac deinde ſermonem de iis inſtituimus, quibus, evaneſcentibus floribus, quaterna ſubſunt ſemina, & ita deinceps; de quibus ordine dicemus: & Primo tractabimus de Corymbiferis, id eſt, de Plantis quarum Flores denſe proveniunt in ſummis caulibus, ad inſtar baccarum Hederæ corymbatim diſpoſiti; Qui vel nudi abſque petalis ſunt; vel ſtellati; id eſt, plurimis petalis latis, diverſorum colorum, radiatim umbonem vel diſcum, ex plurimis minutiſſimis floſculis luteis tubuloſis, (perpaucis exceptis) quinquefariam diviſis compoſitum cingentibus: quibus ſemina ſolida, ſine pappo aut lanugine ſemper ſuccedunt. Plantæ habita ratione Florum, quadrifarium nobis dividendæ veniunt. 1. Sunt Floribus aureis. 2. Floribus rubris. 3. Floribus albis & 4. Floribus ianthinis ſeu cæruleis.

Exordiamur diſpoſitionem Tabularum in hac Sectione contentarum à plantis Floribus omnino aureis donatis, qui nudi bullati ſunt, vel petalis luteis umbonem cingentibus. Et primo de nudis.

Tanacetum; Balſamita & Ageratum; Draclunculus hortenſis; Ambroſia; Artemiſia; Abſinthium; Abrotanum; mas, & fœmina.

PLANTÆ CORYMBOSÆ
Sive Corymbiferæ floribus aureis bullatis ſive nudis

CAPUT I.
Tanacetum.

TAnacetum *forte à Tannaco nomen accepit, quo nomine* Parthenium *appellatum fuiſſe* Plin. *teſtatur* Parthenium *macrophyllum forte* Hippocratis, Hermolao [illegible] & Dioſcoridis, *l.* 3. *c.* 128. *quibuſdam videtur: nobis non item. Tanacetum nomen eſſe ab* Athanaſia *deductum quidam volunt, (quaſi dicas* Atanaſia *ſeu* Tanaſia *) aphæreſeos*; Gallis *non etiam pronunciantibus* th *dicitur* Tanaſie; Anglis *quoque* Tanſy.

Tanacetum eſt Planta Corymboſa, *foliis* plurifidis alibi inordinatim uni coſtæ mediæ hærentibus, odorem ſuffundens vehementem, ſed gratum ſatis; *floribus* donatur luteis nudis, ſine petalis cingentibus umbonem luteum, aliarum hujus diſtributionis primæ Plantarum Corymbiferarum more.

TABULA I. SECTIONIS VI.

Tanacetum { 1. *Vulgare luteum, C. B. P. Vulgare, Trag. Hiſt.* ⊙.
2. *Foliis criſpis, C. B. P. criſtatum Anglicum, Lob. Lugd.* ⊙.

1. Tanacetum *vulgare luteum, C. B. P. Vulgare flore luteo, J. B. Vulgare, Trag. Eyſt. Tanacetum, Matth. Dod. Cæſ. Ger. Ambroſia quibuſdam, Cordi in Dioſc. Tanacetum Athanaſia, Chab. Athanaſia vulgaris Lacunæ.* E *radice* lignoſa in plures radiculas repentes hinc inde diſtributa, aſſurgunt *caules* ſtriati, *foliis* longis alatis uni coſtæ mediæ, ſeu pediculo rachive inordinatim adhærentibus, veſtiti, *Filicis maris*, utroque latere ſerratis ſatis æmulis, mollioribus tamen & minoribus, odoris vehementis ſed non ingrati: In caulium faſtigiis, aliquot Umbellæ in modum (ſed non ex eodem centro) pediculi apparent, *flores* nudos aut Bullatos luteos, corymbatim diſpoſitos, ſuſtinentes, nullis petalis radiatis, ut in aliis, hujus diſtributionis, donatos; quibus *ſemina* multa, ſolida, longa, & anguſta ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 1.

Exit Tanacetum paſſim ſecus agrorum margines, aggerum & Hortorum ſepimenta; Menſe Julio flores profert, & Autumno ſemen perficit.

Varietas hujus plantæ *foliis* eleganter variegatis in Hortis alitur.

2. Tanacetum *foliis criſpis, C. B. P. Criſtatum Anglicum, Lob. Lugd. Eyſt. Criſpum, Dod. Anglicum, Cam. Ger. Criſpum ſive criſtatum Anglicum flore luteo, J. B.* Cum priore convenit hoc; *folia* vero in frequentiores inciſuras diviſa ſunt, & criſpa apparent. *Planta hæc* Angliæ *indigena eſt, ubi ſponte naſcitur.*

De Tanaceto Annotatio.

Quod ad alias Plantas attinet ab Auctoribus *Tanaceta* nominatas, alio loco ad congeneres reducendæ ſunt; ut *Tanacetum minus album odore Camphoræ, C. B. P. Tanacetum minus candidis floribus, Lob. Lugd. Et Tanacetum Alpinum, C. B. P. Tanacetum parvum Alpinum, Lugd.* Hæ Plantæ pro genuinis *Tanaceti* ſpeciebus neutiquam recenſendæ ſunt, quæ potiore jure omnes conditiones *Millefolii* poſſident, præcipue quod *flores* habeant petalis albis plurimis umbonem cingentibus, & eo nomine inter *Millefolia* collocandæ ſunt.

Tanacetum *montanum inodorum minore & majore flore, C. B. P. Tanacetum inodorum, Cluſ. Tanacetum Leucanthemum. Tab.* ex petalis latis albis umbonem luteum cingentibus, primo intuitu *Bellides Leucanthemas* ſeſe eſſe declarant. *Tanacetum* etiam *Africanum* ſeu *flos Africanus major & minor*, ejuſque varietates, C. B. P. &c. Cum plantæ hæ *floribus aureis* petalis latis umbonem cingentibus ac *ſeminibus quadratis* præditæ ſint, ad *Chryſanthemorum* familiam amandandas jure cenſuimus. Nam inter *Tanaceta* & plantas prædictas, quoad modum florendi, perquam exigua aut nulla eſt affinitas: ſola relatio eſt in diſpoſitione & ſimilitudine *foliorum*, quæ in plurimis toto genere diverſis prorſus eadem reperiuntur. Sic etiam *radices, caules, ſucci*, qualitates uni familiæ non tam peculiari modo appropriantur, quin in altera etiam ſint omnino ſimiles; imo ſeparatim & per ſe conſideratæ, ſicut *folia*, ſpecies confundunt ſæpius quam diſtinguunt.

Verum *ut ſub certo genere conſtituantur Plantæ, iiſque ſecundum inſigniores & invariabiles differentias adaptentur nomina, præ cæteris omnibus attendendæ ſunt partes ultimo productæ, utpote diſtinctiores, perfectiſſimæ, & per totum ordinem quem reſpiciunt nunquam variabiles; tales ſunt* Flores, ſemina, & (*ubi adſunt*) capſulæ ſeminales; *in quibus ut apte denominentur Plantæ, & in certa Claſſe reponantur, congruentia & conformitas requiritur. Cæteræ partes ignobiliores etiamſi ad ſpecies determinandas non raro conferunt, id tamen per ſe non præſtant, ſed beneficio partium potiſſimarum; eis enim ſublatis, aut nondum ad maturitatem perductis plantæ manet incertæ familiæ & ignoti nominis. Hæc omnia fuſius explicantur in* Umbelliferarum *diſtributione nova jamdudum edita, nec non in ſecundo Volumine hujus Hiſtoriæ: & quandoquidem Doctrinæ ibidem contentæ recentiores omnes Botanici calculos ſuos appoſuerunt, ſupervacuum erit hæc ſæpius inculcare.*

Vires & Uſus.

Tanacetum *facultate ſua calidum & ſiccum eſt, omnibus ſuis partibus amarum; uterinum ac nephriticum eſt; ſemina in uſu apud vulgus adverſus ventris Lumbricos ac tineas ſunt, quas mire expellunt. Ex tenellis herbæ erumpentis foliis, Placentæ cum ovis conficiuntur, palato non ingratæ, ventriculo ad vitioſos humores removendos utiles.*

Inter vulneraria etiam recipitur: ſuccus ejuſdem ulcera mundat; manuum pedumque rimas & fiſſuras ſanat; ex vino potus, aut ejuſdem decoctum urinam provocat, doloreſque veſicæ lenit; & inter Hydropicos optimi eſt uſus; cruditatem corporis corrigit; obſtructiones fæliciter aperit; Externe etiam ejuſdem ſuccus oleo mixtus & applicatus nervos corroborat; contractionibus ac doloribus auxiliaris eſt.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Floribus aureis bullatis.

CAPUT II.

Balſamita.

BBalſamita *ab odore balſamico nomen deducit, & Arabibus* Rihan *dicitur, quæ quidem vox quidvis bene olens exprimit, & aliquando* Menthæ, *aliquando* Ocymo *tribuitur, de quibus inter* Galeatas verticillatas *agetur.*

Balſamita

Balſamita (de qua jam agimus) eſt Planta odorata, foliis integris crenatis, corymbis ſeu Floribus nudis donata.

TABULA II. SECTIONIS VI.

1. Balſamita *major, Brunfel, Dod. Coſtus hortorum, Adv. Lob. Mentha corymbifera major, Cordi Hiſt. Mentha hortenſis corymbifera, C. B. P. Mentha Saracenica Sanctæ Mariæ, Cæſ. Mentha Saracenica, Cam. Eyſt. Mentha corymbifera ſive coſtus hortorum, J. B. Tanacetum hortenſe Lepidis foliis ſerratis, Ageratum intenſe redolens, D. Pluk. Radix* perennis non abſque multis adhærentibus fibris oblique repit, è qua emergunt *folia* longiuſcula fere ovalia ſerrata, ſuavem gratumque odorem ſuffundentia; *caulibus* aſſurgit rotundis, duris, bipedalibus aut tripedalibus, foliis minoribus inordinatim veſtitis; in ſummitatibus *Flores* luteos nudos ſeu bullatos corymbatim naſcentes, Menſe Auguſto aut Septembri profert. *V. icon. tab. æn.* 1.

Hetruriæ & Narbonæ *ſqualidis in locis paſſim naſcitur.*

1. Balſamita *minor, Dod. fœmina, Ger. Ageratum ſive Coſtus hortorum, Park. Coſtus minor hortenſis, Geſn. Eupatorium Meſuæ, Trag. Matth. Lon. Ageratum foliis ſerratis, C. B. P. Ageratum pleriſque, Herba Julia quibuſdam, J. B. Cauliculos* profert numeroſos pedales, tenues, rotundos; *Folia* parva anguſta, in latitudinem ſeſe extendentia, & iis *majoris* antedictæ, profundius & ſerraturis acutioribus dentata ſeu inciſa; *Coma* eſt aurei coloris ex corymbo florum minorum compoſita, quibus areſcentibus, *Semina* apparent longa, ſolida, non pappoſa, cæterarum Plantarum in hac Sectione contentarum more. *V. icon. tab. æn.* 1.

3. Balſamita *minor ſive Ageratum foliis non ſerratis, C. B. P. Ageratum minus, Lob. Cam. Ger. Park. Folia* hujus anguſta nullatenus ſunt ſerrata, canitie aſpera; planta humilior eſt, unde facile dignoſcitur; quanquam Corymbos ejuſdem generis cum reliquis producit, odoremque ſimilem ſpirat. *V. icon. tab. æn.* 1.

Vires & Uſus.

Foliorum Balſamitæ *conſerva diuturnis capitis doloribus, matutino tempore ſumpta auxiliatur; defluxiones è capite eadem reprimit & reſiccat; Stomachi cruditates ad concoctionem perducit. Prodeſt etiam Cachexia, aut Leucophlegmatia laborantibus, præſertim in initio; ac omnibus quibus jecur debile ac refrigeratum eſt.*

Semen non ſecus ac Santolina, *Lumbricos expellit.*

Infuſio florum in Vino albo ſat bene idem perficit, Menſeſque potenter provocat.

Ex foliis decoctis Balneum conficitur, quod ad Menſium fluorem, & ſecundinas remorantes movendas, non parum confert.

Odora & aromatica eſt, cujus effectus ſunt aperire, & attenuare; hinc potiſſimum ad uterinos frigidos affectus utiliter adhiberi ſolet.

Unguentum aut Emplaſtrum è foliis utriuſque Balſamitæ *componitur, cum foliis* Ophiogloſſi, *contuſis cum Oleo Olivarum, Terebinthina, Cera & Reſina additis, ad conſiſtentiam tribuendam; Balſamum eſt egregium, ad ulcera inveterata medenda utiliſſimum, unde ab aliquibus putatur nomen* Balſamitæ *obtinuiſſe.*

PLANTA CORYMBIFERA

Spicata bullatis floribus.

CAPUT III. SECT. VI.

Draco herba *ſeu* Tarchon.

TAracon *ſeu* Tarchon *eſt ipſum* Arabicum *nomen, unde vulgo tranſpoſitis vocalibus fit* Tarcon *ſeu* Draconis *herba*, Belgis *aliiſque* Dragon; *propter meram nominis conſonantiam potius quam ſignificationem ſic dicta eſt hæc herba.*

Draco herba, *Dod. Ger. ſive Dracunculus hortenſis, Geſn. Dracunculus hortenſis, C. B. P. Tarchon Avicennæ, Tragum vulgare, Cluſ. Hiſt. Dracone vulgo, Cæſalp. & Taragon. Dracunculus hortenſis ſive Tarchon, J. B. Radix* ſub terra longe lateque repit, qua progerminatione multiplicatur; & nunquam ex ſemine apud nos producitur; ad pedalem aut bipedalem altitudinem aſſurgunt *cauliculi* rotundi firmi, in varias ramificationes diviſi, *foliis* longis, anguſtis, acutis, Hyſſopi paribus, inordinatim onuſti; ſapore calido, aromatico, Aniſi cum dulcedinis mixtura grata. *Florum* corymbi ſpicatim ut in *Abſinthio* naſcuntur, ſublutei coloris, vel ex viridi nigredine permixti. *Semen* nunquam apud nos ad maturitatem perducitur. *V. icon. tab. æn.* 1.

Temperamentum & Vires.

Valenter *excalefacit, incidit, digerit, aperit, & provocat; Flatus diſſipat, appetentiam excitat: manſa pituitam educit, & ſalivam ad inſtar Pyrethri; hinc dentium dolores mulcet; humidum cerebrum purgat.*

Folia *tenella & gemmæ teneræ in Acetariis vernali tempore, ad frigiditatem aliarum herbarum temperandam, & guſtum aromaticum addendum, comeduntur. Folia cauleſque teneri ſale & aceto conditi, in cibis & acetariis ſaluberrimis & in condimentis Anguillarum & Piſcium frigidorum parandis uſurpantur: Planta hæc ad viſcoſum humorem corrigendum, ſtomachum calefaciendum, & concoctionem promovendum optimi eſt uſus.*

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Floribus aureis.

CAPUT IV. SECT. VI.

Ambroſia.

Ἀμβροσίαν Dioſc. *lib.* 3. *c.* 129. Artemiſiæ *ſubjicit. Veteribus τὸ τῶν θεῶν βρῶμα, id eſt Deorum cibus dicitur, quod mortales eam non edant: vel quod qui eam ederint, immortales evadant. Sunt qui* Ambroſiam Dioſcorid. Conyzam Hipp. *de morbis mulieb.* & Artemiſiam ſecundam Plinii *eſſe velint.*

Ambroſia eſt planta corymboſa, odoris grati; *Flores* ſpicatim ſtamineos inanes, ſeu falſos; & inferius in eodem *caule ſemina* ſolida, quadrata, acuminata, producens.

TABULA III. SECTIONIS VI.

Ambroſia folio
- *tenuiore*
  1. *Hortenſis lanuginoſa. Ambroſia maritima, C. B. P.* ☿.
  2. *Virginiana elatior & viridior hortenſis facie,* ☿.
  3. *Malabarica Artemiſiæ folio odoratiſſimo floribus flavis, Hort. Mal. Part.* 10. *Tab.* 45.
  4. *Major inodora Marrubii aquatici foliis tenuiter laciniatis Virginiana, D. L. Plukenet.* ☿.
- *latiore*
  5. *Virginiana Platani Orientalis folio,* ☿.

1. Ambroſia *hortenſis lanuginoſa, Nobis. Ambroſia maritima, C. B. P. hortenſis, Lob. Lugd. Ambroſia Dod. Adv. Lob. Cæſ. Ambroſia Artemiſiæ forſan ſpecies, Geſn. hort. Ambroſia quibuſdam, J. B.* Ramoſa eſt planta, & quaſi fruticat à *radice* annua fibroſa, & pedalem altitudinem aut circiter aſſequitur: *caules* ex rotunditate quadrati *foliis* latiuſculis, lanuginoſis aut incanis, in varia ſegmenta *Artemiſiæ* aut *Abſinthii vulgaris* in modum diviſis, nunc è regione, nunc alternatim poſitis, grave ſed ſatis ſuave olentibus, ornati ſunt; Caules autem definunt in ſpicam *florum* ex viridi luteorum, ex ſtaminulis operimento foliaceo tectis, compoſitorum inanium, & inutilium (ut in aliquibus Plantis aliis videre licet) quibus ſubſunt in eodem caule *ſemina* fere quadrata, apicibus echinatis donata, ſolida, anguloſa, è quibus quotannis renovatur. *V. icon. tab. æn.* 1.

In Cappadocia & Hetruriæ *maritimis ſponte naſcitur, apud nos in Hortis colitur.*

2. Ambroſia *Virginiana elatior & viridior hortenſis facie. Ambroſia maritima Artemiſiæ foliis inodoris elatior, H. L. Bat.* Priori accedit, & humanam proceritatem aſſequitur; *folia* ſunt latiora, viridiora, non tanta lanugine obducta, nec odoris adeo vehementis.

3. Ambroſia *Malabarica Artemiſiæ folio odoratiſſimo, floribus flavis, Katu-tsjetti-pu. Hort. Mal. Part.* 10. *Tab.* 45. Planta eſt quatuor quinqueve pedum arenoſo gaudens ſolo. Rami virides lignoſi, ſuperiori parte ubi teneriores, viridi-ſubcæruleſcentes. *Folia* quæ in ramis ac ſurculis proveniunt, laciniata, craſſiola, plana, grati aromatici, ſaporis ſubacris. *Flores* roſæ ſunt plano-rotundæ, ſurculorum ſummitatibus inſidentes, quarum petala oblongo-anguſta, in longitudine plicis ſtriata, ac in illarum tractu, ubi diutius ſeſe aperuerint, ſe findentia, flava, quæ ſingula concomitantur ſtamine viridi-flavo, ſuperiori parte furcato, quod ex pede folii theciformis emergit. Capſulæ ſeminales plano-rotundæ ſunt ac virides, tarde ſe aperiunt, adeo ut quatuor quinqueve menſes maneant clauſæ. *Hort. Mal.*

4. Ambroſia *major inodora Marrubii aquatici foliis tenuiter laciniatis Virginiana, D. L. Pluknet.* In *Phytographia* Clariſſimi hujus Viri, & Botanici admodum periti, nuper edita eſt, cui notitia multarum novarum ac Plantarum inauditarum Mundum locupletare placuit, iconemque novæ hujus *Ambroſiæ* ſculptam in vulgus emittere, quæ procera eſt planta ſpicata, *foliis* à nervo medio, ut in *Polypodio*, ſimplici tantum diviſura præditis & (ut titulus indicat) eis *Marrubii aquatici laciniati* ſatis reſpondentibus; quibus à prioribus facile dignoſcitur; earum enim folia plures lacinias ac diviſiones obtinent.

5. Ambroſia *Virginiana maxima Platani Orientalis folio.* Nova hæc Planta è *Virginia* delata, ex *ſemine* ſolido nobiſcum orta eſt, *caule* firmo, pollicaris craſſitiei, medulla farcto, ad altitudinem ſex ſeptemve pedum aſſurgente donata; *foliis* ad genicula è regione poſitis, pedalis aut amplioris latitudinis, in varias lacinias profundas *Platani Orientalis* more, ſed paulo acutiores diviſis, pediculis biuncialibus aut triuncialibus adnatis; è geniculis alii etiam caules ramificantur, folia etiam ſimilia, acutiora tamen, ſuſtinentes; in quorum cimis *Flores* ut in cæteris rotundi muſcoſi, & quaſi vexillo galeato & viridi cooperti, ſteriles, falſi, & inutiles, ſpicatim naſcuntur, & ſemina ſolidis quadrangularia, acuminata, inter materiam herbaceam, è foliolis anguſtis in eodem caule inferius locatis compoſitam latentia ſuccedunt. *Semina* acuminata prioribus triplo ſunt majora.

Iconem hujus plantæ in Tabula prima hujus Sectionis ſculpendam curavimus.

Tempera-

Temperamentum & Vires.

Ambrosia *repellendi & reprimendi facultatem obtinet: nam ut* Galenus *ait, eadem Medicamentis imposita, vim habet astringentem & reprimentem; verum ut ait* Plinius *vim repellendi* ἀποκριτικὴν Dioscoridi *dictam, in vim discutiendi* διαφορητικὴν *appellatam commutavit.*

De plantis aliis quæ Ambrosiæ nominantur.

Ambrosiæ *nomen apud Nuperos tantum hisce plantis falsos producentibus flores attributum est, quanquam* C. Bauh. Nasturtii *speciem insignire placuit, titulo* Ambrosiæ campestris repentis; *Coronopus Ruellii. Lugd.* Eadem est planta, quæ tetrapetala siliculosa est bicapsularis, ut in Sectione nostra tertia clarius apparet. Ambrosiam *etiam appellaverunt* Lacun. Lonicer. Cast. Cam. Tab. *Et alii* Abrotonum *campestre.* Cordus *etiam* Atriplicem odoratam Americanam, *quæ* Botrys Americana Parkinsoni *est,* Ambrosiam *dixit.*

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Floribus aureis.

CAPUT V.

Artemisia.

Ἀρτεμισία Dioscor. *l.* 3. *c.* 127. *sic dicta ab* Artemisia Mausoli Cariæ *Regis uxore, ut ait* Plin. *l.* 25. *c.* 7. *cum antea* παρθενὶς, *id est,* Virginalis, *quod virgo Dea illi nomen dederit, vocaretur: quare* Apulejus *etiam* παρθένιον *dici affirmat. Sunt qui ab* Artemide Ilithyia *cognominatam putent, quoniam privatim fœminarum malis quibus* Ἄρτεμις, *id est Diana, præest medetur.*

Genera duo Dioscorid. *proposuit: in quibusdam vero codicibus Græcis,* Goupylii, Assulani, Cornarii, *sequitur & aliud caput de* Artemisia, *quod spurium videtur: quare* Ruellius *in sua interpretatione omisit.* Marcellus Virgilius *tanquam adscititium damnavit.* Cornarius, *ut suppositititium ex textu* Latino *removit: non immerito; cum nec apud* Galenum, Oribasium, Æginetum, Ætium, *nec apud* Serapionem, *de tertia specie quiddam legatur, qui tamen simplicia ex* Dioscoride *enumerant.* Plinio *etiam genera sunt duo, alterum foliis latioribus, alterum tenuioribus.*

Artemisia est planta corymbosa, *folia* proferens laciniata; odore nullo insigni; superne viridia, infraque incana; & *flosculos* bullatos erectos, non ut in Absinthio dependentes; quibus *semina* solida succedunt.

TABULA IV. SECTIONIS VI.

- *Artemisia*
  - *latifolia*
    1. *Vulgaris major, C. B. P. Artemisia vulgaris, Clus. Hist. Artemisia mater herbarum Lob. Ger.* ☉.
    2. *Chinensis, cujus Mollugo* Moxa *dicitur, D. L. Pluk.*
  - *tenuifolia*
    3. *Montana, Park. Artemisia montana, C. B. P.* ☉.
    4. *Dod. Leptophyllus, Lob. icon. Abrotanum campestre, C. B. P.* ☉.
    5. *Polyspermos, C. B. P. Artemisia Monoclonos quorundam, aliis Ambrosia, Lugd.* ☉.

1. Artemisia *latifolia vulgaris major, C. B. P. Artemisia sive mater Herbarum, Lob. Ger. Artemisia latifolia Fuchs. Lon. Dod. vulgaris, Clus. Hist. Turn. J. B. Thal. Artemisia vulgaris, & altera polyclonos dicta Dioscor. Cæs.*

Hujus *folia* lata sunt & *Absinthia vulgaris* in modum plurifariam divisa & laciniata; superius herbido colore virent, inferius lanugine inalbicant; *caules* ei sunt recti bicubitales aut altiores rotundi, striati, ac in multos alios parvulos distributi, qui interdum rubent, & interdum viresçunt, circa quos *folia* inordinatim sita sunt, & assurgentia sensim attenuantur. *Flores* nascuntur bullati, inter foliola angustiora, ex variis staminulis purpurascentibus compositi, *Absinthii vulgaris* æmuli, sed non deorsum nutantes; *Radices* ex multis formantur fibris, quæ reptatu stolones undequaque, lateraliter emittunt. *V. icon. tab. æn.* 1.

Secus vias, agrorum & arvorum margines multis locis frequens est, & secundum soli fertilitatem luxuriat, alibique humilior cernitur. Mensibus æstivis flores *profert, & in autumno* Semina *parva, longa, solida perficit.*

Hujus datur varietas *foliis* partim candidis, partim viridibus seu variegatis, quod aliis etiam contingit.

2. Artemisia *Chinensis, cujus mollugo* Moxa *dicitur, D. D. L. Pluknet.* Hujus *folia* inferiora laciniata in latitudinem extenduntur, & assurgentia in tenuiores lacinias, vulgaris in modum divisa, & summis *caulibus* in singula angusta foliola contracta sunt, quæ copiosa lanugine obducuntur.

An *Yztzecuinpatli Mexicana Hernand. p.* 446? quæ Artemisiam esse se facile prodit, sed (an per sculptoris errorem?) *folia* superiora non tantam angustiam in figura exprimunt. *An Artemisia Virginiana, Park. p.* 90?

3. Artemisia *tenuifolia montana, Park. Artemisia montana, C. B. P. leptophyllos montana, Lugd.* Hæc à *vulgari* non multum abludit: *folia* tamen sunt angustiora, & longiora; tota planta humilior est, & viridior, non tanta rubigine nec lanugine prædita, & *flosculorum Corymbis* pallidioribus ac paucioribus donata. *In hortis alitur.*

4. Artemiſia *tenuifolia, Dod. Cluſ. Hiſt. Leptophyllos, aliis Abrotonum ſylveſtre, J. B. Abrotonum campeſtre, C. B. P. Ambroſia altera, Matth. Abrotonum ſylveſtre vel 4. Trag.* *Radice* longa digitalis fere craſſitiei lignoſa, perenni, firmatur; eaque fibris multiplicata ac diviſa; *caules* aliquot modo erectos, modo procumbentes, fere in lignum degenerantes, craſſitiei calami ſcriptorii emittit; *foliis* multifidis, *Abrotoni maris* in modum tenuiter diviſis, ex virore albicantibus onuſtos, quæ præcipue quaſi in ceſpite ad radicem per terram ſtrata naſcuntur: *Floſculorum* Corymbi ſpicatim erecti, inter foliola tenuia producuntur; quapropter & ob albedinem, cum odoris remiſſione, & caulium foliorumque in hyeme occaſum, *Artemiſiis* potius quam Abrotanis annumerare viſum eſt. *V. icon. tab. æn.* 1.

Sponte provenit in apricis ac montoſis locis Bohemiæ, Baſiliæ, Auſtriæ, & Angliæ.

Hujus datur varietas *caulibus viridibus*, & altera *caulibus purpuraſcentibus.*

5. Artemiſia *polyſpermos, C. B. P. Park. Artemiſia monoclonos quorundam, aliis Ambroſia, Lugd.* Hæc aliarum affinium ritu *folia* habet in cornua multa, & partes tenues diviſa, quæ humi ſparſa denſe naſcuntur; inter quæ *caules* proveniunt oblique reclinantes, in quorum ſummitatibus *corymbi* ſeu *flores* rotundi denſe & racematim ſtipati aſſurgunt, multo quam in cæteris copioſiores.

In Hortis invenitur, & Menſibus Julio & Auguſto flores profert.

Temperamentum & Vires.

Artemiſiam *(quæ excalefacientis naturæ, modiceque tenuium partium eſt) fœminarum morbis mederi aiunt.* Dioſcorides *ad ducendos menſes, ſecundinas, & fœtus idoneam eſſe affirmat; idem ad præcluſiones & inflammationes uteri utilem prædicat: Ciet eadem urinam remoratam, ac calculos comminuit. Herbæ ſiccatæ pulvis* 3. *Drach. pondere, in vino ſumptus optimum eſt doloris Iſchiadici remedium, ut* Parkinſonus *perhibet; & herba in Balneis & lotionibus cum aliis calidis, nervis geniculiſque debilibus auxiliatur. Artemiſia autem de Sulphure & Sale fixo participat; & in affectibus internis mulierum præcipue uſurpatur.*

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Floribus aureis nudis ſeu bullatis.

CAPUT VI.

Abſinthium.

ABſinthium ἀψίνθιον Dioſc. *l.* 3. *c.* 26. *veterum quibuſdam Comicorum, Etymologo teſte,* ἀπότον, *quod ſonat* impotabile, *quaſi* ὃ ἐκ ἄν πίῃ τις, διὰ τὸ πικρότητα: *quod tamen etymon. Cl.* Voſſio *minime arridet; mavult ſc. vir ille magnus* ἀψίνθιον *dici, quaſi* indelectabile: *ab* α στερητικῶ, & τερπω, *quod* Heſychius *interpretatur* τέρψις, delectatio. *Nos omiſſis hiſce minutiis ad plantæ deſcriptionem progredimur.*

Abſinthium igitur eſt planta Corymboſa *foliis* tenuiter diviſis, incanis, floſculis multis nudis, cernuis, ſeu deorſum ſpectantibus, ſpicatim naſcentibus, amarore plena.

TABULA V. SECT. VI.

Abſinthium

radice non repente

1. *Vulgare Trag. Fuchſ. Lob. Lugd. Latifolium, Dod. Ger. Abſinthium Ponticum ſeu Romanum officinarum ſeu Dioſcoridis, C. B. P. Vulgare majus, J. B.* ☉.
2. *Inſipidum Abſinthio vulgari ſimile, C. B. P. Abſinthium inſipidum, Geſn. in Hort. Inodorum, Dod.* ☉.
3. *Arboreſcens, Lob. Lugd. J. B.* ☉.
4. *Alpinum vel commune minus, Geſn. Hort. Ponticum montanum, C. B. P. Abſinthium tenuifolium, Ger. Vulgare montanum, J. B.* ☉.
5. *Maritimum Lavendulæ folio, C. B. P. Abſinthium latifolium maritimum, Cam. Eyſt.* ☉.
6. *Tenuifolium odoratiſſimum Monomotapenſe, Breyn.* ☉.
7. *Santonicum Alexandrinum, C. B. P. Semen ſanctum ſive Sementina, Matth. Lugd. Lob.*
8. *Santonicum Judaicum, C. B. P. Lumbricorum ſemen Rawolfii, J. B. Scheba Arabum, Abſinthii genus Rawolfii, in App.*
9. *Syriacum minus brevioribus foliis coma multiplicata tenuiſſima. Abſinthium Halepenſe tenuifolium, grati odoris, coma delicatiore, D. L. Pl.* ☉.
10. *Orientale Abitharan dictum.*
11. *Alterum Orientale Barba ſenis dictum.*
12. *Tenuifolium elegans ex Hiſpania Dni Tournefortii,* ☉.
13. *Ægyptiacum, C. B. P. Abſinthium Ægyptiacum, Dod. Tab. Ger. quibuſdam, J. B.*
14. *Santonicum Gallicum, Magnol. Cat. Monſp. App.*
15. *Jamaicenſe Matricariæ folio.*
16. *Corymbis compactis tenuifolium viride, Nobis. Elichryſon foliis Abrotoni, C. B. P. Coma aurea & Helichryſon, Ger. Helichryſum, Matth.*

17. Pon-

radice repente
17. *Ponticum vulgare foliis inferius albis, J. B. Ponticum tenuifolium incanum, C. B. P. Romanum vulgare, Thalii. Romanum Mesuei, Tur.* ⊙.
18. *Tenuifolium Austriacum, C. B. P. J. B. Clus. Absinthium Ponticum Tridentinum Herbariorum, Lob. Lugd.* ⊙.
19. *Ponticum Creticum grati odoris, C. B. P. Ponticum & Romanum quibusdam, J. B.* ⊙.
20. *Ponticum supinum, C. B. P. Absinthium Ponticum supinum Herbariorum, Lob. Obs.* ⊙.
21. *Seriphium Germanicum, C. B. P. Absinthium marinum Misnense Seriphio Belgico simile, Clus. Pan. & Hist.* ⊙.
22. *Seriphium Belgicum, C. B. P. Absinthium Seriphium sive marinum Anglicum, Park.* ⊙.
23. *Seriphium Gallicum, C. B. P. Absinthium Seriphium Narbonense Clus. Pan. & Hist. maritimum tenuifolium Narbonense, J. B.* ⊙.
24. *Montanum candidum, C. B. P. Vallesianum tenuifolium candidum, sive Herba alba, J. B.* ⊙.

Explicatio Tabulæ.

1. Absinthium *vulgare majus, J. B. Vulgare, Trag. Fuchs. Adv. Lob. Lugd. Absinthium Ponticum seu Romanum officinarum sive Dioscoridis, C. B. P. Absinthium Romanum Ponticum, Eyst. Absinthium commune, Turn. Cam. Absinthium latifolium, Dod. Ger.* E *radice* dura longa lignosa in diversas radiculas seu fibras abeunte, restibili, & perennante, assurgunt *caules* ramosi cubito altiores; *Folia* proveniunt ampla multiplicatis sectionibus laciniosa, mollia, è virore canescentia, inferiore parte candidiore, & amara; *Flosculi* sunt parvi rotundi, nudi, è pediculis deorsum pendentes, qui cauliculos superiores ramatim sparsos convestiunt, colore sublutei, in exigua *semina* solida, fere staminea abeuntes. *V. icon. tab. æn.* 1.

Absinthium hoc vulgare *saxosa amat montosa, & inculta loca: Provenit non raro circa aggeres. In omnibus Regionibus vulgare & spontaneum est. In quibusdam frigidis* Helvetiorum *montibus præ Cœli rigore non attollitur, sed per terram serpit, unde* supinum *à quibusdam dicitur. Julio & Augusto* flosculi, seminaque *perficiuntur. Præstantius inquit* Dioscorides *in* Ponto, Cappadocia, & Tauro monte *nascitur.* Plinius Ponticum Italico *amarius esse ait, quod* & Ovidius *innuere videtur, dum canit,*

Turpia deformes gignunt Absinthia *campi,*
Terraque de fructu quam sit amara docet.

2. Absinthium *insipidum Absinthio vulgari simile, C. B. P. Absinthium insipidum, Gesn. Hort. Obs. Lob. inodorum & insipidum, Dod.* Hoc *vulgari* simillimum est, externa facie vix distinguendum, sed saporis & odoris fere expers, unde *insipidum* merito appellatur.

In Hortis tantum colitur, nec forte à vulgari specie distinguitur.

3. Absinthium *arborescens, Lob. Lugd. J. B. Chab. Absinthio del comoso, Anguil.* Hæc *Absinthii* species non raro in fruticis modum, cultura accedente adolescit, & ad humanam altitudinem sæpe attollitur: *caules* producit crassos, carpi crassitie, in ramulos ex his complurimos multiplicatur, *foliis* angustis ac eis *vulgaris* tenuius incisis, subalbicantibus, cum gravitate odoratis, satis amaris, cæterorum *Absinthiorum* odore præditos: in summis ramorum surculis pro *floribus*, *Corymbi* à medio eorum ad fastigium usque dependent, colore lutei, quam in vulgari rariores, & majores, qui tandem in *semen* solidum abeunt. Hyemem apud nos difficulter extra Viridarium seu Conservatorium hyemale, tolerat. *V. icon. Tab. æn.* 1.

In Sicilia, *Regno* Neapolitano, & *Insularum adjacentium rupibus maritimis* D. Raius *invenit.*

4. Absinthium *Alpinum vel commune minus, Gesn. Hort. Ponticum montanum, C. B. P.* Simile vulgari est, nisi quod exiliora omnia, sint, amaritudo gratior. *Nascitur plerumque in* Ponto, Hungaria, Bohemia, *&c.*

5. Absinthium *maritimum Lavendulæ folio, C. B. P. Absinthium latifolium maritimum, Cam. Eyst. Artemisia marina, Lob. Absinthium latifolium Artemisiæ folio, Col.* Hoc ex *Lavendula* & *Absinthio* miscellanea quædam stirps esse videtur, ima enim & plurima alia *folia* integra & oblonga sunt, canitie obducta, & *Lavendulam* referunt, aliquando vero in duas, tres, & interdum plures lacinias alia dividuntur, ut palmam humanam aliquando cum digitis expansis quodammodo imitentur, unde Anglice *Finger-Lavender* ab aliquibus nominatur; *cauliculi* ejus complures pedales, tenues, teretes & lignosi, in multas alias sparguntur, circa quos *flosculi* multi bullati conspiciuntur. *V. icon. tab. æn.* 1.

Hoc in Adriatici *Pelagi littoribus sponte oritur, apud nos in Hortis translatum facile terram comprehendit, & mediocriter hyemem fert.*

6. Absinthium *tenuifolium odoratissimum Monomotapense, Breynii. Absinthium* hoc in *Africa* non procul à *Promontorio Bonæ Spei* repertum, pulcherrimum est; *Pontico tenuifolio incano, C. B. P.* persimile est, nisi quod *caules* altiores sint, quibus *folia* ampliora, candidiora, segmentis concinnioribus divisa, inordinatim adnascuntur; *Flores* in summis caulibus, cæterorum ritu, in ramulis cernuntur. *Sapor* insuper & imprimis *odor* jucundior, & fragrantior est, quibus omnibus sui generis præcellit.

7. Absinthium *Santonicum Alexandrinum, C. B. P. Semen sanctum sive sementina, Matth. Lugd. Lob. Lumbricorum semen est Matthioli, J. B. Abrotonum mas verum Dioscoridis, Zanoni.* Quod ad *Absinthium* peregrinum hoc attinet, verba lege *Jo. Bauhini.* Quod in officinis prostat *Lumbricorum semen* vulgo dictum, ex variis minutissimis surculis, *foliis* & *semine* ipso coacervatum est. *Semen* parvum est & oblongum (majora tamen inter ea *Milio* supparia, ex squarrosis tuniculis compacta) pullum vel flavescens. At minutula inter ea sunt foliola, striata quædam etiam observantur trifida, angustiora, acuminata; videntur etiam adesse portiones tenuissimorum cauliculorum. Omnia facile digitis atteruntur: amara prædita sunt acrimonia, & odore graviusculo. *V. icon. tab. æn.* 2.

Italis Semenzena, & Latinis Sementina, *passim apud Botanicos* semen sanctum, & semen contra Lumbricos, *à quibusdam etiam* Semen Zedoariæ, *nominatum est.*

8. Ab-

8. Abſinthium *Santonicum Judaicum, C. B. P. Lumbricorum ſemen Rawolfio, J. B. Scheba Arabum Abſinthia genus Zawolfii, Lugd. App.* Circa *Bethlehem* copioſe provenit hoc *Abſinthii* genus, *foliis* cinereis, quale eſt noſtras, ramulis tenellis multis, in quorum vertice *ſemen* copioſum eſt, gravis odoris, qui nauſeam moveat, etiam valde moleſtam; guſtu acre, ſalſum, & amarum. Hanc Plantam *Arabes Sheba* vocant, *ſemen* hujus minutiſſimum eſt, ſc. *Semenzena*, Lumbricis necandis utiliſſimum; quamobrem *ſemen contra vermes* Mercatores qui emunt & vendunt, nuncupant; quod شيح apud *Arabes*. Plantam hanc ſiccam ex Oriente recepimus, cujus *folia* plurifariam in multa cornua, fere viridia & tenui lanugine aſpera diviſa ſunt, quæ vel præcedentis aut ſequentis longiora ſunt, odore gravi cum ſalſugine prædita; adeo ut facile ſentiamus, ſemen ejuſdem eſſe quod in uſu eſt adverſus Lumbricorum morbum, & nomine *Seminis contra* notum; aliquando fortaſſe ex priore *Alexandrino*, & aliquando ex hoc, & forte etiam è ſequenti colligatur.

9. Abſinthium *Syriacum minus, brevioribus foliis, coma multiplicata tenuiſſima, Nobis. Abſinthium Halepenſe grati odoris, coma delicatiore, D. L. Pluk. Abſinthium minus alterum, ex Aleppo.* Novum hoc *Abſinthium* è ſemine à Reverendo Viro, & nunquam ſatis laudando, bonarumque literarum optimo Fautore *D. D. Huntington ex Aleppo* tranſmiſſo, nobis proveniebat, quod antecedenti convenit: *folia* ei ſunt tenuiſſima aliorum tenuiorum diviſura, ſed minora, breviora, & viridiora, pediculis curtis caulibus adnaſcentia, gratiſſimum odorem, ſulphureum nempe, cum aromatica mixtura, fragranter ſpirantia: *Cauliculi* pedales modo erecti, modoque reclinantes, *foliis* inordinatim veſtiti, ſuperius in tenuiores ramificationes) quas in icone ſculpendas curavimus) ſparſim diviſi ſunt: inter ſummitates comoſas *floſculos* multos ex luteo virentes (quod cæteris quoque commune eſt) profert. Annos aliquot ſatis fœliciter ſuccrevit, tandem Anno 1683. ob rigorem hyemis ultra hominum memoriam ſævientis radicitus periit. *V. icon. tab. æn.* 1.

10. Abſinthium *Orientale Abitharan dictum.* Hoc lanuginoſum videtur, & *ſeminibus* turgidioribus, præditum, quatenus conjicere licet ex ſicca planta.

11. Abſinthium *alterum Orientale Barba ſenis dictum.* Hoc canitie argentea quoque obductum eſt; major eſt planta; *corymbi* ampliores, *ſeminibus* longis referti. Horum duorum notitiam meliorem in poſterum ſperamus.

12. Abſinthium *tenuifolium elegans ex Hiſpania.* Hoc Clariſſimus Vir, Horti *Pariſienſis* & ipſorum *Pariſienſium* decus, *D. D. Joſ. Pitton Tournefort*, in ſedulis ſuis peregrinationibns Botanices ergo ſuſceptis, in *Hiſpania* detexit; & Curioſiſſimus, ſummique candoris Vir *D. D. L. Pluknet* in *Tabulis ſuis Phytographicis* edidit. Ex *cauliculis* erectis *folia* tenuiſſima, & inordinatim diſpoſita profert, quorum in alis *corymbi* rotundi, ſquamati, inter foliola ſolitarii, non plures racematim naſcentes, ut in aliis hujus generis ſpeciebus cernuntur.

13. Abſinthium *Santonicum Ægyptiacum, C. B. P. Park. Seriphium Ægyptiacum, Matth. Lugd. Abſinthium Ægyptiacum, Dod. Tab. Ger.* Humilis hæc planta in *Ægypto* naſcens plurima profert *folia* per terram ſtrata, quorum inferiora nervis mediis prædita ſunt, quibus lateraliter (ut in *foliolo* aut ala *Filicis vulgaris*) adnectuntur folia ſe mutuo contingentia, ſerraturam componentia; alia folia, ut in *Trichomanis* aut *Pimpinellæ* foliis, à ſe invicem longius diſſita ſunt, ſurculis compluribus gracilibus, ac foliofis, corymbos ut in reliquis ſuſtinentes; quibus *ſemen* minutum guſtu amarum continetur. *V. icon. tab. æn.* 2.

Provenit in Africa & Ægypto, *ubi tota planta caneſcit. Floret exeunte Autumno.*

14. Abſinthium *tenuifolium corymbis æqualibus ſeu compactis, Nobis. Elichryſon foliis Abrotoni, C. B. P. Elichryſon, Cluſ. Hiſt. Heliochryſon quorundam folio Abrotani, J. B. Coma aurea ſive Helichryſon, Ger.* E *ſemine* ſolido naſcitur planta ex viridi modice caneſcens, *foliis Abrotoni maris*, aut *Abſinthii tenuifolii* in modum diviſis; *caulibus* aſſurgit firmis, duris, rotundis, pedalibus aut ſeſquipedalibus, *foliis* plerumque trifidis ornatis; in ſummis caulibus corymbatim (ut in *Balſamita minore*,) congeſti ſunt *flores* bullati lutei, qui in ſemina ſolida ſine pappo evadunt: tota Planta amaritudinem hujus familiæ obtinet; Qua de cauſa huc reduximus. Quanquam *C. Cluſius*, & poſt illum *J. Bauhinus aliique* annuam eſſe plantam pronunciant; nobis experientia conſtat rem aliter ſe habere. *V. icon. tab. æn.* 10.

Abſinthia radicibus ſub terra repentibus.

15. Abſinthium *Ponticum vulgare foliis inferius albis, J. B. Ponticum tenuifolium incanum, C. B. P. Romanum vulgare, Thalii. Romanum Meſuei, Tur. Abſintbium Galatium Sardonium, Dioſc. Adv. Lob.* Hujus *radices* prioribus contrariæ reptatu ſe multiplicant, unde planta novis ſtolonibus ſub terra decurrentibus circumquaque propagatur; *cauliculos* promit complures tenues dodrantales, & pede altiores; *foliis* donatum eſt tenuiter diſſectis, ſuperne viridiuſculis, inferne vero albicantibus, & compreſſis, multo minus quam in *vulgari* amaricantibus, & odore haud perinde gravi, aut injucundo, ſed potius grato; *Floſculi* uti priores ſecundum caulium ſummitates racematim dependent corymboſi lutei. *V. icon. tab. æn.* 2.

In Myſia, Thracia, Pannonia, *variiſque locis* Germaniæ *incultis ſponte reperitur: in* Britannia, Belgio, Gallia &c. *hortenſe eſt.* Poſt mediam æſtatem flores fert, hyeme adventante herba marceſcit: vegetæ interim manent *radices*, è quibus *folia cauleſque* rurſus exeunt.

16. Abſinthium *Auſtriacum tenuifolium, J. B. Ponticum tenuifolium Auſtriacum, C. B. P. Cluſ. Nabathæum Avicennæ. Tab. Ponticum Tridentinum Herbariorum, Lob. Lugd.* Pedalem & ſeſquipedalem acquirit altitudinem; *caulis* firmus multis *foliis* anguſtiſſime diviſis amictus eſt, & ex foliorum alis in ſuperiore parte in multos ramulos dividitur, & *floſculos* cum cæteris profert: Tota planta ſua canitie eleganti argenteo & ſplendente colore ornata eſt, præ cæteris ſuæ ſortis. *Radix* fibroſa multis capillamentis terram occupat, & inde miram ſe propagandi facultatem obtinet: non enim è craſſiore parte ſeu prima radice, juxta caulem, aut ab ejus exortu ſurculos emittit, ſed incrementum ſumit ex omni fere fibra, imo ex variis ejuſdem fibræ capillamentis exeunt ſtolones, qui in novas plantas ſuccreſcunt. *V. icon. tab. æn.* 2.

Sponte creſcit in collibus & apertis quibuſdam locis Viennenſi Urbi *vicinis, atque Rhizotomis promiſcue cum eo quod vulgo* Ponticum *appellatur, ad* Viennenſium *officinas defertur.*

17. Abſinthium *Ponticum Creticum grati odoris, C. B. P. Ponticum, Belli. Caule* eſt cubitum ſuperante, rotundo incano, in ramos plurimos quincunciales diviſo, *foliis* tenuibus multum diviſis, mollibus & incanis; floribus vulgari forma & colore ſimilibus, paulo tamen majoribus. Hoc quemadmodum *Honorius Bellus* ex *Creta* Anno 1596. (addita planta) perſcripſit, in *Creta* frequentiſſime provenit, perpetuo, viret, odorem gra-

tum ſpirat, nihilque amarum eſt, aut ſi quam amaritudinem habeat, ea valde obſcura eſt; in viridi enim nulla percipitur. Ab Aſinis & Pecoribus omnibuſque brutis valde expetitur.

Vocatur ἀπσὰ & non ἀϐσινθιὰ quemadmodum Anguillarus *in* Græcia *vocari perperam ſcribit. Ego legitimum* Ponticum *eſſe judico. Hactenus* Bellus. *Alias in* Græcia *hodie vocatur rectius ἀψιθία.*

20. Abſinthium *Ponticum repens vel ſupinum, C. B. P. Ponticum vel ſupinum Herbariorum, Lob. Obſ. Repens, Tab. Marinum latifolium, Ger.* Hujus *folia* per terram ſtrata plurima ſunt, mollia, ſaturate viridia, nec tam diviſa quam ſunt ſuperiorum: *caules* ſunt pauciores *foliis* ſine ordine prædíti: *Cauliculi* è foliorum ſinubus aſſurgunt, quibus enaſcuntur florum pediculi, verſus faſtigium ſemper breviores, ita ut *flores* ſupremi breviſſimis, aut nullis pediculis inſiſtant, quin & ipſi cauliculo quaſi appreſſi, ſpicam imitantur. *Radix* lenta & repens. *In* Helvetiæ *montibus naſcitur.*

21. Abſinthium *Seriphium Germanicum, C. B. P. Abſinthium Seriphium Germanicum ſucculento folio ſive Miſnicum, J. B. Marinum Miſnenſe Seriphio Belgico ſimile, Cluſ. Pan. & Hiſt. Abſinthium Seriphium, Geſn. Hort.* Ex *Miſnia* miſſum hoc *Abſinthium*, multifida habet *folia* ſucculenta, & non minus quam ſunt ſuperiorum incana, proxime Seriphii noſtratis foliis accedentia, *odoris* tamen gravioris & validioris, ut obſervavit *Cluſius*, quod nuſquam niſi in Mediterranei maris littoribus vidiſſe meminit. *Vid. icon. tab. æn. 2.*

22. Abſinthium *Seriphium Belgicum, C. B. P. J. B. Chab. Abſinthium Seriphium ſive maritimum in Belgicis & Anglicis maritimis, Cluſ. Hiſt. Abſinthium marinum album, Ger. Seriphium ſive marinum Anglicum, Park. Abſinthium* hoc *maritimum Anglicanum*, admodum eſt incanum, ut & lanuginoſum; diviſura fere *Abſinthii Pontici* ſeu *vulgaris tenuifolii*, ſed ſegmentis concinnioribus, per anguſtiam *foliorum* dignoſcitur, quæ non ut in altero compreſſa ſed rotunda aut teretia, totaque alba ſunt; *Sapor* minime ingratus, aromaticus quodammodo, majorem reſtrictionem quam amarorem recipiens; *Floret* cum aliis, ſed raro, quia rependo ſeſe plurimum multiplicat. *V. icon. tab. æn. 2.*

Provenit ad oram maritimam arenoſo ſolo, Angliæ, Belgii, & Flandriæ, *& in Hortis etiam alitur, & iiſdem uſibus, quibus* Abſinthium Romanum *inſervit.*

23. Abſinthium *Seriphium Gallicum, C. B. B. Marinum tenuifolium* Narbonenſe, *J. B. Chab. Seriphium Narbonenſe, Cluſ. Pan. & Hiſt. Dod. Folia* profert aliorum more inciſa, minuſque incana, ac viridiora, & quodammodo latiuſcula, quibus præcipue à prioribus differt. *V. icon. tab. æn. 2.*

Ad oram maris Mediterranei Narbonenſem & Hiſpanicam *ut* Cluſius & Dodonæus *meminerunt, & circa* Monſpelium, *aliiſque circiter in locis copioſe naſcitur.*

24. Abſinthium *Valleſianum candidum ſive Herba alba, J. B. Seriphium montanum candidum, C. B. P. Abſinthium Seriphium fœmina, Geſn. Hort. Album Valleſianum, Park.* Ad *Seriphium* ſeu *marinum noſtras* accedit, tota tamen planta denſiore lanugine aut tomento obducta eſt, odorque ſuavior eſt *Caphuræ* odorem pene referens.

An notæ deſcriptivæ, quibus diſtinctio inter Abſinthia *quatuor poſtrema conſtituitur, non cœlo & ſolo referantur acceptæ, ego equidem multum dubito: hoc autem alicui Ingenioſo confirmandum relinquo, qui hæc è diverſis Regionibus comparata, in eodem Horto colere, & obſervare poterit, quod hactenus non potui.*

De plantis aliis quæ Abſinthia nominantur.

De Abſinthio Alpino incano ſecundo, C. B. P. Alpin. 2. Ponæ. Et Abſinthio Alpino umbellifero latifolio, 4. C. B. P. Albis floribus, capitulis ſquarroſis, J. B. Alpino umbellifera, Cluſ. Pan. & Hiſt. Et Abſinthio *Alpino umbellifero tenuifolio & minore, 6. C. B. P. Alpino umbellifero 3. Ponæ.* Cum flores proferant petalis albis donatos, umbone etiam nigricante, lege *Dracunculum* ſeu *Ptarmicam, in Membro tertio hujus Sectionis quod de Leucanthemis agit. Et de Abſinthio montano Chamæmeli magno flore, 7. C. B. P.* vide *Chamæmelum quartum.*

Abſinthii Vires & Uſus.

De Abſinthio vulgari *jam præcipue loquimur; cujus vis conſiſtit in Sale volatili, acri admodum oleoſo; hinc & deſtillando ſuggerit oleum, calcinando vero Sal fixum: Spiritus ex* Abſinthio *paratur, vel per fermentationem, vel per Spiritum Vini.* Abſinthium *facultate & temperie calidum & ſiccum eſt, amarum & expurgans, & una quoque adſtringendi vim obtinet; utiliſſimum idcirco debili ventriculo, quem bilis infeſtat, nam amaritudine ſua hanc expurgat, & per infernam egeſtionem expellit, per urinam evacuat; adſtringendi vero ſua potentia ventriculum roborat, atque confirmat; & adverſus contentam Ventriculo pituitam juvat. Aqua diſtillata mane jejuno ventriculo ad cochlearia duo exhibita appetentiam excitat; Crapulam idem* Abſinthium *præſumptum arcere & faſtidia diſcutere dicitur. Juvat vero non modo ante ſumptum, ſed à crapula ac largiori potatione ventriculum ac ſtomachum male habentem, brevi reficit.*

Adverſus diuturnas ac prorogatas febres, præſertim tertianas, magno ſæpenumero præſidio eſt, ut experientia quotidiana probatur; neque enim ventriculum tantummodo confirmat, aut cibi appetentiam excitat, ſed jecinori robur conciliat, ac ipſum ab obſtructionibus expedit, vitioſos humores per urinam expurgans.

Confert Abſinthium *bis qui ex liene ſanguinem profuſum vomunt, quod quidem accidit cum Lien ſanguine craſſo diſtentum, ac turgidum ſeipſum exonerat; tunc autem magno impetu ſanguis ſæpe plurimus vomitu ejicitur, nonnullum vero & cum excrementis permixtum in inferiorem ventrem, nigrum & corruptum per alvum purgat: fit autem non raro ut in ipſa violenta copioſioreque vomitione æger deficiat, præſertim malo ſæpius recurrente. Ab his periculis* Abſinthium *ægrotum quemlibet vindicare poteſt, ſi à vomitu liberatus, & utcunque reparatis viribus, multo tempore, quotcunque libuerit modo hoc utatur.*

Pellit præterea Abſinthium *interaneorum vermes, non modo intra aſſumptum, ſed & foris, ſi cum aliis herbis amaris applicetur, ut* Abrotono Matricaria, Ruta, &c. *idem inter pueros teneræ ætatis, aut qui difficillime remedia intra recipere queant, optimi eſt uſus; adverſatur enim omnibus putredinibus; Oris graveolentiam emendat; Veſtes etiam à tineis præſervat; oleo etiam illitum pediculos inguinales abigit.*

Item in Cataplaſmatis ac fomentis vel Balneis, ad exſiccandum & adſtringendum plurimum poteſt. Ad inflationes præterea utile eſt, ut Dioſcorides *refert, & ad ventris ac ſtomachi dolores ſedandos cum* Nardo Celtica *uſurpatur. Morbum quoque regium ſanare, decoctum aut dilutum ejus Cyathorum trium menſura potum idem ſcribit. Commodum*

etiam est ad strangulationes compescendas ex fungis contractis, sicum aceto sumatur: cum vino vero potum adversus ixiam magnæ est efficaciæ; contra Cicutam imponitur in anginis cum melle aut nitro. Pustulis nocturnis (ἀστυλίδας vocant) prodest cum aqua: Ad sugillatos cum melle, & ad caligantes oculos, & sanie manantes aures, eodem adhibetur modo. ℥ Salis Absinthii scrup. j. ſſ. plus minus pro ægri viribus aut ætate, qui in succi limonum cochleari uno exhibitus, vomitum ut plurimum compescit. Vide Riverii *observationes. Etiam in Iliaca passione laborantibus multum prodest: Vinum etiam paratur Absinthites ex* Absinthio *recenti in musto mixto & fermentato, quod in doloribus & affectibus antedictis egregii est usus. Multos Hydropicos, eosque fere desperatos opere* Absinthii *curatos, gloriatur* Matthiolus.

Folia item Absinthii tenuifolii Romani *teneriora, cum Saccharo conservata ad obstructiones, passionesque hystericas removendas optimi sunt usus; & cum non tanta amaritudine abundent, nec adeo ingrata sint, in vino macerata aliisque variis formulis parata & assumpta, ad usus prædictos plurimum inserviunt.*

In genere vix morbus Chronicus est, cui repellendo Absinthium non commode adhibetur.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Floribus aureis nudis sive bullatis.

CAPUT VII. SECT. VI.

Abrotonum.

ABrotonum Ἀβρότονον Dioſc. *l.* 3. *c.* 29. *Sic dictum* Nicandri *interpreti,* διὰ τὸ πρὸς ὄψιν ἁβρὸν καὶ ἁπαλὸν φαίνεσθαι, ἄλλως τε διὰ τὸ δύσπνουν εἶναι. *Hoc est, quod conspectu molle ac delicatum appareat, aut quod gravem acremque & difficilem halitum spiret.* Abrotonum *aliquibus quasi* ἄβροτον *inhumanum, quia ipso est* absinthio *amarius. vel quasi* ἄβρωτον, *quia cibo inutile. Alii nomen hoc ab* ἁβρὸς & τείνω, *deducunt quia* ἁβρῶς τείνεται *molliter extenditur. Authores omnes species distinguunt in* marem & fœminam.

Auctoribus antedictis, *Abrotonum mas* est planta lignosa, quæ fere toto anno viret, tenera, mollis, ac delicata apparens; *foliis* plurifariam divisis, seu potius segmentatis, acremque sed non ingratum halitum spirans, *flosculos* nudos spicatim producens.

Abrotonum fœmina est planta semper virens *foliis* rectis crassiusculis & indivisis; *caules* sunt virgati, versus extremitates foliis nudati, sustinentes *flores* bullatos, petalis carentes sicut in *Mare*, sed triplo aut quadruplo majores, erectos.

TABULA VI. SECT. VI.

Abrotonum foliis

- *plurifariam divisis sive mas*
  - *Elatius & fruticosum*
    1. *Majus vulgare, Fuchs. Abrotonum mas angustifolium majus C. B. P. Mas Matth. Dod. Lob. Vulgare,* J. B. ⊙.
    2. *Angustifolium maximum, C. B. P. Abrotonum magnum Camphoratum, quibusdam Incensaria, Cam. Mas magnum in hortis cultum, Col.* ⊙.
    3. *Angustifolium incanum, C. B. P. Minus, Tab. Mas incanum, Col.* ⊙.
    4. *Angustifolium viridius & tenuius Chalepense. Abrotonum mas campestri simile Tingitanum Hermanni, H. L. Bat.* ⊙.
    5. *Trifido viridique folio Lusitanicum, Par. Bat. Prod.* ⊙.
    6. *Inodorum foliis Crithmi lucidis obscure virentibus, Schol. Bot. Par.* ⊙.
    7. *Ex Surinam molli hirsutie canescens, ex Horto Fageliano,* ⊙.
  - *humilius*
    8. *Odoratum humile, Lugd. Dense fruticosum, Lob. Mas angustifolium minus, C. B. P. Humile, Tab. Ger. Cum pulchris Corymbis,* J. B. ⊙.
    9. *Humile corymbis majoribus aureis, H. R. P. & Schol. Bot. Par.* ⊙.
    10. *Campestre incanum Carlinæ odore, C. B. P. & Prod.* ⊙.
- *rectis indivisis, seu fœmina*
  11. *Floribus compactis, Nobis. Fœmina verum, Dioſc. Zanon. Helichrysum foliis Abrotoni, Boc.* ⊙.
  12. *Foliis teretibus, C. B. P. Chamæcyparissus,* J. B. *Plin. Trag.* ⊙.
  13. *Villosis & incanis foliis, C. B. P. Seriphium, Dioſc. Abrotoni fœminæ facie. Adv.*
  14. *Flore majore, C. B. P. Abrot. fœm. Narbonense, seu 3. Clus. Hist. & Pan. Santolina, 1. Dod.* ⊙.
  15. *Foliis minus incanis, C. B. P. 2. Clus. Hist. Abrotonum, fœm. foliis magis viridibus, Cam. Hort.* ⊙.
  16. *Repens canescens, C. B. P. Santolina, 5. Dod.* ⊙.
  17. *Odore unctuoso, C. B. Phytopin. foliis Ericæ, pin. Chamæcyparissus unguentaria,* J. B. ⊙.
  18. *Foliis Cupressi, C. B. P. Santolina 4. Dod.* ⊙.
  19. *Sabinæ folio, C. B. P. Lob. Obs. Breyn. pr. 1.* ⊙.
  20. *Foliis Rorismarini, C. B. P. Salmanticense, 4. Clus.* ⊙.
  21. *Foliis Rorismarini minus, C. B. P. Salamant. alt. 5. Clus.* ⊙.
  22. *Viride, C. B. P. Abrot. fœm. 6. Clus. Hist.* ⊙.
  23. *Foliis laciniatis flore sulphureo, Schol. Bot. Par.* ⊙.
  24. *Canescens foliis Stœchadis citrinæ, Breyn. Prod. 1.* ⊙.

Expli-

Explicatio Tabulæ Præcedentis.

1. Abrotonum *mas vulgare, Fuchſii. mas Tab. Matth. Lob. Dod. Abrotonum vulgare, J. B. mas anguſtifolium majus, C. B. P.* Lignoſa materia fruticat, & altitudinem duorum triumve cubitorum aſſequitur, cujus ramuli crebri *foliis Abſinthii tenuifolii* æmulis, aliquatenus caneſcentibus, in varias tenues lacinias diviſis, onuſti ſunt, teneris ac tactui mollibus; quæ in ſummis *caulibus* ad flores tendentia paulatim recta, integra, & ſine inciſura cernuntur; inter quæ ſpicatim naſcentes apparent *floſculi* bullati, ſublutei, iis Abſinthii pares: *Sapor* totius valde amarus, odorque acris & vehemens non injucundus eſt; præcipue *ſeminis*, quod parvum, oblongum, ſolidum & minus quam *Abſinthii* eſt. *V. icon. tab. æn. 2.*

Aprica & montoſa amat, & in montibus Cappadociæ, Syriæ, & Galatiæ *invenitur; apud nos in Hortis colitur, & Menſibus Auguſto & Septembre flores parvos, nudos, pendulos producit.*

2. Abrotonum *mas anguſtifolium maximum, C. B. P. Abrotonum magnum camphoratum, quibuſdam Incenſaria, Cam. magnum in hortis cultum, Col. 2. Trag. Virgas* emittit prælongas, tenues, & flexiles, viridantibus *foliis Chamæmeli vulgaris* quamproximis in latitudinem compreſſis, onuſtas, odoris gravioris, ſimulque gratioris, & odorem *Camphoræ* ſpirantibus. Tota planta tenerior, ac priore tenuior eſt, *foliaque* non adeo teretia, ſed magis compreſſa ac dilatata apparent, quibus (odore addito) à priore facile diſtinguitur, quocum confundi non debet; quamvis aliqui vix pro ſpecie diſtincta admittunt. *V. icon. tab. æn. 2.*

3. Abrotonum *anguſtifolium incanum, C. B. P. minus, Tab. Mas incanum, Col.* Hoc prioribus humilius eſt, *foliorum* cornua & diviſiones in latitudinem ſe extendunt, & *corymbi* ampliores luteoli dependent. Tota hujuſce plantæ facies aliquantulum cana conſpicitur. *V. icon. tab. æn. 2.*

In Æquicolorum *montibus ſponte provenit.*

4. Abrotonum *mas anguſtifolium viridius & tenuius, Chalep. Abrotonum mas Campeſtri ſimile Tingitanum. Hermanni, H. Lugd. Bat,* Fruticat hoc *Abrotonum*, & in lignoſos ſtipites ramificatur. *Virgulæ foliis* aliorum congenerum longioribus, ter ternis, tunc in *caulem* aſſurgentibus ternis, & ad Corymborum appoſitiones integris, amœni viroris, ornatæ ſunt; quæ odore non ut in aliis vehemente, ſed molliore ad aromaticum tendente prædita ſunt. Novum hoc *Abrotonum* è *ſemine* ſolido ortum eſt, quod cum aliis bene multis ac raris ab antedicto multiſque nominibus colendo, *Rev. Viro D. D. Huntington* nobis ex *Aleppo* tranſmiſſum fuit; & in Horto noſtro *floſculos* comoſos, bullatos ſubluteos inter foliola ſpicatim naſcentes protulit.

5. Abrotonum *mas trifido viridique folio Luſitanicum Paradiſ. Bat. Prod. Virgulis* plurimis, lentis, lignoſis, cæterorum hujus familiæ more donatur; ſed *folia* in pediculis uncialibus, anguſta, non multifida ſed trifoliata vel trifida, ac interdum ter terna viridia profert; *floreſque* bullatos ſpicatim naſcentes & pyramidis ſpeciem efficientes reliquis conſimiles emittit.

In Bataviam *ex* Luſitania *tranſlatum fuit, unde Amiciſſimus* D. D. Sherardus, *& Botanices optime gnarus attulit.*

6. Abrotonum *inodorum foliis Crithmi lucidis obſcure virentibus, Schola Bot. Paradiſ.* In Horto *Pariſienſi* obſervavit hoc *Abrotonum* ſupra laudatus *D. Sherard*, quod ligneſcit etiam & fere fruteſcit cujus ramuli *foliis Crithmi marini* interdum ter ternis, iis cæterorum ſpiſſioribus, ac ſucculentioribus, alternatim poſitis, veſtiti ſunt, quæ nulla canitie obducuntur, ſed ſplendenti & perpetua fronde virent.

7. Abrotonum *mas ex Surinam molli hirſutie caneſcens. Ex Horto Fageliano.* Diſtinctionem à præcedentibus titulus indicat; quorum *folia* nulla hirſutie prædita ſunt: hæc planta quoad foliorum diviſionem, iis ſecundæ ſpeciei plurimum reſpondet.

8. Abrotonum *odoratum humile, Lugd. Park. Denſe fruticoſum, Lob. Anguſtifolium minus, C. B. P. humile, Tab. Ger. cum pulchris Corymbis, J. B.* Hæc prædictis humilior eſt Planta, *folia* odoratiora ſunt, ac pleriſque viridiora, quoad formam pariter diſſecta; *florum* corymbi cæteris ampliores, luteo colore ſplendent, & ſpicatim *cauliculos* ſuperiores ornant; quibus *ſemina* longa, ſolida, ſuccedunt. *V. icon. tab. æn. 2.*

Syriæ & Aſiæ *montibus gaudet.*

9. Abrotonum *humile Corymbis majoribus aureis, Hort. Reg. Pariſienſ. & Schola Bot. Par.* E *ſemine* ſato provenit hoc *Abrotonum* quod *flores* ampliores aureo colore nitentes producit, quibus à præcedente præcipue dignoſcitur.

In horto Pariſienſi *cultum eſt.*

10. Abrotonum *campeſtre incanum Carlinæ odore, C. B. P. & Prod. Radix* eſt oblonga, fibroſa, rufeſcens, *caulis* pedalis, *folia* eo modo quo *Abrotoni maris* inferiora, diviſa, incana, & ſi terantur *Carlinæ* odore, ut & ſapore.

In Auſtria, *ad* Lintzium *urbem circa vias provenit.*

Abrotona foliis integris ſeu fæminæ ſequuntur.

11. Abrotonum *foliis integris dentatis corymbis compactis, Nobis. Abrotonum fæmina verum Dioſc. Zan. Helichryſum foliis Abrotoni, Bocc.* Rara hæc *Abrotoni* ſpecies, quadantenus lignoſa eſt, & pedalem aut ſeſquipedalem altitudinem aſſequitur; cujus *caules folia* uncialia, aut ſeſquiuncialia, anguſta, fere teretia, dentata, inordinatim copioſe conveſtiunt; ſummi caules corymbos *florum* aureorum, bullatorum, quaſi umbellatim, aut potius corymbatim, 10. aut 12. plus minus ſuſtinent; quibus ſuccedunt *ſemina* longa, ſolida, ut in cæteris. Tota planta amara eſt, odoris vehementis haud ingrati.

In Syria & Perſia *naſci* Zanon *ait, nos ex* Aleppo *recepimus.*

12. Abrotonum *fœmina foliis teretibus, C. B. P. Chamæcypariſſus, J. B. Plin. Trag. Fuchſ. Cord. Abrotonum fœmina, Matth. Cluſ. Lugd. Tab. Ger. Cam. Polium Theophraſti & Dioſc. & Arabum vermiculato folio Col.* Eleganter fruticat hoc *Abrotonum*, lignoſum, in plures ramulos erectos diviſum, qui cubitalem altitudinem acquirunt omnino incanos, & *foliis* etiam candicantibus, uncialibus, quadrariis, denticulatis, confertim veſtitos,

ſtitos, odore & ſapore haud ingrato, ſuavitate quadam permixto; ſummis *caulibus* adnaſcitur capitulum rotundum, ſquamatum, erectum, cujus è parte ſuperiore erumpunt *floſculi* minutiſſimi, tubuloſi, lutei, in marginibus quinquefariam diviſi, denſe ſtipati, ita ut capitulum nudum globoſum conſtituant, quod umbonem quodammodo refert. *V. icon. tab. æn.* 3.

In Montoſis Narbonæ, Hetruriæ, *aliiſque apricis locis ſponte provenit; & in Hortis frequentiſſime invenitur.*

13. Abrotonum *fœmina villoſis & incanis foliis, C. B. P. Seriphium Dioſcoridis Abrotoni fœminæ facie, Adv. Lob.* Hoc priori vulgari haud diſſimile eſt: humilior vero eſt planta, & candidior, & quaſi lanugine incana, odore non adeo vehementi, ſed gratiore; *flores* bullatos conſimiles aureos producit.

In Gallo-Provincia *naſci obſervatur.*

14. Abrotonum *fœmina flore majore, C. B. P. Abrotonum fœmina Narbonenſe ſeu* 3. *Cluſ. Hiſt. & Pan. Santolina* 1. *Dod. Polii altera ſpecies major, Col. Santonicum majus, Cord. Hiſt.* Hoc à *Cl. Carolo Cluſio* inter *Narbonem* & Oppidum cui nomen à *Divo Nazario* detectum fuit; multumque ad vulgare accedit, ſed longe ſtrigoſius, & ramos duriores brevioribus minuſque frequentibus foliis obſeſſos habet; colorem etiam inter utrumque medium; *Flores* in extremis ramulis majores & pallidiores profert, in ſquamatis capitellis: *Radix* in duros & lignoſos ramos divaricatur.

15. Abrotonum *fœmina foliis minus incanis, C. B. P. 2. Cluſ. Hiſt. foliis magis viridibus, Cam. Hort. Polii altera ſpecies non ita incana, Col. Rami* hujus ut in cæteris candicant; minus tamen frequentes ſunt; hi longiora habent *folia*, quatuor ſimiliter dentium ordinibus prædita, initio quidem incana, minus tamen quam in præcedentibus, & quæ tandem omnino vireſcunt; odor mitior eſt, ut etiam ſapor; *Flores* pares in ſummitatibus, aureos cæterorum more profert.

16. Abrotonum *fœmina repens caneſcens, C. B. P. Santolina quinta, Dod.* Perpetua fronde virent hæc *Abrotona;* Hoc cæteris quoad canitiem & *foliorum* formam, non diſſimile eſt; ramuli, vero procumbentes, & per terram ſtrati ſunt; ſarmentiſque debilioribus donatum eſt.

In aſperis & ſalebroſis Hiſpaniæ *locis invenitur, & Menſibus æſtivis floret eodem cum cæteris modo.*

17. Abrotonum *fœmina odore unctuoſo, C. B. Phytopin. foliis Ericæ, Pin. Chamæcypariſſus unguentaria, J. B. Santolina tertia, Dod. Unguentaria Lutetianorum.* Hoc *virgulis* multis lignoſis recte aſſurgit, quæ *foliis* reliquorum more ex rotunditate quadrangularibus denticulatis, minima cum canitie ornatæ ſunt, quæ odorem unctuoſum & oleoſum gravem ſpirant; folia etiam iis prædictorum breviora & viridiora ſunt. *Flores* ut in aliis lutei bullati ac nudi cernuntur. *Vid. icon. tab. æn.* 3.

18. Abrotonum *fœmina foliis Cupreſſi, C. B. P. Peregrinum Cupreſſi foliis, Adv. Lob. Santolina quarta, Dod.* Ab exigua *radice*, ex uno ſtipite emittit pluſculos viticeos *caules* rigidiores, nigricantes; *folia Cupreſſina* aut *Sabinæ* textura reticulata effigiata, longa, anguſta, & per virgulta crenatis extremitatibus denticulata; *Flores* ut *Dodonæus* ſcribit perinde ac aliarum *Santolinarum* ſe habent.

In Horto Bononienſi *obſervavit* Lobelius, *unde pro* Sabina Ægyptiaca *accepit.*

19. Abrotonum *fœmina Sabinæ folio, C. B. P. Lob. Obſ. Breyn. Prod.* 1. Hoc cum aliis convenit, *folia* vero ſpinoſis fere ſerraturis conſpicua ſunt, radulam imitantibus.

20. Abrotonum *fœmina foliis Roriſmarini majus, C. B. P. Abrotonum fœm.* Pedalis eſt lignoſa hæc planta, *cauliculos* novellos caneſcentes proferens, ut & *folia Roriſmarini* ſatis æmula, minora tamen & anguſtiora, quæ parum dentata Limam referunt, adulta magis vireſcunt, magiſque ſunt dentata; odoris jucundi, & ſaporis amari. In ſummitatibus *flores* gerit luteos rotundos, capitatos, à caulibus nudis aſſurgentes, qui ſatis ampli ſunt: quibus fatiſcentibus ſuccedunt *ſemina* tenuia, ſolida, abſque pappo, ut in reliquis.

Hujus varietas habetur apud *Pariſienſes, Abrotonum fœmina foliis Roriſmarini amœne virentibus, Schol. Bot. Par.*

21. Abrotonum *fœmina foliis Roriſmarini minus, C. B. P. Abrotoni fœminæ Salamanticenſis altera ſpecies quinta, Cluſ. Hiſt.* Hoc in omnibus priori accedit, excepto quod minus ſit, quod non tantum Cœli & ſoli inclementiæ tribuendum; ſed pro ſpecie diſtincta habendum eſt.

22. Abrotonum *fœmina viride, C. B. P. Abrotonum fœm. 6. Cluſ. Hiſt. An Abrot. fœm. Roriſmarini foliis viridibus, D. Fagon? Virgultis* lignoſis plurimis pedalibus, aut circiter, fruticat, nulla canitie præditis. Hujus *folia* ea cæterorum longitudine excedunt prorſus viridia, & interdum crenata, & denticulata, anguſta; *Flores* bullati aurei, iis cæterorum ampliores conſpiciuntur. Unde vulgo *Abrotonum fœm. viridi flore amplo* dictum eſt. *Vid. icon. tab. æn.* 3.

In montoſis & aſperis Hiſpaniæ *horum plurima naſcuntur; & Hoc in Hortis noſtris ob amœnum virorem, gratumque aſpectum colitur.*

A ſemine ſato, nonnihil variat, unde *Abrotonum fœm. ex viridi ſemine degener flore ſulphureo, Schol. Bot. Pariſ.* dicitur.

23. Altera quoque varietas habetur, cujus *folia* adeo profunde ſunt dentata, ut *Abrotonum fœm. foliis laciniatis flore ſulphureo, in Schola Botan. Pariſ.* dicatur.

24. Abrotonum *fœmina caneſcens foliis Stœchadis citrinæ, Breyn. Prod.* 1. *Chamæcypariſſus caneſcens foliis Stœchadis citrinæ Italicæ, Breyn. pr.* 2. *p.* 30. *Folia* omnium prædictorum plus minus ſerrata, ſeu dentata ſunt; hujus vero nullatenus, ſed folia lanuginoſa marginibus rectis, iis *Stœchados citrinæ* ſimilia conſpiciuntur.

De plantis aliis quæ Abrotona nominantur.

De Abrotono latifolio arboreſcente, C. B. P. Abrot. fœm. Arboreſc. Ger. Dod. Et
De Abrotono latifolio inodoro, C. B. P. Lob. Ger. vide inter Abſinthia. *Et*
De Abrotono campeſtri, C. B. P. Tab. Ger. inter Artemiſias.

Tempe-

Temperamentum & Vires.

Calidum & ſiccum eſt Abrotonum, *inſigni digerendi, & incidendi vi præditum, qua pleraſque alias herbas antecellit; adjuncta ei eſt penetrabilis volatilitas, hinc in affectibus urinariis, nec non in ſuffocatione hyſterica Mulierum adhibetur, quarum etiam affectibus Chronicis optime ſuccurrit; Lumbricos interimit ac pellit; ſemen decoctum non tantum in orthopnœa, convulſis, iſchiadicis, & urinæ difficultati; ſed & menſibus ſuppreſſis auxiliatur. Cum oleo tritum aut permixtum, rigores periodice recurrentes tollit, corpuſque calefacit. Frequentiſſimus eſt uſus* Abrotoni *ut in cineres redactum cum oleo Abrotoni miſceatur, ad tollendam Alopeciam, barbamque eliciendam: lixivium adverſus capitis morbos ex eo paratur, quo æger caput lavet.*

Abrotonum fœmina vulgare ſeu Chamæcypariſſus, *amara eſt planta, ſed non adeo injucunda; & iiſdem uſibus quibus* Abrotonum mas *inſervit; & doloribus frigidis medetur: in lacte decocta contra vermes fœliciter adhibetur, ejuſque efficacia, quotidiana experientia muliercularum comprobatur.*

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Seu Corymboſæ floribus aureis petalis umbones cingentibus, ſive ſtellatæ.

CAPUT VIII. SECT. VI.

Caltha *ſive* Calendula, Chryſanthemum, Bupthalmum Dioſcoridis, & Bupthalmum Dodonæi.

CAltham *Poetarum hanc eſſe volunt, quam aliqui ab aureo floris colore* Chryſanthemum *appellant.* Caltha *aliquibus à forma floris qui Calathum ſeu Calicem refert nomen videtur deducere; aliis à* Græco *vocabulo* Κάλχα, *mutato* χ *in* θ, *quæ etymologia* Voſſio *arridet. Vulgo* Calendulam *appellant, quod ſingulis fere Menſium Calendis floreat, eaque de cauſa ab* Italis fior d' ogni menſe *vocatur.*

TABULA VII. SECT. VI.

Caltha ſive Calendula

major

1. *Vulgaris, C. B. P. Caltha Poetarum & Chryſanthemum oculatum verius, Dioſc. Adv. Lob. Calendula ſimplici flore, Ger.*
2. *Flore pleno, J. B. Polyanthos major, C. B. P.*
3. *Multiflora maxima, Tab. Ger. Polyanthos maxima, C. B. P.*
4. *Floribus reflexis, C. B. P. Multiflora orbiculata, Tab. Ger.*
5. *Prolifera majoribus & minoribus floribus, C. B. P. Tab. Ger. Eyſt. Caltha prolifera, J. B.*

minor

6. *Sylveſtris minor, Cæſ. Arvenſis, C. B. P. Caltha minima, J. B.*
7. *Arvenſis Hiſpanica, H. Lugd. Bat. An Caltha humilis minima, C. B. Phyt?*
8. *Africana flore intus albo externe ferrugineo, Nobis. Calendula Africana Bellidis majoris effigie, Breyn.*

1. Caltha *flore ſimplici, J. B. Caltha vulgaris, C. B. P. Caltha Poetarum & Chryſanthemum oculatum verius, Dioſc. Adv. Lob. Calendula, Brunf. Trag. Dod. Caltha, Matth. Lon. Lugd. Calendula ſimplici flore, Ger. Eyſt. Clymenum, Dioſc. Col.* Planta hæc vulgaris, & bene nota, *folia* profert dilute virentia, oblonga, in latitudinem ſe extendentia, linguam æmulantia, tenera, carnoſa, molli hirſutie pubeſcentia, quæ alternatim, aut ſine ordine *caules* pedales aut ſeſquipedales ſtriatos, medulla farctos, fere amplectuntur; & in brachia varia, ramificantur; in quorum ſummitatibus *flores* apparent pulchri, odorati, dilute crocei, ex variis petalis oblongis, ad acumina dentatis, auri purioris coloris compoſiti; & umbonem in aliquibus fuſcum, & aliis flavum; ex multis minutiſſimis *floſculis* tubuloſis, quinquefariam in marginibus diviſis conſtitutum cingentibus; quibus marceſcentibus, & deciduis, ſuccedunt *ſemina* numeroſa, ſolida, ac recurva, quædam dorſis ſpinoſis, quædamque lævibus, quibus quotannis renovatur. *V. icon. tab. æn.* 3.

Sunt qui Solſequium *vocitant, quia ſub veſperam flos contrahitur.* Virgilius & Columella Calthæ florum *depingunt luteum aut flavum. Et* Virgilius *quidem in Bucolicis Ecloga ſecunda ſic ſcribit,*

Mollia luteola pingit Vaccinia Caltha.

Columella *vero in Hortis, Libro decimo, hæc habet.*

Candida Leucoia & flaventia Lumina Calthæ.

Planta hæc præcipue in magnitudine, & florum colore, & petalorum numero varietates producere videtur, unde

2. Caltha *flore pleno, J. B. Caltha polyanthos major, Calendula lutea flore pleno, Eyſt. Floribus* concoloribus plenis, & luxuriante natura, ſæpiſſime occurrit, ut &

3. Calendula *multiflora maxima, Tab. Ger. Polyanthos maxima, C. B. P.* Itidem altera major, & coloris aurei, melini, lutei, aliquando ex melino & aureo mixti, *flores* obſervantur; & ex eodem *ſemine* omnes accreſcunt, ſed fatendum eſt ex vulgari ſimplici tam amplos flores producere difficile eſſe; ſed è contra, ex optimis in vulgatiores degenerare nimis frequenter conſtat. *V. icon. tab. æn.* 4.

4. Caltha *floribus reflexis, C. B. P. Calendula multiflora orbiculata, Tab. Ger. Chryſanthemum ſive Caltha reflexis floribus, Adv. Lob.* Adeo impletur *flos* multitudine petalorum, ut ad *caulem* uſque reflectantur. *V. icon. tab. æn.* 4.

5. Caltha *prolifera majoribus & minoribus floribus, C. B. P. Tab. Ger. Eyſt. Lob. Caltha prolifera, J. B.* Elegans eſt varietas; ex circumferentia, ſeu ambitu unius *floris, cauliculi* unciales, aut biunciales, aliquando triunciales protruduntur; ad quorum extremitates flores novelli, at minores ejuſdem coloris cum matre naſcuntur; & aliquando per luxuriam ſecundus iſte flos, alteros etiam è margine inter petala emittit, hinc varias figuras, *Tab. Ger.* & alii ediderunt. *V. icon. tab. æn.* 4.

6. Caltha *arvenſis, C. B. P. Sylveſtris minor, Cæſ. Minima, J. B.* Hæc in Vinetis ſterilioribus palmarem altitudinem vix aſſequitur, in pinguioribus altius attollitur; *folia* ſunt eis præcedentium minora, anguſtiora & interdum ſinuata, ac magis acuminata; in faſtigiis *caulium* aſſurgunt *flores* parvi lutei, eodem modo ac priores ſtellati, ſimplices, paucioribus petalis & anguſtioribus donati, quibus evanidis, *ſemina* etiam curva tenuiora tamen, in dorſo ſpinoſa ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 4.

Provenit paſſim ſponte in Vinetis Galliæ.

7. Caltha *ſive Calendula minor arvenſis Hiſpanica, H. Lugd. Bat. An Caltha arvenſis minima, C. B. Phytopin?* Priori gracilior & humilior eſt; *longiores caules* nudos emittit; quotannis ritu congenerum ex *ſemine* deciduo pullulans.

8. Caltha *ſeu Calendula Africana flore intus albo, extra ferrugineo. Calendula Africana Bellidis majoris effigie Breyn. Calendula Africana humilis flore intus albo, foris violaceo ſimplici, H. Lugd. Bat. Hermanni.* A Celeberrimo Viro rara hæc planta, cum aliis variis, nobis donata eſt: & cum planta ipſa ſub ejus nomine evulganda ſit, verbis ejuſdem uti, qui exquiſite in Catalogo ſuo deſcripſit, jam placuit. Mittit ab albente parva *radice cauliculos* multos ramoſos, dodrantem raro ſuperantes, nunc erectos, nunc reclinatos; *folia* pinguia, craſſiuſcula, glabra, aliquot laciniis inciſa, *Erucæ maritimæ* non adeo diſparia; *Flores* in ramulorum ſummitate petalis ſimplicibus *Calendula vulgari* longioribus, intus lacteis, extus violaceis aut ferrugineis, ad Solem radiatæ ſtellæ in modum expanſis, cæteroquin clauſis, ad ſe collectis, & in gyrum revolutis, medium occupante orbiculo croceo, aliquot purpuro-nigricantibus granulis in tenuiſſimos villos fatiſcentibus, inſperſo. *Semina* nuda in parvis capitulis diſpoſita ritu *Calendulæ* duplicis ſpeciei; alia orbiculata, membranacea, compreſſa, inſtar *Oreoſelini Cluſii*, coloris dilute caſtanei; alia quæ his eleganti ordine interjacent, teretia, ſpadiceo-fuſca, ſuperficie granulata: Utraque fœcunditatem probant ſuo partu, quem vel Autumno decidua vel vere ſtudio ſata feliciter excludunt. *V. icon. tab. æn.* 4.

Alumna eſt aridorum collium ad Promontorium Bonæ ſpei & *Culturæ ſub noſtro climate patientiſſima. Ejus ſapor percipitur fatuus, aliquando ſubamaricans; Odor medii diſci crocinus, debilis.*

De aliis quæ Calthæ nominantur.

Caltha *paluſtris flore ſimplici, C. B. P. Geſn. Cluſ. Hiſt. &c. Et Caltha paluſtris flore pleno, C. B. P. Caltha paluſtris floribus denſis, Geſn. Multiplex, Ger.* Cum multicapſulares ſint plantæ, Aconita Ranunculoidea potius audiant.

Temperamentum & Vires.

Calendula *ſpirat odorem aromaticum, &* Crocum *imitatur; hinc Cordialibus adnumeratur: Vi reſolvendi, & penetrandi prædita eſt, & ad affectus menſtruoſos ſuppreſſioneſque menſium uſurpatur; Imo in omnibus morbis in quibus* Crocus *adhiberi ſolet, imprimis efficax perhibetur.*

Aqua ex floribus Calendulæ præſentaneum certumque remedium contra ruborem & inflammationem oculorum, inſtillata mane veſperique exhibet; vel ſi linteolum, vel Xylinum in illa madefactum oculis imponantur.

Flores in pulverem redacti, Xylino tenui dentibus inditi, illorum dolorem ſedant; Ad anguſtias Thoracis commendatur hæc planta, appetentiam etiam revocare traditur.

Aqua ſtillatitia contra Peſtem valere dicitur; ſucci etiam uncias duas Alexandrinum Benedictum *conſtat exhibuiſſe, utpote qui ſudores vehementer ciet: ſpecifica quoque facultate, peſtis ſingularis eſt antidotus; & vel conſerva florum electuariis contra peſtem miſceri, vel acetum ex floribus confectum carpis, temporibus, naribuſque convenienter applicari poteſt.*

Cor & ſtomachum corroborare flores dicuntur, & in juſculis & Oleribus frequentiſſime apud omnes in uſum veniunt, & ad variolas expellendas, florum decoctum optime ſolet adhiberi.

Herbæ folia calidiora eſſe dicuntur & acrimoniam quandam fervidam habere; quæ tamen propter humiditatem ei conjunctam non protinus ſe exſerit, ratione cujus in olere ſumpta, alvum mollire & lenire fertur.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Seu Corymboſæ floribus aureis petalis umbonem cingentibus, ſeu ſtellatæ.

CAPUT IX.

Chryſanthemum *ſeu* Buphthalmum.

Χρυσάνθεμον *propter flores luteos aureo fulgore ſplendentes*, Dioſcoridi *l.* 4. *c.* 58. *Et quia orbem oculi imitantur, etiam* ὀφθαλμὸς *dicitur.*

Βούφθαλμον *adjungimus quod flore ſimile ſit Boum oculis*, Plin. *l.* 25. *c.* 8. *de quo* Dioſcorides *l.* 3. *c.* 156, *poſt* Parthenium *agit, qui utrique Plantæ* Βούφθαλμι *nomen tribuit. Dein quia forma & viribus plurimum conveniunt, ita ut dubitari poſſit, ſint-ne apud* Dioſcoridem & Plinium *diverſæ plantæ, an vero eædem; quod ex capitis utriuſque collatione clarum fiet: quare* Galenus & Ægineta Bupthalmi, *non vero* Chryſanthemi *meminere.*

Nota generica *Chryſanthemo* à nobis aſſignata eſt, quod *Flos* ex petalis aureis aut flavis radiatim cingentibus umbonem, componitur; qui *umbo* ſive *diſcus* ex plurimis floſculis tubulosis conficitur: quibus evanidis ſuccedunt in communi ſede, arcte ſibi adhærentia plurima *ſemina* ſolida, non pappoſa, pleraque quadrangularia, oblonga.

Cum *Chryſanthemorum* adeo multiplicata ſit familia, quo clarius ſingula innoteſcant, ſequentem diſtributionem concinnavimus.

Sunt vel
- *annua*
  - *minora foliis* — *diviſis* / *integris*
  - *vel*
  - *majora foliis* — *diviſis* / *integris*
- *vel*
- *perennia*
  - *minora foliis* — *diviſis* / *integris*
  - *vel*
  - *majora foliis* — *diviſis* / *integris*, *caulibus* — *planis* / *alatis*.

TABULA VIII. SECT. VI.

Chryſanthemum annuum minus foliis diviſis

Africanum Tanaceti folio

Erectum
1. *Glaucum ſegetum vulgare, Nobis. Segetum, Ger. Foliis Matricariæ, C. B. P. Segetum folio minus ſecto glauco, J. B.*
2. *Segetum noſtras folio glauco multiſciſſo majus, flore minore, D. L. Pl.*
3. *Creticum magno flore foliis profundius laciniatis, C. B. P. Creticum, 1. Cluſ. Hiſt.*
4. *Creticum mixtum, Eyſt. Flore partim candido partim luteo, C. B. P.*
5. *Creticum foliis in minores lacinias diviſis, C. B. P. 2. Cluſ. Hiſt.*
6. *Hiſpanicum odoratum Chamæmeli folio, Nobis. Chamæmelum luteum Hiſpanicum odoratum, C. B. P. & Prod.*
7. *Sive Buphthalmum tenuifolium foliis Millefolii fere, J. B. Buphthalmum Cotulæ folio, C. B. P. Ger. Chryſanthemum tenuifolium Bæticum, Park.*
8. *Ferulaceum petalis minimis, Nobis. Chryſanthemum Valentinum, Cluſii Hiſt. Lanuginoſum fol. Millefolii, C. B. P.*
9. *Æthiopicum foliolis brevibus rigidiuſculis ſubbirſutum flore minore D. Pluk. Alm. 103. Tab. 276. 2.*

procumbens
10. *Flore ſimplici majore, Nobis. Flos Africanus major ſimplici flore, Lob. Icon. Tab. Tagetes maximus rectus flo. ſimplici, J. B.*
11. *Flore pleno majore, Flos Africanus major multiplex, Dod. Lob. Ger.*
12. *Flore ſimplici fiſtuloſo, & pleno.*
13. *Flore luteo ſimplici, Nobis. Tanacetum Africanum ſive flos Africanus minor, C. B. P.*
14. *Flore luteo & ſericeo rubeſcente pleno, Nobis. Tagetes Indicus minor, multiplicato flore J. B.*
15. *Flore fiſtuloſo ſimplici, Nobis. Caryophyllus Mexicanus flo. fiſtuloſo ſimplici, Col.*
16. *Flore fiſtuloſo pleno, Nobis. Caryophyllus alter polyanthos fiſtuloſo flore, Col.*
17. *Foliis tenuiſſime diviſis, Nobis. Tanacetum Africanum foliis tenuiſſime diviſis, C. B. P.*
18. *Erucæ vel Jaceæ folio incano ſeu lanuginoſo, Breyn. pr. 1. Anemone affinis Æthiopica fibroſa radice, flore Aſteris, Taraxaci foliis ſubincanis, Hermanni, Hort. Lugd. Bat.*
19. *Stæbes foliis anguſtioribus, Breyn. prod. 1. Eadem foliis anguſtioribus, H. L. Bat.*

Cannabinum bidens
20. *Aquaticum folio quinquepartito ſeu vulgare, Nobis. Eupatorium Cannabinum fœm. Ger.*
21. *Americanum caule erecto firmo ſubrubente, Nobis. Cannabinum Americanum, Mor. Prælud. Bot.*
22. *Aquaticum foliis integris oblongis, Nobis. Foliis non diſſectis, Cæſalp.*
23. *Sive Hepatorium aquaticum folio non diviſo, flore aureis undique petalis radiato, Lelii Triumfetti.*
24. *Virginianum Cicutariæ foliis, floſculis conniventibus, Nob. Chryſanthemum aquaticum foliis multifidis Cicutæ nonnihil ſimilibus, Hort. Lugd. Bat.*
25. *Curaſſavicum foliis multifidis latioribus, ſeminibus longiſſimis, Par. Bot. Prod.*

§. 1. Chryſanthema annua minora foliis diviſis.

1. Chryſanthemum *ſegetum vulgare glaucum, Nobis. Chryſanthemum foliis Matricariæ, C. B. P. Chryſanthemum, Matth. Segetum, Ger. Chryſanthemum folio minus ſecto glauco, J. B.* Planta hæc annua in arvis, & inter ſegetes frequentiſſima, quæ meſſes aureo colore ornat; è *radice* fibroſa, *caulem* producit lævem, medulla farctum, pedalem, in varias ramificationes diviſum; *foliis* quaſi amplexicaulibus, duas aut tres uncias longis, digitum fere latis, diſſectis vel profunde ſinuatis, glaucis, aut cæſii coloris, alternatim ſitis, præditum. *Flores* in ſummis caulibus. *Bellidis majoris*, aut *Calthæ vulgaris* forma naſcuntur, petalis latiuſculis, in extremitate trifidis, lutei coloris; umbonem quoque aureum habet, ex multis floſculis luteis tubulosis compoſitum; quibus *ſemina* ſolida quadrata ſuccedunt, & his decidentibus in arvis nimis copioſe quotannis renovatur *V. icon. tab. an.* 4.

2. Chry-

Folia hujus variant, aliis magis diſſecta, aliis minus, hinc *Bellis lutea minor foliis profunde inciſis, Caſp. Bauh. in pin.* Cl. etiam *Pluknetius* alterum *Chryſanth. ſegetum noſtras Calendulæ folio glauco neque ſecto neque ſerrato* in Almageſto ſuo memoravit.

2. Chryſanthemum *ſegetum noſtras folio glauco multiſciſſo majus flore minore, D. L. Pluk.* Plantæ hujus à Clariſſimo, *D. L. Plukenet* detectæ *folia*, in plures ac profundiores lacinias quam vulgaris diviſa ſunt; *flores* etiam minores profert: quibus dignoſcitur.

3. Chryſanthemum *Creticum foliis viridibus profundius laciniatis, Nobis. Chryſanthemum magno flore folio profundius laciniato majus, C. B. P. Creticum* 1. *Cluſ. Hiſt. Chryſanthemum luteum, Eyſt. Caules* habet priori altiores ſtriatos, intus fungoſos, in multas alas diviſos; *folia* viridia ſine ordine, in multas profundas lacinias diviſa; extremis caulibus è capitulis rotundis, compreſſis, ſquamoſis enaſcuntur *petala* dena, aut duodena, aut plura latiuſcula; in extremum crenata, amplum *florem* luteum conſtituentia, cum umbone in medio etiam luteo: *ſemina* ſequuntur ſolida, multa, ſtriata, longiuſcula; *radix* fibroſa: planta ad maturitatem perducta perit. *V. icon. 2. tab. æn. 4.* Hujus elegantiſſimam varietatem *flore aureo pleno* nobiſcum *Cl. D. Sherardus* communicavit.

Sponte naſcitur in Creta, Sicilia; *aliiſque etiam locis obſervatur.*

Flos aliquando in melinum colorem degenerat & non aliter quam floris colore differt, unde *Chryſanthemum majus alterum ſulphureo magno flore, Hort. Reg. Pariſ.*

4. Chryſanthemum *Creticum mixtum, Eyſt. Flore partim candido partim luteo, C. B. P.* In hoc petala *florum* verſus umbonem lutea, & extrema verſus, candida ſunt. *V. icon. 3. tab. æn. 4.*

Hujus etiam varietas elegans *petalis fiſtuloſis in Hortis occurrit.*

5. Chryſanthemum *Creticum foliis in minores lacinias diviſis, C. B. P. 2. Cluſ. Hiſt.* Hoc quoque pro varietate habetur, cujus *flores* cæteris non incongrui ſunt, *folia* in plures ac profundiores lacinias diviſa.

Menſibus æſtivis flores profert, & ineunte Autumno ſemina ſolida cum reliquis perficiuntur.

6. Chryſanthemum *Hiſpanicum odoratum Chamæmeli folio, Nobis. Chamæmelum luteum Hiſpanicum odoratum, C. B. P. & Prod.* Humilis hæc planta *folia* profert *Chamæmeli* diviſura; *flores* quam *Chamæmeli vulgaris* duplo triplove majores, lutei coloris, ex quatuordecim aut circiter petalis conflatos, circa diſcum, luteum.

7. Chryſanthemum *ſive Bupthalmum tenuifolium foliis Millefolii fere, J. B. Bupthalmum Cotulæ foliis, C. B. P. Et caule & flore purpuraſcente, C. B. P. Ger. Chryſanthemum tenuifolium Bæticum Boelii, Park. Radice* eſt brevi, tenui, candida, paucis fibris capillata; *caules* tomentoſi, tenues, ſtriati, ſubruſi, aut purpuraſcentes, cubitales, frequentibus ſatis ramis brachiati ſunt; quibus adnaſcuntur *folia Millefolii* aut *Cotulæ* potius diviſura, nonnihil vero latiora & hirſuta. *Flores* ſingulis ramis in cacuminibus hærent, ſinguli, ampli radiati, in ambitu petalis longiuſculis, in extremitate crenatis, tredecim aut quatuordecim, intus aureis, extra purpuraſcentibus, coronati, diſco luteo, calyce folioſo, lanuginoſo, caneſcente. *V. icon. tab. æn. 4.*

Cluſius *apud Oppidum vulgo* Aquæ mortuæ *nuncupatum invenit, quod nonnulli* Foſſam Marianam *appellant, & in Hortis noſtris ſatis fæliciter creſcit, &* ſemina *ſolida, compreſſa, fuſca, producit.*

8. Chryſanthemum *ferulaceum Valentinum petalis minimis, Nobis. Chryſanthemum Valentinum, Cluſii Chryſanthemum lanuginoſum foliis Millefolii, C. B. P. Chryſanthemum Hiſpanicum, Tab.* Hoc priori convenit, *flores* vero bullati, magni, nudi fere apparent; petalis enim minimis, ac paucis, vix conſpicuis, cingitur *umbo*; qua nota à cæteris hujus familiæ facile dignoſcitur.

Ad agrorum margines in Valentino Regno *obſervavit* C. Cluſius, *& jam in Hortis noſtris bene luxuriat.*

An hoc à *Chryſanthemo Smyrnæo Cotulæ folio, flore amplo nudo, ſeminibus biſpidis ad capitula in orbium ſpiras circumvolutis D. L. Plukenetii*, differat? quærendum eſt.

9. Chryſanthemum *Æthiopicum foliolis brevibus rigidiuſculis, ſubhirſutum flore minore, D. Pluk. Alm.* 103. *Tab.* 276. 2. Huic novo *Chryſanthemo folia* ſunt tenuia, rigidiuſcula, *Chamæmeli* fere diviſura inciſa; unaquæque vero folii terminatio quaſi abſciſſa eſt, & bicornis apparet. *Flos* ſummitati inſidet, ex petalis luteis, brevibus umbonem cingentibus, conſtructus.

10. Chryſanthemum *Africanum erectum Tanaceti folio, flore ſimplici majore, Nobis. Flos Africanus major ſimplici flore, Lob. icon. Tab. Ger. Tagetes maximus rectus flore ſimplici J. B. Tanacetum Africanum majus ſimplici flore, C. B. P. Caryophyllus Mexicanus* 2. *Oquichtli Cocaxochitl, Recchi. Radix* multis fibris firmatur, è qua oritur *caulis* ſatis craſſus, ſtriatus, ex rotunditate quadratus, in alios minores ramulos diviſus, recte aſſurgens; è quorum geniculis exeunt coſtæ, quas amplectuntur ad intervalla *folia* alata, longa, crenata, *Tanaceti* fere diviſura, binatim ſibi invicem oppoſita, uno extremum claudente, graviter olentia; in ſummis caulibus, ramuliſve, è *calyce* viridi foliaceo ſeu membranaceo, margine ſerrato, proveniunt *flores* ſatis ampli, ſimplices, quibuſdam petalis latis, luteis, ornati, *umbonem* ex multis floſculis itidem luteis, arcte conjunctis cingentibus conflati: quibus marceſcentibus, calyx *Seminibus* longis, nigris, quadrangularibus impletur. Perit annuatim primis adventantibus pruinis. *V. icon. tab. an. 5.*

11. Chryſanthemum *Africanum erectum Tanaceti folio, flore pleno majore, Nobis. Caryophyllus major Indicus flore multiplici aureo, Eyſt. Cempoal Xochitl, Mex. Recchi. Caules, ramos,* & *folia* edit iis prioris ſimilia; ſed *flores* gerit multiplici petalorum ſerie conſtantes, valde plenos, luteos; in uno flore petala 230. obſervata fuere: *ſemina* ſimul juncta, nigra, proxime præcedentis more, ſuccedunt.

12. Chryſanthemum *Africanum erectum Tanaceti folio, petalis florum fiſtuloſis, flore ſimplici & flore pleno.* Hortis ornamentum eſt. A ſuperioribus atque congeneribus, non alio dignoſcitur diſcrimine, adulta etiam planta, niſi expanſo flore; *foliis* ac reliquis partibus ſimilis eſt; *flos* ex petalis longis fiſtuloſis, ſeu tubuloſis, compoſitus eſt.

13. Chryſanthemum *Africanum Tanaceti folio procumbens, ſive minus flore ſimplici, Nobis. Tanacetum Africanum ſive Flos Africanus minor, C. B. P. Tagetes Indicus minor ſimplici flore, J. B. Caryophyllus Mexicanus* 5. *Tlapalcoſatli Coaxochitl, Recchi. Cauliculos* multos producit imbecilles, interdum procumbentes, & ſe vix ſuſtentantes; *folia* habet alata, iis priorum minora, atque *flores* triplo minores, graveolentes, & caput perturbantes, luteos, & ex luteo-ſericeo rubeſcentes, ex 5. vel ſex petalis conflatos, quorum ſingula, ſinum in medio ſeu deliquium patiuntur. *Semina* in calyce tenuiore, prioribus minora, nigra, ut & quadrangularia, conſpiciuntur. *Vid. icon. tab. an. 5.*

14. Chry-

14. Chryſanthemum *Africanum procumbens flore luteo pleno, & ſericeo rubeſcente, Nobis. Tanacetum Africanum, ſeu Flos Africanus minor flore pleno, C. B. P. Tlapaltecacayalt Mex. 3. Recchi.* Solo pleno flore, multiplicata petalorum ſerie, à præcedenti diſtinguitur.

15. Chryſanthemum *Africanum procumbens flore ſimplici fiſtuloſo. Caryophyllus Mexicanus flore fiſtuloſo pleno, Col. V. icon. tab. æn. 5.*

16. Chryſanthemum *Africanum procumbens flore pleno fiſtuloſo. Caryophyllus Mexicanus flore fiſtuloſo pleno, Col.*

Varietas in *floribus* obſervatur, aliquando toti ſunt lutei, nunc ſericei rubeſcentis elegantiſſimi coloris, nunc ſubtus, nunc ſuperius, aliquando petalis extremis amplioribus, & gradatim minoribus medio enaſcentibus pleni ſunt; aliquando tanta copia ut reflectantur petala: modo petalis externis latis, & ſemiplenis, *Anemones flore pleno* forma: hinc variæ ſpecies apud *Fab. Col.* alioſque Auctores commemorantur.

17. Chryſanthemum *Africanum procumbens, foliis tenuius diviſis, Nobis. Tanacetum Africanum foliis tenuiſſime diviſis, C. B. P. Caryophyllus Mexicanus 7. Tepecenpoal Xochitl, Recchi, Hiſt. Mex.* Hæc ſpecies parvitate, ſeu foliorum tenuitate, præcipue differt à cæteris antedictis, quæ *Buphthalmi* tenuitatem fere obtinent. *Florem* gerit minorem luteum, ſimplicem, petalis latis, ſinus in medio profundiores habentem. *V. icon. tab. æn. 5.*

18. Chryſanthemum *Africanum Erucæ vel Jaceæ folio incano, capite lanuginoſo, Breyn. Prod. 1. p. 23. Anemonæ affinis Æthiopica, fibroſa radice, flore Aſteris, Taraxaci foliis ſubincanis, Hort. Lugd. Bat.* Spargit per terram *folia* digito longiora, *Stœbes* aut *Erucæ* forma, prona parte pallide virentia, ſupina incana & ſubhirſuta, in aliquot lacinias diſſecta; inter hæc prodeunt *cauliculi* terni, quaterni pluresve dodrantales, anguloſi, & ex viridi puniceis ſtriis notati. E medio caulis eriguntur aliquot *alæ*, digito longiores, ſuſtinentes è capitulo rotundo, ſquamato, *florem* amœnum, amplum, radiatum, diſcoideum, radiis interius omnino aureis, exterius pallide punicantibus ſtriis inſcriptis; medium vero diſco ex puniceo nigricante impletum eſt, quod cœlo ſereno croceum ſpirat odorem. Poſt hujus exantheſin, ſequuntur *capitula*, facie *Anemonum* rotunda, nuda, tomentoſa, pallida, quibus involvuntur *ſemina* parva, ſolida, ſpadicea, dura, quæ Autumno ſata, ſubſequente vere progerminant. *Radice* fibroſa, alba, tenui, quotannis pereunte.

Naſcitur in aridis, montoſis, apricis, ad Promontorium Bonæ ſpei, *unde ſemina delata ſunt.*

19. Chryſanthemum *Africanum Stœbes foliis anguſtioribus, Breyn. Prod. 1. Anemonæ affinis Æthiopica fibroſa radice, flore Aſteris, foliis anguſtioribus, Hort. Lugd. Bat.* Hoc anguſtia foliorum ab antecedenti differt. In iiſdem autem locis reperitur.

20. Chryſanthemum *Cannabinum bidens, folio quinquepartito, ſive vulgare, Nobis. Eupatorium Cannabinum fœmina, Ger. Verbeſina ſive Cannabina aquatica flore minus pulchro, elatior ac magis frequens, J. B. Eupatorium ſive Cannabina aquatica folio tripartito diviſo, C. B. P. Caule* aſſurgit cubitali, aut circiter, obſcure rubente, complurimis alis ramoſo: *Folia* è regione ad genicula naſcuntur, ſatis lata, in ambitu crenata, ſerrata, & nonnunquam inciſa, quæ (præſertim inferiora) bis bina, coſtæ mediæ hærentia ſunt, impare extremum claudente, ſuperius vero trifoliatum apparet. In cauliculorum faſtigiis eminent *flores* lutei, nigredine permixti, è *capitulis* ſubtus foliaceis, nullis petalis latis cingentibus, donatis ut in aliis, ſed quaſi umbone nudo, ex multis floſculis luteis, minutis, ſtellatis, compoſiti: quorum ſingulis ſuccedunt *ſemina* longa, nigra aut fuſca, in ſuperiore parte binis apiculis pungentibus donata, & prætereuntium veſtibus, ubi maturuerint, adhærentia.

E radice fibroſa vulgo creſcit *in riguis & aquoſis; prodit etiam infra fluviorum quorundam late patentes alveos, quod altius creſcit, & flores profert, orbiculato ambitu multis exiguis petalis ſtipatos; non modo in* Gallia, & Belgio, *ſed in* Germania *etiam &* Anglia *reperitur.*

21. Chryſanthemum *Cannabinum bidens Americanum caule erecto firmo ſubrubente. Chryſanthemum Cannabinum Americanum, Prælud. Bot.* A noſtrate cognitu facile, quippe *caules* edit quadrupedales, ſubrubentes, firmiores, & rectiores; *floſculos* nudos, ex multis ſtaminulis luteis, conflatos habet; & *ſemina* bidentia, multo vulgaris Chryſanthemi Cannabini ſeminibus majora, veſtibus adhærentia, pariter ac noſtras. *V. icon. tab. æn. 5.*

22. Chryſanthemum *Cannabinum bidens foliis integris oblongis, Nobis. Bidens foliis non diſſectis, Cæſalp. Verbeſina pulchriore flore luteo, J. B. Tom. 1. App. 1047, Cannabina fœmina Septentrionalium ſtellato & odoro flore, Adv. Lob. Eupatorium aquaticum folio integro, Park. Fœm. varietas altera, Ger. Eupatorium ſive Cannabina aquatica folio non diviſo, C. B. P.* Cum priore reperitur humidis in locis, ac foſſis, ad quod non tantum loco, ſed & forma accedit; *folia* vero ſunt integra, longa, ſerrata, modo lævia, & aliquando ſubhirſuta, ſapore acriuſculo: *Flores* nudi, quam in ſuperiore vulgari, multo pulchriores ſunt, deorſum plerique nutant, lutei, quos foliola anguſta, pro calyce, circumdant. *Semen* oblongum, bidens, compreſſum, & fuſcum eſt, ſpinulis aſperiuſculis bidentibus, cujuſlibet ſeminis ſummitati adnatis. *V. icon. tab. æn. 5.*

23. Chryſanthemum *aquaticum bidens, ſive Hepatorium aquatile folio non diviſo, flore aureis undique petalis radiato, Lelii Triumfetti. Flores* petalis radiati, raro in his ſpeciebus obſervantur; ſed ut in vulgari noſtrate, nonnunquam florem petalis aureis luxuriantem, videre licet. *V. icon. tab. æn. 5.*

24. Chryſanthemum *Cannabinum bidens Virginianum Cicutariæ foliis, floſculis conniventibus. Chryſanthemum aquaticum foliis multifidis Cicutæ nonnihil ſimilibus Virginianum, Hermanni, H. L. Bat. Chryſanth. Cannabinum fruteſcens Virgin. Sambuci laciniatæ foliis & facie, Breyn. Prod. 2.* E *radice* fibroſa aſſurgit caulis rectus, bicubitalis, fere quadratus, quaſi geniculatus, *foliis* è regione poſitis, *Cicutæ* aut *Myrrhidis* in modum plurifariam diviſis, pinnatis, & laciniatis, pediculis uncialibus, aut biuncialibus adhærentibus; è quorum alis cauliculi alii, foliis ejuſdem formæ veſtiti, ramificantur; in quorum ſummitatibus ſuſtinentur *flores* aurei, vix conſpicui, pro plantæ modulo exigui, ex petalis brevibus, & anguſtis, umbonem ex fuſco luteum cingentibus, compoſiti; ſed flos integer ſine aliquo petalorum defectu vix invenitur, (ut imperfectus videatur,) inter barbulas anguſtas foliaceas ſitus; quo evaneſcente, ſuccedunt *ſemina* longa, tenuia, nigra, & anguloſa, binis apiculis, ut in cæteris hujus familiæ, prædita. *V. icon. tab. æn. 7.*

Sponte naſcitur in Virginia, *unde à* D. J. Baniſter, *cum aliis quamplurimis, tranſmiſſum eſt. E* China *etiam delatum eſt.*

25. Chryſanthemum *Curaſſavicum foliis multifidis latioribus ſeminibus longiſſimis, Paradiſ. Bat. Prod. Forte Chryſanthemum Chinenſe foliis plurifariam diviſis, D. D. Pluk.* Hoc cum priore convenit, *folia* vero latiora ſunt.

- *Chryſanthemum annuum minus foliis integris*
  - *Conyzoides capite*
    - *foliaceo*
      - 26. *Foliis circa florem rigidis, Nobis. Aſter Atticus foliis circa florem rigidis, C. B. P.*
      - 27. *Cernuum foliis ad florem mollibus, Nob. Aſter cernuus, Col.*
      - 27. *Raguſinum folio Verbaſci, Nobis. Aſter de Raguſa foliis Verbaſci, Zanoni.*
      - 29. *Supinum Monſpelienſe, Nobis. Aſter luteus ſupinus, Ger. C. B. P. Atticus ſupinus 2. Cluſ. Hiſt.*
      - 30. *Odoratum Creticum, Nobis. Aſter annuus odoratus Creticus, Zan.*
    - *nudo*
      - 31. *Paluſtre flore globoſo, Nobis. Conyza minor, Matth. Minima, Ger. Conyza minor flore globoſo, C. B. P.*
      - 32. *Africanum Aſteris facie, imo flore non folioſo, capitulis duris, D. L. Plukenet.*
      - 33. *Indicum octopetalon foliis Calendulæ ad inſtar oblongis, Pee-cajenneam, Hort. Mal. Part. 10. Tab. 42.*
      - 34. *Bengalenſe anguſtifolium puſillum ſummo caule ramoſum, D. L. Plukenet.*
  - 35. *Alpinum Bellidis folio ramoſum, D. L. Pl. Chryſanthemum Hiſpanicum rotundioribus foliis, Park. Chryſanthemum latifolium, J. B.*
  - 36. *Bellidis folio non ramoſum, Nobis. Chryſanthemum parvum, ſive Bellis lutea latifolia, J. B. Chab.*

§. 2. Chryſanthema annua minora foliis integris.

26. Chryſanthemum *Conyzoides foliis circa florem rigidis, Nobis. Aſter Atticus foliis circa florem rigidis, C. B. P. Aſter Atticus, Lob. Primus flore luteo, Cluſ. Hiſt. Folia* per terram ſtrata ſunt anguſta, quinque aut ſex uncias longa, leviter ſerrata, ad medium modice ſe extendentia, & *Lychnidis* folia æmulantia, hirſuta, viridia; *caulis* aſſurgit unicus, cubitalis, aut circiter, qui in plures alios ſe dividit, foliis etiam viridibus minoribus veſtitus; ad *capitula*, foliola acuta, & in extremitate fere ſpinoſa, rigida, ſtellatim naſcuntur; in quorum medio apparet *flos* ſtellatus, ex petalis anguſtis, aureo fulgore ſplendentibus, & umbonem concolorem cingentibus, compoſitus: quo evanido, *ſemina* ſolida, brevia, & compreſſa, in capite duro arcte conjuncta, ſequuntur; quibus in Autumno perfectis, *radix* perit. *V. icon. tab. æn. 5.*

In Gallia Narbonenſi, Sicilia, *& in agro* Salmanticenſi *ſponte provenit.*

Hujus quædam diverſitates apud *Clariſs. D. Hermannum* in Catalogo ſuo Lugd. leguntur, *viz.*

Chryſanthemum *Conyzoides aut Aſteris facie foliis ad florem rigidis flore ſulphureo; &*

Chryſanthemum *Aſteris facie, foliis ad florem rigidis, flore minore, elatius, ibid.*

Chryſanthemum *Aſteris facie, foliis ad florem rigidis, flore minimo humilius,* H. L. Bat. in App. *Quæ à fœcunditate ſati ſeminis, diverſa producta videntur.*

27. Chryſanthemum *Conyzoides cernuum foliis circa florem mollibus, Nob. Aſter cernuus, Col. Park. Aſter Atticus foliis circa florem mollibus, C. B. P. Conyza capite nutante, J. B. Folia* hujus *Primulæ veris* magnitudine, ad radicem anguſta, & ad medium ad latitudinem duarum unciarum extenſa, nervoſa, molli hirſutie obducta, ſparguntur; è quorum centro *caulem* pedalem aut cubitalem emittit villoſum, & rotundum, cui breviora alternatim adhærent folia, is in alios cauliculos dividitur: caulis ſummitas, (quod aliis plantis rariſſime accidit) craſſeſcit, adeo ut pars floribus annexa, craſſior appareat; & è *capite* (non imbecillitate, ſed natura) cernuo, ſive nutante, *flos* pallide-luteus, aut ſulphureus prodit, cum foliolis multis, loco calycis, tactui mollibus, qui nudus eſt & apetalos. *V. icon. tab. æn. 5.*

Menſibus æſtivis floret, & in Autumno ſemina oblonga, tenuia, ſolida, flaveſcentia, amara, & tactui oleoſa, perficit.

In monte D. Mariæ Virginis, *vulgo* Monte Virgine *dicto, aliiſque* Italiæ *locis, ſponte naſcitur.*

28. Chryſanthemum *Raguſinum folio Verbaſci. Aſter de Raguſa foliis Verbaſci, Zanoni.* E *radice* fere lignoſa aſſurgit *caulis* ramoſus, cubitalis, inter *folia* quæ *Verbaſci* aut *Digitalis* ſimilia ſunt, longa, ad baſin anguſta, & ad medium dilatata, per margines *Digitalis* in modum crenata, ſuperficie lanuginoſa, ex viridi albicantia, *Cinaræ hortenſis* colorem æmulantia: caulis in tres, aut quatuor plureſve cauliculos laterales dividitur, cum folio ad cujuſlibet exortum; in cymis *capita* folioſa, mollibus foliolis ovalibus prædita, cernuntur; inter quæ, quaſi fibula albicans apparet, qua aperta, *flos* luteus, ſtellatus, umbone & petalis etiam luteis expanſus eſt; quo matureſcente, *ſemen* ſolidum, quadrangulare, caſtanei coloris ſuccedit. *V. icon. tab. æn. 3.*

29. Chryſanthemum *Conyzoides ſupinum Monſpelienſe. Aſter annuus Attico luteo ſimilis foliis ad florem mollibus, Magnol. Aſter Atticus ſupinus 2. Cluſ. Hiſt. Lob. Dod. Lugd. Aſter luteus ſupinus, Ger. C. B. P. Radix* huic *Chryſanthemo* dura eſt fibris adnexis, è qua oriuntur folia longa, latiuſcula, viridia, lanugine quadam obducta, iis præcedentium minora; *caules* ſunt tres, quatuorve breves, & procumbentes, duri, foliis etiam veſtiti, in duo vel tria brachia ſeu partes diviſi, ſuſtinentes *flores* luteos, ſtellatos, diſcoideos, *Calthæ vulgaris* fere magnitudine; quibus ſubſunt foliola obtuſa, ut in reliquis hujus ſeriei. In capitulis rotundis, & adeo duris, ut ungue vix comminui poſſint, continentur *ſemina* ſolida, plantarum hujus ſectionis propria. *Vid. icon. tab. æn. 5.*

Hanc ſpeciem in quibuſdam Caſtellæ novæ *locis, aliiſque* Hiſpaniæ, *invenit* C. Cluſius. *Circa* Monſpelium, *ſecus fluvium* la Maſſau, *verſus* Grabels, *&* Salenovam, D. Magnol.

30. Chryſanthemum *Conyzoides odoratum Creticum, Nobis. Aſter annuus odoratus Creticus, Zanoni. Chryſanthemum Conyzoides Luſitanicum, Breyn. Cent.* 1. Pedalem altitudinem aſſequitur *caulis* rotundus, firmus, hirſutus, multis *foliis* unciam aut alteram longis, villoſis, adhærentibus, qui in varias ramificationes ſe dividit; in quarum angulis congeruntur foliola mollia, quæ quaſi perianthium conſtituunt herbaceum; ut etiam in ſummis caulium; inter quæ, *flores* apparent lutei, ſeſſiles, ut in præcedentibus; quorum petala ſingula, breviuſcula, in tres crenas ſive inciſuras, ad extimum ſerrata ſunt: Floribus marceſcentibus, *ſemina* ad maturitatem tendentia, in capitulis duris, argentei coloris, ſolida latent, è quibus quotannis reſurgit hoc *Chryſanthemum. Folia* trita, & *flores*, aromaticum, aut *Olibani* inſtar odorem ſpirant.

Candiæ *alumna eſt hæc planta.*

31. Chryſan-

31. Chryſanthemum *Conyzoides paluſtre minus flore globoſo, Nobis. Conyza minor, Matth. Minima, Ger. Conyza minor flore globoſo, C. B. P. Conyzæ mediæ minor ſpecies flore vix radiato, J. B.* Ubique in viarum aquoſis locis, & ubi per hyemem ſtagnarunt aquæ, præcipue in terra figulari, naſcitur hæc planta dodrantalis, erecta, *foliis* mollibus, uncialibus, oblongiuſculis & veluti criſpis; *caulis* à dimidio in ramulos varios dividitur, in quorum angulis inferius, & ſuperius in extremis caulibus, inſident *flores* lutei, petalis breviſſimis radiati, diſcum parvum rotundum cingentibus: *ſemina* ſolida, cæteris ſimilia, ſed minora, in capitulis ſquamatis, rotundis, continentur.

32. Chryſanthemum *Africanum Aſteris facie, imo flore non folioſo, capitulis duris.* Inter varia nova hujus familiæ, hoc edidit *D. L. Plukenet*, quod *foliola* oblonga, ad extremum latiuſcula, *caules* ramoſos inordinatim veſtiunt; in ſummitatibus *flores* radiatos, ex plurimis petalis in extremitatibus crenatis, abſque foliolis (antedictorum more) ſuppoſitis profert; flores juniores ſupra primigenios etiam elevantur; capitulis ſquamoſis duris includuntur *ſemina.*

33. Chryſanthemum *Indicum octopetalon, foliis Calendulæ ad inſtar oblongis non ſerratis, Pee-cajenneam, Hort. Mal. Part.* 10. *Tab.* 42. *Caulibus* aſſurgit ſubrubeſcentibus, *foliis* planis oblongis, *Calendulæ vulgaris* ſimilibus, è regione naſcentibus, ornatis. *Flores* ampli ſunt, flavi, paſſim octopetali, oblongi, in ſummitate latiores, in tres duaſve cuſpides inciſi, in longitudine plicis ſtriati; ad unguiculos uniuſcujuſque petali flavi, capitulo circumpoſiti, *ſtylus* emicat flavus & bifidus. *Calyx* ex decem plus minus cuſpidatis inæqualibus foliis conſtat. *Semina* in capitulo rotundo plano continentur numeroſa, oblongo-anguſta, plana.

34. Chryſanthemum *Bengalenſe anguſtifolium puſillum, ſummo caule ramoſum, D. L. Plukenet.* Humilis hæc planta, altitudinem duarum triumve unciarum non excedit, cujus *foliola* uncialia, anguſta, modice ſunt ſinuata, & *flores* parvos ſtellatos, petalis tenuiſſimis & acutis donatos, emittit.

35. Chryſanthemum *Hiſpanicum Bellidis folio ramoſum, D. L. Pl. Hiſpanicum rotundioribus foliis, Park. Chryſanthemum latifolium, J. B. Folio lato ſerrato, Chab. Chryſanth. Bellidis folio ſerrato elegans, Griſley. Folia* hujus ad caulem pedalem aut altiorem appoſita abſque pediculis, lata ſunt & ſerrata, viridia, integra, alternatim ſita; *caules* aſſurgentes in alios cauliculos ſparguntur, qui *flores* aureos radiatos, elegantes, ſuſtinent; & poſtmodum *ſemina* ſequuntur ſolida.

36. Chryſanthemum *Bellidis folio non ramoſum, Nobis. Chryſanthemum parvum ſive Bellis lutea parva latifolia, J. B. Chryſanthemum Myconi, Lugd. Bellis lutea foliis ſubrotundis, C. B. P. Chryſanth. Alpeſtre Bellidis folio, Cat. Hort. Pat. Bellidis* ſimilia habet *folia*, minora tamen, vix unciam longa, ſerrata, ſine ordine per caulem diſpoſita, qui plerumque ſingularis, vix pedalis, & ſubhirſutus eſt; ſummoque vertice, aut in quolibet caule, *florem* gerit unicum, petalis ſtellatis, croceis, umbonem ſtamineum ejuſdem coloris, coronantibus: *radix* brevis, gracilis, & fibroſa eſt. *V. icon. tab. æn. 6.*

In Hiſpania, *& etiam* Italia, *hæc duo poſtrema inveniuntur, quæ valde affinia ſunt.*

- *Chryſanthemum annuum majus foliis*
  - *diviſis*
    - 37. *Virginianum imis laciniatis & hirſutis, flore aureo, umbone nigricante.*
  - *integris*
    - 38 *Indicum non ramoſum, ſive flos ſolis major giganteus, Nobis. Helenium Indicum maximum, C. B. P. Chimalatl, Flos ſolis, Recchi.*
    - 39. *Indicum ramoſum, ſive Flos ſolis major ramoſus, Nobis. Helenium Indicum ramoſum, C. B. P. Herba maxima, J. B.*

§. 3. Chryſanthemum annuum majus foliis diviſis.

37. Chryſanthemum *annuum majus Virginianum, foliis laciniatis & hirſutis, umbone nigricante.* Ex *ſemine* è Virginia, à ſupra laudato *D. Baniſter* tranſmiſſo, ſuccrevit in Horto noſtro inſignis hæc Planta: A *radice* fibris multis conſtante, *folia* plurima hirſuta, palmam aut amplius lata, per terram ſtrata, *Artemiſiæ latifoliæ* diviſura, in ſegmenta profunda, diviſa, pediculis triuncialibus appendentia proveniunt: *Caulis* humanam altitudinem aſſequitur, craſſitie pollicari, cortice fuſco, aut purpuraſcente, hirſuto, tectus, medulla alba farctus; cui *folia* ſine ordine, paucioribus laciniis prædita, adnaſcuntur; quæ ramis accreſcunt integra, & ſerrata ſunt: ſummi caules multis *floribus* amplis, aureis, ornati ſunt, ex petalis uncialibus, latis, *umbonem* ſubfuſcum, aut nigricantem cingentibus, conflati, quæ colorum diverſitas, & floris expanſi amplitudo, amœnum exhibent ſpectaculum. Floribus marceſcentibus, *umbo* per maturitatem, conicam figuram obtinet, in quo *ſemina* oblonga, quadrangularia, fuſca, continentur; *radixque* perit.

§. 4. Chryſanthema annua majora foliis integris.

38. Chryſanthemum *Indicum maximum annuum non ramoſum, Nobis. Chryſanthemum Peruvianum, Dod. Lugd. Flos ſolis major, Ger. Eyſt. Flos ſolis Peruvianus, Lob. Helenium maximum Indicum, C. B. P. Flos ſolis giganteus, Corona regia, Crater Jovis, Amoris tuba, Roſa Hiericuntis, Trag. Herba maxima, J. B. Chab. Chimalatl Peruviana Flos ſolis, Recchi.* Merito huic plantæ peregrinæ inditur nomen *Floris maximi*, utpote cui in herbaceo genere nulla ſit magnitudine partium, præcipue florum, comparanda. *Caule* conſtat ſingulari, brachii craſſitie, decem pedum altitudine, aſt in calidioribus locis ad viginti pedes aſcendit; *folia* ſunt ampla, ad rotunditatem tendentia, ſerrata, aſpera, in mucronem deſinentia, ſpithamam, aut ſeſquiſpithamam longa, haud multum anguſtiora, & pediculis longis adhærentia: ſummum caulis faſtigium *florem* fert nutabundum, orbiculatum, & ſtellatum, radiantem ſolem quaſi repræſentantem, tam amplum ut pedem in diametro facile contineat; petalis exterioribus luteis ſtriatis, recurvis, unciam latis, in acutum mucronem deſinentibus, *diſcum* amplum, planum, ſaturatioris coloris cingentibus; innumeris *ſeminibus* angulosis ſuccedentibus, verſus extrema, craſſioribus, verſus originem, acutioribus, interdum albis, in aliis fuſcis, nigris, vel lineis nigris & albis ſtriatis. *Radix* fibroſa eſt, quæ poſt ſemina matura totaliter perit, & ſingulis Annis facile renovatur. *V. icon. tab. æn. 6.*

39. Chryſanthemum *Indicum annuum maximum ramoſum, ſive Flos ſolis major ramoſus, Nobis. Helenium Indicum*

Indicum ramoſum, C. B. P. Herba maxima vel flos Indianus, J. B. Chimalatl Indorum. Flos ſolis minor Recchi. Altera hæc ſpecies florum multitudine, & variis ramificationibus luxuriat, quæ in minores ramuſculos dividuntur; *flores* etiam iis priorum minores ſuſtinet; in quorum medio orbe, quamplurimis floſculis flaveſcentibus referto, è porulis, materia glutinoſa, flavi mellis ad inſtar, exſudat: floribus deciduis, *ſemina* multa quadrangularia, in cellulis favis aut Apium loculamentis ſimilibus, certis ordinibus ac ſeriebus diſpoſita ſuccedunt. *V. icon. tab. æn. 6.*

In Peru, *aliiſque* Americæ Provinciis *ſponte oriuntur, & in Hortis noſtris facillime proveniunt.*

Varietas obſervatur in magnitudine foliorum, & florum, *& altitudine, & craſſitie* caulis, *in colore* florum, *qui quandoque ſulphureus, & albus reperitur; ut etiam in* ſeminis *colore, ut antea memoratur.*

Chryſanthemum perenne minus foliis

diviſis

40. *Ferulaceis longis, floſculis nudis bullatis, Virginianum.*
41. *Brevioribus incanis Tanaceti inſtar alatis, Nobis. Buphthalmum Dioſcor. C. B. P. Vulgare, Cluſ. Hiſt.*
42. *Tanaceti inſtar alatis floribus variis, Nobis. Buphthalmum album Triumfetti.*
43. *Orientale Cotulæ folio, flore ampliore, Nobis. Buphthalmum peregrinum, Proſp. Alp. de Exot.*
44. *Ericoides capitis Bonæ ſpei, Breyn. Cent. 1.*
45. *Trifoliatum Virginianum folio acutiore lævi, vel Anagyridis.*
46. *Trifoliatum Virginianum obtuſioribus foliis hirſutis.*

integris

47. *Minus Alpinum elegans flore magno albicante, foliis craſſis Saxifragiæ Chelidonidis accedentibus, Pl.*
48. *Maritimum gnaphaloides, Nobis. Gnaphalium marinum, Lob. Cluſ. Matth. Maritimum, C. B. P.*
49. *Conyzoides Æthiopicum capitulo nudo foliis Majoranæ, Breyn.*
50. *Curaſſavicum fruteſcens foliis Hyperici nigris punctis notatum, Par. Bat. Prod.*
51. *Virginianum villoſum diſco luteo petalis quinis ornato, D. L. Pl.*
52. *Madraſpatanum, Menthæ arvenſis folio & facie, floribus bigemellis ad foliorum alas, pediculis curtis, D. L. Pl.*
53. *Salicis folio glabro ramoſum, Nobis. Aſter montanus luteus ſalicis folio glabro, C. B. P.*
Non ramoſum interdum invenitur.
54. *Ad radicem plantarum umbelliferarum more comoſum, D. Pluk. Alm.* 101. *Tab.* 160. 4.

§. 5. Chryſanthema perennia minora foliis diviſis.

40. Chryſanthemum *foliis longis ferulaceis, floſculis nudis bullatis Virginianum. An Ageratum ferulaceum Dalech. J. B. T. 3. p. 152.* cujus foliorum icon non multum diſſimilis eſt. *Cauliculos* erectos, tenues, teretes, profert, quibus ex adverſo, quaſi ad genicula, *folia Ferulæ* tenuiori ſimilia, tenuia, ternis, & ter ternis cornibus ſeu diviſionibus anguſtis donata, abſque pediculis adnectuntur; ſummus caulis in tres, quatuorve cauliculos erectos, nudus, diviſus, ſe erigit; quorum ſinguli, unicum tantum *capitulum* rotundum, luteum, abſque petalis cingentibus, ſuſtinent; in quo *ſemina* oblonga, ſolida, quadrata, cæterorum more includuntur.

41. Chryſanthemum *perenne brevioribus & incanis foliis, Tanaceti inſtar alatis, Nobis. Buphthalmum Dioſcoridis, C. B. P. Buphthalmum vulgare, Cluſ. Hiſt. Ger. Chamæmelum Chryſanthemum quorundam, J. B.* Cubitalibus aſſurgit *cauliculis*, modo erectis, modoque reclinantibus, canitie quadam obductis; quibus inordinatim, *folia Chamæmeli* latiora, aut *Tanaceti* facie ſerrata, ac diviſa (minora tamen) alata, viridia, ex albente canitie, adnaſcuntur: *Flores Chamæmeli* majores, auri inſtar fulgentes, in ſummis caulibus nudis, cernuntur; & in capitulis hiſpidis, & ſquamoſis, *ſemina* multa, ſolida continentur. *Radix* comoſa eſt, & vivax. *Vid. icon. tab. æn. 6.*

In Pannonia & Auſtria *multis in locis reperitur.*

42. Chryſanthemum *perenne Tanaceti foliis inſtar alatis, floribus variis, Nobis. Buphthalmum album Triumfetti. Chryſanthemum* hoc de integro à *Roma* acceptum, præcedenti convenit; *radici* enim fuſcæ, lignoſæ adnectuntur fibræ, ac in ſuperiore parte denſe germinant foliorum ceſpites; inter quæ radiculæ ſeu fibræ terram petentes cernuntur: *folia* alata, iis *Buphthalmi Matthioli* antedicti ampliora, aut fere *Tanaceti* diviſura extant: *Junio* adventante aſſurgunt *caules* ex ceſpitibus recti, ramoſi, conſimilibus foliis veſtiti, ſuperius nudi: in quorum faſtigiis, è capitulis ſquamoſis *flores* emicant, alii lutei, alii melini aut ſulphurei coloris, & nonnunquam ex eodem *ſemine* lato, cernuntur omnino albi; quibus arefactis ſuperſunt *capitula* hiſpida, *ſemina* oblonga, ſolida continentia.

In Alpibus Caſtilionenſibus *invenit Clariſs. Botanicus* Jo. Baptiſt. Triumfetti Bononienſis, *& ab ipſo acceptum Vir eximius* D. D. Sherard *ad nos tranſmiſit.*

43. Chryſanthemum *Orientale Cotulæ folio ampliore, Nobis. Buphthalmum peregrinum, Proſp. Alp. de Exot. Buphthalmum Cotulæ folio, C. B. P. Alterum folio & facie Cotulæ fœtidæ, Adv. Lob. Buphthalmum verum, Tab.* Apud *Proſp. Alp.* cum figura & deſcriptione, Planta quam jam intelligimus, bene exprimitur. Fruticat quodammodo multis *caulibus* erectis, rotundis, gracilibus, ex una radice pullulantibus, bicubitalibus, colore è viridi nigreſcente: *Folia* plura habet quadantenus *Fœniculo* aut *Cotulæ*, ſimilia, ſed ampliora, jucundo virore; in ſummis caulibus nudis, è capitulis ſquamoſis, argenteis, prodeunt *flores* aurei coloris, diſcoidei, duplo *Buphthalmi vulgaris* ampliores; quibus ſuccedunt *ſemina* parva, oblonga, tenuia, nigreſcentia. Perennis eſt planta & omnibus Menſibus æſtivalibus, & fere autumnalibus, floret.

Naſcitur in Orientalibus Regionibus, & circa Haleppo, *unde recepimus.*

Imperatus *hoc legitimum Buphthalmum eſſe ait, &* Dioſcorides *Buphthalmum Fœniculi folia habere, ſtatuit.*

44. Chryſan-

44. Chryſanthemum *Ericoides Capitis Bonæ ſpei, Breyn. Cent.* 1. Ante florum proventum, adeo *Ericæ Coris folio* ſimile, ut vel peritiſſimus Botanicus plantam hanc ei congenerem exiſtimaturus ſit: ſuperiores cauliculi leniter lanuginoſi ſunt: Summis ramulis, ſinguli vel bini nonnunquam, ſæpius tamen plures, quaſi in umbellam diſpoſiti, inſident *floſculi*, iis *Millefolii* non multo majores, petalis multis, pallidis, *diſcum* parvum cingentibus, è capitulo foliolis crebris ſibi invicem incumbentibus compacto, prodeuntes; His marcidis, *ſemen* ex fuſco ſpadiceum, turbinatim, uvæ acinis ſimile, ſed multo minus, ſuperius vero, (ubi anguſtius,) denticulis quaternis, duriuſculis, veluti coronula, in modum *Chryſanthemi Canadenſis bidentis* fere donatum, ſuccedit, in materia quadam villoſa latitans. *V. icon. tab. æn.* 3.

45. Chryſanthemum *Virginianum folio acutiore lævi trifoliato, ſeu Anagyridis folio.* In cauliculo lævi, tereti, & erecto, *folia* bina è regione ſita, medio impare, pediculis uncialibus, *Anagyridis vulgaris* folia pulchre referentia, naſcuntur: ad genicula ſuperiora, ubi caulis ſe dividit, folia integra, *Hyſſopi* paria, cernuntur; è cauliculorum ſummis *flores* oriuntur lutei, ex octo, novemve petalis luteis, ſemuncialibus, umbonem fuſcum cingentibus, compoſiti. *V. icon. tab. æn.* 3.

46. Chryſanthemum *Virginianum trifoliatum humilius, obtuſioribus foliis hirſutis.* Planta hæc dodrantalis aut pedalis, erecta, molli lanugine obſita, *folia* ima rotunda, aut ovalia, profert, pediculis uncialibus binatim cauli inhærentia; ad nodum tertium terna foliola pediculo ſimul juncta ſunt, quorum medium, duo exteriora, magnitudine multum ſuperat, quæ majori folio auricularum inſtar apponuntur; aliquando *caulis* ſe dividit; & in cauliculi nudi faſtigio, *flores* aurei coloris, petalis latiuſculis, dentatis, octo ut plurimum numero, *Chryſanthemi vulgaris Segetum* amplitudine, ſaturatioris vero coloris, emicant. *V. icon. tab. æn.* 3.

Hæc duo jam deſcripta, ab Amiciſſimo D. J. Baniſter *è* Virginia *fuerunt tranſmiſſa.*

§. 6. Chryſanthema perennia minora foliis integris.

47. Chryſanthemum *minus Alpinum elegans flore magno albicante, foliis craſſis Saxifragiæ chelidonidis accedentibus.* Rariſſima hæc planta, (quam in lucem *D. L. Plukenetio* proferre placuit,) *folia* emittit multa ſpiſſa, carnoſa, ex anguſta baſi ſeſe in rotunditatem extendentia, parvula, crenata, *Saxifragæ albæ*, aut *Cotyledonis Matthioli* æmula, minora tamen, per terram ſtrata; inter quæ erigitur *caulis* triuncialis, aut circiter, paucis foliis ornatus: *florem* in vertice amplum, diſcoideum, ex petalis circiter duodecim, ſtriatis, pallidis, in extremitate crenatis, conſtatum, ſuſtinens.

48. Chryſanthemum *perenne Gnaphaloides maritimum, Nobis. Gnaphalium marinum, Lob. Cluſ. Matth. Gnaphalium maritimum, C. B. P. Cotonaria Bombax humilis, Tab. Gnaphalium maritimum multis, J. B. Maritimum ſeu Cotonaria, Park.* *Cauliculi* & ramuli dodrantales ſunt, circa quos, inordinatim *foliola* multa longiuſcula accreſcunt, quæ una cum cauliculis, denſa, molli, & candida lanugine tecta ſunt; in faſtigiis caulium *capitula* bullata, ſquamata, candida, *Helichryſi* modo corymbatim diſpoſita, apparent, medio lutea, & *Gnaphalii Americani* corymbos optime referentia. *V. icon. tab. æn.* 4.

Haud procul à mari inculta & arenoſa amat loca: Flores *vigent Menſe Julio, &* ſemen *ſolidum, album, oblongum abſque pappo, Auguſto & Novembri perficitur.*

49. Chryſanthemum *Conyzoides Æthiopicum capitulo nudo, foliis Majoranæ, Breyn. Cent.* 1. *Conyzæ minimæ Lobelii* facie quodammodo naſcens, in plurimos ſe expandit ramos, rotundos, ſtriatos, quos numeroſa & conferta ambiunt *folia, Majoranæ hortenſis* foliorum formam, & *Sanamundæ primæ Cluſii*, non male æmulantia, villoſiora tamen, ac paulo minora, odoris & ſaporis aromatici, *Coſti hortenſis* inſtar. Summis ramulis ſingularia, eorum autem angulis ſæpius plura, inſident *capitula* dura, villoſa, diſcum luteum, ſtaminulis plurimis conſtantem, ſine petalis radiatim in ambitu naſcentibus, continentia; quæ tandem ſtaminulorum loco, *ſeminibus* ſolidis, & anguloſis, ex cinereo albicantibus, *Fæniculi* ſeminis magnitudine, onerantur. *Vid. icon. tab. æn.* 3.

In Bonæ ſpei Promontorii *locis herboſis oritur, ubi Menſe Octobri & Novembri vernat.*

50. Chryſanthemum *Curaſſavicum fruteſcens foliis Hyperici, nigris punctis notatum, Paradiſ. Bat. Prod.* *Cauliculos* quaſi lignoſos, modo erectos, modoque reclinantes profert, quibus *folia* uncialia, ovalia, marginibus parum dentata, aut ſinuata, pediculis etiam uncialibus, ex adverſo ſita, adnaſcuntur; in quorum ſingulis crenis macula nigra conſpicitur. *Florem* luteum radiatum, ſeu ſtellatum, haud amplum producit.

51. Chryſanthemum *Virginianum villoſum diſco luteo, petalis quinis ornato, D. L. Pl. Chryſanthemum pentapetalum villoſo caule, D. Baniſt.* Nova hæc planta *folia* edit *Lamii rubri*, aut *Meliſſæ vulgaris* facie, modice hirſuta, pediculis longis, binatim caulibus appoſita; in cyma *flos* aureus, ex quinis petalis latiuſculis, planis, & fere ovalibus, cum umbone in medio, ſe exerit.

52. Chryſanthemum *Madraſpatanum Menthæ arvenſis folio & facie, floribus bigemellis ad foliorum alas, pediculis curtis, D. L. Pluk.* Tota planta molli hirſutie prædita eſt; *cauliculis* aſſurgit erectis, *foliis Menthæ aquaticæ* anguſtioribus, aut *Parietariæ vulgaris* forma, parum vero crenatis, è regione naſcentibus: è quorum alis alii ramificantur cauliculi, & ad genicula ſuperiora, in pediculis curtis, gemellis, aut bigemellis, *floſculi* parvuli, bullati, lutei, proveniunt.

53. Chryſanthemum *perenne minus Salicis folio glabro ramoſum. Aſter montanus luteus Salicis folio ramoſum, C. B. P.* Hoc *Chryſanthemum radices* habet fibroſas, & in ceſpitem naſcitur; *caules* producit pedales, aut ſeſquipedales, rotundos; *Folia* inordinatim caulibus adhærentia, longa, *Virgæ aureæ anguſtifoliæ*, aut *Salicis anguſtiſſimæ* inſtar, ſeſſilia, glabra, parvis cum denticulis in margine ſerrata; caulis in ſumma parte in plures cauliculos diviſus eſt, atque in ſummitate ſingulorum ramuſculorum ſinguli naſcuntur *flores* omnino lutei, petalis anguſtis, rectis, biſulcatis, & ad extremum crenatis, quibus fatiſcentibus, ſuccedunt plurima *ſemina* tenuia, quadrata, abſque pappo, anguloſa. *V. icon. tab. æn.* 6.

Hujus habetur alia varietas, cujus caules ſunt ſingulares, & nunquam ramificati.

54. Chryſanthemum *Africanum ad radicem plantarum umbelliferarum more comoſum, D. Pluk. Alm.* 101. *Tab.* 160. 4. *An Atepocapatli, Recchi, Hiſt. Mex. pag.* 33. & 862. *Radix* hujus plantæ in Codice *Comtoniano* inter rariora ſervatæ & obſervatæ, longa & craſſiuſcula (tranſverſa & Aſphodelinis tuberculis donata, monente *Recchio*) in ſuperiore parte, quemadmodum in umbelliferis plantis frequenter obſervatur, capite filamentis plurimis comoſo dotato, conſpicitur: *folia* etiam exinde provenientia, longa ſunt anguſtoplana,

in obtuſum mucronem definentia; (Amygdali ſimilia, aſpera, *Recchi*) inter quæ caulis exoritur, *flores* paucos, ex petalis numeroſis mucronatis aureis conflatos, ſuſtinens.

Chryſanthemum perenne majus, foliis diviſis
55. *Americanum foliis dilutius virentibus, Nobis. Doronicum Americanum, Park.*
56. *Americanum foliis magis diſſectis ſaturatius viridibus & minus.*
57. *Virginianum Platani Orientalis folio.*

§. 7. Chryſanthema perennia majora foliis diviſis.

55. Chryſanthemum *Americanum perenne foliis diviſis, dilutius virentibus majus, Nobis. Doronicum Americanum, Park. Doronicum Americanum laciniato folio, C. B. P.. App. Aconitum helianthemum Canadenſe Cornuti.* E *radice* reſtibili dura, aſſurgunt caules humanam altitudinem æquantes, inter *folia* ampla, ſerraturis aliquot donata, ac in profundas lacinias, *Angelicæ* in modum diviſa; qualia etiam caules conveſtiunt, dilute viridia, & aſperiuſcula: in ſummis caulium faſtigiis, *flores* ſunt corymbiferi, ampli, ſtellati, omnino lutei, ex plurimis petalis longis, non raro pendulis, compoſiti; cum umbone in medio, qui ad maturitatem perveniens, in conum attollitur, in quo *ſemina* oblonga, quadrata, continentur. *V. icon. tab. æn. 6.*

56. Chryſanthemum *Americanum perenne foliis magis diſſectis, ſaturatius viridibus, & minus.* An hæc vel antecedens, ſit planta *Cornuti*, judicet Lector? A priori differt, quod humilior ſit, & *folia* proferat minora, in plura & anguſtiora ſegmenta diviſa, obſcuriuſque virentia, *flores* itidem minores. *V. icon. tab. æn. 6.*

57. Chryſanthemum *perenne majus Virginianum Platani Orientalis folio.* Inter Plantas rariſſimas nuper huc delatas, locum non infimum obtinet hoc *Chryſanthemum*; quod è *ſemine* brevi, turgido, & fere quadrato, ortum eſt: *Radices Aſphodeli* in modum medio craſſiores, brachialis craſſitiei, numeroſæ, albidæ, ſimul uni capiti adnectuntur; è quibus exeunt *caules* ſatis craſſi, ſtriati, medulla alba farcti, ad altitudinem duarum vel trium ulnarum, *foliis* latiſſimis, modica hirſutie aſperis, ſpithamæ latitudinem ſæpe excedentibus, in varias lacinias, & angulos iis *Platani Orientalis* quam proximos, ſed in extremis paulo acutiores, diviſis, aliquando è regione, & aliquando inordinatim caulibus appoſitis, pediculis cum foliis ipſis lateraliter veſtitis; diu florem expectavimus, demum in Autumno, in caulium ſummitatibus, inter folia minora, apparuerunt perianthia fere rotunda, viridia, ſimul congeſta; in quorum medio, *flores* lutei, ſtellati, unciæ unius latitudinem non ſuperantes, & proportioni plantæ nullatenus reſpondentes, emicuerunt; & quod in aliis hujus familiæ obſervamus, *flos* ſine aliquo petalorum defectu, raro invenitur. *V. icon. tab. æn. 7.*

Chryſanthemum perenne majus foliis integris, caule

plano
58. *Arboreſcens Æthiopicum Populi albæ folio, Breynei.*
59. *Americanum tuberoſum radice rotundiore, Nobis. Adenes Laurembergii.*
60. *Americanum tuberoſum radice longiore, H. Reg. Pariſ.*
61. *Americanum floris ſolis foliis & floribus, ſive Flos ſolis major perennis.*
62. *Virginianum latifolium radice repente majus, ſive Flos ſolis repens major.*
63. *Virginianum latifolium radice repente minus, ſive Flos ſolis minor repens. Aſter Virginianus latifolius luteus repens, Park.*
64. *Barbadenſe Helenii amplioribus foliis ſcabris è regione binis, floribus parvis, D. Pluk. Alm. 99. Tab. 274. fig. 4.*
65. *Helenii folio, umbone floris grandiuſculo prominente, D. Pluk. Phyt. Tab. 242. 2.*
66. *Virginianum repens foliis aſperis binatim ſeſſilibus acutis.*
67. *Canadenſe latifolium altiſſimum, Moriſ. Prælud. Bot. Elatius P. Boccone.*
68. *Canadenſe latifolium humilius, Moriſ. Prælud. Bot. Aſter Virginianus luteus alter minor, Park.*
69. *Canadenſe Rapunculi radice, ſtrumoſum vulgo, H. L. Bat. Helenium Canadenſe altiſſimum Voſacan dictum, H. Reg. Pariſ.*
70. *Virginianum elatius anguſtifolium viride.*
71. *Virginianum elatius anguſtioribus foliis, puniceis caulibus.*
72. *Virginianum foliis aſperis tribus ad genicula ſitis.*
73. *Virginianum foliis glabris Scrophulariæ vulgaris æmulis.*
74. *Virginianum Scrophulariæ foliis aſperis.*
75. *Braſilienſe majus Urticæ folio, Camara Vuba, Marcgravii.*
76. *Indicum Urticæ folio luteo petalis bifidis, Hort. Mal. Part. 10. Tab. 40.*
77. *Peruvianum flore albo, Cat. Hort. Lipſ. olim edit.*
78. *Orellanæ foliis impenſe ſcabris Madraſpatanum, florum petalis quinis tetragonis, ex calyce amplo viridi fiſtuloſis, D. L. Pl.*
79. *Madraſpatanum latifolium Scabioſæ capitulis parvis, D. Pluk. Alm. 99. Tab. 159. 4.*
80. *Madraſpatanum Oxyacanthæ foliis cæſiis ad marginem ſpinoſis calyce argenteo, D. Pluk. Alm. 101. Tab. 160. 6.*
81. *Lanatum crenatis foliis Æthiopicum, D. Pluk. Alm. 102. Tab. 274. 5.*

alato
82. *Virginianum folio anguſto glabro, Nobis. Aſter luteus alatus, Cornuti.*
83. *Virginianum bidens, altiſſimum, folio aſpero, flore minore, Nobis. Aſter Virginianus luteus membranaceo caule, Park.*
84. *Viginianum bidens ramoſius, foliis aſperis, flore minore aureo.*

85. *Virginianum*

alato
- 85. *Virginianum latifolium humilius alis latioribus.*
- 86. *Mexicanum folio amplo deltoide. Navitepuxt quadrilatera, Recchi.* 189.
- 87. *Curaſſavicum flore aurantiaco bullato, Nobis. Conyzoides alato caule Curaſſavicum, Parad. Bat. Prod. Chryſanthemum Cannabinum Americanum alatum flore aphyllo globoſo aurantio, folio Baccharidis, Breyn. Prod.*
- 88. *Parvum ramoſiſſimum membranaceo caule Madraſpatenſe, D. Pluk. Alm.* 101. *Tab.* 160. 5.

§. 8. Chryſanthema perennia majora, foliis integris, caulibus planis.

58. Chryſanthemum *arboreſcens Æthiopicum foliis Populi albæ, Breynei.* Planta eſt fruteſcens, crebris & denſis ramis, quorum juniores multo tomento teguntur; qui *folia* ſubrotunda, in ambitu ſerrata, ac lanugine denſa, raſili, in utraque ſuperficie obducta, *Populi albæ* minoribus ſimillima gerunt; *Flores* emicant, ramulorum extremitatibus, aureo colore fulgentes, radiati, eos *Chryſanthemi Canadenſis alato caule*, haud male referentes, umbone croceo, multis petalis nervoſis, anteriore parte denticulatis, conſtantes. His *ſemina* oblongiuſcula anguloſa, & ſolida, *Chryſanthemorum* ritu ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 3.

Frequenter circa Promontorium Bonæ Spei, *& in Regionibus adjacentibus invenitur.*

59. Chryſanthemum *perenne majus foliis integris Americanum tuberoſum, Nobis. Adenes ſeu Flos ſolis glanduloſus, J. B. Flos ſolis Farneſianus. Aſter Peruvianus tuberoſus, Col. Battatas de Canada, Park. Flos ſolis Pyramidalis, Ger. Radices* huic ſubſunt orbiculares, & ovales, rufeſcentes, tuberoſæ, pugni fere magnitudinis, facile ſe propagantes, ita ut ex unica terræ commiſſa, biennii aut triennii ſpatio, modiolus radicum edibilium proveniat: *caulis* in altum aſſurgit, *folia* autem quoad formam & aſperitatem, iis Plantæ 38. aut 39. quæ vulgo *Flos ſolis* vocatur, ſimillima ſunt, ſed paulo minora; *flores* denique lutei ſtellati Autumno producuntur. Planta omnibus jam fere nota eſt, ut non opus ſit pluribus deſcribere. *V. icon. tab. æn.* 6.

60. Chryſanthemum *Americanum tuberoſum radice oblonga, Hort. Reg. Pariſ.* Hoc præcedenti minus videtur, & *radices* tuberoſæ longiores ſunt; reliquis convenit.

61. Chryſanthemum *Americanum majus perenne floris ſolis foliis & floribus, ſive flos ſolis major perennis. Chryſanthemo* omnium maximo, ſeu *flori ſolis annuo*, foliis & floribus haud valde diſſimile eſt; ſed hujus *radix* reſtibilis eſt & perennis, fortiter fibris tenacibus terram comprehendens; unde *caules* pollicaris craſſitiei, tres, quatuorve, aut plures, medulla alba farcti, ad proceritatem octo novemve pedum, aſſurgunt, in plures ramulos poſt dimidium diviſi; *foliis* nunc ex adverſo, nunc, alternatim poſitis, quæ aſſurgentia, minora naſcuntur: *Flores* ampli lutei, ſtellati ſunt, quorum primus magnitudine cæteros ſuperat, qui latitudinem novem aut decem digitorum æquat: flores ſequentes è cauliculis lateralibus minores, & ita ſecundum florendi ætatem iterum minores apparent, è perianthio folioſo emergentes: quibus evanidis, *ſemina* oblonga, quadrangularia ſuccedunt, ſed vix ad maturitatem perveniunt; à *radice* modo repente, ſtolonibus facillime propagatur. Planta hæc & Hortorum & Domiciliorum ornamentum, nobiſcum *à Viro Præclaro D. Guliel. Farmer Barone de Lemſter*, qui primo è tranſmarinis Regionibus attulit, benigne communicata eſt. *V. icon. tab. æn.* 7.

62. Chryſanthemum *Virginianum latifolium radice repente majus.* Hoc cum antecedente convenit; *radix* valde repit, multoſque caules minores emittit, *foliis* minoribus, & *floribus* etiam vix latitudinem duarum unciarum ſuperantibus, ornatos; *caules* ſex ſeptemve pedum altitudine aſſurgunt. *Vid. icon. tab. æn.* 7.

63. Chryſanthemum *Virginianum latifolium radice repente minus, Nobis. Aſter Virginianus luteus latifolius repens. Park.* Statura à priori præcipue differt, cujus *caulis* tres pedes raro excedit; *folia Plantaginis* fere ſimilia, plerumque ex adverſo naſcuntur; *flores* etiam ampli, lutei ſunt; *radix* quoque in hortis reptatu ſuo ſe propagat. *V. icon. tab. æn.* 6.

64. Chryſanthemum *Barbadenſe Helenii amplioribus foliis ſcabris, è regione binis, floribus parvis, D. Pluk. Alm.* 99. *Tab.* 274. 4. Erecte aſſurgit *caulis* piloſa ſcabritie exaſperatus: huic per intervalla binatim accreſcunt *folia* lata, è rotunda baſi in mucronem definentia, aſpera etiam, ambitu dentata, & pediculis uncialibus inſidentia; è quorum alis, ramificationis ſpecies ſe offert: *flores* ſummis ramulis parvi, aureo colore fulgentes, & è *calyce* quinquefoliato erumpentes, inſtant.

65. Chryſanthemum *Helenii folio umbone floris grandiuſculo prominente, D. Pluk. Phyt. Tab.* 242. 2. Hujus *folium Helenium vulgare* optime æmulatur, medio enim latum eſt, & utrinque mucronatum, ad marginem modica ac irregulari ſinuatione dentatum, nervo prominenti per medium decurrenti: *florem* ei amplum, ex petalis circiter octo, latiuſculis, planis, à ſe invicem diſſitis, è *perianthio* ex octo etiam foliolis conſtructo, proſilientibus, *umbone* in medio grandiuſculo, in metam faſtigiato, cauliculus ſuperiore parte nudus, ſuffulcit.

66. Chryſanthemum *Virginianum repens foliis aſperis binatim ſeſſilibus acuminatis. Chryſanth. fol. rigidis acuminatis binatim ad caulem abſque pediculo poſitis, D. Baniſt. Cat.* Hoc tripedale *Chryſanthemum caules* erectos profert: *folia* aſpera, ad baſin lata, & mucrone acuto donata, ſine pediculis caulibus è regione adnaſcuntur; *flos* etiam diſcoides ex petalis latiuſculis emicat. *Radix* valde repit. *V. icon. tab. æn.* 3.

67. Chryſanthemum *Canadenſe latifolium altiſſimum, Moriſ. Prælud. Bot. Elatius, Bocc.* Ad ſenos, octonoſve pedes aſſurgit *caulis* craſſus, ſupra pollicarem craſſitiem; quem *folia* rugoſa, oblonga, lata, Plantaginis forma, majora, alternatim veſtiunt. In ſummis caulium faſtigiis, *flores* fert luteos, diſcum luteum ambientes, numiſma dimidium taleri vix æquantes; quibus exſiccatis, ſuccedunt *ſemina* anguloſa, uti in Flore ſolis, ſed minora. *Radix* dura non repit.

68. Chryſanthemum *Canadenſe latifolium humilius, Moriſ. Prælud. Bot. Bocc.* Hoc vix tripedalem altitudinem æquat, *foliis* priori quam proximis ornatur caulis: *flores* minores, ſeminaque pariter minora profert.

69. Chryſanthemum *Canadenſe Rapunculi radice ſtrumoſum vulgo, H. L. Bat. Helenium Canadenſe altiſſimum Voſacan dictum, Hort. Reg. Pariſ.* Multis firmatur *radicibus* albis, carnoſis, fuſiformibus, quæ *caules* attollunt complures, novem decemve pedum altitudine, rotundos, aſperos, nonnihil hirſutos, & ſtriatos, in numeroſos ramos ſubdiviſos; Hos ſine ordine cingunt *folia* palmam longa, pollicem aut amplius lata, in acumen

acumen desinentia, aspera, atroviridia, per ambitum leviter crenata. Ramorum cacumina occupant *flores* lutei corymbosi, petalis dilute flavescentibus, in mucronem bifidum desinentibus, & foliola flori substrata, longius producuntur: His fatiscentibus succedunt *semina* angulosa, ritu affinium. *Radices* subamarum, aromaticum, nec ingratum habent saporem. A *Canadensibus* adhibentur in ferculis, velut ab *Europæis Rapunculi, Rapæ*, & similia.

70. Chrysanthemum *Virginianum elatius angustifolium viride.* *Radix* hujus lignosa multis robustis fibris subfixa est; *caulis* angulosus viridis, *foliis* etiam angustis, crenatis, asperis, viridibus, inordinatim vestitur, qui ad altitudinem quinque vel sex pedum assurgit; & in cymis *flores* stellati lutei *Calendulæ* amplitudinis, è perianthio herbaceo, conflati sunt. *V. icon. tab. æn. 7.*

71. Chrysanthemum *Virginianum altissimum angustifolium puniceis caulibus.* Omnium hujus familiæ altissimum est; *caulis* pollicaris lævis, ab imo usque ad summum, pulligine, aut fusco seu ferrugineo colore obducitur, sicut & *folia*, quæ antecedentis *foliis* angustiora sunt; *Flos* etiam luteus pallidus ex perianthio herbaceo emicat. *V. icon. tab. æn. 7.*

72. Chrysanthemum *Virginianum foliis asperis tribus vel quaternis ad genicula sitis.* E *radice* dura assurgunt *caules* bicubitales, *foliis* tribus longis, asperis, dentatis, duas aut tres uncias latis, ornati; superius ramificantur, & è calyce ex rotundis aut obtusis foliolis composito, succrescit *flos* amplus, stellatus, ex petalis luteis, longis, & latiusculis, umbonem etiam luteum cingentibus, confectus. *V. icon. tab. æn. 3.*

73. Chrysanthemum *Virginianum foliis glabris Scrophulariæ vulgaris æmulis.* *Caulis* minimi digiti crassitiem, & altitudinem duorum triumve cubitorum assequitur; ad cujus genicula, *folia* plerumque bina, aliquando vero singula, alternatim posita, nascuntur, pediculis brevibus donata, dentata, glabra, *Scrophulariam vulgarem* satis referentia. *Flores* in summis caulibus lutei, petalis brevioribus, & cæteris latioribus, præditi. *Radix* fibrosa per stolones se propagat. *V. icon. Tab. æn. 3.*

74. Chrysanthemum *Americanum Scrophulariæ, aut Urticæ foliis asperis.* Hoc ad priorem plantam valde accedit, sed *folia* serrata, asperitate etiam donata sunt. Forte *Tzipipatli Novæ Hispaniæ, Recchi. p. 435.*

75. Chrysanthemum *Brasilienſe majus Urticæ folio. Camara Vuba Marcgravii, & Pisonis.* *Caule* est hirsuto, inque multos expanso ramos; *folia* habet serrata, *Menthæ crispæ Urticæve* similia, sed magis splendentia, leni hirsutie prædita, & ad tactum mollia, bina sibi invicem opposita, brevi pediculo appensa; in extremitatibus ramorum enascuntur *flores* egregie lutei petalis luteis novem ut plurimum numero constantes, umbilico etiam luteo, admixtis staminulis nigris: *semina* profert solida, oblonga, Cichorei instar, cæterorum Chrysanthemorum ritu, ut recte observat *Marcgravius.*

76. Chrysanthemum *Indicum Urticæ folio flore luteo petalis bifidis, Hort. Mal. Part. 10. Tab. 40.* Præcedenti affinis hæc planta *foliis* suis è regione nascentibus, Urticæ forma apparet, moduſque crescendi ac superius ramificandi, haud multum abludit: *Flores* hinc inde supra assurgunt, & ex origine foliorum proveniunt octopetali, flavi seu lutei, capitulo medio circumstantes, ad unguiculos nonnihil strictiores & à se mutuo diffiti, superne tenui incisura bifida seu trifida dotati. *Calyx* ex pluribus constat longiusculis, rigidiusculis, cuspidatis, viridi dilutis foliis. *Semina* oblonga sunt quadrangulata & nigricantia.

77. Chrysanthemum *Peruvianum flore albo, Cat. Hort. Lipſ. olim edit.* *Caulis* recte assurgit, folia latiuscula in mucronem desinentia, crenata, binatim *cauli* è regione adhærent: in cacumine apparet *flos* è perianthio quinquepartito, ex decem aut circiter petalis pallidis, umbonem cingentibus, conflatus, ut *Cl. D. L. Plukenet in iconibus exprimit.*

78. Chrysanthemum *Orleanæ seu Orellanæ foliis impense scabris, Madraſpatanum, florum petalis quinis tetragonis, ex calyce amplo viridi fistulosis, D. L. Plukenet.* Hujus *folia* rigida, aspera, non serrata, è lata basi in mucronem oblongum & acutum desinentia, pediculis brevibus, ex adverso, cauliculo erecto accrescunt; *Flores* elegantes è perianthio seu calyce amplo trifoliato erumpentes, ex quinis petalis constant, quorum singula fistulosa, sulcata, & secundum longitudinem striata sunt, in extremitate crenati, & quasi abscissa apparent.

79. Chrysanthemum *Madraſpatanum latifolium Scabiosæ capitulis parvis, D. Pluk. Alm. 99. Tab. 159. 4.* Planta hæc in ramulos divaricata, *caules* habet erectos, lanugine pilosos; quibus *folia Urticæ* pene forma, anguſtiora tamen, dentata, hirsuta, binatim posita, enascuntur: summi ramusculi *flores* veluti bullatos, apetalos, staminulosos, è calyce emicantes, gestant.

Hoc Cl. Auctor à D. Car. du Bois *communicatum accepit.*

80. Chrysanthemum *Madraſpatanum Oxyacanthæ foliis cæsis ad marginem spinosis, calyce argenteo, D. Pluk. Alm. 101. Tab. 160. 6.* Elegans hæc planta *caulem* protrudit erectum, hirsutie pilosum, qui in plures ramulos superius brachiatur: huic inordinatim nascuntur *folia*, unciam plus minus lata, profundis laciniis secta, ut ea *Oxyacanthæ vulgari* apprime assimilentur; quorum singula lacinia in acutum angulum abit, adeo ut spinulæ titulum pene mereatur: totaque *folii* superficies (præsertim aversa parte) plumbeo cæsiove colore tincta est. *Flores* singulatim provenientes, ramulos terminant, qui ex numerosis petalis anguſtissimis, è *calycibus* parvis argenteis erumpentibus, compositi, extant.

81. Chrysanthemum *lanatum crenatis foliis Æthiopicum, D. Pluk. Alm. 102. Tab. 274. 5.* Cl. Auctor quærit an à *Chrysanthemo arborescenti Æthiopico Populi albæ folio, Breyn.* differat hæc species? *Folia* vero plantaginea tribus nervis per longitudinem decurrentibus insignita, per margines inæqualibus denticulationibus serrata, longiora, anguſtiora & acutiora apparent. *Flos* in summitate petalis suis satis longis ac amplis, duplicique aut triplici eorum serie ornatus est.

§. 9. Chrysanthema perennia majora foliis integris, caulibus alatis.

82. Chrysanthemum *Americanum perenne caule alato, folio anguſto glabro, Nobis. Aster luteus alatus, Cornuti.* Quamvis non tam procera sit quam priores, hæc *Chrysanthemi* species, est tamen valde ramosa, cujus *caules* rotundi, vix binos aut ternos cubitos excedunt; quos *folia* dilute virentia, glabra, absque pediculis ambiunt: pediculorum namque loco, appendiculæ quædam alarum instar, è marginibus foliorum deorsum flexæ, utrinque *cauli* proximè adhærent, ibique desinunt, ubi folii alterius origo conspicitur. *Flores*

lutei *Bellidis* majoris ſimiles in ſummis cauliculis naſcuntur, medio ſcilicet orbiculo luteo prominente, & petalis è margine exeuntibus, velut Aſtri radiis, aureo colore fulgentibus. *Floribus* deciduis ſuccedunt *ſemina* multa anguloſa ſolida, non autem pappoſa; quod *Jacobus Cornutus* aſſerit: *radice* nititur fibroſa. *V. icon. tab. æn. 7.*

83. Chryſanthemum *Virginianum alato caule bidens altiſſimum folio aſpero, flore minore ſerotino, Nobis. Aſter Virginianus luteus membranaceo caule, Park. Joacantha quibuſdam. Radix* lignoſa plurimas radiculas craſſas duras in terram demittens, multos protrudit *caules*, qui altitudinem ſex ſeptemve pedum aſſequuntur; qui inferius ad mediam uſque partem, fere ſunt rotundi, duri, nudi, ſuperius autem ad cacumen uſque alis obducuntur, quæ alæ à marginibus foliorum pro pediculis adhærent, & per caulem deſcendunt, eumque veſtiunt: *folia* ſunt longa & aſpera in acumen deſinentia: in caulium faſtigiis, ſuper pediculos breves varie diviſos, ſero in Autumno *flores* profert parvos, ſtellatos, pallide luteos, petalis paucis ſparſim umbonem cingentibus, quos ſequuntur *ſemina* quadrangularia, compreſſa, cum duobus apiculis in ſuperiore parte, ut in Chryſanthemo Cannabino videre licet. *V. icon. tab. æn. 7.*

84. Chryſanthemum *Virginianum alato caule bidens ramoſius, folio aſpero, flore minore.* Hoc præcedenti convenit; *folia* vero latiora ſunt, planta humilior eſt, frequentioribus ramificationibus naſcitur, & in florum proventu copioſior, & præcocior etiam eſt; *caules* profert ad eundem modum alatos; *flores* iis præcedentis ſunt ſimiles, *ſemina* quoque ſimilia, compreſſa, in capitula rotunda, ſimul congeſta ſunt, ſingulus *caulis* ala membranacea cingitur. *V. icon. tab. æn. 7.*

85. Chryſanthemum *Virginianum humilius, foliis & alis latioribus.* E ſemine *Virginienſi* turgidiuſculo, ſed compreſſo, duobus etiam apiculis ſeu barbulis donato, ſuccrevit planta tripedalis, aut circiter, cujus *caules* membranis aut alis foliaceis latioribus quam in cæteris, induti ſunt; *folia* etiam latiora, marginibus crenata, e regione ſemper naſcuntur; *Flores* itidem luteos, haud amplos, in autumno promit.

86. Chryſanthemum *Mexicanum alato caule folio amplo deltoide. Naviytepuzt quadrilatera, Recchi. Quadrilatera* vocatur hæc herba ab alis quibus *caulis* amictus eſt, qui *foliis* fere quadrangularibus palmum latis, ſinuatis, binatim creſcentibus, veſtitus eſt; & cum alis, quæ à *foliis* deſcendunt, *caules* quadrati apparent; *Flores* ut in aliis hujus familiæ ſtellati, lutei, diſcoidei, ſunt.

Plantam Mexicanam eſſe Recchus *tradit*; *è* Virginia *etiam in* Angliam *fuit tranſmiſſa.*

87. Chryſanthemum *Curaſſavicum alato caule, flore aurantiaco bullato. Chryſanthemum Conyzoides alato caule Curaſſavicum, Paradiſ. Bot. Prod. Chryſanthemum Cannabinum Americanum alatum flore aphyllo globoſo aurantio, folio Baccharidis, Breyn. Prod.* Cum aliis raris ab amiciſſimo Viro, & ſtudiis Botanicis exercitatiſſimo *D. D. Sherard* hanc plantam accepimus; quæ ad cubitalem altitudinem aſſurgit, *caule* erecto, *foliis* ovalibus, & fere palmaribus, ſinuatis, & rarius dentatis, quorum ſingulorum margines ad folium inferius deſcendunt, & quaſi alis foliaceis, criſpis, quadrilateraliter caulem inordinatim conveſtiunt; *caulis* ſuperius ſe dividit, & *flores* bullatos, non petalis latis ut in cæteris cinctos, profert, ſed ex minutiſſimis floſculis aurantii coloris, componitur umbo, ſemuncialis latitudinis: quo marceſcente, *ſemina* ſolida, compreſſa, fuſca, apiculis donata, ſubrotunda vel cordiformia, arcte ſibi invicem adhærentia continentur.

88. Chryſanthemum *parvum ramoſiſſimum membranaceo caule Madraſpatenſe, D. Pluk. Alm.* 101. *Tab.* 106. 1. Pulcherrima planta eximio *D. C. du Bois* ex India Orientali allata ac libere nobiſcum communicata, humilis videtur, in pluſculos ramulos ſtatim ſe dividens, qui una cum *caulibus* late ſe diffundentibus, membranulis foliaceis alati ſunt, *foliiſque* anguſtis, unciam unam aut alteram longis, ambitu ſinuatis, alternatim poſitis, ſparſim veſtiti. *Flores* cauliculorum pediculorumque alatorum terminationibus parvi, rotundi, aurei, ex petalis exiguis, ut quaſi bullati cernantur adnati ſunt.

Alias quaſdam Plantas exoticas pro *Chryſanthemis* receptas, ad calcem hic adjicimus, quæ ſi per fructificationem genuinæ ſint, facili negotio ad proprias claſſes reduci queant: Quales ſunt.

Chryſanthemum *ex Inſulis Caribeis, Leucoii incanis & ſericeis foliis argenteis craſſis, D. L. Plukenet.* Hæc bicubitalis eſt planta, caulibus rotundis, firmis, & fere lignoſis, donata, *foliis* multis digitalis longitudinis, ex anguſta baſi ſe in latitudinem uncialem extendentibus, obtuſis, ſpiſſis & carnoſis, ex viridi argenteis aut cinereis. *Caulis* in ſuperiore parte nudus, caput amplum, ſtrobilum imitans, ex multis ſquamis foliaceis compoſitum ſuſtinet; quo aperto *flos Calthæ* amplitudinis, ex multis petalis brevibus, obtuſis, luteis, umbonem cum apicibus filamentoſis cingentibus conſtans, emicat. *Semen* vero nondum obſervatum eſt.

Chryſanthemum *Bermudenſe rigido folio viridi*, quæ planta perpetua fronde viret, & in *Horto Regio Hamptonienſi*, cum plurimis aliis Plantis rariſſimis, quibus Patria noſtra non antea ornata eſt, in *Honorem Regis*, in Hybernaculo conſervantur; quarum ſcientiam perfectiorem in poſterum ſperamus.

In Inſula Bermudenſi *ſponte naſci dicitur.*

De aliis, Chryſanthemis a nullis dictis, Annotatio.

Chryſanthemum litoreum flore Buphthalmi, Adv. Lob. Semina profert pappoſa, & inter Afteres quærendum.

Jacobæam etiam marinam, & Helichryſum, Lob. in Adverſ. Chryſanthema vocat.

Chryſanthemum Dioſc. Lob. Lon. eſt Calendula.

Chryſanthemum Fuchſii, eſt Ranunculus dulcis Tragi.

Chryſanthemum latifol. Dod. Lugd. eſt Doronicum Plantaginis folio, C. B.

Chryſanthemum aizoides Africanum, ejuſque variæ ſpecies, nomine *Ficoidis*, inter plantas multicapſulares, Sect. 12. p. 506. exhibentur.

Chryſanthemum Alpinum foliis longis tenuiter incifis, C. B. Chryſanth. Alpinum 3. *Cluſ. Hiſt. Et*

Chryſanthemum Alpinum foliis Abrotoni multifidis, C. B. 2. *Cluſ. Hiſt. Achillæa montana Artemiſiæ tenuifoliæ facie, Adv. Lob. Et*

Chryſanthemum Alpinum incanum foliis laciniatis, C. B. 1. *Cluſ. Hiſt.* Semina producunt pappoſa, & Jacobæis adnumeranda.

Chryſanthemum Cap. Bon. Spei, repens flore aphyllo, Breyn. Seyn. Chryſanth. Africanum procumbens flo. cernuo luteo nudo, Sutherland. Chryſanth. exoticum foliis Coronopi, D. Pluk. Et

Chryſanthemum Africanum Agerati corymbis durioribus, D. Pluk. Ageratum Africanum foliis laciniatis inodorum, Raii. Chryſanthemum corymbiferum Africanum, Triumfetti, Et

Chryſanthemum Amer. Ciceris triphylli folio glabro flore albo Bellidis majoris. Chryſanthema hæc omnia Bellidis characteres obtinent; & ad iſtam familiam, cap. 12. reducenda ſunt.

Chryſanthemum ferulaceum Eliochryſon dictum fol. mollioribus odoratum, D. Pluk. Eliochryſon foliis Abrotoni, C. B. P. J. B. Hujus plantæ foliorum tenuitas, ſeminaque brevia ſolida, addita ſaporis amaritudine; ad Abſinthia Cap. 6. reducendam ſuaſerunt.

Chryſanthemum Perſicum Abrot. fœm. foliis umbellatum, D. Pluk. Abrotonum fœm. verum Dioſc. Zan. Lege Abrotonum, Cap. 7.

Chryſanthemum Americanum Doronici folio, flore Perſici coloris, umbone magno prominente ex atropurpureo viridi & aureo fulgente, D. Pluk. Eſt Dracunculus Virginianus, pag. 42.

Chryſanthemorum Vires & Uſus.

Flores Chryſanthemi *ſegetum vulgaris cum cerato triti, ſteatomata diſcutiunt. Ipſa herba in infuſionibus pota morbo Regio laborantibus, brevi bonum colorem inducit.*

Chryſanthemum, *quod* Flos Africanus *dicitur, deleteria facultate eſſe præditum, ſuccus oſtendit, ut etiam ingratus, & caput gravans odor, qualis Lycoperſii.*

Chryſanthemum *Cannabinum inter vulneraria recipitur; reſiccantis eſt qualitatis: interne præſertim ſumptum confert: depaſcentibus etiam, & longe lateque ſerpentibus ulceribus, utiliter adhiberi poteſt.*

Chryſanthemum *maximum Flos ſolis dictum, in cibum venit; ſunt qui caules teneros, pilis & cortice deraſis, ipſoſque quibus flores, foliola & ſemina inſident calyces, imo & florem integrum coquunt, & oleo, aut butyro, ſale & aromatibus additis, menſis inferunt; quæ ſcilicet dapes* Aſparagi *aut* Cinaræ *comis delicatiores conficiunt. Ad venerem promovendam plurimum poſſe, ſunt qui dicunt. Caulis fractus facillime callo obducitur, inciſus vero, gummi perlucens flavum & odoratum fundit: apparet etiam in floribus reſinoſum quiddam, Terebinthinam ſubſtantia & odore referens, unde plantam vulnerariam eſſe colligunt.*

Chryſanthemi *tuberoſi radices culinariæ ſunt. A* Petro Laurembergio, *& aliis multum æſtimantur: coctæ cum ſale, pipere, & butyro, pro alimento ſalubri & bono habentur; aut in artocreis cum carnibus pinguioribus piſtæ, ſale aromatibuſque additis commendantur. Sed nimis flatulentas eſſe alii exiſtimant.*

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Chryſanthemæ petalis umbonem cingentibus.

CAPUT X.

Adonis flore luteo.

TABULA IX. SECT. VI.

Adonis perennis præcox flore luteo { *caule plano.* / *caule geniculato.*

1. ADonis *præcox perennis flore luteo, caule plano, Nobis. Buphthalmum, Dod. Pſeudo-Helleborus niger, Cluſ. Buphthalmum ſive Helleborus niger ferulaceus, Ger. Buphthalmum, Dod. Aliis Conſiligo tenuifolia, J. B. Helleborus niger Theophraſti, Adv. Icon. Lob. Park. Helleborus Hippocratis, Tab. Helleborus niger ferulaceus Buphthalmi flore, C. B. P.* Huic ſtirpi è *radicibus* ex multis fibris nigricantibus, tenuibus, longis in capitulum congeſtis, cauliculi exeunt tenues pedales, aut dodrantales, quibus *folia* dilute viridia, brevia, ferulacea tenuiter diſſecta adhærent: *Flores* in cauliculorum ſummis ampli, iis *Calendulæ* majoris ſimiles, colore *Gambogii* luteo ſplendido, ſtaminulis in medio concoloribus, cum duplici petalorum ſerie umbonem ſeu medium cingentium: quibus deciduis, *capitulum* oblongum, ex multis *ſeminibus* ſolidis, oblongis, & angulosis, ſimul in brevem ſpicam ſubrotundam congeſtis ſuccedit. *V. icon. tab. æn. 9.*

Menſibus Februarii & Martii flores profert. Sponte ſua in Germaniæ & Bohemiæ *Provinciis locis incultis naſcitur. Apud nos in Hortis ob floris elegantiam colitur.*

2. Adonis *perennis flore luteo magno, caule geniculato, Nobis. Helleborus ferulaceus, ſive Pſeudo-Helleborus caule geniculato, flore magno Tulipæ inſtar, Mentzelii.* Priori accedit humilis hæc planta, *caulibus* ad genicula tumidis aut protuberantibus, raro ramoſis, qui *flores* concolores ampliores ſuſtinent. *V. icon. tab. æn. 9.*

In Marchia Brandenburgenſi, *circa* Francofurtum, *copioſiſſime creſcere obſervavit Doctiſſimus* Mentzelius, *iconemque ejuſdem poſt Indicem ejus elaboratiſſimum edidit.*

SECTIONIS

SECTIONIS SEXTÆ

Diſtributio Secunda.

DE PLANTIS CORYMBIFERIS

Eranthemis, ſeu floribus rubris præditis.

CAPUT XI.

Adonis, *ſeu* Flos Adonidis.

ADonidis *Floris meminit Ovidius* 10. *Metamorph. qui* Anemone *eſſe à multis creditur, quamvis aliqui huic nomen illud contribuant. Hæc Planta ad* Ranunculos *accedit; ſed cum Ranunculi flores plerunque ex quinis petalis conficiantur, & flos hujus ex pluribus ac incerto numero, (quod & aliis hujus ſeriei accidit) diſcum ambientibus conflatus ſit; cumque ſeminibus ſolidis quadrangularibus gaudeat, huc ad plantas conſortes reducere voluimus. Quibuſdam, à floris flammeo igneoque colore* φλὸξ Theophraſti, *dicitur: Qui lib. Hiſt. 6. plantam hanc vernis floribus accenſet.*

Adonis eſt planta *foliis* tenuiſſime diſſectis, *flore* ſtellato, petalis latiuſculis ambientibus umbonem ex plurimis ſtaminulis nigreſcentibus, compoſitum; quibus ſuccedunt ſpicatim plurima *ſemina* anguloſa, ſolida, acinis uvarum ſimilia; cujus tres ſunt ſpecies floribus rubicundis ſeu phœniceis donatæ, de quibus jam agimus.

TABULA X. SECT. VI.

Adonis annuus { *vulgaris flore minore ruberrimo.* ☿. *flore ampliore phœniceo.* ☿. *tenuifolius flore minimo ſpica longiſſima.* ☿.

1. Adonis *æſtivalis flore minore ruberrimo, Nobis. Flos Adonis vulgo, Cluſ. Hiſt. Adonis recentiorum, Obſ. Lob. Flos Adonis, eidem icon. Cam. Ger. Eranthemum, Dod. Cauliculos* profert à *radice* fibroſa ramoſos, in alas ſubinde diviſos, ſtriatos, virentes, pedales & altiores: *folia* tenuia *Chamæmeli* aut *Cotulæ fœtidæ* foliis ſimilia; *Flores* ad caulium extremitates non magnos emittit, inſtar florum *Ranunculi*, pulchros, minii coloris rubentis, cum umbone in medio nigricante, unde aliquando *Phaſiani oculus* nominatur; *Flores* ſequitur *capitulum* oblongum ſeu conicum, ex multis *ſeminibus*, ex rotunditate quadrangularibus, oblongis, ſolidis, acuminatis, conglobatum, colore ex virore ſubnigricantibus: odorem habet herbaceum hæc herba, aliquantulum gravem, ſed minus quam Cotula. *V. icon. tab. æn.* 8.

Naſcitur pluribus Europæ *Provinciis in arvis. Æſtivis menſibus floret, ſeminaque in poſterioribus perficit, unde ſponte ſua ſatis prompte renaſcitur.*

2. Adonis *ſylveſtris flore phœniceo, ejuſque foliis longioribus, C. B. P.* A priore diſtinguitur primo altitudine *caulium*, & latitudine *foliorum*, *ramis* paucioribus; ſecundo petalis *florum* longioribus, dilutius rubentibus, ſeu Phœniceis; tertio *ſeminibus* majoribus. *V. icon. tab. æn.* 9.

In hortis Pariſienſibus *occurrit hujus varietas unguibus florum nigricantibus, aliquando etiam floribus luteis invenitur.*

3. Adonis *tenuiſſimo folio, flore minimo, ſpica longiſſima.* Erecta hæc planta *cauliculis* tenuiſſimis æque ac *foliis* prædita eſt. *Flores* ex paucioribus ac minoribus petalis raro perfecti cernuntur; & ſpica ſeminalis quæ ad biuncialem aut triuncialem longitudinem extenuatur, è *ſeminibus* cæterorum multo minoribus conficitur.

Semina hujus ex Italia *accepimus. V. icon. tab. æn.* 9.

SECTIONIS SEXTÆ

Diſtributio Tertia.

DE PLANTIS CORYMBIFERIS

Seu Corymboſis Leucanthemis, id eſt, Florum petalis albis donatis.

Bellis, Matricaria, Pyrethrum, Chamæmelum, Milleſolium, Dracunculus pratenſis ſive Ptarmica, & Ageratum.

CAPUT XII.

BEllis *& Bellius flos,* Plin. *à bello floris colore,* βέλιον, πόλιον ὀρεινόν. *Jung. Vel* Bellis *quaſi* βιαλλὶς, i. e. βίου ἄλλον πιῶσα, *quia reducere in vitam mortuos videtur. Ad* Conſolidam minorem, *quidam eam referunt.*

Bellidum familia in duas claſſes dividenda eſt; nam vel πολύκλων *eſt, plures* flores *in eodem* caule *proferens; vel* μονόκλων, *quæ* flore *unico in ſingulis cauliculis donata eſt.*

Bellis eſt planta Corymboſa, ſtellata, odoris inſignis expers, *foliis* multis per terram ſtratis, florem ex plurimis petalis albis cingentibus umbonem aureum conſtantem gerens: cui deciduo multa *ſemina* ſolida, tenuia, ſuccedunt.

TABULA XI. SECT. VI.

Bellis polyclonos

foliis integris

1. *Sylveſtris major caule folioſo, C. B. P. Bellis major, Trag. Matth. Ger. Quæ valde variat.*
2. *Pyrenaica folio latiſſimo, flore maximo, Schol. Bot. Par.*
3. *Virginiana denſiori folio, Moriſ. Prælud. Bot.*
4. *Alpina major rigido folio, C. B. P. & Prod.*
5. *Alpina major rigido folio breviori & latiori, H. L. Bat.*
6. *Alpina minor rigido folio, Park. Alpina minor, C. B. P.*
7. *Montana folio obtuſo crenato, C. B. P.*
8. *Sylveſtris folio craſſo & villoſo, Schol. Bot. Par.*
9. *Montana folio acuto, C. B. P. & Prod. Montana minor, J. B. Magnol.*
10. *Montana gramineis foliis, Magnol. Hort. Reg. Par.*
11. *Elatior radice repente, foliis ſerratis & acutis, Prælud. Bot.*
12. *Maritima foliis Agerati, C. B. P. & Prod. Bellis pumila crenata Agerati æmula, crenis bicornibus aſperiuſculis, D. L. Pl.*
13. *Africana Myrtifolia humilis.*
14. *Major Mexicana Doriæ foliis ſerratis, Tlally yetl, Recchi.*
15. *Alba ramoſa Luſitanica, Park.*
16. *Petalis carens ſive nuda, Park. Bellis ſpinoſa, Proſp. Alp.*
17. *Indica decapetalos foliis oblongis dentatis, Cajenneam, Hort. Mal. Part. 10. Tab. 41.*

foliis diviſis

perennis

18. *Tanaceti folio minor flore majore, Nobis. Tanacetum inodorum flore majore, C. B. P.*
19. *Tanaceti folio major & elatior flore minore, Nobis. Tanacetum inodorum montanum minore flore, C. B. P.*
20. *Matricariæ folio, Nobis. Ptarmica Alpina Matricariæ folio, Triumfetti.*
21. *Montana foliis Chryſanthemi Cretici anguſtioribus, Magnol. Append.*
22. *Americana trifoliata glabra.*

annua

23. *Africana Coronopi folio, floribus nudis compactis, Nobis. Chryſanthemum corymbiferum Africanum, Triumf.*
24. *Capitulo aphyllo luteo Coronopi folio, cauliculis procumbentibus, Hort. L. Bat.*

Bellis monoclonos

25. *Caule bipedali nudo, foliis magnis latis, floribus rubris & albis, Mentzelii.*
26. *Media montana, Nobis. Media, Matth. Lugd. Cluſ. Sylvatica, J. B. Sylveſtris media caule carens, C. B. P.*
27. *Hortenſis pediculo folioſo, C. B. P. & Prod.*
28. *Foliis valde exiguis, caule procero nudo, flore albo, Mentz.*
29. *Minor pratenſis ſeu vulgaris, Dod. Adv. Lob. Sylveſtris minor, C. B. P. Minor ſylveſtris ſpontanea, J. B.*
30. *Minor hortenſis flore pleno, eoque magno vel parvo, C. B. Bellis hortenſis flore multiplicato, J. B.*
31. *Minor hortenſis prolifera, Cam. Bellis variegata, Eyſt.*
32. *Minor hortenſis flore pleno fiſtuloſo.*
33. *Minima annua, Triumfetti.*

Bellides majores foliis integris.

1. Bellis *polyclonos ſylveſtris major caule folioſo, Nobis. Bellis ſylveſtris, Fuchſii. Bellis major, Trag. Matth. Dod. Lugd. Ger. Adv. Lob. Eyſt. Oculus bovis, Brunfelſ. Bellium majus, Tab. Bellis ſylveſtris caule folioſo major, C. B. P. Folia* à *radice* fibroſa per terram ſparguntur, ad appoſitionem anguſta, & ſeſe in digitalem fere latitudinem dilatantia, rotunda evadunt, ſerrata: *caules* promit tenues, ſtriatos, pedales, aut cubitum altos, foliis anguſtioribus & dentatis, ad medium veſtitos, & in plures cauliculos ſe dividentes. *Flores* in cauliculorum ſummitatibus, per circumferentiam candidos profert, medio luteos, umbone ex plurimis *floſculis* & ſtaminulis, luteis conſtante, nullius fere odoris: quibus marceſcentibus, *ſemina* oblonga, tenuia, curvata, ſolida, ſequuntur. *V. icon. tab. æn.* 8.

Frequenter in pratis, & ſecus agrorum margines, locis non apricis invenitur.
Omnibus æſtivis menſibus floret; radixque vivax eſt.
Varietates hujus plantæ, interdum pro ſpeciebus diverſis, accipiuntur, v. g.
Bellis *ſylveſtris major caule rubente hirſuto, Sutherland. Cat. Edinb. Hort. L. Bat. App. Foliis etiam diſſectioribus, & acutioribus, aliis rotundioribus & obtuſioribus. Flore* nonnunquam *gemino*; etiam *pleno*; ſed rariſſime reperitur, ut *C. B.* obſervat. Ac his forſitan haud inepte adjiciantur, *Bellis montana foliis Coronopi laciniis ſive denticulis rarioribus & magis extantibus, D. Pluk. Bellis Chryſanthemi ſegetum folio, D. Hans Sloan. Bellis Alpina foliis profunde diſectis.* Et *Bellis Alpina foliis laciniatis,* Schol. Bot. Par.

2. Bellis

2. Bellis *Pyrenaica latiſſimo folio flore maximo, Schol. Bot. Par. Bellis Pyrenaica denſo fragilique folio, Cat. Par. Joncquet.* Cum priori convenit; ſed in omnibus magnitudine ſuperat, cauliſque hirſutior eſt. *Flores* ampliores duplici aut triplici petalorum ſerie ornati ſunt. In *montibus Pyrenaicis*, à Pariſienſibus detecta eſt, & à prædicto *D. Sherard*, cujus ſtudio indefeſſo in re Botanica multum debemus, nobiſcum communicata eſt; & in Horto ad altitudinem quatuor aut quinque pedum crevit.

3. Bellis *Virginiana denſiori folio, D. Moriſ. Prælud. Bot.* *Folia* habet latiora, ſerrata, denſiora, quam ulla *Bellidum* ſylveſtrium majorum; majoreſque fert flores.

4. Bellis *Alpina major rigido folio, C. B. P. & Prod. Park. Bellis Alpina major foliis anguſtis rigidis, J. B. Bellis Alpeſtris major denſiore folio, Cæſalp. Hort. Pat. à Turre.* Ex *radice* nigra, aliquomodo repente, ab una parte fibras ſpargente, & lignoſa, *caulis* rotundus, ſtriatus, cubito altior exſurgit; circa quem *folia* pediculis carentia, quinque vel ſex uncias longa, vix unciam lata, rigida, partim obtuſa, partim ex rotunditate acuminata, per circumferentiam profunde crenata, nulloque ordine diſpoſita exeunt: in *caulis* ſummitate *flos* unicus, *Bellidis* majoris vulgaris flore major conſpicitur. *In monte* Baldo *provenit*. *V. icon. tab. æn.* 8.

5. Bellis *Alpina major rigido folio breviori & latiori, Hermanni, H. L. Bat.* Hæc præcedente humilior & tenerior eſt, *foliis* latioribus, brevioribus, magis reflexis, *floribuſque* minoribus.

6. Bellis *Alpina minor rigido folio, Park. Alpina minor, C. B. P. & Prod.* E *radice cauliculus* unus vel alter lævis, ſemipalmaris incurvus prodit; quem cingunt *folia* rigidiuſcula, anguſta, brevia, per ambitum profundis, & aſperiuſculis crenis donata: *cauliculo* ſummo, *flos* unicus magnus, diſco luteo, aliquando purpuraſcente, petalis albis, multis cincto, inſidet.

In Alpibus Helvetiorum *provenit, ut in* Valeſia *ſupra* Gemme, *& ſupra* Thermas Fabarias. Aliquando tota planta vix uncias duas ſuperat: ſed in Hortos tranſlata in majorem altitudinem aſſurgit, *cauliſque* ſe dividit.

7. Bellis *montana folio obtuſo crenato, C. B. P. & Prod. Bellis montana incana & crenata, foliis & crenis obtuſis, D. L. Pl.* *Folia* ſunt anguſta, longiſſimis pediculis donata, per margines rotundis denticulationibus crenata, obtuſa, in tres apices deſinentia.

Monſpelii *verſus* Vigan *reperitur, & inter rupes umbroſas in deſcenſu* Montis Capouladou, *à* las Cambrettes, D. Magnol.

8. Bellis *ſylveſtris folio craſſo & villoſo, Schol. Bot. Par.* Hæc ad priorem accedit, *folia* vero ſpiſſiora, & hirſutiora ſunt.

9. Bellis *montana major folio acuto, C. B. P. & Prod. Montana minor, J. B. Magnol.* Hæc *cauliculo* eſt breviore, *foliis* etiam brevioribus, duplo triplove anguſtioribus, levius crenatis, nec rigidis, in acumen exquiſitum deſinentibus. *V. icon. tab. æn.* 8.

In montibus Euganeis *collecta eſt.*

10. Bellis *montana gramineis foliis, Magnol. in App.* Hujus *radix* vivax eſt, fibroſa; è qua plurima prodeunt *folia* longa, anguſta, & graminea, leviter extremitatem verſus crenata, rigidiuſcula: *caules* ſunt ſeſquipedales, in quibus *folia* ſine ordine cæteris anguſtiora, villos quoſdam pro denticulis habent: *flos* in quolibet *caule* apparet unicus, cum umbone luteo plurimis petalis albis cincto.

Oritur in planitie montis Serani, *& Maio flrret.*

11. Bellis *major radice repente foliis latioribus ſerratis, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Hæc omnium Bellidum majorum *folia* habet latiſſima, maximeque ſerrata; *Flores* itidem maximos, *radices* longe lateque ſub terram repentes; humanam altitudinem fere aſſequitur. *Vid. icon. tab. æn.* 9.

12. Bellis *maritima foliis Agerati, C. B. P. & Prod. Bellis pumila crenata Agerati æmula, crenis bicornibus, aſperiuſculis, D. L. Pl.* *Cauliculus* pilis læviſſimis aſperſus, in binos ternoſve ramulos tenues dividitur, quorum unus ſex, alii tres uncias non excedunt; ad quorum partem inferiorem, pauca & anguſta foliola *Agerati* foliorum inſtar ſerrata ſunt, & ut Curioſiſſimus *D. Pluknet.* obſervat, crenæ duobus punctis terminantur; ſuperiore, & majore cauliculorum parte, *foliis* carente: ſinguli cauliculi unicum *florem*, qui parvus eſt, diſco viridi, petalis albis, obtuſis, pluribus quam viginti cinctum ſuſtinent.

Hæc copioſe in Inſularum Stœchadum *arenoſis provenit.*

13. Bellis *Africana Myrtifolia humilis flore folioſo.* E *radice* fibroſa reſtibili aſcendit *caulis* erectus, rotundus, dodrantalis, in brachia quædam diviſus; foliis mucronatis *Myrti* amplioris æmulis ornatus, quorum aliqua binatim, alia inordinatim caulibus apponuntur: ſummus *caulis florem* diſcoideum, ex petalis plurimis albis, diſcum luteum cingentibus conflatum, profert; cui foliola ſex viridia acuminata pro calyce ſubſunt, quæ petala longitudine ſuperant.

Rara hæc Planta, cum aliis non minus curioſis, in Africa *detectis, vivis coloribus accuratiſſime depicta eſt, & pro Honorario, à Senatoribus* Amſtelodamenſibus, *Reverendiſſimo in Chriſto Patri* D. D. H. Compton *Epiſcopo* Londinenſi *Illuſtriſſimo, & Scientiæ Botanicæ Ornamento, Mecænati atque Fautori longe digniſſimo, oblata eſt, quam ſecum è* Batavia *non ita pridem attulit, & nobiſcum benigne communicavit.*

14. Bellis *major Mexicana Doriæ foliis crenatis, Tlally yetl, Recchi.* *Folia* habet multa longa, in medio unciam unam aut alteram lata, ſerrata, & acuta: *caulis* erectus ramoſus eſt; *flores* albis petalis, umbonem luteum *Bellidum* cæterarum ritu cingentibus ſepti ſunt.

15. Bellis *alba ramoſa Luſitanica, Park.* Ad *Bellidem minorem vulgarem* accedit; *folia* paria profert, profundius tamen crenata, quæ in cauliculos etiam ſparguntur; è quorum ſinubus, cauliculi alii erumpunt; *flores* etiam albos, ſed majores proferentes.

16. Bellis *major ſpinoſa petalis carens ſive nuda, Park. Bellis ſpinoſa, Proſp. Alp. Spinoſa elatior & fruticoſior Herbariorum bullatis aureis floribus, Adv. Lob. part. alt. Bellis ſpinoſa foliis Agerati, C. B. P.* Ligneſcit fere hæc Planta & tota hyeme fronde viret. *Caulis* multis *foliis* aliquomodo rigidis, inordinatim diſpoſitis, dentatis & fere ſpinoſis, ex anguſtia in rotunditatem deſinentibus, veſtitus pedalis aut ſeſquipedalis eſt, qui in varias ramificationes dividitur: *Flores* in extremis caulibus, bullati, nudi, lutei, abſque petalis eos cingentibus, ut in cæteris, ſuſtinentur; & *ſemina* longa, curva, fuſca, in capitulis ſquamatis ſuccedunt. *Vid. icon. tab. æn.* 9.

17. Bellis *Indica decapetalos foliis oblongis dentatis, Cajenneam, Hort. Mal. Part.* 16. *Tab.* 41. *Radiculis*

 donatur

donatur albicantibus & fibroſis, quæ ſaporis ſunt ſubacris, quibus aquoſis & udis locis ſe affigit. *Caules* quatuor quinqueve pedum altitudine, geniculati ſunt, pilis raris obſiti, ad tactum ſubaſperi. *Folia* ex geniculis bina & bina proveniunt, oblongo-anguſta, in margine tenuiter crenata, aſpera, tenuia. *Flores* parvi, decapetali, candidi, unguiculis ſuis capitulo medio, plano, rotundo, viridi circumpoſiti. *Calyce* excipiuntur decem cuſpidatorum & viridium foliorum. *Semina* in capitulo rotundo-plano continentur numeroſa, oblongo-anguſta, plana, nonnihil convexa.

Bellides majores foliis diviſis.

18. Bellis *Tanaceti foliis minor flore majore, Nobis. Tanacetum inodorum flore majore, C. B. P. Tanacetum inodorum primum, vel ampliore flore, Cluſ. Pan. & Hiſt.* Gracilibus firmis, duris, cubitalibus, interdum vero ſeſquicubitalibus aſſurgit *caulibus*; per quos rara ſunt ſparſa *folia* pennata, ſeu alata, *Tanaceti vulgaris* non admodum diſſimilia, odoris tamen expertia, guſtu linguam vellicante & fervido; prope *radicem* majora atque hirſuta: *Caulis* ſummo faſtigio in aliquot breves ramulos nudos dividitur, quibus corymbatim inſident *flores Bellidis majoris primæ* floribus ferme æquales, octodenis aut vicenis petalis latis albis, medium umbonem flavum ambientibus per circumferentiam, ut in *Bellide majore vulgari:* quibus emarceſcentibus ſuccedunt plurima arcte ſibi juncta longiuſcula *ſemina* nigra anguloſa. *V. icon. tab. æn.* 8.

Provenit fere in omnibus Pannoniæ, & Auſtriæ *montibus humilioribus, ſylviſque cæduis; & in Hortis culta, ſatis fæliciter pangendo creſcit.*

19. Bellis *Tanaceti folio major & elatior, flore minore, Nobis. Tanacetum inodorum montanum flore minore, C. B. P. Tanacetum inodorum* 2. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Tanacetum Leucanthemum, Tab.* Plantæ antecedenti hæc haud diſſimilis eſt; altius attollitur; *flores* profert minores; folia vero conſimilia. *V. icon. tab. æn.* 8.

20. Bellis *perennis Matricariæ folio, Nobis. Ptarmica Alpina Matricariæ folio, Triumfetti. Forte Dracunculus Alpinus folio Scabioſæ, C. B. P. Park.* Rara hæc planta *foliis* accedit ad *Matricariam vulgarem,* alatis, & acutioribus tamen; eſt etiam odoris expers, prout cæteræ *Bellidum* ſpecies: *Flores* plurimi corymbatim diſpoſiti in apicibus naſcuntur albi, petalis brevibus, & latiuſculis umbonem cingentibus donati. Et cum *radix* non repat, nec in medio floris umbo conſpiciatur nigricans, huc potius quam ad *Ptarmicas* retulimus.

In aſperioribus Mutinenſium Alpibus *ſponte naſcitur, & in Hortis* Romanis *alitur; & 30. abhinc annis, in Hortis* Capuccinorum Blæſis, *atque etiam in Horto Regio* Bleſenſi *culta fuit.*

21. Bellis *montana major foliis Chryſanthemi Cretici anguſtioribus, Magnol. App. Radices* fibroſæ perennes, plurimos *caules* producunt cubitales, ſtriatos, in ramulos diviſos; *folia* ſecundum ramulos in profundas lacinias diviſa ſunt, & varie diſſecta; extremis ramulis *flos* magnus inſidet, cujus pars inferior, ex plurimis foliolis viridibus, ſquamatim diſpoſitis componitur; ambiunt umbonem luteum pluſquam triginta petala lata alba, in extremitate leviter ſerrata; *ſemen* habet aliarum more.

Julio menſe floret in depreſſis, & fere inacceſſis locis montis Calcaris *in loco dicto* Barroc, *juxta fluvium; ut obſervavit Curioſiſſimus* D. Magnol.

22. Bellis *major Americana fruteſcens trifoliata glabra, Nobis. Chryſanthemum Americanum Ciceris folio glabro, flore Bellidis majoris, Paradiſ. Bat. Prod. D. Pluk. Alm.* Nova hæc planta *viticulis* aſſurgit lignoſis, imbecillibus, vix ſe ſuſtentantibus; ſed *Bacilli* adjumento humanam altitudinem aſſequitur; ad genicula, ex adverſo, naſcuntur *foliola* terna dentata, *Ciceris triphylli* aut *Anonidis* apprime repræſentantia, pediculis ſemuncialibus aut uncialibus caulibus adnatis; & interdum cum quinis *foliolis* pentaphylla cernitur: *Flores* in apicibus ampli ſunt, petalis denis, aut circiter, albis, umbonem luteum cingentibus, *Bellidam* ritu circumdati.

In Hybernaculo Horti Regii Hamptonienſis *luxuriat, & perpetuo fronde viret. Interdum* floribus purpuraſcentibus *variat.*

23. Bellis *polyclonos annua Africana Coronopi folio, floribus nudis, compactis, Nobis. H. L. Bat. in App. Chryſanthemum corymbiferum Africanum Triumfetti, Obſ. Ageratum Africanum foliis laciniatis inodorum, Raii, Eliochryſum inodorum glabrum Coronopi folio annuum Magnoli, H. L. B. p. 227. Breyn. prod. Ageratum Perſicum fol. laciniat. ejuſdem, p.* 9. Ex anguſto principio, pediculum unciale mentiente, ſe in unguis humani latitudinem aut *Saxifragæ albæ* fere in ſubrotundam formam extendentia, ſpiſſa, crenata, pallide viridia ſunt *folia* inferiora, à *radice* fibrata provenientia; quæ ſecundum cauliculos dodrantales ſtatim à *radice* divaricatos, ac ſub eorum exortum enaſcentia, in longiores & tenuiores lacinias *Coronopi* in modum ſenſim dividuntur. Summi *caules* corymbos *floſculorum* luteorum, nudorum, ſuſtinent, qui inodori ſunt; & *ſemina* oblonga, tenuia, ſolida curva ſequuntur; quibus perfectis radicitus perit, & è *ſemine* quotannis renovatur. *Hæc à* D. Magnol, *in Append. ſua ad Botanicum* Monſpel. Elichryſum *nominata eſt, ſed cum ſemina ei ſint ſolida, curva, non pappoſa, ad congeneres reduci debet.*

24. Bellis *annua capitulo aphyllo luteo, Coronopi folio, cauliculis procumbentibus, H. L. Bat. Chryſanthemum Capitis Bonæ ſpei repens flore aphyllo, Breyn. Chryſanthemum Tingitanum minimum procumbens foliis verſus imum dentatis, floſculo nudo cernuo, Moriſoni. Bellis Africana Coronopi folio flore nudo, Ciaſſi. Cauliculi* hujus plantulæ per terram ſtrati ſunt ſemipedales; genicula alternatim amplectuntur *folia*, verſus imum lata & dentata, ſurſum verſus in acutum mucronem deſinentia; ſingulus cauliculus nudus, ſingulum *capitulum* rotundum aureum, nudum, cernuum, profert, ſine petalis radiatis; quo dilapſo plurima *ſemina* minuta, ſolida, ſublutea, ſuccedunt. Icon ejuſdem in Tabula 6. inter *Chryſanthema* exhibetur: ſed ob ſeminis tenuitatem & pallorem, ſententiam mutavimus, & ad congeneres reducere maluimus. *V. icon. tab. æn.* 6.

Bellides minores, ſeu non ramoſæ.

25. Bellis *caule pedali aut bipedali nudo, foliis magnis latis, floribus rubris & albis, Mentzelii. Folia* profert integra, digitalis aut amplioris longitudinis, & uncialis aut biuncialis latitudinis, ſinuata, lævia; *caulis* nudus erectus, procerus, *florem* album, interdum cum rubedine mixtum ſimplicem, diſcoideum, ſuſtinet.

In Alpibus *circa* Inſpruk, D. Mentzelius *collegit. V. icon. tab. æn.* 9.

26. Bellis *monoclonos media montana, Nobis. Bellis ſylvatica, J. B. Media, Matth. Lugd. Cluſ. Hiſt. Media*

ſylveſtris, Ger. Media caule carens, C. B. P. E *radice* pullulat haud ſecus fibroſa quam minor Bellis, ſed craſſiore & nonnihil ligneſcente; *folia* vero majora, oblonga, per extremum rotunda, & in ambitu nonnihil ſerrata, hirſuta, ſubinde etiam rubentia, longo pediculo donata ſunt. *Cauliculi* ex *radice* nudi aliquot exeunt dodrantales aut pedales, ac majores; *Florem* ſinguli unicum ſuſtinent, *Bellidis majoris* ſimilem, ſed paulo minorem, petalis radiatis albis, diſco luteo. *V. icon. tab. æn.* 8.

In paſcuis montium Alpeſtrium & *prope* Genevam *provenit.*

27. Bellis *hortenſis pediculo folioſo, C. B. P. & Prod.* Hæc à communi hortenſi in eo tantum differt, quod pediculus, qui leviter hirſutus, *foliolis* oblongis, ſubrotundis, duobus aut tribus longe diſtantibus cingatur, & *flori folia* quina ſubjiciantur.

In hortis reperitur, ut *Caſp. Bauh. in Prod.* meminit. A plantæ luxuria fortaſſe perficitur hæc variatio.

28. Bellis *foliis valde exiguis, caule procero nudo, flore albo.* Hanc etiam ſpeciem *D. C. Mentzelius* in montoſis circa *Inſpruk* detexit. *V. icon. tab. æn.* 9.

29. Bellis *minor pratenſis ſeu vulgaris, Dod. Adv. Lob. Sylveſtris minor, C. B. P. Minor ſylveſtris ſpontanea, J. B. Folia* à *radice* fibroſa alba, pediculo longo adnata ſubrotunda & carnoſa prodeunt; *cauliculi* palmares nudi ſinguli ſingulos *flores* albos ſuſtinent, nonnunquam cum rubedine commixtos: Planta hæc omnibus adeo nota & familiaris eſt, ut non opus ſit prolixiori deſcriptione. *V. icon. tab. æn.* 8.

30. Bellis *minor hortenſis flore pleno, eoque magno vel parvo, C. B. P. Bellis hortenſis flore multiplicato, J. B. Hortenſis flore pleno diverſorum colorum, Park.* Priorem vulgarem *foliis* modoque creſcendi æmulatur, *flores* vero duplici, triplici, & multiplicata petalorum ſerie naſcuntur, adeo ut loco umbonis in medio, totus flos petalis plenus ſit; aliquando major, quandoque minor apparet, coloris albi, cum unguibus rubris, carneis, &c. interdum rubri, & verſicolore varietate inſignitus; *flore* etiam herbaceo occurrit, ut in *Prælud. Bot. Vid. icon. tab. æn.* 8.

31. Bellis *minor hortenſis prolifera, Cam. Bellis hortenſis prolifera, C. B. P. Suaverubens viridiſque prolifera, Lob. icon. Variegata, Eyſt.* Hæc pro varietate, & luxuriantis naturæ luſu habenda eſt: eandem diutiſſime præ ſe fert indolem, in productione *florum* multiplicium; è quorum circumferentia *flores* alii multiplices, aſt minores, pediculis uncialibus aut biuncialibus adnati, protruduntur. *V. icon. tab. æn.* 8.

32. Bellis *minor hortenſis flore pleno fiſtuloſo.* Petala non compreſſa latiuſcula, uti antecedentes, ſed fiſtuloſa, cava, producit; *floribus* donatur rubris, interdum albis.

33. Bellis *minima annua, Triumfetti. Folia* minoris vulgaris haud diſſimilia ſunt, minora tamen ac pauciora, amplitudinem unguis minimi digiti rarius excedunt, inter quæ cauliculi ad trium circiter unciarum altitudinem aſſurgunt, vulgari filo vix craſſiores: *flores* albos ſimplices, non duplici petalorum ſerie, prout in vulgari profert.

In locis herbidis Romanis *frequens eſt, & quotannis è ſatione ſua ſpontanea copioſe naſcitur.*

De aliis quæ a quibuſdam Bellides nominantur Annotatio.

Bellis *ramoſa umbellifera Cornuti.* Bellis *major ramoſa umbellifera, Americana, Park.* Cum ſemina proferat pappoſa, inter Aſteres quærenda.

Bellis *cærulea caule nudo, C. B. P. Aphyllantes, Lugd.*

Bellis *cærulea caule folioſo, C. B. P. Bellis major flore cæruleo, Eyſt.*

Bellis *ſpinoſa cærulea, C. B. P. & Prod.* De his conſule Scabioſas.

Bellis *lutea foliis profunde inciſis major, & minor, C. B. P.*

Bellis *lutea foliis ſubrotundis, C. B. P. Bellis major, J. B.* Chryſanthema ſunt.

Temperamentum & Vires.

Bellidis *folia humectandi, refrigerandique facultate donata ſunt; dolores omnes articulares ac podagricos, ex calido & ſicco humore oriundos, mitigant.*

Flores *majoris diuretici ſunt: in Hydrope & ſanguine congrumato diſſolvendo uſus egregii: hinc in Pleuritide ab Helmontio commendantur; imprimis ſi poſt nimiam incaleſcentiam frigori ſuſcepto debeatur.* D. D. Michel *coquum aſthmaticum ſucco ex tenellis foliis recenter expreſſo, & in vino propinato, per ſudorem curavit. Conſerva etiam* florum *contra Fluorem album vulgo commendatur.*

Bellidis *minoris folia magni uſus inter vulneraria, unde Conſolida nominata eſt: ad ſtrumas & ſcrophulas cum ſucceſſu adhibentur.*

Tinctura cum ♂ ⊕ *in febribus ardentibus egregia eſt, ſed majori doſi quam vulgo ſolet exhibita ad guttas ſc.* 50.

PLANTÆ

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Leucanthemæ.

CAPUT XIII.

Matricaria *ſeu* Parthenium.

Παρθένιον *quaſi planta virginalis, quod morbis mulierum uterinis medeatur, (hinc vulgo* Matricaria,*)* Dioſc. *l.*3.*c.* 155. *cui &* ἀμάρακον, *ut &* Galeno & Æginetæ. Plinius & Artemiſiæ,& Mercuriali, & *huic,* Parthenii *nomen tribuit: at de* Matricaria *agit l.* 25. *quam in Hortorum ſepibus flore albo naſci ſcribit. Aliis Græcis* χαμαίνθης *à gravi odore. Alii plantam camphoratam ab odore appellavere. Oculus ſolis, & etiam* Matronella, Amarella *vulgo dicitur, quaſi amara illa; ideo nonnulli propter amaroremi,* Amaracum *nuncupatum eſſe indigitant.*

Matricaria eſt Planta *Corymbifera* leucanthema, foliis latiuſculis dilute viridibus, & graveolentibus, ſeminibus tenuibus ſolidis donata.

TABULA XII. SECT. VI.

Matricaria
- *noſtras ſivæ Europea*
  1. *Vulgaris, C. B. P. Parthenium, Matth. Dod. Geſn. Thal. Amaracus Galeni.* ⊙ *Ejuſque varietates.*
  2. *Bullatis floribus ſive nuda, Moriſ. Prælud. Bot. Matricaria flore aphyllo, Hort. Reg. Par.* ⊙.
  3. *Odoratior, C. B. P. Artemiſia tenuifolia odorata, Tab.*
  4. *Marina ſive Parthenium marinum, Adv. Lob. Chamamelum marinum, J. B.*
- *Exotica*
  5. *Inodora, C. B. P. Park. Achoavan Parthenium inodorum, Proſp. Alp.* ⊙.
  6. *Japonica flore minore albo ſimplici, Breyn. Prod.*
  7. *Japonica maxima flore roſeo ſive ſuaverubente pleno elegantiſſimo, Breyn. Prod. 2. Kycknophane Japonenſibus.*
  8. *Indica latiore folio flore pleno, Tſjetti Hort. Mal. Part.* 10. *Tab.* 44.

1. Matricaria *vulgaris, C. B. P. Matricaria, Trag. Dod. Lugd. Cæſ. Cam. Ger. Brunf. Matricaria noſtras, Adv. Lob. Flore ſimplici, Eyſt. Parthenium, Matth. Dod. Gal. Geſn. Hort. Caſt. Thal.* Plures ſubinde *cauliculos* promit rotundos, in alas ac ramulos quoſdam diviſos; *folia* varie fiſſa ſeu diviſa, ambituque crenata, quorum prima & quæ ſunt terræ proxima, Artemiſiæ diviſuram æmulantur, pallida, & ex luteo virore: *Flores* in faſtigiis ramulorum eminent medio orbiculo ſine diſco luteo, quem petala alba lata per margines cingunt rotatim, ad inſtar radiorum, *Chamæmeli* floribus ſimiles: *Radix* durior, adnatis multis capillamentis fibratur. Tota herba grave olet, ac guſtu perquam amara eſt. *V. icon. tab. æn.* 10.

Naſcitur ad ſepes, & in hortis, ſecus veteres muros, locis gaudet ruderatis; Æſtivis menſibus viget ac floret, ſub autumnum ſemina fundit.

Hæc luxuriante natura, è *ſemine* ſato plurimas varietates progignit, quæ pro ſpeciebus diſtinctis à quidam numerantur, *v. g.*

1. Matricaria *ſylveſtris flore toto luteo, C. B. P. H. L. Bat.*
2. Matricaria *caulibus rubentibus, H. L. Bat.*
3. Matricaria *duplici aut triplici petalorum ſerie.*
4. Matricaria *flore pleno, C. B. P. J. B. Cam. Eyſt. Parthenium pleno flore polyphyllo flore, Cluſ. Pan. & Hiſt. V. icon. tab. æn.* 10.
5. Matricaria *florum petalis fiſtuloſis ſimplex. Et* Matricaria *foliis florum fiſtuloſis, H. Reg. Par.*
6. Matricaria *florum petalis fiſtuloſis ſimplex.*
7. Matricaria *petalis marginalibus planis, diſcoidibus fiſtuloſis, H. L. Bat.*
8. Matricaria *florum petalis perexiguis.*

2. Matricaria *bullatis floribus ſive nuda, Hort. Reg. Bleſ. Matricaria flore aphyllo, Hort. Reg. Par.* Hæc pro *flore* qui aliis ſtellatus eſt, umbonem luteum nudum gerit, abſque petalis radiatis. In cæteris cum vulgari convenit. Hoc etiam obſervatur in *Bellide, Chryſanthemo, Chamæmelo,* &c. *Vid. icon. tab. æn.* 10.

3. Matricaria *odoratior, C. B. P. Matricaria altera ex Ilva, Cam. Artemiſia tenuifolia odorata, Tab. J. B. cujus iconeam ſat bene repræſentat.* Prioribus aliquatenus ſimilis eſt, *folia* vero emittit non adeo pallida, ſed viridiora, acutiora, in tenuiora ſegmenta diviſa, *Tanaceti* folia prorſus æmulantia, & odore haud adeo gravi, ſed gtatiore: floribus & ſeminibus cum vulgari convenit. *A Venetiis accepimus.*

4. Matricaria *marina ſeu Parthenium marinum, Adv. Lob. Chamæmelum maritimum, J. B. Parthenium maritimum, C. B. P. Chamæmelum maritimum & Cotula marina quibuſdam, Hiſt. Lugd.* Exilibus palmaribus *caulibus* humi ſternitur hæc *Matricaria maritima,* quibus *folia Matricariæ,* ſeu *Bellidis majoris* quaſi diviſura, paululum incana, odore putidulo *Cotulæ vulgaris, floribus* eidem non diſſimilibus; *radices* habet profunde nigricantes. *V. icon. tab. æn.* 10.

Ad Ceſtii Narbonenſis *radices non procul à Piſcatorum attegiis oritur.*

5. Matricaria *inodora, C. B. P. Achoavan Parthenium inodorum, Proſp. Alp. Matricariæ vulgari* ſimilis eſt, non vero tam alte attollitur, & verſus ſuprema paulo latius expanditur: *foliis* eſt *Parthenii vulgaris* foliis minoribus & acutioribus, hirſutis; *floribus* etiam minoribus, *ſemine* pari, ſolido, anguloſo. Herba eſt ſaporis & odoris expers, ſed *flores* odorem gravem ſpirant. *V. icon. tab. æn.* 10.

Ægyptii

Ægypti *quibus hæc planta Patria eſt, (deſcribente* Proſpero Alpino,*) florum foliorumque decoctum in uſu habent ad tollendas viſcerum obſtructiones, præſertim ictericas.*

6. Matricaria *Japonica flore minore albo ſimplici.* Raræ hujus Plantæ cum nomen ſolummodo memoretur à *D. J. Breynio in Prodromo ſuo ſecundo, p. 66.* nec ulteriorem ejus deſcriptionem dederit, intactam præterire cogimur.

Eadem *flore pleno.* Hanc una cum priore *à Clariſſimo ten Rhyne* Auctor prædictus accepit.

7. Matricaria *Japonica maxima flore roſeo, ſive ſuaverubente pleno elegantiſſimo, Breyn. Prod. 2. Kycknophane Japonenſibus.* Corymboſarum radiatarum omnium formoſiſſima hæc planta eſt, atque *Japoniæ* inſigne decus: eadem minus fœtet quam *Matricaria vulgaris*, inque humanam ferme altitudinem fruticis ad inſtar procreſcit, multis ramis: *foliis* majoribus, longeque latioribus: *floribus* in ramulorum & caulis ſummo plerumque ſolitariis, *Roſæ* amplitudine, petalis ſeſquiunciam longioribus, palmum latis, in extremo frontatis, ſuaverubentibus, multiplici fœtu luxuriantibus; qui tamen in medio, luteum *diſcum* parvum, haud ſine jucundiſſimo aſpectu, & ſingularem huic plantæ gratiam conciliantem, commonſtrant. *Semina* ſolida iis Matricariæ vulgaris majora ſunt.

Variat floribus ſuaverubentibus, candidiſſimis, purpureis, luteoobſoletis, carneis, atque phœniceis.

8. Matricaria *Indica latiore folio flore pleno. Tsjetti, Hort. Mal. Part.* 10. *Tab.* 44. Luſitanis dicta *Aloſna de botao*, naſcens in arenoſis, odoris in totum aromatici. *Rami* rotundi, lignoſi, virides, albis lanuginoſis pilis denſe obſiti ſunt. *Folia* in oblongo-anguſtas lacinias profunde inciſa, viroris in recta parte ſaturi; in adverſa, valde villoſa, viridi-albicantia, ubi & coſtæ villoſæ eminent. *Flores* in petiolis oblongis, rotundis, tenuibus, ramoſis villoſis, ac viridi-albicantibus, qui bini, terni, quaterni ſupra exortum foliorum erumpunt, plures congregati videntur, ſuntque gemmæ virides, ſuperiori parte albicantes; petalis conſtantes cuſpidatis, viridibus, in quorum medio plura ſeſe offerunt viridi-flava ſtamina. H. M.

De aliis quæ a quibuſdam Matricariæ nominantur.

Matricaria foliis Abrotoni, C. B. P. Matricaria ſive Parthenium tenuifolium, Park. Parthenium σμυρνόφυλλον *Myconi & Lugd.* Vide inter Millefolia.

Matricaria Alpina Chamæmeli foliis, C. B. P. Parthenium Alpinum Cluſii, Pan. & Hiſt. Matricaria ſive Parthenium Alpinum, Cam. Park. Millefoliis etiam annumeranda eſt.

Temperamentum & Vires.

Matricaria *à matrice dicta, quod uteri, quem matricem vocant, morbis medeatur. Excalefacit inſigniter, extergit, expurgat, aperit, & quæcunque amara poſſunt fœliciter præſtat; ſapor amariſſimus cum acredine conjunctus; odor valde aromaticus, Camphoram olet.* Floyer.

Odor *penetrans, & ſapor acris indicia ſunt ſalis volat. penetrantis & acris, unde pituitam & mucilaginem viſcidam in vaſis uteri ſtabulantem, removet, incidit, & expulſioni aptam reddit: Hinc menſibus obſtructis, Lochiis remoratis, & aliis affectibus uterinis convenit.*

Atram bilem, & pituitam deorſum ducit; calculoſis & anheloſis utiliter bibenda exhibetur: ſeroſos, aduſtos ſalſos, melancholicos, & elephantiacos humores per inferiora educere, à doctiſſimis comprobatum eſt. Urinam evidenter ciet.

Ventris tineas expellit, intro ſumpta; quod de herba, & de ſucco expreſſo intelligendum erit: Aqua ſtillatitia: ſuccus, aut herba in pulverem redacta uſurpantur.

Frigidioribus febricitantibus cum ſucceſſu datur, unde Febrifuga *vulgo dicta eſt.*

Pecoribus etiam deficcatam cum ſale, adverſus inflationes, & difficultatem reſpirandi utiliter præbent mulierculæ veterinariæ.

Herba recens tuſa, tumores emollit; digerendi vi pollet, paulo quam Chamæmelum validiore; adverſus ſacrum ignem, & termina ventri admota efficax remedium eſt.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Floribus albis.

CAPUT XIV.

Pyrethrum.

PYrethrum, πύρεθρον *Dioſc. l. 3. c. 86. ab igne nomen habet, ob radicis ejus fervorem igneum. Salivaris Romanis, quod manſa ſalivam eliciat. Apud Plin. l. 28. Pyrethri nomen ſolum legitur.*

Pyrethrum *corymbiferum flore Bellidis, Nobis. Pyrethrum Dioſcoridis. Pyrethrum officinarum, Adv. Lob. Ger. Eyſt. Pyrethrum flore Bellidis, C. B. P. Pyrethrum vulgare flore Buphthalmi, J. B. Pyrethrum Germanicum, Geſn. Hort. Pyrethrum alterum, Matth. Lugd. Pyrethrum Dodonæi, qui his verbis apte deſcripſit: Pyrethro folia* ſunt multipliciter diſſecta diviſaque, ſimilitudine fere foliorum *Fœniculi*, ſed tamen minora, *Dauci ſylveſtris & Carrotæ* æmula: *cauliculi* dodrantales, aut paulo altiores; in quorum faſtigiis *flos* amplus, latus, *Anthemidis* ſimilis, ſed tamen major, medio orbe ſubluteus; anguſtis oblongiſque circum ambientibus foliolis, ſupina parte albicantibus, prona vero nonnihil purpuraſcentibus: *ſemen* inter diſci ſive orbis ſtamina gignitur tenue & oblongum: *radix* digitalis fere eſt craſſitudinis, longa, ſubruſſo colore nigricans, *guſtu* acri & admodum fervido. *V. icon. tab. æn.* 10.

Ex Orientis partibus infertur. Naſci in quibuſdam Italiæ *montibus, ſed minus acre,* Matthiolus *ſcribit.*

Temperamentum & Vires.

Pyrethri *radix calida & ſicca eſt; attenuat, incidit vehementer calidam & fervidam facultatem obtinet. In Lethargicis, & frigidioribus affectibus, cataplaſmata, & clyſteria fortiter ſtimulantia inde parantur: ut dum acrimonia ſua inteſtina vellicat & irritat, agri excitentur.*

Dentium dolores mitigat, & pituitam ex ore copioſam elicit: manducatur autem ſicca, & aceto in quo decocta fuerit hæc radix, os gargarizatur.

Sudores etiam inſigniter movet, & ad frigidos humores pellendos efficax habetur, cum oleo illinita: ad omnes etiam corporis partes ſtupefactas ac reſolutas plurimum conducit, Auctore Dioſc.

Miſcetur idem utiliter antidotis, & aliis compoſitionibus, quæ adverſus diuturnos capitis dolores, vertigines, apoplexiam, comitialem morbum, nervorum tremores, reſolutioneſque proſunt: conducit etiam plurimum ad omnes capitis & nervorum frigidas & diutinas affectiones; in hemicrania, paralyſi, &c.

EMENDATIO NOMENCLATURÆ

Hoc eſt legitimum Pyrethrum: nam quod verum à nonnullis exiſtimatur, eſt planta umbellifera, & inter umbelliferas, ponenda. v. g. Pyrethrum umbelliferum, C. B. P. J. B. Pyrethrum verum Matth. Dioſc. 1. *Cam. ut etiam Pyrethrum foliis Anethi, C. B. P. Pyrethrum umbelliferum alterum, Park.*

Impoſuit auctoribus corrupta Dioſcoridis lectio, in floris ſiquidem deſcriptione exemplaria pro ἀνθέμιν perperam ſubſtitutam habent vocem ἀνήθε.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Floribus albis.

CAPUT XV.

Chamæmelum & Cotula.

Ἀνθεμὶς Dioſcoridi *l.* 3. *c.* 154. ἄνθεμον Theophraſt. *Hiſt. lib.* 7. *cap.* 13. *Vocatur quoque & χαμαίμηλα, quod Malt odorem habeat (Cydonii intellige,* Hoffman*)* Plinio *l.* 22. *c.* 21. *cui etiam dicitur Anthemis.*

Anthemis Dioſcoridi & Plinio *in tria genera dividitur, flore tantum diſtantia: flos enim vel in medio aureus eſt, orbiculato ambitu candidus, &* λευκάνθεμον; *melinus &* χρυσάνθεμον; *aut purpureus denique &* ἰοάνθεμον *vocatur.* Theophraſti *diviſio aliter ſe habet. Nos jam de Leucanthemis agimus. Quæ aliis coloribus donantur, aliis locis ad plantas conſortes reducuntur.*

Chamæmelum eſt Planta humilis corymboſa, amara, foliis tenuiter diviſis, odoris vehementis, flores albos ſatis amplos proferens, diſcum luteum cingentes: quod vel perenne eſt, vel annuum.

TABULA XIII. SECT. VI.

Chamæmelum

perenne

1. *Odoratiſſimum repens, flore ſimplici, J. B. Chamæmelum nobile ſeu odoratius, C. B. P. odoratum, Dod.*
2. *Repens odoratiſſimum perenne, flore multiplici, J. B. Nobile flore multiplici, Ger.*
3. *Luteum capitulo aphyllo, C. B. P. Aureum peregrinum capitulo ſine foliis, J. B.*
4. *Montanum lanuginoſum, magno flore, Nobis. Abſinthium montanum Chamæmeli flore magno, C. B. P. J. B.*
5. *Alpinum inodorum foliis incanis latioribus ſinuatis, Nobis. Chamæmelum Alpinum inodorum, C. B. P. Park. Leucanthemum Alpinum, Cluſ. Hiſt.*
6. *Gangeticum latifolium floribus ſolitariis pediculis brevibus inſidentibus, Nobis. Abſinthium minus odoratum Gangeticum floribus Chamæmeli ſolitariis, è foliorum alis, D. L. Pl.*
7. *Canarienſe ceratophyllum fruticoſus glauco folio craſſiore ſapore fervido.*

annuum

8. *Vulgare Leucanthemum, Dioſc. C. B. P. Vulgare, Dod. Geſn. Hort. Vulgare amarum, J. B.*
9. *Serotinum foliis obſcure virentibus flore majore, Nobis. Chamæmelum inodorum, C. B. P. Cotula non fœtida, Dod.*
10. *Leucanthemum Hiſpanicum magno flore, C. B. P. & Prod. Chamæmelo affine Buphthalmum ſegetum altiſſimum Italicum, J. B.*
11. *Præcox fœtidum ſemine aureo, Nobis. Chamæmelum, C. B. P. Cotula fœtida, Dod.*
12. *Ramoſum Cotulæ fœtidæ foliis amplioribus capitulis ſpinoſis.*
13. *Ramoſus lanuginoſum capitulis hiſpidis, ſemine compreſſo & membranaceo, Nobis. Buphthalmum Creticum Cotulæ facie, Breynei.*
14. *Leucanthemum Hiſpanicum minus, C. B. Prod. Hiſpanicum incanum parvum, Park.*
15. *Inodorum humilius foliis obſcure virentibus.*
16. *Africanum petalis florum brevioribus magiſque ſparſis.*
17. *Æthiopicum lanuginoſum, Breyn. Cent.* 1.
18. *Ramoſum Coronopi folio, Nobis. Chamæmelum Luſitanicum latifolium, Breyn. Cent.* 1.

1. Cha-

1. Chamæmelum *odoratiſſimum repens flore ſimplici, J. B. Chamæmelum nobile ſeu odoratius, C. B. P. Chamæmelum odoratum, Dod. Hortenſe, Geſn. Hort. Parthenium nobile, eidem, App. Anthemis ſeu Leucanthemum odoratius Romanum, Adv. Lob. Chamæmelum Romanum, Tab. Ger. Romanum flore ſimplici, Eyſt. Camomilla 3. & vulgaris, Trag. Caulículos* profert tenues procumbentes, & modo repentes, in terram radices agentes: *folia* tenuia, diſſecta, virentia ſunt, odoris vehementis aromatica mixtura ſatis grati; quæ humum multiplici ſobole veſtiunt: *Flores* in cauliculorum nudorum ſummitatibus ſinguli ſunt, uncialis amplitudinis, ex plurimis petalis anguſtis albis umbonem luteum cingentibus conflati. *Radix* perennis fibroſa eſt, quæ caulium incremento facile reptatu ſuo multiplicatur. *Vid. icon. tab. æn.* 12.

In compaſcuis & ericetis humidioribus frequenter invenitur.

2. Chamæmelum *repens odoratiſſimum perenne flore multiplici, J. B. Chamæmelum Romanum flore multiplici, Eyſt. Nobile flore multiplici, C. B. P.* Hoc ob nobilitatem, locum diſtinctum ſibi vendicat; quanquam revera tantum prioris varietas eſt, cujus *flores* adeo denſa petalorum alborum luxuria ſtipati ſunt, ut centrum ſeu umbonem luteum operiant: Hoc *Chamæmelum* cætera priori ſimile eſt; ejuſque Flores in officinis iis cæterorum præferri ſolent.

3. Chamæmelum *luteum capitulo aphyllo, C. B. P. aureum peregrinum capitulo ſine foliis, J. B. Chamæmelum nudum odoratum, Ger. Anthemis Chryſanthemos Herbariorum, Adv. Lob. Lugd.* Prioribus accedit hoc, quoad modum creſcendi, formamque foliorum haud diſtinguendum: *flores* vero tantum bullatos aureos, abſque petalis nudos profert. *In* Anglia *detectum eſt. V. icon. tab. æn.* 12.

Habetur Chamæmeli varietas, quæ raro aut nunquam producit flores, quapropter pro ambulacris in hortis eligenda; quæ nomine *Chamæmeli humilis ſive ſterilis, à D. Sutherland in Catalogo ſuo Edinburgenſi* memoratur.

4. Chamæmelum *montanum lanuginoſum magno flore, Nobis. Abſinthium montanum Chamæmeli magno flore, C. B. P. J. B. Abſinthium montanum Abrotoni fœminæ flore, C. B. Phytobaſ.* E *radice* lignoſa parva, nigra fibroſa, *folia* incana, tenuia, lanuginoſa emittit, inciſuris profundis diviſa, media inter marinum Abſinthium, & Abrotonum marem in orbem diſpoſita: Vere *caules* edit plures ſupinos, paucis in imo foliis hærentibus, quorum ſinguli *flores* ſingulares in ſummo habent, petalis albis inſignitos, quæ luteos umbones cingunt: ſapore, guſtu, atque odore *Abſinthium Ponticum* refert. *V. icon. tab. æn.* 10.

In excelſo monte D. M. Virginis *appellato exoritur*

5. Chamæmelum *Alpinum inodorum foliis incanis latioribus & ſinuatis, Nobis. Chamæmelum Alpinum inodorum, C. B. P. Park. Leucanthemum Alpinum, Cluſ. Hiſt.* Hujus *folia Chryſanthemi Alpini* 1. *Cluſii* foliis non multum diſſimilia ſunt, niſi quod paulo magis inciſa ſint, craſſa, & ſucculenta, (uti ſe habent pleraque Alpinarum ſtirpium folia, quemadmodum & marinarum,) amariuſculi ſaporis, & nullius grati odoris. *Caulículi* dodrantales, infirmi, e quibus emicant ſingulares *flores Chamæmelo* majores vicenis aut pluribus petalis albis luteum orbem ambientibus. Late ſe ſpargit hæc planta *Anthemidis* modo, & fibroſas *radices* habet. *V. icon. tab. æn.* 12.

Creſcit in Judenberg, Spital, *& aliis quibuſdam provinciæ* Stiriæ *jugis, ubi Julio & Auguſto floret.*

6. Chamæmelum *Gangeticum latifolium, floribus ſolitariis, pediculis brevibus inſidentibus. Abſinthium minus odoratum Gangeticum, floribus Chamæmeli ſolitariis è foliorum alis, D. L. Pluk. Folia* hujus plantæ oblonga, ex anguſta baſi in latitudinem extenduntur, inæqualibus laciniis, & ſine ordine diviſa, iis *Abſinthii albi umbelliferi, Park. ſive Alpini umbelliferi, C. B.* fere reſpondentia; è quorum alis (non ex caulium ſummitatibus, ut in cæteris hujus familiæ) *flores* pauci ſingulares emergunt, *Chamæmelo vulgari Romano* ſimiles, pediculis ſemuncialibus adnaſcentes.

7. Chamæmelum *Canarienſe ceratophyllum fruticoſus glauco folio craſſiore, ſapore fervido, Magala ab incolis nominatum. Semina* huic ſolida, oblonga, quadrangularia, ritu congenerum, ex *Inſula Canarienſi*, cum aliis plurimis accepta, venuſtam hanc plantam produxerunt; cujus fervidus acriſque ſapor *Pyrethrum* eſſe *verum corymbiferum* aliquandiu nobis ſuggeſſit: *radix* vero alba, lignoſa, nec tantam craſſitiem, carnoſam ſubſtantiam, nec tantum fervorem poſſidens, quantus *Pyrethri* radice officinis cernitur, aliæque partes deſcriptæ nullo modo prorſus aſſentientes, alia ſuadent. *Stipites* emittit lignoſos, pollicem craſſos, cortice albo tectos, cubitales, & altiores, in varios ramuſculos diſtributos, *foliis Chamæmeli* inordinatim veſtitos, aſt in latiores, craſſiores, carnoſiores, rigidiores & obtuſiores lacinias magiſque cornu cervi immodum extenſas, ex cæruleo-viridi glaucove colore tinctas, diviſis. Poſtremis ramulis *cauliculi* eriguntur nudi, in quorum faſtigiis *flores* è capitulis rotundis, ſquamoſis, duris, proſilientes, eos *Chamæmeli* æmulantes, petalis albis umbonem luteum cingentibus radiati, conflati ſunt.

Per totum annum viget & floret; hyemis vero rigoris impatiens. Semina Auguſto menſe matureſcunt.

8. Chamæmelum *vulgare leucanthemum, Dioſcoridis, C. B. P. Chamæmelum vulgare amarum, J. B. Chamæmelum ſylveſtre, Dod. Anthemis vulgatior ſive Chamæmilla, Adv. Lob. Chamæmelum arvenſe, Cam.* Hæc annua eſt planta, ut aſſerit *J. Bauhinus*. Sed an à *Cotula* ſubſequente ſpecifice differat, nondum comperio: ex verbis Auctoris judicet Lector. Hæc paſſim obvia eſt in ſegetibus, tenui fibroſaque *radice*, nec alte defixa: *caules* tenues dodrantales, recti, foliis veſtiuntur, *Cotulæ* tenuioribus; *odore* exiguo, ſed ſuavi: *flores* in ambitu albi, quorum folia umbonem apiculis luteis conſtantem radiata circumſtant. *Vid. icon. tab. æn.* 12.

9. Chamæmelum *ſerotinum annuum foliis obſcure virentibus, flore majore, Nobis. Chamæmelum inodorum ſive Cotula non fœtida, J. B. Chamæmelum inodorum, C. B. P. Cotula inodora, Adv. Lob. Cotula non fœtida, Dod.* Planta hæc pedalis, in cauliculos majores, magiſque ramoſos aſſurgit, *folia* cæteris viridiora, tenuiora & fere ferulacea gerit; *flores* in ſummis caulibus ampliores ſunt candidi, quorum petala lenta & tenuia, ſæpe dependent; quibus delapſis, umbo *ſemina* fuſca, aut nigricantia, brevia & ſtriata exhibet. *V. icon. tab. æn.* 12.

Juxta vias, & ad agrorum marginet frequens occurrit, & menſibus Julii & Auguſti flores profert, & in Septembri ſemen perficit ſubnigrum.

Varietas ejuſdem in hortis alitur, quæ ob florum multiplicium copiam Floræ civitate donata eſt, & *Cotula non fœtida flore pleno* nomine nota, quæ quanquam annua ſit planta, floribus abſciſſis, pangendo propagatur.

10. Chamæmelum *Leucanthemum Hiſpanicum magno flore, C. B. P. & Prod. Chamæmelo affine Buphthal-*

mum ſegetum altiſſimum Italicum, J. B. Tam alte aſſurgit in *Italia*, ut ſegetes etiam ſuperet; *folia* alterno poſitu, unciali diſtantia caulem veſtiunt, minutiſſime ac profundius diſſecta, quorum ſegmentorum extremitates, velut pilos tenuitate ſua referunt: ſummitas *florem* ſuſtinet album ſingularem, figura & facie *Bellidis majoris.* Quanquam *C. Bauh. in Prod. luteos* producere *flores* aſſerat, errore non ſuo forſan, ſed Typographi.

11. Chamæmelum *annuum præcox fœtidum ſemine aureo, Nobis. Chamæmelum fœtidum, C. B. P. Chamæmelum ſylveſtre fœtidum, ſive Cotula fœtida, Dod. Chamæmelum fœtidum, ſive Cotula fœtida, J. B. Cotula* quaſi *Cautula* dicitur, ne *Chamæmeli* vice accipias. *Caules* profert rotundos, dilute virentes, fragiles, in alas multas diviſos, rectos, pedales, & ſæpenumero quam aliorum altiores: *folia* ſimiliter ampliora, virore multo dilutiore, quam octava ſpecies: *flores* forma & colore ſimiles prædictis, ſed citius floret. Fœtet graviter tota planta contracta, gravemque naribus admota odorem ſpirat. *V. icon. tab. æn.* 12.

Planta hæc in arvis hortiſque naſcitur; reperitur etiam juxta ſemitas, & agrorum margines. Floret ineunte Maio, & cito ſemina ſua aurea ad maturitatem in capite rotundo perducit.

Hoc etiam interdum floribus invenitur plenis; & *Chamæmelum fœtidum flore pleno, Scholæ Botanicæ Pariſienſi* audit: quod per mangonium & culturam, luxuriante natura, aliis quamplurimis contingit.

12. Chamæmelum *annuum ramoſum, Cotulæ fœtidæ foliis amplioribus, capitulis ſpinoſis. Forte Bellis montana Tanaceti foliis caule ſingulari annua, D. Pluk.* Recta aſſurgit hæc planta pedalis aut ſeſquipedalis, in varios ramuſculos rigeſcentes divaricata; quibus alternatim & ſine ordine adnaſcuntur *folia Chamæmeli* diviſura ſed ampliora, illa *Tanaceti* fere æmulantia: ſummi *caules* amplos *flores* diſcoideos albos ſuſtinent; quorum umbo luteus cæteris major eſt: Flore evanido, *capitula* rotunda per maturitatem fere ſpinoſa apparent, ex ſquamis multis acutis & rigidis compoſita, inter quæ *ſemina* ſolida quadrangularia, fuſca latent; è quibus quotannis facile renovatur. *V. icon. tab. æn.* 8.

A Venetiis *recepimus.*

13. Chamæmelum *ramoſus lanuginoſum capitulis hiſpidis, ſemine compreſſo & membranaceo, Nobis. Buphthalmum Creticum Cotulæ facie, Breynei Cent.* 1. *An Chamæmelum fœtidum marinum, J. B.?* E *radice* fibroſa exeunt *folia* denſe in orbem per terram ſtrata, leniter hirſuta, longa, magnitudine, diviſura & forma *Pyrethri* antedicti; inter quæ *caulis* ramoſus, pedalis, aut cubitalis, rotundus, coloris viridis vel propter hirſutiem, ex viridi albicantis ſurgit, in cauliculos alios reclinantes diviſus & conſimilibus foliis onuſtus: *Flores*, quibus ſubſunt ſquamoſa *capitula*, diſcoidei ſunt candidi, aliquando in ſulphureum colorem degenerantes, ex petalis quindecim aut ſexdecim obtuſis non crenatis ambientibus conflati; *ſemen* in capitulis rotundis ſquamoſum, compreſſum, purpuraſcens aut fuſcum eſt. *V. icon. tab. æn.* 9.

14. Chamæmelum *Leucanthemum Hiſpanicum minus,* 8. *C. B. & Prod. Hiſpanicum incanum minus, Park.* Plantula eſt palma minor, *radice* parva, fibroſa, rufeſcente, ex qua cauliculus tenuis, uncias quatuor altus, nudus exſurgit, *florem* unicum, ſatis magnum, diſco pallide luteo petalis pluribus albis cincto, ſuſtinens: *foliola* ad radicem parva, incana, tenuiſſima, inſtar *Abſinthii Galatici*, vel *Abrotoni*, diviſa, quæ inſipida & inodora ſunt.

In regno Granatæ, *ad agrorum margines collecta eſt.*

15. Chamæmelum *inodorum annuum humilius foliis obſcure virentibus.* Ad Cotulam vulgarem fœtidam foliis ſuis ſpiſſis accedit, humilior vero hæc planta à radice ſtatim ramoſa, *foliis* atroviridibus, haud ingrati odoris, veſtita eſt. Supremis cauliculis *flores* inſtant *Chamæmeli*, petalis oblongis è calycibus ſimplici ſquamarum rectarum ſerie erumpentibus, umbonem luteum cingentibus, prædiți: quibus defluentibus, *ſemina* anguloſa, congenerum ritu ſuccedunt.

16. Chamæmelum *Africanum annuum petalis florum brevibus magiſque ſparſis.* Hoc *Chamæmelum* è ſeminibus Africanis ortum, à decimo ſeu Cotula fœtida quoad formam pallidumque virorem haud multum abludit: *folia* vero copioſiora crebrius cauliculis nunc erectis, nunc procumbentibus, naſcuntur, odorem haud injucundum, *Agerati* pene æmulantem, ſpirantia. *Flores* è capitulis rotundis provenientes (quorum ſquamulæ exiguæ imbricatim diſponuntur) emicant; hi autem ex petalis albis, brevibus, obtuſis, per intervalla diffitis, umbonem luteum, turgentem, cingentibus, compoſiti ſunt: ſemen ſubſequitur ſolidum anguloſum.

17. Chamæmelum *Æthiopicum lanuginoſum, Breyn. Cent.* 1. Hoc *Romani odorati* ſeu potius *Coronopi* diviſura profert *folia* denſa lanugine pubeſcentia, quæ canitiem *Millefolii lutei* foliorum juniorum referunt; ex ramulorum cymis, inter folia, *pediculi* palmares fere graciles & læves exeunt, qui in ſummo, in *capitulum* læve, ſtriatum pyramidale ex viridi albicans, & veluti rorulentum, crenis magnis & obtuſis per circumferentiam coronatum, paulatim craſſeſcens abeunt: cujus medio, *Flos Chamæmeli vulgaris*, diſco ex tubulis multis minutiſſimis luteis conflato, petalis candidis, breviſſimis, numero 20. aut 24. circundatis cincto emicat. Excuſſo flore, *ſemen* copioſum nigrum, *Chamæmeli inodori* minus ſequitur. *Vid. icon. tab. æn.* 12.

In Promontorio Bonæ ſpei *naſcitur.*

18. Chamæmelum *annuum ramoſum Coronopi folio flore mixto, Nobis. Chamæmelum Luſitanicum latifolium ſive Coronopi folio Breyn. Cent.* 1. *An Chamæmelum Leucanthemum ſegetum folio ſerrato, n. d. Gab. Griſley in Viridar. Luſitan?* *Chamæmeli* hæc ſpecies cum aliis convenit, quod ſit *odore* ſatis grato, ſed non tam intenſo quam *vulgaris odorati: folia* autem uncialia, & biuncialia gerit, ad inſtar *Coronopi*, quæ arcte *caules* pedales cingunt; in quorum cymis, & ſummis ramis inſiſtunt *flores* mixti, id eſt, ex luteo & albo colore, ſingula enim petala verſus umbonem lutea ſunt, aut unguibus luteis donantur, & in extremitate alba, quorum 12. aut 14. umbonem luteum circumſtant; qui umbo non tantum bullatus eſt, ſed ad maturitatem perductus in conum uncialem exacuitur, *ſemina* ſolida curva, tenuia, continens. *V. icon. tab. æn.* 12.

Chamæmeli Vires & Uſus.

De Chamæmelo vulgari odorato *ſeu* Romano *jam præcipue loquimur, quod officinalis eſt Herba, una cum floribus. Hujus præparata ſunt* 1. *Aq. diſtillata.* 2. *Oleum per decoctum cum oleo Olivarum.* 3. *Ol. Chymicum. Sapor & amaricans eſt, & acris; odor aromaticus; hinc eſt præcipue Cephalica, Diuretica, Sudorifica, & uterina,* Floyer. *Ejuſdem vis conſiſtit in ſale volatili oleoſo: calefacit, diſcutit, laxat, & mollit, & tenuium eſt partium: digerendi, & rarefaciendi, ſingulari ac mirifica facultate prædita.*

In

In curandis colicis doloribus certe vix ſimile habetur remedium, ut recte Etmullerus *annotat; præcipue autem laudatur oleum ex floribus deſtillatum, quod cærulei coloris eſt, quem* ☿ *quidem adſcribunt, ſed falſo: hoc in Colicatam interne quam externe umbilico illitum mirifice prodeſt.*

Calculi dolores lenit; urinam moderate provocat; tormina & ventris roſiones ſedat; laterum dolores mulcet; duros humores emollit; & crudos diſcutit; & omnibus utiliter ſopiendi alicujus doloris cauſa, admiſcetur.

In doloribus poſt partum, interne oleum, & eſſentiam hujus herbæ applicant: externe vero ſaculum ejus, hunc in modum paratum. ℞ Chamæmelum, include in ſaculo, eoque in vino, applica abdomini: tanquam Arcano ſemper fæliciter uſus eſt Foreſtus. Lib. 28. Obſ. 75. & 81.

In febribus præſertim intermittentibus commendatur, & in ſpecie tertianis.

Externe utiliſſimum eſt in Cataplaſmatis, & fomentis anodynis emollientibus, & diſcutientibus. In Clyſteribus carminativis, & Anticolicis, in Pediluviis Cephal. ad dolores & tumores mitigandos, mire prodeſt.

Convenit etiam Cardialgiæ, externe applicata; & in decocto, fæliciſſime uſus eſt Foreſtus, *qui mercatorem clamoſo ventriculi dolore laborantem, hoc ſolo decocto, ſemel exhibito curavit.*

In Balneis quæ ſudoris evocandi, & rarefaciendæ cutis cauſa parantur, Chamæmeli uſus haud negligendus; nam & cutem nimis adſtrictam rariorem facit, ſudorem evocat, benumque corpori odorem conciliat, Dod.

Cæteras facultates Chamæmeli vid. pag. 253, 254, 255, & 256. operis quadripartiti Simonis Pauli.

Chamæmelum fœtidum *annuum ſive Cotula fœtida, ad uteri morbos commendatur, eſt enim uteri ſtrangulationibus utile; quemadmodum omnia fœtida.*

Decoctum ejuſdem cum fœlici ſucceſſu ad Scrophulas adhibetur.

Odor Chamæmeli Apibus ingratiſſimus eſt, eaque de cauſa Apiarii manus hac herba obducunt & perliniunt, quo earum furorem rabioſum punctionemque effugiant.

PLANTÆ CORYMBOSÆ,

Foliis varie diſſectis, variiſque coloribus præditæ.

CAPUT XVI.

Millefolium.

Millefolium χιλιόφυλλον *à foliorum multitudine: Recentioribus duplex eſt, terreſtre & aquaticum: Priſcis triplex; majus, minus, & aquaticum. Majus* Αχίλλειος, *cui etiam nomen* Σιδηρῖτις Dioſc. *l.* 4. *c.* 36. *cenſetur; cui umbellam floribus candidis, & aurum æmulantibus (addit interpres, & purpureis) tribuit: quin &* Achilleam, *odore multo & medicato dicit: quare* Achilleam Dioſcoridis Tanacetum minus *cenſemus. At* Achillea, *ab inventore* Achille Chironis *diſcipulo nomen habet,* Plin. *l.* 25. *cap.* 5. *Minus vero* ſtratiotes ὁ χιλιόφυλλος Millefolium Stratiotes, *eidem l.* 4. *c.* 103. *quod floribus parvis & candidis eſſe ſcribit. Aquaticum ipſi l.* 4. *c.* 113. μυριόφυλλον, *quod foliis ſit plurimis præditum.*

Millefolium eſt Planta corymbifera, foliis longis pinnatis, tenuiter inciſis, corymbos ex floſculis parvis compoſitos, fere umbellatim proferens; quibus ſemina tenuia ſolida ſuccedunt.

TABULA XIV. SECT. VI.

Millefolium
- *terreſtre flore*
  - *albo*
    - *minore*
      1. *Canadenſe elatius, Schol. Bot. Par. Millefolium Novæ Angliæ maximum floribus albis, Par. Bat. Prod.* ⊙.
      2. *Acre Mexicanum floribus albis in luteum tendentibus Tlalquequetzal, Mexicanum. Penna terræ Recchi* 194. ⊙.
      3. *Tanaceti foliis flore albo, Moriſ. Prælud. Bot. D. L. Pl.* ⊙.
      4. *Nobile, & Stratiotes vera, Trag. Tanacetum minus album odore Camphoræ, C. B. P.* ⊙.
      5. *Maximum, C. B. P. & Prod.* ⊙.
      6. *Minus vulgare, C. B. P. Millefolium flore albo, Eyſt.* ⊙.
      7. *Odoratum minus Monſpelienſe, Magnol.* ⊙.
      8. *Foliis Abrotoni, Nobis. Matricaria foliis Abrotoni, C. B. P. Parthenium* σμικρόφυλλον *Myconi, Lugd.* ⊙.
    - *ampliore*
      9. *Alpinum birſutum, J. B. Matricaria Alpina Chamæmeli foliis, C. B. P. Parthenium Alpinum. Cluſ. Hiſt.*
      10. *Alpinum læve, Nobis. Millefolio Alpino affinis planta, quibuſdam Iva moſchata, J. B.* ⊙.
      11. *Alpinum incanum ſpecioſore flore, J. B. Chab.* ⊙.
      12. *Incanum Creticum, C. B. P. & Prod. Creticum, J. B.* ⊙.

13. *Montanum*

- aquaticum corymbiferum
  - purpureo
    - 13. *Montanum Tanaceti foliis, Dodart. Mem. Acad. Part. Par.* ⊙.
    - 14. *Majus, C. B. P. & Prod. Flore rubro maximum, Park.* ⊙.
    - 15. *Minus vulgare, C. B. P. Minus flore rubro, Clus.*
  - luteo
    - 16. *Tomentosum, C. B. P. J. B. Stratiotes Millefolia flavo flore, Clus. Hist.* ⊙.
    - 17. *Majus ex Aleppo. An Tanacetum lanuginosum, Park?* ⊙.
  - folio
    - 18. *Coriandri umbellatum, C. B. P. Millefolium aquaticum Matth. Stratiotes Millefolia aquatica, Lugd.* ⊙.
    - 19. *Capillaceo brevique, C. B. P. Myriophyllum aut Marathriphyllum palustre, Adv. Lob. Millefolium aquatile, Dod.* ⊙.

20. *Millefolio affinis Madraspatana Camphoratæ foliis radiatim nascentibus.* ⊙.

1. Millefolium *Canadense elatius flore albo, Schol. Bot. Paris. Millefolium Novæ Angliæ maximum floribus albis, Paradis. Bat. Prod.* Plantæ huic novæ, nomen *Millefolii* optime convenit; cujus *folia* pinnata ampla, longa, à nervo seu costa media quamplurimis foliolis ferulaceæ tenuitate divisis, onusta, per terram strata sunt; inter quæ *caules* bicubitales aut tricubitales eriguntur, foliis etiam pertenuibus vestiti; quorum summitates variæ divisæ, *corymbum* flosculorum alborum, parvorum, è parvis capitulis squamosis erumpentium constituunt.

In Horto Parisiensi *observavit* D. Sherard.

2. Millefolium *acre Mexicanum floribus albis in luteum tendentibus. Tlalquequetzal, Penna terræ, Recchi, Hist. Mex. p.* 194. Herba est à *radicibus* fibris similibus, multos *caules* edens, teretes, subrectos, & tenues, & quatuor plus minus dodrantes longos; ramulos per intervalla hinc inde emittentes, *foliis* pennis avium similibus, ex tenuibus foliolis compositis, prioris brevioribus & minoribus: *Flores* in summis caulibus, postremisque ramis albi sunt, umbonem luteum cingentes, parvi, & in corymborum formam dispositi.

3. Millefolium *Tanaceti foliis flore albo, D. Morison, Pralud. Bot. D. L. Pl.* Hujus *folia* sub exortum antequam caulescat planta, adeo sunt *Tanaceti* foliorum æmula, ut vix ab oculato Botanico à *Tanaceto* distingui possint, nisi gustus, & olfactus in subsidium advocentur; sed postquam produxerit caulem, & *umbellam corymbiferam, Millefolii* omnino in modum, *semenque* pariter *Millefolii*, sese statim verum & genuinum Mille*folium* declarat. *V. icon. tab. æn.* 11.

4. Millefolium *nobile & Statiotes vera, Trag. Achillea sive Millefolium nobile, Tab. Ger. Tanacetum minus, Dod. Tanacetum minus album odore Camphoræ, C. B. P. Tanacetum, candidis floribus, Lob. Obs. Lugd.* Odore & sapore hæc herba ad *Camphoram* aut *Tanacetum* accedit: non tamen est *Tanacetum*, quo eam referunt plurimi Auctores: à fine ultimo accedit *Millefoliis*. *Caules* ejus ad bipedalem assurgunt altitudinem; *folia* tum circa caules, tum prius enata, latiuscula sunt brevia, varie dissecta atque incisa, ex albido virentia, quæ divisionem *Absinthii Pontici* fere obtinent: *Corymbi* in fastigiis cauliculorum, atque in his *flosculi* candidi, *Millefolii vulgaris* similes sunt: *radix* fibrosa in diversas radiculas brachiatur. *V. icon. tab. æn.* 11.

In Germaniæ & Italiæ *agris plerisque reperitur locis. Julio & Augusto, & quandoque Septembri mense floribus ac semine turget.*

5. Millefolium *maximum umbella alba, C. B. P. & Prod. Caulibus* est sesquicubitalibus, crassis, rotundis, striatis: *foliis* circa radicem palmum longis, uncias quatuor latis, tenuissime incisis, & veluti è multis minutissimis alatis foliolis constantibus; folia etiam circa caules tenuiter sunt incisa; qui in ramos plures brachiantur; quibus singulis umbella vel corymbus, uti in *Millefolio vulgari*, sed major, *flosculis* albis refertus, insidet. *V. icon. tab. æn.* 11.

In Horto Patavino à Casp. Bauh. *primo observatum est.*

6. Millefolium *vulgare album, C. B. P. Flore albo, Eyst. Millefolium vulgare, Trag. Gesn. Hort. Stratiotes Millefolia Fuchsii. Millefolium sive Achillea, Dod. Millefolium stratiotes pennatum terrestre, J. B. Millefolio* huic *scapi* subinde complures, supra cubiti altitudinem assurgunt, teretes, duriusculi; circa quos *folia* quidem oblonga, à lateribus varie dissecta, ac veluti è pluribus commissa inordinatim nascuntur: eminent in summo quasi umbellæ orbiculatæ, latæ; quarum singuli *flosculi* parvi sunt candidi, ex petalis paucis brevibus conflati: *radices* fibras demittunt multas. *Odor* herbæ non molestus, sed medicatus. *V. icon. tab. æn.* 11.

Nascitur juxta arvorum & pratorum margines, atque non raro in ipsis agris, fœcundo solo. Flores ejus corymbiferi à Maio in multam æstatem durant, & semina interea perficiuntur.

7. Millefolium *odoratum minus Monspelienſium, Hort. Reg. Blef. Bot. Monsp.* Planta hæc pedalem altitudinem vix superat, *caulibus* nunc erectis, nunc reclinatis; & multo minor est quam *Millefolium* vulgare; *foliis* imis canescentibus brevibus tenuiter dissectis; sed quæ caulescunt, latiora sunt, & *Coronopi* in modum divisa: *od rem* diffundit suavem & aromaticum: *Floribus* albis cum vulgari convenit.

Plurimis in locis herbidis circa Monspelium *repit, ut prope pontem* Villæ novæ, *& alibi.*

8. Millefolium *terrestre foliis Abrotoni, Nobis. Matricaria foliis Abrotoni, C. B. P. Parthenium σμυρνόφυλλον Myconi, Lugd.* Herba est sesquipalmari altitudine; *radice* parva, lignosa, candida, parum fibrata: ex qua *cauliculi* exsurgunt aliquot rotundi rutescentes; in quibus, infima præsertim, & terræ proxima parte, *folia* sunt tenuia, fœniculacea, foliis *Abrotoni maris* similia. In summis caulibus *corymbi*, & in iis, *flosculi* multi albi compacti; quales in *vulgari Millefolio* cernuntur. Hujus *Millefolii* sapor amarus est, odor gravis. *Vid. icon. tab. æn.* 10.

Planta hæc alumna est Hispaniæ, *cujus in campis* Myconus *primus detexit.*

9. Millefolium *Alpinum hirsutum, J. B. Matricaria Alpina Chamæmeli foliis, C. B. P. Parthenium Alpinum, Clus. Hist.* Hoc vulgari minus est, palma paulo longius; *foliis* magis ramosis, quæ plures, divisiones obtinent; sed umbella in caulis fastigio minore, cujus tamen *flores* singulares quadruplo quintuplove majores, petalis in ambitu radiatis, magnis, albis, apicibus in medio luteis, ex *capitulo* squamoso nigricante fimbriato exeunt. Tota planta hirsutie quadam prædita est. *V. icon. tab. æn.* 10.

Hoc *Millefolium in* Schneberg, Schnealpen, & Dureſtein *jugis copiosissime nascens invenit* C. Clusius, *In peregrinatione* Rhætica *cum* Gesnero *in monte prope* Wesen *invenit* J. Bauhinus.

10. Millefolium *Alpinum lævæ, ampliore flore, Nobis. Millefolio Alpino affinis planta quibusdam Iva moschata. J. B.* Duos aut tres pollices alta eſt hæc planta, paulo etiam amplior, caulículo ſimplici: *foliis Millefolii Alpini* præcedentis ſimilibus, licet non hirſutis, nec ita ad *Millefolium vulgare* accedentibus: *Flores* plures, umbellati ſeu corymbiferi, ſed minores, rotatim agmine petalorum albórum magnorum circumpoſito, apicibus in medio numeroſis, ex *capitulo* ſquamis nigris *Millefolii* prioris in modum compacto erumpunt.

In Rhætiæ *altiſſimo monte* Braulio *menſe Julio florere,* J. Bauh. *obſervavit.*

11. Millefolium *Alpinum incanum ſpecioſo flore, J. B. Chab.* Palmaris eſt Plantula *radicula* ſimplici, ruffa, ac pene nigra: è qua *folia* prodeunt duas aut tres uncias longa, rarius pinnata, tomentoſa longiuſculis aut fere uncialibus pediculis hærentia. *Cauliculis* (in modum prædictorum) tomentoſis, ſimilia quoque adhærent folia, ſed aliquanto minora, brevioribus pediculis donata. Eorum vero ſummitatibus, *flores* inſident quinque aut ſex, ſquamati, corymbati; ſquamæ fuſcis venis inſignitæ, in illis conſpicuæ, florem ſpecioſiorem reddunt. *V. icon. tab. æn.* 11.

12. Millefolium *Incanum Creticum foliis Stœchados ſerratæ, Nobis. Incanum Creticum, C. B. P. & Prod. J. B. Chab. ſive Millefolium Dioſcoridis. Caulibus* eſt lignoſis, rotundis, incanis ſeſquipalmaribus, *foliis Chamæcypariſſi* aut *Stœchados foliis ſerratis* forma, oblongis, denticulatis, incanis, vel ut ait *Dioſcorides*, avicularum pennas imitantibus: *Caules* ſummitatem verſus in ramulos abeunt, qui *corymbum* ſatis compactum, è *floribus* ex albo flaveſcentibus compoſitum, ſuſtinent. *V. icon. tab. æn.* 11.

In Creta *naſcitur, quod legitimum* Dioſcoridis Millefolium *eſſe cenſetur, cujus in Epiſtola 2. Belli ad Cluſium, ſub Stratiote Millefolio mentio fit, quod in Creta μυριόφυλλον vocari ſcribit.*

13. Millefolium *Montanum Tanaceti foliis flore purpureo, Dodart. Mem. Acad. Hort. Par. Folia* hujus æque ac tertii, *Tanaceto* ſimillima ſunt, & flores etiam conſimiles, purpurei vero coloris.

Ex horto Edinburgenſi, *à* D. Sutherland, *Viro in re* Botanica *verſatiſſimo planta hæc nobis tranſmiſſa eſt.*

14. Millefolium *purpureum majus, C. B. P. & Prod. Flore rubro maximum, Park.* Ex *radice* ſatis craſſa *caules* plures ad cubitum & ſeſquicubitum excreſcunt, *foliis* ut in vulgatiſſimo Millefolio diſpoſitis, ampliori-bus tamen, umbella magna *flores* elegantiſſimos rubri coloris pentapetalos continente; in quorum medio, apices pallide flaveſcentes, qui gratiam addunt, emicant: Flores contriti medicatum odorem ſpirant.

15. Millefolium *Vulgare purpureum minus, C. B. P. Vulgare flore diluti coloris, Trag. Flore purpureo, Adv. Lob. Rubro colore, Cluſ. Hiſt. Folia* alata, aut pinnata tenuia vulgaris in modum, naſcuntur, & *flores* etiam pentapetali parvi ſunt, & omnibus, floris colore excepto, qui in hoc purpuraſcit, vulgari ſexto convenit. *V. icon. tab. æn.* 11.

In locis herbidis, & campis fœcundioribus invenitur.

16. Millefolium *tomentoſum luteum, C. B. P. Stratiotes Millefolia flavo Flore, Cluſ. Hiſt. Millefolium minus ſive Stratiotes Chiliophyllos, Dod. Millefolium luteum, Adv. Lob. Tab. Ger.* Minus hoc *Millefolium luteum*, exigua eſt ſtirps, vix dodrantem alta; *caules* plures emittit rectos, ſatis robuſtos, in quorum cacumine denſe emicant *florum* corymbi *Millefolii terreſtris vulgaris*, ſed denſius diſpoſiti, aureo tum petalorum exteriorum tum umbonis colore fulgentes. *Folia* per caulículos tomentoſos aliorum ſimilia ſunt, ſed multo minora, incano villo pubeſcentia. *V. icon. tab. æn.* 11.

In agro Narbonenſi *ſponte naſcitur, & Julio & Auguſto flores profert.*

17. Millefolium *terreſtre luteum majus, ex Aleppo. An Tanacetum lanuginoſum, Lugd. Park?* Hoc quod ex *Aleppo* recepimus, vulgaris altitudinem aſſequitur, cujus *folia* quam antecedentis ampliora ſunt, & villoſa, uti & caules, qui multo etiam craſſiores ſunt; *flores* itidem luteos in umbellis multo copioſiores profert; in omnibus denique major eſt planta.

Temperamentum & Vires.

Millefolio *exſiccandi & adſtringendi vis eſt: hinc inter vulneraria non infimum locum obtinet.*

Planta recens contuſa (aut ſuccus ejuſdem) vulneribus recentibus impoſita, ea citra ſuppurationem conſolidat: tumores & inflammationes mitigat: Cephalalgiæ, Pterygio oculorum, tumoribus hæmorrhoidalibus, herniis, vulneribus, & omnibus quibus obſerandi & arefaciendi opus eſt, feliciter adhibetur hæc herba.

Interne decoctum ejus ad abortum præcavendum laudatur.

In Hæmorrhagiis & fluxionibus omnis generis, Uteri, Alvi, ſcreatu ſanguinolento, vomitu, mictione ſanguinolenta, gonorrhœa, hæmorrhoidibus, fluore uterino, mariſcis, mirum in modum confert.

Sunt qui herbam cum floribus, in Peſte præcavenda & curanda, pro ſecreto peculiari venditant.

Aqua ex herba cum floribus putredini gingivarum, quam optime medetur, Schrod.

Herba recens naribus indita, hæmorrhagiam inducit, & præcipue radix ejuſdem naribus intruſa, & illic agitata.

Comæ candidæ ex lacte Caprino, vel propria aqua potæ Gonorrhœam cohibent.

§. 2. Millefolium aquaticum.

18. Millefolium *aquaticum umbellatum Coriandri folio, C. B. P. Millefolium aquaticum, Matth. Millefolium aquaticum alterum Coriandrifolium, Adv. Lob. Stratiotes, Millefolium aquaticum, Lugd. Foliis* à medio ad imum alatis latiuſculis eſt *Coriandri*, ſed tenuioribus caulibus, tribus aut quatuor, angulóſis, quibus per intervalla, puſilla apponuntur folia & tenuia, avicularum pennis ſimilia: in cacumine ſingulorum caulium, binæ exeunt umbellæ ſubpurpuraſcentibus *floribus*. Vocatur *Græcis* ϛρατώτης ὕνος, *Latinis Stratiotes aquaticus, Millefolium aquaticum. Vid. icon. tab. æn.* 11.

19. Millefolium *aquaticum umbellatum capillaceo brevique folio, C. B. P. Millefolium aquatile, Dod. Myriophyllum aut Marathriphyllum paluſtre, Adv. Lob. Millefolium & Fœniculum aquaticum, Tab. Millefolium* hoc aquatile *caulem* promit rectum, lævem, & tenuem, *folia* vero complura, multis inciſuris diviſa, *Fœniculi* foliis ſimilia, amplius vero diſſecta, quæ ſuper undas eminent: *Floſculi* in umbellis veluti *Millefolii. Radix* ſingularis eſt. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

Reperitur in lacubus, & aquis ſtagnantibus, aut pigrius fluentibus apud Belgas *frequenter.*

20. Millefolio *affinis Madraſpatana. Camphoratæ foliis radiatim naſcentibus.* E *ſeminibus Africanis, è*

Batavia

Bathvia acceptis, nata eſt elegans hæc planta, quæ *viticulis* rectis, ut plurimum indiviſis, viridibus, lignoſis, cubitalibus, ſpicatim aſſurgit. *Foliola* vix ſemunciam longa, recta, ſex ſeptemve numero, ab eodem exortu *Camphoratæ* aut *Laricis* in modum ſtellatim provenientia, viridi-clara, crebrius viticulis naſcuntur, ut à radice ad ſummum uſque cauliculos conveſtiant ac pene occultent: Planta hæc *Equiſetum paluſtre brevioribus ſetis, C. B.* (*quod cauda equina fœmina* vulgo nominatur) quodammodo refert; cui tamen ramuſculi imbecilles ſunt & & longiores. *Flores* primariorum cauliculorum faſtigiis inſident albi, *Millefolii terreſtris* ritu corymbatim diſpoſiti, horum enim ſinguli integri ſunt in fundo, & quinquefariam in margine diviſi; ex quorum copia cum calycibus ſuis ſquamoſis, planus conſtat corymbus. *Semina* iis ſuccedunt oblonga, ſolida, glabra.

Planta hyemis impatiens hybernaculo conſervata virorem retinet; æſtate vero pangendo facile propagatur, & terraceum Fungorum ad inſtar odorem ſpirat.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Floribus albis.

CAPUT XVII.

Dracunculus *ſeu* Ptarmica.

PTarmica πταρμικὴ Dioſc. *lib.* 2. *c.* 195. *ex re nomen habet: πταρμὸς enim Græci ſternutamentum vocant, in quo egregiam comperitur habere vim: ex quo tam præſenti ſalutis augurio, hoc ei nomen impoſitum eſt. Eadem* Latinis Sternutatoria *dicitur.*

Dracunculus pratenſis ſeu *Ptarmica*, eſt Planta corymbifera, *floribus albis*, ſervida, foliis integris ſerratis, umbone nigricante.

TABULA XV. SECTIONIS VI.

Dracunculus

- *anguſtifolius*
  - *viridis*
    1. *Sive Ptarmica pratenſis vulgaris folio ſerrato, Nobis. Ptarmica, Matth. Fuchſ. Tur. Lob. Dracunculus pratenſis folio ſerrato, C. B. P.*
    2. *Pratenſis flore pleno, C. B. P. Ptarmica vulgaris flore pleno, Cluſ.*
    3. *Pratenſis alter Alpinus foliis Agerati, Schol. Bot. Par.*
    4. *Alpinus latiore folio ſerratus, Schol. Bot. Par.*
  - *argenteus*
    5. *Sive Ptarmica incana humilis, foliis laciniatis Abſinthii latioribus æmulis, Hermanni, Hort. L. Bat. Abſinthium Alpinum umbelliferum latifolium, C. B. P.*
    6. *Sive Ptarmica Alpina incana, C. B. P. & Prod.*
    7. *Sive Ptarmica Alpina humilis alatis foliis, Nobis. Abſinthium Alpinum umbelliferum 3. Ponæ, Ital.*
- *latifolius*
  8. *Alpinus folio Scabioſæ, C. B. P. & Prod.*
  9. *Sive Ptarmica Virginiana folio Helenii, D. Moriſ. Prælud. Bot Pſeudocoſtus Virginiana, ſive Anonyma corymbifera Virginiana, flore albo, Raii Hiſt.*

1. Dracunculus *pratenſis viridis ſive Ptarmica vulgaris folio ſerrato, Nobis. Ptarmica, Matth. Fuchſ. Turn. Lob. Dracunculus pratenſis folio ſerrato, C. B. P. Ptarmica folio Taraconis vel Sternutamentaria, Lugd. Draco ſylveſtris ſive Ptarmica, Dod. Ptarmica vulgaris folio longo ſerrato flore albo, J. B. Radix* oblique acta ſub terra repit, plantaſque novellas ab omni parte emittit: *caules* erecti, teretes, cubitalem altitudinem æquantes, ſine ordine plurimis *foliis* anguſtis, longis, & acutis, minutiſſimis denticulis, eleganter ſerratis, veſtiti ſunt: In eorundem ſummitatibus umbellæ fere in modum naſcuntur *flores Parthenii* ſimiles ſed minores, ex petalis brevibus, latiuſculis, candidis, umbonem parvulum ex nigro luteum cingentibus, conflati; quibus evanidis, ſuccedunt *ſemina* ſolida, tenuia, ut in cæteris hujus ordinis; ſed raro viſa, ut in plantis repentibus ſolenne eſt. *V. icon. tab. æn.* 12.

2. Dracunculus *pratenſis flore pleno, C. B. P. Ptarmica vulgaris flore pleno, Cluſ. Hiſt.* Planta hæc pro varietate prioris habeatur, *radicibus* repentibus, *foliiſque* acuminatis ſerratis, & *florum* eadem diſpoſitione donatur, qui petalis albis uſque ad medium impleti ſunt, quare *Dracunculus floribus plenis* dicitur.

In pratis & ad rivulos flore ſimplici frequenter invenitur: flore pleno, luxuriante naturæ, in hortis alitur. Menſibus æſtivalibus floret.

3. Dracunculus *pratenſis alter Alpinus foliis Agerati, Schol. Bot. Par.* In pratis, & in *Alpium* jugis planta hæc à *Pariſienſibus* detecta eſt, & prioribus ut plurimum affimilis eſt: *folia* tamen anguſta, *Agerati* foliorum æmula in profundiores lacinias, aut denticulationes diviſa ſunt. *Flores* ad eundem modum cum præcedentibus geſtat; duplici vero vel triplici petalorum ſerie ornatos.

4. Dracunculus *Alpinus latiore folio ſerratus, Schol. Bot. Par. Ptarmica foliis profundius Serratis late viridibus elatior, H. L. App. Foliis* gaudet latioribus, quæ ex anguſta baſi verſus medium, in latitudinem extenduntur, & etiam profundius ſunt ſerrata; *flores* iis priorum conſimiles cernuntur.

5. Dracunculus *argenteus, ſive Ptarmica incana humilis, foliis laciniatis Abſinthii latioribus æmulis, Hort Lugd.*

Lugd. Bat. Abſinthium Alpinum umbelliferum latifolium, C. B. P. Abſinthium Alpinum umbelliferum, Cluſ. Pan. Lugd. Bat. Abſinthium Alpinum umbelliferum latifolium, C. B. P. Abſinthium Alpinum umbelliferum, Cluſ. Pan. & Hiſt. Abſinthium albis floribus capitulis ſquarroſis, J. B. Pannonicum flore albo, Cam. Abſinthium album capitulis ſquarroſis, floribus albis, umbella Achilleæ montanæ, Lob. Obſ. Dodrantalibus aſſurgit *cauliculis*, gracilibus, incanis, in quibus rara & exigua ſunt *folia*, tota incana lanugine, & veluti tomento obſita, circa radicem majora, *Bellidis majoris vulgaris* foliis non valde diſſimilia, minora tamen, & magis inciſa, ſatiſque craſſa, eximiæ amaritudinis: ſummis cauliculis octoni aut plures inſident *floſculi* in umbellam diſtributi, *floribus Ptarmicæ vulgaris* non diſſimiles, ſed majores, ſeptenis & octonis, candidis petalis conflati, medium orbem ex aliis exiguis floſculis, nigredine mixtis efformatum cingentibus. *Semen* deinde ſolidum ac tenue, odoratum eſt: *Radix* nigra eſt, aliquot fibris donata, & ad latera propagines ſpargens. *V. icon. tab. æn.* 10.

In Auſtriæ Stiriæque *celſiſſimis jugis, ut etiam* Etſcerberg, & Durreſtain, *aliiſque* Alpium *jugis* Cl. Carol. Cluſius *invenit.*

6. Dracunculus *argenteus, ſive Ptarmica Alpina incana humilis tenuioribus foliis, Nobis. Abſinthium Alpinum incanum, C. B. P. & Prod. 2. Pona in Baldo.* Ex *radice* rufeſcente capillacea, *cauliculi* plures palmares, reclinati rotundi, & albicantes, *foliis* quam pauciſſimis veſtiti prodeunt: *folia* diviſura & colore *Abſinthio Pontico tenuifolio incano*, ſimilia ſunt: ex cauliculorum parte media ſurſum verſus, pedicelli tenuiſſimi uncinales, cum ſubjecto foliolo tenuiſſime diviſo, recti alternatim exſurgunt, qui *flores* candidos è ſquamoſis capitulis ſuſtinent: quibus *ſemen* minutum nigricans *Tanaceti* odore ſuccedit. *V. icon. tab. æn.* 10.

In Valeſianorum Alpibus, *ut in petris ſupra* Gemme *hæc planta collecta eſt.*

7. Dracunculus *argenteus, ſive Ptarmica Alpina humilis alatis foliis, Nobis. Abſinthium Alpinum umbelliferum tenuifolium & minus, C. B. P. Abſinthium Alpinum umbelliferum* 3. *Pona, Ital.* Ad altitudinem dodrantalem aſſurgit, è *radice* hinc inde repente, quæ *folia* anguſta, uncialia, obliquis ſegmentis dentata profert: ſummi *caules* corymbis *florum* alborum, cum umbone ex luteo nigricante donato, ornati ſunt. Tota planta argentea ſua canitie obducta eſt, odorata, guſtu acri cum amaritudine. *V. icon. tab. æn.* 10.

8. Dracunculus *latifolius Alpinus folio Scabioſæ, C. B. P. & Prod. Radicibus* eſt fibroſis, *cauliculis* rotundis, pedalibus, ſummo in alas brachiatis: *foliis* inſtar *Scabioſæ* laciniatis, alte inciſis, & crenatis, alternatim diſpoſitis, & pallide virentibus: *floſculis* in ſummis virgulis, quoad diſcum medium ſubluteis, quem petala alba ut in *Chamæmelo vulgari* ambiunt.

In Helvetiorum *pratis* Alpinis *prope* Fabarias, *& in monte* Gotthardo *provenit, Julioque floret.*

9. Dracunculus *latifolius, ſive Ptarmica Virginiana folio Helenii, D. Moriſ. Prælud. Bot. Pſeudocoſtus Virginiana, ſive Anonyma Virginiana corymbifera flore albo, Raii Hiſt. Ptarmica Virginiana Scabioſæ Auſtriacæ foliis indiſſectis, D. L. Pluk.* Plantam hanc corymbiferam, è *Virginia* delatam, in horto *D. Walker Londinenſis*, triginta plus minus abhinc annis, cultam obſervavi: quæ bipedalis eſt, aut circiter; *folia* ſunt palmæ latitudinis, quorum ima *Lepidii vulgaris* ſunt ſimilia, marginibus etiam dentatis: ſummi *caules*, aliarum corymbiferarum more, in alas dividuntur; & *flores* diſcoideos, ex petalis breviſſimis albis, umbonem medium luteum cingentibus compoſitos, ſuſtinent; *ſemina* parva, tenuia, *Ptarmicæ vulgaris* ſimilia, ſequuntur.

Ptarmica *Alpina Matricariæ folio, Triumfetti.* Vide Bellis.

Ptarmicæ Vires & Uſus.

Guſtu eſt atri & fervido: Herba ſiccatæ pulvis naribus inditus, ſternutationem movet. Radix *commanſa caput purgat, & dentium dolores mulcet, pituitam eliciendo; & vi caloris tumores frigidos mitigat; & pro errhino uſurpatur.*

Herba cum floribus contuſis, cum axungia permixtis, & cataplaſmatice applicatis, dolores podagricos lenit.

Succi ejuſdem uncia in vino muſcato poti, ante paroxyſmum, aut febris horrorem, ſudorem provocat, tertianas, aliaſque febres intermittentes, ſecunda, ſi non prima, aut certo exterminat, Park.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Leucanthemæ.

CAPUT XVIII.

Ageratum.

AGeratum Ἀγήρατον Dioſcoridi *l.* 4. *c.* 59. *cui nomen inditum, ἀπὸ τὸ μηκέτι ἄνθος ὁμοιοῦσθαι φυλάττειν, quoniam flos in ſua coloris ſpecie diutiſſime conſervetur: quaſi dicas ſenectutis expers, quod* ἀγήρως *dicitur: vel ut* Plinius *l.* 27. *c.* 4. *quoniam diutiſſime non marceſcit.*

TABULA XVI. SECT. VI.

Ageratum folio

- *anguſtiore*
  1. *Serrato flore albo, Nobis. Ageratum floribus candidis, Adv. Lob. Floribus albis, Park. Tab. Cam. Ageratum* 2. *Matth. Lugd.* ☉.
  2. *Floribus minoribus ex luteo albicantibus, Nobis. Agerato Meſues cognata proterior, corymbis è luteo albicantibus, H. R. Par.*
- *latiore*
  3. *Pyrenaicum acutiore folio, Nobis. Mentha corymbifera anguſtifolia, C. B. P. Menthæ Saracenicæ ſpecies flore Anthemidis, J. B. Menthæ Saracenicæ ſpecies altera, Myconi, Lugd.*
  4. *Alpinum obtuſiore folio, Herba de la Rotta dicta, Nobis. Herba de la Rotta, J. B.*

1. Ageratum *folio anguſtiore ſerrato, flore albo, Nobis. Ageratum floribus candidis, Adv. Lob. Tab. Cam. Floribus albis, Park. Ageratum* 2. *Matth. Lugd. Ageratum* hoc caulibus aſſurgit bipedalibus, ad quorum ſingula genicula exeunt alternatim *folia* ſerrata, anguſta, in mucronem acutum deſinentia, *Ptarmicæ vulgaris* ſimilia, profundius tamen inciſa, ſeu ſerrata: In ſummis virgulis, corymbatim, plurimos fert *floſculos* albos, *Ptarmicæ* æmulos; ſed hujus umbo luteus eſt, cum illius, ad nigredinem tendat: quibus ſingulis plurima ſuccedunt *ſemina* ſolida, anguloſa. *Odorem* ſuffundunt cum folia tum flores fragrantem, *Balſamitæ* pene ad inſtar. *V. icon. tab. æn.* 12.

In hortis propter odoris fragrantiam colitur, & menſibus æſtivalibus flores profert.

2. Ageratum *anguſtiore folio floribus minoribus ex luteo albicantibus, Nobis. Agerato Meſuei cognata procerior, corymbis è luteo albicantibus, Hort. Reg. Par.* Priori valde accedit; *caules* ſunt altiores; *folia* minora, pariter ſerrata; *flores* itidem minores ex luteo albicantes in ſummitatibus emicant.

3. Ageratum *Pyrenaicum latiore folio mucronato, Nobis. Mentha corymbifera anguſtifolia, C. B. P. Menthæ Saracenicæ ſpecies flore Anthemidis, J. B. Menthæ Saracenicæ ſpecies altera Myconi, Lugd.* Herba eſt cubitalis, interdum minor: ramulos è radicibus multos edit, aliqua ex parte per *caulis* longitudinem, velut ſtriis ornatos, nonnihil lanuginoſos; in quibus *folia* apparent parva, brevia, non admodum lata, viridia, in ambitu ſerrata, odorata, media inter *Balſamitam* & *Mentaſtrum vulgare*. *Flores* in cacumine multi, *Anthemidi* ſimiles, in medio luteoli, in ambitu candidi, odorati: *radices* ſubſunt fibroſæ candicantes.

A Pyrenæorum *montium incolis, ubi frequens naſcitur, vocatur* Herba del Moro, *id eſt, herba* Saracenica.

4. Ageratum *Alpinum latiore & obtuſiore folio, Herba de la Rotta dicta, Nobis. Herba de la Rotta, J. B.* Fundit ex *radice caules* dodrante minores, glabros; per quos *folia* alternatim poſita cernuntur *Balſamitæ* minoris foliis ſimilia, unciam longa, anguſta, in ambitu ſerrata, glabra; *guſtu* aromatico & ſubamaro, *Tanaceti* fere: faſtigia cauliculorum in umbellas quodammodo abeunt, quibus inſident *floſculi Millefolii Alpini* minores, petalis albis apices circumſtantibus, ex capitulis, parvis ſubrotundis emicantibus, quæ ſquamæ nigris lineis pictæ componunt.

In Pedemontii *valle di* Lanzo, *& in valle* S. Fidei Patavinorum *naſci dicitur.*

Vires & Uſus.

Attenuat, extergit, & calefacit: odoris eſt grati; ſaporis aromatici cum amaritudine: & uſibus Balſamitæ *antedictis inſervit.*

SECTIONIS SEXTÆ

Diſtributio Quarta.

DE PLANTIS CORYMBIFERIS

Floribus Janthemis, ſeu violaceis præditis.

CAPUT XIX.

Dracunculus Virginianus, Xeranthemum, Xeranthemoides, Scabioſa, Succiſa, *ſeu* Morſus Diaboli.

DRacunculus *Virginianus latifolius petalis florum longiſſimis purpuraſcentibus, Nobis. Ptarmica Raphani aquatici foliis flore amplo rubello, Hort. Lugd. Bat. Chryſanthemum Americanum Doronici folio, flore Perſici coloris, umbone magno prominente, ex atro purpureo, viridi, & aureo fulgente, D. L. Pluk. An Bellis Canadenſis purpurea Ciaſſi, Faſcic. Herbar. Mic. Nutii. p.* 22? Planta hæc rara (monſtroſa pene dixeram, cui non datur ſecunda) è ſemine Virginianenſi ſuccrevit; quod Vir eximius *D. J. Baniſter*, rerum naturalium optime gnarus, nobis tranſmittere dignatus eſt; à quo multa adhuc naturæ miracula, ſumma diligentia conquiſita, Deo volente expectamus. E *radice* fibris longis affixa, *folia* per terram primo ſpargit, palmo latiora, quæ ſex ſeptemve unciarum longitudinem æquant, viridia, ſubaſpera, in mucronem deſinentia, & quoad formam *Digitalis vulgaris* æmula, in ambitu ſerraturis levidenſibus dentata, pediculis biuncialibus aut triuncialibus adnexa: è quorum medio erigitur *caulis* rotundus, ſtriatus, bicubitalis, nunc ſimplex, nunc in duas treſve alas diviſus, foliis paribus paucis, minoribus tamen, & acutioribus denticulis donatis, veſtitus: cujus ſummitas *florem* egregium ſuſtinet, qui è ſquamoſo capite petala tenuia longitudinis biuncialis, anguſtiſſima, purpuraſcentis coloris protrudit: quorum ſingula, non ut in aliis, in mucronem deſinunt, ſed bifurcata ſunt, numero viginti, aut viginti quatuor; per quorum anguſtiam, *flos* petalis ſuis raris ſparſus apparet; ſatis vero latus, qui amplitudinem ſex ſeptemve unciarum acquirit: *umbo* in medio, ex unciali baſi, in metam attollitur, è ſquamis foliaceis, cum apicibus aureis compoſitus, qui *ſemina* ſolida, quadrangularia, oblonga continet. *Radix vivax eſt.* *V. icon. tab. æn.* 9.

PLANTÆ

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Janthinæ, ſeu violaceæ.

CAPUT XX.

Xeranthemum *ſeu* Xeranthemoides.

XEranthemum *dicitur à* Geſnero, *ob ſiccitatem & ſqualiditatem petalorum florum, etiam retentium: ἀνθεμον, à colore florum violaceo.*

Hujus plantæ nota generica eſt, quod *flores* ſtellatos, corymbiferos minores, ex pluribus petalis ficcis Janthinis gerat; *caules* & *folia* incana lanugine obducta producat; & *ſemina* oblonga, membranacea coronula fixa, pappum mentiente cincta.

TABULA XVII. SECT. VI.

Xeranthemum Oleæ folio capitulis
- *ſimplicibus*
  1. *Incanum fœtens flore purpuraſcente minore, Nobis. Jacea Oleæ folio minore flore, C. B. P. Ptarmicæ Auſtriacæ ſpecies, Cluſ.* ☿.
  2. *Incanum non fœtens flore majore violaceo, Nobis. Jacea Oleæ folio capitulis ſimplicibus, C. B. P. Ptarmica Auſtriaca, Cluſ. Lob. Dod. Ger.* ☿.
  3. *Petalis rigidis pungentibus Halebenſe.* ☿.
- *compactis*
  4. *Nobis. Xeranthemi ſpecies tertia, J. B.* ☿.

Xeranthemoides
- *Leucoii foliis Aſteris flore cæruleo, Nobis. Chryſanthemum, vel potius Buphthalmum Africanum Leucoii foliis Aſteris flore cæruleo, Breyn. Prod.* 1.
- *Leucoii foliis Aſteris flore violaceo, Nobis. Chryſanthemum, vel potius Buphthalmum Africanum Leucoii foliis, Aſteris flore violaceo, Breyn. Prod.* 1.

1. Xeranthemum *Oleæ folio, capitulis ſimplicibus, incanum fœtens, flore purpuraſcente minore, Nobis. Jacea oleæ folio minore flore, C. B. P. Ptarmicæ Auſtriacæ ſpecies, Cluſ. Cur. poſt. Jacea incana, Lugd. Cyano ſimilis quædam, Cæſ. Xeranthemum, J. B. Ptarmica Imperati ſive minor, Park.* Anguloſo eſt *caule* incano, duro, lento, lanuginoſo, tenui pedali & altiore, pro ratione ſoli, ut plurimum ſingulari, in multos ramos divaricato; per quem *folia* alternatim diſpoſita, denſo tomento candicante undique obſita, duas vel tres uncias longa, culmum lata, unico nervo medium folium percurrente, deorſum plerumque reflexa adnaſcuntur: ſingulorum ramulorum extremitatibus ſingula hærent capitula oblonga, ex ſquamis candicantibus lucidis & nitidis contexta, in acumen definentibus, cum ſtria rubente. *Flos* ſtellatus, ſqualidus & exſuccus, ex petalis conſtat acuminatis aridiuſculis, purpurorubentibus, brevibus, capitulorum ſquamas imitantibus, ſed aliquantulum longioribus, quorum media occupant ſtamina numeroſa confertaque rigida, candida hirſuta; inter quæ latent *ſemina* ſolida, longa, fuſca, villoſa, ſpinulis tenuibus in apice coronata; ex quibus quotannis renovatur. *Vid. icon. tab. æn.* 12.

In arvis Italicis, *& prope* Monſpelium *ſponte naſcens invenitur.*

2. Xeranthemum *Oleæ folio, capitulis ſimplicibus, incanum, non fœtens, flore majore violaceo, Nobis. Jacea oleæ folio capitulis ſimplicibus, C. B. P. Ptarmica Auſtriaca, Lob. Cluſ. Pan. & Hiſt. Dod. Cam. Ger. Xeranthemum aliud ſive Ptarmica quorundam, J. B. Caulis* hujus in ramulos ſe ſpargit tenues ſuſtinentes *capitula* è ſquamis veluti argenteis imbricatim ſibi invicem incumbentibus contexta: è quibus emergit *flos* venuſtus, elegans, ſtellatus, duodecim aut pluribus petalis conſtans, duris, ſiccis, mucronatis; coloris initio albidi, deinde ex cæruleo purpuraſcentis, nullo odore commendabilis, ſed ſola venuſtate gratus & immarceſſibilis, qui in ædibus ſervatus & ab aeris inclementia defenſus, colorem per multos annos retinet: *ſemen* oblongum, ſolidum, nigricans, eo *Xeranthemi* antecedentis minus, fibris membranaceis etiam in apice donatum, quo matureſcente, *radix* perit. *V. icon. tab. æn.* 12.

In Auſtria, *atque etiam in* Italia *ſponte provenit; menſibus æſtivis flores profert, & in Autumno ſemen perficit.*

Varietates ejuſdem in Hortis, ornamenti gratia aluntur: *v. g.*

1. Flore *ſimplici violaceo*, de quo jam egimus.
2. Flore *pleno violaceo, Schol. Bot. Par.*
3. Flore *ſimplici albo, Schol. Bot. Par. Xeranth. flo. albo coronato, fol. Cynogloſſi Cret. Bren. Prod.* 2.
4. Flore *pleno albo, Schol. Bot. Par.*
5. Flore *è purpureo & albo mixto.*

Florum petala ſiccæ ſunt ſubſtantiæ, rigida, ramentis corneis ſimilia. Hinc non uti alii *flores* hi marceſcunt, ſed collecti diu durant, & formam & colorem retinent: ſed Curioſi naturalibus non contenti, variis aliis coloribus *flores* tingunt; qui pro faſciculis floreis, uti etiam ad ædes ornandas, & ad Altaria decoranda, ſtudioſe conquiri ſolent.

3. Xeranthemum *Oleæ folio capitulis ſimplicibus, petalis rigidis & pungentibus Halebenſe. An Ptarmicæ Auſtriacæ ſpecies ex Hiſpania, Cluſ. Cur. poſt?* Planta hæc prioribus humilior, & caulibus & adverſa foliorum parte, denſiore lanugine obducta eſt, quæ *Oleæ foliis* etiam ſimilia ſunt: *Oleæ Bohemicæ*, ſpeciem intelligimus.

Caulis in ramulos quoſdam diviſus eſt, hac præcipue nota ab aliis *Xeranthemorum* caulibus diſcrepans, quod foliis uſque ad florem veſtitus ſit, quum in cæteris ſemper à ſuperiore parte nudus appareat. *Flos* è ſquamis foliaceis rigidis & acutis, ex ſexdecim aut octodecim petalis longis, tenuibus, acutis, aridiuſculis, & pungentibus, purpuraſcentibus aut purpuroviolaceis conflatus emicat.

Semen è Syria *accepimus, quod ſatis feliciter ſuccrevit, ſed apud nos nunquam ad maturitatem perductum eſt.*

4. Xeranthemum *Oleæ folio capitulis compactis, Nobis. Xeranthemi ſpecies tertia, J. B. An Jacea Oleæ folio, Hiſt. Lugd.*? Priori accedit; ſummi *caules* pluribus *capitulis* arcte ſibi invicem junctis ſine pediculis, decorantur, ex quibus præcipue dignoſcitur. *V. icon. tab. æn.* 12.

Hoc ex Syria *etiam allatum eſt. An* Xeranthemum ſpinoſum Æthiopicum capitulis compactis purpuraſcentibus, Breyn. Prod. 2 ?

Xeranthemoides *Leucoii foliis Aſteris flore cæruleo, Nobis. Chryſanthemum vel potius Buphthalmum Africanum Leucoii folii, Aſteris folio cæruleo, Breyn. Prod.* 2. *Radice* obliqua & contorta conſtat, quibuſdam ramis prædita; ex qua *caulis* cubitalis, rotundus, incanus, ramis compluribus, primum binis ſibi invicem, deinde alternatim diſpoſitis, divaricatus, & humi procumbens prodit, *foliis* itidem eodem ordine & ſerie, quo rami diſpoſitis veſtitus, incanis, *Leucoii* ſimilibus, ſed paulo brevioribus, ac longe anguſtioribus, & aliquantulum rigidioribus, in extremo reflexis, ſapore foliorum *Raphani. Caulis* & rami in pediculos abeunt longos, aliquando nudos, nonnunquam *foliis* rariſſimis præditos, qui ſuffulciunt *florem Aſteris Pyrenæi præcocis Luteſianorum* penitus ſimilem, petalis multis cæruleis in extremo etiam reflexis, orbem luteum radiantibus conſtantem, ex *calyce* ſive *capitulo* eoque incano, longis & anguſtiſſimis ſquamulis compacto prodeuntem: quem ſequitur *ſemen* ſolidum, planum & valde compreſſum, ex albo cinereum, inter complurimas ſquamulas anguſtiſſimas latens.

Hagæ Comitis *in Horto* D. F. *à* Sewenhuyſen, D. Breyneus, *Menſe Septembri cum floribus & ſeminibus obſervavit.*

Xeranthemoides *Leucoii foliis Aſteris flore violaceo, Nobis. Chryſanthemum vel potius Buphthalmum Africanum Leucoii foliis Aſteris flore violaceo, Breyn. Prod.* 1. A præcedenti nulla in re recedit, præterquam in *foliis* quæ ſaturatius viridia ſunt & *floribus*, quorum color ex purpureo violaceus eſt.

Hoc in Horto D. Herbertii *à* Beaumont Breynius *obſervavit.*

PLANTÆ CORYMBIFERÆ

Janthinæ.

CAPUT XXI.

Scabioſa.

SCabioſa *aliis dicitur à ſcabro herbæ habitu (quod vulgatæ convenit,) aliis quod Scabiei medeatur, quod vox* Pſora *prætendere videtur: quare ψώραν eſſe* Ætii *aliqui cenſent: ſunt qui ad* Stœben Dioſcoridis *l.* 4. *c.* 12. *referunt.*

Succiſa *ſeu* Morſus Diaboli *(quæ* Scabioſa *etiam eſt) dicitur, quod ejus radices circumroſæ ſint: vulgus enim credit,* Dæmonem *cum tantæ efficaciæ radicem hominibus invideat, tum ſtatim ubi ſuccrevit, undique circumrodere: quare* Morſus Diaboli *dicitur. Sunt qui* Geum *veterum cenſent: at* Columnæ *videtur* Pycnocomon Dioſcoridis *l.* 4. *c.* 176. *Aliis* Nigina Plinii *l.* 27. *c.* 12. *Alii ad* Scabioſas, *alii ad* Jaceas *referunt.*

Scabioſa eſt planta Corymbifera ſolida producens *ſemina*, cujus *flores* plurimi inſiſtunt ſummis ramuſculis, conflati ex multis floſculis, atque ſingulis floſculis ſic conſtitutis ſuccedunt ſingula *ſemina.* Foliorum *Scabioſæ* quælibet pars rupta, filamenta telarum aranearum inſtar exhibet.

Scabioſæ ſunt vel
- *Seminibus anguloſis* — *perennes vel annuæ*
- *vel*
- *Seminibus membranaceis* — *minoribus* — *perennes vel annuæ*
- *vel*
- *Globulariæ dictæ* — *majoribus* — *perennes vel annuæ*

TABULA XVIII. SECT. VI.

Scabiosa semine angulosо

perennis

1. *Major communior hirsuta folio laciniato, J. B. Scabiosa pratensis hirsuta quæ officinarum, C. B. P.*
2. *Major communior hirsuta folio laciniato, J. B. Major segetum, Lob. Ger. Major flore ex purpureo cæruleo, Tab. quæ frequentius flore pleno.*
3. *Latifolia rubro flore, J. B.*
4. *Virgæ pastoris folio, C. B. P. Latifolia peregrina, Tab.*
5. *Montana latifolia rubra laciniata, C. B. P. Scabiosa rubra Austriaca, Lob. icon. Pannon. rub. flore 3. Clus. Hist.*
6. *Pannonica laciniata rubro flore. An 4. Clus. Hist?*
7. *Pratensis nostras globosa præmorsa radice, Nobis. Succisa, Matth. Succisa sive Morsus Diaboli, J. B.*
8. *Capitulo minore, sive Succisa angustifolia palustris, Triumfet.*
9. *Alpina, sive Scabiosa Globulariæ foliis, Triumfetti.*
10. *Alpina Centaurii majoris folio, C. B. P. Alpina Centauroides, Cam.*
11. *Glabra foliis rigidis viridibus, J. B. Chabr.*

annua

12. *Montana calidarum regionum major, Adv. Lob. Scabiosa fruticans angustifolia alba, C. B. P.*
13. *Altissima foliis Agrimoniæ nonnihil similibus, H. L. Bat. Annua Transylvanica foliis Agrimoniæ, Breyn. Prod. 2.*
14. *Fruticans latifolia alba, C. B. P. Nona seu æstivalis, Clus. Hist.*
15. *Minima erecta, Prælud. Bot. An annua integrifolia, sive foliis Bellidis, Magnol?*
16. *Conyzoides Americana latifolia, capitulis & floribus albidis parvis, Par. Bat. Prod.*
17. *Conyzoides Americana angustifolia capitulis & floribus albidis parvis, Par. Bat. Prod.*

§. 1. Scabiosæ perennes seminibus angulosis.

1. Scabiosa *major communior hirsuta folio laciniato, J. B. Scabiosa pratensis hirsuta quæ officinarum, C. B. P. Scabiosa vulgaris, Ger. Eyst. Vulgaris major, Dod. Lugd. Adv. Lob. Pratensis, Park. Dissectifolia major, Thal. Scabiosæ* hujus *folia* sunt oblonga lata hirsuta, à lateribus laciniata, instar foliorum *Erucæ* fere: medii inter hæc, *caules* assurgunt teretes, aliquantulum striati, cubitales aut ampliores; foliis aliquot similibus adnatis, sed sensim minoribus factis: in summis tenuibus virgulis sive earum apophysibus eminent *flores* in uno orbiculo sive disco collocati, ex plurimis petalis fistulosis cœruleis simul farcti, quorum extima majora, media minora; quæ una cum staminibus è cœruleo diluto sive cæsio colore rubescunt, interdum inalbicant: *Radix* longa in altum descendit. *V. icon. Tab. æn.* 13.

Circa declives agrorum margines, ac subinde pratorum, & inter segetes passim multis in locis gignitur. Floret per totam æstatem, usque in autumnum, quo tempore semina sua longa perficit angulosa, ante & retro constantia angulis obtusis, à dextris vero & sinistris angulis acutis.

2. Scabiosa *major communior folio non laciniato, J. B. Major segetum, Lob. Ger. Major flore ex purpureo cæruleo, Tab.* Cujus *folia* quincuncialis sunt longitudinis, & unciam unam aut alteram lata, integra & serrata, hirsuta; *caules* quoque hirsuti: *flores* ut plurimum ampliores sunt, cœrulei saturatioris coloris ad purpureum vergentis. *Folia* hujus, ut & omnium Scabiosarum lente disrupta, filamenta tenuia, telarum aranearum ad instar exhibent.

Flos aliquando plenus videtur, ex floseulis internis ejusdem longitudinis ac amplitudinis cum externis compositus. In agrorum marginibus, & inter sata frequenter invenitur.

3. Scabiosa *latifolia rubro flore, J. B. Folia* hujus lata ad ea *Plantaginis* accedunt, serrata, hirsuta, in mucronem definentia, quæ in *caulibus* hirsutis è regione sita sunt, in quorum summitatibus *flores* ampliores, fere rubentes plani conspiciuntur; quibus *semina* longa, angulosa, majora succedunt.

Per universam Pannoniam & Austriam *invenitur. In hortis apud nos colitur.*

4. Scabiosa *Virgæ pastoris folio, C. B. P. Scabiosa latifolia peregrina, Tab.* Hæc quoque alterum latitudinis gradum in *foliis* assequitur, quæ palmaris sunt latitudinis, & prioribus obtusiora, in ambitu dentata, & *Dipsacum minorem* seu *Virgam pastoris* referentia: *caules* erecti, hirti, bicubitales, *flores* non adeo amplos, ad rubedinem tendentes, in summitatibus sustinent; quibus deciduis, *semina* longa, solida, quadrangularia succedunt.

5. Scabiosa *montana rubra non laciniata, C. B. P. Scabiosa rubra Austriaca, Lob. icon. Scabiosa latifolia Pannonica rubro flore, Clus. Pan. 3. Hist. Scabiosa integrifolia prima, Thal.* Cubitales aut bicubitales sunt *caules* rotundi, nodosi sive geniculati, nonnihil hirsuti, concavi; singulis geniculis bina *folia* ex adverso nascuntur, integra, latiuscula, in ambitu tamen crenata, viridia, & pene glabra; ex alarum sinubus rami etiam prodeunt foliati, qui ex lateribus pediculos protrudunt, *floribus vulgaris Scabiosæ* modo congestis ornatos, coloris rubescentis, nullius odoris: deinde *semina* simul congesta, angulosa, hirsuta, stellata parva corona insignita. *Radix* minimi digiti craffitudinem nonnunquam æquat, longa, nigricans, statim è capite quasdam fibras satis magnas spargens; & subinde ex lateribus novos *caules* producens. *V. icon. tab. æn.* 13.

In Pannonia & Austria *sponte nascitur.*

6. Scabiosa *Pannonica laciniata rubro flore. An 4. Clus. Hist?* Hæc cum priori convenit; & in omnibus similis est, præter *folia*, quæ profunde laciniata sunt. *V. icon. tab. æn.* 13.

7. Scabiosa *pratensis nostras præmorsa radice, Nobis. Succisa, Matth. Dod. Succisa glabra, C. B. P. Morsus Diaboli, Trag. Adv. Lob. Succisa sive Morsus Diaboli, J. B. Scabiosæ* hæc species *Morsus Diaboli* dicta est à *radice* principali abscissa, seu abmorsa, restantibus compluribus lateralibus fibrosis radiculis;

diculis; è *radice folia* oriuntur lata, oblonga, viridia pene glabra, ad margines nonnihil crenata; quibus ruptis apparent filamenta tenuia, araneorum telas referentia, quibus inferior pars folii abrupti pendet a ſuperiore, quod ut plurimum contingit in Scabioſis omnibus: *cauliculi* pedem, imo cubitum alti ſunt, qui in ramulos quoſdam diſtribuuntur, eminentibus *floribus* in ſingulis capitulis globoſis, ex pluribus petalis fiſtuloſis aliarum Scabioſarum more violaceis ſeu cœruleis, conflatis. *Vid. icon. tab. æn.* 13.

In pratis aut herboſis lætis, juxta ſylvas, ac agrorum limites, locis haud cultis reperitur. Julio & Auguſto floret.
Floribus invenitur *albis*, & interdum *carneis*, quod in aliis qui vulgo ſunt cœrulei, contingit.

8. Scabioſa *anguſtifolia capitulo minore, ſive Succiſa anguſtifolia paluſtris, Triumfetti.* E *radice* longa, fibris adnatis effunduntur *folia*, & veluti in gyrum expanſa ſunt, quæ longitudinem ſeſquipalmarem, & latitudinem ſemuncialem aut circiter poſſident; plerumque integra, non raro tamen aliqua per ambitum ſunt dentata: ſi manducentur manifeſtam ori amaritudinem reddunt: *Caulis* herbaceus, fragilis, ſtriatus bicubitalis, in varios ramulos divaricatus eſt, è cujus ſingulis nodis bina folia ex adverſo naſcuntur, quæ inciſa aut profunde dentata ſunt; ſuperiores ramuſculi foliis minoribus & integris donantur: In ſummis ramulis *flores* cœrulei coloris quam in vulgari ultra dimidium minores, eminent ex pluribus tubulis in globum diſpoſitis compoſiti. Cæterum areſcentibus floribus, hiſpida ſuccedunt capitula, *ſemina* exigua ovalia, æruginei coloris, continentia.
Tota planta perenniter durat, uliginoſa loca ac umbras amans.

9. Scabioſa *Alpina ſive Succiſa Globulariæ foliis, Triumfetti.* *Radix* quaſi præmorſa fibris lateraliter affixis, ut in *vulgari* antedicta, cernitur; unde erumpunt *folia* quaſi in ceſpite per terram ſtrata, diverſiformia, quorum quædam ſunt integra & *Globulariæ* ſimilia, alia etiam laciniosa: inter quæ *caulis* herbaceus, lævis, longitudinis circiter digitalis, exſurgit, uno vel ad ſummum duplici nodo diſtinctus; cui utrinque ad latus bina *folia* abſque pediculo hærent, à ſuperius expoſitis longe diverſa, cum profunde & tenuiter admodum diviſa ſint; è quorum alis cauliculus unus aut alter emergit; in quorum apicibus ſingulis *flos* inſidet, habita totius plantæ ratione ſatis amplus, colore quam antedictarum clariore: quo deciduo, hiſpida emergunt capitula, *ſemina* exigua ſolida continentia. Duæ hæ plantæ novæ jam dictæ, *à Doctiſſimo Jo. Baptiſta Triumfetti M. D. Bononienſi* detectæ ſunt, & in ejus obſervationibus *De Ortu & Vegetatione* editæ.

10. Scabioſa *Alpina foliis Centaurii majoris, C. B. P. Scabioſa Alpina maxima, Adv. Lob. Montana maxima, Park.* Multa è *radice* craſſa, vivaci, promit *folia* pedem aut amplius longa, viridia hirſuta, alata, ſeu in multas utrinque lacinias, per margines eleganter dentatas, ad mediam fere coſtam inciſa: inter quæ *caules* aliquot exſurgunt bicubitales & altiores pro ratione ſoli, anguloſi, duri, & lignoſi, ſuperiori parte in ramulos diviſi; quorum extremitatibus ſingulis ſingula inſident *capitula* majuſcula, rotunda, è viridi nigricantia, *flores* exerentia *Scabioſæ vulgaris* majores; è floſculis compoſitos pallidis, ſeu è luteo albicantibus, tubuloſis, (non cæſiis ut vult *Lobelius*) quibus delapſis ſuccedunt *ſemina* oblonga, hirſuta, colore pullo. *V. icon. tab. æn.* 13.
In aſcenſu montis Juræ *prope altiſſimum verticem* Thuiri *invenit* D. Raius. *Alibi etiam haud dubie in* Alpium *jugis provenit.*

11. Scabioſa *glabra foliis rigidis viridibus, J. B. Chabr.* Ad inſignem in hortis magnitudinem adoleſcit hæc *Scabioſæ* ſpecies rigidis ſtriatiſque *caulibus*, per quos foliorum eſt ſitus adverſus, veluti ex geniculis, quorum pleraque ſunt ſeſquipalmaria, quædam dodrantalia, longis hærentia pediculis, duarum triumve unciarum latitudine, ſegmentis paucis longe diſſitis, inferiore parte diviſa, ultimo ſegmento quod mucronem conſtituit trium unciarum longitudine, aut majore; rigida ſunt, viridantia, & utrinque glabra: ſurculis autem peculiaribus palmum aut dodrantem longis hærent: *flores* ex majuſculis capitulis ſquarroſis, albicantibus, hirſutis prodeunt: *ſemen* longum hirſutum. *V. icon. tab. æn.* 14.
Ex ſemine Bononia *allato* Caſp. Bauhino *crevit in ſuo horto. Provenit ſponte in* Pannonia *cum tertia* Cluſii.

12. Scabioſa *montana calidarum regionum major, Adv. Lob. J. B. Scabioſa fruticans anguſtifolia alba, C. B. P. Scabioſa maxima Leucanthema, Cam.* Colles amat, & plagæ temperatioris alumna eſt, ut *Pedemontis* prope *Rivoliam* & *Narbonæ*, ubi Montanam vocant Herbarii, *folio* anguſtiore, albidiore, parum hirſuto, leviuſque laciniato, ad imum caulem eo *Verbenæ* aut *vulgaris Scabioſæ*: ſuperiora vero folia altius diviſa inſidunt pluſculis gracilioribus ramulis, qui *flores* per *Junium* & *Julium* promunt albos, ſicut Scabioſæ parvæ, capitulis ſquamatim compactis, ubi *ſemen Trifolii Aſphaltitidis*, pullum, copioſum, involucris membranaceis arguta concinnitate effectis, anguſtias plicarum fornicum puſillorum cohibentibus. *V. icon. tab. æn.* 13.
In collibus ſaxoſis agri Narbonenſis *familiaris eſt.*
Hiſce accedunt tres ſequentes, quæ non multum diverſæ, atque etiam annuæ ſunt.

1. Scabioſa *major Pannonica albo flore, Cluſ. Pan. & Hiſt.*
2. Scabioſa *flore globoſo niveo, C. B. P. Alba in hortis Belgii, Cluſ. Hiſt.*
3. Scabioſa *alba gemino capite, C. B. P. Alba gemino tergeminove capite, Cluſ. Hiſt.*

§. 2. Scabioſæ annuæ ſeminibus anguloſis.

13. Scabioſa *altiſſima annua foliis Agrimoniæ nonnihil ſimilibus, Hermanni Hort. Lugd. Bat. Scabioſa annua Tranſylvanica foliis Agrimoniæ, Breyn. Prod.* 2. Supra viri altitudinem aſſurgit hæc *Scabioſa*, *caulibus* rotundis, cavis, geniculatis, piloſis, ramoſis, quibus ad ſingula genicula hærent *folia* bina ex adverſo, pinnata, crenata, inſtar foliorum *Agrimoniæ*, nonnihil hirſuta: ſummis ramis inſident *capitula* ex multis *floſculis* pentapetaloidibus pallidis compoſita; ſingulis ſubjiciuntur *ſemina* oblonga parva, in ſummo parum umbilicata ſeu ſtellata, ritu congenerum: *Radix* ſubeſt alba lignoſa, fibroſa, annua. *Hujus ſemina* Cl. D. Hermannus *Botanicorum hujus ſeculi facile Princeps ad nos tranſmiſit. V. icon. tab. æn.* 13.

14. Scabioſa *fruticans latifolia alba, C. B. P. Nona ſive æſtivalis, Cluſ. Hiſt. Et inadvertenter figuram hujus dedit, J. B. A quo maxima dumetorum folio non laciniato appellatur.* A *radice* annua fibroſa enaſcitur planta tricubitalis, cujus *caulis* erectus, è rotunditate quadratus eſt, cui *folia* quinque aut ſex uncias longa, anguſta, integra, dentata, ac mucronata, ex adverſo ad genicula adnectuntur: ſuperior *caulis* pars in ramos ſe dividit; hique iterum in minores, ad quorum ſingulas appoſitiones bina folia anguſta, minora tamen, naſcuntur: ſummis ramis inſident capitula rotunda ſquamata, è quibus *floſculi* cœrulei tubuloſi protruduntur, qui *florem* globoſum componunt. Succedunt deinde *ſemina* longa anguloſa, per maturitatem fuſca. *V. icon. tab. æn.* 14.

Annua

Annua hæc planta, è ſemine ex Aleppo *tranſmiſſo humanam altitudinem in horto noſtro acquiſivit.*

15. Scabioſa *annua integrifolia, ſive foliis Bellidis, Magnol. Scabioſa minima annua erecta ſemine anguloſo Moriſ. Prælud. Bot.* Ex *radice* annua *caulis* erectus exſurgit ſeſquipedalis ſeu ſeſquicubitalis, hirſutus, quem *folia* in ſingulis geniculis bina appoſita ambiunt; inferiora *Bellidis* ſunt ſerrata, hirſuta; ſuperiora longiora, ſimiliter ſerrata: *caulis* in quoſdam ramulos dividitur, *flores* ut in Scabioſa vulgari ſuſtinentes, pallide cœruleos, quibus ſuccedit *ſemen* vulgaris ritu anguloſum.

In ſegetibus eundo à la Columbiere, *Maio menſe florentem invenit* D. Magnol. *& verſus* Ledum *amnem.*

16. Scabioſa *Conyzoides Americana latifolia, capitulis & floribus albidis parvis, Paradiſ. Bat. Prod.* *Caules* erectos, pedales aut ſeſquipedales, ramoſos, quaſi quadratos geniculatos profert, ad quorum ſingula genicula apponuntur *folia* integra, hirſutie quadam aſpera, digitalis longitudinis æque ac latitudinis, modice dentata, & mucronata: è geniculis ſuperioribus, in foliorum alis, pediculis tenuibus uncialibus adnatis, *flores* bullati albi parvuli proveniunt; qui inter folia ſiti, & non in ſummitatibus caulium nudorum, ut in cæteris, apparent. *Semen* parvum anguloſum eſt. *V. icon. tab. æn.* 13.

17. Scabioſa *Conyzoides Americana anguſtifolia capitulis & floribus albidis parvis, Par. Bat. Prod.* Hæc maxima ex parte cum priori convenit; *folia* quoque eandem longitudinem, ſed vix dimidiam latitudinem (nam *Hyſſopi vulgaris* non ſuperant) acquirunt, eadem hirſutie prædita, & binatim ſita, quorum denticulationes raræ, vix perceptibiles ſunt: è geniculis, una cum *foliis* exeunt pediculi tenues, prioribus longiores, bijunctales, qui conſimiles *flores* albos, bullatos, parvulos, è capitulis ſquamatis erumpentes ſuſtinent. *V. icon. tab. æn.* 13.

Novas has Scabioſæ *ſpecies è* Batavia *ſæpius laudatus* D. Sherard *attulit, cujus munificentiæ acceptas debemus.*

TABULA XIX. SECT. VI.

Scabioſa ſemine membranaceo minore

- *perennis*
  - 18. *Glabra carnoſis foliis virentibus flore ex cæruleo purpureo, J. B. Montana glabra foliis Scabioſæ vulgaris, C. B. P.*
  - 19. *Pyrenaica cinerea villoſa magno flore, Schol. Bot. Par.*
  - 20. *Capitulo globoſo major, C. B. P. Scabioſa 5. ſive montana, Cluſ. Hiſt. Media, Dod. Tab.* 5. 13.
  - 21. *Minor vulgaris, J. B. Minor ſive Columbaria, Ger. Capitulo globoſo minor, C. B. P.*
  - 22. *Minor capitulo globoſo odoro, C. B. P. Phyteuma minus Scabioſa parva foliis Ocymi lacinatis atque odoris, Col. Phyt.*
  - 23. *Multifido folio flore flaveſcente, C. B. P. Septima vel ὠχροleύκῳ flore, Cluſ. Hiſt. J. B.*
  - 24. *Maritima Rutæ caninæ foliis, Bocc.*
- *annua*
  - 25. *Capitulo globoſo foliis in tenuiſſimas lacinias diviſis, C. B. P.*
  - 26. *Peregrina rubra capitulo oblongo, C. B. P. & Prod. Scabioſa Indica ſive ſexta, Cluſ. Hiſt.*
  - 27. *Indica prolifera folio latiore, C. B. P. Scabioſa prolifero flore, Cluſ. Hiſt.*
  - 28. *Indica dupliciter prolifera, Muntingii.*
  - 29. *Maritima parva, J. B. Chab. Magnol.*
  - 30. *Tenuifolia flore cinereo. Eyſt. Prolifera foliis Gingidii, C. B. P. & Prod.*

§. 3. Scabioſæ ſeminum calyce membranaceo minore perennes.

18. Scabioſa *glabra carnoſis foliis virentibus, flore ex cæruleo purpureo, J. B. Scabioſa montana glabra foliis Scabioſæ vulgaris, C. B. P. Scabioſa ſecunda vel Alpina, Cluſ. Pan.* Quina aut ſena habet *folia* humi ſparſa, iis *Scabioſæ vulgatioris* & inter ſegetes naſcentis fere ſimilia, minime quidem villis obſita, ſed carnoſa, præ viriditate quodammodo ſplendentia, aliquot crenis inciſa, ſapore ſi manducentur lento, & gummoſo, deinde aliquantulum acri; ex horum medio creſcit palmaris *caulis*, aliquando amplior, gracilis, rotundus, cujus inferiorem partem ambiunt quaterna aut ſena *folia* profundis, & tenuibus laciniis diviſa, bina ſemper ex adverſo ſita: extremo cauli inſidet capitulum ut in vulgari Scabioſa fere, è multis *floſculis* pentapetalis conſtans congeſtum, quorum exteriores majores ſunt, eleganti colore ex cœruleo purpuraſcente prædíti, villis quibuſdam nigris ſingulorum floſculorum ſedem ambientibus: *Radix* longa nigra craſſiuſculis albis fibris capillata eſt.

Invenitur in ſummis Auſtriæ & Stiriæ Alpium *jugis, ubi floret Auguſto, & in depreſſioribus nudiſque circa* Viennam *collium ſuperciliis, ubi Junio & Junio floribus onuſta eſt.*

19. Scabioſa *Pyrenaica cinerea villoſa magno flore, Schol. Bot. Par.* Media eſt hæc ſpecies inter majores & minores, cujus *folia* inferiora aliquantulum lata ſunt, diviſa, villis albicantibus obducta, ſuperiora vero tenuius ſunt diſſecta: ſummis caulibus *flores* ampli pallide cœrulei, aut cinerei inſident: quibus fatiſcentibus *ſemina* parva ſtriata, cum coronula membranacea, in capitulum globoſum congeſta naſcuntur.

In Alpibus Pyrenaicis *à* Pariſienſibus *detecta eſt.*

20. Scabioſa *capitulo globoſo major, C. B. P. Scabioſa quinta ſive montana, Cluſ. Hiſt. Media, Dod. Tab.* 5. 13. *Folia* prope *radicem* oblongo & caniculato pediculo, veluti in coſta quadam conſtituta, digitum lata, & uncias duas vel tres longa, in ambitu dentata, integra ſunt; quæ ſuperius excreſcunt, uſque ad coſtam mediam laciniata ſunt & alata, quorum pars extrema mucronem conſtituens latior eſt & crenata, cum albedine incana. Planta hæc *caules* erigit cubitales teretes calami frumentacei craſſitudine, variis geniculis ac ramis præditos; quibus *folia* tenuius diſſecta binatim adhærent: & quanto breviores fiunt cauliculi, tanto in ſtrictiores lacinias dirimuntur. *Flores* deinde ampli emergunt pallide cœrulei; & *ſemina* parva membranacea in capitulo rotundo barbulis fuſcis donato arcte inter ſe invicem juncta ſunt. *Vid. icon. tab. æn.* 14.

Plantam

Plantam hanc, quæ cum vulgari noſtra in omnibus convenit, niſi quod major ſit, & pluribus caulibus donata, è Gallia *recepimus.*

21. Scabioſa *minor vulgaris, J. B. Minor ſive Columbaria, Ger. Capitulo globoſo minor, C. B. P.* In collibus & ficcioribus apud nos frequens occurrit hæc *Scabioſa*, cujus *folia* ima uncialia aut biuncialia terræ incumbentia integra ſunt, & fere ovalia, in margine crenata, quædam etiam ad nervum medium diviſa, inter quæ erigitur *caule* rotundus, gracilis, pedalis, qui in inferiore parte geniculo uno aut altero donatus eſt, ad quorum ſingula bina ſunt *folia* tenuius diſſecta; ſuperiores cauliculi nudi, *flores* ſubcœruleos, ex multis floſculis compoſitos ſuſtinent: quibus deciduis ſuccedunt *ſemina* plurima exigua, coronula parva membranacea cincta in capitulo rotunda piloſa. *V. icon. tab. æn.* 14.

Per totam æſtatem floret, & in autumno ſemen perficit.

Invenitur hæc planta floribus albis, interdumque carneis, ſed rarius.

22. Scabioſa *minor capitulo globoſo odoro, C. B. P. Scabioſa parva odorata, floris foliis maculis infectis, J. B. Phyteuma minus Scabioſa parva foliis Ocymi laciniatis atque odoris, Col. Phyt.* Pulcherrima atque grata oculis nec non naribus eſt *Scabioſa* hæc, quæ lignoſam longam *radicem* habet, ex qua *folia* exeunt diverſa; nam in imo vel ſunt ſylveſtris *Erucæ* paria, vel *Coronopi* ſimilia, minora vero atque hirſuta, in *caule* vero ſimilia laciniis *Scabioſæ vulgaris* minoris. Surculi & *flores* qui purpurei ex albo colore ſunt, nec ut in aliis ex cœruleo purpurei in capitulis rotundioribus conſpiciuntur: atque ſinguli floſculi *Ocymi* flores imitantur; nam galericulati ſunt, & per oras laciniati, admodum ſimiles *Ocymo exotico*, petalis ſingulis florum purpureis maculis infectis, fimbriatiſque, atque etiam quod in aliis Scabioſis non obſervatur, bene odorati ſunt. *V. icon. tab. æn.* 13.

Floret æſtate atque etiam hyeme, propter cœli amœnitatem. Oritur in montibus Amelſoeæ *oræ.*

23. Scabioſa *multifido folio flore flaveſcente, C. B. P. Septima vel ὠχρολεύκῳ flore, Cluſ. Hiſt. J. B. Tertia, Cluſ. Pan. Lutea è Thuringia, Cam. Pannonica flore albo, Eyſt. Radice* firmatur oblonga, perenni, tenui, quæ deſinit in *caulem* rotundum, gracilem, virentem, geniculatum, ad cujus ſingula internodia *folia* bina ex adverſo ſibi reſpondentia prodeunt, profundis tenuibus & alatis fiſſuris prædita, præter ea quæ prope *radices* naſcuntur, quæ rarioribus & latioribus diviſuris exeunt. In ſummis ramulorum verticillis capita fert è *floribus* è candicante flaveſcentibus conſtantia; quibus marcidis in oblongam quaſi ovalem ſpicam excreſcunt *ſemina* undique confarctata parvis involucris angularibus ſeu ſulcatis & coronata cæterarum Scabioſarum hujus ſeriei more. *V. icon. tab. æn.* 13.

Plurimum reperitur in Germaniæ Saxonicis, Thuringiacis, Miſniacis, Noricis & Stiriacis *agrorum marginibus, & aliis apricis locis.*

24. Scabioſa *maritima Rutæ caninæ foliis, Boccon. Caule* aſſurgit hæc *Scabioſa* uti vulgaris, tereti, ſtriato, cubitali, atque pluribus alis concavo, imbecilli tamen & humi ſubinde procumbente: *folia* quæ primo naſcuntur in multas & profundas lacinias inciſa ad *Rutæ caninæ* ſive *Fiſtulariæ* folia accedentia, in caule ſenſim attenuata, at minora ſunt: *flores* ſubpallidi, quandoque etiam rubentes proferuntur. *Semina* prædictarum more producuntur. *Vid. icon. tab. æn.* 13.

Naſcitur in Caietæ *maritimis, & arenoſis littoribus.*

§. 4. Scabioſæ ſeminum calyce membranaceo minore, annuæ.

25. Scabioſa *capitulo globoſo foliis in tenuiſſimas lacinias diviſis, C. B. P. Scabioſa anguſtifolia flore ſubcæruleo, Eyſt.* Seſquicubitali *caule* exſurgit, quem *folia* fere ad medium nervum uſque tenuiter diſſecta, rara per intervalla, ſitu æquali veſtiunt, ſingulis adnatarum virgarum ſummitatibus exhibentibus *flores* in diſco ſeu orbiculo inferius folioſo copioſe farctos, pallidos, ſubcœruleos, & denique ſuccedentia *ſemina* parva oblonga anguloſa membranaceo calyce coronata.

26. Scabioſa *peregrina rubra capitulo oblongo, C. B. P. & Prod. Scabioſa Indica ſive ſexta, Cluſ. Hiſt. Scabioſa Indica flore ſature, & dilute rubro, Eyſt. Radicem* emittit oblongam ſenſim gracileſcentem, ac quandoque multifidam, firmantem *caulem*, cubito minus longum, ramoſum, tenuem, quem *folia* ſuperiora, in tenues & profundas lacinias fiſſa, inferiora vero maxime quo *radici* propriora ſunt, in rariores dirempta, æqualiter ambiunt viridia, & nodos ramorum pediculis ſuis, amplectentia: verticibus brachiorum, ut & *caulis* inſident capitula orbiculata ex innumeris *floſculis* ſaturate rubris, cæterarum Scabioſarum more coacervatis, congeſta, quorum exteriores ampliores ſunt, & quinis laciniis conſtant, æque ac inferiores, ſingulis autem albicantia tenuia ſtaminula è medio exeunt, atque color elegantiſſimo rubore placens, decorem aſpergit, donec defluant iſti & *ſemina* capiti in metæ formam efformato, circumponantur, Scabioſarum aliarum Indicarum ritu, radiis membranaceis coronata. *V. icon. tab. æn.* 14.

Huc pertinet *Scabioſa Indica flore nigro Zibethi odore; & Scabioſa Indica flore dilute rubro, Eyſt.* Invenitur etiam *flore albo, pallido, carneo, &c.* quæ ſolo colore ab hac Indica flore ſaturate rubro differunt.

27. Scabioſa *Indica prolifera folio latiore, C. B. P. Prolifera, J. B. Prolifero flore, Cluſ. Hiſt.* Priori accedit, *floribus* obſervatur etiam verſicoloribus, ejuſdem formæ, gratique odoris, ad cujus latera in orbem funduntur multi longiuſculi petioli, è quibus alii minores *flores* colore conſimiles, more *Calendulæ proliferæ* antedictæ, dependent. *V. icon. tab. æn.* 14.

28. Scabioſa *Indica dupliciter prolifera, Muntingii.* Planta hæc à præcedentibus variare videtur; *folia* inferiora ſunt latiora, dentata in extremis lobis, laciniata verſus pediculum medium: in ſummis caulium *flores* apparent prioribus conſimiles, è quorum marginibus ſecundi *flores* minores exeunt, pediculis ſuis propriis inſtructi, & ex horum lateribus tertii floſculi minores prodeunt varie ludente natura in diverſis florum coloribus. *V. icon. tab. æn.* 14.

29. Scabioſa *maritima parva, J. B. Chab. Magnol.* Longiuſculam agit *radicem* ſatis craſſam, multorum capitum, pro quorum numero *caules* emergunt dodrantales, & ſi accedat cultus cubitales, ramoſi: *folia* inferiora glabra carnoſa, viridia, laciniata, trium unciarum longitudine; at ſuperiora anguſta, & veluti graminea, nullam agnoſcunt diviſionem: *capitula* pro plantulæ modulo magna, *floſculis* magnis referta ſunt, quæ *foliis* oblongis viridibus ſubjectis, circa margines purpuraſcentibus, obvallata ſunt, & in *ſemina* membranacea, parva, piloſa, temporis ſucceſſu tranſmutantur. *V. icon. tab. æn.* 15.

In maritimis non procul à Monſpelio, *præcipue verſus* Cetium *montem* D. Magnol *invenit.*

30. Scabiosa *prolifera foliis Gingidii*, *C. B. P. & Prod. Scabiosa tenuifolia flore cinereo*, *Eyst.* Hæc Scabiosæ species floribus cum 27. convenit, *folia* vero tenuissime sunt divisa, *Gingidii* foliorum æmula: *flores* proliferi summis caulibus insident, quibus foliola fœniculacea, pro calyce subjiciuntur: *semina* ad eundem modum cum cæteris profert. *V. icon. tab. æn.* 14.

TABULA XX. SECT. VI.

Scabiosa semine membranaceo majore

perennis

31. *Arborea Cretica Alpino, Park. Ponæ Ital. Scabiosa stellata folio non dissecto, C. B. P.*
32. *Africana arborescens maxima foliis rugosis & crenatis integris major, Parad. Bat. Prod.*
33. *Africana arborescens minor foliis rugosis & crenatis integris Par. Bat. Prod.*
34. *Africana perennis dissectis foliis subhirsutis flore purpureo, Par. Bat. Prod.*
35. *Affricana dissectis foliis lucidis glabris, Par. Bat. Prod.*
36. *Argentea angustifolia, C. B. P. & Prod. Scabiosa graminea argentea, J. B.*
37. *Gramineis foliis glabris, Morif. Prælud. Botan.*
38. *Foliis dissectis flore amplo, calyce membranaceo, semine lanuginoso, Prælud. Bot.*

annua

39. *Hispanica major, Clusii. Scabiosa stellata folio laciniato major, C. B. P. Major cum pulchro semine, J. B.*
40. *Hispanica minor, Clus. Stellata folio laciniato minor, C. B. P. Cum pulchro semine minor, J. B.*
41. *Prolifera foliacea, Nobis. Scabiosa peregrina, Rawolf. in Horto ficco.*
42. *Stellata minima, C. B. P. & Prod.*

§. 5. Scabiosæ seminum calyce membranaceo majore perennes.

31. Scabiosa *arborea Cretica Alpino, Park. Ponæ Ital. Scabiosa stellata folio non dissecto, C. B. P. Fruticosa folio non dissecto peregrina, J. B. Tab. Scabiosa peregrina, Lob. Lugd. Ger.* Ad altitudinem duorum brachiorum ascendit hæc *Scabiosa fruticans*, & lignosa, cum multis ramis in superiore parte, qui ex uno *caule* pollicaris crassitiei cortice albicante rugoso tecto, oriuntur; *foliis* ex angusta basi biuncialibus, Plantagineis, integris, non crenatis, incanis, sicut ut plantæ in *Creta* nascentes referta. *Flores* in summis caulibus nudis subcæruleos amplos profert quibus deciduis *semina* argentea lanugine villosa, calyce in superiore ejusdem parte membranaceo, amplo donata, in globum efformantur: *Radix* dura & longa est, in alias radiculas divisa. *V. icon. tab. æn.* 5.

Provenit in Creta; *per totam æstatem floret*; folia *per totam hyemem virent*, *sed apud nos absque conservatorio vix hyemem fert*: semina *raro matureſcunt, sed pangendo incrementum sit.*

32. Scabiosa *Africana arborescens maxima foliis rugosis & crenatis integris major, Paradis. Bat. Prod. Scabiosa maxima arborescens floribus pallidis, Schol. Bot. Par.* Planta hæc rara, ad altitudinem duorum triumve cubitorum, *caule* firmo & quasi lignoso, in alios minores diviso assurgit; *foliis* plurimis semper virentibus vestito, quæ biuncialem latitudinem & duplicatam longitudinem obtinent, sed variis laciniis in marginibus divisa, serrata, veluti crispa & hirsuta sunt: summi ramuli *floribus* pallidis, aut ochroleucis, cæterarum hujus familiæ forma ornantur: quibus marcescentibus, *semina* sulcata, oblonga, cum calyce amplo membranaceo sequuntur; in cujus medio stella ex quinque setulis hispidis radiata apparet.

33. Scabiosa *Africana arborescens minor, foliis rugosis & crenatis integris, Par. Bot. Prod.* Hæc à prædicta non multum abludit; humilior est planta, *foliis* etiam minoribus donata; sed ejusdem forma & aspectu: *Flores* & *semina* ad eundem modum profert.

34. Scabiosa *Africana perennis, dissectis foliis subhirsutis, flore purpureo, Par. Bat. Prod. Scabiosa minor dicta Æthiopica frutescens, foliis lanuginosis, flore cæruleo purpurascente, Breyn. Prod.* 2. Hæc quoque frutescit, & perpetua fronde viret; cujus *folia* molli hirsutie donata, in frequentiores lacinias dissecta sunt, & *flores* amplos purpureos emittit,

35. Scabiosa *Africana dissectis foliis lucidis glabris, Par. Bat. Prod.* Cum antecedentibus hæc etiam convenit. *Folia* laciniata profert, quæ nulla canitie obducuntur, sicut in aliis sed penitus glabra & lucida conspiciuntur. *Flores* eodem modo cum cæteris producit.

Ex Africa *in* Bataviam *hæ species novæ allatæ sunt, unde in* Angliam *transmissæ, in hortis Curiosorum servantur.*

36. Scabiosa *argentea angustifolia, C. B. P. & Prod. Park. Scabiosa graminea argentea, J. B.* E *radice* lignosa caules bini, terni, sesquipalmares, rotundi, incani, parum reflexi, exsurgunt: circa radicem *folia* quatuor aut quinque uncias longa, angusta, graminea, albicantia, & argenti colorem referentia, inordinate disponuntur; in superna caulis parte nulla sunt: *Caulis* unicum discum orbiculatum planum, molli lanugine incanum sustinet, qui plures *flosculos* cœruleos, vel pallidos, aliarum forma continet: quibus subsunt *semina* argentea lanugine villosa, & *Creticæ arborescentis* supra dictæ æmula, calyce membranaceo sicco amplo in singulorum summitate ornata. *V. icon. tab. æn.* 15.

In monte Vicentino Sumano *dicto, ut etiam in fodinis ferrariis* Stiriæ *provenit.*

37. Scabiosa *gramineis foliis glabris, Prælud. Bot.* Hæc *Scabiosæ argenteo folio* persimilis est, nisi quod hujus *folia* glabra sint: utraque est *calyce* membranaceo, & *seminè* lanuginoso donata.

38. Scabiosa *foliis dissectis, flore amplo, calyce membranaceo, semine lanuginoso, Morif. Prælud. Bot.* Hæc *folia* admodum tenuiter dissecta *Columbariæ* ad instar habet; sed *flores* gerit amplos, dilute cœruleos, quorum singulis succedunt *semina* lanuginosa calyce amplo membranaceo donata.

§. Scabioſæ ſeminum calyce membranaceo majore annuæ.

39. Scabioſa *Hiſpanica major, Cluſ. Scabioſa ſtellata folio laciniato major, C. B. P. Major, cum pulchro ſemine J. B.* Hæc *folia* habet *Scabioſæ vulgaris* majoris foliis fere ſimilia, laciniata ſcilicet, alte inciſa, mollia, ampliore foliolo extremitatem claudente, lanugine pubeſcentia: *caules* eadem habet nodoſos, rotundos, cubitales; è quorum geniculis folia inter ſe oppoſita proveniunt: ſummis ramis inſident *capitula* è multis calycibus membranaceis, & paleaceis compoſita, qui ſingulares continent *flores* candicantes aut ex violaceo albicantes: quibus ſingulis deciduis ſuccedunt calyces membranacei, ficci, unguem lati; & in medio calyculorum umbilico exigua quædam ſtella conſpicitur, quinque radiolis conſtans: paulatim autem hi cauliculi membranacei excreſcentes expanduntur, donec *ſemen* hirſutum & craſſum (quo calyculi conſtant) matureſcere incipiat: *Radice* fibroſa & annua eſt. *V. icon. tab. æn. 15.*
Creſcit intra vinearum margines & ſemitas, lociſque incultis agro Salmanticenſi, *& in aliis etiam Hiſpaniæ partibus. Apud nos in Hortis alitur, & Menſe Julio flores & ſemina globum componentia in Autumno perficiuntur.*

40. Scabioſa *Hiſpanica minor, Cluſ. Scabioſa ſtellata folio laciniato minor, C. B. P. Cum pulchro ſemine minor, J. B. Minor Hiſpanica vel altera, Lugd. Scabioſæ peregrinæ altera ſpecies, Dod.* Simplici & lignoſa *radice* figitur, paucis quidem iiſque exiguis fibris capillata: *caulis* dodrantalis, aliquot diviſuris præditus, concavus teres, hirſutus eſt: *folia* tenuiter diſſecta, ſuperiorum foliorum Columbariæ Scabioſæ modo, pilis obſita, capitulis radiata, ſubjecta ſolia oblonga: *ſemen* per omnia ſimile eſt *Scabioſæ Hiſpanicæ* majoris ſeminibus, multo tamen minus tomentoſum etiam, calyce membranaceo coronatum, pellucidum, ſtriatum, cum ſtella in medio quinque-radiata, ex capillamentis rigidiuſculis compoſita. *Vid. icon. tab. æn. 15.*
Iiſdem cum priore locis invenitur,

41. Scabioſa *prolifera foliacea ſemine membranaceo majore, Nobis. Scabioſa peregrina, Rawolfii. Scabioſæ* hæc ſpecies elegans in Horto ficco à *D. D. Leonardo Rawolfio*, in itineribus ſuis, in Oriente Plantarum cauſa ſuſceptis Anno 1573. collecta, conſervata eſt: Cujus *caulis* erectus ſemipedalis aſſurgit, *foliis* longis integris & hirſutis veſtitus; è cujus ſummitate quatuor alii emergunt cauliculi; quorum centro *flos* amplus pallidus *Hiſpanicæ maioris* flori ſimilis, arcte adhæret, cui folia longa, anguſta, & integra ſubjiciuntur: cauliculi laterales nudi, ad quatuor vel quinque unciarum longitudinem ſe dividunt, & in angulis *flores* etiam inſident, cum foliolis quoque ſubjectis, & abhinc tertiam diviſionem cum floribus etiam minoribus, obtinent: *ſemina* ſunt craſſa villoſa, cum calycibus amplis membranaceis, ut in prioribus.
An eadem quæ in Horto ſicco D. Charlton, *Viri ut in aliis rebus naturalibus, ſic in Plantis Curioſiſſimi, Scabioſa ſphærica minor nominata eſt?*

42. Scabioſa *ſtellata minima, C. B. P. & Prod.* Plantula eſt trium quatuorve unciarum, levi hirſutie caneſcens, *radicula* ſimplici, cauliculo ut & foliis biuncialibus anguſtis, in parvas, & profundas lacinias diviſis: cauliculi ſummitati *capitulum* rotundum ex calyculis paleaceis compoſitum inſidet, *flores* ſubcœruleos parvos continens, quibus exſiccatis, in calyculorum medio ſtella conſpicitur, ut in cæteris.
In Provinciæ *locis incultis naſcitur. V. icon. tab. æn. 15.*

TABULA XXI. SECT. VI.

- *Scabioſa Bellidis folio Globularia dicta, caule*
  - *nudo*
    - 43. *Radice non repente, Nobis. Bellis cærulea caule nudo, C. B. P.*
    - 44. *Sive Scabioſa montana minor repens, ſeu* 10. *Cluſ. Hiſt. Bellis cærulea montana fruteſcens, C. B. P.*
    - 45. *Pyrenaica minima, Nobis. Bellis cærulea Pyrenaica fruteſcens minima, Schol. Bot. Par.*
  - *folioſo*
    - 46. *Nobis. Bellis cærulea caule folioſo, C. B. P. Globularia Monſpelienſium, Adv. Lob. Globularia cærulea, Col.*
    - 47. *Foliis ſpinoſis, Nobis. Bellis cærulea ſpinoſa, C. B. P. & Prod.*
    - 48. *Biſnagarica, ſive Globularia fruteſcens rigidis foliis ad radicem Rotundioribus cordatis, ad caulem mucrone præditis, D. L. Pluk.*

§. 7. Scabioſæ Bellidis folio humiles, Globulariæ dictæ

43. Scabioſa *Bellidis folio humilis caule nudo, radice non repente, Nobis. Bellis cærulea caule nudo, C. B. P. Aphyllantes 3. Lugd. Bellis cærulea globoſa elatior, Park.* *Radice* eſt parva fibrata alba: *foliis* circa radicem multis humi ſtratis, ex viridi nigricantibus, longiuſculis & ex latitudine mucronatis: inter quæ *caules* tenues, nudi, ad altitudinem ſex ſeptemve unciarum eriguntur, qui *flores* cœruleos globoſos ex floſculis multis tubuloſis compoſitos, ſuſtinent; ſapor totius plantæ amarus eſt. *V. icon. tab. æn. 15.*
In ſylvis & montibus, maxime Carthuſianorum Cœnobio *vicinis, invenitur.*

44. Scabioſa *Bellidis folio humilis caule nudo, radice repente, folio cordato, Nobis. Bellis cærulea montana fruteſcens, C. B. P. Scabioſa repens montana, Cam. Aphyllanti affinis, Scabioſa 5. Cluſii. Belli affinis, J. B. Scabioſa quinta ſive montana repens, Cluſ. Pan.* 10. *Hiſt. Scabioſa minima Bellidis folio, Ger. Scabioſa Globulariæ Bellidis folio, Park.* Late ſerpit *radice*, & ceſpitibus terram occupat: ex radice autem quaquaverſum multi expanduntur *caules*, humi diffuſi, & ſubinde fibras agentes: *folia* ſatis numeroſa denſa, & carnoſa, lævia, viridia, ad modum *Bellidis minoris* nullo mucrone prædita, ſed cordis (ut vulgo pingitur) formam referentia, guſtu amara: aliquot deinde prodeunt inter folia dodrantales cauliculi, teretes, ſinguli, ſuſtinentes capitulum rotundum, priori majus, & planius, multis craſſiuſculis villis, aut floſculis tubuloſis, hirſutum *Succiſæ* ſive *Morſus Diaboli* ſimilibus coloris violacei: *ſemina* longa tenuia villoſa, cum quinque apicibus in ſingulorum ſummitatibus in orbem compacta ſunt. *V. icon. tab. æn. 15.*

Naſcitur *in omnibus* Pannoniæ & Auſtriæ *montibus glabris & aſperis, inter ſaxa, & ſalebras ſparſa; Gramineis etiam ficcioribus quibuſdam & incultis locis, veluti ſupra* Neapolim *Auſtriæ. Floret Aprili & Maio: Semen Julio & Auguſto matureſcit.*

45. Scabioſa

45. Scabiosa *Bellidis folio Pyrenaica minima, Nobis. Bellis cærulea Pyrenaica frutescens minima, Schol. Bot. Par.* Planta hæc cum antecedenti in omnibus convenit, nisi quod sit minor.

46. Scabiosa *Bellidis folio humilis, Globularia dicta, caule folioso, Nobis. Bellis cærulea caule folioso, C. B. P. Globularia Monspelien sium, Adv. Lob. Globularia cærulea, Col. Apbyllantes Anguillara sive Globularia Bellidi similis, J. B. Bellis minor flore cæruleo, Eyst.* A floris pulcherrimi glomerati figura, *Globulariam* dixerunt quidam; constat autem is staminulis cœruleis dense farctis, insidens cacumini *caulis* palmaris, & sesquipalmaris, rarius cubitalis, rotundi, striati rubescentis, *foliis* vestiti multis, interdum unico, interdum ab eadem radice pluribus: alia per terram sparguntur folia, *Bellidis* proxima, pluribus solidiora, glabra, nervosa, gustu amara: *Radix* lignosa dura, fibris donata, rubra exterius, interius alba est. *V. icon. tab. æn. 15.*

Per Pannoniam & Austriam, *in gramineis campis, sylvis à fruticibus & arboribus liberioribus nascitur, & non longe à* Monspelio *in* Gramuntiæ *sylvæ vicinis devexis pratis oriri notat Lobelius. In squalidis ultra pontem* Castrinovi *frequens occurrit.*

In agro Viennensi *eandem flore niveo* Clusius *invenit, quod natura cæruleis floribus non raro usu venit, ut Scabiosæ vulgari, Succisæ, Prunellæ, Bugulæ, &c.*

47. Scabiosa *humilis Bellidis foliis spinosis, Nobis. Bellis cærulea spinosa, C. B. P. Bellis spinosa flore globoso, C. B. Prod.* Hæc tota fere facie præcedentem refert, cujus ad *radicem folia* plura sunt parva, rigida, crenata; & cuilibet crenæ aculeus insidet: *cauliculo* est palmari atrovirente, quem folia oblonga, angusta, non crenata, sed in aculeum abeuntia, inordinate basi sua vestiunt; cujus summitati accrescit *capitulum* rotundum cœruleum *Globulariæ* capitulo majus, multis *flosculis* ut in *Succisa* hirsutum: hæc copiose nascitur pluribus capitulis simul congestis cespitem constituentibus. *In* Granadæ *montibus observata est.*

48. Scabiosa *Bisnagarica, sive Globularia frutescens rigidis foliis, ad radicem rotundioribus cordatis, ad caulem autem mucrone præditis, D. L. Plukenet;* qui re ipsa se Curiosissimum & Collectorem indefessum facile demonstrat. In Tabula sua 58. hanc edidit, & in titulo tot distinctionis notas adhibuit, ut pluribus uti supervacuum fuerit.

De aliis Plantis quæ Scabiosæ a quibusdam Auctoribus nominantur.

Scabiosa *major squammatis capitulis, C. B. P. & major altera, ejusdem*; Hæ duæ cum capitula subjecta squammata proferant, ad Jaceas referendæ sunt.

Scabiosa *globularia, quam ovinam vocant, J. B. Scabiosa ovilla, Cam. Scabiosæ 3. genus, Dod. Scabiosa tenuifolia globosa elatior, Park. & inde D. Raii.* Quæ planta est lactescens semine lucido donata, & recte à *Casp.* Bauh. Rapunculus Scabiosæ capitulo cœruleo nominata, in sectione quinto voluminis prioris legenda.

Scabiosa *minor montana capitulo squammoso, C. B. P. Omnium minimo, Lob. J. B. Ger. Raii &c.* vide Jaceas.

Qua ratione inductus D. Raius Clinopodium aut Origanum fistulosum Canadense Cornuti, inter Scabiosas *locavit, divinare non possum.*

Scabiosæ Vires & Usus,

Scabiosa *facultatem aperiendi, attenuandi, discutiendi, & exsiccandi obtinet: sudorifera est & Alexipharmaca, sicuti & Pulmonica.*

Multi usus est adversus tussim veterem, pectoris angustiam respirationis difficultatem, laterum dolores, & Pleuritida. In angina, variolis, & morbillis ubi pulmones male se habent, cum successu usurpatur Scabiosa.

Ulcera interna per calorem matura reddit, in vino decocta sanguinem mundificat, urinam provocat: Contra Scabiem, & humores cancrosos, intrinsecus & extrinsecus sumpta & applicata, mire valet.

In Pruritu, impetigine, & in furfuribus, & Lendibus capitis, cum successu usurpatur.

Fistulosa quoque ulcera mundat. In febribus pestilentialibus, & in ipsa peste, succus vel decoctum herbæ & radicis, optimi sunt usus.

Folia non sine successu Carbunculis imponuntur, Lob.

Morsus Diaboli *valde commode ad maturandos, atque adeo sanandos Carbunculos adhibetur: si herba viridis trita imponatur, aut vinum in quo decocta fuerit herba, propinetur.*

In Epilepsia, uterino dolore, sanguine coagulato, Lue venerea, ejusque ulceribus celebratur.

Extrinsecus in Angina, & ad tumores & bubones suppurandos commendatur. Fere in omnibus cum Scabiosa (cujus est species) & facie & viribus convenit: cujus dotes præcipue in hisce versiculis celebrantur:

Urbanus pro se nescit pretium Scabiosæ*:*
Nam purgat pectus, quod comprimit ægra senectus.
Lenit pulmonem, purgat laterum regionem;
Abscessus frangit, si locum bibita tangit:
Tribus uncta foris Anthracem *liberat horis.*

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis

PARTIS III. SECTIO VII.

De Plantis Lacteſcentibus non pappoſis; Lacteſcentibus pappoſis; Pappoſis non Lacteſcentibus floribus nudis & ſtellatis, & capitatis.

EXplicata doctrina Sectionis ſextæ in qua continentur Plantæ Corymbiferæ diſcoides ſtellatæ, ſolida ſemina producentes (quarum ſingulis floſculis ſuccedunt ſingula ſemina ſolida, anguloſa, quæ tamen ſuccum lacteum non ſuppeditant;) Methodi noſtræ ratio exigit ut exordiamur Sectionem ſeptimam, atque ejuſdem Primum Membrum *ab Herbis floſculos ſtellatos, & ſolida ſemina producentibus, quæ eo nomine Plantis ſextæ Sectionis affines ſunt; a quibus tamen diſcrepant hujus familiæ ſtirpes, quatenus lacteo humore turgent, quem diſruptæ effundunt.*

Secundi Membri *Herbæ itidem omnes ſuccum lacteum effundunt, in quo cum primo conveniunt: ſemina tamen producunt Pappo donata, qui pappus ſeu lanugo, in parte ſeminis ſuperiore naſcitur. Et hoc eſt diſcrimen eſſentiale quo inter ſe diſtinguuntur Herbæ ſecundi Membri & primi.*

In Tertio Membro *Herbas non lacteſcentes non ſtellatas ſeu floribus nudis, & ſtellatas ſeminibus pappo donatis, tractabimus; cujus beneficio vento ſufflante huc illuc agitantur.*

Herbæ quarti Membri *ſeminibus etiam pappoſis præditæ ſunt; ſed capitulis ſquamoſis, nunc lævibus, nunc ſpinoſis, & floribus ut plurimum fiſtuloſis.*

Hiſce quatuor Diſtributionibus abſolvetur tota hæc ſeptima Sectio, quæ cum priori in hac præcipue nota convenit, quod ſingulis floſculis (quorum multi tubuloſi ſeu fiſtuloſi in flore unico continentur) ſingula ſuccedant ſemina.

De hiſce ordine agemus.

SECTIONIS VII. DISTRIBUTIO.

De Plantis ſtellatis lacteſcentibus non pappoſis, ſeu ſeminibus ſolidis.

Intybus ſive Endivia, & Cichorium, ejuſque ſpecies.

CAPUT I.

Intybus *ſive* Endivia.

SEris Σέρις *Dioſc. l. 2. c. 160. cujus verba ſic interpretantur aliqui, Seris duum generum eſt, ex quibus altera quæ ſylveſtris eſt,* Picris & Cichorium *vocatur, altera quæ hortenſis dicitur latioribus eſt foliis & ſtomacho commodior eſt, ſive ut alio exemplari legitur,* Ori gratior ſeu commodior.

Intybum Latini vocarunt, à caule cavo tubæ ſpecie, Bod. à Stapel. *quod Etymon ejuſdem commatis eſt cum eo Iſidori, qui quod intus ſit tofus ſic dici nugatur, l. 17. c. 10. Nos ab Orientalibus qui* Hindab *ſeu* Hendev *ſeu* Hindaba *vel* Hindeba *ac aliquando* Hendeva *hanc plantam vocitant, nomen* Intybi *aut* Endiviæ *ductum eſſe credimus.*

Intybus ſive Endivia eſt planta mollis, lacteſcens, ſtellata, ſeminibus ſolidis non pappoſis, annua.

TABULA I. SECTIONIS VII.

Intybus ſive Endivia
- *cærulea*
  1. *Sativa anguſtifolia, C. B. P. Intybum ſylveſtre, Ger.* ♃.
  2. *Sativa latifolia ſive Endivia vulgaris, C. B. P.* ♃.
  3. *Criſpa, Matth. Tab. C. B. P. Endivia Criſpa, Ger.* ♃.

Intybus

Intybus ſive Endivia — *lutea*

4. *Verrucaria, Nobis. Cichorium verrucarium & Zacintha, Cluſ. Hiſt. Park.* ☿.
5. *Humilis ſtellata, Nobis. Hieracium Narbonenſe ſiliqua falcata, Lob. Lugd. Hieracium ſtellatum, J. B.* ☿.
6. *Capitulum inclinans ſemine aduncomajor, Nobis. Hieracium caput inclinans, J. B.* ☿.
7. *Capitulum inclinans ſemine adunco minor, Hieracii folio.*
8. *Minima in arenoſis caule nudo ad florem turgidiore, Nobis. Hieracium minimum* 9. *Cluſ. Hiſt. at deſcrip.* 11. *Hieracium minus folio ſubrotundo, C. B. P.* ☿.
9. *Erecta Rapifolia, Lampſana dicta, Nobis. Lampſana, Dod.* ☿.

1. Intybus *ſativa anguſtifolia, C. B. P. Intybum ſativum anguſtifolium, Lugd. Intybus Endivia minor, anguſtifolia, Park. Matth. Dod. Intybum anguſtifolium Scariola aliquibus, Geſn. hort. Seriola vel Endiviola, Adv. Intybum ſylveſtre, Ger. Endivia* hæc anguſtifolia multa protrudit *folia* longa, mollia, & carnoſa humi ſtrata, manifeſte ſerrata; *caulem* emittit cubitalem rotundum, concavum, incanum, in ramulos diviſum, è quo, ſicut ex foliis ruptis & radice, lacteus profluit ſuccus nonnihil amaricans: *Flores* ſecundum caules (qui aſſurgentes angulos conſtituunt) non erecti ut in *Cichoreo*, proveniunt, multi ſimul in nodos compacti ſtellati ex multis petalis ad extremum crenatis commiſſi, colore frequenter cœrulei, raro candidi, quibus ſingulis ſuccedunt *ſemina* quadrata ſibi invicem confertim juncta in pericarpio itidem folioſo: radices quotannis poſtquam *ſemina* matura fiunt pereunt. Hujus folia communiter integra, interdum vero *Cichorei* in modum in lacinias diviſa ſunt; præcipue ſemine ex *Aleppo* adducta, frequentiſſima folia profunde laciniata, & hirſuta proferunt.

2. Intybus *ſativa latifolia, ſive Endivia vulgaris, C. B. P. Intybus major ſativa, ſive Cichorium domeſticum, Tab. Intybum ſativum, Dod. Intybus ſativa, Ger. Seris ſive Endivia ſativa, Park. Endivia alba, Lob. icon. Lugd. Folia* edit oblonga lata, lævia, ex albido virentia, *Lactucæ* fere æmula, in ambitu nonnihil crenata: *Caulis* altius quam antecedentis erigitur, & ramoſior eſt: *Floret ad eundem modum.*

3. Intybus *criſpa, Matth. Tab. C. B. P. Seris ſive Intybus criſpa, Adv. Lob. Endivia criſpa, Ger. Endivia Romana criſpa, Cam. Intybum ſativum criſpum, J. B.* Hæc tertia Endiviæ ſpecies, amplo folioſoque ceſpite provenit, *foliis* magnis ſed ubique in ambitu criſpis & fimbriatis: *caule* cæteris majore, craſſiore & teneriore: cætera prioribus par.

In Hortis ad uſus oleraceos ſeruntur hæ ſpecies; quæ vere ſatæ, cito cauleſcunt, & ſemina producunt; ſed in æſtate aut circa autumnum ſatæ, in terram bene ſtercoratam tranſplantantur, lateritioque fruſto media onerantur folia, quo latius ſe porrigant luxurientque; qua induſtria amarorem exuunt, & gratiora fiunt cum hybernis menſibus ad acetaria ſervantur, obruta terra, fimo, ſtramineque.

4. Intybus *ſive Endivia lutea verrucaria, Nobis. Chondrilla verrucaria foliis intybaceis viridibus, C. B. P. Cichorium verrucoſum ſive Zacintha Hieracii adnumerand. J. B. Cichorium verrucarium ſive Zacintha, Ger. Park.* E *radicis* longæ multis fibris donatæ capite, multa *folia* oblonga, ſinuata, *Dentis Leonis* inſtar laciniata, per terram ſtrata profert: *Caules* paululum humo attollit graciles, dodrantales; nonnunquam etiam cubitales, intus fungoſos, ſuperne ramoſos: ad genicula laterave ſeſſiles adnaſcuntur rari *floſculi*, alii etiam extremis ramulorum lutei exeunt, quibus fatiſcentibus ſingulis ſingula ſuccedunt pericarpia pulcherrima, verticillatim radiata, in capita anguloſa & dura abeuntia, octogona plerumque & clavæ ferreæ inſtar, aut verrucæ forma efformata; atque in ſingulis loculamentorum, ſingula continentur *ſemina* ſolida abſque pappo, poſt quorum maturitatem radix perit.

Sponte naſci in Zacyntho *Inſula* Græca, Lobelius *ſcribit; & in variis* Italiæ *locis, circa* Liburnum, Florentiam, *aliiſque invenitur.*

5. Intybus *ſive Endivia lutea humilis ſtellato ſemine, Nobis. Hieracium ſtellatum, J. B. Hieracium Narbonenſe ſiliqua falcata, Lob. Lugd. Hieracium ſiliqua falcata, C. B. P. Falcatum ſive ſtellatum, Park.* Planta hæc annua pedalis aut circiter, *folia* protrudit prima per terram diffuſa, profunde ſinuata, glabra, oblonga, quorum diviſio ſeu foliolum extremum cæteris lateralibus multo majus eſt: *Caulis* aſſurgit gracilis, lævis, ſatis rigidus, in ramuſculos divaricatus, in quorum angulis, & ad terminationes, *floſculi* lutei, radiati, ſeſſiles proveniunt: quibus marceſcentibus, ſtella ex ſex ſeptemve radiis duris, incurvatis, compoſita, ſeſe exhibet; in quorum ſingulis unicum continetur *ſemen.*

Provenit circa Monſpelium, Bononiam, *alibique inter ſegetes. Menſibus æſtivis floret, & in Autumno ſemen perficit.*

6. Intybus *ſive Endivia lutea capitulum inclinans, ſemine adunco majus, Nobis. Hieracium florem inclinans, J. B. Et Hieraciis affinis Ragadiolus edulis, ejuſdem. Hieracium Caltha ſemine, Jonquet. Hieracium capitulum inclinans, ſemine adunco, C. B. P. Hieracium falcatum alterum, Ger.* Hujus *Endiviæ* ſpecies *radicem* habet compluribus fibris donatam; atque ex qualibet parte rupta, lacteus manat ſuccus amarus ut in cæteris: *folia* in orbem per terram ſparguntur, longa, anguſta, modice ſinuata, & villoſa: è medio foliorum oriuntur plurimi caules ex radicis capite, qui ad ſingula genicula, & folioli appoſitionem, in alios ſe dividunt, ſuſtinentes *floſculos* luteos, terram verſus nutantes & repandos: ad radicem pericarpii uniuſcujuſque floris, cauliculi craſſeſcunt, qua parte ſeſe contorquent, & *ſemina* adunca in capitulum globoſum compactum gerunt, quorum media & minora barbulis parvis pappum mentiuntur; ſed exteriora firmiora & vegetiora, iis carent.

Paſſim in ſatorum marginibus circa Monſpelium, *aliiſque locis finitimis ſponte naſcitur.*

7. Intybus *ſive Endivia lutea minor, & humilior capitulum inclinans, ſemine adunco. An Hieracium minimum falcatum, C. B. P. & Prod?* Humilis hæc planta cujus cauliculi reclinantes ſpithamæ longitudinem non ſuperant, quoad *flores* & *ſemina* cum antecedenti convenit, cauliculis etiam ſub flore turgidis: *folia* profert oblonga, ſubaſpera, denticulationibus acutis *Coronopi* in modum donata: minor autem eſt planta & aſperior.

E ſeminibus ex Italia *miſſis provenit; & annua eſt planta.*

8. Intybus *ſive Endivia lutea minima in arenoſis naſcens caule nudo ſub capite fiſtuloſiore, Nobis. Hieracium minus folio ſubrotundo, C. B. P. Hieracium* 9. *minimum. Cluſii, icon. deſcript. minimi alteri.* 11. *Hyo-*

ferè maſcula, Ger. *Hyoſeris latifolia vel maſcula*, Tab. Planta eſt dodrantalis aut paulo altior: *radice* eſt ſingulari, tenui, alba, paucis fibris veſtita: *folia* à radice quinque, ſex ſeptemve, quandoque plura, iis *Bellidis* fere ſimilia, ſed paulo longiora & ſerrata prodeunt: è quorum medio *caulis* exit aliquando ſingularis, non raro tres, vel quatuor, foliis omnino vidui juxta radicem tenues & rubentes, interdum ſummitatem verſus ramoſi fiſtulares, & multo craſſiores ubi ſuſtinent flores, ſinguli ſingula capitula globoſa ſuſtinentes; è quibus apparent primo *flores* parvi lutei, ex petalis tenuibus quaſi apicibus conſtantes, quibus ſingulis ſuccedunt plurima *ſemina* ſolida, minuta, non pappoſa, ut vult *Cor. Cluſius*: tota planta lacteſcit & amariuſcula eſt, ut Cichoraceæ omnes prædictæ.

9. Intybus *ſive Endivia erecta lutea Napifolia, Lampſana dicta*, *Nobis. Soncho affinis Lampſana domeſtica*, *C. B. P. Lampſana, Dod. Ger. J. B. Lampſana vulgaris*, *Park.* *Semina* producit anguloſa ſolida, ad modum *Endiviæ vulgaris* vel *Cichorii*, minora tamen: *folia Napi* aut *Rapæ* ſimilia ſatis gerit, ſed minora minuſque aſpera: *caules* ſunt cubitales, & in lætiore ſolo altiores, tenues erecti, & ramoſi; *floſculi* in virgularum faſtigiis lutei & ex aliquot petalis brevibus congeſti apparent: quibus *ſemina* longa ſolida ſuccedunt: *radices* tenues & fibroſæ annuæ.

Juxta agrorum & Hortorum margines paſſim, ſecus vias, & in locis incultis, non omnino aridis exit: tota æſtate viget cum floribus, & ſemine matureſcente perit.

Varietas ejuſdem foliis criſpis interdum invenitur.

Sonchi Vires & Uſus.

Endiviæ vulgo in uſu, nempe vulgaris latifolia & criſpa, temperiei refrigerantis ſunt: abſtergunt, & aperiunt: Herba vel cruda vel cocta hepati ac ſtomacho calido, & febribus biliioſis utilis eſt; diuretica eſt.

Semen in emulſionibus valet; inflammationes & urinæ ardorem mitigat: aqua ex foliis diſtillata uſibus prædictis ut etiam oculorum inflammationibus, & rubori ſanandis cum ſucceſſu adhibetur.

Herba cum carnoſis ſuis foliis aere excluſo ſub terra dealbatis, cum aceto & oleo Olivarum in acetariis uſurpatur: ſtomachum refrigerat, & recreat, neque amarorem Cichorii obtinet; magiſque temperata eſt.

Endivia verrucaria miram habet facultatem ad tollendas verrucas, ut inquit Matthiolus.

Endivia Lampſana *dicta, reſiccantem ac extergentem, & nonnihil digerentem facultatem obtinet: folia caulesque coquntur & in cibum recipiuntur.*

In Boruſſia *dicitur* papillaris herba, *quod exſiccat mammarum & papillarum muliebrium ulcera, quod indicat eam eſſe plantam temperate calidam & ſiccam cum aliqua tenuitate partium, quæ valeat depellere præcipue acres illos humores qui ſponte fluunt; hinc Anglice* Nipplewort *vocatur.*

PLANTÆ LACTESCENTES

Non pappoſæ.

CAPUT II.

Cichorium.

INtybus ſive Endivia antedicta, & Cichorium, quoad partes externas, ut etiam virtutes, valde ſunt affines, & ab Antiquis vix diſtinguuntur, ſed promiſcue in denominationibus uſibuſque accipiuntur: ut Dioſc. l. 2. c. 160. Σέριν nominat, & Soncho ſubjungit.

Nos, cum tot ſint varietates detectæ, ut facilius dignoſcantur, Endivias *annuas &* Cichoria *perennes eſſe plantas ſtatuimus. Quare dicendum eſt quod.*

Cichorium eſt planta ſtellata, lacteſcens, ſeminibus ſolidis non pappoſis, perennis.

TABULA II. SECT. VII.

- *Cichorium*
  - *cæruleum*
    1. *Sativum, C. B. P. Domeſticum, Matth. Sativum vulgare, Park.* ☉.
    2. *Sylveſtre ſive officinarum, C. B. P. Sylveſtre majus, Dod.* ☉.
    3. *Spinoſum, Matth. C. B. P. Spinoſum Creticum, Park.* ☉.
    4. *Cynoides Coronopi foliis laciniatis calyculis argenteis, Nobis. Chondrilla cærulea Cyani capitulis, C. B. P. Seſamoides parvum; Matth.* ☉,
    5. *Cyanoides flore magis completo, Nobis. Chondrilla cærulea Cyani capitulis altera, C. B. P. Catanance affinis Seſamoides parvum, flore, magis completo, Cam. J. B.* ☉.
    6. *Cyani capitulo argenteo, foliis tenuibus tomentoſis, Nobis. Chondrillæ ſecundæ veræ, Dioſc. Species alia, Rawolf. in Horto ſicco, pl.* 113. ☉.
  - *luteum*
    - *Scolymoides, ſpinis horridum*
      7. *Narbonenſe, Nobis. Scolymus Theophraſti, ſive Eryngium luteum Monſpelienſe, Park. Scolymus Chryſanthemus, C. B. P. Carduus Chryſanthemus, Narbonenſis, Ger.* ☉.
      8. *Siculum procerius caule eduli, Nobis. Carduus Chryſanthemus procerior, caule eduli, Rait.*
      9. *Hiſpanicum annuum, Nobis. Scolymus Theophraſti Hiſpanicus, Cluſ. Carduus Chryſanthemus, Dod. Carduus Chryſanthemus Hiſpanicus, Ger. emac.* ♃.

1. Cichorium

1. Cichorium *ſativum*, *C. B. P. Domeſticum*, *Matth. Latioris folii*, *Dod. Sativum*, *Ger. Sativum vulgare*, *Park. Seris ſativa*, *Ang.* Hortenſe hoc *Cichorium* ſeu ſativum, *folia* promit palmum longa, latiuſcula, quodammodo Endiviæ foliis accedentia, ſed anguſtiora, & aliquando ſinuata ſeu laciniata: è *radice* ſatis craſſa, longa, & carnoſa, oritur *caulis* erectus, (non *Endiviæ* modo in angulos actus,) pollicaris, ad humanam altitudinem aſſurgens, in multos ramos ſe findens verſus ſummitatem; è quorum geniculis protruduntur *floſculi* cœrulei, ex multis petalis latis, ad extremum dentatis, conflati: quibus fatiſcentibus, ſuccedunt in pericarpio diſcoide, plurima ſemina anguloſa arcte ſibi invicem juncta, tanquam in alveolum adacta.

In Hortis ſeritur. *Radix* in plures annos durat: quæ primo anno oritur à ſemine, antequam cauleſcit, carnoſa eſt & mollis, & ad uſus vel medicinales vel culinares eligenda: poſtea dura & lignoſa evadit.

2. Cichorium *Sylveſtre ſive officinarum*, *C. B. P. Sylveſtre nuſtris*, *Dod. Intybum erraticum*, *Plin. Cichorea ſylveſtris*, *Matth. Seris picris*, *Lob. icon. Intybum ſylveſtre anguſtifolium*, *Matth. Lugd.* Hoc paſſim ſponte in neglectis locis & ad agrorum margines occurrit, *foliis* hirſutioribus, & magis laciniatis, cujus *caulis* ramoſus non tantam quam ſativum proceritatem acquirit. *Flores* & *ſemina* profert eodem modo, unde an à priore ſpecifice differat, uti Bauhinis Fratribus videtur, dubitamus; cum mangonio & culturæ tota differentia accepta referri poſſit,

Utraque floribus invenitur *albis*, interdum *carneis*, & floribus *plenis*; quæ varietates numerum in Catalogis augent.

3. Cichorium *ſpinoſum*, *Matth. Tab. C. B. P. & Prod.* *Cichorium ſpinoſum Creticum*, *Belli. Ponæ. Park. Chondrilla cæruleo flore*, *genus elegans*, *Cluſ. Hiſt.* Huic *Cichorio* humili ſpinoſo *folia* plurima ſinuata, virentia, per terram ſtrata, tanquam ex eodem puncto, confertim naſcuntur, *Cichorii prioris* anguſtiora & minora Coronopi in modum diviſa & diſſecta; è quorum medio caules plurimi glabri prodeunt qui dividuntur in multos ramulos complicatos, rigidiuſculos, multifariam divaricatos, atque in duras abeuntes quaſi ſpinas: dodrantales ſunt, & in orbem diffuſi, crebris cauliculis albis & rigidis, *Enchinopodam* tota facie repræſentantes: *Flores* inter ſpinulas Cichorii ſimiles profert, colore Cyaneos; quibus ſuccedunt *ſemina* Cichorii.

In maritimis, *ficiſque collibus*, *& arenoſis locis inſulæ* Cretæ *provenit.*

4. Cichorium *cæruleum*, *Coronopi foliis anguſtis*, *calyculis ſquamatis argenteis*, *Nobis. Chondrilla cærulea Cyani capitulis*, *C. B. P. Seſamoides parvum*, *Matth. Tab. Ger. Coronopus quidam flore cæruleo*, *Geſn. Hort. Chondrillæ ſpecies tertia*, *Dod.* Huic ſunt *folia* longa, anguſta, canitie quadam obducta, viridia, adnatis velut exiguis alis *Cornu cervi* dictæ Herbæ ſatis ſimilia, quoad diviſuram foliorum, niſi quod ſint longiora: *Cauliculi* exſurgunt tenues ramoſi, & fere nudi, *calyces* ſuſtinentes, ex parvis candicantibus, argenteoque propemodum fulgore ſplendentibus ſquamis compactos, è quibus prodeunt *flores* ampli *Cichorii* florum æmuli cœrulei, quibus fatiſcentibus ſuccedunt *ſemina* ſolida anguloſa, cum coronula in apice, ut in *Xeranthemo* pappum mentiente.

Reperitur ſponte proveniens in calidioribus regionibus, *circa* Monſpelium *in ſterilibus vulgo* Garrigues, *aliiſque* Galliæ & Italiæ *locis herbidis.*

5. Cichorium *ceratophyllum Cyanoides*, *flore magis completo*, *Nobis. Chondrilla cærulea Cyani capitulis altera*, *C. B. P. Catanance affinis Seſamoides parvum*, *flore magis completo*, *J. B. Cam. Chondrilla ſeſamoides dicta*, *cærulea*, *flore completo*, *Eyſt. Magnol.* Circa fontem *Piquet* Junio menſe cum eleganti plenoque flore, invenit *D. Magnol.* Et ſolo flore à ſuperiore diſtat.

6. Cichorium *Cæruleum Cyani capitulo argenteo*, *foliis tenuibus tomentoſis*, *Nobis. Chondrillæ ſecundæ veræ-Dioſc. Species alia*, *Rauwolf.* in Horto ſicco in Oriente collecto, plant. 131. Planta videtur humilior, *foliis* longis anguſtis, tomento (ut in Plantagine trinervia,) obductis: floribus & capitulis cæteris conſimilis.

7. Cichorium *luteum Scolymoides*, *ſpinis horridum Narbonenſe*, *Nobis. Scolymus Chryſanthemus*, *C. B. P. Spina lutea*, *J. B. Carduus Chryſanthemus Narbonenſis*, *Ger. Scolymus Theophraſti*, *ſive Eryngium luteum Monſpelienſe*, *Park. Scolymus Theophraſti Narbonenſis*, *Cluſ. Hiſt.* *Radice* nititur pollicari, perenni, fulveſcente, lacteum ſuccum fundente; ex qua *caulis* ſurgit bicubitalis, ramis verſus terram procumbentibus, concavus, albicans, hirſutus. *Folia* primum erumpunt palmo longiora, per terram ſparſa, dilute viridantia, lacteis maculis conſperſa, leviter ſinuata, marginibus ſpinis horrida, lactiflua ſi rumpantur; at quæ in caule & ramis ſunt, ut breviora, ita & rigidiora ſunt, magiſque ſenticoſa; à quibus productæ alæ ſpinoſæ cauli ramiſque adnatæ, tum hos tum illum intractabilem reddunt. *Flores* in alis inter caules & folia reſident, aureo fulgore comantes, ex capitulo Ponticam nucem æquiparante, & ſquamis innoxiis compacto conflati. *Semina* compreſſa, foliacea, abſque pappo, ſibi invicem arcte in capitulis juncta.

Naſcitur prope Narbonam *in maritimis. Floret æſtate, & in Autumno ſemen perficit.*

8. Cichorium *luteum Scolymoides ſpinis horridum Siculum procerius*, *caule eduli*, *Nobis. Carduus Siculus Chryſanthemus procerior*, *caule eduli*, *Raii. An Scolymus Chryſanthemus Africanus procerior*, *Hort. Reg. Par?* Hoc præcedente majus eſt & procerius multo, caulibus & capitulis (adeoque tota planta) tomento ſeu lanugine obductum; *floribus* & *capitulis* majoribus, *foliolis* ſpinoſis paucioribus, iiſque anguſtioribus, longioribus, robuſtioribus, utrinque ſpinis armatis; membranulæ quoque ſpinoſæ ſecundum caulium longitudinem decurrentes, anguſtiores ſunt, & humiliores multo in hoc quam in illo.

Ad radices montis Ætnæ D. Raius *obſervavit Ruſticos hujus caules teneros membranulis & lanugine deraſis*, *etiam crudos*, *in acetariis comedentes.*

9. Cichorium *luteum Scolymoides ſpinis horridum Hiſpanicum annuum*, *Nobis. Carduus Chryſanthemus*, *Dod. Carduus Chryſanthemus Hiſpanicus*, *Ger. emac. Scolymus Theophraſti Hiſpanicus*, *Cluſ. Hiſt. Scolymos Chryſanthemos annuus. H. R. B.* Huic *caulis* à *radice* unicus ut plurimum effertur rectus, rotundus, ſpinoſus, lactifluus ac ramoſus, quem conveſtiunt *folia* oblonga pulchre virentia, ex utroque latere profunde inciſa, ac ſpinis per angulos horrentia, in ſuperiore parte maculis aut lineis albis notata: *flores* à foliorum alis, è parvo Echinaceo capitulo ſquamoſo, & ſquamis longioribus anguſtioribus intecto prodeunt, *Cichorii vulgaris* floribus perſimiles, ſed auri colore lutei: latum, planum paleaceum *ſemen*, nulla lanugine implicitum ſuccedit. Tota planta in autumno arida fit, & per rigiditatem non contrahitur, ſed formam retinet: viriditas vero in albedinem mutatur, & perit.

De

De aliis quæ a quibuſdam Cichoria nominantur.

De Cichorio verrucario ſive Zacintha, Cluſ. Hiſt. Ger. Park. J. B. Raii Lege in capite præcedenti ſpec. 4.
Cichorium bulboſum, Dal. Lugd. J. B. Cichorium ſtrumoſum Myconi, Lugd. eſt Chondrilla.
Cichorium pratenſe luteum hirſutie aſperum, C. B. P. &
Cichorium partim hirſutum veſicarium, C. B. P. Cichorium ſylveſtre veſicarium pratenſe, Col.
Cichorium montanum anguſtifolium hirſutie aſperum, C. B. P. &
Cichorium pratenſe luteum lævius, C. B. P.
Cichorium dulce Neapolitanum, Park. Cichorium ſylveſtre alterum ἄπικρον, ſive Cichorium dulce, Col. Hæ Plantæ ſunt pappeſcentes, & Hieraciis adnumerandæ.

Cichorii Vires & Uſus.

Cichorii *vis conſiſtit in ſale alcali admodum temperato: diureticum eſt, aperit, attenuat & extergit: Hepaticum eſt nobiliſſimum, ut* Schroderus *perhibet; & propterea inter plantas frigidas numerandum: aliis calidum ob amarorem videtur.*

Panarolus *in inæquali viſcerum temperie, nil melius quam Cichorium adhiberi credit. Quando Phlegoſibus laborat corpus, hepar laborare dicunt, ſed falſo: oriuntur enim illæ ex effervescentia ſalis volatilis in bile luxuriantis, cum acido peregrino, vitio digeſtionis primæ orto; unde non tantum phlegoſes, ſed & tormina in iiſdem concitantur. Plantæ interim Cichoraceæ in ſubjectis biliosis multum præſtant: Acidum in ventriculo ex prima digeſtione relictum emendant; eaque de cauſa in morbis Chronicis, quorum radix eſt in acido utiles imprimis cenſentur. Hepati immodice calenti multum proſunt quocunque modo uſurpatæ, robur enim & tonum conſervant, ejuſque venulas obſtructas expediunt.*

Radices *carnoſæ primi anni, ex pinguiori ſolo evulſæ, præcipue in Belgio, cocta comeduntur, & nomine* Carrote Cichorie *notæ, ad uſus prædictos fæliciſſime adhibentur.*

E floribus elegans aqua ophthalmica per deliquium paratur: quæ in albugine & aliis oculorum affectibus, ob vim deterſivam egregia eſt. Hæc accurate à Doctiſſimo Etmullero *explicata ſunt.*

In infantibus recens natis Syrupus de Cichorio cum Rhabarbaro admodum proficuus eſt; quia cruditates eorum & impuritates in utero collectas purgat, & mala inde oriunda præcavet.

SECTIONIS SEPTIMÆ.

Diſtributio Secunda.

De PLANTIS LACTESCENTIBUS

Stellatis ſeminibus pappoſis.

Lactuca, Sonchus, Hieracium, Chondrilla, Dens leonis, Piloſella, Tragopogon, & Scorzonera.

CAPUT III.

Lactuca ejuſque ſpecies.

LActuca *à lactis copia nomen adepta, gratiſſimum olus eſt, quod lac auget, nutricibus aptiſſimum.* Ὠφελεῖ *Dioſcoridi l. 2. c. 165. dicitur.*

Lactuca eſt planta lactescens ſucculenta, caule ſolido tereti; floribus ſtellatis, in capitulis parvis; ſeminibus pappo donatis brevibus, in medio tumidis, utrinque mucronatis, prædita.

TABULA III. SECT. VII.

ſativa ſemine — *albo*

1. *C. B. P. Dod. Lugd. Cordi in Dioſc. Tab. Sativa vulgaris, J. B.* ☿.
2. *Capitata, C. B. P. Matth. Dod. Tab. Ger. J. B.* ☿.
3. *Foliis Endiviæ, C. B. P. Intybacea, Tab. Ger. Longobardica dicta.* ☿.
4. *Criſpa 2. Tab. Ger. C. B. P. Matth. Dod.* ☿.
5. *Criſpa altera, C. B. P. Sabauda Criſpa, Ger. Criſpa non capitata, Adv. Lob.* ☿.
6. *Turcica longifolia alba* Chas & Cos *dicta ſeu maxima Capazuntica.* ☿.
7. *Folio oblongo acuto, C. B. P. & Prod.* ☿.
8. *Maculoſa latiſſima ex fuſco viridis Sileſiaca, Nobis. Maculoſa, C. B. P. Rubra, J. B.* ☿.

9. *Folio*

- *Lactuca*
  - *sativa semine*
    - *nigro*
      9. *Folio obscurius virente, C. B. P. Romana longa dulcis, J. B. Romana dulcior nigriore & Scariolæ hortensis folio, semine nigro, Adv. Lob.* ☿.
      10. *Turcica longiore folio ad rubedinem tendente.* ☿.
      11. *Sativa maxima Austriaca capitata variegata, Lactuca caryophyllacea vulgo, Hermanni H. L. Bat.* ☿.
      12. *Longo & valde angusto folio, J. B.* ☿.
      13. *Italica laciniata, C. B. P. & Prod. Hispanica laciniata, J. B.* ☿.
      14. *Laciniata elatior foliis quercus modo divisis.* ☿.
  - *sylvestris*
    - *annua costa spinosa, folio*
      15. *Integro colore cæsio, Nobis. 2. Ger.* ☿.
      16. *Latiore, opii odore vehementi soporifero & viroso, Adv. Lob. Sylvestris odore viroso, C. B. P.* ☿.
      17. *Dissecto, Nobis. Sylvestris costa spinosa, C. B. P.* ☿.
      18. *Angustissimo glauco humillima, Nobis. Lactuca sylvestris angusto laciniato fol. Magnol. Chondrilla viscosa humilis, C. B. P.* ☿.
      19. *Montana laciniata minor, Nobis. Sonchus montanus lævis laciniatus minor, C. B. P. & Prod.*
    - *perennis*
      - *lutea*
        20. *Viscosa caule foliis obducto, Nobis. Chondrilla viscosa caule foliis obducto, C. B. P.* ☉.
        21. *Juncea viminalibus virgis, Nobis. Chondrilla juncea viscosa arvensis Dioscor. C. B. P.* ☉.
      - *purpurea cærulea*
        22. *Montana major, C. B. P. Sonchus lævis purpureo flore, Clus. Hist.*
        23. *Montana minor, C. B. P. Lactuca sylvatica purpurea, J. B.* ☉.
        24. *Laciniata latiore folio, Nobis. Chondrilla cærulea latifolia laciniata, C. B. P.* ☉.
        25. *Laciniata angustiore folio, Nobis. Chondrilla cærulea altera Cichorii sylvestris folio, C. B. P.* ☉.

1. Lactuca *sativa, C. B. P. Dod. Lugd. Cordi in Dioscor. Sativa vulgaris, J. B. Florescens, Matth. Sativa folio Scariolæ, Adv. Lob.* Hortensis sive *sativa Lactuca folio* exit oblongo, lato, lævi, dilute virente: *caule* vero rotundo, satis crasso, folioso, medulla farcto, lacti succi pleno, qui in latam effusus comam, *flosculos* profert subluteos, disci forma, atque singulis ejusdem petalis succedit *semen* singulare oblongum, planum, in medio tumidum, utrinque mucronatum. Liciatorii Textoris forma, albicans, pappo donatum: *Radici* longæ, crassæ, multæ adhærent fibræ: vulnerata hæc, sicut & folia, succum aquoso lacti similem non minus quam ejusdem caulis effundunt. *Seritur in Hortis. V. icon. tab. æn.* 2.

2. Lactuca *sativa capitata semine albo, C. B. P. Matth. Dod. Tab. Ger. J. B.* Hæc potius varietas videtur, quam species distincta, à natura data; siquidem arte seu culturæ mangonio, non raro *folia* ita in se contrahuntur, ut *capitatam Lactucam* efficiant, quæ *Brassicam capitatam* æmulatur: cum hujus tum illius media, & interiora folia ex diluto admodum luteo colore inalbicant, deveniuntque mitiora, & teneriora. *Flores* & *Semina* eodem modo cum priori profert. *V. icon. tab. æn.* 2.

3. Lactuca *foliis Endiviæ, C. B. P. Lactuca Intybacea, Tab. Ger. Longobardica dicta. Folia* producit longa, lata, tenera, *Endiviæ* modo dentata, (cum priorum plana sunt) & esui apta. *V. icon. tab. æn.* 2.

4. Lactuca *crispa, C. B. P. Ger.* 2. *Tab. Matth. Dod. Crispa non capitata, Adv. Lob.* Viridis & elegans hæc *Lactuca folia* habet ampla, integra, marginibus plenis, undulis inæqualibus foris & intus donata, quæ admodum crispata conspiciuntur. *V. icon. tab. æn.* 2.

5. Lactuca *crispa altera, C. B. P. Sabauda crispa, Ger.* Hujus *folia*, quam antedictæ, longiora sunt, & marginibus aliquantulum crispis. *V. icon. tab. æn.* 2.

6. Lactuca *Turcica longifolia alba, seu maxima Capazuntica*, Cos *dicta. Lactuca* hæc inter præstantissimas numeratur. *Folia* plana pedalis sunt longitudinis, quæ in medio oblongum & ovale caput arcte compacta constituunt. Lætior fit (ut etiam reliquæ) si transplantetur & rarius ponatur; & *caulis* prioribus altius assurgit.

7. Lactuca *folio oblongo acuto, C. B. P. & Prod.* Hæc *radice, caule, floribus*, aliis Lactucis similis est, & solummodo *foliis* differt, quæ leviter sinuata sunt, palmum longa, uncias duas lata, in acumen fastigiata, & nervo per folium excurrente elevato. *V. icon. tab. æn.* 2.

8. Lactuca *maculosa latissima ex fusco viridis Silesiaca, Nobis. Lactuca maculosa, C. B. P. Rubra, J. B. Lactuca* 5. *Dod. Rubra, Cæsalp. Folia* per terram strata, latissima conspiciuntur, & (tenera licet sint) rugosa tamen & inæqualia apparent. Ex viridi rufo aut fusco colore mixta, ac si vinum *foliis* esset aspersum. *Floret* eodem modo cum cæteris, & *semen* album profert, aliquando nigrum.

9. Lactuca *sativa semine nigro, folio obscurius virente, C. B. P. Romana longa dulcis, J. B. Romana dulcior nigriore & Scariolæ hortensis folio, semine nigro, Adv. Lob*, Hujus *Lactucæ folia* modice sunt oblonga, & dentata, quæ caput efformant esui gratum ac dulce, in medio ex albido luteum, sed externa & quæ aere fruuntur folia, saturatioris sunt coloris, & ad fuscum tendentia. *V. icon. tab. æn.* 2.

10. Lactuca *Turcica longiore folio ad rubedinem tendente.* Hæc sextæ nostræ speciei æqualis est, *folia* vero saturatioris sunt coloris, & semina nigricantia.

11. Lactuca *sativa maxima Austriaca capitata variegata, Lactuca caryophyllacea vulgo, Hermanni Hort. L. Bat. Folia* hujus latissima ex albido rubicundis striis & lineis variegata sunt, quo *Caryophyllum hortensem* referunt.

12. Lactuca *Gallica longifolia. An Lactuca longo & valde angusto folio, J. B.*? Hæc à *Cast. Durante* etiam notatur, cujus *folia* inferiora palmum aut sesquipalmum longa sunt, unciam unam aut alteram lata, spinulis quibusdam per margines donata, præcipue ista quæ caulem vestiunt. *V. icon. tab. æn.* 2.

13. Lactuca *Italica laciniata, C. B. P. & Prod. Hispanica laciniata, J. B.* Hujus *folium* tenuissimum est,

pallide virens, in plures partes ſemipalmares & lacinias diviſum: per reliqua *vulgari Lactucæ* ſimilis, quæ eſu tenerrima eſt.

14. Lactuca *laciniata elatior, foliis Quercus modo diviſis.* Multa profunduntur à *radice folia* virentia, longa, ſinuata, & per margines quercina fere diviſura donata. *Caulis* qui *foliis* etiam diviſis veſtitur, ad altitudinem duorum cubitorum aſcendit, & *flores* & *ſemina* nigricantia eodem cum cæteris modo profert.

Lactucæ optime uſurpantur dum teneræ ſunt; quapropter *Palladio* teſte, toto anno *Lactucam* bene ſeri, certum eſt: amatque ſolum ſubactum, pingue humidum & ſtercoratum, aprico cœlo; quod niſi fiat, menſibus æſtivis ſtatim in *caulem* abit, & inutilis evadit; *Lactucæ* autem ſatione debita, cum cultura, & tranſplantatione adhibita; (præcipue majora genera,) ſingulis menſibus acetariis inſerviunt. Et exinde, haud dubio, producuntur varietates.

Lactucæ Sylveſtres.

15. Lactuca *ſylveſtris annua coſta ſpinoſa, folio integro colore caſio, Nobis. An* 2. *Ger?* Hæc *Lactuca* quam primo ex *Aleppo* recepimus, *folia* profert oblonga, ex anguſta baſi in palmarem latitudinem ſeſe extendentia, crenata, & ſpinulis in margine, cum dorſo itidem ſpinoſo, donata; cæſii, aut ex virore ſubcærulei coloris: *caulis* rotundus, firmus pollicaris, quem *folia* minora etiam integra amplectuntur, ad humanam aſſurgit altitudinem; cujus ſummi ramuſculi, *flores* luteos ſtellatos, & *ſemina* nigra, cæterorum ritu ſuſtinent, à quibus deciduis *Lactuca* hæc ſatione ſpontanea quotannis renovatur.

16. Lactuca *ſylveſtris Opii odore vehementi ſoporifero & viroſo, Adv. Lob. Sylveſtris odore viroſo, C. B. P. Sylveſtris lato folio, ſucco viroſo, J. B. Lactuca ſylveſtris Anglica odori Opii ſimilis, Cam. Folia* per terram è *radice* ſparguntur longa, ex anguſtia ſeſe dilatantia, mollia, quam prioris longiora ac viridiora, integra, marginibus & dorſis ſpinoſis, odoris vehementis papaveracei, aut Opium ipſum ſatis mentientis. *Caulis* adoleſcit tricubitalis aut altior, (cui adhærent *folia* laciniata,) in ramulos divaricatus, è cujus cuticula rupta lac effunditur copioſum amarum, quod exſiccatum in materiam gummoſam nigram Opio ſimillimam concreſcit. *Flores* lutei ſunt ſtellati, parvi, quibus *ſemina* ſuccedunt nigra. *V. icon. tab. æn.* 2.

In herbidis ſatorum marginibus, & aggeribus foſſarum ſponte naſcitur: caulis *in inferioribus geniculis ſpinulis præditus eſt, qui aſſurgens lævis conſpicitur.*

17. Lactuca *ſylveſtris laciniata, Park. Sylveſtris coſta ſpinoſa, C. B. P. Sylveſtris, Dod. Lactuca ſylveſtris ſive Endivia multis dicta, folio laciniato, dorſo ſpinoſo, J. B. Folia* promit longa, utroque latere profunde inciſa, & *Sonchum* imitantia, quorum media coſta inferiore parte, à duriuſculis aliquot ſpinis ordine quodam & inſtar ſerræ digeſtis obſidetur. *Caulis* bicubitalis in alas effuſus *floſculos* profert *ſativæ Lactucæ* æmulos, in pappos quoque ſuo tempore ſe reſolventes. *Semen* nigricans. *V. icon. tab. æn.* 2.

Naſcitur ſecus vias, agrorum margines & juxta ſcrobes; reperitur & in vineis, & hortis.

18. Lactuca *ſylveſtris annua coſta ſpinoſa, folio anguſtiſſimo glauco, Nobis. Lactuca ſylveſtris anguſta laciniato folio, Magnol. Chondrilla viſcoſa humilis, C. B. P. & Prod. Ger. Park.* E *radice* longa tenui, quibuſdam adhærentibus fibris, proveniunt *folia* longa, & anguſta, glauci aut ſubcœrulei coloris, quorum quædam ſunt integra, alia in duas aut tres lacinias diviſa, in longum cuſpidem definentia: *caules* cubitales nunc erecti, nunc reclinati cernuntur, tenues, duri, conſimilibus foliis (aſt minoribus) alterno ordine veſtiti, quos utrinque ad unciæ unius aut alterius longitudinem, *flores* lutei, ſeſſiles, oblongi, in pappos abeuntes, & ſpicatim naſcentes cingunt. *Vid. icon. tab. æn.* 6.

In agris Baſileenſibus *invenit* C. Bauhinus. *In* Anglia *etiam in aggeribus foſſarum, variiſque ſterilioribus locis, ac circa* Monſpelium *aliiſque ſponte naſcitur.*

19. Lactuca *ſylveſtris lutea montana laciniata minor, Nobis. Sonchus montanus lævis laciniatus minor, C. B. P. & Prod.* Ex *radice* craſſiuſcula *caulis* in principio craſſus & lignoſus, rotundus, lævis, ſtatim in alas brachiatus, ad cubitalem pene altitudinem aſſurgit: *foliis* eſt ſeſcuncialibus, in paucas lacinias late diſtantes & acuminatas diviſis. *Flores* lutei in caulis ſummitate veluti in ſpica, alternatim diſpoſiti parvi, & palliduli ſunt.

In montibus Euganeis, *ut refert* Caſp. Bauh. *frequens eſt. V. icon. Tab. æn.* 3.

20. Lactuca *ſylveſtris perennis lutea viſcoſa, caule foliis obducto, Nobis. Chondrilla viſcoſa caule foliis obducto, C. B. P. Chondrilla ſaxatilis viſcoſo caule, Park. Chondrilla ſaxatilis viſcoſa caule* χηρισοφόρου *Galeni, Col. Radix* longa, dura, & tenax eſt, è cujus capite erumpunt *folia Cichorii ſylveſtris*, aut *Dentis Leonis* foliorum modo laciniata, profundioribus ac tenuioribus etiam inciſuris diviſa, pedem longa, & circa radicem in orbem expanſa. Lactuca hæc *caules* raro plures, ſed unicum ſæpius, nec etiam multis alis diviſum emittit rotundum, lævem, tenuem, albicantem, cubitalem, *foliis* multis veſtitum in imo; à medio vero ad ſummitatem uſque tenuiora & anguſtiora ſunt *folia*, per ambitum non inciſa nec eroſa, ſed per medium ipſorum nervum diviſa, quæ hinc atque hinc cum alis ſuis *caulem* tam arcte cingunt, ut totus pene caulis nudus maneat: foliiſque ita obductus eſt, ut ocreatus fere videatur. *Flores* in cauliculis ſuperioribus intus lutei, foris albicantes, ex petalis quinis dentatis conflati emicant, & in *ſemen* pappoſum nigrum (quod in congeneribus etiam fieri ſolet) evadunt: tota planta lacteo ſucco turget. *V. icon. tab. æn.* 6.

Inter ſaxorum rimas, & in vetuſtioribus etiam mœnibus Campoclarenſium, *ſicuti* & Æquicolorum Marerii Caſtri & *montanis locis*, Cl. F. Col. *detexit. In* Gallia Narbonenſi *quoque*, & Sicilia *provenit.*

21. Lactuca *ſylveſtris perennis lutea juncea, viminalibus virgis, Nobis. Chondrilla viminea, J. B. Chondrilla juncea viſcoſa arvenſis Dioſc. C. B. P. Chondrilla* 2. *viminea, Cluſ. ſive viminalibus virgis, Cur. poſt.* Pullulant primum per terram in orbem ſparſa *folia* iis *Endiviæ ſtellatæ noſtræ quintæ* ſimilia, latiuſcula, laciniata; quæ in *caulem* ſurgente planta marceſcunt: ipſe vero *caulis* prope terram, denſis ſpinulis, aut rigida hirſutie veſtitur, atque in cubitos duos aſſurgit, frequentibus ramis vimineis, varie divaricatus, *foliis* nullis aut raris, iiſque gramineæ tenuitatis, cauliculis junceis adnatis: *Flores* extremis ramulis hærent lutei, parvuli; & ſemina nigricantia, nonnihil compreſſa, ſed fere teretia pappo donata ſequuntur. *Radix* ſubeſt ſimplex pollicaris, glutinoſiſſimo lacteo ſucco abunde prægnans, quæ in varias partes rupta & terræ commiſſa pullulat, & novellas plantas emittit; quod in *Dente Leonis, Scorzonera, Raphano ruſticano*, aliiſque conſpicere licet. *Vid. icon. tab. æn.* 6.

In ſatorum marginibus, & in vinetis circa Monſpelium, & Italiæ, Germaniæ, Galliæ Narbonenſis *arenoſis, provenit.*

22. Lactuca

22. Lactuca *montana perennis purpurocærulea major, C. B. P. Sonchus lævis purpureo flore, Cluſ. Hiſt.* 2. Cubitali vel ampliore excreſcit *caule* rotundo, gracili, firmo, lævi, quem ambiunt *folia* haud ampla, in aliquot profundas lacinias diviſa, in ambitu dentata, ſenſim in anguſtiam & mucronem definentia, lacteo ſucco prægnantia, guſtui amara: è ſummis foliorum alis exeunt tenues firmique ramuli, quaternos aut quinos *flores* in oblongis calyculis ferentes, quinis petalis per extremum laciniatis conſtantes, colore purpureo, medium occupantibus aliquot ſtaminulis, qui deinde in pappum cum ſuo ſemine abeunt: *radix* fibroſa vivax, quotannis novos *caules* producit. *V. icon. tab. æn.* 3.

Supra Gamingam *copioſe naſci obſervavit* Cluſius, & *in* Pannonia & Hercynia *ſylva.*

23. Lactuca *montana purpurocærulea minor, C. B. P. Sonchus montanus purpureus* πρεανίκλ, *Col. Lactuca ſylvatica purpurea, J. B. Sonchus lævis Pannonicus quartus purpureo flore Cluſ. Hiſt. Radix* obliqua, nodoſa, *dentata,* germinum oculis tam recentioribus quam vetuſtis, fibris undique craſſis longis brachiata: *caule* aſſurgit tenui bipedali, rotundo, lævi, ſolido, lacteſcente, ſicut & tota planta; quem *folia* ex intervallis alternatim veſtiunt, prima à *radice* parvula, deinde majora multumque latiora, oblonga, integra, per margines ſinuata, glabra, tenella, ſuperius pallide viridia, ſubtus glauca, mollia, tenuia, nullo aut breviſſimo pediculo donata, anguſto principio mucroneque, quorum maxima ſemipedem longa, duas uncias lata, *caulem* amplectuntur. E foliorum ſuperiorum alis obliqui & admodum tenues, rotundi, juncei petioli exeunt, quaquaverſum in *caulis* cacumine expanſi, *floribus* deorſum ſpectantibus purpureis, ex quatuor petalis cum apice in medio trifido, & ſtaminibus luteo pulvere aſperſis compoſitis onuſti. *Flores* tandem in *ſemina* oblonga & compreſſa, cinerea, pappoſa reſolvuntur. *V. icon. tab. æn.* 3.

Nemora frigida & montoſa calidiorum regionum amat. In Jura & Saleva *montibus prope* Genevam, *aliiſque ſylvis invenitur.*

24. Lactuca *ſylveſtris perennis purpurocæruleo, laciniato longo folio, Nobis. Chondrilla cærulea latifolia laciniata, C. B. P. Chondrilla cærulea Belgarum, Adv. Lob.* Huic Lactucæ *radix* ſubeſt longa, craſſa, & carnoſa, extra nigricans, intus candida, lacteo ſucco prægnans, è cujus capite oriuntur *folia* ſpithamam longa, utrinque profundius & ad uſque coſtam mediam inciſa, *Cichorii ſylveſtris* in modum, minoribus tamen ſectionibus, diviſa, glabra, & ad plumbeum aut glaucum colorem tendentia; inter quæ *caules* graciles imbecilles, in alas brachiati, cubitales, exſurgunt, qui *flores* ſtellatos cæruleos, *Cichorii* ſimiles ſed minores in ramulorum faſtigiis ſuſtentant; cujus petala (ut in *Cichorio*) ſolis ardorem ægre ferunt, ſed cito marceſcunt, & tandem in pappos abeunt, *ſeminibus* nigris compreſſis etiam evolantibus. *Vid. icon. tab. æn.* 6.

In Italiæ & Germaniæ *locis incultis, montoſis, & juxta ſcrobes & agrorum aggeres, ſponte naſcitur.*

25. Lactuca *perennis purpurocærulea laciniata anguſtiore folio, Nobis. Chondrilla cærulea altera Cichorii ſylveſtris folio, C. B. P.* Hæc in omnibus convenit cum præcedenti, præterquam in *foliis* quæ anguſtiora, & in tenuiores lacinias diviſa ſunt. Hanc icon in *Dod. Pempt.* belle exprimit, à quo *Chondrilla altera* nominatur. Pro varietate, ſed vix pro ſpecie diſtincta, agnoſcenda videtur.

Temperamentum & Vires

Lactuca *ſativa* Cichoraceis *congener, magiſque temperata eſt; ſal blandum volatile obtinet; refrigerat & abſtergit; ſtomacho grata eſt; ſomnum conciliat; alvum leniter emollit; lac evocat & auget;* teſte Cornaro; *Bilis ferveſcentiam ac æſtum compeſcit: aperit, & urinam ciet; ventriculo convenit.*

In acetariis crudis uſurpari crebrius ſolet, ad quos uſus in hortis, ſolo bene ſtercorato, variæ Lactucæ *ſpecies omnibus menſibus menſæ inſervientes parantur, refrigerantes, & ſtomacho gratæ.*

Herba decocta melius nutrit, alvumque laxat.

In Phrenitide, delirio, aut ubi febri ardenti æſtuant ægri, ad pedum lotiones, ut mitigentur hæc mala, ex Lactucæ *aliarumque herbarum frigidarum foliis decocta, quotidie à Medicis expetuntur & adverſus recenſita mala ægrorum, applicata temporibus, & coronali futuræ; carpis quoque linteum duplicatum, vel triplicatum, permadefactum aqua* Lactucæ *in cujus* v. g. *lib.* 1. *pond. Med. Salis nigri præparati & cryſtallizati, aut ſalis prunellæ unc. ſemiſ. diſſoluta fuerit: quod medicamentum longe præfero his in caſibus oleo roſaceo cum* Lactucæ *ſucco permiſto.* Sim. Paul.

Semen *quatuor frigidis annumeratur, quæ minora dicuntur: valet ad Gonorrhœam virulentam, ad urinæ ardorem, ut & ad reliquos uſus, quibus folia convenire diximus: Epotum aſſiduas libidinum imaginationes in ſomno compeſcit, & coeundi appetentiam avertit; herbæ etiam frequens eſus Veneri adverſatur, unde Eunuchion à quibuſdam vocatur.*

Lactuca *ſylveſtris magis eſt amara, & inter opiata recenſenda, ut ſucci odor papaverinus ſatis arguit; qui inſpiſſatus cum ipſo Opio ſæpe permiſcetur,* teſte Dioſcoride; *in quem uſum quæ latioribus eſt foliis,* 16. *noſtr. cortice vulnerato, lac copioſe effundit grave olens.*

PLANTÆ LACTESCENTES

Pappeſcentes.

CAPUT IV.

Sonchus.

Sonchus, Σόγχος Dioſc. *l.* 2. *c.* 159. & Theophraſt. 6. *Hiſt.* 4. ὁσὸν τὸ σῶον χάλν, *quod ſuccum ſalubrem qui roſiones lenit, & nutricibus lac auget, fundat: Latinis* Cicerbita, *Lactucella, Lacteron, quod* caule *diſſecto, lac copioſum defluat.*

Inter *Lactucam* & *Sonchum* quædam eſt affinitas, ſed *Sonchus* eſt planta lacteſcens, ſtellata, ſeminibus pappoſis, plerumque pallidis, *caulibus* concavis ſeu fiſtuloſis, cujus foliorum margines ſpinulis donati ſunt.

TABULA IV. SECT. VII.

- Sonchus
  - annuus
    - lævis
      1. *Laciniatus latifolius, C.B.P. Lævis, Matth.Ger. Tenerior non aſper, Dod.*
      2. *Minor paucioribus laciniis, C.B.P. Lævis latifolius, Tab. Ger.*
      3. *In plurimas & tenuiſſimas lacinias diviſus, C.B.P.*
      4. *Africanus flore luteo amplo fundo purpureo, Nobis. Chondrilla Tingitana floribus luteis, Papaveris folio, Hort. L. Bat.*
      5. *Madraſpatanus Lampſanæ foliis, Muel-Schevy, Hort. Mal. Part. 10.*
    - aſper
      6. *Non laciniatus, C.B.P. Park. Aſper. Ger.*
      7. *Subrotundo folio, C.B.P. & Prod. Park.*
      8. *Ἀφυλλόκαυλος anguſto & oblongo folio noſtras, per foliorum ambitum creberrimis ſpinulis exaſperatus, D.L. Pluk.*
      9. *Laciniatus, C.B.P. Park. Laciniatus ſpinoſus, J.B. Aſperior, Ger.*
      10. *Laciniatus Creticus amarus, ſemine curvo, Nobis. Sonchus aſper laciniatus Creticus, C.B.P. & Prod. Idem non laciniatus.*
  - perennis
    - luteus
      11. *Lævis laciniatus montanus major, C.B.P. Lactuca murorum aſſimis Sonchus dendroides, Dal. J.B.*
      12. *Paludoſus altiſſimus haſtato folio, Nobis. Sonchus lævior Auſtriacus V. altiſſimus, Cluſ. Arboreſcens alter, Ger.*
      13. *Hieracites major repens cauliculo hirſuto inter ſegetes, Nobis. Hieracium majus foliis Sonchi, C.B.P.*
      14. *Lævis anguſtifolius maritimus, C.B.P. & Prod.*
      15. *Lævis laciniatus muralis parvis floribus, C.B.P. Sonchus alter folio profundis laciniis ſinuato hederaceo, Lob. Lactuca ſylveſtris murorum flore luteo, J.B.*
    - cæruleus
      16. *Lævis laciniatus, vel Sonchus Alpinus cæruleus, C.B.P. Lævis flore cæruleo, Cluſ. Cæruleus latifolius, J.B.*

1. Sonchus *lævis laciniatus latifolius, C.B.P. Matth. Dod. Lugd. Lactuca leporina, Apulei. Sonchus lævis vulgaris foliis laciniatis Dentis Leonis, Lob. Intybus ſylveſtris ſive erratica tertia, Trag.* Planta hæc vulgatiſſima, à *radice* longa, fibroſa, capillaribus adnexis, *caulem* erectum, cubitalem aut ampliorem, viridem, interdum cum rubedine mixtum, ſucculentum, lævem, ſtriatum, craſſiuſculum & concavum emittit: *Folia Cichorii* aut *Dentis Leonis* in modum longa, & laciniata ſunt, mollia, glauca, marginibus dentata, quorum inferiora pediculis inſiſtunt, ſuperiora vero (cum lata baſi *caulem* amplectantur,) alternatim ſita; ſummi *caules* in ramulos diſpoſiti, *flores* è capitulis turgidiuſculis, luteos ſtellatos, plenos proferunt, qui cito in pappum reſolvuntur, cui *ſemina* oblonga, anguſta, pallida accreſcunt; quibus perfectis *radix* perit. *V. icon. tab. an.* 3.

2. Sonchus *lævis minor pauciorib. laciniis, C.B.P. Lævis latifolius, Tab. Ger.* Hic ad priorem accedit, ſed *folia* anguſtiora in tenuiores lacinias, & partes longiores diviſa ſunt; cætera ſimilis. Profluit abundanter è *foliis* & caulibus ruptis candidus ac lacti ſimilis ſuccus albus. *V. icon. tab. an.* 3.

Ubique fere in locis cultis, & in hortis invenitur.

Hujus varietatem nomine *Cretici* accepimus cujus florum calyces hirſuti extant.

3. Sonchus *lævis in plurimas tenuiſſimas lacinias diviſus, C.B.P. & Prod.* *Caule* eſt lævi, viridi, tenuiore, ſtriato, cavo, & pedali aut altiore, è viridi ad glaucum colorem vergente, ſicut & *folia*, quæ in plures lacinias, uſque ad nervum medium diviſa, & quaſi alata ſunt, pediculis longis tenuibus adnexa, quorum ſuperiora longitudine & anguſtia cætera ſuperant: *Flores* lutei mediocres, & aliorum ſimiles, in pappos abeunt.

Sonchus *hic* Chondrilla *lutea* J. Bauh. eſſe videtur, cujus figura nobis minime placet.

Monſpelii *ad muros naſci recte annotarunt* Fratres, *ut* & Florentiæ; *apud quos in oetaria venit.*

4. Sonchus *Africanus flore luteo amplo, fundo purpureo, Nobis. Chondrilla Tingitana floribus luteis, Papaveris hortenſis folio, Hermanni H. L. Bat.* Patriam agnoſcit *Tingidem* hic *Sonchus*, figens *radicem* digiti craſſitie, pallidam, fibroſam, annuam, è qua prodeunt *folia* glauca iis *Papaveris hortenſis* nonnihil ſimilia, duos tranſverſos digitos lata, palmum longa, lævia, carnoſa, albicantibus venis inſignita, per ambitum crenata. Intra hæc aſſurgunt *caules* cubito longiores, in aliquot alas divaricati, læves, pallide virentes, infra ſolidi, ſuperius vero fiſtuloſi. Horum ſingulis nodis hærent *folia* ſine ullis petiolis auriculata, inferioribus latiora, & profundioribus crenis inciſa: Apices vero exornant *capitula* ſquamata, quæ Auguſto menſe explicant *florem* congeneribus affinem, ſed ampliorem, ex numeroſis petalis planis flavis, ad baſin purpuraſcentibus, radiantem ſtellam imitantibus, congeſtum; ſuccedentibus *ſeminibus* oblongis albis fungoſis, ſulcatis, denticulatis, candidiſſimo ſericeo pappo criſtatis. Tota planta ſcatet lacte acri amaro ingrato. *V. icon. tab. an.* 9. *Sect.* 6.

5. Sonchus *Madraſpatanus Lampſanæ foliis, Muel-Schevy, Hort. Mal. Part.* 10. *p.* 135. *Radix* fibroſa albicans; *caules* tenues, viridi diluti, nonnihil piloſi cernuntur. *Folia* ſine petiolis caulibus inſident, oblongo-anguſta, utrinque lacinia verſus poſticam partem extenſa. *Flores* faſciatim proveniunt, petalis anguſtiſſimis ac veluti capilliformibus, ex capitulis oblongorotundis, ſuperiora verſus contractioribus ſtriatis, piloſis; coloris ſuperiori parte ſunt purpureorubri, de cætero albicantis, odoris expertes, in capitulis in quinque anguſta *folia* apertis, *ſemina* conſident numeroſa, ruffofuſca, oblongorotunda, ſtriata, circa baſim erecta, ſingula ex oculo penicillum tenuium & albicantium filamentorum ejicientia, è medio vero unicum anguſtiſſimum foliolum; floribus deciduis ſemina cum penicillis julos referunt. *Hort. Mal.*

6. Sonchus *aſper non laciniatus, C.B.P. Park. Aſper Ger. Minus lacinioſus, & minus ſpinoſus, J.B.* Cum *Sonchо* primo noſtrate, quoad modum creſcendi & florendi, totius colorem, caulis cavitatem, &c. convenit: quum vero in prioribus folia laciniata ſeu diviſa ſint, in hoc integra & mucronata, caulem amplectentia, marginibus in ambitu dentatis, & ſpinoſis conſpiciuntur. *Promiſcue cum primo & ſecundo naſcitur.* *V. icon. tab. an.* 2.

7. Sonchus *aſper ſubrotundo folio, C.B.P. & Prod. Park. An Sonchus ſubrotundo folio noſtras ſpinulis circa foliorum oras exaſperatus, D.L. Pluk?* Ex *radice* exili, longiuſcula, *calyculus* rotundus palmaris, aliquando

ſeſqui-

ſeſquipalmaris, parte inferiore breviſſimis aculeis exaſperatus exſurgit: circa quem *folia* pauca, ſubrotunda, ſeſquiuncialia, quorum quædam ſinuata, omnia tamen per marginem, ut & nervus per folii medium excurrens leviſſimis aculeis exaſperantur: In caulículi ſummitate apparent duo treſve pediculi, quorum ſinguli unum *florem Hieracio* ſimilem, parvum, luteum, qui in pappum abit, ſuſtinent.

Monſpelii *ſponte naſcitur*, & Sonchus aſper vulgi flore Hieracii, *nominatur, ut* Caſp. Bauhinus *aſſerit; cujus tamen ſententiam* D. Magnol. *in Catalogo ſuo* Monſpelienſi *neutiquam probat. Et D. L.* Plukenet. Angliæ *etiam alumnum eſſe ait: ſed nobis nondum occurrit.*

8. Sonchus ἀφυλλάκανθος *anguſto & oblongo folio noſtras, per foliorum ambitum creberrimis ſpinulis aſperatus, D. L. Pluk.* Cui à Botanices ſtudioſis multum debetur. Alteris minor hæc planta eſt, quæ à *radice folia* digitalis longitudinis æque ac latitudinis integra profert, ex anguſto principio in mediocrem latitudinem excurrentia, & in rotunditatem deſinentia, oris æqualibus, ſed cum complurimis ſpinulis ſerram quaſi componentibus. *Caulis* erigitur in medio ſemipedalis aut circiter, nudus, in duas treſve alas in ſummo diviſus, *flores* luteos ex petalis latiuſculis in extremum dentatis compoſitos ſuſtinens.

9. Sonchus *aſper laciniatus, C. B. P. Park. Lacinioſus aſperior & ſpinoſior, J. B. Sonchus aſperior, Ger.* Quinto noſtro accedit; *folia* vero multum laciniata, ſplendentia, & quaſi criſpa, ſpinulis præſertim foliorum & diviſionum extremitatibus, armata ſunt: *flores & ſemina* oblonga pallida cæterorum ritu profert. *V. icon. tab. æn. 2.*

In arvis, locis cultis, & ruderibus, præſertim latiori ſolo, prima, ſecunda, quinta, & hæc nona ſpecies promiſcue atque ſatis frequenter inveniuntur.

10. Sonchus *laciniatus Creticus amarus ſemine curvo, Nobis. Sonchus aſper laciniatus Creticus, C. B. P. & Prod. Park. Chondrillæ Creticæ nomine miſſus ſemine criſpo, J. B.* Ex *radice caulis* craſſus, cavus & inanis intus, inæqualis, ſtriatus, aſper extra, exſurgit cubitalis, in plures ramuſculos ſuperne diviſus; *foliis* ad radicem ſeſquipalmaribus, primis quidem vix laciniatis, aliis vero in plures & magnas lacinias diviſis, & in circumferentia nonnihil aſperis, guſtu amariſſimis: *floribus* eſt luteis amplis, quorum ſinguli ſinguſis oblongis pediculis inſident; qui aliorum more papeſcunt, & ſub ſingulis pappis ſingula latent *ſemina* curva, pallida, aut ſubrufa, paululum aſpera. *V. icon. tab. æn. 3.*

Floret æſtate cum cæteris: ſemen ex Creta *delatum, & circa* Monſpelium *in vinearum marginibus invenitur.*
Eundem *foliis integris & non laciniatis* ex *Italia* accepimus.

Sonchi perennes.

11. Sonchus *lævis laciniatus luteus montanus major, C. B. P. Lactucæ murorum affinis, Sonchus dendroides Dalechampii, J. B. Radicem* habet craſſam nigricantem, ex qua radiculæ multæ prodeunt. *Caules* ei ſunt bicubitales, atque interdum altiores teretes, *foliis* ſtipati ſinuoſis, ſed per oras ex intervallo inſectis, latis, *Quercui* haud abſimilibus, lacte defluentibus. *Rami* in caulibus nulli ſunt, ſed ab imo ſcapo ad ſummum uſque non procul à ſingulorum foliorum exortu, ſinguli naſcuntur petioli tenues, qui multos *flores* ſuſtinent luteos quales ſunt aliorum *Sonchorum* aut *Lactucæ*, quæ tandem in pappos abeunt. *V. icon. tab. æn. 3.*

12. Sonchus *paludoſus altiſſimus haſtato folio, Nobis. Sonchus lævior Auſtriacus 5. altiſſimus, Cluſ. Hiſt. Sonchus arboreſcens alter, Ger.* Humanam altitudinem ſuperat: *Caulis* illi eſt pollicaris craſſitudinis, concavus, ſtriatus, lævis, quem frequentia *folia* quatuor aut aliquando binis tantum laciniis æqualiter reſpondentibus diviſa, lata baſi, & utrinque appendices habentia amplectuntur; nervo medio duro, & in ambitu creberrimis ſpinulis aſperiſque denticulis ferrata, ſuperne viridia, inferne ſubcinerea, lacteo ſucco plena: ſupremus *caulis* villis aſperſus eſt, & diviſus in aliquot ramulos, qui *flores* æquali altitudine & quaſi umbellarum ritu naſcentes ſuſtinent; non magnos quidem pro ſtirpis altitudine, ſed *Sonchi vulgaris* lævis luteo flore pares, è *calyculo* ſimul villoſo prodeuntes, multis luteis & per extremum incifis petalis medium orbem cingentibus conſtantes, (cum numeroſis in meditullio ſtaminibus aureis,) qui maturi in album lanuginem reſolvuntur; in qua latet *ſemen* oblongum, ſtriatum, & ſubluteum, quod ventus, ſua ſimul cum lanugine abripit. *Radix* craſſa, candicans, fibris donata, ſingulis annis novos ſtolones profert, & adnatis ad latera ſe propagat.

Invenitur in paludoſis, ſalicetis, & arundinetis, juxta piſcinas, & ſtagnantes aquas; ad ripas Thameſis *fluvii non procul à* Greenvico: *ſupra* Badam Auſtriæ *urbem, aliiſque* Germaniæ *locis* Cluſius *obſervavit.*

13. Sonchus *Hieracites major repens calyculo hirſuto inter ſegetes, Nobis. Hieracium majus foliis Sonchi, C. B. P. Sonchus repens multis Hieracium majus, J. B.* Ex *radice* repente facile dignoſcitur hæc *Sonchi* ſpecies, quæ non niſi difficulter evelli poteſt, perennis, lactiflua: *Caulis* bicubitalis vel longior, inferiore parte glaber, ibi demum piloſus ubi in ramulos dividi occipit: *Folia* & quæ per terram ſparſa ſunt, & quæ cauli adnaſcuntur, *Sonchi* lævis foliis ſimilia ſunt, longiora tamen, palmaria, & bipalmaria, non admodum lata, profundis laciniis inciſa, ſpinis mollicellis donata, colore etiam fere glauco: *Flores* quam Sonchorum reliquorum paulo majores, lutei, hirſuta foliorum atrovirentium compage coerciti, qui etiam in pappos abeunt. *V. icon. tab. æn. 6.*

Vulgo reperitur inter ſegetes, & Fabas, & reptatu ſuo mire ſe propagat.

14. Sonchus *anguſtifolius maritimus, C. B. P. & Prod. Radix* repens paucioribus fibris adhærentibus prædita eſt: *folia* ad radicem plura, virentia, uncias quatuor, quandoque ſex longa, rarius unciam lata, per margines ſpinulis exaſperata, & reliquorum Sonchorum inſtar lac fundentia, inter quæ aſſurgunt *caules* læves, pedales, aut bipedales, quos duo aut tria folia ſua baſi cingunt; quorum ſummitatibus *flores* ſatis ampli, pauci, lutei inſident, qui tandem in pappos evadunt.

In littore Veneto *ad* Lio, *& in maritimis circa* Monſpelium *inter Juncas copioſe repit, & Auguſto menſe floret.*

15. Sonchus *lævis laciniatus muralis parvis floribus, C. B. P. Sonchus alter folio profundis laciniis ſinuato hederaceo, Lob. Lactuca ſylveſtris murorum flore luteo, J. B. Sonchus lævis muralis, Ger.* Aſſatim lac fundit tota planta, cujus ex *radice* digitali, amara, *Caules* tennes eriguntur cubitales & ſeſquicubitales, læves, ſubrubentes, inferiore parte medulla alba fungoſa fere pleni, ſuperiore vero cavi: ad quorum genicula oriuntur *folia* profunde laciniata, extrema lacinia pentangula aut triangula hederaceum folium referente, colore qua terram ſpectant purpuraſcente: *floſculi* in ramulis exigui, *Lactucæ* inſtar, plures congeſti, colore luteo, quinque foliis conſtant, totidemque concoloria ſtamina in medio exerunt; poſtmodum aliorum more in pappos abeunt. *V. icon. tab. æn. 3.*

In montoſis & ſaxoſis locis umbroſis, & ad muros vetuſtos reperitur.

16. Sonchus *lævis laciniatus cæruleus, vel Sonchus Alpinus cæruleus, C. B. P. Sonchus lævior cæruleo flore, Cluſ. Hiſt. Sonchus cæruleus latifolius, J. B.* E *radice* pollicaris craſſitudinis, oblonga, non in profundum acta, ſed obliqua, candicante, dura, veluti internodiis diſtincta, multas circumquaque fibras craſſas agente, & vivaci, aſſurgit hic *Sonchus caule* bicubitali craſſiuſculo: *folia* laciniata in triquetram laciniam Hederacei folii æmulam, in ambitu ſerratam deſinunt: ſummus caulis thyrſum geſtat *florum*, aliorum hujus familiæ ſimilium, ſed cæruleo colore nitentium, in pappos celeriter fatiſcentium. *V. icon. tab. æn. 6.*

Abunde naſcitur in Durreſtain *locis umbroſis, in* Etſcherio *jugo, aliiſque, ut refert,* Car. Cluſius.

De aliis a quibuſdam Sonchi dictis, ad propria capitula referendis.

Sonchus *lævis anguſtifolius, C.B.P. Terracrepulus in Hetruria, Cæſ. Crepis, Dal. Lugd.* Chondrillis affinis *quædam laciniata, an Trinciatella? J. B.*

Sonchus *villoſus luteus major, & minor, C. B. P.*

Sonchus *latifolius leviter hirſutus, C. B. P. Cichoreum ſylveſtre alterum ἄκικρον, Col. Hæ plantæ neque caulibus nec ſeminibus cum* Sonchis *conveniunt,* Hieraciis *potius accenſendæ.*

Soncho *affinis Lampſana domeſtica, C. B. P. in primo capitulo hujus ſectionis locum ſortita eſt.*

Sonchi Vires & Uſus.

Sonchus *vel lævis vel aſper refrigerat, cum adſtrictione; & ſicut alia* Cichoracea *dum tener, à quibuſdam comeditur.*

Succus in ſorbitione datus, ſtomachi ardores ac roſiones mitigat, & lactis copiam facit; ad dolorem levandum auribus inſtillatur.

In calidis, in ſtranguria & dyſuria datur ad Cyathi menſuram, cum ſemine Cucumeris, *nucleiſque pinèi: urinæ ardorem ſedat.*

Herba eadem foris cataplaſmatis modo applicata manifeſte refrigerat: prodeſt idcirco omnibus inflammationibus, quibus fæliciter adhibetur.

PLANTÆ LACTESCENTES

Stellatæ ſeminibus pappoſis.

CAPUT V.

Hieracium.

HIeracium ἱεράκιον Dioſc. *lib. 3. c. 72. Latinis Accipitrina ab Accipitre qui ἱέραξ nomen habet, quoniam Accipitres eam ſcalpendo ejuſque ſucco oculos tingendo, eorum caliginem diſcutiunt, & aciem acuunt: vel ut Auctor eſt Turnerus, propterea forte quod pappi ejus utiles ſint ad vomitum Accipitribus ciendum.*

Radicchilla quibuſdam, quod ſit Cichorio *admodum ſimilis.*

Priſci in majora & minora *Hieracia* diſtribuerunt; Neotericis ſpecies multiplicantur, & à quibuſdam juxta foliorum differentias, uti à *Caſp. Bauh. Park.* aliiſque diſtinguuntur: nempe alia ſunt foliis *Dentis Leonis*, alia foliis *Chondrillæ*, alia foliis *Cichoraceis*, &c. quorum cum tanta ſit ſimilitudo & affinitas, cumque ejuſdem ſtirpis folia non raro inſigniter varient, aliunde quam foliorum forma diſtinctio repetenda eſt. Jam ut prompte diſcriminentur hujus longe patentis familiæ ſpecies, primo conſideramus ſemina, quæ cito matureſcentia & conſpicua, vel longa, vel brevia ſunt; ſecundo ſpecies, quæ vel annuæ ſunt, vel perennes, earumque folia vel lævia, vel hirſuta ſunt.

Cumque horum & congenerum tanta hactenus fuerit confuſio, ut ſuis quæque ſedibus adſcripta facilius diſtinguantur, operam dabimus. Itaque pro Hieraciis *habebimus Plantas lactescentes, ſtellatas non repentes, foliis laciniatis aut ſinuatis, caulibus ramoſis plures flores gerentibus: & pro* Dente Leonis, *eas quæ monocleæ ſunt, quarum ſinguli* caules *aphylli, ſingulos ſuſtinent flores: pro* Piloſella *denique eas habebimus quæ piloſa proferunt* folia, *marginibus rectis aut planis, omnino indiviſis. De quibus ordine agemus.*

TABULA V. SECT. VII.

Hieracium ſemine longiore

- *annuum*
  - *glabrum*
    1. *Squamoſo calyce, caule ſub capite turgidiore & fiſtuloſo, Nobis. Hieracium parvum arenoſis naſcens, ſeminum pappis denſius radiatis, Raii Synop.*
    2. *Alterum lævius minimum, Col.*
    3. *Dentis Leonis folio, flore ſuaverubente, C.B.P. Apulum ſuaverubente flore, Col.*
  - *hirtum*
    4. *Cichorii folio Amygdalas amaras olens, Nobis. Foliis Cichorii ſylveſtris villoſis, odore Caſtorei, Magnol.*
    5. *Elatius cichoraceis foliis odore intybaceo.*
    6. *Intybaceum ramoſius capitulis rotundioribus hiſpidis.*
    7. *Minus Dentis Leonis folio ſubaſpero, C. B. P. Hypocharis porcelia, Tab. Hypocharis ſive Procelia dictum, Park.*

8. *Minus*

Hieracium ſemine longiore — *perenne* — *glabrum*
8. *Minus præmorſa radice, Park. ſive Fuchſii, J. B. 5. Dod. Pempt. Minus ſive Leporinum, Ger. Chondrillæ folio glabro, radice Succiſa majus, C. B. P. & minus.*
9. *Pyrenaicum folio Cerinthes latifolium, Schol. Bot. Par.*
10. *Pyrenaicum folio Cerinthes anguſtifolium, Schol. Bot. Par.*
11. *Alpeſtre majus Endiviæ planæ foliis maculis ferrugineis aſperſis.*
12. *Latifolium præmorſa radice, caule ſingulari Piloſellæ majori affine, J. B.*

Hieracium ſemine longiore — *perenne* — *hirtum*
13. *Hiſpanicum amplo Dentis Leonis flore, Nobis. Dens Leonis latifolius cauleſcens, C. B. Prod. Hieracium magnum Hiſpanicum, Park. Hieracium Pyrenaicum Blattariæ folio, minus birſutum, Schol. Bot. Pariſ.*
14. *Blattariæ folio magis birſutum Pyrenaicum, Schol. Bot. Par.*
15. *Pulchrum, J. B. Magnol.*
16. *Erucæfolium birſutum, J. B.*
17. *Pulchrum ramoſum Sprengerianum, J. B. An Hieracium incanum lanuginoſum ramoſum Luſitanicum, Hort. L. Bat? Majus, C. B. P.*
18. *Ramoſum magno flore, C. B. P. & Prod. 16. Park.*
19. *Profunde ſinuatum pubeſcens, C. B. P. & Prod. 23. Park.*
20. *Majus Cichorii folio ἄπικρον ſive dulce, Nobis. Cichorium ſylveſtre alterum ἄπικρον, ſive Cichorium dulce, Col. Sonchus latifolius leviter birſutus, C. B. P.*
21. *Pratenſe veſicarium Cichorii folio, Nobis. Cichorium pratenſe veſicarium, Col.*
22. *Tomentoſum Hiſpanicum, C. B. Prod. 6.*
23. *Fatidum majus incanum & ramoſum, Lelii Triumfetti.*
24. *Montanum Rapifolium, C. B. Prod. 14. Park.*
25. *Montanum foliis dentatis flore magno, C. B. P. & Prod. 15. Park.*
26. *Dentis Leonis folio bulboſum, C. B. P. & Prod. 15. Park. Magnol.*
27. *Hirſutum fere umbellatum, C. B. P. Cluſ. Hiſt. 9.*
28. *Perfoliatum flore ſulphureo, Hort. L. Bat. Hedypnois Monſpeliana, ſive Dens Leonis Monſpeſſ. J. B. Hieracium magnum, Dal. Lugd.*
29. *Dentis Leonis folio obtuſo majus, C. B. P. Longius raditatum, Ger. Park. Adv. Lob.*
30. *Chondrillæ folio hirſutum, C. B. P. 3. Tab. Magnol.*

§. 1. Hieracia ſeminibus longioribus, annua.

1. Hieracium *annuum glabrum ſquamoſo calyce, caule ſub capite turgidiore & fiſtuloſo, Nobis. Hieracium parvum in arenoſis naſcens, ſeminum pappis denſius radiatis, Raii Synopſ.* Inter ſegetes, locis arenoſis invenitur hoc *Hieracium*, quod plurima longa *folia* anguſta, *Coronopi* in modum diviſa, humi habet ſtrata, maculis nigricantibus interdum aſperſa; è quorum centro emergit *caulis* (aliquando plures) gracilis, pedalis, aphyllos, in paucas alas diviſus, qui verſus ſuperiora turgidior magiſque cavus apparet: è ſquamoſo capite tenui, *floſculi* lutei ſtellati, ex plurimis petalis perbrevibus flavis compoſiti emicant, & inde per maturitatem *ſemina* fuſca, aut nigricantia, cum pappo ſuo uncialia, in orbem coacta, ſuccedunt, *radixque* perit. *V. icon. tab. æn. 9. Sect. 6.*

Tota planta lacteo ſucco turget, & poſt ſeminum maturitatem perit.

2. Hieracium *alterum lævius minimum, Col.* Nudus fere huic *caulis* eſt, exiguis ac vix conſpicuis alis alternatim veſtitus, ſingularis plerumque, aliquando bini; *foliola* emittit Vere per terram ſtrata, circa radicis fibroſæ caput exigua, oblonga, nec unciam longitudine ſuperantia, ſinuoſa, aliquando molli lanugine donata. Planta hæc *florem* in ſummitate profert luteum Soncheo calyce ſquamoſo lævi oblongo, quo ſeneſcente in globum *pappoſum ſemen* oblongum fulveſcens efformatur, atque perfectum, ut in congeneribus avolat, à quo ſato hujuſmodi germinat *Hieracium*. *V. icon. tab. æn. 7.*

Locis auſtralibus in maritimis fere juxta oppidum dictum Torre dell' Annunziata, *non longe à* Stabii *ruinis in* Veſuvii *radice Doctiſſimus* Fabius Columna *detexit.*

3. Hieracium *Dentis Leonis folio, flore ſuaverubente, C. B. P. Hieracium Apulum flore ſuaverubente, Col. Hieracium intybaceum* 10. *Cluſii & C. B. P. Intybaceum flore carneo, Park.* Planta hæc grato adeo floris ſuaverubentis colore quotquot per *agros Neapolitanos* (ubi eadem ſponte naſcitur) iter faciunt allicit, ut præ admiratione continuo eruant. *Radix* non magna, & fibroſa eſt, *folia* in orbem circa terram erumpunt longa, *Cichorii* modo laciniata eique ſimilia. Hoc Hieracium *caules* aliquando plures, alis diviſos, & folioſos, in imo rubentes, ſicuti foliorum petiolos circa radicem læves, ſolidos, lacteſcentes promit. *Flores* in ſummo magnos, ſtellatos, colore carneo ſuaverubente ex albo roſeo, hilari atque vivaci. *Semina* in pappos avolant ut in aliis, ſed anguſtiora ſunt & productiora, digitali circiter longitudine, oblongo conceptaculo incluſa, è quibus quotannis planta hæc renovatur. *Odor* totius rancidus amygdalas amaras olet, ſicut & ſequens. *V. icon. tab. æn. 4.*

4. Hieracium *luteum Cichorii ſylveſtris folio, Amygdalas amaras olens, Nobis. Caſſorei odore Monſpelienſium, Magnol. Cichorii vel potius Stœbes folio birſutum, Raii Cat. Cant.* *Folia* huic anguſta, magis laciniata, & birſuta *odorem* Amygdalorum amarorum ſicuti ea præcedentis ſpirant. *Flores* lutei haud ampli, externe quaſi crocei; quibus evanidis *ſemina* longa fuſca, pappoſa, capite incluſa conum longum ſive roſtrum componunt, & tandem vento avolant. *Vid. icon. tab. æn. 4.*

In locis herbidis, juxta vias, & in paſcuis, ſed rarius, in Anglia, *ut & in* Gallia *reperitur. Floret æſtate, & Autumno ſemine perfecto, perit.*

5. Hieracium *annuum elatius cichoraceis foliis birſutis. An Hieracium montanum Dentis Leonis folio incano vel laciniatum lanuginoſo folio, C. B. P?* Huic *folia* prima integra ſunt, ex anguſto principio dilatata, mollia, ambitu crenata, *odore* herbaceo prædita: poſtea longa, anguſta, humi ſtrata, *Cichorei* formam induunt, laciniis

laciniis tenuibus inciſa, in latum vero deſinentia, hirſuta, uti & *caulis* erectus, cubitalis & bipedalis, anguloſus, in alas diviſus; qui ſingulis ſuis ramuſculis *flores Hieracii*, ſatis latos, aureos ſuffulcit, & qui in *ſemina* longa, fuſca, tenuia, pappô donata, venti ludibrio diffuſa, tranſmutantur; *radix* perit.

6. Hieracium *intybaceum latifolium annuum ramoſius, capitulis rotundioribus hiſpidis.* Munificentia *D. D. Sherard, à Roma* tranſmiſſa ſemina anno proxime elapſo 1696. accepta ſunt, è quibus hæc planta nobis nova orta eſt, quæ *folia* plurima, humi procumbentia, dodrantem longa, ex anguſto principio in triuncialem latitudinem expanſa, mollia, obtuſa, tenui hirſutie pubeſcentia, marginibus ſinuata, & nonnunquam *Rapi* in modum laciniata, emittit. *Caulis* inter hæc aſſurgit pedalis & altior, hirſutus etiam & anguloſus, tenuis, molli medulla farctus, in alas nudas, hirſutas, plurimas, divaricatus: harum autem ſingula *florem* geſtat ſingularem, aureum, plenum, è calyce brevi, rotundiore, hirſuto emergentem; cujus petala exteriora colore ex carneo purpuraſcente ſparſim tinguntur: quibus dehiſcentibus *ſemina* plurima, pappoſa, longa, ſuccedunt.

7. Hieracium *minus Dentis Leonis folio ſubaſpero, C. B. P. Hypocharis porcelia, Tab. Hypocharis ſive Porcelia dictum, Park. Folia* edit per terram ſtrata circulariter cingentia plures *caules*, anguſtiora ſub exortum è *radice*, latiora verſus extremitates foliorum, inæqualiter ſinuata in lateribus: *caules* ſunt tenues omnino ἄφυλλοι, in cauliculos ſeu ramulos ſemipedales diviſi, quorum ſingulis apicibus inſiſtunt ſinguli *flores* lutei ſatis ampli aliorum Hieraciorum ritu. *Radix* longa & tenuis ſeſe ſæpe bifurcat, atque fibras teneras ex ſe emittit. *Vid. icon. tab. æn. 4.*

Floret æſtate. Provenit in ſabuloſis & aridis arenoſis.

§. 2. Hieracia ſeminibus longioribus, perennia.

8. Hieracium *minus præmorſa radice, Park. Lob. ſive Fuchſii, J. B. 5. Dod. Pempt. Minus ſive leporinum, Ger. Chondrillæ folio glabro, radice Succiſa, majus, C. B. P. Picris, Dal. Hiſt. Lugd. Folia* habet longa profunde inciſa, *Coronopi plantaginei* inſtar: *caules* è medio oriuntur plurimi in ramuſculos diviſi, in quorum cimis conſpiciuntur floſculi lutei, qui abeunt in pappum aliorum ſuæ ſortis inſtar: *Radix* conflatur ex multis tenuibus fibris exeuntibus à trunco nodiformi, brevi, ſatis craſſo pro portione plantæ, quæ quaſi præmorſa appareret; unde ei nomen ſpecificum *Morſus Diaboli* flore aureo dictum. *V. icon. tab. æn. 7.*

Huic ſimile eſt & aliud Hieracium minus, Coronopi itidem foliis, iiſque glabris. Radice eſt omnino fibroſa abſque ullo morſu: deinde *folia* ſunt anguſtiora, magiſque ſimilia foliis *Coronopi*, & ſaturatius virentia, *quod 5. Dodonæo, Apargia Dalechampio.* At ſi cui hæc duo, magnitudine foliorum latitudine, & anguſtia ſolummodo differre videantur, facile aſſentiemur.

Hieracia *hæc locis incultis, juxta margines agrorum, nec non in pratis & paſcuis, frequenter naſcuntur.*

9. Hieracium *Pyrenaicum folio Cerinthes latifolium, Schola Bot. Par.* Planta hæc rariſſima in Regno Vegetabili, monſtrum inter Animalia æquat. *Folia* habet *Cerinthes*, quæ ad alteram Claſſem & familiam toto genere diverſam attinet. Quod vero propter ſpecificam partium eſſentialium, florum *viz.* & ſeminum congruentiam, *Hieraciis* accenſetur, id Methodo noſtræ à nobiliore parte deſumptæ ſatis competit. A *radice* vivaci ex fibris nigricantibus compoſita, protruduntur *folia* tres quatuorve uncias longa, ad appoſitionem anguſta, & ſenſim ad biuncialem latitudinem ſeſe dilatantia, & in rotunditatem deſinentia, quodammodo villoſa; inter quæ *caules* aſſurgunt cubitales, quos folia glauca, ex oblongo rotunda, alternatim ſita, & *Cerinthes majoris Lobelii* foliis ſimillima, eodemque modo amplectentia, veſtiunt: quorum ſummitates in alas quaſdam diviſæ, *flores* luteos radiatos, ſatis amplos, eos *Hieraciorum majorum* æquantes ſuſtinent: quibus dilapſis, aliorum ritu, ſuccedunt *ſemina* longa fuſca, cum ſuo pappo avolantia.

10. Hieracium *Pyrenaicum, folio Cerinthes, anguſtifolium, Schol. Bot. Par.* Hæc etiam Planta una cum antecedenti, à Botanico egregio *D. J. Pitton Tournefortio Pariſienſi*, in ſedulis ſuis Peregrinationibus Plantarum gratia in montibus Pyrenaicis fæliciſſime ſuſceptis, inter alias notatu dignas, detecta, & à *Cl. Viro D. Sherard*, pro ſua humanitate nobiſcum communicata eſt: quæ cum priori optimè convenit, niſi quod minor ſit, & anguſtioribus *foliis* donata.

11. Hieracium *Alpeſtre majus Endiviæ planæ foliis longis, maculis ferrugineis aſperis.* Hanc plantam *Hieracii Alpeſtris majoris* nomine ex horto Patavino olim collectam habemus; nuperiſque annis in horto aluimus. *Radix* vivax, *Dentis Leonis*, in modum craſſiuſcula, carnoſa, *folia* edit per terram ſtrata, pedali longitudine, integra, binas uncias lata, iis *Endiviæ vulgaris* haud abſimilia, plana, margine obiter dentata, nervo è rubedine albicante inſigni, per medium decurrente ac ſuperficie maculis longis inæqualibus, ferrugineis inordinatim infecta. *Caulis* cubitalis, raro ramoſus, in ramuſculum unum aut alterum diſtributus, & exinde nudus, è medio otitur: in uniuſcujuſque cauliculi ſummitate, menſe Junio, è calycibus planis, provenientes, *flores* aurei, multis petalis anguſtis, ſtaminuliſque coacervati, pleni, ampli, emicant; qui temporis progreſſu in pappos *ſeminibus* longis adhærentes, fatiſcunt.

12. Hieracium *latifolium præmorſa radice, caule ſingulari, Piloſellæ majori affine, J. B.* Sylvas amat, *foliis* palmaribus, quibuſdam brevioribus, aliis longioribus, vix unciam latis, quorum quædam ſunt dentata in margine, breviſſimis pilis, & quibuſdam inconſpicuis donata, aliis manifeſtis, quædam in acumen deſinunt: *caulis* dodrantalis, & aliquando cubitalis, unicus, nullis ramis diviſus, ſine foliis, multos in ſummo cacumine congeſtos *flores*, luteos ſuſtinens, ad inſtar *Pulmonariæ Gallicæ*, qui tandem in floccos abeunt: ad ſingulas diviſiones foliolum tenue anguſtum conſpicitur. *Radix* fibrata & præmorſa eſt.

In ſylvis circa Baſileam *à* Caſp. Bauhino *reperta eſt.*

13. Hieracium *Hiſpanicum amplo Dentis Leonis flore patulo, Nobis. Dens Leonis latifolius cauleſcens, C. B. Prod. Hieracium magnum Hiſpanicum, Park. An Hieracium Pyrenaicum Blattariæ folio minus hirſutum, Schol. Bot. Par?* *Caule* eſt cubitali, hirſuto, rotundo, ſtriato, & cavo; quem *folia* baſi alata, in lacinias aliquot diviſa, ſubrotunda, uncias ſex longa, ſeſcunciam lata, marginibus nonnihil piloſis, cingunt; quæque in *caulis* ſummo leviter tantum ſinuata, proxime caulem veſtiunt: *flos* magnitudine fere & colore, *Dentis Leonis vulgaris flori* non multum abſimilis eſt.

Ex horto nobiliſs. Nicolai Contareni C. Bauh. *accepit: nobis à* Pariſiis *allatum eſt.*

14. Hieracium *Pyrenaicum Blattariæ folio magis hirſutum, Schol. Bot. Par. Hieracium* hoc priori accedit, aliquantillum vero elatius eſt, & *folia* profert hirſutiora: cæteris convenit. *V. icon. tab. æn. 4.*

15. Hieracium

15. Hieracium *pulchrum, J. B. Magnol.* Ad *Dentis Leonis & Cichorii ſylveſtris* lacinias accedunt hujus *folia*, forma & hirſutie; prima vero minus laciniata, cætera alternatim per caulem ſparguntur: *ſaporem* nullum guſtanti offerunt; & quo altiora, eo minora redduntur: *Caulis* unicus rectus ſtriatus, cubitalis, hirſutus, foliis alternatim naſcentibus amictus, quæ ſine pediculo latam habent baſim cum alis: *Flores* in cacumine numeroſi, ex pediculis propriis lutei, in pappos fatiſcentes: *radix* non magna, cum fibris aliquot craſſiuſculis. *Vid. icon. tab. æn. 5.*

Circa Monſpelium *in humidis ſatorum, & Vinearum foſſis, tota æſtate cum flore obſervatur.*

16. Hieracium *Erucæ folio hirſutum, J. B.* Singulare quoque aſſurgit *caule* ad altitudinem pedalem penitus hirſuto, *foliis* veſtito etiam hirſutis, uncialibus, aut ſextantalibus, cinericii coloris, laciniis *Cichorii Erucæve* circumroſis, extremo folii fere triquetro. *Flos* in ſummo caule unicus aureus majuſculus. *V. icon. tab. æn. 5.*

Figura Jo. Bauh. *plures flores exprimit.*

17. Hieracium *pulchrum ramoſum Sprengerianum, J. B. An Hieracium incanum lanuginoſum ramoſum Luſitanicum. Hort. Lugd. Bat?* Planta ad ſeſquicubitalem aſſurgit altitudinem, nec dum integra, piloſa, minoribus ramis alterno ſitu ex longo intervallo brachiata, ad quorum alas hærent *folia* inferne quidem ex principio anguſto longa ac dodrantalia, fere ſemunciam lata, profundis & amplis inciſuris ordine quodam ſerrata, ac pene laciniata, nervo inſigni per medium excurrente: ſuperne vero breviora, quæ lato principio veluti alis *caulem* amplectuntur: *Flores* in ſummitatibus lutei, qui temporis progreſſu in *pappos* fatiſcunt. Tota planta piloſa, potiſſimum in extremis ramis, in quibus pili longiores. *V. icon. tab. æn. 5.*

Heidelbergæ *in cultiſſimo horto inſignis* Pharmacopæi & Botanici D. Sprengeri *collegit* Jo. Bauhinus.

18. Hieracium *ramoſum magno flore, C. B. P. & 16. Prod. Park.* Hoc *caule* eſt bicubitali rotundo, ſubaſpero, in ramos diviſo, quibus ſingulis, *flos* magnus, aureus, *Dentis Leonis* forma inſidet: *Folia* habet pallide virentia, nonnihil aſpera, ſinuata, & per margines exiguis pilis donata, longitudine palmum ſuperantia, tres uncias lata, per quorum longitudinem coſta inſignis excurrit, à qua per tranſverſum venæ feruntur.

In montibus Bellunenſibus *reperitur.*

19. Hieracium *profunde ſinuatum pubeſcens, C. B. P. & 23. Prod. Park.* *Radice* eſt nigricante lignoſa, fibroſa, *caule* bicubitali, rotundo, ſiſtuloſo, levi lanugine, ut & tota planta, pubeſcente, in ramos brachiato: *foliis* ad radicem oblongis, acutis, profunde ſinuatis, & laciniatis, oblongis pediculis donatis, per caulem paucis, ſimiliter acute laciniatis: *flores* ſinguli, ſingulis pediculis, aurei, in *pappum* abeuntes, inſident.

In pratis Michelfeldenſibus *ficcioribus ad dumeta, etiam in dumetis provenire, ait* Caſp. Bauh. *qui in* Prodromo *edidit.*

20. Hieracium *majus Cichorii foliis ἄμυρον ſive dulce, Nobis. Cichorium ſylveſtre alterum ἄμυρον, ſive Cichorium dulce, Col. Sonchus latifolius leviter hirſutus, C. B. P. Cichorium dulce, Park.* In umbroſis Vallium ſaxoſis, & ſeptentrionalibus locis *Valvenſium* frequens naſcitur, toto anno regerminans, ab *radice* longa, nigro cortice obducta, intus alba, quæ diſrupta lacteum humorem, eumque quidem dulcem emittit: *Folia* illi Cichoracea, minus profunde inciſa, pulpoſa, carnoſiora cæteris congeneribus, nec aſpera, ſed leni hirſutie obducta, colore obſcure virentia: *Caulem* veris ſine producit bipedali, & aliquando majore altitudine, rotundum ſolidum, hirſutum, colore candicantem, ramulis in ſummitate brachiatum, quibus *folia* lata, magis profunde inciſa, ſine petiolo adhærent: In ſummitate ex oblongis hirſutis calycibus, hilari aureo colore *flores* edit; quibus marceſcentibus turgidi manent calyces, copioſo *ſemine* oblongo, colore obſcure rufeſcente, atque *pappum* candidum tenuem mollem habente, quod maturitatem adeptum avolat. *Sapor* totius adeo amaroris expers, ut palato plane dulcis videatur; quod *Doctiſſimus Fab. Col.* recte monet. *V. icon. tab. æn. 3.*

21. Hieracium *pratenſe veſicarium Cichorii folio, Nobis. Cichorium ſylveſtre veſicarium pratenſe, Col. Cichorium pratenſe hirſutum veſicarium, C. B. P.* E *radice* recta, & fibroſa nigreſcente & lacteſcente proveniunt *folia* longa hirſuta ac aſpera, ea Cichorii æmulantia, circa *radicem* Vernali tempore in orbem expanſa: in medio umbilico veſica eſt *Nucis Juglandis* magnitudine, molli, tenui membrana obducta, quæ intus membranoſos habet folliculos: Hi ubi caulis adoleverit dehiſcentes in alas & flores membranoſis conceptaculis expanduntur: *Caulis* eſt ſtriatus craſſus, aſper, nigricante hirſutie cavus, rotundus, alternatim *foliis* hærentibus cinctus, circa ſummitatem latioribus, brevioribus, minuſque profunde inciſis, atque folliculi modo alas cum veſicis etiam amplectentibus in caulis ſummo: in quibus è foliacea membranulæ modo tenui baſi, ſex foliolis cavis conſtructa, quæ antequam *flores* pandantur, illos botrorum modo incluſos habet; *flores* emicant, longis calycibus Hieraciorum reliquorum modo luteſcentibus petalis, inferne purpurantibus, *Eranthemi* modo, intus multis coacervatis ſtaminibus extuberantem umbonem conficientibus: quæ tandem perficientibus ſe *pappoſis ſeminibus*, evaneſcunt. Tota planta lacteo amaroque ſucco turget. *V. icon. tab. æn. 4.*

In Vinea Reguli *plurimum vidiſſe & eruiſſe ſe meminit* Fab. Col.

22. Hieracium *tomentoſum Hiſpanicum, C. B. Prod. 6.* Tota planta mollis eſt & incana, tomentoſa: *radicem* habens cortice rufeſcente tectam; *caulem* palmarem, rotundum, incanum; *folia* ad radicem oblongis pediculis donata uncias tres quatuorve longa, ſemunciam lata, mollia craſſiuſcula, ad formam foliorum *Dentis Leonis* vulgaris ſinuata, quæ in caule anguſtiora, minuſque profunde ſinuata: cauliculi ſummitati *flores* bini, terni, lutei, breviſſimis pedicellis inſident, quorum ſinguli ex eleganti calyce hirſuto in plures apices diviſo emicant.

In aridis & ſaxoſis Arragoniæ, *naſcitur.*

23. Hieracium *fœtidum majus incanum & ramoſum, Lelii Triumfetti.* Inter *Hieracia majora* numerandum eſt hoc, quod *folia* promit quatuor aut quinque uncias longa, unam lata, integra, mucronata, marginibus denticulatis, molli hirſutie, vel lanugine tecta, quæ defricta odorem rancidum & ingratum ſpirant: *Caules, flores*, & *ſemina* producit aliorum more.

24. Hieracium *Montanum Rapifolium, C. B. P. & 14. Prod. Park.* Ex *radice* rufeſcente oblonga, parum capillata, *folia* pauca, & *Rapæ vulgaris* ad modum, in lacinias ſubrotundas, per margines ſinuatas, & ad tactum aſperas, diviſa, pediculis oblongis rubentibus & aſperis donata prodeunt: inter quæ *caulis* cubito altior, cavus, ſtriatus, rufeſcens, uno alterove brevi folio cinctus, exurgit, qui ſuperne in ramulos plures dividitur, quorum ſingulis, *flos* maxima ex parte unus, rarius duo, pediculis tamen diſtinctis inſidet, luteus, mediæ magnitudinis, qui tandem in pappum abit.

In monte Waſſerfall *provenit.*

25. Hieracium *montanum foliis dentatis flore magno, C. B. P. & 15. Prod. Park. Foliis* eſt atrovirentibus, lanugine carentibus, ad radicem maxime diſpoſitis, uncias quinque longis, unam latis, per circumferentiam dentatis, & leviſſima lanugine pubeſcentibus: inter quæ *caulis* pene nudus, pedalis, cavus, hirſutie aſper, exurgit, qui *florem* unum eumque magnum ſaturate luteum, eleganti quaſi calyci incluſum, ſuſtinet.

Hoc in Helvetiorum *montibus*, Gotthardo, *& circa* Thermas Fabarias *creſcit. C. B.*

26. Hieracium *Dentis Leonis folio Aſphodeli radice, Nobis. Hieracium Dentis Leonis folio bulboſum, C. B. P. & 5. Prod. Park. Magnol. Radix* ex aliquot oblongis quaſi *Aſphodeli* bulbis compoſita, ex ſe *caulem* emittit cubito altiorem, nudum, levem, ſtriatum, circa medium in ramos pedales (unum vel alterum) diviſum, quorum quilibet *florem* parvum ſubflavum, ſuſtinet: *folia* ad radicem per terram ſparſa, *Dentis Leonis* ad inſtar ſinuata & corroſa, inferne molli lanugine pubeſcentia, ſuperne ſubaſpera, unciam lata, tres longa.

Circa Monſpelium *in* Prodromo *ſuo naſci ait, C. B. Et D.* Magnol. *ſe copioſe inveniſſe in herbidis pratorum, & ſatorum marginibus circa* Lateram *aſſerit.*

27. Hieracium *hirſutum fere umbellatum, C. B. P. 9. Cluſ. Hiſt.* Quaternis aut quinis à *radice* prodit hoc Hieracium *foliis*, vulgari forma non diſſimilibus, ſed mollioribus, ſuperne magis villoſis, inferne pene glabris, lacteo ſucco plenis, & ſubamaris; inter quæ prodit *caulis* pedalis, aut amplioris longitudinis, gracilis, hiſpidus, ferens in ſummo veluti umbellam quandam calyculorum villoſorum, qui dehiſcentes, *flores* exhibent *Hieracii vulgaris* floribus pene ſimiles, ſed colore longe elegantiores, nempe impenſe flavos, & quaſi aureos, multis petalis extrema cuſpide crenatis conſtantes, inter quæ flava ſtamina, odoris non ingrati: *ſemen* in pappum aliorum congenerum inſtar evaneſcit: *Radix* perennis, multis candidis fibris prædita, & ſubinde adnatis virgulis humi ſparſis ſeſe propagat.

28. Hieracium *hedypnois Monſpeſſulana ſive Dens Leonis Monſpelienſium dictum, J. B. Hieracium magnum, Dal. Lugd. Hieracium perfoliatum flore ſulphureo, Hort. Lugd. Bat. Folia* hujus à *radice* craſſiuſcula per terram ſparſa quatuor aut quinque uncias longa, modice ſinuata, & obtuſis laciniis diviſa, molli lanugine pubeſcentia, lacteo ſucco plena: *caulis* nunc nudus, nunc bis aut ter diviſus, leviter quoque hirſutus, aſſurgit pedalis aut amplior, ſuperiore parte nudus *florem* amplum pallidum ſulphurei fere coloris, ex petalis longis, latiuſculis, crenatis conflatum gerit; quo ad maturitatem perducto, *ſemina* apparent, quæ ipſa ſunt curva & rugoſa, unde collum longum membranaceum aſſurgit, pappum non ut in cæteris candidum, ſed ſubfuſci coloris ſuſtinens.

In Hetruriæ, Galloprovinciæ, & Narbonæ *marginibus ſatorum & pratorum ſponte naſcitur.*

29. Hieracium *Dentis Leonis folio obtuſo majus. C. B. P. Hieracium longius radicatum, Adv. Lob. Ger. Park. Hieracium macrorrhizon 7. Tab. Hieracium macrocaulon junceum ſive minus primum Dodonæo, J. B. 3. Dod. Pempt.* E *radice* longa alba, lacteo ſucco prægnante, complures exeunt *caules* cubitales, nunc recti, nunc reclinati, ſtriati, concavi, juncei, & pene nudi, in ramos aliquot diviſi: *flores* ſingulis ſurculis inſident ſinguli, lutei, ſatis ampli, è ſquarroſo modiceque hirſuto capitulo emicantes, *ſemine* ſuccedente ruffo longo ad tactum nonnihil aſpero, cum pappoſo tomento: *folia* pleraque omnia ex radice ſtatim orta, per terram ſparguntur, oblonga, digitum lata, ſinuata, in obtuſum mucronem deſinentia, hirſuta, raris & longiuſculis pilis, nonnihil amara. *V. icon. tab. æn. 4.*

Per totam æſtatem floret, in pratis & paſcuis.

30. Hieracium *Chondrillæ folio hirſutum, C. B. P. Hieracium luteum hirſutum, J. B. Hieracium foliis & facie Chondrillæ, Lob. Icon. Cam. 3. Tab.* Cujus icon huic noſtræ plantæ optime convenit. *Radix* ex multis fibrillis tenuibus compoſita eſt, unde oriuntur *folia* longa *Coronopi* diviſura, in tenues, & acutas lacinias diviſa, quæ circa radicem in orbem ſparguntur: *caules* emittit pedales aut cubitales, vix erectos, antecedenti ſimiles, in paucas alas diviſos, qui *flores* luteos plenos, ex petalis plurimis extremum crenatis conflatos, & è calyce parvo tenui erumpentes, ſuſtinent, qui abeunt in *pappum*: foliorum ſuperficies longis pilis albidis, raris veſtitur.

In herbidis juxta vias, præſertim arenoſo ſolo provenit: & cum Hieracio Chondrillæ folio glabro *confundi non debet, quæ erecta eſt planta caule folioſo glabro, ut poſtea demonſtrabitur.*

TABULA VI. SECT. VII.

Hieracium ſemine breviore

- *annuum*
  - *glabrum*
    - 31. *Chondrillæ folio glabrum, C. B. P. Hieracium luteum glabrum ſive minus hirſutum, J. B. Aphacoides, Ger.*
    - 32. *Foliis imis anguſtioribus laciniatis, cauleſcentibus glaucis & integris, Nobis. Sonchus lævis anguſtifolius, C. B. P. Chondrillis affinis quædam laciniata, an Trinciatella? J. B. Crepis, Dal. Lugd.*
    - 33. *Minus flore ex albo carneo, C. B. P. Parvum Creticum, Park. Cluſ. Hiſt. App. 1.*
    - 34. *Proliferum falcatum, C. B. Prod. 12. Hieracium calyce barbato, Col. part. 2. Magnol.*
    - 35. *Medio nigrum Bæticum majus, Park.*
    - 36. *Medio nigrum Bæticum minus, Park. Cluſ. Cur. poſt.*
  - *hirtum*
    - 37. *Chondrillæ folio calyce barbato viridi breviore.*
    - 38. *Parvum Hyoſeris anguſtifolia aſpera, J. B. Hyoſeris altera, Tab. Hieracium minus Lentis Leonis folio oblongo glabro, C. B. Pin.*
    - 39. *Incanum lanuginoſum Raguſinum Piloſellæ flore Hermanni, H. L. Bat. App. Piloſella incana Raguſina, J. B. Ciaſſi.*
    - 40. *Montanum fruticoſius caule canaliculato, Nobis. Montanum alterum λεπτομαχρίκαυλον, Col.*
    - 41. *Echoides capit. Cardui benedicti, C. B. P. Bugloſſum luteum, Ger. Bugloſ. luteum ſive Lingua bovis, Park.*
    - 42. *Echoides capit. Cardui benedicti foliis profunde ſinuatis, Sonchus aſper, Rawolf. in horto ſicco.*

43. *Alpinum*

- *Hieracium ſemine breviore*
  - *perenne*
    - *glabrum*
      43. *Alpinum pumilum Chondrillæ folio, C. B. P. & 9. Prod.*
      44. *Minus 8. C. B. Pin. 2. Prod.*
      45. *Alpinum anguſtiſſimo folio oblongoque, 8. C. B. Prod. Park.*
      46. *Montanum latifolium majus, J. B. Tab. C. B. P. Park.*
      47. *Montanum latifolium minus, C. B. P. Latifolium minus ex valle Greisbachiana, J. B.*
    - *birſutum*
      48. *Aſperum majore flore in agrorum limitibus, J. B. Cichorium montanum anguſtifolium birſutie aſperum, C. B. P. Hieracium aſperum, Ger.*
      49. *Maximum aſperum Chondrillæ folio, C. B. P. 7. Prod.*
      50. *Latifolium Genevenſe foliis Conyzæ majoris Monſpel. J. B. Alpinum aſperum Conyzæ facie, C. B. P.*
      51. *Alpinum non laciniatum flore fuſco, 17. C. B. Prod.*
      52. *Pyrenaicum Lampſanæ Dod. foliis, Schol. Bot. Par.*
      53. *Longifolium Pyrenaicum amplexicaule, Schol. Bot. Par.*
      54. *Rotundifolium Pyrenaicum amplexicaule, Schol. Bot. Par.*
      55. *Phlomoides exoticum latifolium foliis candida & denſa lanugine obſitis, Nobis. An Piloſella maxima Syriaca, Park.*
      56. *Alpinum latifolium birſutie incanum magno flore, C. B. P. latifol. 1. Cluſ. Piloſellæ majori ſive Pulmonariæ luteæ accedens maculatum & non maculatum, J. B.*
      57. *Fruticoſum latifolium birſutum, C. B. P. Park. Hieracii Sabaudi varietas altera, J. B.*
      58. *Latifolium folio unico cauli inſidente, Nobis. Piloſella major quibuſdam, aliis Pulmonaria flore luteo, J. B. Pulmonaria Gallica ſive aurea latifolia, Ger.*
      59. *Fruticoſum latifolium glabrum, Park. Fruticoſ. latifolium foliis dentatis glabrum, C. B. P. & Prod. 24.*
      60. *Murorum laciniatum minus piloſum, C. B. P. Piloſellæ majoris ſive Pulmonariæ luteæ ſpecies magis laciniata, J. B.*
      61. *Sive pulmonariæ luteæ laciniatæ ſpecies minor, J. B.*
      62. *Alpinum latifolium magno flore, C. B. P. Park. Alpinum birſuto folio 5. Cluſ. Hiſt.*
      63. *Fruticoſum folio ſubrotundo, C. B. P. & 25. Prod. An Hieracium μακρόκαυλον birſutum folio rotundiore, Raii Synopſ?*
      64. *Λεπτόκαυλον birſutum folio rotundiore, Raii Synopſ.*
      65. *Fruticoſum minus, C. B. P. & 26. Prod.*
      66. *Fruticoſum Alpinum latifolium minus uno vel altero flore, D. Lloyd. Raii Synopſ.*
      67. *Piloſellæ majoris ſpecies foliis rarius dentatis, flore ſingulari noſtras, D. L. Pl.*
      68. *Sive pulmonaria lutea anguſtiore folio valde piloſa, J. B.*
      69. *Sabaudum altiſſimum foliis brevibus latis crebrius naſcentibus.*
      70. *Fruticoſum anguſtifolium majus, C. B. P. Park. Rectum rigidum, quibuſdam Sabaudum, J. B.*
      71. *Fruteſcens foliis anguſtiſſimis, Hort. Lugd. Bat.*

§. 3. Hieracia ſeminibus brevioribus, annua.

31. Hieracium *Chondrillæ folio glabrum, C. B. P. Et Cichorium luteum lævius, ejuſdem, Park. Quinetiam Chondrillæ folio glabrum, Park. Hieracium luteum glabrum ſive minus birſutum, J. B. Hieracium aphacoides, Tab. Ger. Dens Leonis 3. Dod.* E *radice* annua & fibroſa proveniunt *folia* longa, mollia, lævia, & anguſta, in ambitu ſinuata, aut modice laciniata, lacteo ſucco plena: *caulis* erectus aſſurgit cubitalis, cavus, ſulcatus, in varios ramuſculos diviſus, ſub quorum appoſitionibus folia conſimilia, ſed paulo anguſtioribus ſegmentis laciniata, lata auriculata baſi caulem amplectuntur, quibus etiam ramuſculi veſtiti ſunt, quæ aſſurgentia minora fiunt: ſummi caules è capitulis exiguis, *flores* luteos parvos multiplices proferunt, qui cito in pappum, cum *ſeminibus* parvis, brevibus, fuſcis appenſis definunt, quæ vento flante avolant, unde circumquaque copioſe renaſcitur. *V. icon. tab. an. 7.*

Floret per totam æſtatem. In aggeribus foſſarum, atque inter ſegetes frequenter reperitur.

32. Hieracium *annuum foliis imis anguſtioribus laciniatis, cauleſcentibus glaucis & integris, Nobis. Sonchus lævis anguſtifolius, C. B. P. Chondrillis affinis quædam laciniata, an Trinciatella, J. B. Crepis, Dal. Lugd. Terracrepolus in Hetruria, Cæſ. Folia* huic duas treſve uncias longa, & anguſta, ſinuata, & *Erucæ ſativæ* in modum laciniata, quorum pars extrema ſubrotunda, lævis, ſatis craſſa ſpiſſave: *caulibus* junceis ramoſis pedalibus aut cubitalibus, pauca *folia* integra, uncialia, à lato principio mucronata, ad glaucum colorem tendentia, naſcuntur: ſinguli cauliculi nudi, ſingulos *flores* pallide luteos, mediocris amplitudinis, è capitulis rotundis ſquamoſis erumpentes, ſuſtinent; *ſemina* plurima brevia & rugoſa, cum pappo ſuo candida ſuccedunt. *V. icon. tab. an. 3.*

Non longe à Monſpelio, *& in ſqualidis locis circa* Salenovam, Mommau, *la* Columbiere, *totoque anno fere florens invenitur.*

33. Hieracium *minus flore ex albo carneo, C. B. P. Hieracium parvum Creticum, Park. Cluſ. Hiſt. App. 1.* Parvum hoc Hieracium *folia* profert biuncialis longitudinis, & ſemunciam lata, marginibus ſinuata cum nervo medio plerumque rubro decurrente, quæ *radicem* parvam & fibroſam ambiunt: *cauliculi* pene nudi dodrantales aſſurgunt, qui raro dividuntur: foliolum breve, tenuius inciſum, ad ramuſculi exortum prodit:

flores ſtellati, ſatis ampli, ex petalis intus albis, externe ſubcarneis, compoſiti, in ſingulis cacuminibus emicant. *V. icon. tab. æn.* 4.

34. Hieracium *proliferum falcatum, C. B. P. & 12. Prod. Hieracium calyce barbato, Col. Folia* virentia, dentata, uncias duas longa, à *radice* exigua promit; *cauliculos* læves, rotundos, parum foliatos, dodrantales: capitulum parvum ex plurimis ſtylis gracilibus per maturitatem recurvis & aſperis compoſitum, inter quæ *flos* luteus, parvus medio fuſcus: at ſub floris capitulo, communiter utrinque ramulus unus, rarius duo, lævis nudus, uncias quatuor, quandoque ſuperans, exurgit; quibus utrinque foliolum anguſtiſſimum ſubjicitur, & horum ſummo ſimiliter *flos* inſidet & ſæpe ſub hoc quoque flore, pedicellus floſculum ſuſtinens, emergit, ut in *Gnaphalio herba impia* dicto. *Vid. icon. tab. æn.* 4.

Oritur in ſatis Luci Gramuntii, *aliiſque arenoſis circa* Monſpelium: *cujus varietatem minorem* C. Bauh. *memorat, quam loci ficcioris indoli deberi opinatur*, D. Magnol.

35. Hieracium *medio nigrum Bæticum majus, Cluſ. Cur. poſt. Park.* Hujus *flos* amplitudinem uncialem aut ſeſquiuncialem aſſequitur, melini aut ſulphurei coloris, medio niger, & *Calthæ vulgaris* in modum expanſus: *folia* latitudine uncialia, inferiora interdum biuncialia ſinuata ſunt, caputque barbulis rigidis, acutis longioribus pro calyce donatum, quæ non raro ſub capite caulem etiam veſtiunt. *Semen* etiam pappoſum breve.

36. Hieracium *medio nigrum Bæticum minus, Cluſ. Cur. poſt. Park.* Hoc proxime antecedente minus eſt, & penultimo, *calyce barbato Col. dicto.* Latitudine foliorum, florumque amplitudine dignoſcitur. *V. icon. tab. æn.* 4.

Annuæ ſunt plantæ, à ſemine Hiſpanico *natæ, & à* Car. Cluſio *in* Curis ſuis poſterioribus *memoratæ.*

37. Hieracium *annuum Chondrillæ folio, calyce barbato viridi breviore.* Planta hæc annua & antehac nobis inaudita, *Hieracium vulgare Chondrillæ folio glabrum, C. B. P.* quodammodo æmulatur; *folia* enim longa, anguſta, *Dentis Leonis Chondrillæve* denticulationibus laciniata ſunt, modice (præſertim in dorſo) hirta. *Caulis* anguloſus in rectum attollitur, pedalis & cubitalis, in ramuſculos divaricatus, ad quorum ſingulam appoſitionem foliolum etiam enaſcitur acutum, & pluſculos *flores* parvos, luteos, plenos, è calycibus hirſutis viridibus, barbarum ſerie inſidentibus, provenientes, ramulorum ſummitates corymbatim gerunt: quibus *ſemina* brevia pappoſa, congenerum more, ſuccedunt.

38. Hieracium *parvum Hyoſeris anguſtifolia aſpera, J. B. Hyoſeris altera, Tab. Hieracium minus Dentis Leonis folio oblongo glabro, C. B. P. Hieracium minimum anguſtifolium, C. B. Pbyt.* Exigua ſed craſſiuſcula donatur *radicula*, ſucciſa nonnihil & quaſi præmorſa, pluribus fibris ornata: *foliis* longis & anguſtis, hirſutis, in terra ſparſis; *caulibus* duobus aut tribus glabris, è radice prodeuntibus, palmum circiter longis, verſus ſuperiora ut plurimum in binas alas diviſis, quarum extremitatibus inſidet *flos* unicus luteus, plenus, ſatis magnus. Tota planta amaricantis eſt ſaporis. *V. icon. tab. æn.* 4.

Lucos multum amat, frequens etiam reperitur in ſolo arenoſo, gramineo, & ſecus vias, ut refert, J. Bauhinus.

39. Hieracium *incanum lanuginoſum Raguſinum, Piloſellæ flore, Hermanni H. L. Bat. App. Piloſella incana Raguſina, J. B. Ciaſſi.* Nacta eſt hæc planta *radicem* fibroſam gracilem albidam; *cauliculos* multos cubitales, ramoſos, tenues, incanos, humi procumbentes; *folia* ad ſingula genicula & ramorum exortus iis *Leucoii incani ſiliquis rotundis, C. B. P.* paulo latiora, nonnihil crenata, candido tomento obducta; *flores* quoque gerit in ramorum cacuminibus *Piloſellæ minoris* facie & forma aureos; *ſemina* citrina candido lanuginoſo pappo donata.

Plantam hanc in lucem edidit cum figura, & deſcriptione, Doctiſſimus Hermannus, *qui de ejuſdem tamen duratione pronunciare nihil auſus eſt, ſed annua eſſe videtur.*

40. Hieracium *annuum montanum fruticoſius caule canaliculato, Nobis. Hieracium montanum alterum* λεπτομακρόκαυλον, *Col.* E tenui brevi flaveſcente *radice* parva, promit *folia* prope terram, magna & longa, è geniculis caulium ſerrata, aut potius ſinuata, *Lampſanæ* fere ſimilia, ſed non adeo diviſa, hirſuta, mollia, & quæ cito facileque marceſcunt: *Caulem* quidem ſtriatum aut ſulcatum Junio menſe emittit tenuem admodum bicubitalem, ex viridi albeſcentem, & hirſutie ſcatentem, lacteſcentem, alternatim ad ſenipedalia intervalla, abſque petiolo hærentibus foliis ut in congeneribus latiore origine caulem amplectentibus, in ſummo in longas alas fiſſum, inque multos tenues longos petiolos ſe dividentes, quibus oblongi calyces ſuperſtant: in illis emicant *flores* lutei, parvi admodum, *Lampſanæ Dod.* æmuli, ſemine parvo, fuſco, pappoſo. *V. icon. tab. æn.* 5.

Oritur in ſepibus Æquicolorum Villæ Mercato *dictæ, & in hortis ſatis copioſe ſuccreſcit.*

41. Hieracium *echioides capitulis Cardui benedicti, C. B. P. Bugloſſum luteum, Ger. Bugloſſum luteum ſive Lingua bovis, Park. Hieracium capitulis Cardui benedicti maximum, Bugloſſum echioides quibuſdam, J. B. Bugloſſum echioides luteum Hieracio cognatum, Lob. icon.* Multifida nititur *radice*, craſſitudine digitali, alba, lac amarum fundente: *caulis* bicubitalis radicis craſſitiem æquat, ſtriatus, rubens, denſiſſimis ſpinis rigidis, & hirſutie acuta, ſed facile caulem relinquentibus horrens; *ſuccum* itidem lacteum è vulnere fundens; ramis quam plurimis brachiatus: folia *Bugloſſæ* modice ſinuoſa, longa, multo magis ſpinis minacibus, & bullis albidis horrida: *Flores* crocei *Hieracii* in pappum fatiſcentes, è calyce foliaceo torulis hiſpidis canaliculato, emicant. *V. icon. tab. æn.* 5.

Floret Junio & Julio menſibus, uſque ad Auguſtum. Paſſim provenit in ſepibus, & viarum marginibus, tum in Anglia *tum in* Gallia.

42. Hieracium *Echoides capitulis Cardui benedicti, foliis profunde ſinuatis. Sonchus aſper Rawolfio in horto ſuo ſicco in Oriente collecto.* Omnibus cum antecedenti convenit, præterquam *foliis*, quæ in hoc profunde ſunt laciniata, cum in altero integra ſint.

E ſemine Chalepenſi *naſcitur.*

His addenda eſt altera ſpecies, *foliis omnino glabris* donata; quam Cl. D. *Sherardus* pro ſua humanitate nobiſcum communicavit.

§. 4. Hieracia ſeminibus brevibus perennia.

43. Hieracium *Alpinum pumilum Chondrillæ folio, C. B. P. & 9. Prod.* Tota planta palmaris eſt, ex cujus *radice* alba, cortice nigricante tecta, *folia* aliquot prodeunt lævia, pallide virentia, uncias quatuor longa, pediculis longis donata, vix laciniata: inter quæ *cauliculus* exurgit rotundus, foliis *Chondrillæ* modo diviſis cinctus, qui in ſummo in duos treſve ramulos unciales dividitur, quorum ſinguli *florem* unum luteum, ſatis magnum, ſuſtinent.

Creſcit in Sneeberg Auſtriæ.

44. Hieracium

44. Hieracium *minus glabrum foliis eleganter virentibus, C. B. P. & 2. Prod.* Ex *radice* albicante, oblonga, tenui, *cauliculi* palmares, rarius pedales, læves, virentes, in alas diviſi, exurgunt: *folia* habet pauca ex virore ſplendentia oblonga anguſta, raris laciniis prædita: quorum quædam baſi latiore & alata, cauliculum amplectuntur: *floribus* eſt minoribus, quam in ulla ſpecie aureis, quorum ſinguli ſingulis pedicellis, unciam ſuperantibus inſident, & aliorum more in pappos abeunt.

In Autumno floret, & circa Baſileam *reperitur.*

45. Hieracium *Alpinum anguſtiſſimo oblongoque folio, C. B. Prod.* 8. Ad *radicem* duriuſculam rufeſcentem, *folia* plura graminea, palmo longiora, glabra, atrovirentia, obſervantur: inter quæ *caulis* cubitalis, lævis, rotundus, ſtriatus, paucis foliis cinctus, & circa medium in plures ramulos diviſus, exurgit: ramulis ſingulis *flos* unicus, parvus, luteus, inſidet, cui *ſemen* parvum ſuccedit, quod cum ſuo pappo à vento excutitur.

In monte Baldo *reperitur.*

46. Hieracium *montanum latifolium glabrum majus, C. B. P. J. B. Tab. Park.* E *radice* brevi fibroſa naſcuntur *folia* longa, lata, criſpa, undulata, ex albo incana, rigida lanugine obducta, *Hieracii echioidis* antedicti folii in modum effigiata, ſed duplo latiora, & mucronata, brevi petiolo hærentia: inter folia ad finem Auguſti prodit *caulis* rotundus, aſper, piloſus, cubitalis, foliis lata & auriculata baſi veſtitus, quandoque in duas aut tres alas diviſus; in quibus capitula craſſa exoriuntur, *florem* producentia luteum, plenum, qui ut alii hujus generis in floccum abit, ac una cum ſemine nigricante ventis fit ludibrium.

In ſummis Hercyniæ *montibus naſcitur. V. icon. tab. an. 7.*

47. Hieracium *montanum latifolium minus, C. B. P. Hieracium latifolium glabrum ex valle Greisbachiana, J. B.* Proxime præcedenti valde hoc affimile eſt; *radix* tamen minor eſt, *folia* anguſtiora, & paulo breviora, inferiora etiam longiori prædita ſunt pediculo, cætera vero pediculo carent, *caulem* amplectentia, ad exortum anguſtiora quam prioris, tenera, mollia: *caulis* abit in quinque, ſex, aut ſeptem pediculos, quibus ſingulis *flos* inſidet unicus, luteus, præcedentis floribus ſimilis, ſed paulo minor. *V. icon. tab. an. 7.*

In valle Griesbachiana *ſponte naſci obſervatur.*

48. Hieracium *aſperum majore flore in agrorum limitibus, J. B. Cichorium montanum anguſtifolium hirſutie aſperum, C. B. P. Hieracium aſperum, Ger.* *Radix* craſſiuſcula eſt vivax, fibris adnexis, buxei coloris; *caules* ex eadem radice ſurgunt teretes, ſtriati, rigidis pilis, aſperi, ramoſi, lacteo ſucco manantes, cubitales aut bicubitales: *folia* inferiora duobus palmis interdum longiora, ſeſquiunciam lata, acuminata, hiſpida per margines finuata, & aliquantulum criſpa: ſuperiora vero alternatim caulibus adhærent minora, acutiora, cæteroquin ſimilia: ſapor utriuſque ſubamarus: *flores* ſuis ſingulis pediculis modo longis, modo brevibus, poſteriores prioribus, ut in *Herba impia Plinii* altioribus inſident, ſtellati lutei; cujus petala frequenter ad fuſcum colorem externe accedunt, & ad extremum crenata ſunt; quibus delapſis *ſemina* in capitulis turgeſcentibus aſperis continentur pappoſa. *V. icon. tab. an. 4.*

In montoſis, ſaxoſis, & agrorum marginibus occurrit.

49. Hieracium *maximum aſperum Chondrillæ folio, C. B. P. & 7. Prod.* Planta hæc quoque aſperitate donata eſt, & ad antecedentem accedit, *folia* vero profunde ſunt laciniata, adeoque præcipuam hæc differentiam conſtituunt. *V. icon. tab. an. 4.*

50. Hieracium *latifolium Genevenſe foliis Conyzæ majoris, Monſpeſſ. J. B. Hieracium Alpinum aſperum Conyzæ facie, C. B. P. Caules* edit plures cubitales, ac etiam majores, cavos, craſſos, hirſutos, qui ſuperius in aliquot breves ramulos diviſi; *flores* gerunt luteos, magnos, prioribus pares; tandem in pappos evaneſcentes: *folia* infima *Conyzæ Monſpeſſulanæ majoris* foliis paria, palmari circiter longitudine, unciam lata ſinuata nonnihil & quaſi ſerrata, per caulem alternatim ſunt diſpoſita, eumque modice amplectuntur; ſunt inſuper hirſuta potiſſimum inferiore parte, minus tamen aſpera quam *Hieracium aſperum. Radices* fibroſæ ſunt craſſiuſculæ nigricantes, & craſſis capitibus donatæ. *An Hieracium Britannicum Cluſii? V. icon. tab. an. 5.*

In montibus circa Genevam *invenit* J. Bauhinus, *& in aſcenſu montis* Juræ *prope* Thuiri *detexit* D. Raius.

51. Hieracium *Alpinum non laciniatum flore fuſco, 17. C. B. Prod. Caule* eſt ſeſquipalmari, hirſuto, parte ſuperiore aphyllo; *foliis* ad radicem hirſutis, obſcure virentibus, acuminatis, duas treſve uncias longis, unciam latis: *floribus* aliquot parvis fuſcis in pappum abeuntibus, & caulis ſummo inſidentibus.

52. Hieracium *Pyrenaicum Lampſanæ Dod. foliis, Schol. Bot. Par. Lampſana vulgaris* planta ſatis obvia, & bene nota eſt, cui rara hæc planta antequam *flores* producit ſimillima eſt; quando vero lutei ampli *flores* ſummis caulibus emicant, & *ſemina* ſuccedentia in capitulis parvis contenta & pappoſa cernuntur, ſe facile ad hanc familiam pertinere demonſtrat.

Plantam hanc quæ Pyrenaicarum Alpium *alumna eſt, & in horto* Pariſienſi *colitur, nobiſcum communicavit* D. Sherard, *vir de nobis juxta ac re* Botanica *optime meritus.*

Omnes Hieracii ſpecies ſequentes ſemina producunt brevia & nigra, pappo etiam brevi donata.

53. Hieracium *longifolium Pyrenaicum amplexicaule, Schol. Bot. Par. Folia* multa è radice prodeunt ſex uncias longa, unam aut alteram lata, in ambitu paucis ac levibus crenis donata, molli hirſutie pubeſcentia: inter quæ *caules* pedales aut ſeſquipedales hirſuti eriguntur, quibus adhærent *folia* pauca reliquis breviora, ad exortum lata, quæ caules fere circum amplectuntur, qui in ſuperiore parte in aliquot ramuſculos diviſi, *flores* luteos, latos, è calycibus hirſutis provenientes ſuſtinent.

54. Hieracium *rotundifolium Pyrenaicum amplexicaule, Schol. Bot. Par.* Inter hoc & præcedens nihil accidit diſcriminis niſi quod illi alteri *folia* latiora & rotundiora ſint.

55. Hieracium *phlomoides exoticum latifolium, foliis candida & denſa lanugine obſitis, Nobis. An Piloſella Syriaca, Park?* E *radice* nigricante fibroſa, *folia* quatuor uncias longa, duas aut tres lata, emergunt, pediculis uncialibus aut biuncialibus adnata, pauliſper in margine raris denticulis extantibus, ſinuata, candida, ſericeo tomento, uti in *Verbaſco* videre licet, obducta: *caules* aſſurgunt tomentoſi, pedales, *foliis* binis terniſve donati; & *flores* ſatis amplos, luteos, in ſummitatibus reliquorum hujus familiæ ſimiles gerunt.

Hoc pro Piloſella Indica *à* Venetiis *accepimus.*

56. Hieracium *Alpinum latifolium hirſutum incanum magno flore, C. B. P. Latifolium 1. Cluſ. Hiſt. Park.*

Piloſellæ majori ſive Pulmonariæ luteæ accedens maculatum, & non maculatum, J. B. Huic quina aut ſena ſunt *folia* humi ſtrata, lata, *Intybo ſativo latifolio* non multum diſſimilia, per ambitum nonnihil ſinuoſa, interdum etiam laciniata, mollia, hirſuta, nigricantibus maculis ſæpiſſime infecta, interdum minime, lacteo ſucco turgentia; è quorum medio *caulis* exit cubitalis, cavus raris foliolis ſeptus; in quo plerumque unicus, interdum alter aut tertius *flos* ex craſſiuſculo calyce nigraque lanugine hirſuto emicat, *Hedypnoidis* flori ſimilis, ſed pallidior, plenus, aliquantulum odoratus: *radix* craſſiuſcula nigra & fibroſa. *V. icon. tab. æn. 5.*

Invenitur pleriſque Hungariæ, Auſtriæ *ſuperioris, atque* Moraviæ *montibus, gramineis & ſimul apricis locis, ficcioribuſque pratis.*

57. Hieracium *fruticoſum latifolium hirſutum, C. B. P. Hieracii Sabaudi varietas altera, J. B. Hieracium fruteſcens latifolium polyanthus, Eyſt.* In muris & montibus ſaxoſis, præſertim ſylvaticis, variis in locis occurrit hoc *Hieracium*, quod *folia* promit hirſuta, tres quatuorve uncias longa, duas lata, dentata aut ſinuata: *caules* pedales & cubitales leviter ſunt hirſuti, paucis foliis minoribus veſtiti, qui corymbatim *flores* luteos, cum cæteris, è calycibus hirtis proferunt, *ſeminibus* brevibus nigris & pappoſis ſuccedentibus. *Vid. icon. tab. æn. 5.*

In Virginia *proveniens Hieracium fruticoſum latifolium foliis punctulis & venis ſanguineis notatis*, D. Baniſter Botanicus *cum primis aſſiduus detexit.*

58. Hieracium *latifolium hirſutum folio unico cauli inſidente, Nobis. Piloſella major quibuſdam, aliis Pulmonaria flore luteo, J. B. Pulmonaria Gallorum flore Hieracii, Adv. Lob. Pulmonaria Gallica ſive aurea latifolia, Ger.* *Folia* à *radice* fibroſa rubente, geniculata, ſtatim oriuntur, duas aut tres uncias lata, quatuor longa, ſinuoſa, ſuperne virentia, & hirſuta, inferne denſiore lanugine caneſcentia, aliquando maculata, pediculis ſubrubentibus, villoſis, longis, adhærentia: *Caulis* ſurgit pedalis aut bipedalis, hirſutus, cum ſingulo folio ad ejuſdem medium adnato: *Flores* in ſummitatibus lutei; & *ſemina* brevia nigricantia. *V. icon. tab. æn. 5.*

In muris, & ſiccis locis naſcitur, in Luco Gramuntio *non longe à* Monſpelio *copioſe reperitur, foliis maculatis & non maculatis: nomen* Pulmonariæ *ob maculas inditum.*

59. Hieracium *fruticoſum latifolium glabrum, Park. Fruticoſum latifolium foliis dentatis glabrum, C. B. P. & 24. Prod.* Huic *folia* ſunt latiuſcula, pediculis donata, modice hirſuta, ac etiam ſinuata, ſuperficie vero cæteris viridiore & minus piloſa. *Caulis* raro ramoſus pauca gerit folia. *Floret* cum cæteris.

In montibus Borealibus Angliæ *naſcitur: in montoſis circa acidulas* Petrinas C. Bauh. *obſervavit; & in* Alpibus Cambro-Britannicis D. Lloyd, *cum permultis aliis non minus rariis detexit.*

60. Hieracium *murorum laciniatum minus piloſum, C. B. P. Piloſellæ majoris ſive Pulmonariæ luteæ ſpecies magis laciniata, J. B.* *Folia* longa lata, hirſuta, profundius ſunt laciniata, in angulos profundos, acuminatos, ad pediculi extremitatem diſſecta, ſtellæ medium repræſentantia; quorum quædam rotunda quædam acuminata ſunt: *caulis* cubitalis unicus, unico folio in media ſui parte, magis laciniato præditus, in alas aliquot dividitur, ad quarum exortum foliolum admodum exiguum, acuminatum, anguſtumque exoritur: *flos* luteus plenus.

In Germaniæ *ſilvis denſis, & opacis* Fagorum *frequenter occurrit.*

61. Hieracium *hirſutum ſive Pulmonariæ luteæ laciniatæ ſpecies minor, J. B.* *Radix* huic craſſa adeo multis craſſiuſculis fibris donata eſt, ut non niſi lacerata evelli poſſit: *Folia* ex pluribus capitibus aſſurgunt uncias ſeptem longa, quædam breviora, quædam parum aut vix laciniata, eaque minora, majora autem profunde laciniata, parte ſuperna vix hirſuta, in averſa pilis manifeſtis in coſtis vel nervis prædita: *folia* inferiora pediculis longis adnectuntur, ſuperiora per caulem ſparſa breviores petunt: *caules* ipſi dodrantales, inferna parte rubentes, rotundi, cavi, hirſuti, in paucos ramos diviſi; quorum extremitatibus *flores* inſident ſingulares, ſatis magni, lutei, & pappoſi.

In muro pontis Claræ-vallæ *urbis, nec alibi, obſervavit* J. Bauhinus.

62. Hieracium *Alpinum latifolium villoſum magno flore, C. B. P. Hieracium Alpinum hirſuto folio 5. Cluſ. Quodammodo incano J. B. 5. Pannonicum, Ger.* *Folia* è *radice* prodeuntia, uncialis fere ſunt latitudinis oblonga, molli criſpa lanugine admodum hirſuta, & quodammodo incana, integra & ſinuata: *Caulis* pedalis emergit hirſutus, quem per intervalla, ambiunt folia ſuperioribus breviora, at latiora, in mucronem deſinentia, non minus quam illa hirſuta, qui aliquando unicum aliquando plures *flores* luteos, plenos, ſuſtinet. *V. icon. tab. æn. 5.*

In herboſis Alpium *jugis invenitur; menſibuſque æſtivalibus floret, & ſemen perficit.*

63. Hieracium *fruticoſum folio ſubrotundo C. B. P. & 25. Prod. An Hieracium μακρόκαυλον hirſutum folio rotundiore, R. Synopſ.?* *Caule* eſt pedali, rotundo, ſtriato, ſubaſpero, qui in ſummo in ramulos trium quatuorve unciarum brachiatur, qui ſinguli ſingulos *flores*, pallide luteos, in pappum abeuntes, ſuſtinent; quem *folia* ſubviridia, ſubrotunda, acuminata, & dentata, uncias duas longa, ſeſquiunciam lata, & leviter hirſuta, baſi ſua cingunt.

64. Hieracium λειόκαυλον *hirſutum folio rotundiore D. Lawſon, R. Synop.* *Folia* è *radice* emergunt cæteris rotundiora, in averſa parte præſertim hirſuta: *Caules* pene nudi, graciles, in ramulos paucos divaricati, *flores* ampliores in ſummis gerunt.

In rupibus Angliæ *borealibus, ſc. intra* Shap & Anna-well Weſtmorlandia D. Lawſon *invenit.*

65. Hieracium *fruticoſum minus, C. B. P. & Prod.* Hujus varietas triplex occurrit; nam ex *radice* fibroſa, & quaſi præmorſa, *caulis* pedalis ſimplex exurgit, attamen *foliis* brevibus & leviſſimis, circa *Pataviam:* ut circa *Norimbergam* paucis, brevibus, ſubrotundis, in circumferentia crenatis, & aſperiuſculis provenit. *Vid. icon. tab. æn. 5.*

66. Et hiſce adjungendum eſt, ſi non idem, *Hieracium fruticoſum Alpinum latifolium minore uno vel altero flore, R. Syn.* quod *D. Lloyd* nobiſcum benigne communicavit; quod etiam humilis eſt planta, *foliis* brevibus & dentatis, lævibus, longitudinem uncialem vix ſuperantibus; cujus etiam datur *varietas foliis* biuncialibus, anguſtioribus, *caule* pedali, foliis paucis, etiam anguſtis, alternatim veſtito, qui *florem* plerumque ſingulum, ſatis amplum, ſimplici petalorum ſerie donatum ſuſtinet.

In Alpibus Britannicis *circa* Llan-berrys D. Lloyd *collegit; ubi cum cæteris forſan hujus generis varietatibus ſuccrevit.*

67. Hieracium *ſive Piloſellæ majoris ſpecies, foliis rarius dentatis, flore ſingulari noſtras, D. L. Pl.* Tota planta hirſuta eſt, & *folia* biuncialis aut triuncialis longitudinis, & latitudinis uncialis aut amplioris, mucronata & dentata profert, quæ *caulem* quoque conveſtiunt: *Flos* in ſingulo caule ſingulus, ex petalis obtuſis & crenatis radiatus conſpicitur, cui *ſemen* pappoſum ſuccedit.

68. Hieracium

68. Hieracium *ſive Pulmonaria lutea anguſtiore folio valde piloſa, J. B. Folia* acuminata ſunt longis pilis valde hirſuta, non tantum quæ à *radice* ſtatim oriuntur, ſed etiam quæ per *caules* pedales hirſutos ſparguntur. *Flores* lutei, ſinguli, vel bini, ac etiam terni, ſatis ampli ſunt.

In monte Salevæ *prope* Genevam *naſcitur.*

69. Hieracium *Sabaudum altiſſimum foliis latis brevibus crebrius naſcentibus. Folia*, è *radice* fibris implexa promit oblonga, duas pollices lata, ambitu denticulationibus ſinuata, hirſuta, in mucronem definentia. *Caules*, inter Hieracia, altiſſimi, humanam & altiorem acquirunt proceritatem, rotundi, è viridi fuſco colore tincti, hirſuti ſunt; quibus *folia* plurima, imo numero 80. in unum caulem inordinatim naſcentia, è lata baſi mucronata, ſeſſilia, adhærent: ſummitatem verſus caulis in ramuſculos breves & frequenter indiviſos diſtributus, *flores* luteos, planos, ex petalis plurimis anguſtis, ad extremum dentatis, compoſitos, è calycibus ſquamatis emicantes, ſuſtinet; qui in *ſemina* brevia, nigricantia ac pappoſa, cum cæteris, reſolvuntur.

70. Hieracium *fruticoſum anguſtifolium majus, C. B. P. Park. Hieracium rectum rigidum, quibuſdam Sabaudum, J. B. Sabaudum montanum, Adv. Lob. Majus anguſtifolium vel* 3. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Hieracium primum, Dod.* Cubitales aut bicubitales aſſurgunt *caules* rotundi, villis frequentibus obſiti; quos confuſo ordine ambiunt plurima *folia* viridia, longa, uncialis fere latitudinis, per margines inciſa: ſummi *caules* in ramulos finduntur, imbricata capitula ferentes, è quibus exoriuntur *flores* lutei, qui in pappos reſolvuntur: *radix* fibroſa multiplici ſobole luxuriat. *V. icon. tab. æn.* 5.

In montoſis inter frutices, & ad cæduarum ſylvarum margines in Anglia, *aliiſque regionibus naſcitur.*

71. Hieracium *frutescens foliis anguſtiſſimis incanis, Hort. Lugd. Bat.* Ex fibroſis candidis radicibus fruticant ſingulis annis novi ſurculi ſeſquicubitales, tenues, ex viridi albeſcentes, lacteſcentes, *foliis* inferioribus *Coronopi* in modum dentatis, ſuperioribus anguſtis pene ſetaceis, ab imo ad ſummum uſque denſe ſtipati; quorum faſtigia in complures abeunt ramulos, ſuſtinentes è calyce oblongo, incano, modice hirſuto, & ſquamato, *flores* luteos ex multis petalis planis in gyrum diſpoſitis, confarctos; qui marcidi fatiſcunt in *ſemina* atro-rubentia gracili pappo criſtata.

Dodonæus poſt primum ſuum *Hieracium*, alterius meminit *foliis* anguſtioribus, tota pene facie præcedentem ſpeciem referentis, quæ ab hac non multum diverſa videtur; quamque à *D. Sutherland Botanico integerrimo ex horto Edinburgenſi* recepimus.

De aliis quæ a quibuſdam Hieracia nominantur.

Hieracium majus foliis Sonchi, 1. *C. B. P. Hieracium majus Matth. Dod.*
Hieracium majus fol. Sonchi ſemine curvo 2. *C. B. P. Chondrilla Cretica ſemine criſpo, J. B.*
Hieracium arboreſcens paluſtre, 3. *C. B. P.*
} *Sonchi ſunt, & capite proxime præſcripto quærendi*

Hieracium capitulum inclinans ſemine adunco, 1. *C. B. P. Hieracium florem inclinans, J. B.*
Hieracium ſiliqua falcata, 2. *C. B. P. Hieracium Narbon: ſiliqua falcata, Lob. Lugd. Hieracium ſtellatum, J. B.*
} *Semina producunt ſolida & Endiviis adnumeranda. v. cap.* 1.

Hieracium Dentis Leonis folio hirſutie aſperum minus laciniatum, C. B. P. Hieracium alterum ſaxatile montanum, Columnæ.
Hieracium Dentis Leonis folio hirſutie aſperum magis laciniatum, 11. *C. B. P.* 1. *Prod.*
Hieracium Dentis Leonis folio obtuſo minus flo. magno, 2. *C. B. P.* 3. *Prod.*
Hieracium montanum Dentis Leonis fol. incano vel lanuginoſo, 4. *C. B. P. Montanum laciniato fol. vel folio Hedypnois*, 8. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Montanum laciniato folio lanuginoſo Cluſio, J. B.*
Hieracium montanum, fol. dentatis, flore magno, 5. *C. B. P.* 15. *Prod.*
Hieracium pumilum ſaxatile aſperum radice præmorſa, 13. *C. B. P.*
Hieracium Narbonenſe rotundifolium caule aphyllo, J. B.
Hieracium parvum hirtum caule aphyllo, criſpum ubi ſiccatum, J. B.
Hieracium fœtidum 3. *Col. Part.* 2.
} *Caule ἀνλωπήτῳ prædita ſunt & ad Dentes Leonis reducenda. Vid. c.* 7.

Hieracium Alpinum non laciniatum, flore fuſco, 11. *C. B. P.* 17. *Prod.*
Hieracium hortenſe flo. atropurpuraſcentibus, 12. *C. B. P.* 18. *Prod. Hieracium Germanicum* 1. *Franciſ. Gregorii.* 1. *Col.*
Hieracium pumilum folio lanuginoſo, 15. *C. B. P. Pumilum* 2. *Col.*
} *Folia horum piloſa, marginibus integris donata ſunt; ergo inter Piloſellas ponenda. V. cap.* 8.

Hieracium anguſtifolium nonnihil incanum, 16. *C. B. P. J. B. Montanum* 6. *Cluſ. Ger.*
Hieracium Tragopogonis folio, 4. *C. B. P. Hieracium* 7. *Cluſ. Hiſt.*
Hieracium capillaceo folio, C. B. Prod.
} *Characterem Scorzoneræ obtinent. Vid. Cap.* 10.

Temperamentum & Vires.

Hieracia *omnia refrigerare & ſiccare perhibentur: ad calidiores humores temperandos utilia: ſed in officinis minus uſitata.*

Intrinſecus *in Apoſtematibus ac ardentibus febribus nihil ſane utilius, ac efficacius uſurpari poteſt quam aqua Hieraciorum diſtillata: ſi ea ſingulis vicibus menſura trium quatuorve cochlearium bibatur, tuſſis aufertur, una cum inflammatione, ut refert* Tragus.

Succus *in Cerviſia calefacta ſumptus, in Pleuritide prodeſt*, Park.

Optimum

Optimum *collyrium adverſus maculas oculorum, eſt aqua diſtillata; ſed ſuccus efficacius idem præſtat, ac oculorum caliginem diſcutit.*

Herba *viridis extrinſecus impoſita, omnem inflammationem nigrarum & adurentium puſtularum ſedat.*

Ut maculas eluant, parumque & immaculatum vultum conſequantur Mulierculæ, aqua Hieracii uti ſolent.

Hieracium 32. *noſtr. quod in Hetruria* Terracrepolus *vocatur, olus eſt ſylveſtre, & in cibis crudum cum oleo & aceto expetitur,* Cæſalp.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes.

CAPUT VI.

Chondrilla.

CHondrilla *veterum eſt herba Cichorio ſimilis, unde* κιχώρεια, ἀειδα *quidam vocarunt. Apud Gal. & Paulum* χονδρίλη *legitur, (apud Dioſc.* Κονδρίλλη,) ἀπὸ τῦ χόνδρος *quod eſt grumus, &* ὔλεω *quod continere ſignificat, quaſi continens grumos, quos Maſtichæ ſimiles eſſe ait Dioſcorides.*

Chondrilla eſt planta Hieraciis quam proxima, unde (præſertim calidioribus regionibus) ſuccus lacteus aut exudat, aut ex eruptione tenuiſſima effluit, cui ſemina pappoſa atque inſecta intercepta agglutinantur, qui exſiccatus & inſpiſſatus in fuſcos aut nigricantes tuberculos grumoſve gummoſos abit, quod ei cum Lactucis aliiſque lacteſcentibus commune eſt; quamvis rarius in iis uſu veniat.

TABULA VII. SECT. VII.

Chondrilla
- *annua*
  - *lutea*
    1. *Foliis Cichorii tomentoſis, C. B. P. Chondrilla legitima, Dioſc. Cluſ. Prior, Lugd.*
    2. *Foliis tomentoſis altera flore pallidiore, Nobis. Sonchus villoſus luteus major, C. B. P. Sonchus lanatus luteus, Dal. Lugd.*
    3. *Villoſa minor, Nobis. Sonchus villoſus luteus minor, C. B. P.*
    4. *Coronopi aut Cyani facie tenuifolia lutea vinearum, Lob. Chondrilla lutea, J. B.*
  5. *Purpuraſcens fœtida, C. B. P. & Prod. Chondrilla rubra fœtida, Eyſt. Chondrilla birſuta rubente flore, J. B.*
- *perennis*
  6. *Folio non diſſecto caule nudo, & foliato, J. B.*
  7. *Sicula Tragopogonoides maritima, Boccon.*
  8. *Lactucatea Forо-Julienſis, Raii.*
  9. *Puſilla maritima lutea bulboſa, Adv. Lob. Chondrilla bulboſa ſive 2. An μηδικιον Theophraſti, C. B. P.? Cichoreum bulboſum, Dal. Lugd. Cichorium ſtrumoſum, Myconi. Chondrilla marina, Tab. Ger.*

1. Chondrilla *foliis Cichorii tomentoſis, C. B. P. Chondrilla legitima, Dioſ. Cluſ. Chondrilla Græca, Tab.* Latiuſcula huic ſunt *folia, Cichorii* foliorum inſtar diviſa, omnino incana, & denſe lanugine tomentoque obducta; inter quæ *caulis* emicat pedalis & amplior, rotundus, candidus, in aliquot ramulos fiſſus, *foliis* minoribus, anguſtioribus, inordinatim ſeptus, quibus (ut etiam ipſis ramulis) plerumque inhærent grumi fulveſcentes gummi iſtic concreti. *Flores* extremis ramulis ſuſtinentur ſtellati, lutei coloris, maturitate in pappum non ut in reliquis, album, ſed è ruſſo nonnihil rubeſcentem, abeuntes. Tota planta, ut diximus, incana eſt, & ſucco lacteo prægnans, qui ſiccatus fulveſcit, & acris eſt ſaporis. *V. icon. tab. æn. 6.*

In agro Salmanticenſi *in locis incultis, & in multis aliis* Hiſpaniæ *locis invenitur.*

2. Chondrilla *foliis tomentoſis altera, flore pallidiore, Nobis. Sonchus villoſus luteus major, C. B. P. Sonchus lanatus luteus, Dal. Lugd.* *Folia* ad radicem plurima, anguſta quatuor quinqueve uncias longa, ſinuata, albedine quadam, (ſed lanugine argentea quam proxime antecedens parcius donata) incana ſunt: *caules* eriguntur pedales aut bipedales, rotundi, non ut in Soncho concavi, villoſi, *foliis* etiam villoſis veſtiti, in ſummitatibus in alas brachiati: *Flores* pallide lutei, pleni, mediocres, in pappum brevem, cum ſeminibus etiam brevibus appenſis, evadunt. *Vid. icon. tab. æn. 3.*

In ſaxoſis & apricis circa Monſpelium, Meſſanam Siciliæ, *aliiſque finitimis locis, ſponte naſcens invenitur.*

3. Chondrilla *villoſa lutea minor, Nobis. Sonchus villoſus luteus minor, C. B. P. & Prod.* Ex *radice* longiuſcula fibris carente, *cauliculi* bini, terni, rotundi, nonnihil villoſi, palmum ſuperantes, & in ſummo in ramulos binos ternoſve diviſi, prodeunt. *Folia* pauca ad radicem, uncias quatuor longa, ſed anguſtiſſima, laciniis late à ſe diſtantibus, & lævibus diviſa, quæ circa caulem ſtrictiſſima, & uncialia: *Flores* in ſummis ramulis intenſe aurei, ex parvis capitulis, ſuavi tomento villoſis, prodeuntes, in pappum abeunt.

Monſpelii *in* Luco Gramuntio *provenit.*

4. Chondrilla *lutea Coronopi aut Cyani facie vinearum, Lob. Chondrilla lutea, J. B.* Lacteo ſucco abundans, in lævi & glabro caule *folia* habet, ad *Sonchum lævem* accedentia, multo minora, diviſura fere *Lactucæ noſtræ* 24. quæ vulgo *Chondrilla cærulea* dicta eſt, extremæ laciniæ paſſis alis ciconiam ſe in aere librantem exprimunt, per ſegmentorum ambitum denticulata, quod notatu dignum, hacque nota non

non florens facile à Chondrilla cœrulea antedicta diſcernitur: ex horum ſinu *ramuli* exeunt quorum ſingulis inſidet unicus Sonchi *flos* luteus in pappos evaneſcens.

Sponte tota æſtate in calidiorum regionum vinetis & olivetis glareoſis paſſim occurrit, & ad Sonchos *valde accedit.*

5. Chondrilla *purpuraſcens fœtida, C. B. P. & Prod. Chondrilla rubra fœtida, Eyſt. Chondrilla hirſuta rubente flore, J. B. Radix* fibroſa tenuis; *caules* plures ad cubiti altitudinem accedentes, ad exortum parum piloſi; colore ex rubro obſcuro cum foliorum pediculis ſplendentes, alias virides & ſtriati, in ſummitate aphylli, exurgunt: *folia* ad radicem plura, palmum excedentia, inſtar foliorum *Cichorii noſtri* 4. plus minuſque ſinuata & acuminata, mollia, aliquando pilis exiguis cincta, nervo folium percurrente, inferne (quod & foliorum accidit pediculis) hiſpido: ſingulis caulibus, qui raro brachiantur, *flos* unicus peramœnus amplus inſidet, cujus diſcum medium petala ſedecim & plura oblonga, diluto rubore purpuraſcentia, in apicibus diviſa, orbiculatim cingunt: qui ubi *ſemen* maturuit, in pappum oblongum abit. *V. icon. Tab. æn. 6.*

Locus natalis ignoratur, in Hortis Curioſorum colitur.

6. Chondrilla *folio non diſſecto caule nudo, & foliato, J. B. Radice* firmatur longa, craſſa, lacteo ſucco turgente, in capita aliquot diviſa, *folia* emittente multa, palmaria & longiora, ſemunciam plus minus lata, *Plantaginis tenuifoliæ* foliis ſimilia, acuminata, glabra, craſſa, ad colorem glaucum tendentia. *Caules* frequentes juncei, dodrantales, & pedales, glabri, fungoſi, foliis plerumque nudi, nonnunquam foliati, in binos ramos ut plurimum diducuntur, quorum ſingulis *flos* inſidet unus magnus, luteus, in pappos evaneſcens, quibus *ſemina* adhærent tenuia, longa, ſtriata, & ruffa.

7. Chondrilla *Sicula Tragopogonoides maritima, Bocconi. Radix* hujus plantæ candida, fragilis, digitalis pene craſſitudinis, alte in terram depacta, ſuperne in tres, aut quatuor partes dividitur; ex qua *caulis* oritur pedalis & altior, pluribus alis ramoſis donatus, concavus: folia *Reſedæ* aut *Coronopi* diviſura: *Flos* & *ſemen* ut in *Chondrilla* & cæteris *Tragopogonis* ſpeciebus conſpiciuntur. *V. icon. tab. æn. 6.*

8. Chondrilla *lactucacea Foro-Julienſis, Raii. Radice* eſt ſimplici; *folia* ad terram plura triuncialia, valde anguſta, uno vel altero dente hinc inde extante, ex anguſto principio (quod in hoc genere ſolenne eſt) ſenſim dilatata, in acumen definunt: *Caules* ab eadem radice plures ſeſquipalmares aut ſemipedales, foliis nudi, ſumma parte in ramulos & furculos multos diviſi ſunt & ſubdiviſi, quorum ſingulos terminant *floſculi* lutei pro calyce ſimplici foliorum vallo cincti, ut capitula oblonga anguſta, Lactucaceorum inſtar appareant: *ſemina* quod ad formam attinet, Lactucaceis ſimilia ſunt, verum non ita compreſſa, fulva, nonnihil aſpera. Ad divaricationes caulium apponuntur foliola minima & anguſtiſſima: extremi etiam ſurculi ſive petioli quibus *floſculi* inſident, tenuiſſimi ſunt.

In Foro-Julii *via quæ ducit à* Vinſona *ad* Venetias D. Raius *detexit.*

De aliis quæ a quibuſdam Chondrillæ nominantur.

Chondrilla *juncea viſcoſa arvenſis, C. B. P. Quæ prima Dioſc. Chondrilla viminalibus virgis, Cluſ. Hiſt, Chondrilla viminea, J. B.*

Chondrilla *viſcoſa caule foliis obducto, C. B. P. Chondrilla ſaxatilis viſcoſo caule* χημιδοφόρῳ, *Col.*

Chondrilla *cærulea latifolia laciniata, C. B. P. Latifolia cærulea, Tab. Ger. Chondrille vel Chondrilla cærulea, J. B.*

Chondrilla *cærulea altera Cichorii ſylveſtris folio, C. B. P. Cærulea Belgarum, Adv. Lob.* De his lege inter Lactucas Cap. 3.

Chondrilla foliis *laciniatis ſerratis, purpuraſcente flore, C. B. P. Chondrilla rara purpurea, Lob. Hiſpanica Narbonenſis Tab.* Vide inter Centaurea majora.

Chondrilla *cærulea Cyani capitulo, C. B. P. Seſamoides parvum Matth. Caſt. Tab. Ger.*

Chondrilla *cærulea Cyani capitulis altera, C. B. P. Seſamoides parvum flore magis completo, Cam.* Hæ plantæ ob ſemina ſolida ad Cichoria referendæ ſunt.

Chondrilla *Cretica J. B.* Eſt Sonchus.

Chondrillis *affinis quædam laciniata, an* Trinciatella? *J. B. Crepis, Dal. Lugd. Terracrepola Cæſ.* Vide Hieracium.

Chondrilla *puſilla marit. bulboſa, Lob. Chondrilla bulboſa, 2. C. B. P. Chondrilla marina, Tab. Ger.* Eſt Dens Leonis.

PLANTÆ LACTESCENTES

Pappoſæ.

CAPUT VII.

Dens Leonis.

DEns Leonis à Dioſcoride *ob ſeminis pappoſi mollitiem & canitiem* Lagopus *& à forma ſpherica* Rota aeris, *atque à flore circulari* Molaris flos *Orientalibus nominatur, quod ei cum cæteris hujus ſectionis commune eſt. Recentiores vero* Dentem *Leonis à forma foliorum, quorum laciniæ dentes quodammodo referunt, appellavere. Aliis* Urinaria *herba,* Gallis *Piſſenliet, quaſi lectiminga, à facultate diuretica dicitur.*

Dens Leonis eſt planta *Pappeſcens* & *Lacteſcens* cujus *caulis* ſimplex non ramoſus, unicum *florem* amplum ſuſtinet, *foliiſque* dentatis donata.

TABULA IV. SECT. VII.

Dens Leonis

glaber

1. *Folio latiore, C. B. P. Adv. Lob. Dens Leonis vulgaris, Park. Hedypnois ſive Dens Leonis, Fuchſii, J. B. Taraxacon minus, Loniceri. Variat foliorum diviſura.*
2. *Folio anguſtiore, C. B. P. Aphaca anguſtioris folii, Cæſ.*
3. *Chalepenſis foliis longis, flore minore melino, radice nigra.*
4. *Latiore & rotundiore folio, Magnol. Hieracium Narbonenſe rotundifolium caule aphyllo, J. B.*
5. *Foliis radiatis lævibus, Magnol. App. Minor foliis radiatis, C. B. P. & Prod.*
6. *Anguſtiore & longiore folio flore minore.*
7. *Alpinus minimus flore croceo, Nobis. Hieracium pumilum, Col. Hierac. minus glabrum foliis eleganter viridibus, C. B. P. 2. Prod.*
8. *Foliis profunde laciniatis & virore ſplendentibus fœtidus, Nobis. Hieracium fœtidum 3. Col. Dens leonis tenuiſſimo folio, C. B. P.*
9. *Minimus Gadenſis, Nobis. Cichoreum ſylveſtre pumilum ſive Hedypnois, Cluſ. Cur. poſt. Dens Leonis minimus, C. B. P.*
10. *Maritimus minor radice tuberculis donata, Nobis. Chondrilla bulboſa, C. B. P.*
11. *Minor Aſphodeli radicibus, Nobis. Dens Leonis Aſphodeli bulbulis, C. B. P. Hedypnois Monſpeſſulana, ſive Dens Leonis Monſpelienſium, J. B.*
12. *Folio tenuiſſimo fere gramineo.*

hirſutus

13. *Folio longiore dentato, Nobis. Hieracium 8. folio Hedypnois, Cluſ. Hiſt. Hieracium montanum Dentis Leonis folio incano, vel laciniato lanuginoſo folio, C. B. P.*
14. *Montanus ſaxatilis calyce longiore, Nobis. Hieracium Dentis Leonis folio birſutie aſperum minus laciniatum, C. B. P. Hieracium, alterum ſaxatile montanum, Col.*
15. *Longioribus foliis mollibus obiter dentatis.*
16. *Pumilus ſaxatilis aſper radice fibroſa, Nobis. Hieracium pumilum ſaxatile aſperum præmorſa radice, C. P. Prod.*
17. *Parvus criſpus ubi ſiccatus, Nobis. Hieracium parvum birſutum caule aphyllo, criſpum ubi ſiccatum, J. B.*
18. *Montanus caule cubitali folioſo flore magno, Raii. Hieracium magnum Hiſpanicum, Park.*
19. *Mexicanus foliis inferne ſubalbidis, Xztac chivatl. ſive fœmina candida, Reechi.*

1. Dens *Leonis vulgaris, Park. Dens Leonis latiore folio, C. B. P. Taraxacon minus, Lon. Aphaca Plinii, Cæſ. Dens Leonis Matth. Dod. cui Corona & caput Monachi. Dens Leonis ſive Urinaria, Adv. Lob. Hedypnois ſive Dens Leonis Fuchſii, J. B. Dens Leonis* vulgo dicta herba, *folia* producit longa à radice oblonga, carnoſa, fuſca, utroque margine profundis inciſuris veluti per lacinias diviſis, *Cichorii ſylveſtris* æmula, ſed breviora glabra, per terram ſtrata: *pediculis cauleſve* producit palmares aut dodrantales, teretes, concavos, nudos, ſingulares, in quibus *flores* naſcuntur ſinguli, Hieracii floribus ampliores, ex pluribus petalis tenuibus denſius farcti, colore luteo odore ſuavi; qui tandem in globoſum pappum reſolvuntur, cui *ſemen* ſubeſt longum, tenue, pallidi vel citrini coloris. Ex omnibus partibus vulneratis lacteus ſuccus manat. Amara autem hæc herba omnibus ſuis partibus eſt, & magis quam *Cichorium. V. icon. tab. æn.* 8.

Quoad diviſionem *foliorum* variat, quæ modo profunde ſunt laciniata, modo fere integra, unde Taraxacon folio integro, & Taraxacon folio ſerræ duplicatæ inſtar nominatur. *Mentzelio.*

Interdum petala floris ex adverſo purpuraſcunt, quæ contracta apparent, unde Taraxacon flore rubro, *Mentz.*

Reperitur

Reperitur in locis herbosis ac gramineis non penitus aridis, frequentissime; nam uno cum Gramine præsertim in hortis nasci gaudet, & nimis frequenter à semine cum vento disseminato oritur.

Mox ineunte vere floret, & ante Augustum *vix florere desinit: Pappi interea succrescunt, qui à vento rapiuntur.*

2. Dens *Leonis angustiore folio, C. B. P. Aphaca angustioris folii, Cæs.* A præcedente *foliorum* tenuitate, & *seminis* colore, dignoscitur; in illo enim pallida & sublutea, in hac fusca aut ferruginea sunt.

Cum priore reperitur, atque etiam in muris, & pro distincta specie haberi debet.

3. Dens *Leonis Chalepensis foliis longis flore minore melino, radice nigra.* Inter alia ex *Aleppo* missa provenit hic *Dens Leonis*, cujus *folia* vulgari longiora sunt, varie etiam fissa, & aliquando integra; *flos* ejusdem formæ est sed minor, coloris pallidioris: *Radix* longa, tenuis, & cortice nigro tecta.

4. Dens *Leonis latiore & rotundiore folio, Bot. Monsp. Hieracium Narbonense rotundifolium caule aphyllo. J. B.* Ex angusto principio pediculove, *folia* exoriuntur duas uncias lata, brevia & fere subrotunda, frequenter cochleæ modo cava, integra, in marginibus tantum dentata: cæteris cum vulgari convenit. *Vid. icon. tab. æn.* 8.

In satorum marginibus sabulosis circa Boutonetum, *aliisque locis circa* Monspelium *nascitur.*

5. Dens *Leonis minor foliis radiatis, C. B. P. & Prod. Minor radiatis foliis sive Trinciatella Italorum, Camerarii, Park. Foliis radiatis lævibus, Magnol. App. Cichoreum Constantinopolitan. Matth.* Ad *radicem* parvam nigricantem, *folia* plura per terram sparsa, uncias tres quatuorve longa, unciam lata, in plures lacinias profundas divisa sunt; quibus hoc peculiare, quod quodlibet folium in summo in tres profundas lacinias dividatur, & harum quælibet apices plures quasi radios obtineat: foliorum pediculi leviſſimis pilis pubescunt; *cauliculi* plures, læves & nudi, petalis extimis ferrugineo colore tinctis, reclinati: singuli (quod & in aliis accidit) *florem* unicum, parvum, luteum, quibus semina oblonga compressa pappo coronata succedunt, quibus à cæteris dignoscitur, sustinent.

6. Dens *Leonis glaber angustiore & longiore folio, flore minore.* A *radicis* rectæ & fibratæ summitate proveniunt (more congenerum) *folia* glabra, dodrantem longa & pedalia, vix pollicem lata, quæ aliis hujus familiæ multo apparent angustiora, denticulationibus rectis, nec sursum nec deorsum spectantibus, profunde incisa: inter hæc protruduntur *pediculi* pedales & sesquipedales, recti, tenues, læves, *aphylli*, solidi, atque horum singulo cacumine flos unicus, omnino luteus, cæteris hujus familiæ minor è calyce glabro subnigricante emergit.

In monte Saleve *haud longe à* Geneva *Cl. D.* Sherardus *collegit.*

7. Dens *Leonis Alpinus minimus laciniatus flore croceo, Nobis. Hieracium pumilum* 4. *sive alterum minus, Col.* Planta triunciali *cauliculo*, foliis sesquipollicem longis, latiusculis, & Dentis Leonis more sinuatis; *flore* aurato & ad croceum tendente prædita: *radice* carnosa, nigra, sicca; ex qua fibræ longæ humum petunt. *V. icon. tab. æn.* 7.

8. Dens *Leonis foliis profunde laciniatis & virore splendentibus fœtidus, Nobis. Hieracium fœtidum* 3. *Col. Dens Leonis tenuissimo folio, C. B. P. & Prod. Park. Magnol.* *Radix* obliqua, quasi tuberosa *fibris* adnexa est, quæ hircinum fœtidumque odorem spirat; ex qua *folia* profunde laciniata & sinuata, prodeunt, quorum singulæ laciniæ ad medium lobi oppositi incisæ sunt: *Florem* profert in singulo *caule* singulum, ex paucioribus petalis pallidis, pauciſque barbulis, conflatum. *V. icon. tab. æn.* 7.

9. Dens *Leonis minimus, C. B. P. Cichoreum sylvestre pumilum sive Hedypnois, Clus. Cur. post. Dens Leonis Gadensis, Park. Cichoreum Gadense, Boelii.* E *radice* longa, tenui, albicante *folia* plurima longa, laciniata, & incisa, profert, quorum nervi medii ad dimidium pediculorum vices obeunt: *Flores* haud magni lutei, pediculis singulis cæterorum more insident.

In Insula Gadensi *vulgo* Cales & Cadis *dicta, detexit* Boelius.

10. Dens *Leonis maritimus minor radice tuberculis prædita, Nobis. Chondrilla pusilla maritima lutea bulbosa, Adv. Lob. Chondrilla bulbosa sive 2. An modum Theophrasti, C. B. P.? Cichoreum bulbosum, Dal. Lugd. J. B. Cichoreum strumosum, Myconi. Chondrilla marina, Tab. Ger. Chondrilla altera Dioscor. putata, Clus. Hist.* Ut rarus ita pulcher est hic *Dens Leonis*, innumeris fibris tenuibus longe lateque perreptans, quibus Filipendulæ modo appensi sunt tuberculi, Avellanæ circiter magnitudine, Alabastritis marmoris candore, solidi: *Folia* sescunciam aut uncias duas longa, semuncia latiora, leviter sinuata, glabra, in obtusum mucronem definentia, crassiuscula rubescentia: inter hæc surgunt cauliculi palmares, hirsuti; quorum fastigiis *flores* insident Hieracii, lutei, in pappum evanescentes. Lacte turget amaro. *V. icon. tab. æn.* 6.

In herbidis locis oræ maritimæ passim inter Juncos repit circa Monspelium & Genevam, *ut versus* La Columbiere & Mommau *intra lapillorum acervulos. Mense Maio floret.*

Ad strumas curandas plantam hanc mire esse efficacem asserit Myconus, si radiculæ cum melle sæpius sumantur. Is itaque ab effectu & forma radicis, quæ strumas refert & sanat, Cichoreum Strumosum *nominavit; quam ob causam Barcinonæ, ubi frequens oritur,* Porcellanem *vocant, quasi dicas* Scrophulosam.

11. Dens *Leonis minor lævis Asphodeli radicibus, Nobis. Dens Leonis Monspelienſium Asphodeli bulbulis, Lob. Hedypnois Monspessulana, sive Dens Leonis Monspessulanus, J. B. Dens Leonis Asphodeli bulbulis, Park. Cichoreum Constantinopolitanum, Matth.* Huic *folia* antecedentibus sunt similia, sed non tam alte incisa, modiceque pubescentia, quæ à radice Asphodeli in modum ex tuberculis longis in *apice* simul junctis composita, oriuntur, qua præcipue nota facile à cæteris secernitur: *Flores* & *semina* cognatorum more profert. *V. icon. tab. æn.* 8.

In variis Italiæ *locis herbidis invenitur; circa* Florentiam, & (*ut* D. Magnol. *refert*) *ultra pontem* Salenovæ *ad dextram: quin etiam in depressis luci* Gramuntii, *alibique circa* Monspelium, *sponte nascitur.*

12. Dens *Leonis minimus folio integro gramineo vix sinuato.* Hujus Plantæ notitiam munificentiæ *D. Sherardi* debemus; cujus *folia* triuncialia, angusta, & quasi graminea sunt, una aut altera denticulatione extante, & subinde marginibus rectis, conspiciuntur. Ad eundem modum cum vulgari floret, & semina producit.

Dentes Leones hirſuti.

13. Dens *Leonis montanus hirſutus folio longo dentato, Nobis. Hieracium* 8. *folio Hedypnois, Cluſ. Hiſt. Hieracium montanum latiniato folio lanuginoſo, Cluſio, J. B. Hieracium montanum Dentis Leonis folio incano, vel laciniato lanuginoſo folio, C. B. P.* Ex *radice* obliqua & rugoſa, minimique digiti craſſitudine, multis etiam fibris donata, aliquot extuberant capita, unde ſena aut plura enaſcuntur *folia*, duas, tres, & interdum plures uncias longa, ſemunciam aut unciam lata, craſſiore nervo per mediam longitudinem excurrente, mollia, brevi incanaque lanugine prædita, infima parte valde laciniata & anguſtiora, ſuperna vero latiora, & dentata duntaxat, candido ſucco turgentia: è quorum medio bini aut terni emergunt *cauliculi* palmares, enodes, foris leves, intus, concavi; ſuſtinentes *flores* luteos, plenos, eis Hieracii ſimiles: *ſemen* maturum tenue longiuſculum nigrum pappo involutum, à vento abripitur. *V. icon. tab. æn.* 8.

Creſcit in Leytenberg. *Floretque menſe* Junio.

14. Dens *Leonis hirſutus montanus ſaxatilis calyce longiore nigricante, Nobis. Hieracium Dentis Leonis folio hirſutie aſperum minus laciniatum, C. B. P. Hieracium alterum ſaxatile montanum, Col. Hieracium montanum hirſutum minus, Park. Hieracium caule aphyllo hirſutum, J. B. Magnol. Hieracium Dentis Leonis folio hirſutum, Ger. Hieracium aſperum foliis & floribus Dentis Leonis bulboſi, Park. Folia* ſemipedem aut magis longa ſunt, per ambitum laciniata, aut potius ſinuata, anguſta, hirſuta, aſpera, dura, amara, & *lactescentia*: è quorum centro exeunt juncei, duri *cauliculi*, thyrſi ſpecie, hirſuti, tenues, pedales, aſperi, *lactescentes*; in quorum cacumine ſinguli ſunt *flores* oblongis calathis nigricantibus incluſi, qui aperti, lutei pallentes apparent, illiſque pappoſa oblonga *ſemina* & fuſca ſuccedunt, hianteque calyce evolantia. *V. icon. tab. æn.* 7.

Junio *Floret*, & Julio *ſemen perficitur.*

In montoſis ſaxoſis, & agrorum marginibus Angliæ, Galliæ, & Italiæ, *occurrit.*

15. Dens *Leonis longioribus foliis mollibus obiter dentatis.* Hæc vulgaris plantæ in pratis *Avenienſibus Galliæ* detectæ, pene conſimilis apparet; quæ *folia* longiora, minuſque profunde dentata, lanugine quadam holoſericea candicante, non hirſutie, tecta oſtendit: *cauliculi pediculive* etiam nudi, villoſi, altius aſſurgunt, imo ad bipedalem altidudinem, qui *florem* plenum luteum, è calyce oblongo pallido erumpentem ſuffulciunt.

Huic convenit Hieracium (perperam dictum) præaltum caule aphyllo, Triumfetti, *cujus* folia *itidem longa ſunt denticulationibus vero altius inciſa.*

16. Dens *Leonis pumilus ſaxatilis aſper radice fibroſa, Nobis. Hieracium pumilum ſaxatile aſperum præmorſa radice, C. B. Prod. An Hieracium Dentis Leonis folio hirſutie aſperum minus, ibid.? Hieracium pumilum Alpinum præmorſa radice, Park.* Planta hæc quæ in montoſis, & in ſabuletorum marginibus oritur, præcedente minor eſt, cujus *folia* longa, anguſta, & hirſuta, denticulis ſubrotundis ſinuata ſunt: *cauliculi* graciliores ad radicem hirti, ſed ſuperius glabri, tenues, capitulum cum parvo tenuique calyce ſuſtinent, cum flore etiam luteo minore. *V. icon. tab. æn.* 7.

Menſibus æſtivalibus floret & ſemen breve pappoſum profert.

17. Dens *Leonis tenuifolius hirſutus, criſpus ubi ſiccatus, Nobis. Hieracium parvum hirſutum caule aphyllo criſpum ubi ſiccatum, J. B.* E *radice* ſatis craſſa in plura nonnunquam capita extuberante, proveniunt *folia* multa, biuncialia, anguſta, pediculis longiuſculis donata, raris denticulis ſinuata, & hirſutie candicante prædita: inter quæ *cauliculi* ſimplices, nudi, ſemipedales, pilis raris veſtiti protruduntur, qui *flores* luteos ſatis amplos in ſingulos caules proferunt. Ex tenuitate foliorum, quæ contracta & veluti criſpa per exſiccationem apparent, præcipue dignoſcitur. *V. icon. tab. æn.* 7.

In montoſis ad arvorum margines in Gallia *naſcitur; unde prædictus, & nunquam ſatis laudandus* D. Sherard *attulit.*

18. Dens *Leonis hirſutus montanus caule cubitali folioſo, flore magno, Raii. An Hieracium magnum Hiſpanicum, Park. Radix* huic minimi fere digiti craſſitudinem, æquans, lacteo ſucco turget. *Caulis* ſingularis, cubitum altus, ſtriatus, medulla farctus, ſatis craſſus, non ramoſus, *foliis* multis veſtitus, hirſutus, præcipue verſus ſummitatem, unicum in ſummo geſtat *florem* magnum, luteum, è calyce amplo ex multis ſquamis compoſito, (ut in aliis Hieraciis,) ſubnigro, villoſo, villis obſcure ex luteo virentibus. *Folia* Pulmonariæ Gallorum dictæ forma ſimilia, non profunde laciniata, ſed potius dentata, non prorſus glabra, ſed rarioribus & vix conſpicuis pilis donata, ad margines tamen crebrioribus & longioribus: quæ ad *radicem* ſunt, pediculis longiuſculis donantur; quæ in *caulibus* exiſtunt, illis omnino carent.

In altiſſimo montis Juræ *cacumine* La Dolaz *dicto, copioſum invenit D.* Raius, *circa finem* Junii *menſis florentem.*

Planta hæc inter Hieracium & Dentem Leonis mediæ quodammodo naturæ eſſe videtur, & Hieracio noſtro 64. quod eſt *Hieracium ſive Piloſellæ majoris ſpecies foliis rarius dentatis flore ſingulari* Perſimilis videtur, ſi non eadem.

19. Dens *Leonis Mexicanus foliis inferne ſubalbidis, Yztac chivatl ſeu fœmina candida, Recchi, Hiſt. Mex.* Herbula eſt, *folia* proferens *Sonchi*, inferne ſubalbida, & ſuperne viridia, *caules* tenues tres quatuorve, quorum ſumma parte emicant *flores* iis Bellidis ſimillimi, in pappos demum abeuntes piloſos, & colore candenti. *Radix* fibrata eſt, atque candens.

Temperamentum & Vires.

Dens *Leonis Cichorio ſylveſtri facultate ſimilis; refrigerans quidem, ſed magis reſiccans; & una extergens eſt & aperiens. Adſtringit, roborat atque abſtergit*, Teſte Matthiolo. *Propter eam quam habet conjunctam amaritudinem, ad eadem ad quæ Cichorium, utilis ac commodus eſt: & Hepatica eſt egregia.*

Obſtructiones (*præſertim meſeraicas*) *reſerat: Icteritis, Hypochondriacis, & Dyſentericis nihil ſane utilius adhibetur.*

Iſchurias, *Hepatis obſtructiones, ſanguinemque retentum movet; & apud Scorbuticos & maculatos, ſuccus ejuſdem, vel aqua diſtillata, remedium bene notum eſt.*

Aqua

Aqua *diſtillata ad lateris dolores mitigandos efficaciſſimum eſt remedium, nec ſpernendum eſt in Pleuritide aliiſque ſanguinis grumeſcentis ſtagnationibus curandis, ſi ſucci uncia & ſemiſſ. miſceatur cum aquis appropriatis. Si addantur Oculi Cancrorum, fit mixtura optime diſſolvens ſanguinis grumos.* Etmul.

In febribus ardentibus & apoſtematibus cum ſucceſſu adhibetur: ſomnus accerſitur, Tuſſis aufertur, una cum inflammatione, ut refert Tragus.

Urinam *optime provocat, & ulcera interna mundificat; & per reſiccandi facultatem corroborat etiam & ſanat. Adverſus malos habitus corporis & ad Cachexiam vergentes, aqua diſtillata vel ſuccus ejuſdem mire valet.*

Cocta *herba ſtomachum diſſolutum adſtringit, & cruda alvum ſiſtit.*

PLANTÆ LACTESCENTES

Seminibus Pappoſis.

CAPUT VI.

Piloſella.

PIloſella *à copioſis pilis quibus folia exigua veſtiuntur, nomen ſortita eſt; quam alii* Myoſotidem, *ſive* Auriculam *muris, à forma foliorum appellarunt.*

Piloſella eſt planta *lactescens* & *pappeſcens*, *radice* fibroſa, *foliis* hirſutis, marginibus rectis & indiviſis: qua certa nota ab omnibus hujus lectionis ſpeciebus diſtingui poterit.

TABULA IX. SECT. VII.

- *Piloſella*
  - *monoclonos*
    - *repens*
      1. *Vulgaris minor, Nobis. Piloſella major repens birſuta, C. B. P. Piloſella repens, Matth. Ger.*
      2. *Eadem glabra, Hort. Reg. Bleſ.*
      3. *Major minus birſuta, C. B. P. Media vulgaris erecta, Park. An Piloſella foliis latioribus, & per omnes partes major, Mentz?*
    - *non repens*
      4. *Sive Auricula muris altera incana ſaxatilis frigidarum regionum, Col. Piloſella incana ſaxatilis lutea, C. B. P.*
      5. *Alpina minor lanuginoſa amplo flore, Nobis. Hieracium pumilum 2. Col. Hieracium Alpinum pumilum folio lanuginoſo, C. B. P.*
      6. *Minima Gnaphalii montani lanoſis foliis, D. L. Plukenet.*
  - *polyclonos*
    - *repens*
      7. *Major Syriaca flore amplo aurantiaco, Nobis. Auricula muris Hiſpanica aliis Hieracium Pannonicum flore ſature croceo, J. B. Piloſella major, Park. Paradiſ. An Piloſella Indica, Cornuti?*
      8. *Minor folio anguſtiore minus piloſo, J. B.*
    - *non repens*
      9. *Alpina major flore fuſco, Nobis. Hieracium Alpinum non laciniatum flore fuſco C. B. P. & Prod. Hieracium Germanicum 1. Franciſci Gregorii, Col.*
      10. *Major erecta, C. B. P. Piloſella minore flore birſutior, & elatior non repens, J. B.*
      11. *Major hiſpida parvo flore, C. B. P. Piloſella major umbellifera μακρόκαυλος montana & pratenſis, Col.*
      12. *Murorum longo & anguſto folio, Nobis. Hieracium murorum anguſtifolium non ſinuatum, C. B. Prod. Hieracium anguſtifolium, Park.*

1. Piloſella *Monoclonos repens vulgaris minor, Nobis. Piloſella major repens birſuta, C. B. P. Piloſella repens, Matth. Ger. Auricula muris, Brunf. Cord.* Vulgaris hæc Piloſella tenuibus ac viticulosis cauliculis aſperis & hirſutis humi ſerpit, ſubinde radiculas demittens: *folia* forma oblonga, uncialia aut biuncialia, latiuſcula, non tamen magna, & ipſa hirſuta ſuperne virentiora, inferius, inalbicantia: *Flores* in tenuibus nudis pediculis ſinguli, pallide lutei, Hieracii æmulis, qui in pappum ſive pappoſam lanuginem abeunt & reſolvuntur, cui inhæret ſemen nigrum. *Radix* fibris multis capillatur. *V. icon. tab. æn.* 8.

In colliculis terrenis ſiccioribus, & aggeribus incultis circa agros paſſim reperitur.

A primo vere in multam æſtatem, Menſe Maio præſertim floret.

2. Piioſella *major glabra*, *Hort. Reg. Bleſ.* A priori ſola glabritie differt.

3. Piloſella *Monoclonos major repens minus hirſuta*, *C. B. P. Media vulgaris erecta*, *Park. An Piloſello foliis latioribus, & per omnes partes major, Mentz?* Prioribus ſimilis eſt; *folia* vero ampliora, ſuperne viridiora, & inferne modice hirſuta, tactui ſunt molliora: Cauliculi *flores* pares ſuſtinentes erecti ſunt & altiores: & ex qualibet parte rupta, ſuccus manat lacteus, ut in cæteris. *V. icon. tab. æn.* 8.

4. Piloſella *monoclonos non repens, ſive Auricula muris altera incana ſaxatilis frigidarum regionum*, *Col. Piloſella incana ſaxatilis lutea*, *C. B. P.* E *radice* nigra rugoſa, craſſiuſcula, fibris adnatis, *folia* oblonga palmaria, incana, mucronata, & Verbaſci modo lanata, & albicante ſuperficie obducta proveniunt. *Caule* unico vel gemino ex radicis vetuſtæ ceſpite bifido prodeunte, hirſuto ſatis, rotundo, pedali altitudine, paucis rariſque foliorum alis intercepto, duobus vel tribus, in ſummo caput habente craſſum, hirſutum, congeneri vulgatæ non diſſimile, ſed incanum, in quo *flos* luteus eodem plane modo quo ſemen.

In ingentium ſaxorum ripis, via qua è Flaminiano Villa *ad Montium cacumina* S. Angelo *dicta, obſervavit Doctiſſimus* Fab. Col.

5. Piloſella *monoclonos non repens Alpina minor lanuginoſa amplo flore*, *Nobis. Hieracium pumilum*, 2. *Col. Hieracium Alpinum pumilum folio lanuginoſo*, *C. B. P.* *Radix* illius carnoſa, ex qua longæ fibræ nigricantes prodeunt: *folia* longitudine pollicari, latitudine dimidii digiti piloſa, & hirſutie obducta profert; *Caulis* unicus quatuor uncias longus, *florem* ſimplicem, luteum, ſatis amplum ſuſtinet. *V. icon. tab. æn.* 7.

6. Piloſella *monoclonos minima Gnaphalii montani lanoſis foliis*, *flore aureo.* Aliis non minus raris hanc humilem Piloſellam *Cl. D. L. Pluknetius* adjecit, cujus *foliola* ſemuncialia, lanuginoſa, è *radice* fibroſa emergunt; inter quæ cauliculus biuncialis, paucis ac exiguis foliolis veſtitus eſt, qui *florem* aureum ex petalis obtuſis & crenatis conflatum gerit.

7. Piloſella *polyclonos repens major Syriaca flore amplo aurantiaco*, *Nobis. Auricula muris Hiſpanica*, *aliis Hieracium Pannonicum flore ſature croceo*, *J. B. Piloſella major*, *Park. Paradiſ. Hieracium hortenſe non laciniatum*, *floribus atropurpuraſcentibus*, *C. B. Prod. Piloſella Syriaca*, *C. B. P. Maxima Syriaca*, *Tab.* Huic à *radice* fibroſa clemata plurima, (ſicut in vulgari prima) prodeunt; unde radiculas ad genicula agit: *Folia* quatuor quinqueve uncias longa, binas lata, viridia, in extremitate ſubrotunda, hirſuta, quadamque aſperitate, præſertim in margine, prædita ſunt: *Caules* rotundi, hirſutie aſperi, pedales ſunt, aut cubitales, qui in ſummis alis brachiantur, & capita plurima umbellam quaſi conſtituunt; nigris pilis rigidiuſculis & *cauliculi* & *calyces* teguntur; è quibus *flores* radiati, Hieraciorum forma, croceo, aut Malorum Aurantiorum inſigni colore emicant; qui in pappos, quibus *ſemina* brevia nigra adnectuntur, reſolvuntur. *V. icon. tab. æn.* 8.

Novos caules & flores per totam fere æſtatem profert: apud nos in Hortis colitur, & nomine Grim the Collier *vulgo nota eſt.*

8. Piloſella *minor folio anguſtiore*, *minus piloſo repens*, *J. B.* *Folia* per terram ſparſa anguſtiora minora, tam infra quam ſupra glabra, ſi raros quoſdam pilos in adverſo folio ſitos excipias, quorum inferiora ſubrotunda, ſuperiora longiora: *Caules* proceriores, interdum cubito altiores, non ſine foliis, in aliquot pediculos circa faſtigium divaricati ſunt, ubi *flores* tres, quatuor aut plures luteos, reliquis minores oſtentant.

9. Piloſella *polyclonos non repens major flore fuſco*, *Nobis. Hieracium Alpinum non laciniatum flore fuſco*, *C. B. P. & Prod. Hieracium Germanicum primum Franciſci Gregorii*, *Col.* *Caule* eſt ſeſquipalmari, hirſuto, parte ſuperiore aphyllo: *foliis* ad radicem hirſutis, obſcure virentibus, acuminatis, duas treſve uncias longis, unciam latis; *floribus* aliquot parvis fuſcis, & caulis ſummo inſidentibus, in pappum (cui *ſemen* parvum oblongum & nigrum adnaſcitur) abeuntibus. *In* Rhæticis *montibus provenit.*

10. Piloſella *polyclonos non repens major, erecta, minore flore*, *Nobis. Piloſella major erecta*, *C. B. P. Piloſella minore flore hirſutior & elatior non repens*, *J. B.* *Radix* fibroſa non repit; *Caulis* ad bicubitalem altitudinem excreſcit hirſutiſſimus, cui *folia* anguſta adnata ſunt, latiora vero ſunt & paulo longiora quæ à radice ſtatim oriuntur: *Caulis* in ſummo ſe dividit, & pediculis hirſutis inſident *flores* lutei pleni, calyce ſtriato, lanugine nigra obſito. *V. icon. tab. æn.* 8.

In muris circa Montbelgardum *provenit, & etiam in ſylvis circa* Baſileam *invenitur.*

11. Piloſella *major montana hiſpida parvo flore*, *C. B. P.* *Piloſella major umbellifera μικρόκαυλος montana & pratenſis*, *Col.* Huic *radix* facile putreſcens, quæ non longa nec recta, ſed obliqua, ac veluti decurtata, minimi digiti fere craſſitie, innumeris fibris albis longis ſe circumreptantibus, obſita eſt. *Folia* ſuperne virentia ſunt, ac hirſutie admodum longa rigente, denſa albente fere aſpera; inferne albicantia, minuſque hirſuta, & pauca; quæ proximiora radici brevia ſunt, Vulgatæ paria, exinde, ſenſim longiora fiunt, dum dodrantem fere adæquent, quæ non ita denſa hirſutie obſita, & minimum digitum lata ſunt. *Caulis* tripedalis è medio aſſurgit, in imo lævis, in ſuperiore parte hirſutus ad flores uſque, rotundus, vireſcens, aſper, cavus, lacteſcens, (ſicuti & folia,) rectus, tribus tantum ornatus foliolis ſemper decreſcentibus & ad intervalla longiuſcula diſpoſitis: *Flores* in caulis cacumine veluti congeſti denſique corymbi umbellarum fere modo, longis petiolis triuncialibus inſidentes, parvi admodum, Agerati vel Millefolii magnitudine, ſed Hieracioides; quibus *ſemina* parva nigra, cum pappo denique avolantia ſuccreſcunt. *V. icon. tab. æn.* 8.

Æſtate in Æquicolorum *montium jugis, pratenſibus herboſis altioribus, perfectam invenit* Fabius Columna.

12. Piloſella *polyclonos non repens murorum longo & anguſto folio*, *Nobis. Hieracium murorum anguſtifolium non ſinuatum*, *C. B. Prod. Hieracium anguſtifolium*, *Park.* Ex *radice* craſſa rubeſcente, *caulis* ſeſquicubitalis pene nudus, rotundus, & aſper exurgit, in cujus ſummo quaſi in umbella, *flores* plures parvi, lutei, reſident: *Folia* ad radicem ſubnigra, mollia, uncias ſex longa, anguſta, mucronata, vix ſemiunciam lata, in caulis parte inferiore pauciora, breviora, anguſtiora, longe à ſe invicem diſtantia & inordinate diſpoſita.

In muris Braſileenſibus *reperitur. Circa* Pataviam *longe minor obſervatur.*

Tempera-

Temperamentum & Vires.

Piloſella *facultate eſt aliquantulum refrigerans, reſiccans, conſtipans & vehementer adſtringens: Alvi uterique fluores reprimit; viſcera roborat, & Lienis tumorem mulcet; Dyſentericis & hæmorrhagiis utilis: Ad vulnerum curationem eadem plurimum prodeſt, cum extrinſecus admota, tum potionibus admixta.*

Laudatur *decoctum ejus ad* Enterocelas, *quas recentes curare poteſt aliquot diebus epotum: ſuccus auribus immiſſus, dolores lenit.*

Succus *etiam Herpetem miliarem efficaciter compeſcit, & ſanat.* Dr. Hulſe.

Baptiſta Sardus *Hepaticis admodum eſſe utilem ſcribit: Omnes ſiquidem jecinoris obſtructiones aquam hujus deſtillatam tollere; eandem ad ulcera tibiarum ſananda commodam cenſet; præſertim Rhodomelitis, Lithargyri, & Myrrhæ ana unciis duabus ad libram aquæ additis, cum quibus ubi triduo inſolata fuerit, colanda & reſervanda ad uſum eſt.*

Ob *adſtringendi facultatem, Ovium gregibus noxia cenſetur.*

PLANTÆ LACTESCENTES

Non Pappeſcentes.

CAPUT IX.

Tragopogon.

Τραγοπώγων ἢ τετραπώγων, ἠδὲ Κόμη, *à prolixa lanugine, quæ è ſummo ſemine erumpit, ſibi nomen aſcivit, Dioſcorides Lib. 2. c. 173. Latinè* Barbula hirci.

Tragopogon eſt planta *lacteſcens* & *pappeſcens* annua, cujus *folia* longa graminea lineis rectis ſive venis per folia longitudinaliter decurrentibus inſigniuntur, nullis tranſverſis ſeque invicem decuſſantibus, ut in Scorzoneræ foliis; calyxque viridis plerumque non ſquamoſus petala florum (ante meridiem marceſcentium,) longitudine excedit: qui *flores* vel lutei, vel purpurei ſunt.

TABULA X. SECTIONIS VII.

Tragopogon

luteum

1. *Pratenſe majus, C. B. P. Tragopogon, Dod. Tragopogon flore luteo, Eyſt. Barbula hirci, Matth. Gerontopogon flore luteo, Geſn.*
2. *Minus, Ger. Park. Folio oblongo ſinuato, C. B. P. & Prod.*

laciniatum

3. *Majus, Park. Tragopogon laciniatum luteum, C. B. P. Laciniatis foliis, Col. Phyt. Mentz. Pugil.*
4. *Minus, Park. Tenuiſſime laciniatum, C. B. P. & Prod.*

purpureum

5. *Porri folio quod Artiſi vulgo, C. B. P. Tragopogon purpureum, Ger. Barba hirci flore purpureo, Cam. Gerontopogon ſive Saſſifica Italorum, Lugd.*
6. *Æſtivum, Park.*
7. *Gramineis foliis hirſutis, C. B. P. Tragopogon alter gramineo folio flore ſuaverubente, Col.*
8. *Crocifolium, C. B. P. Tragopogon alter Crocifolium montanum flore nigro purpureo, Col.*

1. Tragopogon *pratenſe luteum majus, C. B. P. Tragopogon, Dod. Tragopogon flore luteo, Eyſt. Barbula hirci, Matth. Trag. Caſt. Gerontopogon flore luteo, Geſn. Barba Hirci, Cord. Cam.* E *radice* longa, fibris adnexis, Cortice nigricante tecta, & lacteo ſucco plena, naſcuntur *folia* longa, graminea, per terram ſtrata, linea albicante per medium, veniſque rectis & parellelis longitudinaliter decurrentibus: è quorum centro aſſurgit *caulis* cubitalis aut altior, quem *folia* plurima anguſta, lata baſi amplectuntur; *Caulis* autem iſte in varios ramuſculos dividitur; quorum ſinguli, in ſummo in capitulum longum pyramidale & acutum, glabrum, non ſquamatum definunt, in cujus medio (in matutinis horis) *flos* ſtellatus luteus ſe expandit; cujus petala longitudinem calycis non acquirunt; flos iſte meridiem verſus ſe contrahit & marceſcit, unde nomen Anglicum *Jobn goe to bed at Noon* obtinuit: & *ſemina* (quibus renovatur) longa, pappo ampliſſimo donata, candidum globum efformant, & vento flante avolant. *V. icon. tab. æn. 9.*

In pratis & paſcuis ac herbidis locis occurrit.

2. Tragopogon *luteum minus, Ger. Park. Folio ſinuato, C. B. P. & Prod. Caulis* gracilis, ſtriatus, pedalis eſt altitudinis & raris foliis alternatim ſeptus, quæ oblonga, non multum palmo breviora, & anguſta, ſinubus brevioribus, & quaſi ſerratis exaſperata, pallideque virentia conſpiciuntur: *caulis* ſummo *flos* inſidet pallide luteus magnus priori ſimilis, ex calyce magno apicibus acutis donato, prodiens; quo marcido, *ſemen* oblongum cum materia ſua villoſa alba latitans, ſuccedit.

Circa Monſpelium *legit* Caſp. Bauh. *quanquam* D. Magnol. *nondum obſervavit.*

3. Tragopogon *laciniatum majus, Park. Tragopogon laciniatum luteum, C. B. P. Laciniatis foliis, Col. Phyt. Mentz. pugil. Tragopogon folio laciniato flore pallido, J. B.* Hujus *folia* incana integra ſunt oblonga, ex anguſto principio ſeſe dilatantia; tunc folia quæ cauleſcunt, latiora ac diviſa, ſeu laciniata ſunt: *Caulis*

lis erigitur bipedalis in duas treſve ramificationes divaricatus, ad quas foliola etiam conſpiciuntur integra: ſummus caulis *florem* luteum haud amplum ſuſtinet, cujus petala calyce ſunt longiora, & *ſemina* minora levia ſequuntur. *V. icon. tab. æn.* 9.

In Italia & Hiſpania *invenitur.*

4. Tragopogon *tenuiſſime laciniatum, C. B. P. & Prod. Tragopogon laciniatum minus, Park.* Planta hæc tenuis à *radice* longa ruſeſcente aſſurgit, ad quam *folia* plura oblonga anguſtiſſima acuminata, & in plurimas anguſtiſſimas lacinias diviſa ſe oſtendunt: *Caule* eſt cubito non multum breviore rotundo, lævi, ſtriato, nonnihil folioſo, in alas brachiato: ſingulis *flos* unus pallidus inſidet, cui *ſemen* oblongum, ſcabrum, criſta piloſa in ſummitate præditum, & *calyce* oblongo modice ſquamato inclùſum ſuccedit. *V. icon. tab. æn.* 9.

In herbidis ſatorum, & Vinearum marginibus circa Monſpelium *copioſe naſcitur.*

5. Tragopogon *purpureocæruleum Porri folio, quod Artiſi vulgo, C. B. P. Tragopogon purpureum, Ger. Barba hirci flore purpureo, Cam. Gerontopogon ſive Saſſifica Italorum, Lugd. Tragopogon flore purpureo ac puniceo, J. B.* Hoc vulgari luteo in omnibus majus eſt. *Radix* pollicaris eſt craſſitiei: *caulis* humanam altitudinem aſſequitur: *Folia* ſunt longiora & porracea, iiſdem lineis prædita: *Flos* amplus purpureus eſt, calyce ſeu foliolis circiter octo, longis, tres, uncias ſæpe ſuperantibus, & acuminatis obvallatus. *Semen* ſingulum teres, ſtriatum, aſperum, collo longo inter ſemen ipſum & pappum amplum donatur, quæ ſemina matura ſphæram omnium hujus diſtributionis ampliſſimam cum pappo ſuo longiſſimo conficiunt. *V. icon. tab. æn.* 9.

In pratis herbidiſque provenit, ſed rarius apud nos. In hortis potius colitur.

6. Tragopogon *æſtivum flore ex purpureo cinereo, Park.* Pedalem altitudinem raro ſuperat; *folia* anguſta ſunt minora: *Flos* purpuro-cinericei coloris, è calyce longo emicat. Vere ſatum, *ſemen* æſtate ſuccedente perficit, quod non ante ſecundum annum in aliis fieri ſolet.

Ex Italia *delatum eſt, & in Horto noſtro ſuccrevit.*

7. Tragopogon *gramineis foliis hirſutis, C. B. P. Tragopogon alter gramineo folio ſuaverubente flore, Col. Tragopogon Apulum ſuaverubens, Park.* *Radix* minima eſt & fibroſa: *Folia* anguſta dodrantalia, graminea, hirſuta, tactu lævia ſurſum verſus, deorſum autem verſus aſpera, ut in hordeaceis. Planta hæc *caule* longo bipedali, tenui, albicante, rotundo, nervoſo, duroque gaudet: *foliis* multis denſe alternatim illum cingentibus, circa nodos latioribus, raris alis diviſo: *Flore* intus ex albido rubente carneo colore ſuaverubente, undecim petalis latioribus, intus alia minora cingentibus ſubrubentibus, ex quibus ſtamina ſubcœrulea, lutea acie pulveroſa in medio elevantur, umbonis vice. *Semen* pappoſum longum cum illo reliquorum convenit. *Vid. icon. tab. æn.* 9.

Maio floret hæc ſpecies, & paulo poſt perficitur ſemen. Oritur tantum Cirinolæ *pauciſque obvia initio Martii, tanquam præcox, in* Piraſtrorum *ſilvula illa prope* D. Rocchi *ædem.*

8. Tragopogon *purpurocæruleum Crocifolium, C. B. P. Tragopogon Crocifolium montanum, Col.* Hujus *folia* ſunt *Croci* inſtar anguſtiſſima, verſus ortum hirſutie ſcatentia: *Flore* eſt nigropurpureo: *ſemina* ſunt longa aſpera quorum ſingulis inſident pappi ampli aliorum more, & ex qualibet parte ejuſdem rupta emanat ſuccus lacteus: hæc ſunt omnibus & ſingulis congeneribus communia. *V. icon. tab. æn.* 9.

In Æquicolorum *montibus*, Fab. Col. *collegit*; *& in planis herbidis montis Serene* D. Magnol. *invenit.*

Temperamentum & Vires.

Herba *hæc edulis eſt: Radix (præſertim Tragopogonis purpurei) nomine Saſſifi, Saſſificæ & Saſſifricæ quaſi Saxifragæ nota; cocta, inter delicias ſaluberrimas habetur; quæ hybernis menſibus pro acetario, vel una cum acetariis infertur & editur; quæ calefacit ac humectat: cujus ſuccus lacteus adſtringit, cohibet, firmat, & modice abſtergit.*

Jus *bibitum urinæ ſtillicidio medetur; calculum expellit; pectoris vitiis ſuccurrit; tuſſi ſcilicet, reſpirationi difficili, tabidis & pleuritidi; ſicuti & ſuccus, & aqua diſtillata, quæ & vulneribus utiliter adhibentur; ſicuti & lac ejus, quæ brevi temporis ſpatio ad cicatricem perducunt.*

Aquam *ex Tragopogonis foliis & radice diſtillatam Maio menſe remedium eſſe præſentiſſimum adverſus apoſtemata & dolores laterum apud Tragum legimus.*

Radix *Jecori, Stomacho, renibus & thoraci auxilio eſt.*

PLANTÆ LACTESCENTES

Pappeſcentes.

CAPUT X.

Scorzonera.

SCorzonera *nomen eſt Hiſpanicum à Scorzo vipera, (vel Serpente Scorzone,) quæ vulgo* Eſcoreu *dicta eſt, deductum: quare idem eſt ac* Viperina *aut* Serpentaria, *quod contra Viperarum & Serpentum venena efficax ſit.*

Scorzoneræ optime cum *Tragopogone* convenit; in hiſce vero præcipue differt. Primo, quod *radix* illi *perennis* ſive vivax ſit, cum in hoc ſemine perfecto *pereat*; ſecundo quod *folia* ſint illi in medio latiora, *lineis* ſeu *venis* intermixtis decurrentibus; tertio quod *caules* illi ſint magis firmi, *medulla* fere farcti; & quarto, quod *florum calyces* ſquamati ſint, & *petala* flores longitudine ſuperent cum longe aliter in *Tragopogone* res ſe habeat.

Scorzonera eſt vel *latifolia* vel *anguſtifolia*; eſtque vel *flore luteo*, vel *ſubcæruleo*, vel *purpureo* vel denique *violaceo* donata.

TAB.

TABULA XI. SECT. VII.

- *Scorzonera*
  - *latifolia*
    - *lutea*
      1. *Sinuata, C. B. P. Hiſpanica major, Park. Major Hiſpanica, 1. Cluſ. Hiſt. Tragopogon Hiſpanicus ſive Eſcorzonera aut Scorzonera, J. B.* ⊙.
      2. *Germanica, Tab. Ger. Scorzonera latifolia, Park. Bohemica, Matth. Lob.* ⊙.
      3. *Pulverifera, Moriſ. Prælud. Bot.* ⊙.
      4. *Humilis nervoſa, C. B. P. Tragopogonis ſpecies ſive Scorzonera humilis latifolia, J. B. Viperaria Pannonica, Ger.* ⊙.
      5. *Humilis craſſiore folio, Magnol. Bot. Monſp.* ⊙.
    - *ſubcærulea*
      6. *Humilis Chalepenſis amplo flore.* ⊙.
  - *angustifolia*
    - *lutea*
      7. *Pannonica, Ger. Humilis anguſtifolia Pannonica, Cluſ. 3. Pan. & Hiſt. Anguſtifolia prima, C. B. P. Tragopogonis ſpecies ſive Scorzonera humilis anguſtifolia, J. B.* ⊙.
      8. *Major foliis Coronopi.* ⊙.
      9. *Humilis fibroſa radice 4. Cluſ. Pan. Hieracium 7. Cluſ. Hiſt. Scorzonera anguſtifolia altera, C. B. P. & Hieracium Tragopogonis folio, ejuſdem.* ⊙
      10. *Foliis nervoſis, C. B. P. Minor anguſtifolia Pannonica, Park. Germanica anguſtifolia, Tab.* ⊙.
      11. *Illyrica trinervia flore minore, Nobis. Illyrica, Park.* ⊙.
      12. *Montana nonnihil incana, Nobis. Hieracium montanum 6. Cluſ. Hiſt. Hieracium montanum anguſtifolium nonnihil incanum, C. B. P.* ⊙.
      13. *Humilis foliis & ſeminibus hirtis, Nobis. Tragopogon Apulum humile luteum hirſutum, Col.* ⊙.
      14. *Bulboſa Biſtortæ minimæ foliis Virginiana, D. L. Pl. Icon.* ⊙.
      15. *Tuberoſa Attica Galacorta dicta, Wheeleri.* ⊙.
      16. *Humilis tuberoſa glabra, Nobis. Chondrilla bulboſa Conyzæ facie major foliis anguſtioribus, C. B. P. Chondrilla altera Dioſcoridis Rawolfii, Cluſ. Hiſt.* ⊙.
      17. *Tuberoſa humilis lanuginoſa, Nobis. Chondrilla bulboſa Conyzæ facie foliis latioribus, C. B. P. Chondrillæ Dioſc. aliud genus Rawolf. Lugd. Cluſ.* ⊙.
      18. *Minima tuberoſa radice Hiſpanica, Park.* ⊙.
      19. *Capillaceo folio, Nobis. Hieracium capillaceo folio, C. B. Prod.* ⊙.
    - *ſubcærulea*
      20. *Elatior Pannonica 5. Cluſ. Pan. 4. Hiſt. Scorzonera anguſtifolia ſubcærulea, C. B. P. Elatior anguſtifolia Pannonica Park.* ⊙.
      21. *Sylveſtris flore cæruleo duplex, major, & minor, Mentz.* ⊙.
      22. *Graminea flore albo & luteo cum tantilla purpura, Nobis. Tragopogon folio gramineo flore albo & luteo cum tantilla purpura, J. B. Tragopogon graminis folio radice villoſa, C. B. P.* ⊙.
      23. *Foliis incanis, floribus diluta purpureis, Raii.* ⊙.
      24. *Humilis ſinuata ampliore flore Calepenſis.* ⊙.

Scorzoneræ *affinis Beben album dicta, radice repente, Nobis. Serratulæ affinis capitulo ſquamoſo luteo, ut & flore, C. B. P. Beben album, Arab. Behmen abiad, Rawolf. in Horto ſicco,* 188. ⊙.

1. Scorzonera *latifolia ſinuata, C. B. P. Scorzonera Hiſpanica major, Park. Tragopogon Hiſpanicus ſive Eſcorzonera aut Scorzonera, J. B. Scorzonera major Hiſpanica prima, Cluſ. Hiſt. Park. Par. Viperaria Hiſpanica, Ger.* Hæc Planta apud *Hiſpanos* (præcipue in *Catalonia*, ubi primo ejus virtutes ab *Afro* detectæ fuere) *Scurzonera* aut *Scorzonera* audit. *Radices* habet vivaces, pedales aut ampliores, pollicaris craſſitiei, carnoſas, fragiles, intus candidas, nullis *nervis* aut filamentis donatas, ſucco lactis pinguedinem imitante plenas, ſapore dulci cum admixta adſtrictione, & cortice molli nigricante tectas. *Folia* exſurgunt interdum ſinuata, palmum longa, in media parte ſe ad duarum triumve unciarum latitudinem dilatantia, & in longum mucronem definentia, *linea* alba per medium decurrente, cum *venis* ab ipſa orientibus, quæ non ab imo ſingulatim per longitudinem extenduntur, & lineis parallelis ut in *Tragopogonis* foliis fit, ſed promiſcue ſeſe invicem interſecant, & ſibi mutuo implicantur. *Caulis* rotundus, ſtriatus, bipedalis vel altior, (ſecundum ſolum cui committitur) *lanugine* quadam ſparſa obſitus, in varias *alas* longas, graciles diviſus; quarum ſingulis *capitulum* oblongum pyramidale ſquamoſum inſidet. Ex hoc *flos* luteus plenus, *Hieracii* ampliſſimi flori ſimilis, ex *petalis* uncialibus anguſtis conflatus emicat. Iſto evaneſcente *pappus albus* ſe erigit, qui ſummitatibus longi *ſeminis* anguloſi albi innaſcitur, & vento flante, uti in aliis hujus diſtributionis fieri amat, continuo avolat. *V. icon. tab. an. 7.*

Naſcitur hæc Scorzonera in Hiſpaniæ *pleriſque montibus, locis humentibus, obſcuris, & uliginoſis; reperitur & in* Germania, Thuringia *ac* Bohemia, *in ſylvis ac montibus lociſque ſimilibus. Apud* Hiſpanos *flos Maio menſe prodit: in* Germania, Gallia, & Anglia, *ſerius menſe Junio ac Julio.*

2. Scorzonera *latifolia Germanica, Eyſt. Latifolia altera, C. B. P. Scorzonera Pannonica* 1. *Cluſ. Hiſt. Germanica, Tab.* Hæc à priore differt, quod ſit humilior, & quoad omnes partes minor, quin & *folia* habet nervoſa, in ambitu abſque ſinubus manifeſte conſpicuis. *E ſeminibus præcedentis ſatis, provenit, & idcirco varietas habetur.*

3. Scorzonera *latifolia lutea pulverifera, Moriſon. Prælud. Bot. Paluſtris pulveriflora, Hort. Reg. Par.* Priori ſimilis eſt, niſi quod in hujus caulium ſummis naſcitur globulus, *Bellidis majoris* more, *calyculo* inexpanſo:

in cujus ſinu, loco *floris*, continetur pulvis, ferrugineus, ad *cinnabaris* colorem valde accedens, ſubtilitate nulli peritiſſimi Artificis induſtria facto ſecundus.

Viget in omnibus pratis humidis indifferenter cum priore. Apicem autem pulveriferum ab Aprili medio, uſque ad idus Maii exactas conſpicere licet, cum ſit tantum vitium naturæ à cælo aut ſolo proveniens.

4. Scorzonera *latifolia humilis nerveſa, C. B. P. Tragopogonis ſpecies ſive Scorzonera humilis latifolia, J. B. Scorzonera humilis latifolia ſeu 2. Pannonica, Cluſ. Hiſt. Viperaria Pannonica, Ger.* Latiora brevioraque habet *folia, Bupleuri latifolii* non valde diſſimilia, craſſiora tamen & duriora, magiſque nerveſa, quippe quinis nervis ſatis craſſis, per longitudinem excurrentibus, diſtincta, cærulei aut potius glauci quodammodo cum viridi permixti coloris. *Caulis* inter hæc aſſurgit gracilis, pedalis altitudinis, ſtriatus, raris *foliis* ſeptus, cui inſidet *flos* ſuperioris ſimilis, luteus, magnus. *Semina* & *radices* cum cæteris conveniunt. *Vid. icon. tab. æn. 7.*

5. Scorzonera *humilis craſſiore folio, Magnol. Bot. Monſp. App. Radix* eſt craſſa, brevis fibroſa, quæ in plura *capita* dividitur; è quibus multa naſcuntur *folia* longa, anguſta, craſſa, glabra, inter quæ ſurgit *caulis* palmaris cavus; *florem* in faſtigio ferens flavum, Scorzoneræ modo ſquamatum, ſed minorem; *ſemen* etiam minus.

In pratis ad lævam Lataræ verſus ſtagnum Maio menſe floret. An Hieracium 7. Cluſ. Hiſt? quod in Pin. bis ponitur, ut ſupra inter Hieracia notatum invenies.

6. Scorzonera *humilis latifolia Chalepenſis flore amplo ſubcæruleo.* Humilis hæc planta, quæ pedalem altitudinem non aſſequitur, *folia* ex anguſto principio, pediculiſve donata, binas uncias lata, tres quatuorve longa, cæteris obtuſiora, modiceque ſinuata emittit: *Caulis* ex horum medio erigitur craſſus vix palmaris, cui *folium* unum aut alterum anguſtius inſidet, eumque amplectitur; in quorum ſinu caulis in quatuor aut plures *caulículos* ſe dividit, pene nudos; quorum ſinguli *caput* craſſum ſquamoſum ſuſtinent; è cujus apice *flos* amplus ſubcæruleus, aut pallide purpuraſcens, ex plurimis petalis longis & anguſtis, ad terminationes crenatis conflatus protruditur.

Hanc cum plurimis aliis à D. D. Huntington, *antea memorato & laude digniſſimo ex* Aleppo *tranſmiſſam accepimus.*

7. Scorzonera *anguſtifolia lutea Pannonica, Ger. Humilis anguſtifolia Pannonica 3. Cluſ. Hiſt. & Pan. Scorzonera anguſtifolia 1. C. B. P. Tragopogonis ſpecies ſive Scorzonera anguſtifolia, J. B.* E *radice* craſſiuſcula *folia* plurima anguſta *Tragopogoni* ſimilia, firmiora tamen, naſcuntur; inter ea excreſcit humilis palmum vix excedens *caulis*, aliquot brevibus foliolis ſeptus, cavus, *florem* in ſummo ferens flavum cæteris ſimilem: *ſemen* deinde in longioribus calyculis Scorzoneræ Hiſpanicæ ſemini par, minus tamen, quod maturum leviſſimo auræ flatu excutitur, & ejus arbitrio fertur. *V. icon. tab. æn. 7.*

Sponte naſci in Pannonia C. Cluſius *obſervavit.*

8. Scorzonera *anguſtifolia lutea major foliis Coronopi.* In horto *D. Edw. Morgan Weſtmonaſterienſis*, Plantarum rariorum Cultoris impigerrimi, nec in re Botanica Viri infimæ notæ, ſuccrevit rara hæc Scorzonera, quæ cum præcedente in omnibus convenit, niſi quod hujus *folia* pedalis longitudinis, in profundas lacinias & denticulationes in margine, *Coronopi* in modum diviſa ſunt, ut in horto ſicco videre licet. *Scorzonera foliis ſpinoſis* ab ipſo nominata eſt.

9. Scorzonera *anguſtifolia lutea humilis radice fibroſa, Nobis. Scorzonera 4. Cluſ. Pan. Hieracium 7. Cluſ. Hiſt. Scorzonera anguſtifolia altera, C. B. P. & Hieracium Tragopogonis folio ejuſdem.* Anguſtis conſtat *foliis* carinatis, colore cinereo, digitalis longitudinis; ex quorum medio exilit tener *cauliculus* dodrantalis, per quem ſparſa ſunt rara *folia* cæteris minora: Hic in aliquot *ramos* diviſus, ſuſtinet *capitula* aliorum more ſquamata quæ in luteos *floſculos Tragopogoni* ſimiles, ſed minores explicantur, maturitate in *pappum* evaneſcentes: *Radix* nigra ex multis fibris albis capillata, propagines quotannis agit.

In ſaxis ad Gamingam *Carthuſianorum cœnobium copioſe naſci, & menſe Julio florentem C.* Cluſius *obſervavit.*

10. Scorzonera *anguſtifolia lutea humilis radice craſſiore foliis nervoſis, Nobis. Scorzonera foliis nervoſis, C. B. P. Minor anguſtifolia Pannonica, Park. Germanica anguſtifolia, Tab. Viperaria humilis, Ger. Folia* ei longa peranguſta viridia, *Tragopogonis foliis* valde ſimilia, ſed breviora & pauciora. *Caules* graciliores & humiliores multo, quam *majori Pannonicæ latifoliæ: flores* minores, paucioribus *petalorum* gyris compoſiti: ſemina etiam minora, alias ſimilia: *Radices* duplo minores graciliores, nec lacteo ſucco adeo prægnantes. *V. icon. tab. æn. 7.*

Reperitur prope Monſpelium, *in depreſſis herbidis & incultis locis, ad dextram viæ quæ è ponte* Villæ novæ *itur ad* Miramvallem. *Junio menſe floret. Magnol. Bot. Monſp.*

11. Scorzonera *anguſtifolia lutea Illyrica trinervia flore minore, Nobis. Scorzonera Illyrica, Park. Foliorum* longorum, anguſtorum, trinerviorum ad numerum quinquagenarium, aut etiam centenarium; *caulium* exilium ad vicenarium accedens multitudo: *floſculi* exigui flavi, *Semina* aliorum minora, *Radix* craſſa nigricans, hanc ſpeciem à reliquis congeneribus abunde diſtinguunt.

12. Scorzonera *anguſtifolia lutea nonnihil incana, monocolonos, Nobis. Hieracium montanum 6. Cluſ. Hiſt. Hieracium montanum anguſtifolium nonnihil incanum, C. B. P. Radix* digiti craſſitudinem interdum æquat, longa, nigricans, tenuibus *fibris* prædita, ſumma parte, in plura nonnunquam *capita* extuberans, quæ ſumma tellure ſena aut plura oblonga *folia*, ſemunciam fere lata, & nonnihil incana proferunt: è ſingulis *radicis capitibus*, prodeunt inter *folia* ſingulares *caulículi* duri, nudi, dodrantales, aut palmares tantum, unicum *capitulum* ſquamatum, & *florem* ſuſtinentes, è multis oblongis ad extremitatem inſectis *petalis*, luteis conſtantem: quo defluente, *ſemen* levi auræ flatu excutitur. *V. icon. tab. æn. 7.*

In omnibus illis montibus à Calenberg *Danubio imminentibus binis milliaribus ſupra* Viennam *ad Alpes excurrentibus naſcitur. Floret menſe Maio.*

Altera hujus plantæ vel *ſpecies* vel *varietas* invenitur, cujus *folia* nonnihil ad margines laciniata ſunt, ferme inſtar foliorum *Leucoii marini*, minus incana; *flos* aureo colore magis rutilat, alioquin per omnia ſimilis.

13. Scorzonera *anguſtifolia lutea humilis foliis & ſeminibus birtis, Nobis. Tragopogon birſutum, C. B. P. Tragopogon Apulum humile luteum birſutum, Col.* Humilis hæc *Scorzoneræ* ſpecies, è *radice* longa vivaci, *folia* profert plurima, anguſta pedalia, ſericea *birſutie* obſita. *Caules* birſuti longitudine raro *folia* ſuperant; inque horum ſummitatibus *calyx* magnus baſin habet folioſam, *florem* emittens luteum, plenum, radiatum; quem excipit *ſemen* non tantum ut in aliis pappoſum, ſed ipſum ſub *pappo* quoque hirtum, & in aliquibus brevius & tumidius, in aliis anguſtius & tenuius conſpicitur.

Cirinolæ *haud longe à D.* Rochi *æde detexit Cl.* Fab. Col. *Menſe Martio floret, & Maio ſemina perficit.*

14. Scorzonera

14. Scorzonera *bulboſa Biſtortæ minimæ foliis Virginiana, D. L. Pluk.* E *radice* rotunda tuberoſa, *Nucis moſchatæ* aut *Avellanæ* magnitudinem aſſequente aſſurgit *caulis* ſingularis, pedalis aut altior, inferius ornatus *foliis* anguſtis digitum longis, & ſemuncialem latitudinem vix excedentibus. Ea cauleſcentia anguſtiora & breviora fiunt. In caulis ſummitate *flos* ex plurimis petalis in terminatione crenatis conflatus, aliis hujus familiæ conſimilis inſidet.

Novam hanc plantam D. L. Pluknet. *è* Virginia *recepit, & in* Phytographia *ſua edidit.*

15. Scorzonera *tuberoſa Attica Galacorta dicta Wheeleri. Radix* tuberoſa *Juglandis* magnitudinem aſſequitur. *Folia* ſunt ei longa, anguſta, *lanugine* pubeſcentia; inter quæ *flos Scorzoneræ* ſimilis, pediculo palmari. Græcis *Galacorta*, id eſt, *Herba lactea* dicitur, quoniam tota lacte ſcatet.

In Hymetto Atticæ *monte invenit Reverendus D. D.* Wheeler.

16. Scorzonera *humilis tuberoſa glabra Syriaca, Nobis. Chondrilla bulboſa Conyzæ facie foliis anguſtioribus, C. B. P. Chondrilla altera Dioſc. Rawolfio, Cluſ. Hiſt. Conyza marina, Lugd. J. B.* Superna pars *radicis* circiter minimum digitum craſſa eſt, quinque vel etiam octo tranſverſos digitos longa, infima parte tenuiore, cui adhæret *tuberculum* caſtaneæ magnitudinis lacteo ſucco plane turgens. Superna *radicis* pars qua ſe in tres cauliculos dividit, multa habet oblonga, & *Graminis* inſtar anguſta *folia*, ſimul naſcentia, ad terram valde inclinantia. Inter hæc prodeunt *cauliculi* aliquot *foliis* onuſti, è quorum alis longiuſculi exeunt pediculi, ſinguli *florem* ſuſtinentes *Piloſellæ majoris*, aut *Hieracii* flori æqualem, flavum. *V. icon. tab. æn. 6.*

In arvis Halepo *vicinis ſatis copioſe naſcens invenitur.*

17. Scorzonera *tuberoſa humilis lanuginoſa, Nobis. Chondrilla bulboſa Conyzæ facie foliis latioribus, C. B. P. Chondrillæ Dioſc. aliud genus Rawolf. Cluſ. Hiſt. Conyzæ marinæ affinis Chondrilla alia Rawolf. J. B.* Hæc *radice* & *floribus* cum ſuperiore convenit, *folia* tamen latiora, magiſque villoſa & cineracea, *Holoſtei Monſpeliani* fere ſimilia. *Vid. icon. tab. æn. 6.*

In aſperioribus magiſque petroſis locis non procul à proxime priori naſcitur.

18. Scorzonera *minima tuberoſa radice Hiſpanica, Park.* Minima hæc *Scorzonera folia* protrudit plurima, anguſtiſſima, humi ſparſa, in aliquibus lævia, in aliis ad margines ſinuata. *Cauliculi* vix tres quatuorve uncias altitudine ſuperant, & in *calyce* ſquamato *florem* ſingularem, pallide luteum ſuſtinent, cui ſuccedunt *ſemina* parva nigricantia, de brevi *pappo* pendentia. *Radix* craſſa & oblonga, externe nigricans, interne inalbicans, *lacte* non adeo copioſo, ac congeneres donata.

Ex Hiſpania *allatæ fuerunt radices, & in horto D.* Parkinſoni *ſuccreverunt.*

19. Scorzonera *lutea capillaceo folio, Nobis. Hieracium capillaceo folio 5. C. B. P. 21. Prod. An foliis anguſtiſſimis floribus luteis Franconica prior, Johan. Mich. Febrii? vel foliis gramineis tenuibus Montis Sumani, D. Volckamer?* *Radice* eſt craſſa, oblonga, tunica fuſca & rugoſa veſtita; ex qua *cauliculi* bini, palmares, læves, ſinguli *florem* unicum, pallide luteum, mediæ magnitudinis, ſuſtinentes exſurgunt. *Folia* ad radicem plurima, pili inſtar tenuia, duas, rarius tres uncias longa, rigidiuſcula, atrovirentia, parcius cauliculorum partem cingentia. Monſpelii *collecta eſt.*

20. Scorzonera *anguſtifolia ſubcærulea, C. B. P. Scorzonera elatior Pannonica 5. Cluſ. Pan. 4. Hiſt. Elatior anguſtifolia Pannonica, Park. Tragopogonis ſpecies ſive Scorzonera major anguſtifolia ſubcæruleo flore, J. B. Radix* ei longa, nigricans, digiti craſſitudinem æquat. *Folia* longa graminea; *caulis* cubitalis; *flores* è capite ſquamoſo erumpentes ex cæruleo purpuraſcentis ſunt coloris. Semen pro more congenerum perficit. *V. icon. tab. æn. 7.*

In Hamburgenſi *monte, qua parte Auſtriam ſpectat, & in vicino* Prellenberg, Leytenberg, *catena illa montium à* Calenberg *ad Alpes excurrentium, & pleriſque* Ungariæ *locis naſcitur.*

In colle haud longe à Sampſen *in* Ungaria *invenitur varietas*, quæ anguſtiora profert *folia*, *calyces* breviores, *ſemenque* craſſius, brevius, *Cnici* ſemini prorſus æquale.

21. Scorzonera *ſylveſtris flore cæruleo, Mentzelii.* Duplex eſt, *major*, & *minor*. *Folia* longiora anguſta ſunt. *Flores* inſtar *Cichorii* florum impenſe cærulei ſunt.

In ſylvis temperatis Marchiæ Brandenb. *invenit D.* C. Mentzelius.

22. Scorzonera *graminea flore albo & luteo cum tantilla purpura, Nobis. Tragopogon folio gramineo, flore albo & luteo cum tantilla purpura, J. B. Tragopogon Graminis folio, radice villoſa, C. B. P. 5. Phyt. Foliis* gaudet minoribus, *Caryophyllorum florum ſylveſt. alborum* foliis ſimilibus. *Radix* congenerum eſt ſimilis, capite capillato. *Caules* tenues, rotundi, in ſummitatibus gerunt *capitula Cyani* ſimilia; ex quibus prodeunt *floſculi* albi, congenerum ſimiles, *petalis* tamen acutioribus prædíti, (ut in *Bellide majori*) cum *purpurea* in apicibus mixtura.

Provenit incultis locis humidis. Floret Junio & Julio menſibus ut refert J. Bauhinus.

23. Scorzonera *foliis anguſtis incanis, floribus dilute purpureis, Raii Hiſt.* qui quidem in inſula parva promontorio *Siciliæ Pachyno* olim continua, nunc anguſto freto dirempta, invenit hanc *Scorzoneram*, cujus *caules* eo loci vix ſemipedalem altitudinem ſuperabant.

24. Scorzonera *humilis ſinuata ampliore flore ſubcæruleo Chalepenſis.* E *Syria* hanc plantam habemus, cujus *folia* longa, mucronata, biunciam lata, marginibus ſinuatis & veluti criſpis donantur. Inter iſthæc *caulis* aſſurgit pedalis (aut circiter) in duas aut tres *alas* diviſus, quarum ſingulæ prorumpentem è *ſquamoſo* capite *florem* amplum pallide cæruleum, cum pappoſis itidem *ſeminibus* ſuccedentibus, ſuſtinent.

Temperamentum & Vires.

De Scorzoneræ *viribus* Monardus *integrum ſcripſit libellum.* Nicolaus Clavena Bellunenſis *ejuſdem argumenti tractatum edidit; utrique ob peculiarem quam habet efficaciam adverſus venena & præmorſum Serpentis* Eſcorzu *dicti mire commendant, & peſtis contagia arcere, omnibuſque venenis reſiſtere confirmant,* &c. *Atqui noſtram hujuſmodi viribus pollere haud facile conceſſerim.*

Planta calida & humida eſt, adeo temperata ut & virtutem alcalinam habeat; viribus gaudet alexipharmacis, & leviter ſudorem movet; hinc in morbillis & febribus malignis, ea nihil præſtantius eſt; adverſus hepatis, lienis, & meſenterii obſtructiones vim habet.

In febris deceſſu quando nondum permittuntur carnes, & pro reſtauratorio, radices cocta, à pluribus adhibentur, & inter delicias ſaluberrimas ac reficientes deputantur.

Cardiacis & Syncope vexatis, necnon comitiali morbo obnoxiis & vertiginoſis radices *proſunt; hilaritatem inducunt, triſtitiamque diſcutiunt.* Aqua deſtillata *eadem præſtat.*

Radix *cum Saccharo conditur, eaque gratiſſima ac ſaluberrima eſt.*

CAPUT XI.

SECTIONIS SEPTIMÆ.

Scorzoneræ *affinis Behen album dicta radice repente, Nobis. Serratulæ affinis capitulo ſquamoſo luteo, ut & flore, C. B. P. Behen album Rawolfi, J. B. Behen album verum, Arab. Behmen abiad, Rawolf. in horto ſicco,* 188. De *Behen albo & rubro Arabum* multum controvertitur; & cujus Plantæ ſint radices in officinis eo nomine notæ, ne nunc quidem plane conſtat. *Serapio Paſtinacæ* ſimilem eſſe ſcribit. Alii *Lychnidis* ſpeciem quæ *Papaver ſpumeum,* & *Behen album Monſpelienſibus* dicitur exiſtimant. Et rubri quidam loco *Limonium maritimum;* alii *Valerianam* rubram; alii *Biſtortam* ſubſtituunt. *Actuarius* & *Myrepſus Behen Hermodactylos* eſſe volunt. Aliqui vero *Garzia* monente & refragante, *Zerumbeth* eſſe ſtatuunt. Vide *David. Antiochenum.*

Planta de qua jam agimus, à D. L. *Rawolfio* ad radices montis *Libani,* in umbroſo & aquoſo ſolo detecta eſt, qui verum *Behen album* eſſe aſſerit, quod *Behen abiad,* ut *Behen rubrum Behmen ackmar* incolæ hodie vocant; & in horto ficco à ſe ibidem collecto, & in Bibliotheca ampliſſima non ita pridem *D. D. Voſſii Windſorienſis,* cum *radicibus, foliis,* & *floribus* conſervatam obſervavimus; quam etiam in Plantarum Ægyptiacarum & Syriacarum Hiſtoria deſcripſit. *Radix* ei repens, per intervalla geniculata magnitudinis calami Scriptorii aut amplioris, æqualis pene craſſitiei, (ut in radicibus *Eryngii* obſervatur,) *Potamogeitonis Salicis folio, C. B. P.* quæ ab aliquibus etiam *Perſicaria perennis* nominatur, cum paucis fibrillis ad genicula adnatis, radici haud diſſimilis. Inde proveniunt *folia* longa palmaris fere latitudinis, quorum quædam duabus, alia quatuor *alis* in inferiore parte donata ſunt (ſicut in *Dulcamara* videre licet,) alternatim cum pediculis caulibus infidentia. In ſummis caulibus cubitalibus integra & ſine pediculis illa ampleƈtuntur caulem, qui in varios *ramuſculos* ſe dividit, ſuſtinentes *capitula* ſquamata, è quibus *flores* lutei erumpunt radiati. His *ſemina* longa, *Scorzoneræ* ſimilia, ſuccedunt.

Naſcitur in montibus Syriæ, Armeniæ, & Choraſan, *& alibi.*

Temperamentum & Vires.

Auƈtor Libri Malayeſæ *dicit utrumque* Behmen *eſſe calidum & ſiccum ſecundo gradu, eique ineſſe abundantem humiditatem viſcoſam & ſtipticam,* & Rubrum *eſſe fortius* albo. David Antioch. *dicit* album *eſſe calidum & ſiccum ſecundo gradu,* Rubrum *in tertio.*

Hujus Plantæ tam Radix *quam* flores *apud veteres* Perſas *cum ſacris operarentur in uſum venerunt. Apud Medicos omnes in uſu ſunt* radices ſiccatæ, *quæ aromaticæ ſunt, cor egregie roborantes, & palpitationi ſuccurrentes. Diſſipant eædem ſquinantiam, & flatus craſſiores; & pituitam tenacem incidunt.*

Behmen *corpus humanum implet & impinguat,* & rubrum *maxime libidinem & ſemen genitale evidenter adauget. Necat pediculos; tollit Vitiliginem, & faciei cutem mundat.*

Vide ſis modos præparandi & doſes apud Davidem Antiochenum Syrum, *qui fuſius de his agit quam alii Medici. Dicitur nocere inferioribus, ſed corrigi poſſe* Aniſo *aut* Tragacantha, *aut* Zizyphis rubris. *Ei ſuccedaneum eſt* Hormini *pondus par, aut* Orneogloſſæ *pondus dimidium. Rubro autem ſuccedaneum eſt* Doronicum, *aut* Roſæ rubræ, *aut* Zedoaria.

SECT.

SECTIONIS SEPTIMÆ

Distributio Tertia.

De Plantis non lacteſcentibus ſeminibus pappoſis, floribus apetalis ſive nudis, & ſtellatis.

Chryſocome ſive Helichryſum, & Helichryſo affinis, Gnaphalium, Cacalia, Petaſites, Eupatorium, Valeriana, Nardus, & Senecio.

Jacobæa, Virga aurea, Conyza, After, Doronicum, Helenium, & Tuſſilago.

Plantæ hæ ſicut & antecedentes, quoad modum florendi & creſcendi, ad Corymbiferas *accedunt. Ab iis tamen hac nota dignoſcuntur, quod harum* ſemina pappo *ſint donata; illarum vero* ſolida. *A diſtributionis proxime præcedentis Stirpibus differunt, quod* ſuoco lacteo *non turgeant, cætera ſimiles.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes.

CAPUT XII.

Chryſocome *ſive* Helichryſum.

HElichryſum ἠλίχρυσον Dioſc. *l.* 4. *c.* 57. *ubi* Χρυσάνθεμον & Ἀμάραντον *etiam vocari ſcribit, fortaſſis ἀπὸ τῦ μὴ μαραίνεσθαι, quippe cujus flores aureoli ſicci non* marceſcunt. Plinius *appellat* Heliochryſum, *q. d.* Ἡλιόχρυσον, *quod ad* ſolis (τῦ ἡλίυ) *repercuſſum* aurea (τῇ χρυσῇ) *luce hujus Plantæ Flores fulgeant. Alii intelligunt, q. d.* Ἐλαιόχρυσον, *quod in locis aquoſis &* paluſtribus *quæ* Græcis ὕλη *dicuntur proveniat.*

Chryſocome ſive *Helichryſum* eſt planta *pappeſcens non lacteſcens, foliis* tomento obductis, integris; *floribus* bullatis, corymbatim diſpoſitis, plerumque aureis, è *calycibus* compluribus aridis & exſuccis arcte contextis, compoſitis.

TABULA XII. SECT. VII.

Helichryſum ſive Chryſocome	*fruteſcens & ſemper virens*	*latifolia*	1. *Flore corymbifero toto aureo, Nob. Helichryſum Orientale, C.B.P. & Prod.*
			2. *Flore externe albo, medio luteo, Nobis. Chryſocome peregrina, Eyſt. Peregrina major fruteſcens, Breyn. Cent.* 1.
			3. *Sive Stœchas citrina humillima, Promontorii Sacri Luſitan. D. Tournef.*
			4. *Latifolia membranaceo caule, floribus parvis oderatiſſimis conglomeratis, Nobis.*
			5. *Cretica paucioribus floribus amplis, Nobis. Stœchas citrina Cretica flore amplo, Park. Santolina flore amplo, Proſp. Alp. de Exot.*
			6. *Sive Eranthemocome Syriaca flore ruberrimo, Nobis. Baccharis Dioſc. Rawolf. Hiſt. Lugd. App. J. B. Chryſocome peregrina flore atro rubente, Breyn.*
			7. *Sive Argyrocome Gnaphaloides Africana ampliſſimis floribus, Breyn. Prod.* 1.
		anguſtifolia	8. *Vulgaris, ſive Narbonenſis, Nobis. Chryſocome* 1. *Vulgaris Cluſ. Hiſt. Stœchas citrina tenuifolia Narbonenſis, J. B.*
			9. *Sive Stœchas citrina altera ſive Italica, J. B. Helichryſum* 2. *foliis longis copioſis, C. B. Phyt.*
			10. *Foliis oblongis paucis Stœchadis citrinæ anguſtioribus, C.B.P. Stœchas citrina tenuifolia tertia ſive Neapolitana, J. B.*
			11. *Æthiop. numeroſis & anguſtis Stœchadis citrinæ foliis minus albicantibus, florum ſquamulis carbunculi in modum ſcintillantibus, D. Pl. Alm.* 134.
			12. *Africana flore albo, D. ten Rhyne, in Faſcic. Rarior. Plant. Hollandia, Breyn. Edit.*
			13. *Africana flore phœniceo, Ejuſdem.*
			14. *Sive Argyrocome Africana ericoides flore albo, Breyn. Prod.* 1. *Et Argyrocome Ericoides, ſive Roriſmarini foliis anguſtioribus flore argenteo, Breyn. Prod.* 2.

15. *Eadem flore ſulphureo, Ejuſdem.*
16. *Sive Argyrocome Gnaphaloidi affinis, Xeranthemi flore, foliis Serpylli tomentoſis, Cap. Pon. Sp. Breyn. Prod.* 2.
17. *Capitulis longioribus & paucioribus, Nobis. Helichryſum ſylveſtre flore oblongo, C. B. P.*
18. *Capitulis ſingularibus brevioribus, Nobis. Helichryſo ſylveſtri flo. oblongo ſimilis, C. B. P. & Prod.*
19. *Capitulis binis vel ternis brevioribus, Nobis. Helichryſum ſylveſtre anguſtifolium capitulis conglobatis, C. B. P.*

caulibus deciduis — annua:
20. *Sylveſtris capitulis conglobatis latifolium, C. B. P. & Gnaphalium majus lato oblongo folio, Ejuſdem. Gnaphalium ad Stœchadem citrinam accedens, J. B.* 2. *Plateau, Cluſ. Hiſt.*
21. *Gnaphaloides Virginiana foliis obtuſioribus, capitulis argenteis conglobatis, Nobis. Gnaphalium Luſitan. comis argenteis, D. L. Pl.*
22. *Gnaphaloides Americana foliis acutioribus, capitulis conglobatis aureis, Nobis. Gnaphalio Americano affinis planta capitulis conglobatis, Schol. Bot. Par.*

caulibus deciduis — perennis:
23. *Americana repens flore externe albo intus flaveſcente, Nobis. Gnaphalium latifolium Americanum, Ger. Cluſ. J. B.*
24. *Germanica latiore folio, Nobis. Stœchas citrina Germanica latiore folio, J. B. Amaranthus luteus latifolius, Ger.*
25. *Aurea Æthiopica latifolia capitibus conglobatis, Nobis. Gnaphalium aureum Æthiopicum flore roſeo pleno, D. Pluk. Alm.* 171.
26. *Repens flore igneſcente, ſive ex aureo rutilante, Nobis. Chryſocome Germanica flore igneſcente, Breyn. Prod.* 1.
27. *Repens flore ſanguineo, Ejuſdem. Cretica ſive Elichryſum Creticum, C. B. P. Chryſocome quinta vel Cretica, Cluſ. Hiſt.*
28. *Syriaca candidiſſimis floribus, Breyn. Cent.* 1.
29. *Æthiopica Plantaginis folio, Breyn. Cent.* 1.
30. *Mexicana flore albo, umbilico in medio rubente, Tzonpotonic, Helichryſum Mexicanum, Recchi.*
31. *Africana flore phœniceo ſerratifolia, D. ten Rhyne, Breyn. Faſcic.*
32. *Humilis montana folio rotundiore, purpurea & alba, Nob. Gnaphalium montanum folio rotundiore, C. B. P. Gnaphal. montanum ſive Pes Cati Park.*
33. *Humilis montana acutiore folio & flore, Nobis. Gnaphalium montanum, Dal. Lugd. An Gnaphalium Alpinum nanum ſive pumilum, Bocc?*

1. Helichryſum *ſive Chryſocome fruteſcens latifolia flore corymbifero toto aureo, Nobis. Helichryſum Orientale, C. B. P. & Prod. Stœchas citrina comis grandioribus, Cam. Stœchas citrina floris magnitudine & colore ſpecioſa, J. B. Caule* eſt rotundo, lanuginoſo, pedali, *foliis* oblongis lanuginoſis, & ob tomentum craſſis & incanis, ad *radicem* oblongam nigricante cortice tectam pluribus, veſtito. *Caulis* ſummitas in plures pediculos uncinales, incanos, dividitur; quibus ſingulis *flos* rotundus, rarius oblongus, quaſi ex plurimis *ſquamis aureis* compoſitus, inſidet. Caules tempore commodo collecti & ſervati, non marceſcunt, ſed ob ſiccitatem formam coloremque retinent. *V. icon. tab. æn.* 10.

E Luſitania & Hiſpania *adferuntur* flores, *ubi in hortis alitur planta; ſed ubi ſponte provenit nondum comperimus.*

2. Helichryſum *fruteſcens latifolium, flore externe albo, medio luteo, Nobis. Chryſocome peregrina, Eyſt. Chryſocome peregrina major fruteſcens, Breyn. Cent.* 1. Planta hæc ligneſcens, & quaſi fruteſcens, ad unius aut alterius cubiti, & interdum ad tertii altitudinem aſſurgit, in varios ramuſculos tomentoſos ſe dividens. *Folia* inordinatim ſita longitudinem digitalem, & ex anguſta baſi ſemuncialem latitudinem acquirunt, utrinque candida *lanugine* tecta, & proinde per totum annum candeſcentia. *Flores* ſummis caulibus inſident corymboſi, bullati, ex ſquamis plurimis ſiccis compoſiti, quarum exteriores albæ, at in medio interiores flaveſcunt. *Semen* in *pappos* breves definit.

3. Helichryſum *ſive Stœchas citrina humillima Promontorii ſacri Luſitanici.* Nova hæc planta à Viro Clariſſimo & Plantarum rariorum inveſtigatore fœliciſſimo *D. P. Tournefort, M. D. Pariſ.* in *Luſitania* detecta, humilis eſt, *virgulas* ſemipedales aut circiter emittens, nunc erectas, nunc reclinatas; *foliis* uncialis fere longitudinis ad appoſitionem anguſtis, & in obtuſum definentibus, incanis, *Gnaphalii Montani Pedis Cati* dicti ſimilibus, veſtitas. *Caulis* ad ſummum pene nudus, *floſculos aureos*, compactos, ſquamatos (quales ſunt aliis hujus familiæ) ſuſtinet.

4. Helichryſum *latifolium membranaceo caule floribus parvis odoratiſſimis conglomeratis, Nob. Helichryſum latifolium villoſum alato caule odoratiſſimum, D. Pluk. Alm.* 134. *Tab.* 173. 6. Planta hæc rara, in horto Regio *Hamptonienſi* adſervata, *virgultis* quodammodo lignoſis, tomentoſis, membranis foliaceis ex tribus quatuorve lateribus ſeu angulis, præſertim inferiore parte, alatis, *foliiſque* oblongis latiuſculis & ex obtuſis acutis, tomento obductis, inordinatim cinctis, aſſurgit. *Caulis* à ſuperiore parte nudus ac *alis* deſtitutus enaſcitur, atque thyrſum *floſculorum aureorum* exiguorum, odorem *Abrotoni camphorati*, ſed gratiorem, ſpirantium, denſe compactorum, ſuſtinet.

5. Helichryſum *ſive Chryſocome fruteſcens latifolia Cretica pauciioribus floribus amplis, Nobis. Santolina flore amplo, P. Alp. de Exot. Stœchas citrina Cretica flore amplo, Park.* Planta conſpectu tenera mollis ac delicata tota candida, naſcitur in montanis, *foliis* parvis oblongis, multis ſimul ſtipatis circumambientibus *ramulos*, & ſpiſſitudine occultantibus, candidis. Ab una *radice* longa craſſa tenera *caulem* promit rectum rotundum, digiti craſſitie album, ex quo virgæ exeunt rectæ graciles complures, in cacumine in *ſurculos* duos vel tres diviſæ, quæ *flores* gerunt *Santolinæ ſive Abrotoni fœm.* ſed quadruplo majores, ad *Calendulæ* vulgaris magnitudinem, atque aureum colorem maxime accedentes, quibus ſuccedunt *ſemina* minuta oblonga pappoſa *Soncho* proxima.

6. Chyſocome *ſeu potius Eranthemocome latifolia fruteſcens Syriaca flore ruberrimo, Nobis. Baccharis, Dioſc. Rawolf.*

Rawolf. Hiſt. Lugd. App. J. B. Chryſocome Syriaca flore atrorubente, Breyn. Fruteſcit quoque hæc planta cubitalis, *foliis & caulibus* lanuginoſis, quæ *folia* longa latiuſcula caulem amplectuntur: ſupremi caules (reliquis pares) pediculis brevibus corymbatim diviſi ſunt, & *flores* rubicundos vel atrorubentes in thyrſo amplo gerunt conglobatos.

In monte Libano & *monte* Carmel *naſcitur, ubi D.* Rawolfius *legit, & in Hiſtoria ſua ad Append. Hiſt. Lugd. edidit: quæ in herto ſuo ſicco quoque obſervata eſt. Nos à nunquam ſatis laudato D. D.* Huntington *ex* Aleppo *tranſmiſſam habemus.*

7. Helichryſum *ſive Argyrocome gnaphaloides Africana ampliſſimis floribus, Breyn. Prod.* 1. *Aſter gnaphaloides Africanus, Breyn. Prod. Cent.* 1. Tota planta lanuginoſa eſt, *foliis* cæteris latioribus, *cauleque* validiore: *Flores* in faſtigiis aliorum forma, *Roſæ Damaſcenæ* magnitudinem ſuperantes, ex *petalis* ſeu *ſquamis* complurimis retorridis argenteo nitore ſplendentibus, compoſiti, unciam longis, culmum vero latis, in extremitate acuminatis, multiplici ſerie præditi inſident, ejuſque medio diſcus cernitur, pro ratione floris parvus, candidus, tubulis ſeu apicibus purpureis intermixtis, cumque maturitate in *pappum* evaneſcens.

In Africæ *juxta* Promontorium Bonæ Spei, *arenoſis locis naſcitur.*

8. Helichryſum *ſeu Chryſocome anguſtifolia vulgaris, Cluſ. Hiſt. Stœchas citrina tenuifolia Narbonenſis, J. B. Chryſocome ſive Coma aurea, & Stœchas citrina vulgaris, Park.* E *radice* perenni, lignoſa, & fibroſa nigricante aſſurgit planta fruteſcens, *caulibus* plurimis gracilibus, duris, ac tomentoſis, pedalibus aut bipedalibus, *foliis* unciam longis anguſtis, *Roriſmarini* fere æmulis, præſertim ex adverſo incanis, copioſis, ſine ordine veſtitis, quæ verſus ſuperiora, breviora, & rarius diſpoſita ſunt: ſumma faſtigia floſculorum luteorum corymbos è ſquamulis mulſis compoſitos ſuſtinent. *Odor* totius mithridaticus, & quaſi ſpecierum exoticarum mixtura eſt; guſtuſque aromaticus & medicatus, cum modico fervore ac tantilla adſtrictione. *V. icon. tab. æn.* 11.

Planta hæc circa Monſpelium, *aliiſque* Galloprovinciæ & Hiſpaniæ *aridis & petroſis (ubi odoratiſſima eſt) copioſe provenit, & ab Aprili menſe per totam æſtatem flores profert.*

9. Helichryſum *ſeu Chyſocome Stœchas citrina dicta altera Italica, J. B. Helichryſum* 2. *foliis longis copioſis, C. B. Pbyt.* Hæc cum antecedenti convenit; *folia* vero longiora, tenuiora, & acutiora ſunt, *flores* itidem lutei minores: *ſapor* & *odor* haud diſſimiles.

In Apeninis *montibus, atque etiam* Liguriæ *naſcitur. Floret eodem tempore & modo.*

10. Helichryſum *foliis oblongis paucis Stœchadi citrinæ anguſtioribus, C. B. P. Stœchas citrina tenuifolia tertia, ſive Neapolitana, J. B.* Prioribus ſimilis eſt hæc planta, niſi quod *folia* pauciora non adeo conferta, & longiora ſunt: cætera ſimilis.

Inter Neapolim & Puteolos *invenitur.*

11. Elichryſum *Æthiopicum numeroſis & anguſtis Stœchadis citrinæ foliis minus albicantibus, florum ſquamulis carbunculi in modum ſcintillantibus, D. Pluk. Alm.* 134. *Tab.* 279. 1. Virgulis quoque lignoſis, tenuibus exoritur hæc planta, *foliolis* ſtrigoſis, more congenerum, denſe veſtita, non tanta autem ac præcedentes, lanugine tecta: in ſummitatibus corymbatim diſpoſiti ſunt, *flores capitulave* parva, oblongiuſcula, ex ſquamulis exiguis, retorridis, micis ex argenteo aureis (præſertim ſole ſplendente) inſigniter lucentibus & ſcintillantibus aſperis, compoſita.

12. Chryſocome *ſive Argyrocome Africana flore albo, D. ten Rhyne, in Faſcic. rariorum Plantarum Hollandiæ, Breynii edit.* Hujus *folia* Italicæ antedictæ quam proxima ſunt. *Flores* è candidulis infra aliquando, rufeſcentibus ſquamulis ita compoſiti, ut umbonem in medio comprehenſum duplici & triplici ſerie notabiliter circumradient: *ſemen* parvum pappeſcens, prioribus par.

In herboſis juxta Promontorium Bonæ Spei *D. ten Rhyne, ubi & duas ſequentes collegit.*

13. Chryſocome *Africana flore phœniceo, D. ten Rhyne Breyn. Faſcic.* Planta quoque alba & penitus tomentoſa eſt; *folia* anguſta ſunt, & brevia; *Flores* denſiſſime in glomerulum congeſti, ſquamis exilibus ſplendentibus, ex igneſcente phœnicei coloris imbricati; quorum medium ſtaminula quædam minutiſſima, in *pappos* ſemine appenſo perquam puſillo abeuntia occupant.

14. Chryſocome *ſive Argyrocome Africana ericoides flore albo, Breyn. Prod.* 1. Lignoſa eſt planta Ericeformis, pedalis & altior, *ramis* multis non craſſis; *folia* perangusta, in parte prona vireſcentia, in altera lanuginoſa & candidiſſima, *Ericæ Coridis folia* quodammodo æmulantia, triangularia, alternatim diſpoſita: *Flores* ramorum apicibus ſolitarii inſidentes, ſextæ noſtræ *Gnaphaloidis* dimidio ſunt minores, minuſque foliofi & patuli, quidam vero umbone minore, ſed aurei coloris pulchre decorati.

15. Chryſocome *ſive Argyrocome Africana ericoides flore ſulphureo, Breyn. Prod.* 1. Præcedenti per omnia ſimilis, niſi quod *florum* petala pulchre ſplendentia paullo breviora, & ſulphurei ſunt coloris.

16. Argyrocome *Gnaphaloidi affinis, Xeranthemi flore, foliis Serpylli tomentoſis, Cap. Bon. Spei. Breyn. Prod.* 2. Rara eſt hæc planta, cujus *ſemina* cinerea, parva ſtriata, pappo ſuavepurpuraſcente plumata, Hanc ab Illuſtriſſimo D. à Marſeveen *D. Breynius* acceptam edidit. Aliæ quoque ſpecies non minus raræ ab ipſo tantum enumerantur, de quibus utpote non viſis nihil comperti habemus: quales ſunt.

Chryſocome *flore aureo amplo, Conyzæ mediæ foliis, Capitis Bonæ Spei, ibid.*
Chryſocome *flore albo majore, Cap. Bon. Spei. ibid.*
Chryſocome *flore albo minore, Cap. Bon. Spei. ibid.*
Chryſocome *flore albo, foliis ſubrotundis auritulatis, Cap. Bon. Spei. ibid.*

17. Helichryſum *ſive Chryſocome capitulis longioribus & paucioribus, Nobis. Helichryſum ſylveſtre flore oblongo, C. B. P. Stœchas citrina altera inodora, Lob. Stœchadi citrinæ affinis capitulis longioribus, J. B. Conyza marina, Dal. Lugd. Chryſocome altera tertia, Cluſ. Hiſt.* Pedalibus interdum etiam cubitalibus, crebris, lignoſis fruticat *virgis* in multos *ramos* diductis, alboque villo tectis: *Folia* anguſta, inferne lanuginoſa, incana, ſuperne fere nigricantia, ſapore amaro: ſingulorum ramulorum faſtigio inſidet modo unicum, modo bina, modo terna *capitula*, unciam longa, teretia, ſquamulis pulchre ſcandulata, nonnihil rufeſcentia, pappoſum tomentum ipſis longius complexa.

In Hiſpania *provenit. Circa* Monſpelium *etiam reperitur.*

18. Helichryſum *ſive Chryſocome capitulis ſingularibus brevioribus, Nobis. Helichryſo ſylveſtri flore oblongo ſimilis, C. B. P. & Prod. Caule* eſt ſeſquipalmari, rotundo, lanugine candidiſſima veſtito, in *ramulos* aliquot inæquales, palmo breviores brachiato: *foliis* quam antecedentis latioribus, aliquibus leviter ſinuatis, ſeſquiuncialibus

uncialibus, inferne incanis & tomentosis, superne virentibus: *ramuli* in pediculos tenues, nudos, uncias quatuor longos, abeunt, quorum summitatibus *capitulum* unicum, squamosum, cum flore insidet, qui in *pappum* brevem abit. *V. icon. tab. æn.* 10.

In montibus Italiæ *prope* Terracinum *provenit.*

19. Helichrysum *sive Chrysocome angustifolia, capitulis binis vel ternis brevioribus, Nobis. Helichrysum sylvestre angustifolium capitulis conglobatis, C. B. P. Stœchadi citrina affinis, capitulis parvis, raris, squamosis, in pappos evanescentibus, J. B.* Dense fruticat etiam hæc; *Virgæ* tamen breviores, *tomento* candidæ, quas *folia* vestiunt, septimæ vel octavæ nostræ similia, tomento villoso subtus obsita: *Capitula* singulorum extremitatibus imposita, aut singularia, aut bina, ac etiam terna, semuncia breviora, squamata, pleraque absque pediculo adhærentia: *Flores* coloris sordidi & obsoleti, non aurei, quorum *apices* medii in *pappos* degenerant.

20. Helichrysum *seu Chrysocome annua sylvestris capitulis minoribus conglobatis, Nobis. Gnaphalium majus lato oblongo folio, 9. C. B. P. & Helichrysum sylvestre latifolium capitulis conglobatis, ejusdem. Gnaphalium ad Stœchadem citrinam accedens, J. B. Gnaphalium* 2. *Plateau, Clus. Chrysocome & Elychrysos sylvestris, Lob. icon.* Prima hæc annua species à *radice* fibrosa *folia* biuncialia, & semunciam lata, lanuginosa profert; *caulis* villosus assurgit pedalis aut cubitalis, *foliis* longis ad appositionem latis & caulem quasi amplectentibus, alternatim sitis tomentosis, & quodammodo crispis: *Flores* summis caulibus, (qui ramosi) corymbatim dispositi, lutei sunt, quorum squamæ exterius albæ calycis argentei speciem exhibent: *semen* ut in aliis hujus familiæ *pappo* brevi appenso perficitur, unde quotannis renovatur.

Circa Monspelium *secus fluvium* Mausson, *aliisque locis humentibus observavit D.* Magnol. *In Insula* Cæsarea, Jarsie *nominata ad muros & ad ripas D.* Sherardus *quoque detexit.* Floret *æstate, in autumno semen perficit, & perit.*

21. Helichrysum *sive Chrysocome Gnaphaloides Virginiana annua, foliis obtusioribus, capitulis argenteis conglobatis, Nobis. Gnaphalium Lusitanicum comis argenteis, D. L. Pl.* E *semine D. J. Banister* è Virginia transmisso, provenit hæc planta, cujus *caules* lanugine albi, rotundi in alas à medio brachiati, ad altitudinem pedalem aut cubitalem eriguntur; *foliis* biuncialibus ex angusta basi sese ad semuncialem fere latitudinem dilatantibus, & supina parte viridioribus, & prona lanugine obductis, per intervalla ad caulem (ad semuncialem aut uncialem distantiam) sparsis; è quorum alis emergunt *cauliculi*, qui in *capitula* parva conglobata, argentei coloris, squamata, cæteris hujus familiæ similia definunt. *Vid. icon. tab. æn.* 10.

22. Helichrysum *sive Chrysocome gnaphaloides Americana annua, capitulis conglobatis aureis, Nobis. Gnaphalio Americano affinis planta capitulis conglobatis, Schol. Bot. Par.* Hujus *caulis* calami scriptorii crassitie, teres, modice lanuginosus, cubitalis est; *Folia* biuncialia, à lato principio in acutum mucronem desinentia, plurima, superne viridia, inferne cum tantilla lanugine inalbicantia, dense stipata, *caulem* vestiunt, cujus suprema pars in *ramusculos* se dividit, qui *capitula* squamata flavescentia, parva, compacta, cum *floribus* vel mediis aureis, sustinent.

23. Helichrysum *sive Chrysocome repens foliis deciduis, flore externe albo, intus flavescente, Nobis. Gnaphalium latifolium Americanum, Clus. J. B. Ger. C. B. P. Argyrocome sive Gnaphalium Americanum, Park. Paradis.* E *radice* lignosa, serpentes de se propagines & fibras promittente, minimi digiti crassitudinem fere æquantes, ex lateribus novos singulis annis *caules* profert: qui primum emergentes, nihil nisi *tomentum* esse videntur, & adolescentes cubitalem altitudinem acquirunt, crassiusculi, multo candido *tomento* obsiti, medulla fungosa farcti, teretes: quibus inordinatim nascuntur *folia* duas aut tres uncias longa, semunciam lata, in acutum mucronem desinentia, supina parte virentia, inferius vero villosa & incana: *Corymbi* summis ramis insident, multi, conferti, *tomento* obsiti, quorum singulares *flores* globulares, ex argenteis retorridis squamis compactiles, quarum exteriores candidæ, at in medio luteæ sunt, quæ tandem *semine* brevi appenso, in *pappum* abeunt.

In Virginia, *aliisque* Americæ *septentrionalis partibus sponte nascitur. Apud nos in hortis alitur, & Julio & Augusto mensibus flores profert. V. icon. tab. æn.* 11.

24. Helichrysum *sive Chrysocome caulibus deciduis, latiore folio, Germanica, Nobis. Stœchas citrina Germanica latiore folio, J. B. Amaranthus luteus latifolius, Ger. Fuchs. Elichrysum sive Stœchas citrina latifolia, C. B. P. Virgas* habet dodrantales, aut etiam cubitales, cana lanugine vestitas, nunc singulares, nunc plures: per quas *folia* tomentosa incana, quæ terræ proxima à *radice* statim pullulant, ad uncialem fere latitudinem accedunt, & in *caulem* assurgentia angustiora sunt: extremitatibus *ramulorum* auri fulgore resplendent conglomerati squamulis compactiles corymbi, qui in *pappos* demum evanescunt. *Radix* longa fibrosa.

In Regionibus quæ Rheno *adjacent, potissimum vero quæ intra* Spiram & Wormatiam *sunt provenit in locis asperis sabulosis, siccis, & convallibus; Florens Junio & Julio mensibus, J. B.*

25. Chrysocome *aurea Æthiopica latifolia capitulis conglobatis, Nobis. Gnaphalium aureum Æthiopicum flore roseo pleno, D. Pluk. Alm.* 171. *Tab.* 298. 3. Nova hæc planta à *Cl. Plukenetio* in lucem edita, *caulem* emittit crassiusculum, *foliis* unciam circiter, longis, ad basim latis, quibus vaginæ instar idem amplexus est, ac alterno ordine adhærent: ex horum alis interdum pauci proveniunt *flores*, sed in summo caule, amplo corymbo, *capitula* quamplurima, parva, squamata, aureos flosculos exhibentia nascuntur.

26. Helichrysum *sive Chrysocome repens flore ignescente sive ex aureo rutilante, Nobis. Chrysocome Germanica flore ignescente, Breyn. Cent.* 1. *An Chrysocome vera Dioscoridis* Zanoni? E *nodulis radicis* repentis novos *stolones* circumquaque emittit, qui in novellas plantas pullulant: *folia* cæteris confimilia, lanuginosa sunt: *Corymbi* florum haud ampli, in longitudinem ex rotunditate, per maturitatem protracti, flammeo, vel ex aureo rubescente, vel cupri expolitissimi colore pulcherrime splendent. *V. icon. tab. æn.* 10.

Nascitur in Cassubiæ *sterilibus arenosis & apricis locis, præsertim sublimioribus. Julio & Augusto floret.*

27. Chrysocome *repens flore sanguineo, Breyn. Cent.* 1. Persimilis antecedenti *flosculis* exceptis, qui longiores, & squamulis sanguinei coloris imbricati sunt.

Ex Cassubiæ *montibus D.* Breynius *quoque recepit.*

28. Helichrysum *sive Chrysocome Syriaca candidissimis floribus, Breyn. Cent.* 1. Non ita obvia alibi quam in saxosis Libani montis, ubi à *Rawolfio* reperta; in cujus Herbario plantam exsiccatam & conservatam vidimus dodrantalem. *Folia* ejus incana iis *Chrysocomes Germanicæ* latiora sunt & breviora: *Flores* summis *caulibus* insident pauci, ex argenteis retorridis squamulis compactiles, *Gnaphalii montani* floribus rotundioribus candidis haud impares, sed grandiores.

29. Chrysocome *Æthiopica Plantaginis folio, Breyn. Cent.* 1. Hæc à *radice* nigra & fibrosa *caulem* fert lignosum

lignoſum firmum, pede aliquanto longiorem, ſæpe alios cauliculos producentem, vel minime, vel parumper, & quidem ſuperiore tantum medietate lanuginoſum, ubi pene nudus eſt, aut pauca ſaltem *foliola* habet. Inferior vero ejus medietas *foliis* compluribus condecoratur vireſcentibus & glabris, *folia Plantaginis quinquenerviæ* perbelle æmulantibus, ſed brevioribus, latioribus, longeque multo rigidioribus, per oras modice reflexis & criſpulis, ſupina parte eleganter ſplendentibus. In iſtis *nervi* quinque admodum inſignes ſecundum longitudinem, cum *venulis* ſatis validis per latitudinem vario flexu diſcurrentibus cernuntur. *Floſculi* caulium & ramulorum faſtigia occupant, in comam cohærentes, corymbatim diſpoſiti, è *ſquamulis* ex ſtramineo & ferrugineo colore mixtis compactiles; quorum apices medii præ maturitate in pappoſum *ſemen* exiguum abeunt, & aura leviſſima diſſipantur. *V. icon. tab. an.* 10.

30. Chryſocome *Mexicana flore albo, umbilico in medio rubente; Tzonpotonis. Quauhquecullenſibus, Helichryſum Mexicanum, Recchi.* Herba eſt *folia* fundens ſaligna, aut *Conyzæ* ſimilia ſquallentia & hirſuta; *flores Helichryſi* æmulos, ex albis palleſcentes, cum umbilico circa medium rubente; *radicem* ſurculoſam & fibratam. *Naſcitur in calidis* Quauhquecullæ.

31. Chryſocome *Africana flore phœniceo ſerratifolia, Breyn. Faſcic.* Perraræ hujus plantulæ *caules* candicant, infirmi utpote in debiliores & longiores ramos diviſi; *foliis* paucioribus, multoque brevioribus, latioribus, ſerratis, nervoſis, & incanis, *Euphraſiæ latifoliæ Italicæ, Fab. Col.* haud diſſimilibus ornati. *Flores* in denſiſſimum glomerulum congeſti, igneſcente *phœniceo* colore ſquamatim imbricati conſpiciuntur.

32. Chryſocome *humilis montana folio rotundiore, purpurea & alba, Nobis. Piloſella minor quibuſdam, aliis Gnaphalii genus, J. B. Gnaphalium montanum folio rotundiore, C. B. P. Gnaphalium montanum ſive Pes Cati, Park. Piloſella minor, Fuchſ. Dod. Thal.* Humilis hæc planta humi fundit *folia* circumcirca terræ fere appreſſa, uncialia, ad extremitates ſubrotunda, incana *lanugine* ab infima parte obſita. Inter ea ſurgunt *caules* palmares aut dodrantales, tomentoſi, *foliis* veſtiti anguſtis & acutis, in quorum cacumine glomerantur *flores* rotundi multi, è *ſquamulis* latioribus & brevioribus exſuccis contexti, ſatis ſpecioſi, nunc candidi, nunc magis minuſve purpuraſcentes, in medio apicibus multis donati; quibus ſuccreſcunt longi *pappi. Radices* fibroſæ, & è cauliculis depreſſis reptantibus novæ protruduntur *radiculæ* ut in *Piloſelli vulgari* fieri amat. *V. icon. tab. æn.* 11.

In planitiebus & montoſis variis in locis Angliæ v.g. *prope* Brackley *in Comitatu* Oxonienſi; *apud* Novum Mercatum, Bernacenſem, & *alibi*; *necnon in* Germannia, Gallia, *altiſque regionibus ſponte naſcitur.*

33. Chryſocome *humilis montana acutiore folio, Nobis. Gnaphalium montanum, Dal. Lugd. Gnaphalium montanum longiore folio & flore, C. B. P. An Gnaphalium Alpinum ſive pumilum Bocconi?* Antecedenti ſimilis eſt, niſi quod *folia* anguſta acutiora ſint.

In excelſiſſimis frigidiſque montibus Italiæ *invenitur. Planta D. Bocconi in monte* Cinione de Farnamo *prope* Mutinam *viget ut plurimum.*

Temperamentum & Vires.

Chryſocome tenuifolia Narbonenſis & Germanica *præcipue in uſum veniunt. Utraque extalefacit & ſiccat; aperit & abſtergit, quod utique amariuſculus indicat ſapor. Medetur tota planta omnibus cerebri morbis à frigido provenientibus, nempe pituitoſis fluxionibus, diuturnis doloribus, comitialibus, reſolutis, & id genus aliis.*

Comæ *ſeu* flores *è vino potæ, urinas cient & menſes; & ad grumos ſanguinis liquandos ac ſolvendos in ventre & veſica proſunt; lumbricoſque ventris expellunt; ſudores eliciunt; & obſtructiones hepatis, lienis, renum, & veſicæ diſcutere exiſtimantur. Adduntur* flores *in fomentis quæ ad uteri morbos frigidos & obſtructiones amovendas parantur. Brevi, Pulmonica eſt egregia; & ad jecur à glutinoſis ſuccis ac vaporibus craſſis intra tunicas diſcurſantibus, liberandum, inſignem vim habet.*

Chryſocome 32. Pes cati *dicta* Syrupum *exhibet qui proprietate ſingulari ad pulmonum exulcerationem & ſanguinis exſpuitionem ſanandas facere exiſtimatur.*

De Helichryſo.

Elichryſum foliis Abrotoni, C. B. P. Helichryſon quorundam foliis Abrotoni, J. B. Helichryſum, Matth. &c. *Cum* ſemina *non proferat* pappoſa *(quæ huic familiæ nota eſt eſſentialis) ſed longa; & ſolida; cumque diſpoſitionem foliorum, amaritudinemque Abſinthii obtineat, ad Capitulum ſextum Sectionis antecedentis reducendum judicavimus, &* Abſinthium tenuifolium corymbis compactis *appellavimus, ut in pag.* 8. *hujus noſtræ doctrinæ, iconeque tab. æn.* 11. *plant.* 2. *Sectionis ſeptimæ videre licet.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes.

CAPUT XIII.

Elichryſo affinis *ſive* Pſeudohelichryſum.

PLantæ hæ ſuccedentes in eundem cum Helichryſis *proprie dictis cenſum non veniunt. Quanquam enim in communi ſede* ſquamoſa ſemina *contineantur eaque* pappoſa; folia tamen tomento *minime obducuntur, & in plurimis* flores aureo *non gaudent colore. Quocirca illas ad affinium calcem placuit adjicere.*

TABULA XIII. SECT. VII.

Pſeudohelichryſum
- *fruteſcens elatius*
  1. *Africanum retuſis foliis viridibus, flore luteo nudo, Nobis. Conyza Africana Senecionis flore, retuſis foliis, Herman. H. L. Bat. App.*
  2. *Melitenſe retuſis foliis viridibus, flore luteo radiato, Nobis. Conyza Melitenſis retuſis foliis, Bocc.*
  3. *Peruvianum foliis longis ſerratis, Nobis. Elichryſo affinis Peruviana fruteſcens, H. L. Bat. App. Agerato affinis Peruviana fruteſcens, Par. Bat. Prod.*
  4. *Virginianum Halimi latioris foliis glaucis, Nobis. Senecio fruteſcens Virginianus Atriplicis foliis, Raii Hiſt. App.*
  5. *Sive Elichryſo affinis Africana foliis Salviæ, odore Roriſmarini, floribus purpuroviolaceis, Cat. Hort. Lugd. Bat.*
- *humilius*
  6. *Orientale foliolis ad genicula binis, flore pentapetaloide argenteo, apicibus aureis paleaceo, D. L. Plukenet.*
  7. *Orientale ramoſius foliolis caulium nodos radiatim ambientibus, coma paleacea flore albo lituris aureis ſtriato, D. L. Pl.*

1. Pſeudohelichryſum *fruteſcens Africanum retuſis foliis viridibus, flore luteo nudo, Nobis. Conyza Africana Senecionis flore retuſis foliis Hermanni, Hort. Lugd. Bat. App. Caulibus* plurimis bipedalibus, & viticulis duris fere lignoſis aſſurgit, *foliis* multis anguſtis viridibus, *Hyſſopi vulgaris* paribus, obtuſioribus vero, & in extremitate rotundioribus, inordinatim veſtitis; qui tamen in alios etiam cauliculos ſeſe dividunt, quorum ſupremi *corymbos floſculorum* ex bullis aureis nudis compoſitorum, glomeratim, ad modum aliorum hujus familiæ gerunt, qui in *pappos* ad maturitatem perducti deſinunt. *V. icon. tab. æn.* 10.

Hanc quæ Africanæ *oræ alumna eſt, cum aliis non minus raris, ex horto* Lugdunenſi *optime inſtructo, beneficio doctiſſimi peritiſſimique D. D.* Hermanni *Botanices Profeſſoris digniſſimi accepimus.*

2. Pſeudohelichryſum *Melitenſe retuſis foliis viridibus, flore luteo radiato, Nobis. Conyza Melitenſis retuſis foliis, Bocconi.* Cum proxime antecedenti hoc convenit, abludens tamen in *floribus*, qui in hoc petalis brevibus luteis radiati ſunt; planta quoque ad *hirſutiem* magis inclinat.

Sponte naſcitur inter difficultates & acclives aſcenſus ſaxorum & cautium Melitæ *inſulæ, ſub Patrum Capucinorum Cœnobio, ubi D. P.* Boccone *detexit.*

3. Pſeudohelichryſum *fruteſcens Peruvianum foliis longis ſerratis, Nobis. Elichryſo affinis Peruviana fruteſcens, Cat. Hort. Lugd. Bat. App. Agerato affinis Peruviana fruteſcens, Parad. Bat. Prod.* Arbuſcula hæc, quæ aliquibus *Quinquina* ſive *Arbor amara*, & *Febrifuga*, falſo & inepte nuncupatur, viticulis lignoſis, pallidis lentis, geniculatis, valde ramoſis, perpetua fronde virens, ad altitudinem ſex ſeptemve pedum exſurgit, *foliis* binis duas aut tres uncias longis, unam aut alteram latis, per margines crebrius ſerratis, tribus per longitudinem excurrentibus *nervis* inſcriptis, ex oppoſito naſcentibus. *Floribus* non in ſummitatibus in thyrſum congeſtis, ſed ad foliorum exortus, circa ramorum cacumina, corymboſis parvis pendulis, herbaceis, diſcoidibus, modo ſolitariis, modo tribus quatuorve ſimul junctis; *ſeminibus* exiguis, ut conjicere licet *pappoſis*; *ſapore* & *odore* nullo evidentibus donatur.

E Batavia *ipſi accepimus. Aliqui è* Virginia *ſe recepiſſe aſſerunt. D.* Hermannus *Plantam* Peruvianam *eſſe dicit.*

4. Pſeudohelichryſum *Virginianum fruteſcens Halimi latioris foliis glaucis, Nobis. Senecio fruteſcens Virginiana Atriplicis folio, Raii Hiſt. App.* E terra *Virginienſi* cum plantis de *Saſſafras* aliiſque receptis, ſurrexit hæc nova, quæ in fruticem quaſi adoleſcit, *ſcapo* pollicaris aut amplioris craſſitiei, *cortice* rugoſo albicante tecto; & ad altitudinem ſex ſeptem octove pedum attollitur. *Virgulæ* glabræ ad rubedinem tendunt, & ſine ordine *folia* pediculis brevibus appenſa *caules* conveſtiunt glauca ſeu plumbei coloris, unciam unam aut alteram lata, forma rhomboidea & quaſi quadrangularia, & à pediculo ad dimidium uſque marginibus planis atque extenſa parte denticulis rotundis & quaſi ſinuatis donantur; ſuperna parte *punctis* ſeu lituris argenteis conſperſa, quæ tacta ſcabritiem quandam produnt; Supremis caulibus anguſtiora, demumque integra ac plana conſpiciuntur folia. *Caules* in ſummitatibus in varios ramuſculos divaricati, *capitula* plurima exigua, *ſquamulis* imbricata, quaſi ſpicatim & corymbatim ſuſtinent; è quibus *floſculi* ſtaminuloſi, colore purpureo & luteo commixti protruduntur, & in autumno & in hyeme cum *pappo* avolant. Commode creſcit; perpetua fronde viret; & hyeme noſtra non exanimatur. *V. icon. tab. æn.* 10. & 17.

5. Pſeudohelichryſum *ſive helichryſo affinis Africana arboreſcens floribus purpuroviolaceis, foliis Salviæ, odore Roriſmarini, Hermanni, H. L. Bat.* Cui hujus inter alias notitiam debemus acceptam. *Conyza Africana arboreſcens ſalicis capreæ foliis odore Roriſmarini, Breyn. Prod.* 2. Figit *radicem* longam, obliquam, pallidam, in brachia divaricatam, ex qua *virgulta* aſſurgunt complura (nonnunquam unum) ſex ſeptemve pedes procera, lignoſa, ramoſa, candida, incano tomentoſo cortice veſtita. His adſtant *folia, Salviæ* quadantenus ſimilia, rigida, craſſa, perpetua, ſupra viridia, infra candida, inſcripta numeroſis obliquis *nervis* è coſta media in margines exporrectis, ſaporis acris, amari, aromatici, *odoris* fragrantiſſimi *Roriſmarini* & *Salviæ* odoribus mixtis. Ad ramorum cacumina pullulant multi *ramuli*, in quibus apparent parvi ſquamati tomentoſi *floſculi helichryſi vulgaris* effigie, *barbulis* tamen anguſtiſſimis purpuroviolaceis cingentibus orbiculum pallidum, fatiſcentem in tenuiſſima pappeſcentia *ſemina.*

Menſibus Martio & Aprili floret, in Hyemali; iiſdem menſibus perficitur quoque ad Promontorium Bonæ Spei. *Vegetat ramulis vel in terram defluxis, vel penitus reſectis, & feraci ſolo infixis.*

Virtutibus reſpondet Roriſmarino. *Oleum ex deſtillatione prolectum, utero obſtructo præſtantiſſimum eſſe deoppilativum, experientia edocuit.* Herman.

6. Pſeudohelichryſum *humilius Orientale foliolis ad genicula binis, flore pentapetaloide argenteo, apicibus aureis paleaceo, D. L. Plukenet.* Plantas has *Madraſpatanas* nobis novas, beneficio amiciſſimi ornatiſſimique *D. Gyfford* mercatoris inſigniſſimi habemus; quarum hæc prima è lignoſa *radicula* humi ſpargit *folia* anguſta, *Satureiæ* haud diſſimilia. Inter iſthæc *caulis* rigidus, geniculatus, erectus, teres erigitur, qui ſemi-

pedalem

pedalem altitudinem raro ſuperat. Porro ad hujus genicula foliola ex oppoſito naſcuntur confimilia; è quorum alis alii ramificantur *cauliculi*, qui in plurima *capitula* parva, ſquamoſa, argenteo & aureo colore commixta, corymbatim naſcentia definunt; inque horum ſingulorum medio *flos* albus pentapetaloides inſidet.

Hujus datur varietas capitulis omnino argenteis.

7. Pſeudohelichryſum *humillimum Orientale foliolis caulium nodos radiatim ambientibus, coma paleacea flore albo lituris aureis ſtriato, D. L. Pluk.* Hoc cum proxime antecedenti convenit; minus tamen, humilius ac ramoſius. Palmaris eſt planta, *foliolis* tenuibus plurimis e geniculis orientibus. *Cauliculi* varie ſe dividunt, copioſis *capitulis* paleaceis ac ſquamatis exiguis argenteofuſcis ad extremitatem ornati. Tota planta *Polygoni vulgaris Selinoidis Knawel* dicti vultum oſtendit, ſed lignoſior & rigidior eſt.

Hiſce fortaſſe haud improprie adjiciantur.
Gnaphalium *Æthiopic. minus ramoſum capitulis coccineis, D. Pluk. Alm. 171. Tab. 298.*
Gnaphalium *minus Æthiopic. amplioribus comis, cauliculo magis folioſo. D. Pluk. ibid.*
Gnaphalium *erectum minus Æthiop. floſculis umbellatis, D. Pluk. ibid.*
Gnaphalium *minus Æthiop. latiori folio vireſcente floribus ſanguineis conglomeratis. D. Browne D. Pluk. ib.*
Gnaphalium *tenuifolium Æthiop. foliis brevioribus capitulo cernuo, D. Pluk. ibid.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes.

CAPUT XIV.

Gnaphalium *ſeu* Cotonaria.

GNaphalium, γναφάλιον Dioſc. *lib. 3. c. 132. quod foliis ἀπὸ γναφάλου* pro tomento *utatur*; Cotonaria *vulgi.* γνάφειν *dicunt Græci vellere carpereve lanas aut pannum: unde* γναφάλιον, *quod Latini* Centunculum & Tomentarium *vocarunt*; & Plinius Chamæxylon (*aliique* Chamæzelon) *appoſite nominavit.*

Gnaphalium eſt planta humilis *pappeſcens* non *lacteſcens*, tota *tomento* obducta, *floſculis* vix conſpicuis, raro radiatis. Capitulorum ſquamis non retorridis, ſed mollitie tomentoſis; coloreque rarius flaveſcente, ab *Helichryſo* ante explicato præcipue differt.

TABULA XIV. SECT. VII.

Gnaphalium
- *perenne*
  - *ſpicatum*
    1. *Majus anguſto oblongo folio, C. B. P. Gnaphalium rectum, J. B. Centunculus, Turn. Gnaphalium Anglicum, Tab. Ger. Anglicum vulgare Majus, Park.*
    2. *Majus erectum non ramoſum Virginianum foliis obtuſioribus.*
    3. *Et ramoſum Orientale valde lanugineſum.*
  - *non ſpicatum*
    4. *Alpinum magno flore, folio oblongo, C. B. P. Leontopodium verum Matth. Gnaphalium Alpinum pulchrum, J. B.*
    5. *Alpinum magno flore, folio brevi, C. B. P. Leontopodium majus, Park. Gnaphalii Alpini pulchri aliud genus, J. B.*
    6. *Alpinum minus, C. B. P. Gnaphalio Alpino affinis planta, Leontopodium parvum, Lob. J. B.*
    7. *Braſilienſe majus album ſtaminulis purpuraſcentibus, Nobis. Gnaphalium Braſilienſe, Marcgrav.*
    8. *Creticum maritimum foliis ſuperioribus crenatis Polii, capitulis globoſis, Nobis. Polium gnaphaloides, Proſp. Alp. de Exot.*
    9. *Indicum monanthemon non folioſum, obtuſo folio ampliore.*
- *annuum*
  10. *Vulgare capitulis rotundis ad angulos floridum ſive Herba impia, Nobis. Gnaphalium vulgare majus, C. B. P. Germanicum, J. B. Vulgare ſive Herba impia, Park.*
  11. *Minus latioribus foliis, C. B. P. Tertium Plateau, Cluſ. Hiſt. Gnaphalium unico, cauliculo, J. B.*
  12. *Vulgare tenuifolium, J. B.*
  13. *Minimum erectum in arenoſis naſcens, Nobis. Gnaphalium minus repens, C. B. P. Minimum, Lob. J. B.*
  14. *Capitulis nigricantibus in humidis gaudens, Nobis. Gnaphalium medium, C. B. P. Gnaphalio vulgari ſimile, J. B.*
  15. *Latifolium erectum floſculis è foliorum alis prodeuntibus, Nobis. Gnaphalium impium ſive Filago dicta Cap. Bon. Spei, D. L. Pl.*
  16. *Umbellatum minimum, J. B. Gnaphalium roſeum, C. B. P. & Prod.*
  17. *Roſeum hortenſe, C. B. P. & Prod. Gnaphalium roſeum, Park.*
18. *Pleudognaphalium ſupinum echinato ſemine, Griſley Viridar. Loſit.*
19. *Pſeudognaphalium minimum calyculis echinatis Æthiopicum, D. Pluk. Alm. 171. Tab. 298.*

1. Gnaphalium *majus anguſto oblongo folio, C. B. P. Gnaphalium rectum, J. B. Gnaphalium Anglicum, Tab. Ger. Anglicum vulgare majus, Park. Filago Germanica alia ſecundum folia florida, Adv. Lob.* Huic *Gnaphalio caulis* rectus & rigidus, dodrantem altus, teres, cana *lanugine* pubeſcens. Eadem & foliorum qualitas eſt (magis tamen averſa parte quam adverſa,) quæ in *caule* crebra, ordine nullo naſcuntur, uncias duas aut quatuor circiter longa, vix culmum lata, ut plurimum carinata, *ſapore* præter ſiccitatem nullo evidente. Ex horum

autem alis ſecundum caulem ab ejus medio ad ſummum uſque *capitula* oblonga ſquamata, plura ſimul juncta, ex viridi nigricantia & nitida, in pusilla *ſtamina* ex herbaceis flaveſcentia dehiſcunt. *Radix* ſubeſt parva nigra multos annos durans. *V. icon. tab. æn.* 11.

In ſylvis opacis & frutetoſis, arenoſo ſolo, paſſim naſcitur, in Anglia, Gallia, Germania, *&c. Anguſto menſe florentem, & aliquando tardius, obſervavimus.*

2. Gnaphalium *ſpicatum majus non ramoſum erectum Virginianum foliis obtuſoribus.* Cum proxime Antecedenti convenit; *folia* vero rarius *cauli* appoſita, unciam unam aut alteram longa, ex anguſto principio latiora & obtuſa fiunt. *Flores* exigui è foliorum ſupremorum alis, arcte abſque pediculis *cauliculo* juncti protruduntur, *ſpicamque* conſtituunt.

3. Gnaphalium *ſpicatum & ramoſum Orientale valde lanuginoſum.* *Gnaphalium* hoc *Madraſpatanum folia* profert longa & anguſta, ex utroque latere *lanugine* albicantia, ſicut & *caulis* qui erectus, & à dimidio in varias *ſpiculas* pediculis uncialibus inſidentes, ſe dividit. Iſtæ vero *ſpicam* diviſam ex multis *capitulis* ſeu floſculis compoſitam conficiunt, quæ in *pappos* mutantur.

4. Gnaphalium *Alpinum magno flore, folio oblongo, C. B. P. Leontopodium verum, Matth. Gnaphalium Alpinum pulchrum, J. B. Leontopodium, Lugd. Tab. Dod.* Dodrantalis eſt plantula plerumque etiam minor, *foliis* quæ humi fuſa trium quatuorve unciarum longitudine donantur, interna parte hirſutis, exteriore vero omnino tomentoſis gaudens. *Cauliculi* ipſi, & ea quæ illos ambiunt *folia* multo ſunt *tomento* obſita. Summo autem faſtigio cauliculi ſuſtinent quina ſena, aut plura *foliola* latiora & expanſa, adeo tomentoſa ut nihil niſi tomentum appareat. Ex horum medio emergunt quaterna, quina, aut plura *capitella* palleſcentibus *floribus* ſatis amplis, cum *ſtaminulis* luteis conſtantia. *Radix* ſatis craſſa eſt, nigra, & fuſcis aliquot *fibris* capillata. *V. icon. tab. æn.* 13.

In monte Jura *circa* Genevam, *Alpibus* Germanicis, Sneberg, Durreſtein, *&c. invenitur.*

5. Gnaphalium *Alpinum magno flore, folio brevi, C. B. P. Gnaphalii Alpini pulchri aliud genus, J. B. Leontopodium majus, Park.* Proxime priori ſimile eſt, niſi quod *folia* breviora quæ è *radice* tenuiore mergunt; *floreſque* ſaturatioris coloris cum *ſtaminulis* nigricantibus profert. *V. icon. tab. æn.* 11.

In montoſis Italiæ & Germaniæ *locis naſci refert* Lobelius.

6. Gnaphalium *Alpinum minus, C. B. P. Gnaphalio Alpino affinis planta Leontopodium parvum, Lob. J. B. Leontopodium parvum, Ger. Minus, Park. Dioſcoridi* & Neotericis præcedens huic quoad effigiem habitumque totum convenit, utpote ſingulari dodrantali *cauliculo* & *folio Gnaphalii montani* denſa *lanugine* incano *floſculis* ſummo caule luteopallentibus *Gnaphalii montani* ſimilibus; exili ligneaque *radice* donata. *V. icon. tab. æn.* 13.

Lobelius *hoc primo edidit; de natali vero ſolo nihil dicit.* Jo. Bauh. *inter plantas ſiccas Fratris* Caſp. *ſe vidiſſe confirmat.*

7. Gnaphalium *Braſilienſe majus album ſtaminulis purpuraſcentibus, Nobis. Gnaphalium Braſilienſe, Marcg. folia* tres aut quatuor digitos longa ſunt, anguſta, viridia, ac copioſa *lanugine* alba ſeu tomento obſita. *Caules* ad trium pedum altitudinem aſſurgunt, *foliis* etiam tomentoſis veſtiti. *Capitula* in ſummitatibus caulium *ſquamis* oblongis inſignia, argentei coloris ſunt; quibus *floſculi* innaſcuntur copioſi, albidi, cum *ſtaminulis* purpuraſcentibus intermixtis. *Semen* è fuſco argenteum cum *pappo* fugax eſt.

8. Gnaphalium *Creticum maritimum foliis ſuperioribus crenatis Polii, capitulis globoſis, Nobis. Polium Gnaphaloides, Proſp. Alp. de exot.* Hoc *Chryſanthemo noſtro* 47. *pag.* 22. ſimile videtur, quod *Gnaphalium eſt maritimum, C. B. P.* Illud vero *ſemina* producit ſolida; hoc in *pappos* evaneſcere ſcribit *Proſp. Alpinus.* An *ſemen* ipſum *pappo* ſit appenſum, an vero ſolidum inter floccos lateat, quærendum eſt. Et quidem ſi poſterior nota ei competierit, *Chryſanthemo* ante dicto aſſociandum eſt. *V. icon. tab. æn.* 13.

9. Gnaphalium *Indicum monanthemon non folioſum obtuſo folio ampliore.* E *radice* fibris fuſcis capillata proveniunt *folia* humi ſparſa, biuncialia, ex anguſtia quaſi pediculis inſidentia, obtuſa, & fere ovalia, ſuperna parte magis parce, adverſa copioſa lanugine tecta. Ex horum centro erigitur *caulis* palmaris, tomentoſus, pene aphyllos, cum *foliolis* tautum paucis, tenuibus, vix conſpicuis, cauli adnatis. In ſummo *flos* unicus unguem humanum latus pallidus vel albeſcens pappoſus inſidet.

Plantam ſiccam ex India orientali *recepimus.*

10. Gnaphalium *annuum vulgare capitulis rotundis ſeſſilibus ad angulos floridum, Nobis. Gnaphalium vulgare majus C. B. P. Germanicum, J. B. Vulgare ſive Herba impia, Park. Centunculus, Turn. Tomentum, Cordi. Filago minor, Dod. Herba impia, Cæſ.* Mollis ac tomentoſa herba hæc eſt. *Cauliculos* promit tres aut plures, dodrantales, circa quos poſita *foliola* oblonga, anguſta, utrinque molli *lanugine* pubeſcentia, ipſum caulem pene occultant. *Capitula* globularia ex *floſculis* compoſita, in cauliculorum faſtigiis inſident; quorum poſterius nata longioribus & altioribus pediculis inſidentia priora ſuperant, angulоſque conſtituunt. *Floſculi* lutei pallentes in *pappos* abeunt. *V. icon. tab. æn.* 11.

In locis ſterilibus ſiccioribus circa ſcrobes, & neglectis agris paſſim provenit. A media æſtate in autumnum floret.

11. Gnaphalium *minus latioribus foliis, C. B. P. Tertium Plateau, Cluſ. Hiſt. Gnaphalium unico cauliculo, J. B.* Cum proxime antecedenti hoc convenit. *Flores* conſimiles cum *capitulis* globoſis in angulis ac ſummis caulibus naſcuntur. *Folia* vero pauciora, latiora, non adeo mucronata; neque planta ſtatim à *radice* in ramuſculos ſe dividit, ut in proxime priore fit, ſed frequentius unico ac ſimplici *cauliculo* contenta eſt. *V. icon. tab. æn.* 11.

12. Gnaphalium *Vulgare tenuifolium, J. B.* Planta hæc à *J. Bauh.* memorata, à vulgari 10. præſertim *tenuitate foliorum* dignoſcitur, quæ unciam longa, fili pene tenuitatem acquirunt.

In agris Germanicis *Collectum eſt. Forte idem D. Sam. Dale invenit, & D. Plukenetius Gnaphalium minimum alterum noſtras, Stœchadis citrinæ foliis tenuiſſimis nominavit.*

13. Gnaphalium *minimum erectum in arenoſis naſcens, Nobis. Gnaphalium minus repens, C. B. P.* (*perperam* repens) *Minimum, Lob. J. B.* Parvitate ac tenuitate ſui totius à *vulgari* diſtinguitur; & ſimplici tantum prædita *cauliculo* palmari, in ſterilibus & arenoſis frequenter invenitur. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

14. Gnaphalium *annuum ſerotinum capitulis nigricantibus in humidis gaudens, Nobis. Gnaphalium medium, C. B. P. Gnaphalio vulgari ſimilis, J. B. Gnaphalium Filago minor, Park.* In humidis præſertim, ubi per hyemem aquæ ſtagnarunt, ſatis frequens invenitur hoc tomentoſum, *foliis* uncialibus longitudinis, vix culmum latis, cauli adnatis. Ex horum alis ſecundum caulem alii ramificantur *cauliculi*, *flores* in ſummitatibus gerentes,

rentes, non in capitulis (ac prioribus) adeo globosis, minoribus tamen ad nigredinem vergentibus, & sero Autumno in *papposum semen* abeuntibus. *V. icon. tab. æn.* 11.

15. Gnaphalium *latifolium erectum floseulis è foliorum alis prodeuntibus, Nobis. Gnaphalium impium sive Filago dicta Capitis Bonæ Spei. D. L. Pluk.* Huic *caulis* surgit erectus, versus summitatem in unum aut alterum ramusculum divisus, *foliis* uncialibus, culmum præterpropter latis, ad uncialem distantiam per intervalla alternatim sitis ornatus. Horum autem alis *capitula* parva, rotunda, septem, octo, vel plura, *floseulos* continentia arcte adhærent.

16. Gnaphalium *umbellatum minimum, J. B Gnaphalium roseum, C. B. P. & Prod.* Plantula est exigua, tomentosa, incana, vix unciam superans; *radicula* simplici, capillacea, *cauliculoque* parvis, tomentosis, brevilatiusculis foliis consertis vestito donata. *Folia* suprema ampliora *floseulum* siccum flavescentem continent.

Monspelii *ad pedem montis* Cetii, & Massiliæ *in saxosis reperitur.*

17. Gnaphalium *roseum hortense, C. B. P. & Prod. Gnaphalium roseum, Park.* Ramuli triunciales, reclinati, *foliis* subrotundis incanis rarius cincti sunt, in quorum summitatibus *Rosæ* in modum expansi disci lutei, aurei in medio coloris, eleganti spectaculo insident. An præ cultura amplior proxime præcedenti hæc evaserit necne quidam dubitant. *V. icon. tab. æn.* 11.

18. Pseudognaphalium *supinum echinato semine, Grisley Viridar. Lusitan.* Plantula hæc *Gnaphalio nostro* 14. quoad modum crescendi fere similis, humilior vero est, densiori *tomento* obducta; & florum staminulosorum, seminumque papposorum loco *semina dura* & echinata in capitulis latentia inveniuntur; quare proprii *Gnaphalii* nomen non meretur; Ornatissimi *D. D. Sherard* munificentiæ hujus notitiam debemus acceptam.

19. Pseudognaphalium *minimum calyculis echinatis Æthiopicum, D. Pluk. Alm.* 171. *Tab.* 298. Parvula hæc planta uncialis & biuncialis è *radiculæ* summitate humi spargit *folia* oblonga, latiuscula, obtusa, *Gnaphalii rosei* ante explicati, similia. Ex horum centro *ramusculi* exeunt *foliolis* conformibus, minoribus tamen ornati, qui in *capitula* asperiuscula echinata terminantur.

De aliis Gnaphaliis dictis Annotatio.

Gnaphalium *maritimum, C. B. P. J. B. &c.* Flores *profert* luteos, & semina solida *succedentia; qua de causa, nulla habita* lanuginis *ratione ad* Chrysanthema *retulimus.* Et

Gnaphalium *latifolium Americanum, C. B. P. Clus. J. B. &c. Cum* capitula corymbatim *disposita prodat ampla, ex* squamis *retorridis composita,* flores aureos *continentia, ad* Helichrysa *Cap.* XII. *placuit adjicere.*

Gnaphalium *montanum flore rotundiore, C. B. P. sive Pes cati, Park. Ob floris amplitudinem siccitatemque, Helichrysis quoque associavimus.*

Quod spectat ad Gnaphalium *montanum affine Ægyptiaco, C. B. P. & Baccharem Rawolf. Lugd. App. Clus. Hist. Vide quæ de Coryscome quinta, pag.* 87. *supra diseruimus.*

Gnaphalii Vires & Usus.

Gnaphalium *resiccantem & nonnihil astringentem facultatem habet.* Herba impia *inter duos lapides trita fervet, & præcipue adversus anginas conducit, succo lacti & vino admisto.* Decoctum *ejusdem idem facit.*

Aqua destillata *ad cancrum præcipue mamillarum magni est usus, continet occultos cancros ne exulcerentur, cum linteolis semel in die imposita. Sunt qui* Asari foliis *hujus aqua madefactis, non infeliciter ad cancros reprimendos utuntur.*

Herba *contusa, inquit* Lobelius, *macerata & cocta, occiduæ* Angliæ *plebs, ad livores, concussiones, cæsa, & verbera utitur feliciter. Menses etiam supprimit.*

Anglice Cudweed *dicitur quod ruminantibus opitulatur, & rumen amissum revocat.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lactescentes.

CAPUT XV.

Cacalia.

CAcalia καικαλία, *aliis* Ασυνιὴ *herba, quam &* Dioscor. *l.* 4. *c.* 123. *&* Plinius *l.* 25. *c.* 11. folia ampla, semina que minuta *proferre scribunt. Sed nota essentialis qua ab aliis dignoscatur vix meminerunt.*

Nos quidem Plantam *papposam* non *lactescentem* intelligimus, odore haud insigni donatam, cujus *folia* lata, subrotunda, integra, *caule* alternatim apposita sunt, & cui *flores* plurimi pentapetaloides, cum *stylo* seu apice in medietate bifurcato, concolore, suppetunt.

TABULA XV. SECT. VII.

- *tomentosa*
  1. *Foliis crassis hirsutis, C. B. P. Cacalia folio incano* 1. *Clus. Pan. & Hist.*
  2. *C. B. P. & Prod.*
  3. *Maxima foliis subtus tomentosis, Schol. Bot. Par.*
  4. *Alpina foliis angulosis & acutioribus subtus tomentosis, Schol. Bot. Par.*
  5. *Alpina foliis araneosa lanugine obductis, Schol. Bot. Par.*

Cacalia ‹ *lævior* { 6. *Foliis cutaneis acutioribus & glabris, C. B. P. Cacalia ſecunda vel folio glabro, Cluſ. Hiſt.* 7. *Virginiana foliis ſinuatis delteoidibus ſubtus glaucis.* 8. *Pirenaica foliis Alliariæ, Schol. Bot. Pariſ.* 9. *Foliis rotundioribus ad caulem ſeſſilibus, Sherardi.* 10. *Mexicana foliis malvaceis ſinuoſis, Teripeti vel Tzipalitziti, Recchi. An Nardus montana Cretica, Park. App?*

1. Cacalia *foliis craſſis hirſutis, C. B. P. Cacalia quibuſdam, J. B. Folio incano* 1. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Folio rotundo incano, Park.* Multis prædita eſt *foliis* latis, *Tuſſilaginis vulgaris* pene ſimilibus, majoribus tamen, mediæque inter illius & alterius majoris (*Petaſitæ* vulgo creditæ) folia quodammodo magnitudinis, circinatæ fere rotunditatis, in ambitu ſerratis, ſuperne dilutius virentibus, inferne incanis; inque iis multæ apparent *venæ* ſive *nervi* guſtus ingrati, amariuſculi & calidi; innituntur autem purpuraſcentibus & ſtriatis pediculis. *Caulis* illi bicubitalis, interdum ſtriatus, purpuraſcens (non ſecus ac foliorum pediculi) cui per intervalla innaſcuntur alia *folia*, oblongis pediculis prædita, ſupra dictis minora, magis anguloſa, & in ambitu ſerrata. Supremus caulis extremique ramuli purpuraſcentium *capitulorum* congeriem corymbatim ferunt, in quibus terni plerumque *floſculi*, quaternis *foliolis* ſeu petalis, bifidoque *ſtylo* conſtantes, purpuraſcentis coloris odoriſque valde tenuis, non tamen ingrati, qui deinde in *pappum* ſeu lanuginem abeunt, (perinde fere ut *Eupatorii* aquatici flores) in qua oblongum ſemen latet. *Radix* in multa capita extuberat, frequentibuſque candidis & longis *fibris* donatur novos quotannis *caules* ad latera proferens. *Vid. icon. tab. an.* 12.

In omnibus Auſtriacis Stiriaciſque *jugis ad ſylvarum margines, inter frutices & in umbroſis locis obvia eſt.*

2. Cacalia *tomentoſa, C. B. P. & Prod.* Hujus *folia* ampliora, crenata, quoad figuram inſtar perſonatæ, nonnunquam ſinuata, ſuperne ex virore nigricantia, percurrentibus tamen *venis* incana lanugine albicantibus, inferne propter denſam & molliſſimam *lanuginem* qua pubeſcunt candidiſſimis.

In ſummo monte prope Vincentiam & *circa* Thermas Fabarias *naſcitur.*

3. Cacalia *maxima foliis ſubtus tomentoſis, Schol. Bot. Pariſ.* Non mediocre incrementum labore & induſtria *Pariſienſium* & præſertim D. D. *Tournefortii*, perluſtratis Alpium jugis, cepit hæc *Cacaliarum* familia. Hæc de qua jam ſermo eſt, *folia* profert congenerum foliis latiora, ſupra viridia, ſubtuſque denſiore *lanugine* obducta.

4. Cacalia *Alpina foliis anguloſis & acutioribus, ſubtus tomentoſis, Hort. Reg. Par. Folia* acutiora, & quaſi triangularia emittit, ſinuata, ſuperna parte ubi virorem miſſum fecerint, molliter lanuginoſa, inferna candidiſſimo *tomento* veſtita. *Floret* eodem modo quo & congeneres.

5. Cacalia *Alpina foliis araneoſa lanugine obductis, Schol. Bot. Par.* Præcipue differentia in *foliis* poſita obſervatur, quæ non adeo compreſſo nec complicato *tomento* ac in aliis; ſed laxata, concavataque lanugine, telarum *Aranearum* inſtar amiciuntur.

6. Cacalia *foliis cutaneis acutioribus & glabris, C. B. P. Cacalia glabro folio, Cluſ. Hiſt.* Memoratur etiam apud *Jo. Bauh.* Læviorem quam primæ *Cacaliæ*, quæ vulgatior eſt, tollit *caulem. Folia* ſimilia, ſed utrinque viridantia, nec ullo *tomento* obſita. *Flores* iidem, ſed dilutiore purpura nitentes. *V. icon. tab. an.* 12.

In ſylvoſis & montoſis, non ſolum Auſtriacis *ſed & circa* Genevam *in monte* Jura *ac* Saleva *reperitur.*

7. Cacalia *Virginiana glabra foliis delteoidibus ſinuatis ſubtus glaucis, Nobis. Nardus Americana procerior foliis cæſiis, D. L. Pluk.* Nova hæc planta è ſemine *Virginienſi* nata, *radicem* habet nodoſam, *fibris* tenacibus affixam; unde *folia* emergunt deltoidea, aut ad formam triangularem tendentia, palmum aut amplius lata, ſuperna parte viridia, inferna glauco aut cæſio colore, venis carnoſis eminentibus donata, marginibus profunde dentatis aut ſinuatis, pediculis longis inſidentia. *Caulis* rotundus, erectus, bicubitalis aut elatior, purpuraſcens aut ad rubedinem tendens, aſſurgit, minoribus *foliis* per intervalla ornatus. Summum faſtigium in aliquot breves ramulos nudos dividitur, quibus inſident plurima *capitella* oblonga, ſtriata, *calycum* vices præſtantia, & eorum quodlibet quinque *floſculos* longos tetrapetaloides, pallidos, ad purpureum colorem vergentes, cum ſtylo in medio concolore bifurcato continet. Is autem in *ſemen* haud parvum tumidum nigricans, *pappo* candido appenſum definit. *Radix* reſtibilis eſt. *V. icon. tab. an.* 15.

Vide icon. Tab. 23. *an. hujus Sectionis.*

8. Cacalia *Pyrenaica foliis Alliariæ, Schol. Bat. Par. Alliaria* omnibus in ſtudio Botanico mediocriter inſtructis bene nota, *folia* profert ab ima parte palmaria, ad rotunditatem inclinantia, in margine *denticulationibus* obtuſis donata, quibus hujus *Cacaliæ folia* proxima ſunt. Quoad cætera cum aliis hujus familiæ convenit.

9. Cacalia *foliis rotundioribus ad caulem ſeſſilibus. D. Sherard* hujus raræ Plantæ notitiam debemus acceptam. *Folia* profert ſubrotunda, ſed hac nota ab aliis cognitu facilis eſt, quod abſque *pediculis* (cum omnes aliæ præcedentes pediculis longis gaudeant) *cauli* adnaſcantur.

10. Cacalia *Mexicana foliis malvaceis ſinuoſis, Teripeti vel Tzipalitziti, Recchi* 412. An *Nardus montana Cretica, Park?* Flos aliarum *Cacaliarum* ſimilis, Carneus; & *folia* ad *malvacea* accedunt.

Annotatio.

Cacalia *Americana, Park. Valeriana Urticæ folio, flo. albo, Cornuti.* Vide *Eupatorium* XI. cap. ſequente.
Cacalia *Americana fruteſcens foliis Laureolæ, Breyn. Prod.* 2. Et
Cacalia *ſupina repens Majoranæ foliis, ejuſdem.* Quærendum eſt an veræ ſint Cacaliæ.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes.

CAPUT XVI.

Petaſites.

PEtaſites, πτασίτης Dioſc. *l.* 4. *c.* 108. *à forma foliorum, ut quæ πίλους ſive* galerum *ſua amplitudine referant.*

Petaſites eſt planta *pappeſcens* non *lacteſcens, folia* proferens latiſſima ſub deceſſu *florum* nudorum in thyrſo diſpoſitorum, qui cum ipſo *caule* brevi marceſcunt.

TABULA XVI. SECTIONIS VII.

Petaſites
- *major*
  1. *Vulgaris rubens rotundiore folio, J. B. C. B. P.*
  2. *Maritimus Boruſſiæ, Mentzelii.*
  3. *Albus anguloſo folio, J. B. An minor, C. B. P? Flore albo, Cluſ. Petaſites fœmina ſive Leucanthemos, Cam.*
- *minor*
  4. *Alter Tuſſilaginis folio, Hort. Reg. Bleſ. & Pariſ.*

5. *Pſeudopetaſites Africanus Calthæ paluſtris folio, ſemine Bliti. Nobis. Petaſites Africanus Calthæ paluſtris folio, H. Lugd. Bat.*

1. Petaſites *major vulgaris rubens rotundiore folio, J. B. Petaſites major & vulgaris, C. B. P. Petaſites, Trag. Dod. Tab. Ger. Cluſ. &c.* Petaſites vulgaris *radicem* habet craſſam duram, *fibris* annexam, è cujus lateribus multæ aliæ *radices* craſſæ, carnoſæ, geniculatæ, ſub terra repunt, eamque propinquam novis ſuis ſtolonibus occupant. *Caulis* menſe Februario aſſurgit dodrantalis, craſſus, cavus, *foliolis* quaſi vaginis anguſtis veſtitus, & *flores* in ſummo multos ſimul congeſtos, ſubcarnei coloris, in thyrſum coactos gerit. Totus hic caulis cum floribus, qui in *pappos* faceſſunt, non ultra menſis unius ſpatium durat, & mox marceſcit; & mox *folia* emergunt rotunda, à marginibus crenata, ſubtus aliquantulum albicantia. Iſta pedalem aut bipedalem latitudinem acquirunt, & proprio ſuo cauli pediculove, pollicaris craſſitiei, pedali aut bipedali quodlibet illorum inſidet.

Ad fluviorum ripas; ad hydromolas, in humidis & ſtagnorum marginibus, læto ſolo, in pleriſque Regionibus ſatis frequenter naſcitur, & præ repenti facultate latitudineque foliorum noxius reperitur.

2. Petaſites *maximus maritimus Boruſſiæ, Mentzelii.* Plantam hanc *D. Chriſtian. Mentzelius* circa littora paludum maritimarum *Boruſſiæ floribus* trium ulnarum, albis, *foliis* oblongis, incanis præditam obſervavit, & in *Pugillo ſuo rariorum Plantarum* edidit. Et quidem ſi deſcriptio accurate (utcunque brevis ſit) ab eo inſtituatur, planta hæc in rariſſimarum cenſum venerit.

3. Petaſites *major albus anguloſo folio, J. B. An Petaſites minor C. B. P? Flore albo, Cluſ. Petaſites fœmina ſive leucanthemos, Cam. Radices* reptantes, craſſæ, ſupra terram ad rubedinem vergentes, frequenter apparent. *Caules* pro more *vulgaris petaſitidis* primo vere emittit altiores, *foliolis* etiam anguſtis amictos, & in racemo magis ſparſo pediculis donato, *flores* albos, ſtaminuloſos, profert. *Folia* ad rotunditatem tendentia, ſerraturis prædita, angulos conſtituunt, ſubtus *lanugine* quadam obducta, & pedalem aut latitudinem aut altitudinem raro ſuperant.

4. Petaſites *minor alter Tuſſilaginis folio.* Planta hæc rara nondum aut imperfecte deſcripta, in *Catalogo Bleſenſi, Pariſienſi, & Lugd. Bat.* nominata, *radicibus* non adeo ac in aliis, reptatricibus donatur. *Flores* ante folia reſurgunt, qui cauli dodrantali adnati, pauciores, ſubfuſci, aut ferruginei coloris apparent. *Folia* palmaris aut amplioris latitudinis, mucronata, quaſi triangularia, & *auriculis* in baſi prædita, ſuperna parte pene viridia, inferna, molli *lanugine* tuſſilaginea, candida obducta, *cauliculi* ſemipedales aut dodrantales, è *radice* ſinguli naſcentes ſuſtinent. *V. icon. tab. an.* 10. *Sect.* 7.

5. Pſeudopetaſites *Africanus Calthæ paluſtris folio, ſemine Bliti, Nobis. Petaſites Africanus Calthæ paluſtris folio, Hort. L. Bat. Petaſitidis folio Bliti fructu, Raii Hiſt. App. Blitum Africanum Calthæ paluſtris folio, D. L. Pl.* Nova hæc planta *Africana* locorum humidiorum *Capitis Bonæ Spei* alumna, *folia* profert rotunda, palmaria, à marginibus dentata, *Calthæ paluſtris* (admodum notæ) ſimillima. *Flores* in *caulem* cubitalem, & *ſpicam* oblongam, racematim naſcentes gerit; & hucuſque Petaſitidibus non incongrua; ſed *ſemina* non pappoſa, qualia ſunt genuinis ſed ſolida, rotunda, glabra, aciculæ capitis magnitudine prædita, *Bliti*, aut *Amaranthi* paria, ſuggerit.

Temperamentum & Vires

Petaſitidis radix *caleſacit & ſiccat; partium eſt tenuium; amari ſaporis; attenuat; aperit; ſudorifica eſt & alexipharmaca, in peſte, in hypothymia uterina; morbis pectoris à mucilagine tartarea oriundis, ex gr. Tuſſe Aſthmate, &c. uſurpatur.*

Subſtitui poteſt Coſto, *ut quæ viribus eidem æquipollere comperiatur.* Schrod.

Peſtilen

Peſtilentialis radix *dicitur, propterea quod experientia comprobatum ſit* radicem *hanc mirifice conferre peſtilentialibus febribus averruncandis, quod ſudorem vehementer moveat, ſi in pulverem redacta in vino (ut decet) ſumatur. Nec minori efficacia bibitur à mulieribus quas uteri tormina & præfocationes exercent.*

Facit contra latos ventris vermes, qui ſemina Cucurbitarum referunt, vino decocta & pota. Succurrit iis qui ſpiritus difficultate laborant; Urinam & menſes ciet.

Radix *ſiccata in pulverem redacta, efficax eſt ad quævis fluentia & præhumida vulnera ſananda.*

Oleum *ex hac* radice *confectum, ſi illo inungantur febrificantes, ante acceſſionem febris, apprime conducit. Idem & contra cutis fœditates facit, & confortationi nervorum & membrorum unice prodeſt.*

Non deſunt qui ejuſmodi radice *utuntur adverſus vermes, qui equis moleſtiam & creant, & alios equorum tam interiores quam exteriores morbos.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes.

CAPUT XVII.

Eupatorium.

EUpatorium Ευπατώριον Dioſc. *l.* 4. *c.* 41. ἡπατόριον Oribaſio *in collect.* & ἡπατίης, *id eſt*, Hepatica, *quod hepati medeatur. Apud* Plinium *lib.* 25. *c.* 6. Eupatorium *regiam auctoritatem habet. Sunt qui velint nomen ab inventore* Mithridate *cognomento* Eupatore *habere.* Græci *quidam* Agrimoniam *pro* Eupatorio *recipiunt.* Meſues Ageratum Eupatorii *loco conſtituit.* Avicenna *hoc de eo de quo jam primo agimus intelligit.*

Eupatorium eſt planta *pappeſcens* non *lacteſcens*, fragrantis odoris, *foliis* (ut plurimum) è regione *cauli* adnatis, *capitulis* plurimis corymbatim denſe diſpoſitis, quolibet ex perianthio ſquamato, quinos vel ſenos *floſculos* quinquepartitos, tenues, cum comoſis *ſtaminulis* continente compoſito.

TABULA XVII. SECT. VII.

Eupatorium

purpuraſcente

1. *Cannabum vulgare foliis trifidis profunde dentatis, Nobis. Eupatorium cannabinum, C. B. P. Mas, Ger.* ☉.
2. *Latifolium Enulæ folio, caule vireſcente, Schol. Bot. Par.* ☉.
3. *Novæ Angliæ Urticæ folio, maculato caule, H. L. Bat. App.* ☉.
4. *Elatius anguſtioribus foliis rugoſis integris, & caulibus ferrugineis, Nobis. Eupatorium Enulæ folio Cornuti.* ☉.
5. *Virginianum longiſſimis & anguſtiſſimis foliis, Nobis. An Eupatorium Amer. Enulæ ſolio minus, Br. Prod.* 2? ☉.
6. *Virginianum mucronatis rugoſis & longiſſimis foliis perfoliatum.* ☉.
7. *Virginianum foliis mollibus Althææ vulg. ad inſtar, Nobis. An Meliſſæ foliis magis acuminatis, D. L. Pl.*? ☉.
8. *Mexicanum flore extrinſecus ex pallido candente, intrinſecus rubeſcente, Catanaca, Recchi,* ☉.
9. *Mexicanum foliis longis glutinoſis & dentatis, Cavapatli Yacapithtlenſi, Conyza Mexicana, Recchi.* ☉.
10. *Ericoides Capitis Bonæ Spei, Breyn. Cent.* 1. ☉.

foliis ex adverſo poſitis, flore.

albo

11. *Glabris Scrophulariæ foliis, Nobis. Valeriana Urticæ folio, flore albo, Cornut. Catalia Amer. Park.* ☉.
12. *Braſilienſe hirſutum Urticæ facie, flore ex albo & cæruleo mixto, Camarajapo, Marcgrav.* ☉.
13. *Virginianum foliis Menthæ anguſtioribus ſeſſilibus, minutim dentatis.* ☉.
14. *Americanum Nepetæ folio anguſtiore ſubaſpero, floribus longioribus, Breyn. Prod.* ☉.
15. *Americanum Nepetæ folio latiore, floribus brevioribus, Breyn. Prod.* 2. ☉.
16. *Americanum Ocymi foliis ſubrotundis profunde dentatis, Tzocuipatli, Recchi pag.* 149.
17. *Amer. Lamii folio acutiore, flore albo, Yxtac cocoxtlacotli, Recchi,* 450.
18. *Valerianoides Teucrii foliis cum pediculis Americanum, D. L. Plukenet.* ☉.
19. *Valerianoides Triſſaginis foliis abſque pediculis Virginianum, D. L. Pluk.* ☉.
20. *Americanum Betonicæ folio, Tournefortii.* ☉.
21. *Mexicanum foliis tribus auriculatis ad ſingulum geniculum ſitis, Coapatlis* 3. *Recchi.* ☉.
22. *Mexican. foliis tribus non auriculatis, Coapatlis* 4. *Recchi* ☉.
23. *Hirſutum Hyſſopi foliorum æmulum Virginianum, D. L. Pl.* ☉.
24. *Humile Africanum Senecionis facie, foliis Lamii, D. L. Pl. Senecio Africanus Lamii folio, Acad. Reg. Par.* ♃.

Verbaſci

Eupatorium
- foliis alternatim positis Conyzoides
  - 25. *Verbasci folio montanum, vulgatius Baccharis dictum, Nobis. Conyza major vulgaris, C. B. P. Baccharis Monspelienſium, Lob. Ger.* ♃.
  - 26. *Verbasci folio fruticans, ſive Baccharis Americana ſuaveolens, D. L. Pl.* ☉.
  - 27. *Foliis integris latioribus dentatis glabris Indiæ Orientalis, Nobis. Eupatorium Conyzoides integro Jacobææ folio, D. L. Pl.* ☉.
  - 28. *Germanicum vulnerarium foliis crenatis, flore luteo, Nobis. Conyzis affinis herba vulneraria, J. B.* ☉.
  - 29. *Americanum foliis dentatis ad pediculos breves auriculatis, Nob. An Eupatoria Conyzoides maxima Canadenſis, foliis caulem amplexantibus, D. L. Pl.?* ☉.
  - 30. *Mexicanum foliis longis & anguſtis minime ſerratis, flore coccineo, Tepeyautli ſeu Yautli montana, Recchi.* ☉.
- 31. *Eupatorio affinis planta Zeylanica foliis Ulmi, Breyn. Cent.* 1. ☉.

Eupatoria floribus purpuraſcentibus.

1. Eupatorium *cannabinum vulgare foliis trifidis profunde dentatis, Nobis. Eupatorium cannabinum, C. B. P. Park. Adulterinum, J. B. Eupatorium Avicennæ creditum, Cam. Lac. Lon. Cannabina aquatica mas, Adv. Lob.* E *radice* oblique acta, & ſtolonibus repente, aromaticum odorem ſpirante, aſſurgunt *caules* bicubitales, hirſuti, teretes, ſubrubentes. *Foliis* hi conveſtiuntur oblongis, villoſis, per marginem dentatis, quæ triplicem aut quadruplicem à pediculo brevi obtinent ordinem, & pro *Cannabino* ingenio de geniculis è regione dependent. Summi caules in ramulos; hi rurſus in alios minores corymbatim diviſi ſunt, & plurimos *floſculos* ſubpurpuraſcentes, comoſos, in *umbellulis* gerunt, qui in brevem pappum, *ſemine* minuto appenſo, dehiſcunt.

Aquoſa & vicina aquis loca amat; circa rivulorum & ſtagnantium aquarum margines, aliiſque uliginoſis locis naſcitur. Julio & Auguſto menſibus floret. V. icon. tab. æn. 13.

2. Eupatorium *latifolium Enulæ folio, caule vireſcente, Schol. Bot. Par. Folia* profert viridia quatuor aut circiter uncias longa, binas aut ternas lata, integra, in ambitu dentata, quæ *cauli* erecto, tereti, viridi ex oppoſito per intervalla adnaſcuntur. *Flores* purpuraſcentes ſtaminuloſi, ſupremis cauliculis & pediculis ramoſis inſidet. *Ex* America *delatum eſt.*

3. Eupatorium *Novæ Angliæ Urticæ folio, floribus purpuraſcentibus, maculato caule, Hort. Lugd. Bat. App. Caules* ſeſquicubitum raro excedunt, pallide virentes, puniceis lineolis inſcripti. *Folia urticæ* ſimilia profunde ſunt dentata. *Flores* purpurei è capitulis parvis ſquamoſis comoſi erumpunt.

In horto optime inſtructo Leydenſi, *è ſeminibus ex* Nova Anglia *allatis, enatum eſt. V. icon. tab. æn.* 18.

Forte *Quaxoxoubqui Recchi pag.* 406. huc non abſurde revocetur.

4. Eupatorium *Canadenſe elatius longioribus foliis rugoſis, integris, & caulibus ferrugineis, Nobis. Eupatorium Enulæ folio, Cornuti. Radix* dura cohærentibus *fibris* implexa eſt, unde *caules* oriuntur tricubitales glabri, rubeſcentes, (cinereo tamen colore ſuffuſi,) rotundi, inanes intus, per intervalla *geniculis* interſecti. *Folia* palmari longitudine ſunt, latitudine biunciali aut triunciali, dentata, mucronata, *Salviæ* in modum ſcabra, integra, fuſce virentia, nunc bina, nunc terna, & frequenter quaterna. In cacumine mille *floſculi* comantes, *Eupatorii noſtratis* ſimiles, licet paullo ſaturatius purpuraſcentes, proveniunt. Hos excipiunt *ſemina* pappoſa, quæ cum villoſa ſua cæſarie à vento decutiuntur. *V. icon. tab. æn.* 13.

5. Eupatorium *Virginianum longiſſimis & anguſtiſſimis foliis, Nobis. An Eupatorium Enulæ folio minus, Breyn. Prod.* 2? E ſemine Virginienſi ortum eſt. *Caulis* ejus humanam altitudinem ſuperat, frequentioribus ac pluribus *foliis* anguſtioribus, longioribus, ac ſaligineis veſtitus; quibus præcipue à congeneribus dignoſcitur. Eodem modo floret quo & reliqua ſuæ ſortis, ſed ſerius.

6. Eupatorium *Virginianum mucronatis rugoſis & longiſſimis foliis perfoliatum, Nobis. Eupatorium Virginianum Salviæ foliis longiſſimis acuminatis perfoliatum, D. L. Pl. Tab.* 87. In horto *Chelſeiano* adſervatur rara hæc planta, è *Virginia* delata. *Caules* villoſi, teretes, ad duorum cubitorum aſſurgunt altitudinem, eoſque *folia* circumſtant viridia, rugoſa, leviter crenata, in medio, ſeu ad *caulem*, duas uncias lata, & abinde tres aut quatuor ex utroque latere longa, in acutum mucronem definentia. Hæc ſigillatim & binatim non dividuntur, prout in congeneribus fit; ſed idem folium alterutrinque marginibus continuum eſt, illudque caulis penetrat (uti in *Dipſaco* videre licet) cavitatemque ad *caulem* aquam continentem conſtituit; cujus duæ terminationes acutæ ante & retro ſpectant, proximæ dextram & ſiniſtram indigitant. *Flores* comantes vulgaris noſtratis ſimillimi ſunt, concoloreſque, & in *floccos* definunt. Per luxuriam (quemadmodum in aliis hujus generis videre licet) *foliis tribus ad ſingula genicula ſitis* variat.

7. Eupatorium *Virginianum foliis mollibus Althææ vulgaris ad inſtar mucronatis, Nobis. An Eupatorium Meliſſæ foliis magis acuminatis, D. L. Pl. Tab.* 87? Hujus ampliſſima *folia*, malvacea mollitie donata, pyramidalem fere formam acquirunt digitum longa, unciam unam aut alteram à baſi lata, marginibus profunde dentata, pediculis uncialibus *cauli* pedali, aut ſeſquipedali è regione adnata. Alia etiam *folia* cernuntur anguſtiora, præſertim quæ ex *alis* foliorum proveniunt. Summi cauliculorum ramuli *floribus Eupatorii* onuſti ſunt. *Vid. icon. tab. æn.* 15.

8. Eupatorium *Mexicanum flore intrinſecus rubeſcente, extrinſecus ex pallido candente, Cacanaca ab incolis dicta, Recchi. pag.* 184. *Caules* profert multos, rotundos, & prolixos, & in eis *folia* oblonga, ſerrata, ac veluti ſpinoſa per ambitum; licet, cum primum à caulibus oriuntur, præcincta ſint à quibuſdam alis utrimque exortis, quæ novam quandam foliorum repræſentant figuram. *Flores* habet in ſummo capillaceos, intrinſecus rubeſcentes, extrinſecus vero candentes ex colore pallido, & tandem abeuntes in *pappos*.

Naſcitur frigidis, humidiſque, aut temperatis plagis, quale eſt Tezcocum *juxta montes.*

9. Eupatorium *Mexicanum foliis longis glutinoſis & dentatis, Civapatli yacapichtlenſi ab incolis dictum, Conyza Mexicana, Recchi.* 157. *Salviæ* ſimilia, nempe rugoſa, profert *folia*, adeo glutinoſa, ut tacta manibus protinus adhæreſcant. *Flores* habet in ſummis caulibus comantes, purpuraſcentes, & in *corymborum* formam compoſitos; *radicemque* fibratam.

10. Eupatorium *ericoides Capitis Bonæ Spei, Breyn. Cent.* 1. Suffrutex eſt lignoſus, frequentiſſimis *ramis*

tortuoſis & duris divaricatus, ad figuram *Ericæ Myricæ folio* incanæ (floribus & ſemine exceptis) tam prope accedens, ut non ovum ovo ſimilius; quoniam non *rami* tantum, ſed etiam *foliola* eorum, (quibus denſiſſime *Ericæ vulgaris* in modum penitus conteguntur) *tomento* adhærente albicantia ſunt & incana. *Floſculi* vero in ramulorum apicibus in muſcaria parva conglomerati, *Eupatorii* conſpiciuntur perſimiles, ſed minores multo, & ſubtilioribus *ſquamulis* purpuraſcentibus imbricati. Ex horum medio purpureus prominet *tubulus* inſidens *ſemini* pappoſo, quod maturum nigreſcit, nec quicquam ab *Eupatorii vulgaris ſeminibus* diverſum eſt. *V. icon. tab. æn. 15.*

Eupatoria floribus albis.

11. Eupatorium *Scrophulariæ foliis glabris, flore albo, Nobis. Valeriana Urticæ foliis, flore albo, Cornuti. Cacalia Americana, Park.* Huic plantæ *radix* dura non alte deſcendit, ſed in ſummo terræ leviter hæret, eique ſubjiciuntur *fibræ*, ſaporis & odoris grati. Pluribus *ſurculis* aſſurgit rotundis, cavis, geniculatis, glabris, longitudine plus cubitali, qui & in plures alios dividuntur. *Folia* ex adverſo bina ſemper à *radice* ad ſummum uſque caulis faſtigium naſcuntur, referuntque *Scrophulariæ vulgaris* folia viridia. *Caulis* apex in muſcariam comam ſpargitur, *floribus* ornatam parvis, inodoris, ex uno calyce pluribus, albis, (qua quidem nota à *Valeriana* dignoſcitur quæ ſingulares flores in ſingularibus pediculis profert, uti poſtea videbimus.) Poſt exantheſin *ſemina* exigua, oblonga, tenui *pappo* hærentia, in auras abeunt. *Floret Septembri menſe. V. icon. tab. æn. 18.*

12. Eupatorium *Braſilienſe hirſutum Urticæ facie, flore ex albo & cæruleo mixto, Camarajago, Mentha corymbifera, Marcgrav.* In pedalem aut bipedalem altitudinem aſſurgit, *caule* tereti rufeſcenti, lenibus pilis hirſuto. *Folia* hirſuta, inferius quaſi incana, acuminata, lata, in ambitu ſerrata, figura foliorum *Urticæ minoris* donantur, bina oppoſita. In ſuperioribus ramulis multi prodeunt pediculi, qui *corymbum* conſtituentes conſtant ex multis meris ſtaminulis, lacteſcentis & dilute cœrulei coloris, & in pappos abeuntibus.

13. Eupatorium *Virginianum flore albo, foliis Menthæ anguſtioribus ſeſſilibus, minutim dentatis.* Caulibus hoc donatur tenuibus, rotundis, glabris; quibus ad biuncialem intercapedinem ex adverſo apponuntur *folia* ſeſſilia duos pollices longa, mucronata, *Menthæ* æmula, marginibus leviter *dentata*. *Caulis* ſummitas dividitur in corymbum, cujus pediculi multis capitellis, & in iis *floſculis* albis tenuibus ornantur.

Hoc à D. J. Baniſter *è* Virginia *ipſi accepimus.*

14. Eupatorium *Americanum Nepetæ folio anguſtiore ſubaſpero, floribus longioribus albis, Breyn. Prod.* 2. *Caulis* huic hirſutie ſubaſpera amictus, recte aſcendit. *Folia* inferiora ex anguſto principio (medietate in ſemuncialem latitudinem expanſa) biuncialem aut ampliorem acquirunt longitudinem, *villis* aſperiuſculis donata, vultumque *Nepetæ* anguſtioris ſeu mediæ obtinentia. Folia in caule aſſurgentia anguſtiora fiunt, ſuntque dentata. Caulis cacumini capitulorum plurimorum (aliis longiorum) *floſculos* candidos & tenues continentium, mox in pappos dehiſcentium bene magna inſidet copia.

E Virginia *delatum eſt.*

15. Eupatorium *Americanum flore albo breviore, Nepetæ foliis latioribus, Breyn. Prod.* 2. Priori accedit, & *foliorum* latitudine ab ipſo facile dignoſcitur.

16. Eupatorium *Americanum Ocymi foliis ſubrotundis profunde dentatis, Tzocuipatli Recchi, p.* 149. Herba eſt quatuor dodrantes longa, *folia* ferens *Ocymi* ſimilia, parva, crenata, ac nonnihil ſpinoſa, & *caules* radici fibratæ inſidentes; *flores* vero abeuntes in *pappos*, ſummis quibuſque caulibus ſenos ſeptenoſve appendentes.

Naſcitur in editis & calentibus locis Papalotiſpaci. *Odora eſt & calefaciens.*

17. Eupatorium *Americanum Lamii folio acutiore, flore albo, Ytzac-cocoſtlacotli Recchi p.* 450. *Folium* longum eſt quatuor, latum unum & dimidium digitos; *flores* albi, forte papoſi; *capitula* videntur *Helichryſi* ſimilia.

18. Eupatorium *Valerianoides flore niveo, Teucrii foliis cum pediculis Americanum, D. L. Pl. Tab.* 88. Folia, ut ante dictum, præſertim has plantas diſtinguunt, quæ quidem omnia ex adverſo cauli innaſcuntur. Hujus folia *Teucrii vulgaris foliis* cum pediculis ſemuncialibus adnexis ſimilia ſunt. *Floret* ad eundem modum quo & congenera.

19. Eupatorium *Valerianoides Triſſaginis folio abſque pediculis Virginiano, D. L. Pluk. Tab.* 88. *An Cacalia foliis rotundioribus ad caulem ſeſſilibus, Baniſt. Cat. Mſs?* Hujus *folia* unguis humani, aut amplioris latitudinis, ſubrotunda ſunt, in margine denticulationibus rotundioribus donata, *Veronicæ* rotundifoliæ ſcutellatæ 15. *D. Moriſon* quæ *Alyſſum Dioſc.* à *Columna* nominatur foliis ſimillima, ſed pediculis deſtituta, lata quadam baſi caulem quaſi amplectentia. *Flores* pro congenerum ingenio in *capitulis* exiguis copioſos profert.

20. Eupatorium *Americanum flore albo, Betonicæ folio.* Vix datur Plantarum familia, quæ ſimilitudine florum magis gaudeat quam Eupatoriorum; idcirco foliorum forma præcipue diſcriminantur. Hæc quam *D. Tournefortio Pariſienſi* debemus, *folia* longa profert & acuta, *denticulationibus* non (ut in aliis) acutis, ſed *Betonicæ* in modum rotundioribus inciſa.

21. Eupatorium *Mexicanum flore albo, foliis tribus auriculatis ad quodlibet geniculum ſitis, Coapatlis* 3. *Recchi. p.* 29. Herba eſt quæ *radice* craſſa, pulli coloris, conſtat. Inde tres *caules* oriuntur, ternis *foliis* (folii latitudo unius, longitudo trium digitorum eſt) ad ſummum uſque veſtiti, inſtar *Lyſimachiæ luteæ*. In ſummo *flos* albus totus pappoſus, lineis tamen quibuſdam luteis exiſtentibus, emicat.

22. Eupatorium *Mexicanum flore albo foliis tribus non auriculatis, Coapatlis* 4. *Recchi. p.* 36. *Folia* habet oblonga, aſpera, & firma, quorum tria ſemper *caulem* ambiunt, per intervalla; *caules* læves, teretes, & purpureos, ac ſex ſpithamas longos; *flores* in ſummis caulibus albos, piloſos, & orbiculares. *Radix* fibrata eſt.

23. Eupatorium *Virginianum flore albo Hyſſopi foliorum æmulum. Caulibus* aſſurgit plurimis teretibus gracilibus, cubitalibus, quos *folia* longa & anguſta, *Hyſſopi vulgaris foliis* ſimillima, ut plurimum è regione ad uncialem diſtantiam nata, atque ex eorum alis alia frequenter minora, conveſtiunt. Caulis ſummitas in varios ramuſculos & pediculos divaricatur, *flores* candidos, comoſos, & mox *ſemen* pappoſum ſuffulcientes.

In horto Chelſeiano *primo obſervatum eſt.*

24. Eupatorium *humile Africanum annuum flore albo, Senecionis facie, foliis Lamii. D. Pl. Tab.* 88. *Senecio Africanus Lamii folio, Acad. Reg. Par.* Planta hæc rara annua, pedalis aut circiter, ex eadem *radice* ſtatim in cauliculos

cauliculos hirſutos ſe diſpergit, quibus pauca & per longa intervalla dantur genicula, binis foliis *Lamii vulgaris rubri* æmulis, pediculis uncialibus infidentibus, in ambitu crenatis. Supremi cauliculi *capitula* ex *ſquamis* tenuibus compacta, corymbatim gerunt (non ex calyce integro, ut in *Senecione* videre licet.) Ex his *floſculi* albi reliquis hujus familiæ ſuppares erumpentes cernuntur, qui in pappum brevem dehiſcunt, & quibus quotannis renovatur planta.

A celeberrimo Botanico D. P. Tournefortio *ipſi accepimus.*

Eupatoria foliis alternatim poſitis.

25. Eupatorium *montanum Verbaſci folio vulgatius Baccharis dictum, Nobis. Conyza major vulgaris, C. B. P. Conyza major Matthioli, Baccharis quibuſdam, J. B. Conyza Helenitis, Cordi. Baccharis Monſpelienſium, Geſn. Adv. Lob. Ger.* Ex *radicibus* multis, ſparſis, non alte depactis, lignoſis, fragilibus, odoratis, amaris & acribus, ſurgunt ad cubitos duos alti *caules* ſtriati, atropurpurei, incana *lanugine* hirſuti, ſolidi, rigidi, *foliis* ſingularibus non admodum crebris veſtiti, ſupra medium in multos ramos & rectos diviſi. Folia *Verbaſci nigri* aut *Digitalis vulgaris* minora, molli *lanugine* pubeſcentia, leviter crenata, odorata, ſapore acri & amaro. *Flores* in ſummis caulibus in ramulis conferti, graviter olentes, lutei, nudi, pappoſi, è plurimis *floſculis* exiguis, denſe ſtipatis, cum ſtylo in unoquoque exſtante bicorni, componuntur, è calycibus ſquarroſis mollibus, è viridi luteoque verſicoloribus, *ſquamis* exterius purpuraſcentibus. *Semina* ſunt exigua, oblonga, fuſca, *pappo* adnaſcente alata; quibus matureſcentibus, *radix* perit.

Sponte naſcitur in pleriſque cæduis montanis ſylvis; ſuper muros, ſecus vias, & in ejuſmodi locis ſaxoſis. Menſibus Septembri & Octobri floret, & ſerius ſub Autumnum ſemen perficit. Vid. icon. tab. æn. 19.

26. Eupatorium *conyzoides Verbaſci folio, ſive Baccharis Americana ſuaveolens, D. L. Pl. Tab.* 87. *Euodexylon (i. e.) Sweet-wood Barbadienſibus dictum.* Ad altitudinem pedalem aut bipedalem aſſurgit *caulis* durus, rotundus, *foliis* pediculis brevibus infidentibus, oblongis, *Verbaſci* minoribus, molli *lanugine* (præſertim ex adverſo) pubeſcentibus veſtitus. *Caulis* ſummitas variis petiolis divaricatur; & plurima capitula rotunda, nuda, proxime antecedentis ſimilia, breviora tamen, in corymbum aguntur, mox ſemine pappoſo gravida avolatura.

Planta iſthæc inſulæ Barbadienſis *alumna eſt, unde & recepimus.*

27. Eupatorium *foliis integris latioribus, dentatis, glabris, Indiæ Orientalis, Nobis. Eupatoria conyzoides integro Jacobææ folio glabro & duriuſculo, Indiæ Orientalis, D. L. Pl. Tab.* 87. Forte *Jaceæ & Serratulæ affinis, Breyn.* Ad *caulem* lignoſum, ſtriatum, alternatim apponuntur *folia* integra, ſubrotunda, unciam unam aut alteram lata, binas aut tres longa, mollia, in ambitu levidenſibus *denticulationibus* ſerrata, arcte & abſque pediculis eundem amplectentia. Ex horum alis alii protruduntur *cauliculi*, & ii rurſus in minores abeunt, qui *capitula* parva, globoſa, plurima, in pappum faceſſentia ſuſtentant.

Ex India *Orientali à D.* Gyfford *accepimus. Huic altera varietas quæ* foliis *donatur* mollibus & incanis *plurimum accedit.*

His fortaſſe *Conyza Syriæ Rawolf. Hiſt. Lugd. App. J. B. Conyza major altera, C. B. P.* adjungi poſſit; ut & *Serratula Noveboracenſis folio leviter crenato molli ſubincano, Par. Bat. Prod.* & *Serratula Indica major latifolia mollis, Breyn. Prod.* 2. Planta vero penes nos non eſt. Si ſit apetalos, ad hæc *Eupatoria conyzoidea*; ſed ſi *flos radiatus* ſit, ad *Conyzas* aptiſſime retuleris.

28. Eupatorium *Germanicum vulnerarium foliis crenatis, flore luteo, Nobis. Conyzis affinis herba vulneraria, ſive Solidago Saracenica tertia Trago, hirſuta, J. B. Caulis* teres villoſus *folia* rotundis pinnis prædita oſtendit, eaque nullis nixa pediculis, acuminata, unciam aut palmum longa, latitudine unciali, aut ſemuncia anguſtiora, non multum à foliis *Conyzæ veræ majoris* abludentia, nonnihil hirſuta. Summum caulis faſtigium in plures abit pediculos, quorum ſinguli *florem* gerunt aureum, in pappos degenerantem, *calyce* imbricato.

Supra Spiram Germaniæ *urbem celebrem collectum eſt. V. icon. tab. æn.* 19.

29. Eupatorium *Zeylanicum foliis dentatis, ad pediculos breves auriculatis, Nobis. An Eupatoria Conyzoides maxima Canadenſis foliis caulem amplexantibus, D. L. Pl. icon. Tab.* 87? Hæc prioribus procerior eſt planta, & *caulibus* rotundis, ſolidis, gracilibus aſſurgit. *Folia* alternatim ſita, oblonga, pollicem lata, mucronata, ſuperne vireſcentia, inferne molli albedine conſperſa, & dentata profert, pediculis brevibus inſidentia; & ad pediculum brevem folium in *auriculas* deſinit. Supremi caules *floribus* plurimis minimis, candidis, ſtaminuloſis ornantur.

Hoc à D. D. Hermanno, *nomine* Jacobææ Senecionis flore Zeylanicæ odoratæ, Pupulæ Zeylonenſibus dictæ *indito accepimus.*

30. Eupatorium *Mexicanum foliis longis & anguſtis, minime ſerratis, flore coccineo, Tepeyauhtli, ſeu Yautli montana Recchi, p.* 167. Herba eſt *folia* ferens ſaligna, ſed tamen minime ſerrata, ac longa. *Caules* tres cubitos altos habet; *flores* coccineos, & calyculorum forma oblongos; *radices* vero multas fibrataſque. Guſtu acri eſt & odorato.

Calidarum ac frigidarum regionum alumnum eſt, convalliumque ac montium intola, & Septembri menſe floret.

31. Eupatorio *affinis planta Zeylanica foliis Ulmi, Breyn. Cent.* 1. Altius *Africano* (nempe *ericoide*) pene ſicut vulgare *Herba S. Kunigundis* à *Trago* dictum, *caulibus* rotundis, ſtriatis, in viridi aliquantulum purpuraſcentibus, ſapore (in reſiccatis) ſalſo, fruticat. Caules *folia Ulmi vulgaris* æmula, ſed minora, verſus pediculum faſtigiata, ac ſenſim latiora, rotundioraque evadentia, parvis intervenientibus pediculis alternatim ambiunt. Caulium faſtigia in *ſurculos* aliquot dividuntur, atque hi rurſus plures in petiolos, quibus incompoſiti *flores umbellam* mentiuntur, *Eupatorii Ericoidis floribus* ſimiles, ſed pallidi ſeu ſtraminei coloris, atque ex compluribus ſtaminulis conflati. Sequuntur *ſemina* minuſcula, *Stœchadis citrinæ Herbariorum* ſimilia; inter quæ in meditullio *calyculi* crebris *ſquamulis* compactiles, præterea velut ſpadiceus exiguus & durus *fructus*, ſeu vaſculum ſeminale coniforme excreſcit, ſuperius ſæpe reflexum, intus inane & ſplendidum, quantum obſervare licuit. *Breyn.*

De aliis Eupatoriis dictis Annotatio.

Eupatorium *eſt Planta* pappeſcens non lacteſcens, *ergo magis appoſite* Eupatorium cannabinum fœmina, *Ger.* Aquaticum, *Park. ſive* Cannabina aquatica folio tripartito diviſo, *C. B. P.* Verbeſina *ſive* Cannabina aquatica,

aquatica, *J. B.* Hepatorium aquatile *Dod. propter ſeminum ſoliditatem ad Chryſanthemas reducta à nobis ſunt.*

Quin & Eupatorium Cannabinum fœminam folio non diviſo, *Lob.* Cannabinam aquaticam folio non diviſo 3. *C. B. P. præ floribus ſuis aureis, & ſeminibus pappo deſtitutis, ad eandem familiam adjecimus, ut in pag.* 17. & 18. *videre eſt.*

Eupatorium Meſuæ, *Trag. Geſn. Matth. Lon. Cum ſemina habeat ſolida, inter Corymbiferas pag.* 2. *col. locavimus.*

Eupatorium Græcorum, *Lob.* Veterum *ſive* Agrimonia, *eſt planta quæ flores pentapetalos, & ſeminum involucra hiſpida profert; & in volum. prior. Sect.* 5. *pag.* 614. *tractatur.*

Eupatorii Vires & Uſus.

Eupatorium *calefacit & ſiccat; ſaporis eſt amariuſculi; attenuat, & aperit; hepatica eſt, & vulneraria. Uſus præcipue in cachexia, catarrhis, & tuſſi, & menſibus retentis.*

Extrinſecus è nobiliſſimis eſt vulnerariis; & intrinſecus menſes ciet balneatione, &c.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes.

CAPUT XVIII.

Valeriana, Nardus, & Pſeudovaleriana.

VAleriana, *ſic dicta (ut videtur,) quia à* Valeriano *Imp. propter multas quibus pollet facultates, adamata; & eadem de cauſa à* Valentiniano *etiam quibuſdam denominata videtur.* Dioſcor. *l.* 1. *c.* 10. φῦ ἡ ῥάδιξ ἀχεία, *eo quod radices cum quadam odoris gravitate* Nardum *æmulentur; imo & vires ſunt* Nardi *ſimiles,* Galeno & Ægineta *auctoribus. Officinis & Herbariis* Valeriana; *& ob inſignes virtutes* Theriacaria *etiam dicitur.*

Valeriana eſt planta *pappeſcens non lacteſcens,* grati odoris, cujus *folia* ex adverſo *cauli* concavo adnaſcuntur; & *flores* tubuloſos pentapetaloides producit, quorum ſinguli ſingulis petiolis *umbellæ* fere in modum protruduntur.

TABULA XVIII. SECT. VII.

Valeriana

- *foliis laciniatis*
  - *perennis*
    1. *Hortenſis, Phu foliis Oluſatri, C. B. P. Phu magnum, Lugd. Valeriana major odorata radice, J. B.*
    2. *Major ſylveſtris, C. B. P. Valeriana vulgaris, Trag. Valeriana ſylveſtris magna aquatica, J. B. Hujus datur varietas, v. g. Paluſtris major profunde laciniata, C. B. P. & Prod. Sylveſtris major altera folio lucido, Cat. Pariſ.*
    3. *Major montana, C. B. P. Major ſylveſtris foliis anguſtioribus, Moriſoni.*
    4. *Radice Oenanthes, Nobis. Valeriana tuberoſa, J. B.*
    5. *Paluſtris minor, C. B. P. Minor pratenſis vel aquatica, J. B.*
    6. *Paluſtris minor procerior floſculis minoribus, Nobis. Sylveſtris ſive paluſtris minor altera, Raii.*
  - *annua*
    7. *Foliis Calcitrapæ, C. B. P. Valeriana annua altera ſive æſtiva, Cluſ. Hiſt.*
    8. *Latifolia ad Valerianam foliis Calcitrapæ accedens.*
- *foliis integris ſeu minus diviſis*
  9. *Maxima foliis Alliariæ, Nobis. Valeriana Cacaliæ foliis, D. Fagon. An Valeriana montana ſubrotundo folio, C. B. P. Montana, Dal. Hiſt. Lugd?*
  10. *Sylveſtris Alpina prima latifolia, Cluſ. Hiſt. Alpina, J. B. Alpina latifolia, Ger.*
  11. *Alpina Scrophulariæ folio, C. B. P. & Prod. Valeriana ſaxatilis folio Trachelii, Mentzelii.*
  12. *Alpina minor, C. B. P. & Prod.*
  13. *Urticæ folio Canadenſis, flore violaceo, Cornuti.*
  14. *Alpina Nardo Celticæ ſimilis, C. B. P. Sylveſtris Alpina* 2. *ſaxatilis, Cluſ. Hiſt.*
  15. *Marina latifolia major rubra & alba, Nobis. Valeriana rubra, C. B. P. Dod. Rubra latifolia, J. B.*
  16. *Marina anguſtifolia rubra & alba, Moriſon. J. B.*
  17. *Marina anguſtiſſimo Linariæ folio, Nobis. Valeriana rubra anguſtifolia, C. B. P. & Prod.*
  18. *Alpina foliis integris, radice repente inodora, Raii.*
  19. *Tuberoſa rotunda, Nobis. Valeriana bulboſa, J. B.*
- *radice craſſa & carnoſa*
  20. *Montana radice olivari, C. B. P. Nardus montana, Matth. Lugd. Tab. Montana tuberoſa, Park.*
  21. *Montana radice oblonga, C. B. P. Nardus montana longius radicata, Cam.*

22. *Celtica*

- *Nardus dicta*
  - *radice longa & lignosa*
    22. *Celtica Dioscoridis, C. B. P. Nardus Alpina seu Celtica, Clus. Hist. Nardus Celtica, J. B.*
    23. *Celtica altera, C. B. P. Spica Celtica, Tab. Nardus Celtica repens, Ger.*
    24. *Ex Apulia, C. B. P. Saliunca Neapolitana, Lugd. J. B.*
    25. *Celticæ similis inodora, C. B. P. & Prod.*
    26. *Nardo Celticæ similis Hirculus, J. B. C. B. P.*
- *Pseudovaleriana annua*
  - *cornucopioides*
    27. *Purpurea semine longo solido, Nobis. Valeriana peregrina seu Indica, J. B. Valeriana Mexicana, Ger.*
    28. *Echinata alba, Col. Echinata, C. B. P. Magnol.*
  - *semine coronato*
    29. *Major Lusitanica, Nobis. Semine stellato, C. B. P. Valerianella altera semine Scabiosæ stellatæ, Col.*
    30. *Minor arvensis, Moris. Prælud. Bot.*
  - *semine umbilicato*
    31. *Nudo oblongo, Nobis. Valerianella altera umbilicato & lævi semine, Col.*
    32. *Nudo rotundo.*
    33. *Hirsuto ad extremum umbilicato, Moris. Prælud. Bot.*
    34. *Hirsuto minore rotundo, Moris. Prælud. Bot.*
    35. *Hirsuto pyramidali, Nobis. Valerianella semine umbilicato hirsuto, Moris.*
  36. *Arvensis præcox humilis semine compresso rotundo, Nobis. Lactuca agnina, Ger. Park. Olus album, Dod. Valeriana campestris inodora major, C. B. P.*
  37. *Serotina procerior semine turgidiore, Nobis.*
  38. *Chalepensis vesicaria.*
  39. *Curassavica semine aspero viscoso, Parad. Bat. Prod.*

1. Valeriana *hortensis, Phu foliis Olusatri Dioscor. C. B. P. Valeriana major odorata radice, J. B. Phu magnum, Matth. Lugd. Valeriana optima, Cæs. Carpesium, Cast.* A quibusdam *Amantilla, Valentiniana,* & *Theriacaria* appellatur. E *radice* alba, digitalis crassitudinis, oblique partim supra terram eminente, fibris multis subjectis, (quibus terram adprehendit) *odoris* suavis & aromatici, oriuntur *folia* lævia, viridia, integra, duas aut tres uncias longa & obtusa, pediculis longis & latiusculis insidentia. *Caulis* glaber concavus, teres, ad altitudinem duorum cubitorum assurgit, per intervalla rarius geniculatus; cujus articulis apponuntur bina *folia* longa, in tenues lacinias alata, è regione sita. *Caulis* summum multis *floribus albis*, aut ex carneo colore albescentibus, tubulosis, in margine quinquepartitis, cum staminulis in medio, corymbatim ornatur; quibus *semina* oblonga, striata, & acuta, *lanugine* papposa candida appensa, succedunt. *V. icon. tab. æn.* 14.

In hortis satis frequenter colitur, & Aprili & Maio mensibus floret, &, ut in plerisque aliis papposis, semen cito matureſcere observatur.

2. Valeriana *sylvestris major, C. B. P. Valeriana sylvestris, Dod. Adv. Lob. Cam. Eyst. Sylvestris magna aquatica, J. B. Phu Germanicum, Fuchsii. Phu majus commune, Gesn.* *Radix* ex pluribus composita est *fibris* albis gustu aromatico, reptatu subinde sese propagantibus. *Caules* ad humanam altitudinem exsurgunt, recti, fistulosi, longis internodiis intercepti, striati, modice hirsuti, quorum genicula amplexantur basi sua *folia Valerianæ sativæ* magis pinnata (pinnulis ad margines dentatis) saturatius virentia, nonnihil aversa parte hirsuta. *Flores* quasi in umbella *Sativæ* similes, ex albis purpurascentes, singuli è longo tubo in quinque segmenta, totidem petala imitantia, aperiuntur; pediculis autem carent, & in ipsa ramorum divaricatione sedent. Singuli quoque *seminibus* insident singulis, nudis, lata basi, acuto mucrone, umbella lanuginosa radiati, cujus beneficio à vento discutiuntur. *V. icon. tab. æn.* 14.

In humidis locis & prope aquas, in pratorum fossis, & in sylvis ac dumetis non raro invenitur; & per totam fere æstatem floret.

Hujus varietas observatur, quæ quidem in terra lætiore luxuriat: Hinc forsan *Valeriana palustris major profunde laciniata, C. B. P. & Prod.* Et *Valeriana sylvestris major altera folio lucido, Cat. Hort. Paris.*

3. Valeriana *sylvestris major montana, C. B. P. Major sylvestris foliis angustioribus, Morisoni.* Hæc cum proxime antecedenti convenit; planta vero minor & humilior est, *foliis* etiam tenuioribus, & locis montosis arenosis siccioribus sponte provenit.

4. Valeriana *tuberosa oblonga, seu Oenanthes radice, Nobis. Valeriana tuberosa, J. B. Imperati. Nardus Cretica Filipendulæ radice, C. B. P. Nardus Cretica Belli, Prosp. Alp.* Folia producit omnia alata, effigie simillima *Valerianæ minoris* foliis, sed crassiora; *flores* albos instar majoris, aliquantulum odoratos. *Radices* plurimis tuberculis simul junctis odorem referunt *Nardi.*

5. Valeriana *palustris minor, C. B. P. Minor pratensis vel aquatica, J. B. Minima, Dod. Phu parvum, Gesn.* Huic *radices* tenues, obliquæ, repentes, albicantes, & tenuibus *fibris* capillatæ, odoris exigui; è quibus oriuntur *folia* prima, ovalia, (cujusmodi sunt & *hortensis Valerianæ*) integra, & indivisa, unguem humanum lata; sed quæ cauli dodrantali adnascuntur, in lacinias profundas dissecta sunt. *Flores* in summitatibus aliarum similes, subcarnei, aut ex carneo albescentis coloris, in pappum resoluti avolant.

In locis paludosis ac herbidis, sylvosis, ac pratis humidioribus frequens reperitur. Et mense Maio floret. V. icon. tab. æn. 14.

6. Valeriana *palustris minor elatior flosculis minoribus, Nobis. Valeriana sylvestris sive palustris minor altera, Raii.* Proxime priori similis est hæc, & locis quibus oritur, & *foliis* satis respondet. *Caulis* tenuis erectus frequenter altior assurgit, & *flores* in corymbum densius compacti, carnei, minimi sunt; quibus præcipue dignoscitur.

7. Valeriana *annua foliis Calcitrapæ, C. B. P. Valeriana annua sive æstiva, Clus. Hist.* Hæc statim à *radice* multa *folia* promit humi diffusa, viridia, instar foliorum *Calcitrapæ* seu *Cardui stellati*, laciniata. Inter ista hæc prodeunt aliquot *caules* rotundi, cavi, ramosi, cubitum alti, virentes; eosque ad singulos nodos utrinque ex adverso amplectuntur *folia* inferioribus minora, laciniata, & *Valerianæ sylvestris vulgatioris* foliorum æmula. Summis ramis extimoque caule sustinentur tanquam umbellæ *florum* monopetalorum, quinquefariam

in margine ſectorum, coloris rubri dilutioris, ad carneum tendentis; *ſeminaque* congenerum ſimilia pappeſcentia ſuccedunt, *radixque* perit.

Floret æſtate; & ſubinde in Autumnum uſque, floribus & ſemine onuſta, in hortis conſpicitur. Vid. icon. tab. æn. 14.

8. Valeriana *annua latifolia, ad Valerianam foliis Calcitrapæ accedens.* Hæc per omnia proxime antecedenti ſimilis eſt, *foliis* (præſertim inferioribus) tantum exceptis, quæ in hac fere rotunda, unciam unam aut alteram lata, in ambitu dentata, & integra ſunt; *alis* tamen aliquot in iis quæ ex adverſo caulem conveſtiunt exiſtentibus. *In hortis alitur.*

9. Valeriana *maxima Alliariæ foliis, Nobis. Cacaliæ foliis, D. Fagon. An Valeriana montana ſubrotundo folio, C. B. P. Montana, Hiſt. Lugd?* *Radice* nititur dura, & fibroſa, perenni, *Valerianæ* ſimili, aromatici odoris; unde oriuntur *folia* fere palmaria, ſubrotunda, in mucronem tendentia, viridia, in margine dentata, tota hyeme virentia; eorumque prima interdum *auricula* una aut altera donantur. *Caulis* ex rotundo ſtriatus, inanis intus, ad altitudinem trium pedum aſſurgit, longis internodiis interſectus, ad cujus genicula ex adverſo enaſcuntur *folia* lata, prioribus conformia, integra, & pediculis ſex uncias longis inſidentia. *Caulis* extremitas in *corymbum* denſum ex plurimis petiolis conflatum deſinit & exinde *flores* carnei tubuloſi, *Valerianarum* aliarum ſimiles emicant. Hos excipiunt *ſemina* turgidiuſcula, pappoſa, quæ præ cæſarie ſua villoſa à vento diſcutiuntur.

A Pariſiis *è montibus acquiſitam accepimus ope* D.D. Sherard. *Menſibus æſtivalibus floret; & ſemen perficit.*

10. Valeriana *ſylveſtris Alpina prima latifolia, Cluſ. Hiſt. Alpina altera, C. B. P. Alpina, J. B. Alpina latifolia, Ger.* Aſſurgit palmari aut dodrantali *caulículo*, interdum etiam pedali, tereti, viridi; quem ambiunt *folia* oblonga, in binas aut ternas *crenas* profundiores nonnunquam diviſa; alia vero majora ex *radice* prodeunt, ad *Hederæ Trachelíive* formam accedentia, minora tamen & teneriora, amari guſtus. *Flores* in ſummo caule quaſi umbellatim naſcuntur, ut in aliis *Valerianæ* generibus, puſilli, albi; quibus ſuccedit exiguum *ſemen*, forma alioqui aliarum *ſylveſtrium Valerianarum* ſimile. *Radice* ſerpit modoſa, albicante, odorata, & cum aliqua adſtrictione amariuſcula, ex qua aliquot capillares *fibræ* dependent.

In Auſtriæ & Stiriæ *Alpibus*; *in monte* Saleva *prope* Genevam; *& aliis montoſis & ſylvoſis ac ſaxoſis, omnibus menſibus æſtivalibus florens, reperitur. V. icon. tab. æn.* 14.

11. Valeriana *Alpina Scrophulariæ folio, C. B. P. & Prod. Valeriana ſaxatilis Trachelii folio, Mentz.* *Radice* nititur nigricante, aliquantulum toroſa nodoſave, *caule* uno (aliquando pluribus) cubitali aut ſeſquicubitali, cavo, ſtriato, viridi inde conſurgente, *foliis* ſenis, ſeptenis, longis pediculis inſidentibus, quorum quædam ſubrotunda, quædam leviter ſinuata, veſtito; at quæ caulem cingunt, pauca ſunt, *Scrophulariæ* foliorum æmula, uncias tres longa, ſeſcunciam vel unciam lata, acuminata, leviter crenata, bina ſemper juncta. Caulis ſummitas in longas tenues *alas* brachiatur, quibus *flores* pallide rubentes *Valerianæ ſylveſtris* ſimiles inſident.

In monte Waſſerfall, *aliiſque* Germaniæ *collibus invenitur. Vid. icon. tab. æn.* 15.

12. Valeriana *Alpina minor, C. B. P. & Prod. An minor annua, Park?* Planta palmo minor, *foliis* ad radicem (primis quidem parvis) ſubrotundis, ſubſequentibus ſeſcuncialibus, *Scabioſæ parvæ* inſtar, in lacinias acutas diviſis. Inter hæc autem *caulículus* unciarum ſex exſurgit, binis terniſve *foliis*, in ternas vel quaternas *lacinias* anguſtas diviſis, cinctus. In ſummo quaſi *umbella floſculos* purpuraſcentes ſuſtinens conſpicitur.

In montibus Pyrenæis *collecta eſt.*

Cl. Pluknetius alteram proponit quam *Valerianam Alpinam minimam* nominavit, & plantam ut plurimum uncialem & biuncialem eſſe ex horto *Patavino* collectam, aſſerit. An humilitas ſolo nativo debeatur necne, quærendum.

13. Valeriana *Urticæ folio Canadenſis, flore violaceo, Cornuti.* Hujus *folia* ex adverſo pediculis uncialibus *cauli* erecto adnata, non ut in aliis alata, ſed integra, & profunde ſunt dentata & mucronata, folia *Urticæ* æmulantia. *Flores* in ſummitate in corymbum naſcuntur, cavi, monopetali, eleganti violaceo colore, cum apice longo è medio eminente. *Vid. icon. tab. æn.* 18.

14. Valeriana *Alpina Nardo Celticæ ſimilis, C. B. P. Sylveſtris Alpina ſaxatilis ſecunda, Cluſ. Hiſt. Valeriana Alpina minor, Park. Alpina anguſtifolia, Ger. An Valeriana minima Nardifolia, J. B?* Huic bina aut terna exeunt *folia Bellidis montanæ* foliorum pene æmula, è quorum medio *caulis* aſſurgit pedalis, gracilis, rara habens folia inter ſe oppoſita, anguſtiora, & minora. Supremus caulis in ramulos finditur, qui *floſculos* ſuſtinent albos reliquarum *Valerianarum ſylveſtrium* ſimiles; *ſemen* quod ſequitur à congenerum ſemine non abludit.

Provenit inter ſaxa ad flumen Myrtz, *quod monaſterium* Neubergh *aluit, aliiſque montoſis. V. icon. tab. æn.* 14.

15. Valeriana *marina latifolia major rubra & alba, Nobis. Valeriana rubra, C. B. P. Dod. Rubra latifolia, J. B. Ocimaſtrum Valerianthos, Adv. Lob. Pbu peregrinum, Cam. Ep. Limonium Monſpelienſium, Geſn. Hort.* Digitali circiter *radice* nititur, lignoſa fere, alba, ſapore & odore *Valerianæ* prædita; è qua *folia* longa, ſpiſſa, omnino integra, ex viridi in cæſium colorem tendentia, emergunt. *Caules* ſurgunt cubitum & ſeſquicubitum alti, teretes, læves, fiſtuloſi, ad quorum ſingula genicula *folia* bina adverſa, ex lata baſi, caulem amplectentia, in acumen deſinentia, laciniis quibuſdam ſubinde donata, pinguia, glauca apponuntur. *Flores* in muſcariis dependent perquam conferti, amœni, colore ex rubro purpuraſcente, frequenter etiam albi, quorum ſinguli quinquepartiti, oblongo ſed admodum tenui *tubulo*, virenti pedicello agglutinantur, corniculum inſuper calcaris inſtar protendentes. *Semen* pappoſa criſta, qualis eſt & *Valerianæ vulgari*, ſuccedit.

Flores ejuſdem candidi in hortis frequenter conſpiciuntur. V. icon. tab. æn. 14.

16. Valeriana *marina anguſtifolia rubra, Moriſoni. An & eadem, J. B?* Cum proxime ſuperius deſcripto convenit & hæc; folia tamen anguſtiora ſunt, quibus differt.

17. Valeriana *marina anguſtiſſimo Linariæ folio, Nobis. Valeriana rubra anguſtifolia, C. B. P. & Prod.* Hæc etiam modo creſcendi, ac floribus fiſtuloſis, calcari donatis, parum à duabus proxime ſuperioribus diſcrepat; foliorum anguſtia potiſſima diſtinctionis nota eſt; ea enim *Lini* foliis anguſtiora, breviora, in acumen deſinentia, rigidiuſcula, & pallida, *caulem* rotundum cingunt.

In Monte Baldo *collecta eſt.*

18. Valeriana *Alpina foliis integris, radice repente inodora, Raii Hiſt.* *Radices* huic longæ, *fibris* donatæ, repentes, germina ſubinde protrudunt. *Folia Valerianæ aquaticæ*, aut *Violæ* ſimilia, ex rotundis oblonga, pediculis longis inſidentia, non laciniata, ne illa quidem quæ in caule exiſtunt, obiter nonnunquam dentata

ſunt,

ſunt. *Caulis* pedalis, teres, ſtriatus, concavus, duplici ut plurimum foliorum pari veſtitus. Folia hæc pediculis vel nullis, vel brevibus donatur; longiora quidem ſunt & acutiora iis quæ ad radicem, non tamen laciniata ne ad pediculos, verum *Valerianæ rubræ Dod.* foliis ſimilia. *Flores* in ſummo caule velut in *umbellam* exiguam compacti, albentes, *Valerianæ ſylveſtris* ſimillimi ſunt, uti & ſemina. *Radix* nec ſaporem nec odorem aromaticum habet.

Hæc planta in monte Saleva *prope* Genevam *ſatis copioſe provenit. Æſtate floret. A* Nardo Celtica *eo diſtinguitur quod odoris ſit expers, ut & à* Valeriana minima Nardifolia, Raii.

19. Valeriana *tuberoſa rotunda, Nobis. Valeriana bulboſa, J. B. Nardus montana Cretica, Alpini de Exot.* Prima emittit *folia* integra ſubrotunda, *Hyoſcyami albi* æmula, ſed paullo minora; at ſequentia profunde diſſecta. *Flores* quales *Valerianæ majoris. Radix* ſubeſt ſingularis tuberoſa, *Nardum* ſpirans. Quapropter *Nardo montanæ* ſimillima cùm forma tum odore exiſtit.

Incola eſt montium Liguriæ. *V. icon. tab. æn. 15.*

Valerianæ odoratiores Nardi dictæ.

20. Valeriana *Nardus dicta radice olivari, C. B. P. Nardus montana, Matth. Lugd. Tab. Cluſ. Montana tuberoſa, Park.* Tuberoſam habet *radicem*, quæ quotannis adnatis aliis valde ſe propagat, multiſque & quaſi capillaribus *fibris* ab infima parte & ſummo capite prædita eſt. Ex hac ſtolones oriuntur, *foliis* ex atris virentibus ſuperne & ſplendentibus, nec in ambitu ſerratis, ab infima parte onuſti; deinde alii in lacinias diſſecti, uti pene *Valerianæ majoris* folia, ſed minora, ſtolones magis adoleſcunt; eoſque magis diſſecta veſtiunt *folia*, ex adverſo ſemper ſita. Summo caulis faſtigio confertim naſcuntur *flores Valerianæ ſylveſtris* floribus non diſſimiles, odorati, minus tamen quam radix, quæ *ſylveſtris Valerianæ* radicis odorem valde æmulatur.

Neapoli *è monte* Virgineo *erutam ad* Cluſium *miſit* Ferant. Imperatus. *V. icon. tab. æn. 15.*

21. Valeriana *Nardus dicta montana radice oblonga, C. B. P. Nardus montana longius radicata, Camerarii*, qui hanc plantam edidit. Gaudet autem *radice* carnoſa, tuberculis digitum longis donata. *Folia* ima longa ſunt, integra, & mucronata; ea quæ cauleſcunt *Valerianæ* modo diviſa ſunt; quicum *flores* etiam ſatis conveniunt. *V. icon. tab. æn. 15.*

22. Valeriana *Nardus Celtica dicta Dioſcoridis, C. B. P. Nardus Alpina ſeu Celtica, Cluſ. Hiſt. Nardus Celtica, J. B. Nardus ſive Spica Celtica, Park.* Integros interdum ceſpites occupat ſerpendo *radix*, & late ſumma tellure ſeſe inter muſcum diffundendo, oblongi procumbenteſque humi ramuli tenues, plurimis velut *foliolis* aut ſiccis ſquamis circumſepti, ſubinde fuſcas & nonnihil capillatas *fibras* agunt, ſumma parte in unicum aut bina ternave extuberantes *capitula*, aliquot longis, ſecundum caput anguſtis, deinde in latitudinem paullatim ſe laxantibus *foliis*, ſatiſque craſſis, & ſucculentis plena; colore dum primum emergunt viridi, deinde ſub autumni initium aut æſtatis finem flaveſcente, guſtu amariuſculo. Palmaris aut dodrantalis, nonnunquam etiam major, inter iſta emergit *cauliculus* ſatis firmus, ut in minutioribus *Valerianis ſylveſtribus* geniculatus, bina ad ſingulos nodos habens inter ſe oppoſita exigua *foliola*. Huic circa ſummum ex ſingulis alis enaſcuntur pedicelli, binos aut ternos *floſculos* coloris pallidi ſuſtinentes, quibus ſuccedunt *ſemina Valeriana ſylveſtris Alpinæ*, ſaxatilis præſertim (*Valerianæ minimæ Nardifoliæ*) ſeminibus proxima, paullo tamen minora. Tota planta aromatica eſt, & radicum *Valerianæ ſylveſtris* odorem æmulatur, ut *C. Cluſius* refert.

Copioſe provenit (*inquit* Jo. Bauhinus) *in Alpibus* Germaniam *ab* Italia *diſpeſcentibus. Montoſis gaudet* Genuenſibus, Liguriæque *Alpibus ſterilibus. V. icon. tab. æn. 15.*

23. Valeriana *Nardus Celtica altera dicta, C. B. P. Spica Celtica, Tab. Nardus Celtica repens, Ger.* Hæc cum proxime antecedenti convenit, & nonnulli diſtinctionem in dubium vocant. Nos quidem penes non eſt planta; & proinde nihil ſtatuimus.

24. Valeriana *Nardus ex Apulia dicta, C. B. P. Saliunca Neapolitana, Lugd. J. B. Park.* In tam exigua planta conſpicua eſt *radicis* craſſities rugoſa, utcunque flaveſcentis, fibris capillatæ, in nodos extuberantis, è quorum lateribus hinc inde *folia* prodeunt, ut ex ea figura ſerpere radicem & editis illis nodis ſe propagare non abs re exiſtimem, inquit *J. Bauhinus. Folia* illa oblonga ſunt anguſta, *Plantaginis* utcunque ſimilia, inferne arcta, ſuperne latiora. *Sapore & odore* planta iſta *Valerianam* refert, ut non dubitem ob odoris ſuavitatem egregiis adverſus morbos varios facultatibus præditam eſſe, ac folii loco ſubſtitui poſſe. *Vid. icon. tab. æn. 15.*

25. Valeriana *Nardo Celticæ ſimilis inodora, C. B. P. & Prod. Radicula* eſt oblonga, rufeſcente, capillata, ex qua *folia* aliquot oblonga, in latitudinem paullatim ſeſe laxantia, longis pedicellis donata, viridia primum, deinde flaveſcentia exſurgunt; inter quæ *cauliculus* tenuiſſimus palmaris, rarius altior, effertur, circa ejus medium *foliola* duo oblonga anguſtiſſima. Cauliculus in pedicellos abit, *floſculos* oblongos, pallidos, ut in *Celtica* ſuſtinens, qui in *ſemina* exigua tranſmutantur.

Inodora eſt. Hanc in Baldo *& Alpibus* Sumano *conterminis legit* Caſp. Bauhinus.

26. Nardo Celticæ *ſimilis Hirculus, J. B. C. B. P. Hirculus, Adv. Lob. Caſ. Tab. Ger. Hirculus veterum, Cluſ. Hirculus & Nardus Samphoritica, Ang.* Planta eſt *Nardo Celticæ* ſimilis, candidior tamen, & veluti ex viridi cinerea, ſine cauliculo, minoribus brevioribuſque *foliis* donata, villoſa admodum ſecundum radicem, & nigricans, nulla odoris jucunditate. *Folia* præmanſa nullum aromaticum ſaporem reddunt, ſed lenta & viſcida ſunt, cum *Nardi Celticæ* folia calida ſint, cum aliqua tamen adſtrictione, odore ſaporeque jucundis gaudentia. *V. icon. tab. æn. 15.*

Quum auctores adeo inaccurate & imperfecte hanc plantam deſcripſerint, ut nec natalis ſoli, *nec* caulium, *nec* florum, *nec* ſeminum *rationem habuerint: propterea quam eam in claſſem conjicere oporteat difficile admodum eſt pronunciatu. Quia tamen nonnulli ad* Valerianarum *familiam retulerunt, quibuſcum* foliis *convenit; nos quoque ne penitus neglectam prætermiſiſſe videremur, eodem referri voluimus.*

Pſeudo

Pſeudovalerianæ.

Plantæ hæ ſequentes foliorum *mollitie, pinguedine & oleoſitate, formaque* florum *oblongorum, tubuloſorum, à marginibus quinquepartitorum, confertim in ſummitatibus naſcentium, ſat bene cum prædictis* Valerianis *propriis conveniunt.* Semina *vero ſolida ſine pappo producunt, quæ certam inter ſe conformitatem non habent.* Caules *dichotomi, ſeu in binos ramulos ſemper divaricantur. Plantæ annuæ ſunt.*

27. Pſeudovaleriana *cornucopioides annua purpurea ſemine ſolido, Nobis. Valeriana peregrina ſeu Indica, J. B. Peregrina purpurea albave, C. B. P. Mexicana, Ger. Indica ſive Mexicana, Park.* Ex *radice* parva, fibroſa, albicante, *caulis* exſurgit pedalis, rarius cubitalis, tenellus, (ita ut ſæpe in terram reclinet,) viridis, cavus, ſtriatus, nodoſus, & ut plurimum ad ſingulos nodos in binos ramos diviſus; horumque aliqui, in alios breves ramulos ſubdividuntur. *Folia* habet pallide virentia, pauca, duas treſve uncias longa, unam (rarius duas) lata, *Nardi montanæ* ſimilia, ex adverſo bina ſita, mollia, craſſiuſcula, è quibus ſuperiora interdum ſinuoſa, & ad exortum in crenas diviſa, & fere inſipida. Ramulorum ſummitatibus *flores* inodori, elegantiſſime purpurei, vel albi, plures in caput congeſti, longiuſculi, extrema parte aperti, & in quinque lacinias diviſi, quarum duæ ſuperiores breviores & latiores, inferiores tanquam labra pendulæ, & mediæ reliquis longiores ſunt. Iſtis ſuccedunt *vaſcula* oblonga, latiuſcula, *calyces* referentia, incurva, & fibroſa, in quibus *ſemen* (altero tamen vaſculo incluſum,) craſſiuſculum, oblongum, anguloſum, & quaſi fungoſum eſt. Loco *pappi* tripliciter cum apiculis diviſum eſt, quorum duo majores ſunt, tertiuſque minor apparet. *Annua* planta ſingulis annis ſerenda eſt.

In Latio *ſponte provenire dicitur, in* Sicilia *circa* Meſſinam *quoque oritur, aliiſque haud dubio* Europeis *æque ac* Americanis *arvis naſcitur. V. icon. tab. æn.* 16.

28. Pſeudovaleriana *annua cornucopioides echinata alba, Nobis. Valerianella echinata, C. B. P. Valerianella cornucopioides echinata, Col.* E *radice* tenui ac fibroſa, humi ſparguntur *folia* uncialia, anguſta, vulgaris ſuccedentis *Lactucæ agninæ* dictæ foliis ſimilia, per ambitum binos aut ternos ſinus habentia. *Caulis* duas uncias longus, geniculo in medio interceptus, in quo *folia* bina ex adverſo oppoſita, bene longa, ſemidigitum lata, magiſque profunde ſunt ſerrata. Caulis iſte compreſſus, lævis, canaliculatus, utrinque contrario foliorum verſu, in ſummo bifurcatur lævibus cavis ramis & expanſis, bifidum ordinem ſemper obſervantibus, atque circa diviſionum genicula ſemper craſſeſcentibus. In horum ſummitate veluti *tubuli* parum compreſſi, & canaliculati, craſſiores, latiores, brevioreſque cæteris alis, inverſam pyramidem effigiant, latiores erga ſummitatem & craſſiores, anguſtis *foliolis* exiguis alati, in quibus (veluti *fructus* in *Cornucopia*) *capitula* ſunt, baſin foliaceam quodammodo habentia; *florum* exiguorum *Valerianæ* æmulantium, ex purpureo cœruleo colore albicantium, ſupra *fructus* corniculatos, brachiatos, & aduncos inſidentium copia ſtipata. Floribus iſtis Junio menſe decidentibus, atque craſſeſcentibus fructibus, majora fiunt *cornicula*, duriora, & flaveſcentia, vel pallentia. Eſt & inter binos tubulos ſummos in qualibet ala interceptus fructus, qui veluti compreſſus, ob loci anguſtiam, inter illorum ſinus conſpicitur oblongior cæteris. *Æſtate* perficitur, atque ſiccata deperditur planta, quæ quidem tota pedalis eſt altitudinis, nec minus coma ſumma latitudinis occupat, expanſis alis. *V. icon. tab. æn.* 16.

In Valvenſium *montibus, & in montoſis umbroſis udis, ut prope* Podium Poponiſcum Æquicolorum *caſtellum Comitatus* Marerii *dicti oritur, à Doctiſ.* Fab. Col. *collecta. Et in ſatis circa* Monſpelium D. Magnol. *legit.*

29. Pſeudovaleriana *annua ſemine coronato major Luſitanica, Nobis. Valerianella ſemine ſtellato, C. B. P. Velerianella altera tenuifolia ſemine Scabioſæ ſtellato, Col.* Primo vere humi ſparguntur *folia* unctuoſa, viridia, anguſta, parum inciſa. *Caulis* eſt ſemipedalis, ſolidus, ſuperne brachiatus, bifidum ordinem in alarum diviſione ſervans; ad cujus genicula binatim naſcuntur folia caulem quaſi amplectentia tribus quatuorve profundis inciſuris donata. In ſummo *flores* conferti ſunt exigui ex albo purpuraſcentes, quibus dehiſcentibus, ſuccedunt *ſemina* ſubtus ſolida cum coronula cartilaginea ſex radiis diviſa, qui coronam cavam in cujuſque ſeminis apice conficiunt. Semine perfecto, *radix* perit. *V. icon. tab. æn.* 16.

In agrorum Luſitaniæ *marginibus frequens invenitur. In* Apuliæ *quoque* Cinirolanis *agris* Fab. Col. *obſervavit. In arvis etiam* Monſpelienſibus *invenitur.*

30. Pſeudovaleriana *annua arvenſis ſemine coronato minore, Nobis. Valerianella noſtras minor Scabioſæ ſemine, Moriſ. Hort. Bleſ. auct.* Hæc parvitate ſeminum à præcedenti differt. *V. icon. tab. æn.* 16.

31. Pſeudovaleriana *annua ſemine umbilicato nudo oblongo, Nobis. Valerianella altera nudo umbilicato & lævi ſemine, Col.* Humilior & præcocior hæc planta cœruleos pene profert *flores. Semina* nuda, oblonga, uno latere umbilicum ſeu cavitatem obtinent.

32. Pſeudovaleriana *annua ſemine umbilicato nudo rotundo, Nobis. Semina* forma diſtinctionem demonſtrat. *In agris* Monſpelienſibus *paſſim occurrit. Vide icon. tab. æn.* 16.

33. Pſeudovaleriana *annua ſemine hirſuto ad extremitatem umbilicato, Nobis. Valerianella ſemine hirſuto, extremo umbilicato, Moriſ. Prælud. Bot.* Hæc *ſemina* gerit (quoad formam ſeu figuram) *uvarum acinis* ſimilia, ſed hirta, & ad extremum umbilicata, ſeu magis cava. *V. icon. tab. æn.* 16.

34. Pſeudovaleriana *annua ſemine hirſuto minore rotundo, Nobis. Valerianella ſemine hirſuto minore rotundo, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Hujus *ſemen* quam congenerum hirſutius eſt. *Sponte provenit in* Picardiæ *novalibus.*

35. Pſeudovaleriana *erecta ſerotina ſemine umbilicato hirſuto pyramidali, Nobis. Valerianella minor ſemine umbilicato hirſuto, Moriſ. Locuſta altera foliis ſerratis, J. B.* Tenuis hæc planta inter ſegetes in arenoſo ſolo in varios ramuſculos dividitur. *Floſculos* profert albeſcentes, quibus *ſemina* in acutum mucronem deſinentia, hirta, cum umbilico ſeu cavitate in medio unius lateris ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 16.

36. Pſeudovaleriana *annua arvenſis præcox, humilis, ſemine compreſſo rotundo, Nobis. Lactuca agnina, Ger. Park. Olus album, Dod. Valeriana campeſtris inodora major, C. B. P. Locuſta herba prior, J. B. Folia* mollia, viridia, *Roſæ* in modum tota hyeme per terram expanſa ſunt, binas aut tres uncias longa, digitum fere lata, obtuſa. Inter hæc erigitur *caulis* dodrantalis, varie brachiatus, duplicique conjugatione ſemper diviſus, cum duobus foliis ad appoſitionem è regione ſitis, ut in reliquis. *Floſculi* albidi perquam exigui præcedunt *ſemina* rotunda, & compreſſa, binatim conjugata, pro plantæ modulo ſatis ampla, quibus in arvis inter ſegetes, & in hortis ſatis, ſponte oriuntur novæ plantæ, hybernis menſibus acetariis aptiſſimæ. *V. icon. Tab. æn.* 16.

37. Pſeudovaleriana *annua ſerotina procerior ſemine turgidiore, Nobis. Valerianella vulgaris ſpecies major ſerotina, Moriſ. Prælud.* Præcedens præcox eſt planta, ejuſque *folia* integra hæc profert, & ſub finem æſtatis inter ſegetes invenitur erecta, pedalis aut ſeſquipedalis, in ſummo (ſed raro à principio) in ramulos brachiata, qui *floſculos* minimos albidiores gerunt. Iſtis *ſemina* rotunda turgidiuſcula ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 16.

38. Pſeudovaleriana *annua Halepenſis veſicaria.* Inter alias à *Cl. V. D. D. Huntington* ex *Halepo* tranſmiſſas, hanc habemus, cujus *folia* congenerum foliis anguſtiora ſunt. *Floret* ad eundem modum; & *ſemina* in veſicis rotundis & compreſſis, oboli nummarii noſtri amplitudine continentur, non in abortivis veſiculis ab inſectis prohibita, quod utique in agris ſterilioribus *vulgari* frequenter accidit.

39. Pſeudovaleriana *Curaſſavica ſemine aſpero viſcoſo, Par. Bat. Prod.* E *radice* fibroſa *caules* ex rotundis ſtriati, pedales aut ſeſquipedales, tenui *lanugine* pubeſcentes, cum paucis aut raro diſpoſitis geniculis, eriguntur; quibus innaſcuntur *folia* hederacea aut *Solani vulgaris* officinarum figura donata, uncialis latitudinis, in ambitu inæqualibus marginibus interdum ſinuata, & pediculis uncialibus è regione inſidentia. Ex ala unius *cauliculus* alter exſurgit, & ordinem dichotomum, (ut & aliæ hujus familiæ) ſervat. *Flores* in ſummo *Valerianarum* ſimiles exigui purpuraſcentes confertim naſcuntur; at inter florum *umbellulam*, *flores* ſinguli in pediculos ſingulares unciales, cæteros ſuperantes aſſurgunt. *Semina* binatim naſcuntur turgidiuſcula, aſpera, & viſcoſa.

In horto Regio Hamptonienſi, *cum plurimis aliis non minus rariis obſervavimus.*

Nominis Emendatio.

Valeriana Græca, Dod. Tab. Ger. Valeriana cærulea, C. B. P. Græca quorundam colore cæruleo & albo, J. B. &c. *Flores* profert monopetalos, amplos, *Blattariæ* in modum apertos, & capſulas ſeminales tribus loculamentis diſtinctas. Planta eſt anomala, nullamque cum *Valerianis* conformitatem habet.

Valerianæ Vires & Uſus.

De prima *ſeu* hortenſi *jam præcipue nobis ſermo eſt, cujus* radix *præſertim, ut &* herba, *calefaciunt & ſiccant, attenuant, aperiunt, alexipharmacæ, ſudoriferæ & diureticæ ſunt.*

Uſus præcipui in imbecillitate viſus, peſte, aſthmate, pleuritide, obſtructionibus hepatis, lienis, uteri; herniæ, ictero, & ſimilibus malis medentur.

Hæ extrinſecus confortant viſum, maculas oculorum abſtergunt; cephalalgiam ſedant; menſes cient; ſudorem promovent, (in balneis) exſiccant catarrhos, (ſuffitu) bubonum ac anthracum malignitatem corrigunt; globulos, ſagittaſve infixas extrahunt; ulcera inveterata mundificant. Shrod.

Pulvis radicis *hujus plantæ ſponte ortæ, antequam caulem edat, cochlearis dimidii menſura cum vino, aqua, lacte, aut alio quovis decenti ſucco ſemel aut bis ſumptus, epilepſia correptos liberat, ſiquidem ἄνω & κάτω purgat. Hujus vim & in aliis multis & ſemetipſo expertus eſt doctiſſimus & veraciſſimus* Fab. Columna. *Et confirmat* Panarola. Sylvius *quoque plus ei tribuendum putat quam* Pæoniæ, *ut quæ ſale volatili abundet. De virtutibus plura apud* Jo. Bauhinum *occurrunt.*

Valeriana ſylveſtris major *ruptis, convulſis, ex alto præcipitatis utilis cenſetur. Quin &* folia *hujus, ut &* ſativæ, *ad oris & gingivarum cum inflammatione exulcerationes, & aphthas molliendas decocta & gargarizata prodeſſe ferunt.* Pulvis radicis *in epilepſia multum prodeſt.*

Contra febres, maxime vero tertianas, non ſemel, ſed multoties expertus eſt Johan. Schwab *plurimum valere.*

Nardus Celtica *calefacit & ſiccat, viriumque earundem eſt quibus &* Spica Indica *pollet; majore tamen cum utilitate adhibetur in urina cienda; ventriculo roborando; flatibus diſcutiendis. Extrinſecus additur malagmatis unguentiſque calefacientibus, ut* Schroderus *perhibet.* Pannonibus *frequens ejus uſus eſt in capitis lotionibus.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes.

CAPUT XIX.

Senecio *ſive* Erigerum.

Senecio à ſenectute *capitis dicitur;* γηρᾶς Dioſc. *l.* 4. *c.* 70. *quaſi* vernus ſenex, *quod flores cito caneſcant, & in lanuginem candidam abeant.*

Senecio eſt planta pappeſcens non lacteſcens, cujus *flores* nudi *calyces* oblongos, non ſquamatos, longitudine vix excedunt, & citiſſime venti flatu avolant. Omnes ſpecies hactenus obſervatæ annuæ ſunt.

TABULA XIX. SECT. VII.

Senecio

minor

1. *Vulgaris, C. B. B. Erigerum minus, Dod. Senecio vulgaris ſive Erigeron, J. B.*
2. *Incanus pinguis, C. B. P. Senecio hirſutus viſcidus major odoratus, J. B. Erigerum tomentoſum alterum, Lob. Erigerum majus ſive primum, Dod.* ☿.
3. *Hirſutus foliis latioribus, Nobis. Senecio hirſutus, C. B. P.*
4. *Viſcoſus Æthiopicus flore purpureo, Breyn. Cent.* 1. ☿.
5. *Zeylanicus Lampſanæ foliis, Breyn. Cent.* 1. ☿.
6. *Indicus procumbens Vulgaris foliis, flores ampliores è foliorum alis proferens. Nelampata, Hort. Mal. Part.* 10. *Tab.* 49.
7. *Puſillus Madraſpatanus foliis crenatis craſſis & hirſutis, D. L. Pl.*
8. *Indicus Atriplicis folio glabro.*

9. *Indiæ Orientalis Ocimi majoris foliis profunde crenatis, D. Pluk. Alm.* 343. *Phyt.* 315.
10. *Parvus pennatis foliis Æthiopicus, D. Pluk. Alm.* 343. *Tab.* 314.

major
11. *Virginianus elatior foliis Cichorei ſativi, odore Carotæ, Nob. Senecio Americanus foliis Dipſaci laciniati, Par. Bat. Prod.* ☿.
12. *Braſilienſis folio anguſto ſerrato, Caaetimay Braſilienſibus, Marcgravii.*
13. *Mexicanus foliis integris ſerratis, Yztomio, ſeu lanuginoſa herba, Recchi.*
14. *Mexicanus erectus tribus foliis integris mucronatis ad genicula ſitis, Coapatlis 4. Recchi.*

1. Senecio *minor vulgaris, C. B. P. Erigerum minus, Dod. Senecio vulgaris ſive Erigeron, J. B. Senecio Matth. Fuchſ. Lob. Lugd. Cæſ.* cui & *Carduncellus.* Fibroſa omnino *radice* nititur *Senecio*, tenui, alba, ſapore oleraceo, ex qua attolluntur *caules* teretes, ſtriati, nunc lanuginoſi, nunc glabri, brachiati & concavi, *foliis* donati uncialibus, aliquando palmaribus, pediculo viduis, ſine ordine profunde diſſectis & veluti circumroſis, alterno poſitu naſcentibus. *Flores* in ramulorum faſtigiis ſunt, plures ſimul juncti, pediculis brevibus, lanuginoſis appenſi, tanquam ſtaminum luteorum complexus, ſeu quaſi totidem *floſculi* tubuloſi, ſine petalis orbiculariter eoſdem floſculos luteos cingentibus. Horum ſingulis ſuccedunt ſingula *ſemina* cum ſuis pappis, qui una cum ſeminibus à ventis feruntur. Hoſce autem ambiunt involucra ſive perianthia calycum inſtar ſtriata, qui quidem calyces *pineæ nucis* effigie emergunt.

Naſcitur Erigerum *paſſim ſecus vias & agrorum margines, locis tam cultis quam incultis. Cito & primo vere floret, & per totam æſtatem, in pappos flore permutato, caneſcit. V. icon. tab. æn.* 17.

2. Senecio *incanus pinguis, C. B. P. Senecio hirſutus viſcidus major odoratus, J. B. Erigerum tomentoſum alterum, Lob. icon. Erigerum tomentoſum, Ger. non emac. & emac.* Provenit hic ad modum vulgaris. *Foliis* donatur *Jacobææ vulgaris* ſimilibus, plurimum inciſis, *lanugine* undique obſitis, ideoque nonnihil incanis, inſuper tactu viſcidis, mollioribus, & fœtidis. *Caulis* erectior, procerior, hirſutus, quemadmodum & *florum* nudorum, luteorum, abſque petalis radiantibus, in *pappos* abeuntium calyculi oblongi, ſtriati. Planta ſapore nonnihil aromatico prædita eſt.

Provenit paſſim in ſylvis cæduis, glareoſis; ut & ad aggeres & foſſas.
Floret menſe Junio, & ſemine deciduo quotannis ſponte naſcitur. V. icon. tab. æn. 17.

3. Senecio *hirſutus foliis latioribus, Nobis. An Senecio hirſutus, C. B. P.?* Planta hæc cum priore convenit; latiora tamen *folia*, cauleſque craſſiores profert, & *flores* quaſi petalis parvulis donantur. Si ſit *Erigerum Myconi* (quo quidem nomine indito ipſi accepimus) tum male in *Hiſtoria Lugdunenſi* & apud *J. Bauhinum* figuratur. Forte idem eſt quem *C. B.* in *Pin.* pro *Senecione Ambroſiæ odore* habet, & *pro odorato Park.* Huc ſpectat *Senecio Atticus vulgari ſimilis flore petalis fere inconſpicuis radiato* Wheeleri, *D. Pluk. Alm.*

4. Senecio *viſcoſus Æthiopicus flore purpureo, Breyn. Cent.* 1. Planta hæc viſcida antecedenti ſimilis, *foliis* latiuſculis inſignis conſpicitur, quorum inferiora laciniata, ſed ſuperiora fere integra ſunt. *Flores* in ramis & caule denſe coacervati, petalis deſtituti cernuntur, è *tubulis* & ſtaminulis multis purpuraſcentibus conflati, ex calyculo ſtriato provenientes, ac vulgaris ritu celerrime ſatiſcentes in *pappum.*

Circa Promontorium Bonæ Spei *naſcitur. V. icon. tab. æn.* 10.

5. Senecio *Zeylanicus Lampſanæ foliis, Breyn. Cent.* 1. Amplitudine foliorum, caulium, & ramorum *Endiviæ Lampſanæ* dictæ perſimilis, magis tamen hirſuta eſt hæc planta. *Floribus* donatur uberrimis, pallidis, quos nulla ambiunt petala. *Semen* exile pappeſcens, quod vento etiam leniſſimo è reciduis florum calyculis diſpellitur. *Vid. icon. tab. æn.* 10.

6. Senecio *Indicus procumbens Vulgaris foliis, flores ampliores è foliorum alis proferens. Nelampata, Hort. Mal. Part.* 10. *Tab.* 49. *Caules* ei ſunt rotundi, piloſi, virides, in latum quiddam ſe diffundentes. *Folia* laciniis ſinuatis diſſecta, piloſa, mollia, lenia. *Florum* loco *capitula* ſunt rotunda, plana, nuda, *Vulgaris Erigeri* majora, tum caulium faſtigiis tum petiolis, è caulibus prodeuntibus, inſidentia, primum viridia, dein flava, tandem vel rufeſcentia vel ruffonigra.

7. Senecio *puſillus Madraſpatanus foliis crenatis craſſis & hirſutis.* Planta hæc nova à *D. D. L. Plukenetio* in inclyta ſua *Phytographia* edita, humilis eſt, vix palmum ſuperans, in ramulos quoſdam, *foliis* integris, ad ſummum uncialibus, anguſtis, craſſis, & dentatis, onuſtos diviſa. Folia inordinatim *caules* conveſtiunt, quorum faſtigia *flores* nudos *Erigeri* ſimiles ex calyce ſtriato erumpentes ſuſtinent.

8. Senecio *Indicus Atriplicis folio glabro. Caule* aſſurgit dodrantali aut pedali, tereti, gracili, *foliis* paucis, iiſque *Atriplicis* aut *Halimi* ſimilibus, pediculis ſemuncialibus inſidentibus, donato. Caulis ſummitas in pediculos, rurſus in petiolos alios breviores abeuntes diviſa, *flores* gerit *Erigeri* ſimiles, parvos, qui congenerum in modum in *pappos* breves candidos evaneſcunt.

Plantam hanc cum aliis haud minoris notæ, præ humanitate D. Gyfford, *ex* India Orient. *tranſmiſſam habemus.*

9. Senecio *Indiæ Orientalis Ocimi majoris foliis profunde crenatis, D. Pluk. Alm.* 343. *Phyt. Tab.* 315. Hujus *folia* cauliculo erecto è regione adnaſcentia, pediculis ſuis & forma *Ocimi majoris dentatis foliis* apprime referunt folia. *Flores* compoſiti, non radiati, *capitula* parva ſubrotunda efformantes, è calycibus perianthio ſimilibus provenientes, racemulis propriis ſuffulti, ſingulatim naſcuntur.

10. Senecio *parvus pennatis foliis Æthiopicus, D. Pluk. Alm.* 343. *Phyt. Tab.* 314. Rara hæc planta quam *D. Alex. Browne* chirurgus peritiſſimus collegit, & pro humanitate nobiſcum communicavit. palmaris & vix dodrantalis eſt, *foliis* unciam longis, culmum latis, *pennæ* in modum elegantiſſime diviſis & fimbriatis ornata. In ramuſculos rectos & indiviſos diſtribuitur, in quorum quolibet *flos* unicus ſtaminuloſus inſidet.

11. Senecio *Virginianus elatior foliis Cichorei, odore Carotæ, Nobis. Senecio Americanus foliis Dipſaci laciniati, Par. Bat. Prod.* Hujus ſemina è *Virginia* à D. *J. Baniſter* tranſmiſſa ſunt; è quibus plantæ ad humanam altitudinem aſſurgentes pullularunt, caulibus ex rotundis ſtriatis, & *foliis* palmum longis, uncias duas aut tres latis, in ambitu ſerratis & laciniatis; *Cichorei ſativi* foliorum æmulis, & odorem *Carotæ* optime referentibus, veſtitis donatæ; & quidem ejuſmodi caulibus ut nullus mortalium *Senecionem* eſſe conjiceret, antequam florentem & ſemina edentem obſervaret. *Capitula* plantæ proportionem inter *Erigera majora* tenent; ſed formam *Pineæ nucis* oblongam, qualis & in omnibus obſervatur, retinent, cum *calyculis* ſtriatis; è quibus *flores* nudi pallide lutei, emergentes conſpiciuntur, in albam *lanuginem, ſemine* fuſco appenſo, tranſmutandi, & leviſſima aura diſſipandi. *Semine* matureſcente planta perit. *V. icon. tab. æn.* 10.

12. Senecio *Braſilienſis folio anguſto ſerrato, Caaetimay Braſilienſibus, Marcgrav.* In trium pedum altitudinem

dinem excreſcit, *caule* viridi, intus medulla farcto, quem ab ipſo exortu numeroſa ambiunt *folia* quatuor digitos longa, anguſta, per ambitum inciſa, lævi hirſutie prædita, (ut & caulis,) & molli *lanugine* paullum incana. *Caulis* ſuperius in quatuor, quinque, ſex, aut ſeptem ramos ſe ſpargit, & *foliola* parva obtinet, foliis *Hyſſopi* quoad figuram ſimilia. In ramulis autem multos fert *floſculos*, floribus *Senecionis* ſimiles, pallide flaveſcentes, qui in *pappos* definunt, vento diſſipabiles. *Folia* hujus plantæ acrem & calidum ſaporem habent, ac cocta, contuſa atque illita ſanant ſcabiem in quacunque corporis parte.

13. Senecio *Mexicanus foliis integris ſerratis, Yztomio ſeu lanuginoſa herba, Recchi.* Herba eſt *folia* ferens hirſuta, ſpinoſa, & undulata; *caulem* pallidum, duos cubitos longum; *flores* candentes, parvos, calyculis contentos, & in *pappos* tandem abeuntes; *radices* vero multas, fibris ſimiles.

14. Senecio *Mexicanus erectus tribus foliis integris mucronatis ad genicula ſitis, Coapatlis 4. Recchi. Folia* profert oblonga, aſpera, & firma; *caules* læves, teretes, & purpureos, ac ſex ſpithamas longos; *flores* in ſummis caulibus albos, at in luteum colorem tendentes, piloſos & orbiculares, è *calycibus* oblongis erumpentes.

Senecionis Vires & Uſus.

Vires mixtas Erigerum *ſeu* Senecio *habet. Refrigerat ac ſimul modice diſcutit, ut* Paulus Ægineta *auctor eſt; attenuare, aperire, & ſiccare,* Schroderus *affirmat. Epatica eſt & vulneraria. Uſus præcipue in cachexia, catarrhis, & tuſſi, & menſibus retentis. Extrinſecus è nobiliſſimis eſt vulnerariis, (ut & intrinſecus,) menſes ciet balneatione; & ſedis inflammationes folia cum floribus, addito exiguo vino, aut per ſe impoſita ſedant.* Plinius *cum thuris farina (quæ* Manna *dicitur) aut cum vino id præſtare ſcribit.*

Herba contuſa ſuppurationem accelerare prodit Fontanus.

Succus *ejuſdem in vino aut cereviſia potus, vel ejuſdem decoctum, cum uvis* Corinthiacis *aut melle temperatum, modice vomitum movet; ſtomachi à bile contractos dolores, iſchiada, choleram,* &c. *ſanat.*

Succus *ſimpliciter ad Lumbricos necandos, & equorum aliorumque animalium inteſtinorum vermes, vim habet, ut Hippiatrorum quotidiana docet experientia.*

Abſoluta doctrina Plantarum Pappoſarum non Lacteſcentium, floribus nudis *donatarum: ad eas porro accedamus quarum* flores diſcoides, umboneſque petalis *cinguntur, &* Stellatæ *appellantur.*

Jacobæa, Conyza, After, Virga aurea, Doronicum, Helenium, & Tuſſilago.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes Stellatæ.

CAPUT XX.

Jacobæa.

JAcobæa *herba à S.* Jacobo *nomen accepit, ut quidam volunt, quod feſtum D.* Jacobi *circiter floreat. Eam priſci auctores vix à* Senecione, (*quicum in foliis quædam ei ſit ſimilitudo,*) *diſtinxerunt. Neoterici vero* Senecionem *appellavere, cujus* flores nudi & non radiati *ſunt, (ut ante dictum;)* & Jacobæam, *cujus* flores diſcoides petalis umbonem cingentibus *donantur.*

Jacobæam plantam pappeſcentem non lacteſcentem *Senecioni* ſubjecimus, utpote *floribus* radiatis aureis; *foliis* ut plurimum diviſis, & plus aut minus *tomento* obductis donatam. Perennis ea ut plurimum eſt.

TABULA XX. SECT. VII.

magis diviſis

1. *Vulgaris laciniata, C. B. P. Jacobæa vulgaris, Cluſ. Hiſt. Flos Sancti Jacobi, Matth.* ☉.
2. *Incana ſegmentis longioribus, Nobis. An vulgaris minor, Park?* ☉.
3. *Minor altera Virginiana tenuior.* ☉.
4. *Æthiopica flore purpureo, Breyn. Prod. 2.* ☉.
5. *Maritima major foliis magis laciniatis, C. B. P.* ☉.
6. *Foliis amplioribus incanis, Moriſ. Præl. Bot. Maritima altera, Flor. Bat. Flores.* ☉.
7. *Maritima foliis utrinque candicantibus, Nobis. Maritima, C. B. P. Cineraria, Dod.* ☉.
8. *Maritima tenuiore folio, Nobis. An incana altera, C. B. P?* ☉.
9. *Supina maritima, Triumfetti.* ☉.
10. *Sylvatica tomentoſa Cichorei ſylveſtris folio, Nobis. Erigerum tertium, Dod.*
11. *Alpina humilis Abſinthii umbelliferi foliis incanis, Nobis. Chryſanthemum Alpinum, Cluſ. Hiſt.* ☉.

12. *Pumila ſinuatis foliis argentea ſummo caule ſingulari, D. L. Plukenet.* ☉.
13. *Sicula multifida umbellata annua, Bocconi.* ☿.
14. *Pumila Gallica, Boccon.* ☉.
15. *Sicula Chryſanthemi facie, Boccon.* ☉.
16. *Alpina foliis ferulaceis, Nobis. Chryſanthemum Alpinum foliis longis tenuiter inciſis, C. B. P. Chryſanthemum Alpinum 3. Cluſ. Hiſt.* ☉.
17. *Africana fruteſcens foliis Abrotoni ſive Crithmi, Par. Bat. Prod. Chryſanthemum vel potius Buphthalmum Abrotoni folio, Cap. Bon. Spei, Breyn. Prod. 2.* ☉.

Jacobæa foliis minus diviſis — *ſerratis*:
18. *Paluſtris latiore folio viridior, Nobis. Jacobæa paluſtris latifolia, J. B.* ☉.
19. *Virginiana foliis imis Alliariæ, cauleſcentibus Barbaræ.* ☉.
20. *Alpina laciniata Buphthalmi flore, C. B. P. Pannonica tertia, Cluſ. Pan. & Hiſt.* ☉.
21. *Alpina foliis rotundis ſerratis, C. B. P. & Prod. Conyza Alpina, J. B.* ☉.
22. *Folio longo & integro mucronato, Nobis. Conyza paluſtris foliis ſerratis, C. B. P.* ☉.
23. *Longifolia integra ſerrata pediculis longioribus donata, Nobis. Conyza helenitis mellita incana, Lob. J. B.* ☉.
24. *Aquatica elatior foliis magis diſſectis, Nobis. Conyza helenitis foliis laciniatis, Lob. Park.* ☉.
25. *Lanoſa foliis brevibus ſubrotundis, Piloſellæ flore, D. L. Pl.* ☉.
26. *Minor incana flore amplo luteo, Cap. Bon. Spei, D. Pl. Alm. 154.*
27. *Pumila Stœbes foliorum diviſuris tomentoſa, D. Pluk. ibid.*
28. *Folio breviore ſerrato integro, Nobis. Senecio folio non laciniato, J. B. Senecionis genus Myconi, Lugd.* ☉.

non ſerratis:
29. *Montana non laciniata noſtras, Raii.* ☉.
30. *Montana lanuginoſa anguſtifolia non laciniata, C. B. P. Pannonica 2. Cluſ. Hiſt.* ☉.
31. *Æthiopica Lavendulæ folio, Breyn. Cent. 1.* ☉.
32. *Crithmi littorei foliis, Moriſ. Prælud. Bot.* ☉.
33. *Æthiopica Laricis folio, Breyn. Cent. 1.* ☉.
34. *Spicata Monomotapenſis, Breyn. Cent. 1.* ☉.

Jacobææ affinis:
35. *Planta tuberoſa Capitis Bonæ Spei, Breyn. Cent. 1.*
36. *Æthiopica humilis flore intus aureo, extus punicantibus ſtriis inſcripto, Nobis. Anemone affinis Æthiopica, Hort. Lugd. Bat.*

1. Jacobæa *vulgaris laciniata, C. B. P. Jacobæa vulgaris, Cluſ. J. B. Jacobæa vulg. major, Park. Flos Sancti Jacobi, Matth. Brunf. Trag. Herba S. Jacobi, Fuſch. Caſ.* E *radice* dura, *fibris* plurimis adnexis, *folia* per terram ſternuntur, oblonga, à media coſta *Erigeri* in modum diviſa, quaſi alata, & ſubdiviſa; qualia etiam *caules* rotundos, ſtriatos, firmos, erectos, bicubitales, inordinatim conveſtiunt, viridia, tantilla *lanugine* (præſertim in locis ſterilioribus) interdum obſita. *Caulis* erga ſummum in varias ramificationes ſe dividit, quarum inferiores longiores, & altitudinem ſuperiorum acquirunt, ut planitiem *umbellæ* efforment, quarum etiam petioli *flores* diſcoides omnino luteos, *petalis* brevibus, latiuſculis, umbonem cingentibus ſuſtentant, qui præ maturitate in *pappum* brevem reſolvuntur.

In locis incultis, paſcuis, & ad vias, omnibus Europæ *Regionibus frequenter occurrit. Menſibus æſtivalibus floret, & Autumno ſemen perficitur.*

Hujus *varietatem* copioſe naſcentem ſpectatiſſimus ille Botanicus D. D. *Sherard* littore *Hibernico*, tribus quatuorve milliaribus à *Drogheda* diſſito detexit. Ea cum *Vulgari* in omnibus convenit, *floribus* exceptis, qui nudi ſunt & apetali, & idcirco *Senecionis* characteri reſpondent. Ingenio itaque totius perpenſo, & ſpectata duratione, ab his disjungere æquum non judicavimus. *V. icon. tab. æn. 18.*

2. Jacobæa *incana ſegmentis longioribus, Nobis. Jacobæa Senecionis folio incana perennis, Raii. An Jacobæa vulgaris minor, Park?* Hæc à primo exortu canitie obducitur. *Caules* antecedentis caulibus magis ſparſi ſunt, lanuginoſi, eoſque pauciora folia, ſegmentis rectis donata, ſubdiviſionem raro ſubeuntia contegunt. *Flores* in ſummis virgis lutei, nonnihil ſunt pallidiores, petalis brevioribus cincti, ut non adeo frequenter dependeant, ſed circularitatem melius retineant. *Semina* brevia pappoſa, vulgaris ſimilia profert. *Vid. icon. tab. æn. 12.*

Ad ſepes & in dumetis, ſolo præſertim fictili & humido, paſſim provenit.

3. Jacobæa *minor altera Virginiana foliis tenuius diſſectis.* Flores hujus familiæ & colore & forma æque bene congruunt & ſimiles ſunt ac alius cujuſpiam. Præcipua diſtinctio à *foliis* oritur, quæ in hac tenuius ſunt diviſa, laciniis acutis donata, & exinde in alia ita diſtributa, ut quaſi cornu cervi repræſentent.

E Virginia *à D.* Jo. Baniſter *recepimus.*

4. Jacobæa *Æthiopica flore purpureo, Breyn. Prod. 2. Senecioni viſcoſo Æthiopico* antedicto ſimilis eſt, *foliis* exceptis, utpote magis *laciniatis*, & *flore* petalis *purpureis* radiato.

5. Jacobæa *maritima major foliis magis laciniatis, C. B. P. Jacobæa maritima latifolia, C. B. Prod.* Hæc *foliis* latis longiſque, longiſſimis pediculis incanis inſidentibus, quæ ad exortum aliquot *lacinias* habent, ac ſi peculiaria forent folia, donatur. Dein *folium* adjungitur quatuor digitos latum, quod ſinuoſum exiſtit, parte inferiore incana, molli, ſuperna ex viridi nigricante. Folium iſthoc, ubi planta florere cæperit, minus evadit; alias cum foliis congenerum non diſſidet.

In paludoſis maritimis locis & æſtuariis naſcitur. V. icon. tab. æn. 17.

6. Jacobæa *foliis amplioribus incanis, Moriſ. Prælud. Bot. Jacobæa maritima altera, Flor. Bat. Flores.*

Ad

Ad ſylvarum & vinetorum margines provenit hæc *Jacobæa*. Foliis *Jacobææ vulgaris* folia hujus multo ſunt latiora, minuſque ſecta, quin & ipſis multo magis incana; at *Jacobææ marinæ* foliis multo minus ſunt incana. Medium inter utramque (quoad canitiem) obtinet ingenium, ſed *folia*, ut ante dictum, latiora & magis ſunt integra, *auriculis* aliquot in pediculis donata. *Flores* & *ſemina* huic qualia & congeneribus ſunt.

7. Jacobæa *maritima fruticoſior foliis utrinque candicantibus, Nobis. Jacobæa maritima, C. B. P. Cineraria, Dod. Jacobæa marina vel Chryſanthemum Neotericorum, Adv. Lob. Achoavan abiat, id eſt, Artemiſia alba, Alpini. Jacobæa marina ſive Cineraria, J. B.* Prima *folia quernis* ſimilia, rarioribus fiſſuris, minuſque altis inciſa, poſtmodum ad coſtam uſque profundius *laciniis* rotundis, quæ angulos non acutos conſtituunt, dividuntur, ad digitalem fere intercapedinem ſegmento laciniato intercedente, craſſiuſcula, cinereo molli *tomento*, una cum pediculo, utrinque obſita; ab inferna vero parte denſiore candida lanugine veſtiuntur, ſicut & *caulis*; qui lignoſus, durus non (ut in aliis fit) hyeme perit, ſed perpetuo folia retinet. *Flores* non adeo ſparſi, ſed magis coacervati apparent.

Ad littora maris Mediterranei frequens occurrit, & in hortis noſtris ornamenti gratia ſervatur. Vid. icon. tab. æn. 18.

8. Jacobæa *maritima cinerea tenuiore folio, Nobis. An incana altera, C. B. P. Jacobæa marina altera ſeu minor, Park?* Huic *folia* ſunt anguſta, in minores *lacinias* diviſa, ad rotunditatem tamen tendentia, *canitie* alba, præſertim in averſa parte, obſita.

9. Jacobæa *ſupina maritima annua, Triumfetti. Caules* à *radice* fibroſa orti, palmarem longitudinem raro ſuperant, procumbentes, glabro cortice purpuraſcente tecti; quibus inſident ſine ordine *folia* virentia, pinguia, oblonga, & anguſta, in ambitu ſinuata. Hæc autem cauliculis adnaſcuntur, minora, minuſque dentata. *Flores* aureos, & *ſemina* ad eundem modum quo & congenera ſibi profert.

Copioſe admodum per totam maritimam oram, campoſque adjacentes, qua à Centumcellis Cajetam *verſus eſt iter, ſponte naſcitur. Annua eſt planta.*

10. Jacobæa *ſylvatica tomentoſa Cichorei ſylveſtris folio, Nobis. Erigerum tertium, Dod. Senecio tomentoſa* 3. *Tab.* Hujus *folia* profunde *Cichorei ſylveſtris* in modum ſunt inciſa. *Caules* ramoſi pedales conſimilibus foliis, (aſt minoribus) onuſti. *Flores* è calycibus oblongis plenos, vel triplici petalorum ſerie ornatos profert; quibus ſi caruerat, ad *Erigera* antedicta certe reduci oportuiſſet. Tota planta *hirſutie* tomentoſa obducitur. *V. icon. tab. æn.* 17.

11. Jacobæa *Alpina humilis Abſinthii umbelliferi foliis incanis, Nobis. Chryſanthemum Alpinum* 1. *Cluſ. Hiſt. Chryſanthemum Alpinum incanum foliis laciniatis, C. B. P. Chryſanthemum Alpinum Judenbergenſe Jacobææ affine, J. B.* qui quidem verbis poſterioribus *Jacobæam* eſſe innuere videtur. Multa habet *folia* ſecundum radicem longiuſcula, *Abſinthii umbelliferi* ſimilia, craſſa, pollicari longitudine, in *lacinias* aliquot diviſa, viridia (in novellis tamen quædam canities conſpicitur,) amari ſaporis; cauleſque aliquot palmares rarioribus & tenuibus diſſectis foliis ornatos, ſtriatos, in quibus veluti *umbellæ* denum aut duodenum luteorum florum, *Jacobææ vulgaris* floribus non multum abſimilium, & ejuſdem odoris conſpiciuntur. *Radix* craſſiuſcula eſt, multiſque candicantibus *fibris* capillata.

Provenit in Judenberg, Spital, *& aliis quibuſdam* Stiriæ *jugis.*

12. Jacobæa *pumila ſinuatis foliis argentea, ſummo caule flore ſingulari, D. Luc. Pluknet. Phytograph.* Planta hæc humilis, ut quæ palmum altitudine non ſuperet, *folia* profert humi ſparſa, quercina diviſura ſinuata, ex anguſto principio radici adnexa, & ſeſe dilatantia. Ex horum medio erigitur *caulis* unicus & indiviſus, qui in ſummo *florem* ſingularem, luteum, *petalis* paucioribus acutis radiatum gerit.

13. Jacobæa *Sicula multifida umbellata annua, Bocconi.* E *radice* tenui, parva, *folia* plurima per terram ſtrata, uncialia, & triuncialia nonnunquam, *Jacobææ* more lobata, ſupra virentia, ſubtus incana, in extrema parte rotunde circinata, in margine ſinuata, emittit hæc *Jacobææ* ſpecies, quorum è medio caulis aſſurgit pedalis, alatus, rotundus, leviter hirſutus, foliis cinctus primum *Jacobææ* diviſura donatis, demum *Abſinthii* in modum tenuiter inciſis. *Flores* & *ſemina* congenerum ſunt ſimilia.

Naſcitur ad Agrigentum *& oppidum* Montapertum *dictum. V. icon. tab. æn.* 12.

14. Jacobæa *pumila Gallica, Bocconi.* Hæc *folia* habet cæteris ſuæ claſſis multo tenuius diſſecta, atque eſt planta pumila, & cæteris humilior. *Flore* & *ſeminibus* cum congeneribus convenit.

15. Jacobæa *Sicula Chryſanthemi facie, Bocconi.* Huic *Jacobææ caules* ſunt cubito altiores, non ita craſſi, inanes ſeu intus fungoſi, in plures ramos diviſi; *folia* longa, anguſta, adnatis exiguis alis, *Chryſanthemi Cretici* veluti diviſura & forma, paullulum fœtentia; *flores* in ramulorum faſtigiis multiplices, floribus *Jacobææ* multo minores, in medii umbonis ſeu orbiculi ambitu luteo auri colore fulgentes. *Hujus datur varietas humilior, Schol. Bot. Par.*

Perennis eſt planta, hyememque facile ſuſtinens. Ad Catanam & Taurominium *frequens naſcitur. Vid. icon. tab. æn.* 12.

16. Jacobæa *Alpina foliis ferulaceis, Nobis. Chryſanthemum Alpinum tertium, Cluſii. Chryſanthemum Alpinum foliis longis tenuiter inciſis, C. B. P. An Jacobæa tenuiſſime laciniata flore Buphthalmi, Vallot. H. Reg?* *Caules* firmi ſunt, cubitales, læves, ex purpureis virentes, ſuperiore parte in aliquot ramos diviſi; *folia* longa, tenuiter admodum inciſa, *Achilleæ Matthioli*, ſive *Abrotoni maris* foliorum æmula, longiora tamen, craſſiora, & viridiora, nullum gratum odorem ſpirantia, guſtataque ingrati ſaporis deprehenduntur, & amariuſculi; *flores* in extremis ramis umbellatim diſpoſiti, lutei, *Jacobææ vulgaris* floribus ferme ſimiles, ſed minores, & inodori; & *ſemina* eodem modo pappeſcentia. *Radices* ſunt fibroſæ candicantes, novoſque caules è lateribus quotannis proferunt, qui ſumma tellure plerumque *fibras* agunt.

Creſcit in Sneberg, *& reliquis Alpium jugis. Floret Junio, Julio, & Auguſto menſibus.*

17. Jacobæa *Africana fruteſcens foliis Abrotoni ſive Crithmi major, Par. Bat. Prod. An Chryſanthemum, vel potius Buphthalmum fruteſcens Abrotoni folio, Cap. Bon. Spei, Breyn. Prod.* 2? In curioſorum hortis *Batavicis* adſervatur hæc rara planta ex *Africa* delata, quæ ſurculis aſſurgit teretibus, gracilibus, & lignoſis, plurimis *foliis* tenuibus, (confertim diſpoſitis) ornatis, foliis *Abrotoni maris* proxime reſpondentibus, ita tamen ut ſubdiviſionem raro ferant. *Caulis* ſummitati *capitula* innaſcuntur rotunda, fibularum ad inſtar; & ex his protruduntur *flores* aurei, diſcoides, ritu congenerum, qui poſtea (ut mihi ſignificatum eſt, non enim vidi) in *pappos* dehiſcunt.

18. Jacobæa *paluſtris viridior latiore folio. An Jacobæa latifolia, J. B.*? *Folia* hujus plantæ inferiora *Raphani* foliorum æmula, alis quaſi pediculis donantur, & ultima diviſio latius & amplius extenditur, modo oblonga & ovalia, modoque rotundiora, pallide viridia; at ea quæ in caulibus naſcuntur, pauciora ſunt quam quæ in vulgari, & integra. *Caules* cubitum alti, non tantum in ſummitatibus brachiati, ſed à principio ac dimidio exſurgunt, longi, & vulgaris magis diſtenti; at non umbellatim ac in illa, *flores* gerunt, ſed magis diffuſi cernuntur. *Flores* ampliores ſunt, & aurei ſaturatioris coloris. *V. icon. tab. æn.* 17.

In pratis ad foſſas & aquoſis locis paſſim invenitur.

19. Jacobæa *Virginiana foliis imis Alliariæ glabris, cauleſcentibus Barbaræa. Folia* inferiora pediculis longis, nudis, tenuibus donata ſunt, ſubrotunda, *Violæ Martiæ* aut *Alliariæ* æmula, marginibus crenata, & glabra. Quæ autem ad caulem naſcuntur longa ſunt & lobata, in partem ampliorem, rotundam, & dentatam deſinentia. *Flores* vulgaris floribus perſimiles.

20. Jacobæa *Alpina laciniata Buphthalmi flore, C. B. P. Jacobæa Pannonica* 3. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Pannonica latifolia, J. B.* Cubitali interdum excreſcit *caule* ſimplici, firmo, ſtriato; quem ambiunt *folia* lata, rugoſa, mucronata, per oras ſerrata, viridia, latiore baſi, & veluti appendicibus quibuſdam prædita; quæ vero à radice germinant, rotundiora ſunt, & majora, ſed nullas appendices habent, perinde tamen ſerrata ac ſuperiora. *Flores* lutei, vulgaris ſimiles, multo tamen majores, & ad *Buphthalmi* amplitudinem accedentes, in *pappum* evaneſcunt. *V. icon. tab. æn.* 12.

Provenit in Auſtriacis Stiriaciſque *Alpibus.*

21. Jacobæa *foliis rotundis ſerratis, C. B. P. & Prod. Conyza Alpina, J. B. Jacobæa Pannonica quarta, Cluſ. Hiſt. Latifolia altera, Cluſ. Pan. Ramis* frequentibus fruticat, ſeſquicubitali rigido *caule. Folia* alternata fere, pediculis uncialibus & ſeſcuncialibus inhærent, ex rotundis nonnihil oblonga, uncias circiter tres lata, paullo longiora, modice in acumen deſinentia, profunde in ambitu ſerrata, ſubtus incana lanugine pubeſcentia, ſupra virentia. *Flores* ſunt quales & congeneribus.

In monte prope Weſen *non longe à lacu* Tigurino *diſſito florentem menſe Julio V. Cl.* Jo. Bauhinus *obſervavit. V. icon. tab. æn.* 17.

22. Jacobæa *foliis longis integris & mucronatis, Nobis. Conyza paluſtris ſerratifolia, C. B. P. Conyza maxima ſerratifolia, Thal. Lingua major Dalechampii, Lugd. Virgæ aureæ ſive Solidagini affinis anguſtifoliæ Lingua avis Dal. J. B.* E radicis capite duro *fibris* plurimis craſſiuſculis capillato, oriuntur *caules* ex rotunditate ſtriati, tantillo tomento obducti, humanam altitudinem acquirentes, *foliis* multis, palmum longis, uncias duas latis, integris, & mucronatis, in ambitu denticulationibus acutis ſerratis, tomento quodam, præſertim in averſa parte, aſperſis, abſque pediculis inordinatim cauli adnatis prædita. *Caulis* rectus, donec proceritatem perfecerit, raro diviſus eſt, at in ſummo in pediculos brachiatur, qui *flores* aureos radiatos *Jacobææ vulgaris* ritu, cum ſeminibus ſuis pappoſis ſuſtinent. *V. icon. tab. æn.* 19.

Planta eſt perennis. A media æſtate ad Autumnum floret.

23. Jacobæa *longifolia integra ſerrata pediculis longioribus donata, Nobis. Conyza Helenitis mellita incana, Lob. J. B. Conyza incana, C. B. P.* Huic *folia* quæ oriuntur primo, pediculis longis inſidentia, ab anguſto principio, *Digitalis vulgaris* in modum, in medio in latitudinem extenduntur, marginibus dentatis; at quæ cauli ſeſquipedali, tomentoſo, incano appoſita, longa, anguſta, abſque inciſuris cernuntur. *Flores* lutei, ſtellati, *mellis* virginei odore, in *pappos* præ maturitate tranſmutantur.

In ſylvis quibuſdam Arteſiæ *naſcitur. V. icon. tab. æn.* 19.

24. Jacobæa *aquatica elatior foliis magis diſſectis, Nobis. Conyza aquatica laciniata, C. B. P. Conyza helenitis foliis laciniatis, Lob. icon. Park. Conyza helenitis, Dod. Belg. Folis laciniatis, Ger.* Binos cubitos altus aſſurgit *caulis* pollicaris, ſtriatus, cavus. *Folia* inferiora, tres aut quatuor uncias longa, anguſta ſunt, profunde inciſa; ſuperiora minora redduntur, eaque *tomentum* quoddam candidum, longum, ficut & caulem (non ſolum hirſuties) ſparſim velat. Summi caules aliarum *Jacobæarum* in modum ornantur *floribus* aureis, ſtellatis, qui in *pappos* reſolvuntur.

In foſſis ſtagnantibus & in aquis in inſula Elienſi; *in Comitatibus* Lincolnienſi & Lancaſtrienſi; *in* Wallia, *atque in* Batavia, *ſponte naſcitur. V. icon. tab. æn.* 19.

25. Jacobæa *lanoſa foliis brevibus ſubrotundis, Piloſellæ flore impenſe flavo, D. L. Pl. An Jacobæa lanata foliis brevibus ſubrotundis, D. Ban. Cat. Virgin.*? *Caulis* hujus novæ *Jacobææ* erectus, *foliis* uncialis aut biuncialis longitudinis, atque ſemuncialis latitudinis, in oris modice ſinuatis, tomentoſis, alternatim poſitis, amicitur. Hujus ſummitati *flos* unicus amplus, ex *petalis* aureis (quorum quodlibet crena bifida inſignitur) conflatus innaſcitur.

26. Jacobæa *minor incana flore amplo luteo Cap. Bon. Spei, D. Pluk. Alm.* 154. *Tab.* 302. Hujus *folia* per terram ſtrata ſeſcunciam longa, ſemunciam lata, per margines *crenis* acutis inſcripta ſunt, integra tamen, in mucronem acutum terminata. *Flos* unicus *Jacobææ* ſimilis pro plantulæ modulo ſatis amplus, ſingulari cauliculo palmari inſidet.

Huic alteram adjunxit Cl. auctor quam *Jacobæam minorem Æthiopicam florum petalis lituris croceis ſtriatam*, appellavit, quæque ſpeciei jam dictæ reſpondet.

27. Jacobæa *pumila Stæbes foliorum diviſuris tomentoſa, D. Pluk. Alm.* 154. *Tab.* 302. Pumila hæc planta biuncialem aut triuncialem altitudinem non ſuperans, *folia* parva emittit tomentoſa, acuta, anguſta, *laciniis* acutis dentata, *Stæbes* aut *Erucæ* folia quodammodo referentia. Cauliculus *florem* unicum radiatum, ex *petalis* longis compoſitum, ſuffulcit.

28. Jacobæa *folio breviore ſerrato integro, Nobis. Senecio folio non laciniato, J. B. C. B. P. Senecionis genus Myconi, Lugd.* Herba eſt cubitali altitudine donata, *radicibus* tenuibus, candidis, lignoſis, dulcibus; *caule* aliquantiſper piloſo, rotundo, cavo, *medulla* lanuginoſa farcto, in quo *folia* ſunt exigua, piloſa, in ambitu ſerrata, craſſa, aliquantulum viridia, inferne rubeſcentia, & quandoque colore vinoſo manus inficientia. In caulis ſummitate *flores* ſunt lutei, ſtellati, in *pappos* protinus abeuntes. *Sapor* totius plantæ aqueus eſt, qualis & *vulgaris Senecionis.*

Naſcitur in quercetis, lociſque non admodum ſiccis; interdum & in pratis. In ſabuloſis haud longe à Norimberga, *atque in* Sicilia *D.* Raius *obſervavit. V. icon. tab. æn.* 17.

29. Jacobæa

29. Jacobæa *minima montana lanuginoſa foliis brevibus ſubrotundis, Nobis. Jacobæa montana non laciniata noſtras, Raii Hiſt.* Plantæ huic humili à *radice* dura, oblique acta, fibris longis quibus hæret obſita, proveniunt *folia* humi procumbentia, ſubrotunda, unguis humani amplitudine, in margine tenuiſſime ac fere inviſibiliter dentata, tomentoſa, molli, lanoſa, albida materia obducta; potiſſimum in averſa parte, nam pars ſupina viridior apparet. *Caulis* è medio erigitur ſemipedalis, molli *lanugine* tectus, paucis anguſtis *foliolis* veſtitus, & modo ſingularem, modo plures *flores* luteos profert, pro plantæ modulo ſatis amplos, diſcoides, aliarum *Jacobæarum* floribus ſimiles, quibus etiam *ſeminibus* convenit.

In montoſis & collibus ficcioribus Angliæ *variis in locis invenitur*, v. g. *in glabretis prope* Burford *in Comitatu* Oxon. *prope oppidum* Novum Mercatum, *alibique ſponte naſcitur.*

30. Jacobæa *montana lanuginoſa anguſtifolia non laciniata, C. B. P. Pannonica non laciniata, J. B. Pannonica 2. Cluſ. Pan. & Hiſt. Park.* Huic *Jacobææ* tomentoſæ *caulis* eſt cubitalis; *folia* ſunt latiuſcula, integra, mucronata, ac leviſſime dentata, & aſſurgentia fiunt minora. In ſummo caule pauci naſcuntur *flores*, vulgaris non abſimiles; qui antequam explicentur, ex atris rubeſcunt; ſed ubi aperti ſunt, auri fulgore ſplendent. *Semen* pappoſum ſuccedit.

In montoſis & cæduis ſylvis Pannoniæ, & Auſtriæ *inferioris naſcitur. Floret Junio menſe ineunte. Vide icon. tab. æn.* 12.

31. Jacobæa *Æthiopica Lavendulæ folio, Breyn. Cent.* 1. *Virgæ* quas ex radice fundit, rotundæ ſunt, ſtriatæ, & incanæ, magnitudine *Millefolii ſylveſtris*; per quas *folia* viridiincana, uncias duas longa, culmum lata, inferiora dentata, ſuperiora plana, ſimilia foliis *Lavendulæ* ſparguntur. Virgarum faſtigia in *ſurculos* quoſdam, & hi in *pediculos*, minutiſſimis donatos *foliolis* abeunt; quorum ſinguli è calyculo torulis viridibus canaliculato geſtant *florem Jacobææ* flore minorem, radiatis, aureis, per extremitatem inciſis *petalis* umbonem concolorem ex multis apicellis ſive tubulis conſtantem coronantibus. Iſte autem flos in pappoſum tandem *ſemen* oblongiuſculum, *Jacobææ vulgaris* ſemini non diſpar, abit.

Gaudet herboſis locis Promontorii Bonæ Spei. *V. icon. tab. æn.* 18.

32. Jacobæa *Crithmi littorei foliis, Moriſ. Prælud. Bot.* Planta eſt bipedalis, cujus cauli plurima appoſita ſunt *folia* anguſta, craſſa, oblonga, viridia, *Crithmi Chryſanthemi maritimi* inſtar, quæ *Lavendulæ* latitudinem non ſuperant. *Florem* fert luteum *Jacobææ* ſimilem, ſtellatum, cujus *petala* lata, lutea, cingunt diſcum luteum ex plurimis ſtaminulis luteis conflatum, quique abit in *pappos*.

De natali ſolo nihil compertum habemus. In horto Regio Bleſenſi *crevit, & plantam ſiccam in libro D.* Ed. Morgan *obſervavi.*

33. Jacobæa *Æthiopica Laricis folio, Breyn. Cent.* 1. Hæc planta lignoſus & parvus eſt frutex, *Ericæ* ſimilis, *ramos* ferens multos, dilute virides, rotundos ac ſtriatos, inferius ubi nudi, tuberculis denſis ſive foliorum delapſorum veſtigiis veluti punctulis inæqualiter utrinque & in medio poſitis, inſtar *Euonymi alterius Cluſii*, inſignes; cæteroquin ab imo ad ſummum numeroſo ac denſo agmine *foliorum* uncialium & dimidio minorum, anguſtiſſimorum, læte viridium, ad folia *Pinaſtri tertii Hiſpanici pumili Cluſ.* vel *Laricis* accedentium, at molliorum, ita circundati ſtipatique ut ipſos ramos penitus occultent. *Florem* in ramulorum & ſurculorum cymis, plerumque ſolitarium producit aurei coloris, ſtellatum, *Jacobææ* haud multum abſimilem, minus autem folioſum, *calyce* longiore præditum, præ maturitate in pappum evaneſcentem, & *ſemen* nigrum *Jacobææ* ſeminè longius relinquentem.

In Ericetis ad Promontorium Bonæ Spei *oritur. V. icon. tab. æn.* 18.

34. Jacobæa *ſpicata Monomotapenſis, Breyn. Cent.* 1. Hæc *caule* longiore quam quibus prædictæ gaudent adoleſcit, rotundo, ſtriato, in ramos diducto ſatis longos; quos quidem hinc inde *folia* ſepiunt ſubrotunda, craſſa, & ſerrata, *Euphraſiæ* foliis quodammodo accedentia, in mucronem vero acutiorem deſinentia. *Flores* ſcanſiles per ramulorum longitudinem ſerie quadam ſuccedentes gerit, velut in ſpicam congeſtos, flavos, radiatos, diſco melino, *Jacobææ vulgaris* minore, calyculo quoque longiore & anguſtiore, ex numeroſioribus *ſquamulis* viridibus, fimbriatim albam *lanuginem* habentibus imbricatim compacto donatos. Horum florum apicelli in *pappos* reſoluti, una cum ſemine *Jacobææ* paullo exiliore avolant. Tota planta hirſutie quaſi ſubaſpera, & alba *lanugine* obſita conſpicitur.

Datur & *altera* hujus ſpecies, cujus *caules* itidem ſtriati ſunt, aſt minus lanuginoſi, *foliiſque* paucioribus ſepti, ac *floribus* rarioribus, ſurculo longiuſculo ſæpe ſolitariis inſidentibus onuſti.

Ad Promontorium Bonæ Spei *naſcitur. V. icon. tab. æn.* 18.

35. Jacobææ *affinis planta tuberoſa Capitis Bonæ ſpei, Breyn. Cent.* 1. *Radice* eſt tuberoſa, fuſca, in orbicularem latitudinem effuſa, *Cyclaminis* facie; *foliis* multis *Cyclaminis* etiam haud valde abſimilibus, & ſatura & dilutiore amœna viriditate eleganter variegatis; inter quæ *cauliculi* teretes, concavi, paucis *foliolis* ſepti, bini, terni, plureſve dodrantalis longitudinis exſurgunt, *florem* unicum, aureum, *Jacobææ latifoliæ Pannonicæ* 3. *Cluſ.* ſimilem, in *pappum* abeuntem ſuſtinentes.

Hæc (*inquit Breynius*) in ramulo ſicco & figura ſummo ſtudio coloribus expreſſa, quæ in *Beverningiano* horto floruit, notare potui. *V. icon. tab. æn.* 18.

36. Jacobææ *affinis Æthiopica humilis flore intus aureo, extus punicantibus ſtriis inſcripto, Nobis. Anemone affinis Æthiopica fibroſa radice flore Aſteris, Taraxaci foliis ſubincanis, Hort. Lugd. Bat. Chryſanthemum Africanum Stœbes foliis latioribus, Breyn. Prod.* 1. *Calendula chryſanthemoides ſemine ſeu fructu lanuginoſo, Stœbes foliis latioribus, Breyn. Prod.* 2. *Cl. Hermannus* iconem hujus novæ plantæ edidit, deſcriptionemque exhibuit. *Folia* ſpargit *Jacobæa* aut *Erigeri*, prona parte pallide virentia, ſupina incana & ſubhirſuta. *Cauliculos* procumbentes emittit dodrantales, molliculos, anguloſos, in alios minores brachiatos, qui in ſummitatibus è capitulis rotundis ſquamatis *flores* amœnos amplos radiatos diſcoides, facie *Aſteris*, radiis interius omnino aureis, exterius pallide punicantibus ſtriis inſcriptis, geſtant; medio vero diſco ex puniceo nigricante, qui cœlo ſereno croceum ſpirat odorem. Poſt horum exanthefin ſequuntur capitula facie *Anemonum* rotunda, nuda, tomentoſa, pallida, quibus involvuntur *ſemina* parva, ſpadicea, dura, quæ autumno ſata ſubſequente vere progerminant, *radice* fibroſa, alba, tenui, quotannis pereunte.

Naſcitur in aridis, montoſis, apricis, ad Promontorium Bonæ Spei.

Temperamentum

Temperamentum & Vires.

Jacobæa *eſt calida & ſicca, & propter amaritudinem quam habet etiam extergens. Ad vulnera & ulcera inveterata ac ſordida, quæ ſucco hujus cum melle permixto expurgantur, à neotericis commendatur.*

Laudatur vero & hujus decoctum *gargarizatum tanquam utile ad gutturis tumores & abſceſſus, quos & diſcutit & perſanat.*

Decoctum Jacobææ, *aut planta ipſa in pulmento cocta, dyſentericis mire opitulatur. Et cataplaſmatice abdomini applicatum, adverſus ventris tormina felici ſucceſſu adhibetur.* Sim. Paul. *De cæteris vide* Park.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes Stellatæ.

CAPUT XXI.

Conyza.

COnyza, Κόνυζα Dioſc. *l.* 3. *c.* 136. *ſic forte dicta quod κώνωπας ſeu culices ſuo lentore capiat. Apud* Theophraſtum 6. *Hiſt.* 1. & 2. Pulicariam Gaza *vertit.* Plin. *l.* 21. *c.* 10. Conyza. Jo. Bodæo *à* Stapel. *hoc Etymon non placet; eſt enim* (*inquit*) *inter κώνωψ & κόνυζα, magna nimis differentia. Ego ſalvo meliori judicio, dictum puto ἀπὸ τὸ κονίζειν quod* pulvere *fœdetur,* pulviſque *glutine quaſi ac pinguedine obſitis caulibus ac foliis inhæreat, quæ idcirco obſoleti non raro videntur coloris. Vel κόνυζα nomen accepit ἀπὸ τῆς κύνα ὄζειν, quod* caninum *præ ſe ferat* odorem.

Planta quam *Conyzam* vocamus, eſt non lacteſcens, *flore* radiato, *ſemine* pappoſo, *foliis* integris glutinoſis ſeu viſcoſis, odore acri & gravi donata; & vel flore eſt majore, vel minore.

TABULA XXI. SECT. VII.

Conyza flore ampliore

1. *Pannonica lanuginoſa, C. B. P. Conyza tertia Auſtriaca, legitima forte Dioſc. Cluſ. Hiſt.*
2. *Alpina piloſiſſima, C. B. P. Helenitis piloſa, Lob. J. B.*
3. *Maritima fruteſcens Hiſpanica, Mentz.*
4. *Montana lutea oblongis foliis, C. B. P. Major altera, Cam. in Hort.*
5. *Latifolia viſcoſa ſuaveolens flore aureo, è Galloprovincia, Schol. Bot. Par.*
6. *Altera Apula; an Baccharis, Col? Aſter luteus radice odora, C. B. P.*
7. *Media Aſteris flore luteo vel* 3. *Dioſc. C. B. P. Conyza media, Ger.*
8. *Paluſtris repens Britannica dicta, Nobis. Conyzis affinis, C. B. P. Britannica vera, Dal. Lugd. Geſn. Lob.*
9. *Media ſpecies foliis Virgæ aureæ, J. B.*
10. *Africana foliis Stœchadis citrinæ Gallicæ, D. Ten Rhyne, Breyn. faſcic.*

Conyza flore minore

perennis

11. *Major vera, Lob. icon. Mas, Theophraſti. Major, Dioſc. C. B. P. Dod.*
12. *Minor vera, Lob. icon. Lugd. Fœmina Theophraſt. Minor Dioſc. C. B. P.*
13. *Minor Bætica odoratior; Cluſ. Cur. poſt.*
14. *Capitata ſeu globoſa, Bocconi.*
15. *Tuberoſa lutea foliis anguſtis & rigidis, Magnol. Conyza marina, J. B. Lugd.*
16. *Marina, Dal. Lugd. Park.*
17. *Amara Mexicana foliis minimis floſculis ex albo rubeſcentibus, Cacachichit, ſeu herba amara, Recchi.*
18. *Mexicana foliis Salviæ glutinoſis, flore purpuraſcente, Civapatli yacapichtlenſi, Recchi.*
19. *Syriæ quibuſdam, J. B. Major altera, C. B. P.*
20. *Montana Myconi foliis Hyſſopi vulgaris piloſis, J. B. Montana foliis glutinoſis piloſis, C. B. P.*
21. *Salviæ odorem ſpirans, C. B. P. Bantanica planta foliis Helenii, J. B.*
22. *Lutea Virginiana tenuiore Lini folio.*
23. *Nodiflora Mexicana Tzicatzonte comatl dicta, Recchi.*
24. *Orientalis alato caule, flore globoſo, Nobis. Scabioſa capitulo aphyllo Chryſanthemi Myconi foliis, alato caule Madraſpatenſis, D. L. Pl.*
25. *Cærulea acris, C. B. P. Erigerum* 4. *Dod. Amellus montanus Æquicolorum, Col.*
26. *Cærulea Alpina major, C. B. P. & Prod.*
27. *Cærulea Alpina minor, C. B. P. & Prod.*

annua

28. *Sicula lutea foliis atroviridibus, caule rubente, Bocc.*
29. *Acris alba elatior Linariæ foliis, Nob. Virga aurea Virgin. annua, Zan.*
30. *Acris alba Virginiana glabra tenuior.*
31. *Caulibus rubentibus tenuioribus, flore luteo nudo, Magnol.*
32. *Helichryſoides graveolens capitulis argenteis Africana.*

1. Conyza *Pannonica lanuginoſa, C. B. P. Conyza tertia Auſtriaca, legitima forte Dioſc. Cluſ. Hiſt. Aſteri montano hirſuto magno flore ſive Oculo Chriſti ſimilis, ſi non idem, J. B. Et Aſter Atticus luteus montanus villoſus magno flore, C. B. P. Oculus Chriſti minor, Lob.* eadem eſſe videtur. Pedales habet interdum *caules* rectos, firmos, duros, incana lanugine tectos, quibus longa inhærent *folia Conyzæ majoris* foliorum amplitudine prædita, mollia, incana, hirſuta, dorſo prominente longiore. Quæ circa radicem ſunt folia donantur pediculo; quæ autem ſuperiorem caulis partem amplectuntur, brevi aut prorſus nullo. Ea trita non injucundum ſpirant odorem, & guſtata amariuſcula & acriuſcula deprehenduntur. *Flores* extremo cauli & ramulis inſident magni, *Helenii* florum forma, multis petalis luteis medium diſcum ſeu orbem palleſcentem ambientibus, nullo odore præditi. *Radix* longa, tenuis, nigricans, ſerpens, ſubinde ab ipſo capite unde caules prodeunt, multas candicantes *fibras* undique ſpargens, reſinaceum quippiam olet, guſtataque amara & acris comperitur, vivax & perennis. *V. icon. tab. æn.* 19.

Exit ſponte ſiccis & aridis locis, herbiferis tamen, & declivibus collium ad Zimmerin *qua ad* Phaſianorum *iter eſt, uno ab urbe* Vienna *milliari, ad* Badenſes *thermas,* Radaun, Petronellam; *atque ſecundum vias publicas & in monte* Capauladou *D.* Magnol. *invenit. Floret Junio menſe.*

2. Conyza *Alpina piloſiſſima, C. B. P. Conyza helenitis piloſa, Lob. J. B.* Huic *folia* in mucronem acutiorem extenduntur, atque tota planta *pilis* longioribus obſita eſt, quibus à proxime antecedente potiſſimum differt. *V. icon. tab. æn.* 19.

3. Conyza *maritima fruteſcens Hiſpanica, Mentzelii.* Hanc in maritimis, circa *Alicandiam, caulibus* quidem lignoſis, cæterum omnibus partibus *Conyzæ paluſtris* gaudentem obſervavit *Cl. Mentzelius.*

4. Conyza *montana lutea oblongis foliis, C. B. P. Conyza major altera, Cam. in Hort. Radicem* craſſam habet multiplici *fibrarum* contextu conſtantem; ex qua primo protruduntur *folia* hirta mediocris magnitudinis; atque ex horum medio exeunt *caules foliis* longis, hirtis, mucronatis veſtiti. Porro in iſtorum cymis perpauci apparent *flores* lutei, *petalis* exterioribus tenuibus, longis ſatis, circumvallantibus minores ſeu puſillos *floſculos* fiſtuloſos, vix perceptibiles, in medio diſco ſitos, donati. Hi autem fatiſcentes abeunt in *ſemina* pappo ſuperius donata. *Vid. icon. tab. æn.* 19.

5. Conyza *latifolia viſcoſa ſuaveolens flore aureo, è Galloprovincia, Schol. Bot. Par. An Conyza major alato caule, foliis Primulæ veris longe amplioribus, graviter odoratis, Lelii Triumfetti?* Planta hæc nova à *Pariſienſibus* detecta, *folia* humi ſparſa profert palmaris longitudinis, duas aut tres uncias lata, ex anguſta baſi ſeſe dilatantia, in ambitu modice dentata aut ſinuata, & folia *Primulæ veris* æmulantia. Inter hæc *caulis* erigitur bipedalis, *foliis* brevioribus & tactui viſcoſis ornatus, qui *flores* aureos, ſtellatos, cæterarum ſuæ ſortis ſimiles ſuſtinet.

In horto Pariſienſi *collegit D. D.* Sherard, & *nobiſcum communicavit.*

6. Conyza *altera Apula, an Baccharis, Col. Aſter luteus radice odora, C. B. P. Radicem* habet diuturnam, ex ceſpite prodeuntem *Hellebori* modo fibroſam. *Fibræ* ſemipedales, duræ, nigræ, craſſo cortice carnoſæ, pullo colore, ſapore & odore aromatico, nervum albicantem intus lignoſum tenuem admodum oſtendunt diſſectæ, aliquibus etiam tenuibus fibris intermediis albentibus immixtis. *Folia* ſunt latiuſcula, craſſis *nervis* multis, in terram ſtrata, lanoſa, mollia, per ambitum obſcure dentata, colore ex viridi pallenti, odorata. *Caulem* habet è foliorum umbilico erumpentem ſemipedalem, hirſutum, anguloſum, veſtitum *foliis* petiolo deſtitutis, *Drabæ* vel *Glaſti* ad inſtar, acutiore ſerratura dentatis; in ſummo duabus vel tribus *alis* diviſum, in quibus *capitula* Aſteris in modum tenuiſſimis ac denſis *barbulis* radiantia, lutea, cum umbone intus ex parvis floſculis conſtructo. *V. icon. tab. æn.* 21.

Maio menſe floret, & Junio vel Julio perficitur ſemen pappoſum. Rarior Cinirolæ *in ſylvula prope* D. Rocchi *Ædem; frequentior in monte* Majella *dicto; atque haud longe à* Roma *invenitur, ut refert Doctiſſimus* Fab. Columna.

7. Conyza *media repens Aſteris flore luteo, vel 3. Dioſc. C. B. P. Conyza media, Ger. Matth. Conyza media, Matth. Flore magno luteo humidis locis proveniens, J. B.* Cubitum alta excreſcit, cum *caule* tereti, lanugine incana obducto, lento, *foliis* crebris nullo ordine creſcentibus, alis utrinque caulem amplectentibus, acuminatis, rugoſis, albicantibus, villoſis. *Flores* extremis ramulis inſident, *Buphthalmi* ad inſtar, circinata petalorum ſerie diſci medii orbitam concolorem radiatim ambiente, odore nullo excellente. *Radix* ſubeſt caulem craſſitie æquans, oblique fere acta, pauculis *fibris* donata. *V. icon. tab. æn.* 19.

Frequentiſſima in pleriſque regionibus, locis riguis & aquoſis, & ad foſſas reperitur. Floret verſus æſtatis finem & Autumni initium.

8. Conyza *paluſtris repens Britannica dicta, Nobis. Conyzis affinis, C. B. P. Britannica vera, Dal. Lugd. Britannica conyzoides quibuſdam, Aſter Pannonicus Cluſio, J. B. Radice* eſt gracili, fibrata, prætenuibus villis in vicina quæque reptante, nigreſcente; *caulibus* pedalibus multis, nodoſis; *foliis* oblongis, anguſtis, hirſutis, præſertim inferne qua terram ſpectant, minime crenatis, *Lapathi ſylveſtris* in aquoſis & cœnoſis gigni ſoliti valde ſimilibus. *Flos* in ſummis caulibus *aureus Calendulæ* ſimilis, in pappos abit. *V. icon. tab. æn.* 19.

In humidis & riguis naſcitur. Vide Hiſt. Lugd. *pag.* 1082.

9. Conyzæ *ſpecies foliis Virgæ aureæ, J. B. Folia* per *caules* alternatim diſpoſita, fere ſimilia *Virgæ aureæ vulgaris* foliis ſunt. In iis *pilos* non animadvertimus. *Folia* in ſuperioribus partibus breviora, & anguſtiora ſunt, ex principio lato. *Caules* rotundi, cubitales & ſeſquicubitales, in aliquot ramos diviſi, in quorum longis partibus ſupremis capitula magnitudinis circiter *Chamæmeli lutei* vulgo dicti. Cinguntur autem *corona* parvorum *petalorum*, ſicut cæteræ *Conyzæ* & *Aſteres luteo flore* donati. *Calyx* conſtat ex *foliolis* ſive potius ſquamulis cinereis vel albicantibus. *V. icon. tab. æn.* 20.

Tiguri *cum eſſet* Johannes Bauhinus, *apud* Geſnerum *hanc plantam obſervaverat, ſicut ſupra* Spiram *collectam à* Valerando Doures.

10. Conyza *Africana foliis Stœchadis citrinæ Gallicæ, D. ten Rhyne. Breyn. Faſcic.* Quaſi ſuffrutex eſt pedalis vel altior, *Elichryſo* XI. *Caſp. Bauh.* ſimilis ſed magis lignoſus, *foliis* pluribus *Stœchadis citrinæ Gallicæ* ſimilibus, ſed anguſtioribus; *flore* majore, cujus *umbo petalis* longis & anguſtis circumradiatur. *Radix* lignoſa multis *fibris* divaricatur. *Semen* pappeſcens.

In Africa *juxta promontorium* Bonæ Spei *Cl. D.* ten Rhyne *collegit.*

Conyzæ floribus minoribus.

11. Conyza *major vera, Lob. icon. Conyza major Dioſcoridis, C. B P. Dod. Mas, Theophraſti. Conyza major Monſpelienſis odorata, J. B.* *Caule* fruticat ſeſquicubitali & bicubitali, multiplici, lignoſo, rigido, hirſuto, & tactu glutinoſo, obſoleti coloris, in multos ramos brachiato. *Folia* germinatione prima inordinata, alternatim caulem amplectentia, tres uncias longitudine æquant, vix unciam lata, leviter ſerrata; ſuperiora vix unciam unam longa, mollia, piloſa, & glutine quodam lento viſcida, ex viridi colore pallentia. *Flores* ſecundum extremos ramulos ſpicatim frequentes exſiliunt lutei, ſtellati, qui amplitudinem *Bellidis minoris* vix acquirunt, in pappos evaneſcentes, ſemine parvo cineraceo donati. *Radix* ſubeſt lignoſa, vivax. Tota planta viſcoſa, & graviter eſt odorata. *V. icon. tab. æn.* 19.

Secus vias & vinearum margines, in Gallia Narbonenſi; *& in* Italia & Hiſpania *paſſim reperitur.*

12. Conyza *minor vera, Lob. icon. Lugd. Minor Dioſc. C. B. P. Fœmina, Theophraſti. Minor, Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Minor altera.* Cum proxime antecedenti *Dod.* hæc convenit, ſed in omnibus minor eſt; & *flores* profert copioſiores, & ſemina quibus planta abſumitur, radiceſque & caules ejus exhauriuntur, unde planta eſſe annua exiſtimatur. Quod ſi *caules* abſciſſi fuerint antequam ad maturitatem perveniant, anno ſuccedente reſurgunt, quod in aliis pluribus plantis lignoſis commode exerceri poteſt. *Vid. icon. tab. æn.* 20.

Frequentiſſime in agris non procul Madritio, *via qua itur* Toletum *invenitur, ut* Cluſius *perhibet; atque circa* Monſpelium, *aliiſque in locis ſecus humentes vias, præſertim ſolo maritimo, quo gaudet, ſponte naſcitur.*

13. Conyza *minor Bætica odoratior, Cluſ. Cur. poſt. An odora ſuaveolens, Mentz. circa Bononiam?* Tanquam varietatem antecedentis habemus.

14. Conyza *capitata ſeu globoſa, Bocconi.* *Radice* conſtat ſatis craſſa. *Caule, foliis, & odore Conyzam majorem* apprime refert hæc planta; ſed in *flore* id præcipue notandum, quod concreſcat illius diſcus ſeu umbo in caput globoſum, *Lachrymæ Jobi* quoad figuram non abſimile; & quod abſolutis & ad maturitatem perductis ſeminibus, ſeſe aperiat caput globoſum, atque *ſemina* effundat in pappos abeuntia, ita ut in medio capitis globoſi inſecta, exigua ut plurimum gignantur. *Vid. icon. tab. æn.* 20.

15. Conyza *tuberoſa lutea foliis anguſtis & rigidis, Magnol. Conyza marina, J. B. Lugd. Lob. Obſ. Aſter conyzoides Geſn. Rawolf. itiner. Chondrilla bulboſa Conyzæ facie major foliis latioribus, C. B. P.* Sed perperam. Prolixas ſub terra agit *radices* non ſine *fibris*, in tuberoſum veluti *bulbum* tandem deſinentes. *Caules* ſtatim compluſculi, dodrantales circiter emergunt, hirſuti, *foliis* amicti frequentibus, duarum triumve unciarum longitudine, vix culmum latis, rigidis, nervo unico per longitudinem donatis. *Caulis* ſuperius dividitur, & *flores* geſtat *Conyzæ majoris* ſimiles, luteos, in pappum evaneſcentes. *V. icon. tab. æn.* 20.

In Campeſtribus juxta montem Lupi *collegiſſe* Cherlerum *ſcribit J. B. ubi ſecus vias Julio & Auguſto menſibus florentem ſæpe D.* Magnol. *legit. Juxta* Aleppum *in arvis reperitur.*

16. Conyza *marina, Dal. Lugd. Park. Chondrilla bulboſa Conyzæ facie foliis anguſtioribus, C. B. P.* In maritimis naſcitur hoc *Conyzæ* genus, quod à foliorum longitudine *Macrophyllum* cognominarunt. *Radice* ſicca duraque; *caule* dodrantali, ſurculoſo; *foliis* in eo multis longis, inſtar *Plantaginis* anguſtifoliæ, aut etiam anguſtioribus, guſtu fatuo, ſimul & nonnihil amaro; *flore* luteo in corymbis ſurculorum vertici inſidentibus, qui in pappos tandem abit, donatur. *V. icon. tab. æn.* 19.

Cum Aſtere Conyzoide Geſneri *convenit, ſi non eadem ſit planta.*

17. Conyza *amara Mexicana foliis minimis, floſculis ex albo rubeſcentibus, Catachichit ſeu Herba amara, Recchi.* Herba eſt ſeſquidodrantalis, hirſuta, tota ſubalbida, & minimis *foliis, cauliculiſque* contextis è *floſculis* ſubrotundis, ex albo colore rubeſcentibus, piloſis, qui abeunt in *pappos*, promiſcue referta, radicique innixa fibratæ. Valde *amara* eſt, unde nomen.

Temperatorum locorum Tepetlaoztoci & Tetzeoqui *alumna, & planorum atque acclivium incola eſt.*

18. Conyza *Mexicana foliis Salviæ glutinoſis, flore purpuraſcente, Cavapatli Yacapichtlenſi, Recchi. Salviæ* ſimilia profert *folia*, adeo glutinoſa ut tacta manibus protinus adhæreſcant; & *flores* in ſummis caulibus purpuraſcentes, & in corymborum formam compoſitos; *radicemque* fibratam.

Naſcitur in calidis Yacapichtlæ.

19. Conyza *Syriæ quibuſdam, J. B. Major altera, C. B. P. Conyza major, Dioſc. Rawolfii, Cluſ. Hiſt.* Plures ex eadem *radice* profert *cauliculos*, circiter pedem aut paullo amplius altos, quorum nonnulli ſunt ſurrecti, potiſſima vero pars humi procumbit, novaſque *fibras* agens, ſubinde alios cauliculos producit. Longiuſcula habet *Oleæ* folia, pinguia, ſubhirſuta, ſatis gravis odoris, cui tamen ſuavitas quædam admixta eſt; alioqui floribus & cæteris notis, majori non valde diſſimilis. *V. icon. tab. æn.* 20.

Circa Tripolin Syriæ *deſcriptionis auctor* Rawolf. Conyzæ minoris *genus obſervavit.*

20. Conyza *montana Myconi, folio Hyſſopi vulgaris villoſo, J. B. Conyza montana foliis glutinoſis piloſis, C. B. P.* *Radice* eſt lignoſa ſolida, intus candicante, foris nigreſcente, minimi digiti craſſitudine, guſtu aliquantum adſtringente, exſucca non minus quam eſt ſuberis cortex. Ex hac *ſtolones* multi prodeunt, teretes, villoſi, ſolidi, dodrantales; in quibus *folia* tenuia *Hyſſopi vulgaris*, ſed glutinoſa *Ledi* ad inſtar, odore gravi & viroſo & hircinum quiddam olente. In ſummitate cauliculorum ſunt floſculi *Sonchi* ſimiles, luteoli, in pappos abeuntes. *V. icon. tab. æn.* 19.

Naſcitur in montoſis, & forte Hiſpaniæ *ſaxoſis, unde* Myconus *peritus Medicus alias plantas miſit* Dalechampio.

21. Conyza *Salviæ odorem ſpirans, C. B. P. Planta Bantanica, Cluſ. Exot.* In Doctoris *Colii* Sportulis ex *India* Orientali habetur *Conyza odorata* aut *Helenium alterum Salviæ odorem ſpirans*, cujus *folia* palmum ſunt longa aut pluſculum, tres fere uncias lata, per oras crenata, aliquot *venis* à medio nervo folium per longitudinem medium ſecante inæqualiter naſcentibus, & in latera excurrentibus prædita, pronaque parte incana. Foliorum pediculi parvas appendices adnatas habent, veluti aures. Tenelli rami, & recenter nata folia alba *lanugine* pubeſcunt. *Flores* parvi, flaveſcentes, in pappos abeuntes. *Cluſ.*

22. Conyza *Virginiana lutea Lini folio acutiore. Caulis* recte aſſurgit, gracilis, teres, pedalis aut circiter, *lanugine* quadam obſitus; quem *folia* ſeſcuncialia, & aſſurgentia breviora, anguſta, & *Lini* foliorum ad inſtar acuta,

tantillo

tantillo tomento obducta ſine ordine veſtiunt. *Caulis* ſummitas in *alas* ſe dividit, *flores* haud amplos, *petalis* aureis, tenuibus, radiatis, gerentes, qui cæterorum more in *pappos* abeunt. *V. icon. tab. æn.* 19.

E Virginia à *D.* Baniſter *ipſi accepimus.*

23. Conyza *nodiflora Mexicana, Tzicatzonte comatl, Recchi. An Scabioſa Jamaicenſis Hyſſopifolia ſive Globularia capitulis ad genicula, foliis plurimis ſtellatim ambientibus, verticillata, D. L. Pl. Phyt.* Herba eſt folia *Lini* exilia ferens, per intervalla agminatim exorientia, juxta quædam veluti verticilla ad foliorum exortus prodeuntia, vice *florum* qui lutei ſunt. *Caules* tenues, & *radices* longas, tenues, fulvaſque, ac fibratas promit. *Radix* eſt dulcis, glutinans, lancinanſque; *folia* vero frigida & glutinoſa.

24. Conyza *Orientalis alato caule, flore globoſo, Nobis. Scabioſa capitulo aphyllo Chryſanthemi Myconi foliis, alato caule Madraſpatanenſis, D. L. Pl. Phyt.* Inter Plantas rariſſimas à Cl. *D. Gyfford* ex *India Orientali* tranſmiſſas reperitur. *Caulis* erectus membranis foliaceis, criſpis, per longitudinem amicitur, eumque *folia* modo unciam, modo ſemunciam lata, obtuſa, hirſuta, ac viſcida, alternatim conveſtiunt. E ſupremo caule erumpit *pediculus* ſemuncialis, hirtus, qui *globulum* nudum *Ceraſi* magnitudinis, ex minutiſſimis *floſculis* luteis ſtaminuloſis compoſitum ſuſtinet. Ex alis foliorum ſupremorum aliæ ramificationes emergunt, *folia* conſimilia gerentes, ſed minora. *Flores* globulares primum florem (qui pappoſus eſſe videtur) ſuperant, quemadmodum in *Impia herba* fieri amat.

25. Conyza *cærulea acris, C. B. P. Ger. Erigerum quartum, Dod. Conyza odorata cærulea, Park. Amellus montanus Æquicolorum, Col. Senecio* [*vel Erigeron*] *cæruleus, aliis Conyza cærulea, J. B.* Hujus *radix* obliqua parva, fibroſa, flaveſcens, ſapore dulci ſed acri admodum quaſi piperis donatur. *Caulem* profert pedalem aut ſeſquipedalem, anguloſum, hirſutum, aſperiuſculum, purpuraſcentem. *Folia* in imo orbiculariter ſeu in orbem ſternuntur, & *caulem* è medio foliorum ſic per terram ſtratorum exſurgentem alternatim ambiunt, ſingularia, oblonga, anguſta, ſuperna parte læviora, inferne atque per ambitum hirſuta, ſapore acri aromatico qualis eſt *Citri* mali corticis aut fere piperis. *Flores* incipit proferre à ſummitate calycibus oblongis ſquamoſis incluſos, *petalis* tenuiſſimis coronatos, ex albis circa oras purpuraſcentibus, umbone intus depreſſo, luteis, ſtellatis, exiguis *floſculis* compacto, ut tricolor flos videatur ex purpureo candido & luteo. *Semen* exiguum pappoſum eſt. *V. icon. tab. æn.* 20.

In montoſis & ſterilioribus locis gramineis paſſim Auguſto menſe florens reperitur.

26. Conyza *cærulea Alpina major, C. B. P. & Prod. Park.* Ex *radice* lignoſa rufeſcente, *caulem* craſſum, pilis aſperum, palmarem, mox in ternos ramulos (& horum aliquos in pediculos) diviſum, protrudit. Circa caulem cernuntur *folia* pauca, hirſuta, &aſpera, craſſa, uncias tres quatuorve longa, uncia anguſtiora, nervis aliquot diſtincta. Singulis pediculis *flos* unicus cœruleus proxime antecedentis ſimilis, in pappum evaneſcens inſidet. Planta hæc priore humilior eſt, *floreſque* ampliores oſtendit.

In monte S. Bernhardi *provenit.*

27. Conyza *cærulea Alpina minor, C. B. P. & Prod. Park.* Plantula hæc ſemipalmaris, aliquando minor, lævis, rarius nonnihil piloſa, *radice* eſt nigricante, fibroſa; *cauliculo* rotundo, tenui, unicum *florem* cœruleum *majoris* proxime ſuperius deſcriptæ flori forma ſimilem, ſed triplo minorem, multis apicibus donatum, & in *pappum* abeuntem ſuſtinente. *Foliola* habet ad radicem plura, anguſta, triuncialia, pediculis donata, pallide virentia; at quæ caulem baſi ſua cingunt, breviora ſunt.

In monte Gotthardo *reperitur.*

Conyzæ annuæ.

28. Conyza *Sicula annua lutea foliis atroviridibus, caule rubente, Boccon. Conyza caulibus rubent. tenuioribus, flo. lut. nudo, Bot. Monſp.* *Caulis* rotundus, pedalis, & ſubrubens, in multiplices *ramos* diffuſus, ad inſtar *Belvidere* diſpoſitos, circa quos *folia* infima longa, *atroviridia*, anguſta, *Oleæ* ſimilia, cum primum exeunt; deinde anguſtiora, & obtuſa proveniunt, *Kali* forma. *Flos* aureus, at *minoris Conyzæ* flore minus compactus, ſeneſcente planta abit in *pappos.* *V. icon. tab. æn.* 20.

29. Conyza *annua acris alba elatior Linariæ foliis, Nobis. Virga aurea Virginiana annua, Zan. Eupatorium Cannabinum Americanum anguſtifolium, Park.* *Conyza* hæc priuſquam in caulem aſſurgat, *foliorum* humi jacentium profunde dentatorum orbem, & quaſi radiantis *ſtellæ* ſpeciem exhibet. *Folia* huic primo naſcenti ſinuata, & hirta, atque verſus extremitatem retuſa, tres quatuorve uncias longa. Ea tandem in *caulibus* bipedalibus aut tripedalibus *Linariæ* ſunt æmula & integra, denſe conferta. *Flores* parvi, ex albis virides, fere innumeri, atque in pyramidis modum diſpoſiti; qui decidui in *pappos* abeunt, & vento aſportata *ſemina*, copioſe ſeruntur. *Radix* perit. *V. icon. tab. æn.* 20.

In Virginia, Canada, *aliiſque* Americæ *borealibus plagis ponte provenit; & non deſunt qui in ſylvis & agris* Europeis *naſci aſſerant.*

30. Conyza *annua acris alba glabra tenuior.* Hæc proxime præcedente in omnibus minor eſt. *Caulis* tenuis, lævis, culmi craſſitie, (cum in proxime ſuperiori digiti craſſitiem obtineat,) pedalem altitudinem raro excedit, paucioribus, tenuioribuſque *foliis* glabris amictus; quibus præcipue à priore dignoſcitur.

In horto Chelſeiano *cum aliis è* Virginia *delatis adſervata eſt.*

31. Conyza *caulibus rubentibus tenuioribus, flore luteo nudo, Magnol. Bot. Monſp.* Septembri menſe florentem copioſe invenit *D. Magnol.* in foſſis humidis, ſecus viam qua à pago *Perauls* itur ad ſtagnum quoddam à dextera. *Caulem* habet cubitalem rubentem, in varios *ramulos* ſubdiviſum. *Folia* dum adhuc planta ſemipedalis eſt, *Conyzæ majoris* latitudinem habent, & *Ciſti Ladaniferæ* folia repræſentant; donec vero debitam acquiſiverit magnitudinem & floruerit, anguſtiſſima ſunt & contracta. Ramuli tenues *flores* proferunt rariores quam in aliis congeneribus, luteos, in *calyce* rotundo & oblongo, nullis aut breviſſimis petalis radiatim cinctos, & in *pappos* evaneſcentes.

32. Conyza *helichryſoides graveolens capitulis argenteis Africana.* Planta hæc nova, inter rariores non infimum locum obtinet. In Septo *Bromtonienſi*, uno aut etiam altero milliari *Londino* diſſito in horto cultoris indefeſſi ac peritiſſimi *D. G. London*, ex ſemine *Africano* orta eſt. *Caulis* tomentoſus bicubitalem altitudinem aſſequitur, à dimidio in varios ramuſculos oblongos brachiatus; quem *folia* duas aut tres uncias longa, pollicemque lata, ſuperna parte viridiora, inferna *tomento* candido obſita, quaſi *auriculis* lata ſua baſi amplectentia

plectentia, conveſtiunt. Superius ſecundum caulis provectum, *folia* minora & acutiora comminuta ſunt. Caulium ſummitates *capitulis* plurimis, amplis, rotundis, *Helichryſi* modo corymbatim diſpoſitis, & ex *ſquamulis* argenteis, retorridis & acutis, cum umbone luteo in medio depreſſo compoſitis, eleganter ornatæ, in *ſemen* breve pappoſum deſinunt. Apud nos annua eſſe videtur planta; an & in ſolo natali talis ſit dubitatur. Habitus totius priuſquam flores proferat, *Conyzam* refert: deinde *Helychryſum* eſſe capitula ſuadent; quare *Helichryſum Conyzoides* non abſurde nominaveris. *V. icon. tab. æn.* 20.

Annotatio.

Conyza *Major vulgaris, C. B. P. Baccharis Monſpelienſium, Ger. Lob. Lugd. Conyza major Matth. Baccharis quorundam, J. B.* Cum capitula ejus ſingula *flores nudos comoſos* prodant, & *caules*, & totius plantæ habitus *ſubfuſci* ſint *coloris*, addito *odore aromatico*; ad *Eupatorium Herbam fuſcam* dictum retulimus.

Conyza *incana, C. B. P. Conyza helenitis Mellita incana, Lob. &*

Conyza *helenitis foliis laciniatis, Lob. Park.*

Conyza *paluſtris foliis ſerratis, C. B. P. &*

Conyza *Alpina, J. B.* Tomento candido (non tantum hirſutie) obducuntur caules, & ad *Jacobæas* iſtæ attinent.

Conyza *minima, Adv. Lob. Ger. Minor flore globoſo, C. B. P.* (*ubi* Major *haud dubio errore typographico dicitur,*) Semina ei ſunt ſolida. Vide *Chryſanthema minora.*

Conyzæ *mediæ Monſpelienſi affinis multiflora, J. B.* A modo florendi, glabritie, rigiditateque foliorum *Aſterem* hanc Conyzam appellavimus.

Conyzis *affinis herba vulneraria, ſive Solidago Saracenica tertia, Trag. Hirſuta, J. B. Eupatorii* characteri potius reſpondet.

Conyzæ *marinæ affinis, Chondrilla alia Rawolf. J. B.* Quære inter *Scorzoneras.*

Vires & Uſus.

Conyza vera Dioſc. *in vina pota, menſes & partum promovet; valet contra urinæ ſtillicidia, ictterum, tormina, epilepſiam, uteri affectum, capitis dolores, &c.*

Herba pulices vermeſque necat, unde Anglice Flea-bane *dicitur. Vulnera recentia ſanat. In officinis raro in uſum venit.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes ſtellatæ.

CAPUT XXII.

After.

Aster *Gr.* Ἀστὴρ *florum petalis in ſummitate* ſtellæ *inſtar radiatis emicat; unde nomen,* Plin. *l.* 27. *c.* 5. *quod quidem aliis contribulibus non abſurde tribueris; aſt diſtinctionis gratia,* After exiſtimatur eſſe planta pappeſcens non lacteſcens, *floribus ſtellatis, foliis* integris, plerumque anguſtis & inodoris, quæ nec tomentum *Jacobææ*, nec acredinem *Conyzæ* obtinent. Sunt autem vel *lutei*, vel *cærulei*, vel *albi.* De his ſuo quibuſque ordine agemus.

TABULA XXII. SECT. VII.

- *luteus*
  - *hirſutus*
    1. *Pannonicus primus, Cluſ. Pan. Tertius, Hiſt. After luteus major foliis Succiſæ, C. B. P. Ger.*
    2. *Pannonicus ſubhirſuto Salicis folio,* 3. *Cluſ. Pan. J. B. After lanuginoſo folio, ſive* 5. *Cluſ. Hiſt. Ger.*
    3. *Montanus flore magno, quibuſdam Oculus Chriſti, J. B. After hirſutus* 4. *Ger. emac.*
    4. *Magno flore, Limonii folio, Nobis. Virga aurea magno flore, C. B. P. Conſolida aurea nemorum Limonii folio, Adv. Lob.*
    5. *Montanus magno flore, foliis ſerratis, Nobis. Virga aurea montana ſerrata magno flore, C. B. P.*
    6. *Conyzoides odoratus, Eyſt.*
    7. *Conizoides Geſneri, Park. Ger. emac. Lob. Lugd. After luteus anguſtifol. C. B. P.*
    8. *Conyzoides Indiæ Orientalis ramoſior cauliculis ſparſis, D. Pluk.*
    9. *Tomentoſus luteus Verbaſci folio, Bocc.*
    10. *Æthiopicus Stœchadis foliis, flore aureo, Herman. H. L. Bat.*
  - 11. *Montana Salicis glabro folio, C. B. P. Conyza media Monſpelienſis, quibuſdam Aſteris Attici genus folio grabro rigido, J. B.*
  - 12. *Multiflorus Conyzæ mediæ Monſpelienſi affinis, Nobis. Conyzæ mediæ Monſpelienſi affinis, J. B.*

13. *Montanus*

- *Aſter*
  - *luteus*
    - *glaber*
      13. *Montanus magno flore, C. B. P. Aſter mont. flore amplo, Ger.*
      14. *Peregrinus Ciſti folio non crenato, flore magno, D. L. Pl. Phyt. An Aſter odoratus flore luteo ſtellato exoticus, Cat. Pat. à Turre?*
      15. *Folio glabro & crenato, C. B. P. Aſter Italorum, Adv. Lob.*
      16. *Linariæ rigido folio, C. B. P. Aſter Pannonicus anguſtifolius, 4. Cluſ. Pan. Sextus, Hiſt. Ger. Aſter anguſtifolius, J. B. Magnol.*
      17. *Littoreus folio anguſto ſpiſſo, ad extremum trifido, Nobis. Crithmum Chryſanthemum, Dod. Tab. Ger. Crithmum maritimum flore Aſteris Attici, C. B. P.*
      Varietas *datur foliis rectis & acutis. Et foliis in ſummo obtuſis, Hort. Lugd. Bat.*
  - *cæruleus*
    - *hirſutus*
      18. *Atticus vulgaris, C. B. P. Aſter Atticus purpureo flore, J. B. Aſter Italorum purpuraſcens, Lob.*
      19. *Atticus Alpinus alter, C. B. P. Atticus cærul. Alpinus, Cam. Ep.*
      20. *Atticus Alpinus alter magno flore, Schol. Bot. Par.*
      21. *Auſtriacus magno flore, folio ſubrotundo, C. B. P. & Prod.*
      22. *Alpinus flore purpuraſcente, Raii. An Aſteri montano purpureo affinis, J. B?*
      23. *Humilis montanus flore amplo, foliis anguſtis non ſerratis, Nobis. Aſter Montanus cæruleus magno flore, foliis oblongis, C. B. P.*
      24. *Omnium minimus, Hort. Reg. Par. An Montis Juræ, C. B. P?*
      25. *Flore pallido ampliore, foliis plurimis anguſtis dentatis, Nobis. Aſter præcox flore cæruleo majore, Hort. Reg. Bleſ.*
      26. *Virginianus comoſus foliis latioribus & floſculis minimis, Nobis. Aſter Novangliæ Tripolii flore, Virgæ aureæ vulgaris folio undulato, floribus in ſpicas longas diſpoſitis, Flor. Bat. Flor.*
    - *glaber*
      27. *Virginienſis repens Salicis folio ſerotinus, Nobis. Aſter anguſtifolius Canadenſis flore cæruleo, Hort. R. Par.*
      28. *Americanus latifolius maximus puniceis caulibus, Hort. Lugd. Bat. Serotinus ramoſus alter flore purpuraſcente, H. R. Par.*
      29. *Novæ Belgiæ latifolius paniculatus floribus ſaturate violaceis, Hort. Lugd. Bat.*
      30. *Novæ Belgiæ latifolius umbellatus, floribus dilute violaceis Hermanni, Hort. Lugd. Bat.*
      31. *Tripolii flore, C. B. P. Aſter Atticus Monſpelienſis purpureus anguſtioribus foliis, J. B. Minor anguſtifolius, Park.*
      32. *Tripolii flore latifolius, Hort. Reg. Bleſ.*
      33. *Tripolii flore, anguſtiſſimo & tenuiſſimo folio, Flor. Bat. Flor.*
      34. *Virginianus rigido Satureiæ folio, flore Bellidis magnitudinis ſaturate violaceo.*
      35. *Latifolius humilis ramoſiſſimus flore parvo, foliis ad baſin cordatis, Nob. Aſteriſcus latifolius autumnalis, Cornuti. Amer. ſerotinus latifolius, Park.*
      36. *Latifolius humilis ramoſiſſimus flore parvo, foliis ad baſin anguſtioribus, Nobis. Aſter cæruleus glaber humilis foliis longioribus ſerratis ramoſus, parvo flore, H. Reg. Par.*
      37. *Littoreus pinguis Tripolium dictus, major, Nobis. Tripolium majus cæruleum, C. B. P.*
      38. *Littoreus pinguis Tripolium dictus, minor, Nobis. Tripolium minus, Lob. Lugd. C. B. P.*
      39. *Mexicanus Erini folio, Tlanpanxihuitl dictus, Recchi.*
      40. *Mexicanus foliis anguſtis ſerratis, Tzitziqui, Recchi.*
  - *albus*
    41. *Americanus latifolius caule ad ſummum brachiato, D. L. Pl. Phyt.*
    42. *Salicis folio repens, flore Bellidis minoris, Nobis. An Aſter procerior Canadenſis alter Bellidis flore minore, Schol. Bot. Par?*
    43. *Virgin. ramoſiſſimus ſerotinus parvis floribus Tradeſcanti, Nobis. Aſter Virgin. anguſtifolius ſerotinus parvo albente flore, Park.*
    44. *Amer. multiflorus flore albo Bellidis, diſco luteo, D. de Flines Schol. Bot. Par.*
    45. *American. Mezerei Arabum foliis exaſperatis, florum petalis reflexis, D. L. Pl. Phyt.*
    46. *Africanus Stœchadis inodoræ foliis incanis, flore albeſcente, D. L. Pl.*
    47. *Mexicanus Linariæ argenteo folio, Nobis. Linaria argentea Mexicana, Recchi.*
    48. *Annuus ramoſus Canadenſis latifolius, Nobis. Bellis ramoſa umbellifera, Cornuti. Bellis ramoſa umbellifera Americana, Park.*

1. Aſter *luteus Pannonicus primus Cluſii, Pan. Tertius, Hiſt. Aſter luteus major foliis Succiſæ C. B. P.* Hanc plantam *C. Cluſius* primus detexit & hunc in modum deſcripſit. Ex *radice* nigra, obliqua, multis albeſcentibus *fibris* capillata, & à lateribus propagines fundente, multa initio promit *folia, Scabioſæ* aut (ut verius dicam) *Succiſæ* foliis ſimilia, dilutiore tamen viriditate, & tenui etiam interdum *lanugine* prædita, guſtu aliquantulum acri & amariuſculo; inter quæ prodit *caulis* cubitalis & altior, teres, plerumque rubeſcens, per quem ſparſa ſunt *folia*, jam dictis anguſtiora, mucronata, & nonnihil dentata. Is extrema parte in ramulos aliquot diviſus eſt, magnos ſuſtinentes *flores*, ex multis quinque foliorum luteis *floſculis*, atque in orbiculare caput congeſtis conſtantes, quos per circumferentiam ambiunt oblonga, latiuſcula, plana *petala*, elegantiſſimo colore flavo, nullo autem (aut certe perexiguo) odore prædita. Floribus ſuccedens *ſemen* intra villoſam quandam in capitulis materiam latet, anguloſum & quaſi triangulare. *V. icon. tab. æn.* 21.

Semina

Semina ad nos miſſa ſolida & vix pappoſa apparent, barbulis tantum pappum mentientibus donata. Conſiderandum an ad Chryſanthema *non potius attineat?*

Paſſim ad Alpium Auſtriacarum & Stiriacarum *radices reperitur, aprito loco, nonnunquam etiam umbroſo, ubi Julio menſe floret, & Auguſto ſemen perficit.*

2. After *Pannonicus ſubhirſuto Salicis folio tertius, Cluſ. Pan. & quintus, Hiſt. J. B. After hirſuto Salicis folio, C. B. P. Caulibus* cubitalibus aſſurgit, quos confuſo ordine ambiunt *folia* longa, ſalignis ſimilia, viridia, tranſverſum digitum lata, ad terram nonnihil reflexa, lata ſede caules amplectentia, molli *lanugine* obſita. Summo cauli inſidet *capitulum* ſquamoſum, è quo *flos* amplus *Helenii* modo radiatus, flavus, erumpit. Circa ſummum caulem, à foliorum exortu, terni, interdum quaterni aut plures exeunt *ramuli*, ſummum ipſum caulem ſuperantes, ſinguli *florem* primario ſimilem ſuſtinentes. Reſiccatis floribus, *ſemen* exiguum in iis capitulis continetur, quod maturum, cum *pappo* ſive villoſa ſua cæſarie, à vento diſcutitur. *V. icon. tab. æn.* 21.

Provenit pleriſque locis ad montium & collium radices ſecundum vias agro Viennenſi *& cæduis* Pannoniæ *ſylvis. Floret menſe Junio; ſemen Julio ad maturitatem perducit.*

3. After *montanus hirſutus flore magno, quibuſdam Oculus Chriſti, J. B. After hirſutus* 4. *Ger. emac. After luteus ſive Oculus Chriſti minor, Hiſt. Lugd. Caules* complures ex ſupina *radice* craſſiuſcula, ac fibrata, pedales & longiores ſurgunt, nonnunquam palmares tantum, pilis obſiti, *foliis* veſtiti ſuperius raris, frequentibus vero terram proxime, tomentoſis, albidis, uncias tres vel quatuor longis, ſemunciam latis, ex principio anguſto, valde viroſo. *Flores* in ramulorum extremitatibus eminent ſingulares, magni, aureis in ambitu comati *petalis*, diſco concolore præditi, tandem evaneſcentes in *pappos*.

In ſabuloſis tumulis & aridis naſcitur, qua Lugduno *itur* Viennam, *ut refert* Jo. Bauhinus, *à quo tranſpoſitæ ſunt Icones hujus & plantæ antecedentis.*

4. After *magno flore luteo, Limonii foliis, Nobis. Virga aurea magno flore, C. B. P. Conſolida aurea nemorum, Limonii folio, Adv. & Obſ. Lob. Aſteres lutei* præcipue *florum* amplitudine à *Virgis aureis* dignoſcuntur, quæ conſimilibus *foliis, radicibuſque* fibroſis, una cum *ſeminibus* brevibus pappoſis donantur. Quapropter duas has plantas huc retulimus, quarum prima hæc in *Aureliæ Gallicæ* ſylvoſis denſiſſimis locis provenit, & conſtat radiatis multis *foliolis* ambientibus caput radicis, *nigræ Betæ* aut potius *Limonii* atrius virentibus, carnoſis, aliquantulum hirſutis, craſſis, venoſis, *Doreæ* ſimilibus, amplectentibus *cauliculos* binos, ternos, aliquando plures; ſuſtinentes in cymis *flores* radiatos ſeu ſtellatos, *Doronici* aut *Calendulæ* ſimplicis floribus concolores, ſcite pectinatim confertis & commiſſis foliolis antequam expandantur, eleganti ſpectaculo. *Radice* conſtat ex multis *filamentis* fibroſis albidis conflata, in ſummum ceſpitem ſparſa, *Bellidis minoris* ad inſtar.

5. After *luteus montanus magno flore, foliis ſerratis, Nobis. Virga aurea montana ſerrata magno flore, C. B. P.* quam *Plantaginis Alpinæ* nomine in ſummitate montis *Calcaris* circa tuguriola collectam habuit *Caſp. Bauhinus.* Nos ex horto *Patavino* olim collectam habemus. *Folia* inferiora, quatuor aut quinque uncias longa, ex anguſto principio pediculove, in medio pollicem lata, obtuſe terminata, leniter hirſuta, in ambitu modice dentata aut ſinuata exiſtunt. *Caules* foliis mucronatis, concinnioribus ſerraturis donatis, lata baſi eoſdem amplectuntur. In ſummo *flos* amplus ex *petalis* non crenatis, aureis, umbonem concolorem ſatis amplum cingentibus conflatus apparet; *ſeminaque* pappoſa ſuccedunt.

6. After *conyzoides luteus, Eyſt.* Multos ab uno *radicis* fibroſæ capite promit *cauliculos* teretes, pede paullo amplius altos, lignoſos, rectos, *foliis* viridiuſculis, odoratis, rigidis veſtitos, qui *Conyzæ minoris* flores in *capitulis* è folioſis ſquamulis congeſtis (extremis petalorum oris ſemper trifidis,) flavum orbem circumvallantibus ſuſtinent. *V. icon. tab. æn.* 21.

7. After *Conyzoides Geſneri, Park. Ger. emac. Lob. Lugd. After luteus anguſtifolius, C. B. P.* Prolixas ſub terra agit *radices*, non ſine *fibris*, in tuberoſum velut bulbum tandem deſinentes. *Caules* ſtatim compluſculi, dodrantales circiter, emergunt, hirſuti, *foliis* amicti frequentibus, duarum triumve unciarum longitudine, vix culmum latis, rigidis, nervo unico per longitudinem donatis. *Caulis* ſuperius diviſus *flores* geſtat *Conyzæ majoris*, luteos, in pappum tandem evaneſcentes. *V. icon. tab. æn.* 22.

Gener Cherlerus *in* Gallia Narbonenſi *copioſum obſervavit, & collegit in campeſtribus juxta montem* Lupum *locis.*

8. After *conyzoides Indiæ Orientalis ramoſior cauliculis ſparſis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 149. Annua videtur hæc planta ab auctore ex *India* comparata. E *radice* fibrata *cauliculum* emittit erectum, molli *hirſutie* pubeſcentem, qua etiam folia obducuntur, quæ parva ſunt, oblonga, è lata baſi ſeſſilia, in mucronem deſinentia, mollia, ſparſim ac alternatim adnaſcentia, *Flores* paucos, luteos, ſtellatos, ſummi ramuſculi geſtant.

9. After *tomentoſus luteus Verbaſci folio, Boccon. After* hic *folia* promit à *radice* multa, oblonga, indiviſa, tomentoſa, *Stachydis*, aut *verbaſci* cujuſdam *ſylveſtris* æmula, candidiora. Inter hæc *caulis* dodrantalis, rectus emergit, minoribus *foliis* cinctus, & ipſe molli albenteque *lanugine* incaneſcens; cujus in cacumine *flores Aſteris* forma, radiato *petalorum* ambitu, lutei, qui in *pappos* ſolvuntur. *Radix* ſubeſt vivax, totaque planta ſi ſub tectum hyeme revocetur, plures annos perrennat.

10. After *Æthiopicus Stœchadis foliis, flore aureo.* In montoſis aridis ad *Caput Bonæ Spei* perraram & ſpecioſam hujus *Aſteris* ſpeciem detexit Cl. *D. P. Hermannus*, & in Horto ſuo *Lugdunenſi* figuram cum deſcriptione ſequente dedit. Conſtat *radice* parva, lignoſa, fibroſa, fuſca; *caule* itidem lignoſo, dodrantali, modo ſimplici, modo multiplici, candicante, in ramulos divaricato, undique *foliis* ſetaceis tenuiſſimis incanis, *Stœchadis citrinæ* æmulis veſtito. Horum ſummitatibus inſidet è capitulo oblongo ſquamato *flos* luteus, *ſtella* inſtar cujus medium umbonem, pallide flaveſcentem, cingunt *foliola* radiorum inſtar, aureo colore fulgentia. His ſeneſcentibus, ſuccedunt *ſemina* pappoſa, velut in congeneribus.

Viget & floret per totum annum, dummodo ab aeris frigidioris injuriis vindicetur.

11. After *montanus Salicis glabro folio, C. B. P. Conyza media Monſpelienſis, quibuſdam Aſteris Attici genus folio glabro rigido, J. B. After Atticus Pannon.* 2. *Cluſ. Caule* eſt cubitali, ſtriato, glabro, duro, *foliis* alternatim poſitis, pallide virentibus, amicto, iiſque duris, rigidis, nervoſis, pediculis deſtitutis, ſemunciam latis aut paullo latioribus, tres uncias plus minus longis, acuminatis, leniter in ambitu crenatis. *Flores Chryſanthemi,* conſpicuæ magnitudinis, lutei, è capitulo ſquarroſo, ſuccedente cum *ſeminibus* pappoſa

la nugine

lanugine erumpunt. Atque hi quidem non ſecundum caules & ramos naſcuntur, ſed *Aſterum* modo ſinguli ſurculorum ſingulorum extremitatibus inſident. *Radix* ſubeſt longa, fibrata. *Vid. icon. tab. æn.* 21.

In collibus juxta Caſtelneuf, *& alibi in vicinia* Monſpelii *oritur. Quin & in* Germaniæ & Italiæ *montoſis reperitur. Floret Junio menſe.*

12. After *multiflorus Conyzæ mediæ Monſpelienſi affinis, Nobis. Conyzæ Monſpelienſi affinis multiflora, J. B.* A. D^no^. *Valerando Doures* hanc plantam accepit *Jo. Baubinus. Caulis* ejus cubito altior, ſatis craſſus eſt, cui *folia* glabra, rigida, verum per caulem admodum crebra, brevia, & in extremitatibus minus lata, & denique ſunt oblonga. *Flores* lutei, quamplurimi, veluti *umbellam* repræſentantes, minores, duodecim aut plures.

13. After *montanus luteo magno flore, C. B. P. Montanus, Lob. icon. & Adv. Ger.* Hujus *folia* adeo ſunt ſimilia foliis *Aſteris Attici*, ut difficile admodum ſit primo intuitu illum ab hoc diſtinguere. *Caules* protrudit rariores, rectos, tenues, cubitales; quorum ſummis faſtigiis innaſcuntur *flores* lutei ampli, *Enulæ Campanæ* floribus non multum abſimiles, *petalis* verſus extremum bifidis, radiatim umbonem medium circumvallantibus, & hoc modo *ſtellam* referentibus. *V. icon. tab. æn.* 21.

14. After *peregrinus Ciſti folio glabro non crenato, flore magno, D. L. Pl. Phyt. An Aſter odoratus flore luteo ſtellato exoticus, Cat. Pat. à Turre? Forte Conyzoides luteus perennis, Icon Roberti.* Huic *folia* glabra, rigida, unciam aut amplius longa, ad formam ovalem tendentia, obtuſa, cauli inordinatim adnaſcuntur; cujus ſummitati *flos* amplus aureus petalis plurimis acutis radiatus inſidet.

15. After *luteus folio glabro & crenato, C. B. P. Aſter luteus latifolius glaber foliis rigidis & minutiſſime crenatis, Pluk. Phyt.* Synonyma *C. B. P.* non ſunt bene appropriata. Cum proxime antecedenti convenit; *folia* vero acutiora ſunt & mucronata, & in ambitu concinnis *denticulationibus* ſerrata. *Flores* in ſummitate è ſquamoſis capitulis erumpentes, ex petalis multo brevioribus componuntur.

16. After *luteus Linariæ rigido glabro folio, C. B. P. Sextus Auſtriacus, Pan. Quartus, Cluſ. Hiſt. Aſter anguſtifolius luteus, J. B. Park.* Humilis hic *Aſter* qui pedalem altitudinem vix ſuperat, numeroſas à *radice* profert *virgas* graciles, duras, virides, quas frequentia, ſed confuſo ordine naſcentia ambiunt *folia*, anguſta, rigida, mucronata, *Ptarmicæ vulgaris* non diſſimilia, minime tamen per oras ſerrata, amariuſculo ſapore. Summis virgis inſident *flores* lutei, ſtellati, è capitulis foliatis ſive crebris foliolis imbricatis emicantes. *Semen* pappoſum eſt quale & congenerum. *V. icon. tab. æn.* 21.

In umbroſis montium urbi Viennæ *vicinorum pratis, in ipſis etiam collibus herboſis, aliiſque* Germaniæ *locis copioſe creſcit. Floret tardius cæteris congeneribus.*

17. After *littoreus, luteus folio anguſto ſpiſſo, ad extremitatem trifido, Nobis. Crithmum Chryſanthemum, Dod. Tab. Ger. Crithmum maritimum flore Aſteris Attici, C. B. P. Crithmum marinum tertium Matthiolo flore luteo Buphthalmi, J. B.* Planta eſt in maritimis rupibus *Britanniæ majoris*, imo & *minoris* naſcens, ſtatim ab ipſa radice multos emittens *ſtolones* cubito altiores, rectos, teretes, robuſtos, aliquando rubentes, quos *folia* denſiſſima, carnoſa, craſſa, glabra, *Kali* foliorum æmula, ſalſuginoſo aromaticoque ſapore prædita, verſus extremas partes trifida ambiunt. Stolonum ſcapi in folioſos *ramuſculos* finduntur, quorum ſingulis inſidet *flos* ſingularis, majuſculus, luteus, ſtellatus. Eo autem flacceſcente, ſingulis floſculis fiſtuloſis (una cum *petalis* luteis radiantibus) ſingularia *ſemina* pappoſa ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 21.

Floret menſe Auguſto.

Varietas ejuſdem una reperitur, quæ *folia* profert *recta* & *indiviſa*; Altera *folio in ſummo obtuſo, Hort. Lugd. Bat.*

Aſteres cœrulei.

18. After *Atticus vulgaris, C. B. P. Aſter Atticus purpureo flore, J. B. Aſter Italorum purpuraſcens, Lob.* cui etiam dicitur *Inguinaria. Aſter Atticus, Dod. Matth. Atticus minor flore cæruleo, Eyſt. Amellus, Fuchſ. Lugd. Cauliculos* promit erectos, rotundos, aliquantulum duros, fragiles, aſperos, nonnihil piloſos, cubitum altos; *folia* oblongiora, præſertim juxta cauliculos enata, dura quoque & aſperiuſcula, latiuſcula, & obtuſa. *Flores* in ſummitate virgularum emicant, forma fere florum *Calendulæ*, diſco in medio ex luteo fulvi coloris, cum petalis plurimis purpuroviolaceis ambientibus, qui in *pappos* vaneſcunt. *Radix* fibroſa eſt, & vivax. *Vid. icon. Tab. æn.* 22.

Jo. Bauhinus in *album* variare ait, quod ſubinde inter alios plures cœruleos & rubros cernitur.

Hunc Afterem ſub nomine *Amelli* eleganter & ad amuſſim deſcribit divinus Poeta *Virgilius*, Georgicõn *l.* 4.

Eſt etiam flos in pratis cui nomen Amello
Fecere agricolæ, facilis quærentibus herba:
Namque uno ingentem tollit de ceſpite ſylvam
Aureus *ipſe; ſed in* foliis, *quæ plurima circum*
Funduntur, Violæ *ſublucet purpura* nigræ.
Sæpe deûm nexis ornatæ torquibus aræ.
Aſper in ore ſapor: tonſis in vallibus illum
Paſtores & curva legunt prope flumina Mellæ, &c.

Naſcitur in aſperis incultis collibus & convallibus, & pratis Italiæ, Bohemiæ, Siciliæ, Galloprovinciæ, *paſſim obvius.*

19. After *Atticus Alpinus alter, C. B. P. Atticus cæruleus Alpinus, Cam. Ep.* Eſt omnino minor *vulgari*, & interdum *globuli* tumentes villoſi *foliolis* ad radicem adnaſcuntur. *V. icon. tab. æn.* 22.

20. After *Atticus Alpinus alter magno flore, Schol. Bot. Par.* Prioribus major eſt planta ſubhirſuta, *floreſque* purpuroviolaceos ampliores profert.

21. After *hirſutus Auſtriacus magno flore, folio ſubrotundo, C. B. P. & Prod. Caule* eſt rotundo, *hirſutie* aſpero, pedali, in unum alterumve *ramum* brachiato, *foliis* latis, ſubrotundis, per marginem aſpere dentatis, & in apicem rigidiorem definentibus, rigidis, craſſis, hirſutie brevi aſperis & ſcabris, cincto. Hujus

jus ſummitati *flos* magnus inſidet, ejuſque orbem pallidum *petala* multa tenuia, oblonga, pallide cœrulea, ambiunt, qui maturus pro congenerum ingenio in *pappum* abit.

Hic Aſter in Auſtria *circa* Cremſam *reperitur.*

22. Aſter *Alpinus flore purpuraſcente, Raii. An Aſteri montano purpureo ſimilis, J. B?* *Radix* ei ſatis craſſa, obliqua, intus nonnihil lutea, ſapore atriuſculo, *fibris* aliquot donata. *Folia* ad radicem plura, longa, anguſta, figura fere *Polemonii petræi Geſneri* prædita, ſaturo virore ſplendentia, ad latera nonnihil piloſa, at neque dentata, neque ſerrata. *Caules* ſemipedales aut dodrantales, ſurrecti, *foliis* veſtiti, alternatim poſitis, iis quæ ad radicem ſunt ſimilibus, ramoſi, ſingulis ramulis *florem* ſuſtinentibus *Bellidis minoris*, niſi quod limbus ſeu corona foliorum radiatorum in margine minoribus brevioribuſque *barbulis* conſtet, colore purpuraſcente præditis. Interiores autem floſculi qui fundum floris componunt, inter viridem quaſi & luteum colorem medii eſſe quodammodo videntur.

In aſcenſu montium maximo Carthuſianorum *cœnobio adjacentium Julio menſe florentem invenit prædictus D.* Raius.

23. Aſter *humilis montanus flore amplo, foliis anguſtis non ſerratis, Nobis. Aſter montanus cæruleus magno flore, foliis oblongis, C. B. P. Aſter purpureus montanus, J. B.* Huic multa ſunt circa ſedem *folia* anguſta, per ſummas oras latiora, cuſpide obtuſa, & quaſi orbiculata, *Bellidis* foliis valde ſimilia, ſuperne atque inferne *lanugine* quadam nonnihil pubeſcentia. Ex horum medio *caulis* exit dodrantalis, folioſus, hirſutus, *capitulum* in ſummo gerens, è numeroſis mollibus & purpuraſcentibus *foliolis* conflatum, & in eo magnum *florem* multis tenuibus longiſque ex cœruleis purpuraſcentibus *petalis* flavum orbem vallantibus conſtantem, qui maturus in *pappum* evaneſcit. *V. icon. tab. æn. 22.*

Oritur in herboſis Auſtriacarum *Alpium jugis. Floret Junio & Julio menſibus.*

24. Aſter *montanus cæruleus omnium minimus, Hort. Reg. Par. An Aſter Montis Juræ, C. B?* Hæc *Aſteris* ſpecies proxime antecedenti non multum diſſimilis eſt, niſi quod *flores* multo ſint *minores.*

25. Aſter *hirſutus flore pallide cæruleo ampliore, foliis anguſtis dentatis, Nobis. Aſter præcox flore cæruleo majore, Hort. Reg. Bleſ. Aſter Pyrenaicus præcox folio oblongo, Hort. Reg. Par.* E *radicis* fibroſæ capite oriuntur *caules* recti, teretes, cubitales, hirti; *foliis* plurimis, biuncialibus, hirtis, anguſtis, & acutis, margine dentatis, crebrius ſine ordine *cauli* adnatis, qui in ſummo in alas brachiatur. Porro alarum quælibet *florem* ſatis amplum, ex petalis longis, anguſtis, pallide cœruleis, umbonem luteum ambientibus compoſitum gerit, qui in *pappum* abit. *V. icon. tab. æn. 22.*

Junio & Julio menſibus floret.

26. Aſter *Virginianus comoſus foliis latioribus, & floſculis minimis cæruleis, Nobis. Aſter Novæ Angliæ Tripolii floribus in ſpicas longas diſpoſitis, Pariſienſium. Aſter Virgæ aureæ vulgaris folio undulato, Flor. Bat. Flor.* E *ſemine* pappoſo è *Virginia* recepto ſurrexit hæc nova planta, quæ *folia* per terram ſtrata, tres uncias longa, unam aut alteram lata, in mucronem deſinentia, marginibus modice dentata, *lanugine* quadam conſperſa, protrudit. Inter hæc *caules* aſſurgunt cubitales, minoribus *foliis* ſeſſilibus veſtiti, in plurimos cauliculos petioloſque comantes diviſi; quorum unuſquiſque *florem* parvum, diſcoidem, florem *minimæ Bellidis* non excedentem, cœruleum profert.

Hic Aſter plurimis annis in horto noſtro vigebat; tandem præ rigore hyemis periit.

27. Aſter *Virginienſis repens cæruleus ſalicis folio ſerotinus, Nobis. Aſter anguſtifolius Canadenſis flore cæruleo, Hort. Reg. Par.* *Radicibus* repentibus terram copioſe occupat, noviſque ſtolonibus quotannis propagatur; è quibus *folia ſaligna*, digiti longitudinis, anguſta, in ambitu paucis *ſerraturis* donata, proveniunt. *Caules* complures, recti, teretes, bipedales aut tripedales, glabri aſſurgunt, *foliis* longis, anguſtis, viridibus, non ſerratis, inordinatim amicti. Pars ſuprema in ramulos diviſa, *flores* plurimos cœruleos, diſcoides, uncialis latitudinis ſuffulcit. *V. icon. tab. æn. 22.*

Flores non ante autumnum proveniunt, & ſi per hyemis intemperiem non ſtet ſemina interdum proferunt pappoſa.

28. Aſter *Americanus latifolius maximus puniceis caulibus Hermanni, Hort. Lugd. Bat. Aſter ſerotinus ramoſus alter flore purpuraſcente, Hort. Reg. Par.* Altius aſſurgit hic *Aſter* quam *Aſteres Novæ Angliæ*, *caulibus* robuſtis, puniceis, in breves concolores ramos diviſis; *foliis Tripolii* facie, ſed rigidioribus, craſſioribus, per ambitum nonnihil dentatis, inferioribus palmum æquantibus, ſuperioribus vero brevioribus & anguſtioribus; *floribus* amplis violaceis, medio diſco purpureo flaveſcente, & in albentem *pappum* fatiſcente. Subeſt *radix* fibroſa vivax, numeroſa fertilitate ſe propagans.

29. Aſter *Novæ Belgiæ latifolius paniculatus floribus ſaturate violaceis, Hort. Lugd. Bat.* Elegantiſſimus hic *Aſter* humanam altitudinem ſuperans, fundit *radicem* albam, lignoſam, perennantem, innumeris tenuiſſimis *fibris* capillatam; ex qua aſſurgunt *virgulta* quamplurima, glabra, purpuraſcentia, calami craſſitie, infirma, circa faſtigia in frequentes *furculos* quaſi in ſpecioſam paniculam collectos, ſubdiviſa. His ſtricte adhærent *folia* abſque petiolis, digitum longa, duoſque tranſverſos lata, plana, craſſiuſcula, mucronata, altera parte glabra, læte viridia, altera ex viridibus palleſcentia, & aliquando leviſſimis vix conſpicuis *crenulis* dentata; quæ vero immediate ex radice prodeunt ſuperioribus ampliora ſunt, fulta petiolis digitalibus alatis, ex viridibus ruſeſcentibus. Juxta ſurculorum faſtigia eminent *capitula* parva, brevibus anguſtiſſimis foliolis ſquamatim diſpoſitis veſtita. Horum cuilibet inſidet *flos* ſtellatus, *Aſteris Attici* facie, inodorus, radiatus, diſcoides, radiis purpuroviolaceis, cujus diſcus parvus flaveſcens abit in *ſemina* pappoſa cinerea, pro more congenerum.

30. Aſter *Novæ Belgiæ latifolius umbellatus floribus dilute violaceis, Hort. Lugd. Bat.* Forma & creſcendi modo cum ſuperiore congruit, ferens *radicem* longe lateque ſerpentem, ex qua prodeunt *folia* præcedentis haud abſimilia, at paullo anguſtiora, rigidiora, minus glabra, & quadantenus ſinuata. Intra hæc eriguntur *caules* bicubitales, vireſcentes, ſtriati, ſuperioribus rigidiores, duriores, & robuſtiores, circa ſumma faſtigia in frequentes folioſas *alas* magis expanſas, umbellam mentientes, diviſi, ſuſtinentes in *capitulis* parvis (ex longioribus foliolis ſquamatim diſpoſitis,) *flores* prioris paullo majores, ex diluta purpura violaceos, *petalis* duplici ſerie ſibi invicem incumbentibus, diſco luteo fatiſcente in *ſemina* cinerea pappoſa, prioris ſimillima. Tres hos poſtremos prædictus & ſemper laudandus *D. Hermannus* ex *America* comparavit, & in Catalogo ſuo cum Iconibus & deſcriptione congruentiſſima edidit.

31. Aſter *Tripolii flore, C. B. P. Aſter Atticus Monſpelienſis purpureus anguſtioribus foliis, J. B. Aſter Li-*

naria

nariæ folio Narbonenſis, *Lob. Aſter minor anguſtifolius*, *Park.* Cognatus eſt *Aſteri Attico Fuchſii*, *caulibus* rectis, cubitalibus, teretibus, hirſutis, per quos *folia* crebra, glabra, nervoſa, Linariæ foliis magnitudine & forma reſpondentia ſparguntur. *Flores* in frequentibus pediculis aliis palmaribus, aliis uncialibus, *umbellam* mentiuntur, *Aſteris Fuchſiani* ſimiles, paullo tamen minores, violaceis in ambitu *petalis* diſco luteo præditis, & in pappos reſolvuntur.

Circa Monſpelium *in locis aridis, & prope littus maris reperitur. Copioſe quoque oritur in luco* Gramuntio, *ubi florem Septembri menſe croci odorem ſpirare obſervavit D.* Magnolius.

32. After *Tripolii flore latifolius*, *Hort. Reg. Bleſ. Tripolium altiſſimum Amer. caulibus viridantibus*, *H. Leyd.* 608. Hic omnino proxime ſuperius deſcripto accedit, niſi quod *folia* producat glabriora, & latiora, *floreſque* paullo majores; denique tota planta eſt major quoad omnes ipſius partes.

33. After *Tripolii flore anguſtiſſimo & tenuiſſimo folio*, *Flor. Bat. Flores.* Hic *Narbonenſium Aſteris* foliis tenuiora *folia* emittit, *floreſque* minores ex *petalis* paucioribus anguſtioribuſque conflatos.

An *Aſter Americanus Belvidere foliis*, *floribus ex cæruleo albicantibus ſpicis longioribus*, *D. L. Pluk. Phyt?*

33. After *Americanus fruteſcens Satureiæ foliis ſcabris*, *floribus amplis ſaturate violaceis*, *D. L. Pl. Phyt.* Nova hæc *Aſteris* ſpecies è *Virginia* in horti *Chelſeiani* ornamentum delata, *caules* teretes, ſubfuſcos, duros, & lignoſos, pedales aut cubitales emittit, qui *foliis* plurimis anguſtis, rigidis, ſcabris, *Satureiæ* ſimilibus, crebrius ita veſtiuntur ut caulem ipſum pene occultent. *Caulis* ſummitas in petiolos breves, unciales aut circiter, ſe dividit, eoſque *foliolis* duris confertis amictos. Inter iſthæc (quæ *calycis* vicem præſtant) *flores* emicant diſcoides, ampli, cœrulei, cum *umbone* in medio luteo, qui in pappos tranſmutantur.

35. After *latifolius glaber*, *humilis*, *ramoſiſſimus*, *flore parvo cæruleo*, *foliis ad baſin cordatis*, *Nobis. Aſteriſcus latifolius autumnalis*, *Cornuti. Aſter Americanus ſerotinus*, *Park. Radix* huic crebris compacta *filamentis*; *caules* lignoſi, rotundi, ſubrubri, cubitales; *folia* cordiformia, in ambitu ſerrata, longis pediculis innixa (ad inſtar foliorum *Pyri*) ſenſim in mucronem gracileſcentia, glabra, & viridia. *Caulium* cacumini adeo luxurians florum inſidet copia, ut quamplurimis contextum floſculis ſertum potius quam genuinum plantæ florem dixeris. Singuli *flores* duplo minore ſtella fulgent, quam qua *vulgaris Aſter Atticus*, medium cineracei coloris umbonem habentes, circa quem *petala* veluti radii, dilutiſſime Auguſto & Septembri menſibus purpuraſcunt.

36. After *latifolius humilis ramoſiſſimus flore parvo*, *foliis ad baſin anguſtioribus*, *Nobis. Aſter cæruleus glaber*, *humilis*, *foliis longioribus ſerratis*, *ramoſus*, *parvo flore*, *Hort. Reg. Par.* Hic nec modo creſcendi, florumque productione, nec forma nec colore à proxime antecedente differt; *folia* vero longiora, non ad pediculum cordiformia ſunt, ſed *Ulmi* anguſtioris more acuta & utrinque mucronata. Atque hiſce notis dignoſcitur.

37. After *cæruleus glaber*, *littoreus*, *pinguis*, *Tripolium majus dictus*, *Nobis. Tripolium majus cæruleum*, *C. B. P. Tripolium vulgare majus*, *Ger. Park. Eyſt. Lob. Folia* exeunt oblonga, lata, lævia, virentia, craſſiuſcula vel ſpiſſa, *Glaſti* foliis perquam ſimilia. *Caulis* nunc rectus, nunc procumbens, cubitalis vel pedalis, glaber, faſtigio in *alas* diviſo, in quibus *floſculi* cœrulei, paucis ſparſiſque *petalis* donati, (medio diſco luteo) & in pappos candidos contabeſcenteſque abeuntes. Tempore matutino cum petalis ſuis *flores* apparent cærulei, & cito marceſcunt; tunc *umbo* luteus eſt, qui in pappum candidum veſperi evaneſcit, unde propter triplicem mutationem (ἀπὸ τὸ τριχῶς πολεῖσθαι) *Tripolium*, ut quidam volunt, dictum eſt.

Naſcitur in locis ſalſis maritimis, quæ unda alluit, recedenſque arida relinquit.

38. After *littoreus pinguis*, *Tripolium minus dictus*, *Nobis. Tripolium minus C. B. P. Lob. Lugd.* Sola parvitate à proxime priori differre videtur.

39. After *Mexicanus erini folio*, *flore carneo*, *Tlanpanxibuitl*, *Recchi. Caules* è *radice* dura ac fibrata habet erectos, non ramoſos, in quibus *folia Goſſipii* ſeu potius *Erini* modo trifida ſunt & in mucronem definentia. *Flos Aſteris* in medio luteus, *radii* vero carnei coloris exiſtunt.

40. After *Mexicanus foliis anguſtis ſerratis*, *Tzitziqui*, *Recchi. Caulis* huic purpureus; *folia* longa anguſta & dentata; *flos Aſteris*; radii purpurei, ut in *Amello Virgilii*; *flocci* vero in medio lutei.

Afteres albi.

41. After *Americanus latifolius albus caule ad ſummum brachiato*, *D. Pl. Phyt. Aſter* ſpecioſus, è *Virginia*, delatus, & in horto *Chelſeiano* primum cultus bicubitalem altitudinem *caulibus* rotundis, duris, aſſequitur. His *folia* quatuor aut quinque uncias longa, binas aut ternas lata, mucronata, inæquali margine interdum ſinuata, viridia, ex adverſo ad cæſium colorem tendentia, confuſo ordine naſcuntur. Ad appoſitionem, & ex *alis* foliorum ſupremorum, *cauliculi* ramificantur, & hi rurſus ſubdividuntur; & *flores* mediæ magnitudinis, albis *petalis* umbonem luteum cingentibus donatos, in qualibet terminatione proferunt.

42. After *Salicis folio repens*, *flore albo Bellidis minoris*, *Nobis. An Aſter procerior Canadenſis alter Bellidis flore minore*, *Schol. Bot. Par?* Repens à *radice* dicitur; *caules* enim recti, altitudinem humanam acquirunt. Per omnia 24^to^. noſtrati qui ſatis frequens in hortis invenitur congruit, floris *colore albo* cauliumque altitudine exceptis. *Menſe Julio floret.*

43. After *Virginianus ramoſiſſimus ſerotinus parvis floribus albis Tradeſcanti*, *Nobis. Aſter Virginianus anguſtifolius ſerotinus parvo albente flore*, *Park. E radice* non repente, *fibris* quamplurimis capillata, in ceſpitem quaſi naſcente, prodeunt *folia* palmum longa, ſalignea, anguſta, ex viridi ad fuſcum colorem tendentia, in ambitu ſparſis *denticulationibus* ſerrata. Inter hæc autem proveniunt *caules* teretes, glabri, lignoſi, & ſubfuſci, *foliis* conſimilibus, brevioribus tamen, veſtiti; in plurimos cauliculos graciles, duros, fruticis in modum binos aut tres pedes altos, elegantiſſime ramificati, & luxuriante *copia florum* alborum, ſtellatorum, minimorum, ornati.

Septembri & Octobri menſibus flores profert; & hortorum autumnale decus eſt.

44. After *Americanus multiflorus flore albo Bellidis*, *diſco luteo*, *D. de Flines Schol. Bot. Par. Aſter Novangliæ Linariæ folio*, *Chamæmeli flore*, *Par. Bat. Prod. Aſter* hic in ramoſum quaſi fruticem adoleſcit, *foliis* multis anguſtis, *Linariæ vulgaris* æmulis, aut amplioribus, donatus; quæ aſſurgentia minora redduntur, atque in petiolis & ſupremis cauliculis minima ſunt, unciæ quadrantem longitudine non ſuperantia. Ramulorum extremitates numeroſis floſculis albis radiatis, *Chamæmeli* fere amplitudine, exornantur. Iſtis pappoſum *ſemen* ſuccedit, prout in congeneribus fieri amat.

Forte Aſter Virginianus fruteſcens minor ericoides Linariæ folio, flore albo parvo, Breyn. Prod. 2.

45. After *Americanus albus Mezerei Arabum foliis exaſperatis, florum petalis reflexis, D. L. Pl. Phyt.* Elegans hic *After Americanus* in horto *Chelſeiano* cultus *caulibus* aſſurgit pedalibus aut ſeſquipedalibus, erectis, duriuſculis, & viridibus, quos *folia* uncialia aut ampliora, glabra, rigentia, *Mezerei* aut *Hyſſopi vulgaris* ſimilia, obtuſiora tamen, inordinatim cingunt. Caulium faſtigia in *ramulos* graciles, rectos diducuntur; & in horum ſummitatibus *petioli* breves *flores* ſuſtentant donatos *petalis* albis, tenuibus, reflexis. Hæc præ imbecillitate circa capitula parva ſquamata dependent, quibus *ſemina* ſuccedunt *pappoſa*, qualia in aliis congeneribus cernere eſt.

46. After *Africanus Stœchadis inodoræ foliis incanis, flore albicante, D. Pluk. Phyt.* Hujus plantæ *folia* cauli binatim ex eodem puncto ſeu origine frequenter adnaſcuntur, quandoque in ſummo ſolitaria, mollia, *Stœchadis citrinæ* more anguſta, incana *lanugine* obſita. *Flores* è ſummis caulibus erectis, *petalis* brevibus & acutis, candidulis, inſignitis emicant.

47. After *Mexicanus albus Linariæ argenteo folio, Nobis. Linaria argentea Mexicana, Recchi.* Herba eſt *folia* ferens *Lini* longiuſcula, & tenuia, ſimilia *Thymo Stœchadive; caules* dodrantales, tenues, & teretes; *flores* candentes, piloſos, & abeuntes in pappos; *radicem* longiuſculam, tenuem, lignoſamque.

48. After *annuus ramoſus albus latifolius Canadenſis, Nobis. Bellis ramoſa umbellifera, Cornuti. Bellis ramoſa umbellifera Americana, Park.* Herba hæc ſeſquipedalis aut bipedalis, *radice* è minutiſſimis contexta *fibris*; foliis longiuſculis, pinguibus, aſperis, dilute virentibus, pollicaris aut amplioris latitudinis, altiſſime in ambitu laciniatis donatur. *Caulem* habet ſcabrum, pullulantibus omni ex parte *ramulis*; quorum in ſummis faſtigiis numeroſa florum copia creſcit, *Bellidis ſylveſtris* minoris effigie, denſioribus petalis albis exterius medium diſcum aut umbonem luteovirentem concinne ſtipantibus. Floret Junio & Julio menſibus. Poſtquam ambientia petala emarcuerint, formatur *ſemen* minutum aureum abiens in pappum; unde concludimus contra *Cornutum*, atque *Parkinſonum* qui ab ejus partibus ſtat, plantam hanc non eſſe *Bellidem*, ut quæ ſemina producat ſolida, ſed *Afteren* ſecundum teſſeram eſſentialem omnibus Afterum ſpeciebus convenientem.

De aliis Afteribus nominatis.

After *luteus foliis ad florem rigidis, C. B. P. After Atticus legitimus, Cluſ.* Vide Chryſanthemum 25. pag. 18.

After *Atticus foliis ad florem mollibus, C. B. P. After cernuus, Col.* Semina profert ſolida, & proinde Chryſanthemis adnumerandus. Vid. pag. 19. Plant. 26.

After *luteus ſupinus, C. B. P. After Atticus ſupinus, Cluſ.* Vide Chryſanth. 28. pag. 19.

After *luteus alatus Cornuti.* Vide Chryſanthemum 74. pag. 24.

After *Virgin. lut. membranaceo caule, Park.* Vide Chryſanth. 75. pag. 25.

After *Atticus luteus montanus villoſus magno flore, C. B. P.* Ad Conyzas aptius retuleris. Vide Cap. anteced.

Temperamentum & Vires.

After Atticus 15. *qui* Inguinalis & Inguinaria *dicitur, digerentis eſt facultatis mediocriter, ut ait* Galenus. Dioſcorides *æſtuanti ſtomacho prodeſſe impoſitum tradit; ut & bubonibus & ſedi procidenti;* purpureum florem *cum aqua potum, anginis auxiliari, & comitialibus puerorum morbis, eumque recentem ad inflammationes bubonum leniendas conducere.*

After littoreus luteus folio anguſto ſpiſſo ad extremum trifido 14. *in muria conditus, menſis apponitur & tum apud* Gallos *tum* Anglos *aliaſque gentes, perinde atque Cappares cum oleo & aceto manditur: idoneum enim ciborum condimentum eſt, & ventriculo non ingratum; jecinori, lieni, renibus, ac veſicæ prodeſt; urinam provocat; viſcera ab obſtructionibus expedit; appetentiam ciborum excitat.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes Stellatæ.

CAPUT XXIII.

Virga aurea.

VIrga aurea *dicitur quia ramuli floribus ſuis gravidi*, auricolorem virgulam *referunt*. Solidago, Conſolida, & Panax Chironium, *à viribus quibus gaudet, dicitur.*

Virga aurea planta eſt pappeſcens non lacteſcens, fibrata *radice*, *floribus* plurimis, *Aſteris* minoribus (nam maximus amplitudinem *Bellidis minoris* non ſuperat) in thyrſos coacervatis, donata.

TABULA

TABULA XXIII. SECT. VII.

- *Virga aurea*
  - *flore ampliore, foliis*
    - *serratis*
      1. *Maxima radice repente, vel Dorea repens, Nobis.*
      2. *Major carnosis & succulentis foliis ad caulem latis, Nobis. Virga aurea major vel Dorea, C. B. P. Alisma Monspelienſium, vel Dorea, J. B.*
      3. *Anguſtifolia ſerrata, ſive Solidago Saracenica, J. B. Virga aurea anguſtifolia ſerrata, C.B.P. Solidago Saracenica, Dod. Trag. Adv. Lob.*
      4. *Latifolia, C. B. P. Virga aurea ſive Solidago Saracenica latifolia ſerrata, J. B. Conſolida aurea, Tab.*
      5. *Vulgaris, Park. Virga aurea latifolia vulgaris, J. B.*
      6. *Americana birſuta radice odorata, Moriſ. Prælud. Bot.*
      7. *Flore albeſcente ſpicato, Breyn. Prod. 2. Virga aurea Noveboracenſis floribus albis, foliis Bellidis ramoſæ Canadenſis Cornuti, Par. Bat. Prod. D. L. Pluk.*
      8. *Canadenſis foliis Scrophulariæ, Dodart. Mem. Montana folio latiore glabro, Hort. Reg. Par.*
      9. *Montana folio latiore birſuta, Hort. Reg. Par.*
      10. *Longiſſimis & anguſtiſſimis foliis.*
    - *non ſerratis*
      11. *Vel Herba Dorea minor Americana, Park.*
      12. *Noveboracenſis Doreæ affinis lato rigidoque folio, Par. Bat. Prod.*
      13. *Foliis lævibus, Moriſ. Prælud. Bot.*
      14. *Canadenſis foliis carnoſis anguſtioribus, Nobis. Sodaligo maxima Americana, Cornuti.*
      15. *Canadenſis foliis carnoſis latioribus.*
      16. *Limonii perforatis, panicula uno verſu diſpoſita, Hort. Reg. Par. Virga aurea Mexicana, C. B. P. in App.*
      17. *Mexicana foliis latiuſculis, paucis floribus, Yztacpatli, Recchi.*
      18. *Montana folio anguſto ſubincano, floſculis conglobatis, D. Lloyd. Raii Synopſ.*
      19. *Anguſtifolia minus ſerrata, C.B.P. Major anguſtifolia, Cam.*
      20. *Omnium minima, Hort. Reg. Par. An. humilis Alpina, ejuſdem?*
  - *flore minore, foliis*
    - *ſerratis*
      21. *Latiſſimo folio Canadenſis glabra, Schol. Bot. Par.*
      22. *Foliis latioribus, Moriſ. Prælud. Bot.*
      23. *Floribus fiſtuloſis, Senecionis inſtar foliis latioribus, Moriſ.*
      24. *Americana Taraconis facie & ſapore, panicula ſpecioſiſſima, D. L. Pl. Phytograph.*
    - *non ſerratis*
      25. *Anguſtis paniculis ſpecioſis Canadenſis, Schol. Bot. Par.*
      26. *Foliis latioribus, Moriſoni. Virga aurea Canadenſis panicula minus ſpecioſa, Hort. Reg. Par.*
      27. *Floribus fiſtuloſis Senecionis inſtar, foliis anguſtioribus, Moriſ.*
      28. *Americana fruteſcens glabra, foliis ſubtus cæſiis, comis ad ſummitatem in ramulos brachiatos implicatis, Pl. Phyt. part. 3.*
      29. *Linariæ folio, floribus congeſtis, Nobis. Linaria aurea, Tragi Obſ. & icon. Lob. Eyſt. Linaria folioſo capitulo major, C. B. P.*

1. Virga aurea *maxima radice repente, ſive Dorea major repens.* Mirandum equidem eſt quod hujuſce plantæ per multos annos notæ, nullibi detur deſcriptio, quantum huc uſque comperire potuerim. *Radix fibris* complurimis defixa, è lateribus multas alias, ſtoloneſve candidos, digiti craſſitudinis, ſub terra emittit, quam reptatu ſuo copioſe occupat, novellaſque plantas circumcirca frequenter protrudit. *Caules* erecti ex rotundis anguloſi, digitalis craſſitudinis, humanam aut ampliorem acquirunt altitudinem, & *foliis* plurimis, palmum longis, ad appoſitionem anguſtis, & in biuncialem aut triuncialem latitudinem ſeſe in medio dilatantibus, viridibus, glabris, per oras ſerratis, ſine ordine obvallantur. *Folia* iſthæc raro cernuntur, præterquam ea parte qua cauli adnaſcuntur. Caulium faſtigia in ramuſculos ſparguntur, & corymbatim umbellatimve naſcuntur *flores* copioſi, parvi, lutei, ſtellati, ex paucis *petalis* radiatim naſcentibus compoſiti; poſt quorum exantheſin, *ſemina* tenui pappo candido adhærentia in auras abeunt.

Julio & Auguſto menſibus floret; & in autumno ſemen matureſcit, raro tamen perfectum aut vegetabile, ut in repentibus, quibus natura alium propagandi modum dedit.

Perdiu in horto aluimus; & non multis abhinc annis ad ripas amnis inter Wellas *urbem &* Glaſtenburgum, *in agro* Somerſetenſi *copioſe naſcentem reperimus.*

2. Virga aurea *major carnoſis & ſucculentis foliis ad caulem latis, Nobis. Virga aurea major vel Dorea, C.B.P. Aliſma Monſpelienſium vel Dorea Narbonenſis, Adv. Eyſt. Panax Chironium Theophraſti, Tab. Radix fibris* longis terram fortiter adprehendit, & oblique (ſed non rependo) ſtolones emittit; unde *folia* cubitum longa, ab ima parte valde anguſta, & purpuraſcentia, & palmum pene in medio lata, plurima, carnoſa, pinguia, viridia, glabra, marginibus ſerrata, erumpunt. Inter hæc *caules* eriguntur quinque aut ſex pedes alti, *foliis* antecedentis paucioribus, ſpiſſioribus, & à lata baſi caulem quaſi amplectentibus, in mucronem acutum deſi-

 nentibus,

nentibus, inordinatim veſtiti. Summi caules ſparſim in longiores ramuſculos diviſi, quaſi umbellas *florum* luteorum, parvorum, ſtellatorum in plurimis pediculis ſuſtinent, qui in pappos dehiſcunt.

In Galloprovinciæ *amnibus, necnon ad ripas fluvii* Caſtelneuf, *& juxta* Ledum *amnem haud longe à* Monſpelio *frequenter occurrit.*

3. Virga aurea *anguſtifolia ſerrata, ſive Solidago Saracenica, J. B. Solidago Saracenica, Trag. Dod. Lob. Lugd. Conſolida Saracenica, Eyſt. Virga aurea anguſtifolia ſerrata, C. B. P.* Hæc *Virga aurea* quæ *Solidaginis Saracenicæ* nomen accepit, caules promit bicubitales & altiores, rectos, teretes, cavos, nigricantes aut obſcure (præſertim inferius) rubentes. *Folia* virent lævia, oblonga, lata, acuminata, ſalignis fere ſimilia, ſed majora, per oras concinnioribus denticulationibus crenata, quæ antequam *caulis* prodit, è radicibus exeunt, deinde vero ipſum conveſtiunt. *Floſculi* ſtellati lutei in ramulorum ipſorum faſtigio emicant, qui tandem in pappos reſolvuntur.

Humidis & opacis gaudet ſylvis in Burgundia, *& juxta foſſas in* Germania *non raro obvia fit.*

4. Virga aurea *latifolia ſerrata, C. B. P. Virga aurea ſive Solidago Saracenica latifolia ſerrata, J. B. Virga aurea Arnoldi Villanovani, Ger. emac. Conſolida aurea, Tab.* Triplo latiora huic quam *Virgæ aureæ vulgari* ſunt folia, longiora, cæteroqui ſimilia, perinde ac caules ramique, at vero *flores* lutei pappoſi non ſecundum ramulos ſpicati, ſed ſummis extremiſque *umbellam* quodammodo effigiantes hærent.

In monte Rosberg prope Maſmunſter J. Bauhinus *collegit, Octobri florentem;* Caſp. Bauh. *in* Baſileenſi *monte* Munchenſtein *reperit.*

5. Virga aurea *vulgaris, Park. Latifolia vulgaris, J. B. Virga aurea, Ger. Virga aurea* hæc vulgaris omnibus locis ſylvoſis ex æquo communis eſt. *Folia* lata ſunt oblonga, in ambitu ſubinde crenata, ſed breviora nigrioraque, & ab ipſis radicibus exeuntia; anguſtiora quæ conveſtiunt cauliculos, qui quidem rotundi, ſubrubentes & cubitales ſunt, atque in *alas* diviſi. Juxta cauliculos *floſculi* ſummitatem verſus (inſtar *ſpicæ* propemodum) ordine digeruntur, auri colore lutei, & tandem fatiſcentes in *pappos* abeunt. *Radix* nigricat, *fibras* plurimas emittens.

Reperitur paſſim in ſylvis ac montoſis, ubi lætum pingueque ſolum. Auguſto menſe potiſſimum floret. Radix rariſtibilis eſt, folia tamen magna ex parte quotannis una cum cauliculis pereunt.

6. Virga aurea *Americana hirſuta radice odorata, foliis ſerratis, Moriſ. Prælud. Bot.* Hujus *folia* ſuperius quaſi pube obducuntur, & multo latiora, multoque profundius ſerrata ſunt proxime ſuperioris foliis.

7. Virga aurea *flore albeſcente ſpicato, Breyn. Prod. 2. Virga aurea Noveboracenſis floribus albis, foliis Bellidis ramoſæ Canadenſis Cornuti, Par. Bat. Prod. D. L. Pluk. Phyt. Folia* ima vulgaris foliis accedunt. *Spicæ florum* petiolis brevibus donatorum, ſtaminuloſorum, ad albedinem ex luteo colore tendentium tenuiores apparent, raro ramoſæ.

In horto Amſtelodamenſi *adſervata eſt.*

8. Virga aurea *Canadenſis foliis Scrophulariæ, Dodart. Mem. Virga aurea montana folio latiore glabro, Hort. Reg. Pariſ. Caulis* hujus bipedalis *foliis* latis *Urticæ* aut *Scrophulariæ vulgaris* æmulis pediculis uncialibus alternatim inſidentibus, veſtitur, è quorum alis ſpicatim aſſurgunt *cauliculi*, qui *flores* aureos vulgaris ſimiles ſuſtinent atque inter folia *ſpicam* ampliorem conficiunt.

9. Virga aurea *montana folio latiore hirſuto, Hort. Reg. Par.* Cum proxime antecedenti hæc convenit, & *folia* profert conformia, ſed *hirſutie* præcipue diſcriminata.

10. Virga aurea *longiſſimis & anguſtiſſimis foliis. Semine* in horto noſtro ſato orta eſt hæc planta, cujus *flores* aliarum hujus ſeriei floribus congruunt; *folia* vero anguſta, palmum longa, uncialem latitudinem vix aſſequuntur, in oris minutim dentata.

11. Virga aurea *foliis minus ſerratis, vel Herba Dorea minor Americana, Park.* Hujus *folia* antequam excauleſcat planta anguſta ſunt & oblonga, ab utraque extremitate acuta, circum oras obiter dentata, colore viridi obſcuro prædita. *Caulis* nonnihil piloſus pedali aut ſeſquipedali fere altitudine, floribus ab uno tantum latere ſeu uno verſu diſpoſitis, aliarum hujus generis ſimilibus onuſtus.

12. Virga aurea *Noveboracenſis, Doreæ affinis, lato rigidoque folio, Par. Bot. Prod. Virga aurea ex Nova York, foliis Symphyti majoris hirſutis, Schol. Bot. Par. Folia* ima hujus raræ plantæ ſex uncias longa ſunt, & tres lata, in acutum quiddam deſinentia, non ſerrata. Inter hæc *caules* eriguntur bipedales, quos *folia* biuncialia, & uncialia, lata baſi abſque pediculis arcte adhærentia ambiunt. Porro ex iſtorum *alis* cauliculi ramificantur, & in minores petiolos dividuntur, quorum inferiores longiores, ad altitudinem ſuperiorum aſpirant, & *floſculorum aureorum* corymbum conſtituunt.

13. Virga aurea *foliis lævibus non ſerratis, Moriſ. Prælud. Bot.* Hæc *folia* gerit læviora, longioraque vulgaris *Virgæ aureæ* foliis; ſed nullam in margine patiuntur ſerraturam.

14. Virga aurea *Canadenſis foliis carnoſis non ſerratis anguſtioribus, Solidago maxima Americana, Cornuti. Caule* eſt multiplici, rotundo, glabro, leviterque purpuraſcente, & in tantam proceritatem attollitur, quantam cubita tria implere ſolent. Circa illum *folia* ſubpinguia, & ſine ordine hinc inde diſponuntur. Formam habent *Saponariæ*, longiora tamen, & adverſo Sole intuenti mille velut foraminulis pertuſa apparent (quæ quidem ſpecies fibrarum criſpitudini accepta referenda eſt) & ſplendide virent, atque ubi altius aſcenderint minora fiunt. Caulium ſummitates *paniculas* promunt *florum luteorum* ſpicatim diſpoſitorum, qui Autumno in *pappos* abeunt. *Radix* numeroſa *fibrarum* copia contexitur.

15. Virga aurea *Canadenſis foliis carnoſis non ſerratis latioribus.* Altior hæc planta *folia* producit latiora ac ſpiſſiora. Floret eodem modo quo & proxime ſuperius explicata; & quidem utriuſque *caules foliis* ac *floribus* onuſti perpetua fronde virent, & per totam pene hyemem durant; cum tamen aliis hujus familiæ ſpeciebus caules cum foliis pereunt.

In horto Chelſeiano *adſervatæ ſunt.*

16. Virga aurea *Limonii perforatis foliis, panicula uno verſu diſpoſita, Hort. Reg. Par. Virga aurea Mexicana, C. B. P. in App.* Ex *radice* fibris plurimis contexta, *caules* plures, nonnihil tamen reclinati, aſſurgunt, cubitales aut bipedales. Circa hos autem *folia* palmaria, leſcunciam lata, craſſiuſcula, obtuſe terminata, ſplendentia, & quaſi foraminulis donata, in ſummitate multo breviora & anguſtiora cernere eſt. Ex foliorum alis *ramuli* prodeunt, quibus *flores* ſature lutei, ſurſum ſpectantes, & unam tantum caulis partem occupantes, inſident.

17. Virga

17. Virga aurea *Mexicana foliis latiuſculis non ſerratis, paucis floribus, Yztacpatli, Recchi. Radici* inſiſtit fibratæ, unde profert *ſtipites* tenues, tereteſque, ornatos foliis *Ocimi* circinatis, & ſubluteis *floribus* in pappos abeuntibus.

18. Virga aurea *montana folio anguſto ſubincano, floſculis conglobatis, D. Lloyd*, qui in itineribus ſuis plantarum rariorum inveſtigandarum conſilio inſtitutis fæliciter cum aliis hanc in Alpibus *Cambrobritanicis* detexit. Planta quoad habitum ad vulgarem accedere videtur; *folia* vero tres uncias longa, ac ſemunciam lata, *caulem* veſtiunt; *floreſque* ſinguli eandem quam & vulgaris formam obtinent, non tamen ſpicatim ut in ea fit, ſed in thyrſum rotundum ſummo caule conglobati.

19. Virga aurea *anguſtifolia minus ſerrata, C. B. P. Virga aurea major anguſtifolia, Cam.* Hæc cum proxime antecedenti convenit, at *folia* habet minora, anguſtiora, ſine crenis, aut ſaltem crenis minus conſpicuis prædita, alias à vulgari non differentia.

Naſcitur in opacis ſaltibus, eodemque tempore floret quo vulgaris, ut Lobelius *refert.*

20. Virga aurea *humilis foliis non ſerratis acutioribus, Nobis. Virga aurea omnium minima, H. Reg. Par. An humilis Alpina, ejuſdem?* Species hæc *foliis* latiuſculis, mucronatis, & non ſerratis donata, palmarem altitudinem raro ſuperat; *floreſque* pro ſui modulo ſatis amplos profert.

Ejus varietas datur foliis obtuſioribus *prædita.*

21. Virga aurea *latiſſimo folio Canadenſis glabra, Schol. Bot. Par.* Hæc ſpecies nova *folia* palmari latitudine, ac æquali longitudine, in mucronem tamen abeuntia, minimeque per oras ſerrata, emittit. *Flores* exigui *aurei*, ad eundem modum huic quo & cæteris, proveniunt.

22. Virga aurea *flore minus amplo, foliis latioribus ſerratis.* Huic *folia* ſunt vulgaris longiora & in mucronem acutiorem deſinentia, in ambitu dentata. *Caules* hirſuti; *flores* ſpicatim naſcentes, minores conſpiciuntur.

23. Virga aurea *floribus fiſtuloſis Senecionis inſtar, foliis latioribus ſerratis.* Hanc olim *Arnoldi Villanovani* virgam auream eſſe putaveram, ſed mutata ſententia, *Americanam* eſſe plantam crediderim. A *radice* oblique repente *caules* protrudit erectos, hirſutos, pedales & ſeſquipedales, *foliis* biuncialibus aut triuncialibus, in medio latis, ab utraque extremitate anguſtis, hirſutis, & acutioribus denticulationibus ſerratis inordinatim caulem ambientibus. *Caulis* ſummitas quamplurimis *floſculis* petalis vix conſpicuis *aureis* donatis, pediculis longioribus inſidentibus, ornatur. Præſertim *repente* radicis facultate, & *hirſutie* qua tota obducitur à reliquis dignoſcitur.

24. Virga aurea *Americana Taraconis facie & ſapore, panicula ſpecioſiſſima, D. L. Pluk.* Crebris caulibus bipedalibus quaſi fruticat hæc nova *Virga aurea*, *foliis* duas treſve uncias longis, modiceque latis, & dentatis, ſine ordine inferius amicta. Superius autem folia in caulibus anguſtiora & breviora redduntur, ſerraturis deſtituta, & *Herbæ Draconis* aut *Hyſſopi vulgaris* ſatis æmula. Porro ex horum *alis* alii ramificantur cauliculi graciles, *foliis* etiam minoribus onuſti; qui quidem cauliculi longius extenti rarius ſubdiviſionem patiuntur, ſed ſimpliciter naſcuntur; iiſque ex uno latere, ac ſuperna parte *floſculi* minimi, lutei, copioſe adhæreſcunt, ſurſum ſpectantes, mox ventis ludibris futuri. Sapor totius fervidus, cum aromatica mixtura, ut in *Dracone herba* ſive *Taracone* facile obſervatur.

In horto Chelſeiano *ex* America *delata primum culta eſt.*

25. Virga aurea *anguſtifolia panicula ſpecioſa Canadenſis, Hort. Reg. Par. Forte Virga aurea Virginiana, Bod. à Stapel.* Hæc ſtolones lateraliter à radice copioſe emittit, quibus quaſi reptatu cæteris congeneribus uberius ſe propagat. *Caules* teretes, graciles, erecti, ad altitudinem trium pedum aſſurgunt, quos folia digitum longa, recta, & anguſta ſine porrectione, ut in aliis juxta medium fit, plurima, ſine ordine cingunt. *Caulis* non ſe dividit, antequam plenam altitudinem acquiſiverit; at in faſtigio, in comam ſeu paniculam amplam & diſtentam ſe ſpargit, quamplurimis *floſculis* minimis *aureis* ornatam; quibus marceſcentibus ab auræ flatu diſcutiuntur ſemina pappoſa.

In hortis ſatis fœcunde viget, & Junio & Julio menſibus floret.

26. Virga aurea *flore minus amplo, foliis non ſerratis latioribus, Moriſoni. Virga aurea Canadenſis panicula minus ſpecioſa, Hort. Reg. Par. Folia* duas aut tres uncias longa, in medio unam lata, producit; quæ abſque ſerratura cernuntur. *Flores* in ſummis ramis inſident, antecedentis pauciores, nec adeo compactam & ſpecioſam *paniculam* componentes.

27. Virga aurea *floribus fiſtuloſis Senecionis inſtar, foliis anguſtioribus non ſerratis, Moriſoni. America* uberrime plantas plurimas nobis reddidit, & inter alias hanc de qua ſermo. *Caules* ei erecti, piloſi, *foliis* longis anguſtis & hirſutis amicti ſunt; & *floſculos* minimos, petalis deſtitutos, *aureos*, ſtaminuloſos, ſpicatim in ſummitatibus ſuſtinent.

28. Virga aurea *Americana fruteſcens glabra, foliis ſubtus cæſiis, comis ad ſummitatem in ramulos brachiatos complicatis, D. L. Pl. Phyt. Part.* 3. Hujus *folia* mediocris magnitudinis, non ſerrata, glabra, alternatim poſita, ſubtus cæſii aut glauci, ſuperius viridioris coloris ſunt; & non tantum ex anguſtia ad appoſitionem in medio dilatantur, ſed propriis ſuis pediculis cauli adhærent. *Caulis* ſummitas in varios *ramuſculos* tenues & fere indiviſos ſparſim ſe dividit, quorum uni lateri ſingularis *floſculorum* comoſorum exiguorum ſeries inſidet.

29. Virga aurea *Linariæ folio, floribus congeſtis & umbellatim diſpoſitis, Nobis. Linaria aurea Tragi, Obſ. & Icon. Lob. Eyſt. Linaria folioſo capitulo major, C. B. P. Oſyris Auſtriaca, Cluſ. Pan. & Hiſt. Chryſocome Dioſc. & Plinii, Col. Coma aurea Germanica, & Neapolitana, Park. Helichryſos Tragi, ſive Linaria tertia, J. B.* Cubitalibus aſſurgit ex una *radice virgis* gracilibus, duris, nigricantibus, lentis, & fractu contumacibus, quos non quina aut ſena (quot *Dioſcorides* ſuæ tribuit) ſed numeroſa ambiunt *foliola* longiuſcula, anguſta, *Lini* ſimilia, & longiora, dura, ſatura viriditate nitentia, amari guſtus. Extremæ virgæ in multos tenues *ramulos* deſinunt, quibus inſident ſingularia folioſa *capitula*, *florem* luteum, ex multis *floſculis* quinque *radiolis* decuſſatis, ſtyloque in medio prominente conſtantibus compactum, amplectentia. Deinde *ſemen* nigricans, longiuſculum, pappi inſtar, quod leviſſimo vento excuſſum, ejus arbitrio fertur. *Radix* dura eſt, lignoſa, nigra, aliquot *fibris* donata, ſingulis annis germinans, novaſque virgas proferens.

Exit inter frutices & ad ſepes haud procul à Vienna, *in montibus prope* Ratiſponam, *aliiſque* Germaniæ & Pannoniæ *locis variis.*

Floret Auguſto menſe; ſemen maturum eſt Septembri & Octobri.

Linaria folioſo capitulo minor, C. B. P. Linaria minor aurea, Tab. tantum pro varietate habetur, ſolo ſteriliori debita.

De aliis Virgis aureis dictis.

Virga aurea *magno flore, C. B. P. Conſolida aurea nemorum Limonii folio, Adv. & icon. Lob.* Vide Afterem 4.
Virga aurea *ſerrato magno flore, C. B. P.* Vide Afterem 5. Cap. antecedente.
Virga aurea *ſive Solidagini anguſtifoliæ affinis, Lingua avis Dal. J. B.* Vide Jacobæam 22.

Virgæ aureæ Vires & Uſus.

Virga aurea major *quæ* Dorea & Solidago *dicitur, ad vulnera curanda uſurpatur, & non modo cruentis, verum & inveteratis ac ſordidis ulceribus & fiſtulis abſtergendis utilis eſt.* Foliorum pulvis *vulneribus inſpergitur, aut oleis & unguentis permiſcetur, cum quibus & ipſa folia recentia decoqui poſſunt. Miſcetur etiam cum potionibus, quæ vulneratis, cæſis, ruptis, aut ex alto delapſis propinantur.*

Virga aurea vulgaris, *tam* foliis crenatis, *quam* non crenatis, *calidam quoque ac ſiccam ſortita eſt temperiem. Expurgat cum nonnulla aſtrictione; vulneraria eſt celeberrima, intrinſecus adhibita; nec non lithontriptica, diureticaque plane eximia. Confert itidem diarrhœæ, dyſenteriæ; ſanguinis exſpuitioni medetur; mucilaginem renum & ureterum efficaciter abſtergit; putredinem gingivarum, dentiumque vacillationem curat.* Schrod.

Urinam provocat, & renum calculos expellit ac comminuit, atque una educit lentos crudoſque pituitoſos humores urinarios meatus occupantes, qui ſubinde calculorum exitum ac deſcenſum remorantur, & arenulas in unum calculi (ſed tamen friabilis) formam coaleſcere cogunt: quamobrem nec temere, nec abs re Arnoldus Villanovanus *hanc adverſus calculum & renum dolores commendatam reliquit; eamque in* pulvere *feliciter uſurpari tradit.*

In viſcerum obſtructionibus, ad humores hydropicos excludendos, decoctum ejuſdem optimi eſt uſus.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes Sellatæ.

CAPUT XXIV.

Doronicum.

DOronicum *herba ad* Arabico *vocabulo* Doronigi *derivatur. Quidam inter* Aconita *cenſent, quia Canes, Pardos, & Leopardos interficit. De hoc tanta eſt Auctorum diſcordia, quanta vix de ulla alia herba. Vide quæ* Johannes Bauhinus *huc ſpectantia diſſeruit.*

Planta à Neotericis pro *Doronico* recepta, eſt pappeſcens non lacteſcens, *floribus* luteis amplis, ſtellatis; *foliis* ſubrotundis, mollioribus; & *radice* carnoſa, molliuſcula, candida, geniculata ac perenni prædita.

TABULA XXIV. SECT. VII.

Doronicum foliis

1. *Majus officinarum, Ger. Vulgare, Park. Doronicum radice Scorpii, C. B. P.*
2. *Radice Scorpii repente, Nobis. Aconitum radice Scorpii, Dal. Lugd.*
3. *Radice Scorpii brachiata, C. B. P. Doronicum brachiata radice, Lob. Lugd. Ger. Park.*

non ſerratis

4. *Maximum foliis caulem amplexantibus, C. B. P. Maximum, Ger. Maximum Auſtriacum, Park.*
5. *Auſtriacum 4. Cluſ. Pan. 6. Hiſt. Aliſma Matthioli, ſive Plantago montana, J. B.*
6. *Plantaginis folio alterum, C. B. P. Germanicum, Cluſ. Hiſt.*
7. *Longifolium birſutie aſperum, C. B. P. Auſtriac. anguſtifol. Ger.*

ſerratis

8. *Folio ſubrotundo ſerrato, J. B. Doronicum radice dulci, C. B. P.*
9. *Minus officinarum, Ger. Doronicum Plantaginis folio, C. B. P.*
10. *Helveticum humile craſſis foliis, C. B. P. & Prod. Park.*
11. *Helveticum incanum, C. B. P. & Prod.*
12. *Integro & craſſo Hieracii folio, Magnol. App. An Doronicum foliis viridibus ſubtus lanuginoſis, Hort. Reg. Bleſ?*
13. *Alpinum Pulmonariæ aureæ anguſtiori folio birſuto, flore ſingulari, D. Pluk. Alm.*
14. *Latifolium flore magno, C. B. P. Auſtriacum 3. Cluſ. Pan.*
15. *Nigra radice Campoclarenſe, Col.*
16. *Alpinum foliis ſubrotundis araneoſa lanugine obſitis, Schol. Bot. Par.*
17. *Folio longo ſerrato, J. B.*
18. *Alpinum foliis oblongis & mucronatis, Nobis. Tuſſilago Alpina folio oblongo, C. B. P. 5. Prod. J. B.*

1. Doronicum majus *officinarum, Ger. Vulgare, Park. Doronicum radice Scorpii, C. B. P. Doronicum latifolium, Cluſ. Hiſt. Romanum Geſn. Hort. Aconitum Pardalianches* 1. *Dod.* Caule eſt ſeſquipedali aut bipedali, molli, hirſuto, ſtriato. *Folia* illi rara, parva, craſſa, ſubrotunda, ad mucronem tendentia, ſupina parte admodum viridia, omnino tamen villoſa, mollique lanugine pubeſcentia, & prona parte dilutius virentia; at quæ caulem ambiunt, anguſtiora ſunt, peracris ſaporis. Summis ramuſculis *flores* fert binos, ternos, aut plures, luteos, amplos, radiatos, *Chryſanthemi* ſimiles; quibus evaneſcentibus ſuccedunt *ſemina* fuſca coronata lanugine ſeu pappo qui levi aura excutitur, & venti arbitrio fertur. *Radix* parva, ſed craſſiuſcula, quaſi geniculata, & oblique fere repit, internodiis diſtincta, craſſioribus aliquot *fibris* donata. Pars illa craſſa cum *fibris* craſſiuſculis formam *Scorpionis* pedibus pene refert. *V. icon. tab. æn.* 24.

Germaniæ *variis in locis ſaxoſis, tenui nigraque terra leviter tectis*, *in* Snealben, Sneberg, & Neuberg, & *in montoſis* Genevenſibus *ſponte oritur. Floret Julio, nonnunquam & Auguſto, quo menſe ſubinde maturitatem aſſequitur ſemen.*

2. Doronicum *radice Scorpii repente, Nobis. Aconitum radice Scorpii, Dal. Lugd. Aconitum Pardalianches minus, Cam. Ep.* Hoc antedicto ſimile, magnitudine præcipue diſcrepans, *radice* eſt parva, candida, geniculis veluti articulata, *fibris* multis utrinque donata ſerpentibus, *Scorpium* optime referente. Ex hujus inferiore parte alia ſubnaſcitur, quæ aliam ſimilem procreat, tanta radicum procreandarum fœcunditate, ut interdum plures quam duodecim cohæreant; *foliis* paucis ſubrotundis, hirſutis, tactu mollibus; *caule* pedali, aliquot *foliolis* veſtito; *flore Chryſanthemi* æmulo, medio velut diſco & orbiculato ambitu luteo donato.

Naſcitur in altiſſimis montibus, ubi ſylveſtres capræ pabulum quæritant. Floret exeunte vere. V. icon. tab. æn. 24.

3. Doronicum *radice Scorpii brachiata, C. B. P. Doronicum brachiata radice, Lob. Lugd. Ger. Park. Aconitum Pardalianches alterum, Dod.* Ad bipedalem ſurgit altitudinem. *Folia* inferiora ſunt ſubrotunda, & fere cordiformia, interdum nonnihil ſinuata; ſuperiora ad ſingula genicula ſunt mucronata, ſaturatius virentia. *Flores* in ſummis ramuſculis gerit ſuperius memoratorum floribus minores. *Radicem* habet ſquamatam, internodiiſve diſtinctam, ſine fibris ex internodiis emanantibus. Utrinque adnaſcuntur *radiculæ* binæ, ſquamatæ verſus ſupremam radicis partem, parvi digiti craſſitudine præditæ, quæ deorſum pendentes, brachia ex humeris exſerta referunt, unde *Doronicum radice brachiata* nominatur. *V. icon. tab. æn.* 24.

4. Doronicum *maximum foliis caulem amplexantibus, C. B. P. Maximum, Ger. Maximum Auſtriacum, Park. Doronicum maximum foliis Hyoſcyami Peruani modo caulem amplectentibus, J. B. Doronicum* 7. *Auſtriacum* 3. *Cluſ. Hiſt.* ubi recte diſcribitur. Genus omnium maximum bicubitalem interdum & ampliorem habet *caulem*, minimi digiti plerumque craſſitudine, ſtriatum, hirſutum, à ſummo cacumine in aliquot alas diviſum; *folia* circa radicem orbiculata, longo pediculo inhærentia, rugoſa & nonnihil hirſuta; quæ vero nullo ordine digeſta caulem ambiunt ampliora ſunt, mucronata, in ambitu leniter dentata, pediculo nullo, ſed inſtar foliorum *Hyoſcyami Peruani latifolii, Tabaci* majoris vulgo vocati, caulem latiore baſi amplectentia, viridia, hirſuta. *Flores* extremis ramulis inſident magni, lutei coloris, odoris expertes. *Radix* ex viridi candicans, nodoſa, *ſquillulæ* ſimilis eſt; ſed ubi propaginibus aucta ſit craſſior fit, & ex multis veluti corporibus in unicum conflatur & coaleſcit.

Secundum rivos è montibus labentes, locis umbroſis in deſcenſu jugi Wechſel *& ſylvoſis locis* Etſcheri, *& in* Pannonia, Cluſius *obſervavit. In hortos tranſlatum ſatis ſe propagat, & Maio & Junio menſibus flores profert; & Julio ſemina ſubviridia maturat. V. icon. tab. æn.* 24.

5. Doronicum *Auſtriacum quartum, Cluſ. Pan.* 6. *Hiſt. Aliſma Matthioli ſive Plantago montana, J. B.* Plura ſecundum *radicem* habet expanſa *folia*, minus nervoſa, & anguſtiora; anguſtiora etiam quæ caulem ambiunt, ex adverſo naſcentia, cum ſuo caule hirſuta ſunt. Suprema pars dividitur in plures ramulos ſuſtinentes hirſutos *calyces*. *Flores* lutei, duplici interdum *petalorum* medium orbem ambientium, & quodammodo per extremitatem fimbriatorum ſerie conſtantes. *Radix* gracilis eſt, *fibris* paucis adnaſcentibus.

Vicinis Nemethwywar *arci, cæduarum ſylvarum declivibus locis Maio menſe florens* Cluſius *invenit; & in* Rhœtia *circa* Burnium Jo. Bauhinus *legit.*

6. Doronicum *Plantaginis folio alterum, C. B. P. Germanicum, Cluſ. Hiſt. Calendula Alpina, Ger. Doronicum Germanicum foliis ſemper ex adverſo naſcentibus villoſis, J. B.* Hoc terna, quaterna, ſumma tellure fundit *folia, Plantaginis latifoliæ* fere æqualia, longiora tamen, & ad *Digitalis* luteum ſeu pallidum florem ferentis foliorum ſimilitudinem magis accedentia, nervis diſtincta, viridia, mollia, ſuperne nonnihil villoſa, inferne candidiora & leviora, bina ſemper ex adverſo naſcentia. *Caulem* habet fere cubitalem, nudum, rotundum, hirſutum, qui ſuperiore parte diviſus *calycem* ſuſtinet hirſutum, ex quo magnus emergit *flos* luteus congenerum floribus ſimilis, & *ſemina* quoque pappoſa ſuccedunt. *Radix* minimi digiti craſſitudinem pene æquat, *nodis* quibuſdam informibus diſtincta, multiſque *fibris* donata, ac lateribus propagines fundens, & ſingulis annis nova germina proferens.

In omnibus fere pratis ſublimioribus ad Alpium radices, & in ipſis Auſtriæ *ſatis frequens eſt. Quin & in cæduis ſilvis ad* Mœnum *amnem ſitis, non longe à* Francofurto *ad ſiniſtram oritur. Maio menſe floret. V. icon. tab. æn.* 24.

7. Doronicum *longifolium hirſutie aſperum, C. B. P. Doronicum* 2. *Auſtriacum* 1. *Cluſ. Hiſt. Doronici ſpecies ex Horto Ferrarienſi folio longo hirſuto, J. B.* qui iſtis characteribus foliorum à *longitudine* & *hirſutie* petitis hanc plantam à *congeneribus* diſtinxit; nam quoad *flores* & *ſemina* cum aliis convenit. *V. icon. tab. æn.* 24.

8. Doronicum *folio ſubrotundo ſerrato, J. B. Doronicum radice dulci, C. B. P. Latifolium quartum ſerratum, C. B. P. Tertium Auſtriacum* 2. *Cluſ. Hiſt. Folia* circa *radicem* longo pediculo inhærentia, orbiculata fere ſunt, ſenſim tamen à pediculo in latitudinem ſe explicant, in ambitu dentata & ſerrata. *Flores* & *ſemina* profert eodem modo quo & congenera. *Radix* longa ſquamata, ſeu geniculata, guſtu fere ſucci è *Glycyrrhizæ* radice expreſſi & denſati donata. *V. icon. tab. æn.* 24.

9. Doronicum *minus officinarum, Ger. Doronicum Plantaginis folio, C. B. P. Folio fere Plantaginis, J. B. Anguſtifolium, Cluſ. Hiſt. Minus, Park.* E *radice* alba & articulata proveniunt *folia* longa, duas uncias lata, ab utraque extremitate acuta, mollia, hirſutie pubeſcentia, in ambitu crenata, pediculis longis inſidentia. *Caules* ſunt teretes, tenues, in aliquot *alas* à medio diviſi, quarum quælibet *florem* amplum luteum ſtellatum, ex

plurimis *petalis* anguſtis & acutis conflatum gerit, cum umbone in medio concolore. Hic autem in *ſemina* pappoſa defluit, initium ab exteriore ambitu faciens, ut in aliis *Doronici* ſpeciebus fieri amat.

Burdegala *delatum* Cluſius *habuit. In hortis frequenter occurrit, & Aprili & Maio menſibus floret. V. icon. tab. an.* 24.

10. Doronicum *Helveticum humile craſſis foliis, C. B. P. & Prod.* Planta palmaris eſt, *foliis* craſſis & denſis, ſuperne atrovirentibus, inferne pallidis, nonnihil hirſutis; primis quidem ex rotunditate oblongam figuram acquirentibus, per ambitum crenatis, pediculi baſi *caulem* ambientibus; ſubſequentibus vero, uncias ſex longis, ſeſcunciam latis, ex quibus ſuperiora pediculis carent. *Caule* eſt brevi, hirſuto, in ramulos biunciales diviſo, quorum ſinguli *florem* luteum mediæ magnitudinis ſuſtinent.

Julio menſe in Valleſianorum *jugis floret, ut refert* Caſp. Bauh. *in Prodromo ſuo.*

11. Doronicum *Helveticum incanum, C. B. P. & Prod.* Ad *radicem* geniculatam aliqua folia ſunt ſubrotunda, alia ex rotunditate oblongam figuram induentia, in ambitu dentata, & ſerrata; parte inferiore, una cum pediculis, ob incanam lanuginem, mollia; ſuperne vero pallide virentia, & nervo albicante prædita; quæ vero caulem ambiunt, longa ſunt, anguſta & acuminata, acris & amari ſaporis. *Caulis* eſt pedalis; *flos* amplus aureus, qualis eſt & congeneribus.

Ex Helveticis *Alpibus D.* Burſerus Caſparo Bauhino *attulit.*

12. Doronicum *integro & craſſo Hieracii folio, Magnol. App.* An *Doronicum foliis viridibus ſubtus lanuginoſis, Hort. Reg. Bleſ?* *Radix* fibroſa eſt, è qua oriuntur *folia* pediculis donata, longa, latiuſcula, ſerrata, craſſa, ſubtus tomentoſa, ſupra viridia. *Caulis* ſeſquipedalis, *folia* anguſta habens ſine pediculis. *Florem* fert magnum *petalis* luteis in extremitate crenatis donatum. Floris *calyx* ſtriatus, in baſi foliis viridibus coronatur.

In herbidis locis montis Serane *frequens eſt, & Junio menſe floret.*

13. Doronicum *Alpinum Pulmonariæ aureæ anguſtiori folio hirſuto, flore ſingulari, D. Pluk. Alm.* 131. An *Doronicum anguſtis foliis Tranſtaganum, Griſlei?* *Caulis* ei aſſurgit rectus, molli hirſutie pubeſcens, è quo fortuito poſitu enaſcuntur *folia* pediculis inſidentia, longa, anguſta, utrinque mucronata, *Hieracii* in modum *denticulationibus* paucis ſinuata. *Flos* in ſummitate ſingularis, ex *petalis* anguſtis aliis longioribus, aliiſque brevioribus radiatim diſpoſitis conſtructus; *umbone* luteo in medio protuberante.

14. Doronicum *latifolium flore magno, C. B. P. Tertium Auſtriacum, Cluſ. Pan. Quartum, Hiſt. Stiriacum flore amplo, Ger. Doronicum folio lato, flore magno, J. B.* Hoc *Doronicum* humilius eſt, & capite *floris* majore, & *foliis* à pediculis ſtatim pene orbiculatis, & mucronatis, in margine profunde dentatis præditum. Quin & radicum *nodi* & propagines non longe à matre ſe ſpargunt, & quaſi contiguæ ſurſum tendunt, & extra terram folia promentes fibris in tellure ſeſe firmant.

Naſcitur in Veytzalben *ſupra* Neuberg *in* Stiria; *& Junio & Julio menſibus floret. V. icon. tab. an.* 24.

15. Doronicum *Cyclamini folio, nigra radice Campoclarenſe, Col. parte* 2. Differt hæc ſpecies ab aliis prædictis *radice*, quæ nigreſcente & fuſco cortice exterius donatur; intus vero alba eſt, odorata, *Cupreſſi* ligni derafi ad inſtar ſapore dulci & aromatico, cerebrum petente. *Folia Cyclamini* foliis ſunt proxima, carnoſa, *vulgarium Doronicorum* ſimilia & duriora, majoribus *dentibus*, magiſque circa petiolum lunato ſinu conjuncta. *Caule* conſtat pedali & ſemipedali, ſtriato, cavo, tribus aut quatuor *alis* foliorum abſque petiolo alternatim adhærentium intercepto. *Florem* in ſummitate habet unicum, ex calyce folioſo virente prodeuntem, quatuor nonnunquam unciarum diametrum implentem.

Oritur in Mateſii *montis locis borealibus. Flos ſuppeditatur illic menſe Maio. Vide* Fab. Col. *de* Doronico in genere, *qui prolixe ſatis de eo diſſerit.*

16. Doronicum *Alpinum foliis ſubrotundis araneoſa lanugine obſitis, Schol. Bot. Par.* Hujus *folia* non tantum hirſutie pubeſcunt, pro more congenerum, ſed *tomento*, & laxa *lanugine* teguntur; quibus præcipue ab aliis dignoſcitur.

17. Doronicum *folio longo ſerrato, J. B.* Mollicella *lanugine*, & colore ex viridi flaveſcente huic cum *Doronico vulgari* conveniunt *folia*; figura tamen alia, utpote bene longa, parum lata, & in ambitu ſerrata. Reliqua petenda ex deſcriptione *Doronici folio rotundo.*

In Rhœtia *menſe Julio florens* Jo. Bauhinus *reperit.*

18. Doronicum *Alpinum foliis oblongis & mucronatis, Nobis. Tuſſilago Alpina folio oblongo, C. B. P. & Prod. J. B.* Ex *radice* nigricante, minimi digiti craſſitie, plurimis *fibris* donata, *caulis* exſurgit cubitalis, hirſutus, rufeſcens, ſtriatus, & aſper, foliis ad radicem quinis, ſenis, longis pediculis donatis, oblongis, nigricantibus, duris, hirſutie aſperis, per marginem crenatis, & imparis longitudinis; at in caule binis, terniſve anguſtioribus donatus. *Caulis* ſummitati aliquando in ramos diviſæ *flos* muſcoſus, luteus, ſatis magnus, inſidet, qui tandem in *pappum* evaneſcit.

In Helvetiorum *Alpibus*, & Baldo (*ſed anguſtioribus foliis*) *provenit, & in* Rhœtiæ *quoque montibus Julio menſe florens invenitur.*

Doronicum Americanum, Park. Doronicum Amer. laciniato folio, C. B. P. in App. Foliis magis, & minus diſſectis; Aconitum helianthemum Cornuti Chryſanthema ſunt, & Plant. 53. & 54. pag. 22. deſcribuntur.

Temperamentum & Vires.

Doronici radix *raro in officinis in uſum venit. Calida ea eſt & ſicca, diſcutit, & alexipharmaca eſt. Uſus præcipue in vertigine, uteri inflatione, palpitatione cordis, venenoſis morbis, ac morſibus,* (*nimirum* ſignaturam Scorpionis *habet.*)

Doronicum 5. *quæ Aliſma Matthioli, ſive Plantago montana, J. B. Planta vulneraria & diſcuſſoria reperta eſt frequenti experientia, utpote unica & optima panacea ab alto lapſorum.* Ephem. Germ. *Ann.* 9. & 10.

Sunt qui Aconitum Pardalianches *eſſe volunt, adeoque noxium, quo in numero eſt* Matthiol. *cui tamen moderni minime aſtipulantur.*

PLANTÆ

PLANTA PAPPESCENS

Non Lacteſcens ſtellata.

CAPUT XXIV.

Helenium ſive Enula campana.

Ἑλένιον *Dioſcoridi l. 1. c. 27. Helenium Plinio l. 21. c. 10. quod è lachrymis Helenæ natum quidam fabulantur, ideoque in inſula Helena laudatiſſimum eſſe. Panax Chironium Theophraſti Hiſt. Plant. l. 9. c. 12. quibuſdam cenſetur; Alii quod contra ſerpentes ex eo primum ab Helena remedium inventum ſit.*

Helenium eſt planta pappeſcens non lacteſcens, & radicibus, & foliis maximis integris incanis.

Helenium, *Matth. Dod. Ger. Helenium vulgare, C. B. P. Helenium ſive Enula campana, Park. J. B. Elenion, Trag. Inula, vulgo Enula campana, Geſn. Panax Chironium Theophraſti, Aug. Cord. Helenium ſeu Enula campana quam quidem pro radicibus Beben ſubſtituunt, Eyſt.* Radice conſtat magna, craſſa, inæqualiter protuberante, foris ſubfuſca, intus alba, ſuaviter odorata, & acri: inde *caulis* in tricubitalem aſſurgit altitudinem, ſubhirſutus, & ad ſummum uſque foliis veſtitus, ſibi ſine pediculis arcte inhærentibus; quorum inferiora, pedem unum aut alterum longa, *Symphyti majoris* ampliora ſunt, & ex utraque extremitate acuta, & mucronata, per ambitum tenuiter crenata, ſuperius in virore albicantia, & tenui lanugine obſita, inferius albidiora: *Flores* ſummum caulem occupant, ſquamatis capitulis ſuffulti, aurei, radiatis, plurimis, tenuibus, oblongis petalis, latum meditullii diſcum, innumeris ſtaminulis aut floſculis brevibus farctum, orbiculatim ambientes: *ſemen* ſtaminulis ſubeſt gracile, oblongum, barbulis ſeu pappo annexum.

In pinguibus & lætis naſcitur pratis & paſcuis; reperitur quandoque in montoſis locis umbroſis, Angliæ, Germaniæ, Galliæ, Italiæ, & Belgiæ. Flores menſibus Junio ac Julio profert. Vid. iconem Tab. ænea 24.

Helenium Indicum maximum, C. B, P. Et ramoſum ejuſdem, quære inter Chryſanthema majora annua.

Helenii Vires & Uſus.

Radix amaricans calefacit & ſiccat, abſtergit, diſcutit, aperit; pulmonica eſt, Stomachica, alexipharmica, ac ſudorifica. Uſus præcipui in tartaro pulmonum, renumque attenuando, ac educendo; & hinc in tuſſi, aſthmate, in cruditatibus ventriculi emendandis, ureteribus reſerandis, in peſte contagioſiſque morbis arcendis, & in Scabie, fæliciſſime uſurpatur.

Adverſus reſpirandi difficultatem, Orthopnœam, veteremque tuſſim plurimum prodeſt; ad expurgandos ſiquidem craſſos, lentos, & pertinaces humores qui in thorace & pulmonibus hærent, vim habet; multum in Eclegmate, tum condita poteſt, tum aliis modis data. A cœna ſumpta non modo concoctionem promovet, ſed & alvum laxiorem reddit.

Radices tam ſiccæ quam conditæ ventriculi ægritudinibus frigidis tollendis oppido conferunt, quem mirifice reficiunt; Atque hujus rei cauſa magna copia quotannis conditur, & Aroma Germanicum *appellatur, & præ Zinzibere & aliis Indicis laudaverit* Hoffmannnus.

Radices in vino albo madefactæ, & per triduum intinctæ, mane inter jejunandum epoto, ad removendum mulierum obſtructiones, Chloroſinque Virginum eximie proſunt. Idemque vinum ſumptum ad viſum acuendum a Jo. Baubino mire commendatur.

Peſtis tempore vinum enulatum frequentiſſime bibitur, atque inter alexipharmaca præſtantiora habetur.

Radix in aqua cocta aut macerata, ſi pruriginoſi, & ſcabie fœdati ea laventur, ad mundificationem optime confert

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes ſtellatæ.

CAPUT XXV.

Tuſſilago.

Tuſſilago, quod tuſſi medeatur. Βήχιον *Græcis, Dioſc. l. 5. c. 126.*

Tuſſilago eſt Planta Pappeſcens non Lacteſcens rotundifolia, radice repente donata, cujus flores ſtellati ſingulis cauliculis non ramoſis inſident.

TABULA XXIV. SECT. VII.

Tuſſilago floribus
- *foliis antecedentibus*
  1. *Vulgaris, C. B. P. Ungula caballina, Brunf. Trag. Farfara, Cæſ. Caſt. Lugd. Bechion, Dal. Gall.*
- *foliis ſuccedentibus*
  2. *Alpina rotundifolia caneſcens, C. B. P. Tuſſilago Alpina minor folio rotundo, J. B. Tuſſilago Alpina prima Cluſ. Hiſt.*
  3. *Alpina rotundifolia glabra, C. B. P. Tuſſilago Alpina 2. Cluſ. Hiſt. Aſarina Matthioli flore Anthemidis, J. B.*

1. Tuſſilago, J. B. *Tuſſilago vulgaris, C. B. P. Ungula Caballina, Brunf. Trag. Ungula Aſinina, Cord. Farfara, Cæſ. Farfuſium, Geſn. Chamæleuce, Plin. Bechion & Bechium, Hermol. Ruell.* E radice valde ſub terra repente, geniculata, calami ſcriptorii craſſitudine, proveniunt primo vere caules palmares aut dodrantales, non ramoſi, molles, tomento albo obducti, & foliolis (quaſi falſis) anguſtis cincti; ſinguli ſummum ſingulum florem luteum, ex petalis anguſtiſſimis luteis, umbonem concolorem cingentibus, expanſum, ſuſtinent, qui cito in pappum mutatur, & una cum caule menſe *Martio* aut *Aprili*, ante foliorum exortum marceſcit; quæ folia tota æſtate futura vigent, palmum circiter lata, & ex angulis & ſerraturis ad rotunditatem tendentia, *Populi albæ* modo, præſertim ex adverſo, è virore inalbicantia, & tomento candido tecta apparent.

In riguis & humidis paſſim, ſatis copioſe reperitur.

2. Tuſſilago *Alpina rotundifolia caneſcens, C. B. P. Tuſſilago Alpina prima, Cluſ. Hiſt. Tuſſilago Alpina minor folio rotundo, J. B.* Quina aut ſena habet folia, circinatæ fere rotunditatis, *Chamæciſſi* aut *Hederæ terreſtris* vulgaris non valde diſſimilia, in ambitu nonnihil ſinuoſo, & crenata, ſuperne rugoſa, & nigricante viriditate ſplendentia, inferne candida, & multo quaſi tomento obſita: Cauliculus nudus eſt, palmaris, concavus, incana lanugine pubeſcens, unicum *florem* ſuſtinens muſcoſum, purpuraſcentem, maturitate in pappum evaneſcentem: brevi poſtea areſcit & perit is cauliculus, ut reliquo anni tempore, ſine caule planta conſpiciatur: *radix* fibroſa ſerpit, & in latum ſe diffundens, multas propagines agit tenuibus fibris ſeſe firmantes.

In monte Jura, Stiriacis Alpibus & Auſtriæ jugis ſponte provenit, & ſub menſis Junii finem ut plurimum floret, interdum ſerius.

3. Tuſſilago *Alpina rotundifolia glabra, C. B. P. Tuſſilago Alpina 2. Cluſ. Hiſt. Aſarina Matthioli flore Anthemidis, J. B.* Ab antecedenti non multum diſſidet; figura enim foliorum eadem eſt, ſapor idem, *flos* ſimiliter purpuraſcens, radix etiam ſumma tellure ſerpens; folia duntaxat paulo ampliora nonnunquam conſpiciuntur, neque adeo ſplendent ſuperna parte, aut averſa candicant; ſed tantummodo nonnullis villis obſita ſunt.

In Bohemiæ montibus, & in ſuperiore collis parte ponè Monaſterium Neubourg ad radices celſiſſimi jugi ejuſdem nominis invenitur. Menſe Maio floret.

Tuſſilago Alpina foliis oblongis, C. B. P. & Prod. J. B. Vide Doronicum 17.

Vires & Uſus.

Radices & folia virentia temperatis proxima ſunt, ſiccata vero modice acria & calida evadunt. Planta eſt thoracica. Uſus præcipuus interne in tuſſi, (unde & nomen habet) orthopnœa, vomiciſque pectoris, quibus ſingulis fumus ejus ore hiante attractus mederi creditur.

Prodeſt Syrupus de Farfara Pleuriticis, & pectoris vitiis perturbatis apprime commodus, & decoctis pectoralibus folia frequentiſſime immiſcentur.

Hydropicis, quibus paracenteſis eſt imperata; Dyſpnœa, Phthiſi, & Atrophia laborantibus, commodiſſima eſt Tuſſilago.

Scarificatio & excoriatio cutis Hydropicorum degenerare plerumque in Gangrœnam obſervatur. Huic malo ut obviam eatur, præcipiunt Medici ut crura vino decoctionis florum Tuſſilaginis, Maſtiche, Myrrha, litharyrioque admiſtis, proluantur. Sennert. lib. 3. Prax. part. 7.

SECTIONIS SEPTIMÆ

Diſtributio quarta.

De Capitatis, ſeu de Plantis non lacteſcentibus pappeſcentibus non ſpinoſis, & ſpinoſis, quarum flores ut plurimum petalis inferius tenuibus tubuloſis, ſuperius in quinque ſegmenta ore patulo diviſis, donati, è capitulis ſubrotundis turgidioribus, ſquamoſis, imbricatim diſpoſitis, explicati ſunt; ſingulis ſeminibus ſingula vel petala vel floſculos intermedios ſequentibus pappo criſtatis, agendum porro eſt. Quæ cum in tantam molem excreverint, & ab Antiquis, caliginoſis tantum verbis exhibitæ ſint; ut Lectori clarius appareant, ordinem ſequentem proponimus. Plantæ capitatæ ſunt vel

1°. Foliis & capitulis lævibus ſeu non ſpinoſis: Centaurium majus, Serratula, Cyanus, &c.
2°. Foliis & capitulis hiſpidis, ſeu modice ſpinoſis: Iaceæ capit. acutioribus, Carthamus, Circium, &c.
3°. Foliis & capitibus atrociter ſpinis mordacibus armatæ: Carduorum varia genera.
4°. Cardui improprii: iiſque affinibus agmen claudimus. Et primo de lævioribus.

CENTAU-

CENTAURIUM MAJUS,

Serratula, Cyanus, Stœbe, Jacea, capitulis lævioribus.

CAPUT XXVI.

Centaurium Majus.

Κενταύριον τὸ μέγα, *Centaurion eſt medicamentum à Chirone Centauro inventum, & eſt herba de qua in præſenti: Arabibus Kabir.*

Centaurium majus eſt Planta Capite majore ex ſquamis lævibus compoſito, foliis magnis ſerratis, ſeminibus cæteris hujus claſſis rigidioribus pilis coronatis, donata.

TABULA XXV. SECT. VII.

Centaurium Majus foliis

- *laciniatis flore*
  - *purpureo*
    1. *Folio Juglandis, J. B. Foliis in plures lacinias diviſis, C.B.P. Magnum, Matth. Dod.*
    2. *Foliis Cinaræ, Cornuti, Park.*
    3. *Ciliare annuum foliis laciniatis & ſerratis, Nobis. Cyanus pulchro ſemine Centaurii majoris, J. B. Senecio-carduus Apulus, Col.*
  - *luteo*
    4. *Alpinum, C. B. P. & Prod. Centauroides folio glabro flore flaveſcente, J. B.*
    5. *Africanum flore aureo odorato, Breyn. Cent. Cornuti, Park.*
    6. *Paſtinacæ folio argenteo, Nobis. Argentea, Proſp. Alp. de Exot.*
- *non laciniatis flore*
  - *purpure*
    7. *Sive Rha capitatum foliis Enulæ, J. B.*
    8. *Sive Rhaponticum alterum anguſtiore folio, J. B. Rhaponticum anguſtifolium incanum, C.B.P.*
  - *luteo.*
    9. *Sive non diſſectis, C. B. P. Majus alterum, Cluſ. Dod. Lob.*
    10. *Helenii folio capitulis minoribus, Nobis. Jacea maxima, Proſp. Alp. de Exot.*

11. *Centaurio affinis aut Centaurium ciliare minus Biſnagaricum, Origani foliis amplioribus, floribus in umbellis, D. Pluke. Phyt.*

1. Centaurium majus *Juglandis folio, J. B. Centaurium majus folio in lacinias plures diviſo, C. B. P. Centaurium majus vulgare, Cluſ. Hiſt. Centaurium magnum, Matth. Dod. Caſt. Rhapontica quæ hodie Centaurea major, Trag.* Centaurium hoc majus caulem habet rectum, qui hominis proceritatem aſſequitur, quique in ramos circa ſummitatem dividitur. *Folia* ampliſſima coſtæ mediæ Juglandis foliorum inſtar, ſeu conjugatim diſpoſita, quorum alæ ſingulares ſpithamam fere ſunt longæ, latitudine trium aut quatuor unciarum, per ambitum ſerratæ, nervoſæ, glabræ, ſaturate virentes; at folia primum prodeuntia integra ſunt, nec diſſectionem agnoſcunt. *Capitula* ſquamata ſurculorum extremis inſident, è quibus emicant *flores* ex multis floſculis fiſtuloſis purpureis, quinquefariam in limbo ſeu margine diviſis contexti; His autem ſingulis evanidis ſuccedunt ſingula *ſemina* nitida, oblonga, in ſuperiore ſingulorum parte conſpiciuntur villi rigidi, pappos æmulantes. *Radix* rubens craſſiuſcula, longa, recta, fragilis, foris nigricans, interius rubeſcens, ſucco ſanguineo prægnans, cum dulcedine & aſtrictione nonnihil mordax.

Latum & pingue ſolum amat Centaurium hoc majus, ac colles herboſos apricos. Copioſiſſimè provenit, inquit Dioſcorides, in Lycia, Peloponneſo, Arcadia; Reperitur in Apuliæ Gargano, nec non in Baldo agri Veronenſis monte. Floret æſtate; radices autem autumno legi expedit. Centaurii majoris radices in Baldo repertæ multum cedunt radicibus repertis in Apulia, teſte Matthiolo.

2. Centaurium majus *foliis Cinaræ, Cornuti. Majus Pyrenaicum, Park.* Folia profert hoc ampla, longa, alata, *Cinaræ* folia quoad colorem ac formam repræſentantia, prona parte albedine tecta, ſupina viridiora; inter quæ *caulis* bicubitalis anguloſus aſſurgit, brachia pauca emittens, in ſummitatibus capitula exiguæ Cinaræ magnitudine ferentia, ex ſquamulis aculeatis imbricatim aggeſtis, hiſpida, fulvi coloris. *Flores* ſtaminuloſi, purpurei evaneſcentes, capitulis clauduntur, ſemina Cnici ſimilia barbulis coronata continentibus.

In montibus Pyrenaicis, Plantarum varietate prægnantibus, ſponte naſcitur.

3. Centaurium *ciliare annuum foliis laciniatis & ſerratis, Nobis. Cyanus pulchro ſemine Centaurii majoris, J. B. Senecio-carduus Apulus, Col. Chondrilla Crupina Belgarum dicta, Lob. Obſ. Chondrilla foliis laciniatis ſerratis purpuraſcente flore, C. B. P. Chondrilla Hiſpanica, Ger.* Multa habet folia humi ſtrata, tres quatuorve uncias longa, cornu cervi diviſura, rigida, ſaturate viridia: è quorum medio erigitur *caulis* cubitalis aut bicubitalis, in ramulos plures ſurſum verſus brachiatus, atque ad ſingulas geniculationes oriuntur foliola tenuius ſecta: in ſummis cimis proveniunt *floſculi* obſolete purpurei coloris qui vix ac ne vix quidem expanduntur, ac proinde difficilius conſpiciuntur. Floribus marceſcentibus ſuccedunt *ſemina* nitida, lucida, longiuſcula, ſatis magna; in quorum ſuperiore parte apparent villi nigri, rigidi, cilii inſtar, qui impediunt ne facile chartis involvi poſſint, ſed iiſdem exprimantur.

Planta eſt annua, florens menſibus Julio & Auguſto. Provenit inter ſegetes, tum in Hiſpania, tum in Gallia Narbonenſi.

4. Centaurium *Alpinum luteum, C.B.P. & Prod. Centauroides folio grabro flore flaveſcente, J. B. Centaurium majus luteum, Park.* *Foliis* ludit hoc, quorum inferiora integra palmaria, dentata, & modo laciniata apparent; at quæ in caule ſunt in partes plures, uncias quatuor longas, diviſa ſunt: *Caulis* eſt ſeſquicubitalis aut bicubitalis, in ramulos diviſus: *Flores* lutei aliis ſimiles è capitulis ſquamatis lævibus protruduntur; ſeminaque conſimilia profert.

In monte Baldo provenit.

5. Centaurium majus *Africanum flore aureo odorato, Breyn. Cent.* 1. *Folia* prima è radice erumpentia, Armoricæ forma penè ſunt integra, ſerrata, laciniis aliquot verſus pediculum donata: folia ſuccedentia viridia, Erucæ aut Jaceæ laciniatæ more diſſecta ſunt, & quo altius *cauli* ſeſquicubitali aſcendunt, eo minora redduntur. Capitula ſummis caulibus inſidentia, antecedentis ſunt majora, lævia, ſquamata, è quibus *flores* ſtaminei, aureo colore perbelle fulgentes, atque ſuaviter olentes exeunt.

Frigoris eſt impatiens, & ſolis caloris avidum; expetit enim ſolum calidum & apricum, Barbariæ nempe colles incultos, præſertim prope Gigeri ſive Gigel urbem Mauritaniæ.

6. Centaurium majus *luteum humilius Paſtinacæ folio argenteo, Nobis. Argentea, Proſp. Alp. de Exot.* Herba ſemicubitalis aut amplior cernitur, tota candido tomento molli obſita, folioſa eſt, multa ſcilicet folia proferens, longa, ad *Paſtinacæ hortenſis* quodammodo accedentia, ſed longe minora, tota tomento albo molli & candido obſita. *Caulis* à radice ſemicubitalis eſt, quadrangulus, rectus, totus candidus, intus habens medullam albam, mollem, levem, non leviter amaram. Juxta vero & foliorum principium, & à caule ſunt cauliculi multi, recti, quadranguli, qui in cacumine habent calyces rotundos, latos, flaveſcentes, parvis ſquamulis obſitos, Cyanorum ſimiles, ſed breviores & craſſiores; in quibus *flores* ſimiles cernuntur aurei, qui in pappos poſtea reſolvuntur. Planta tota amareſcit cum æquali ſtipticitate.

In Creta naſcitur.

7. Centaurium majus, *Rha capitatum folio Enulæ, ſubtus hirſuto & incano, J. B. Rhaponticum folio Heleniii incano, C. B. P. Rha capitatum folio Enulæ, Centaurii majoris facie, Adv. Lob.* Folio eſt amplo *Enulæ* ſive *Verbaſci nigri*, magnitudine & forma oblonga, prona parte lanugine cinericea obducta, ſupina vero viridante, per ambitum ſerrato, craſſo nervo per longum decurrente, à quo in margines oblique porriguntur venæ, antequam ad oras pertingant, in venulas alias diviſæ, pediculo longiuſculo, ſatis craſſo, villoſo, innitente. *Caule* recto, capite faſtigiato, foris ſquamulis loricato, ac *floribus* ex pluribus floſculis fiſtuloſis purpureis, quinquefariam in limbo diviſis, compoſitis. *Semine*, cum circa Junium & Julium maturuit, Centaurii majoris primi, Carthami longiore. *Radice* etiam majori, fungoſiori, & Rhabarbari ſimili, J. B.

A nota generica & eſſentiali, non obſtante ſimilitudine foliorum, purgandique facultate, huic plantæ convenientibus, quæ nihil faciunt ad genera conſtituenda, ſecundum regulam noſtram ex libro naturæ depromptam, aptius nominetur Centaurium quam Rha, vel Rheum, quod Lapathi ſpeciem eſſe in quinta ſectione hujus Hiſtoriæ demonſtratur.

Provenit in ripis Fluvii Rha vulgo dicti, teſte Ammiano Marcellino, qui Fluvius oritur ex montibus hyperboreis, & tranſiens per Moſcoviam in mare Caſpium exoneratur.

8. *Centaurium majus alterum capitatum anguſtiore incano & integro folio, Nobis. Centaurium ſive Rhaponticum alterum anguſtiore folio, J. B. Rhaponticum anguſtifolium incanum, C. B. P. Park.* Hoc priori in multis affine eſt, ſed folia habet multo anguſtiora, Lapathi acuti inſtar, averſa parte incana, adverſa viridia; cæteris priori convenit.

9. Centaurium majus *foliis non diſſectis, C. B. P. Majus alterum, Cluſ. Hiſt. Magnum alterum, Dod. Lugd. Lob. icon. Centaurium majus alterum folio integro, J. B.* Hoc longa habet folia non conjugatim poſita, *Juglandis* foliorum inſtar, ſed *Armoricæ* foliis non diſſimilia, & ad Glaſti foliorum humi expanſorum ſimilitudinem plurimum accedentia, per ambitum tamen ſerrata, ſaturæ viriditatis, ſaporis amariuſculi: *caules* inter folia prodeunt cubitales, aut ampliores, rotundi, à radice bifidi aut trifidi, ramatim ſquamata capitula ſuſtinentes. *Florem* habet fiſtuloſis floſculis ex luteo albidis conſtantem, inſtar priorum: *ſemen* Cnici fere ſemini ſimile, ſeu, ut verius dicam, primi Centaurii, in ſummitate hirſutis aliquot villis ornatum. Radicem habet valde craſſam, duram, foris nigro, interna vero parte flaveſcente colore præditam, ſuccumque croceum reſudantem, qui cum amaritudine aromaticus eſt.

Supra Olyſipponem, lapidoſis juxta Tagum collibus inveniebat Car. Cluſius. Floret æſtate eodem tempore quo prius.

10. Centaurium majus *luteum altiſſimum Helenii folio non dentato, Nobis. Jacea maxima, Proſp. Alp. de Exot.* E radice ſatis craſſa, in tenuitatem deſinente proveniunt folia longa, ampla, *Helenii* ſimilia; è quorum medietate aſſurgit caulis quinque aut ſex cubitos altus, rectus, ſcaber, quaſi quadratus, *foliis* conſimilibus ornatus, cujus ſummitate producuntur calyces Cyani magnitudine atque figura, è quibus exeunt *flores* lutei, Cnici floribus ſimiles. His autem in calycibus ſuccedunt *ſemina* cæteris hujus familiæ paria: tota planta ſapore amaro prædita eſt.

E ſeminibus Hieroſolyma delatis natum eſt, uti refert Proſp. Alpinus: ex Horto Patavino olim collectum habemus.

11. Centaurio *affinis, aut Centaurium ciliare minus Biſnagaricum Origani foliis amplioribus floribus in umbellis, D. Pluke. Phyt.* Planta hæc nova à laudato *D. D. Plukenet* in Phytographia ſua edita, caule tenui donatur erecto, palmari, aut dodrantali, cui *folia* ſubrotunda, uncialia, modice in ambitu crenata, & Majoranæ aut Origani ſatis ſimilia, pediculis ſemiuncialibus è regione adhærent; cum aliis foliolis minoribus, in longitudinem porrectis, ex alis prodeuntibus; per intervalla ad biunciale aut triunciale interſtitium, alia folia binatim naſcuntur; & in ſummo (cum duobus ſubjectis foliolis) capitella exigua, ſubrotunda, quinque aut ſex, pediculis curtis donata, umbellatim naſcuntur, *ſemina* parva oblonga, pilis cilii inſtar rigidiuſculis coronata, continentia.

Vires

Vires & Uſus.

Radix Centaurii majoris, Galeno Auctore, ſicuti guſtu, cum acrimonia & dulcedinis miſtura, contrarias qualitates, ita uſu contrarios effectus prodit.

Convenit, inquit Dioſcorides, radix ruptis, convulſis, pleuriticis, ſpirandi difficultate, veteri tuſſi, laborantibus, ſanguinem expuentibus, non febrientibus cum vino, febricitantibus cum aqua exhibita: item ad tormina & uteri dolores placandos adhibetur.

Eſt & vulneribus idonea, recens tuſa, aut arida prius madefacta, contuſaque; conjungit etenim ac glutinat. Quin & carnes minutim ſectæ ejus virtute coaleſcere dicuntur, ſi contuſa ſimul decoquatur.

Centaurium majus, Rha capitatum dictum, è miſtis etiam partibus compoſitum eſt (viz.) terreſtribus, adſtringentibus, & reſiccantibus; aliis tenuioribus, aereis, & purgatoriis. Laudatur à Dioſcoride quaſi aptum ad tollendas inflationes, ſtomachi, imbecillitatem, & omnes ejus dolores; convulſis, lienoſis, hepaticis, nephriticis, tormine vexatis prodeſt, &c.

Utilis ac commoda ex eo purgatio fit omnibus quos bilis flava infeſtat, ut laborantibus acutis & tertianis febribus, icteritiis, hepaticis; confert in pleuritide, angina, peripneumonia, &c. Plura lege apud Jo. Bauhinum, Dodon. &c.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes capitatæ non ſpinoſæ.

CAPUT XXVII.

Serratula.

SErratula *à foliis minutim ſerratis nomen accepit, quibus Centaurio convenit; minor vero eſt planta, quoad omnes partes.*

TABULA XXVI. SECT. VII.

Serratula foliis
- *laciniatis*
  1. *Vulgaris flore purpureo, Park. Serratula, Matth. Dod. Adv. Lob. Cluſ. Hiſt. C. B. P. J. B.*
- *integris*
  2. *Vulgaris facie, Nobis. Serratula tinctoria, Tab. 1.*
  3. *Virginiana foliis rigidis Sutherlandi.*
  4. *Noveboracenſis altiſſima foliis Doriæ mollibus ſubincanis, Flor. L. B. Fl. Serratula Virginiana minor anguſtifolia mollis, Breyn. Pr. 2.*
  5. *Indica major capitulo folioſo, Nobis. Catu-ſchiragam, Hort. Mal. T. 2. Jaceæ & ſerratulæ affinis capitulis Baccharidis, Trachelii foliis Zeylanica, Br. Pr. 1. Serratula Indica major latifolia mollis, Br. Pr. 2.*

1. Serratula *vulgaris foliis laciniatis, Nobis. Serratula, Matth. Dod. Adv. Lob. Cluſ. Hiſt. Flore purpureo, Park. Centauroides vel Centaurium majus ſylveſtre Germanicum, Thal.* Serratula Jaceis proxima, caule recto, rigido, ſtriato, glabro, rubente, qui ad cubitalem altitudinem attollitur, & cis ſummitatem in ramos multos finditur. *Folia* primum emergentia (aut quædam eorum) integra, Betonicæ facie longa, alias Scabioſæ inſtar laciniata utraque atrovirentia, glabra, arguto ſpinularum mitium agmine ſerrata. *Capitula* crebra extremis ſurculis inſident oblonga, ſquarroſa, atrorubentia, è quibus *flores* emicant Jaceæ nigræ, purpurei aut carnei coloris; non vero diſcoides, ut in Jacea, ſed omnes ejuſdem magnitudinis cernuntur; quibus ſingulis ſuccedunt *ſemina* oblongiuſcula, pappo rigido barbata. *Radix* fibrata, fuſca.

In ſylvis, locis opacis & humentibus, veluti in pratis naſcitur; In Anglia, Germania, Gallia, &c. Sub finem æſtatis florem, ac deinde ſemen perficit.

2. Serratula *vulgaris facie foliis integris, Nobis. Serratula tinctoria, 1. Tab.* Folia antecedentis interdum inveniuntur integra, & eorum plurima in lacinias diviſa; hujus ſemper (imo quæ caulibus inſident) omnino diſſectione deſtituta ſunt.

Pro varietate à quibuſdam habeatur hæc, quæ in ſylvis quandoque reperitur, & in hortos tranſlata, eandem qualitatem retinet.

3. Serratula *Virginiana major foliis rigidis non laciniatis Sutherlandi, Par. Bat. Prod.* Hujus folia prioris latiora, viridantia, rigidiora, & leviter ſeu minutiſſima ſerratura dentata ſunt; cauleſque altius aſcendunt; brevi, major eſt planta, & rigentior.

4. Serratula *Noveboracenſis altiſſima foliis Doriæ mollibus ſubincanis, Flor. L. Bat. Fl. Folio leviter crenato molli ſubincano, Par. Bat. Prod. Serratula Virginiana minor anguſtifolia mollis, Breyn. Prod. 2.* Hujus caulis ad bicubitalem aut tricubitalem altitudinem aſſurgit; *foliis* longis ſaligneis, mollitie incanis, argute dentatis, alternatim indutus: ſummitas capitula ſuſtinet ſquamata, antedicti breviora, quibus lanugine latentia continentur *ſemina* longiuſcula, pappo rigidiuſculo ornata.

5. Serratula *Indica major capitulo folioso, Nobis. Catu-Schiragam, Hort. Mal. T. 2. Jaceæ & ſerratulæ affinis capitulis Baccharidis, Trachelii foliis Zeylanica, Breyn. Prod. 1. Hort. Lugd. Bat. App. Serratula Indica major latifolia mollis, Br. Pr. 2.* In fruticem caule quaſi lignoſo, in brachia diviſa, adoleſcit; quibus *folia* longa, biuncialia aut triuncialia, pollicem (ex anguſto principio) aut amplius lata, in mucronem deſinentia, mollia, viridia, paucioribus denticulationibus ſerrata, ſine ordine ſparguntur. Caulium ſummitatibus *capitula* inſident brevia, ſubrotunda, ex ſquamis anguſtis foliaceis compoſita, quæ *floſculos* ſtamineos, purpureos ejiciunt. *Semina* (ut in aliis hujus ſeriei) lanugine involvuntur.

Vires.

Serratula *reſiccantis facultatis eſt; ruptis, & ab alto devolutis, ad vulnera, & enterocelas, ſive inteſtinorum ramices commendatur.*

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes capitatæ non ſpinoſæ.

CAPUT XXVIII.

Cyanus.

Κυανος *Græcis, Latinus Cyanus, à Cyaneo vel cæruleo colore, quem flos habet, dicitur. Plin. l. 21. c. 8. Cyanus gemma eſt ex Jaſpidum genere, colore cæruleo, unde quibuſdam eadem eſſe creditur, quæ Turchina vocatur.*

Cyanus eſt planta pappeſcens non lacteſcens, capitata non ſpinoſa, tomento obducta, floribus fiſtuloſis quinquepartitis, Jaceæ magis patulis.

TABULA XXV. SECT. VII.

- *Cyanus*
  - *perennis*
    1. *Montanus latifolius, vel Verbaſculum cyanoides, C. B. P. Cyanus major, Matth. Dod. Lob. Ger. Eyſt.* ☉.
    2. *Montanus anguſtifolius & longifolius Belgicus, Val. H. Par.*
    3. *Major Alpinus foliis inciſis, Triumfetti,* ☉.
  - *annuus*
    4. *Vulgaris minor ſegetum, Nobis. Cyanus ſegetum, C. B. P. Cyanus arvenſis cæruleus, Eyſt. Variat.* ♀.
    5. *Orientalis major moſchatus flore purpureo, & albo, Park, Ambrette vulgo flore purp. & albo, Hort. Reg. Par.* ♀.
    6. *Floridus odoratus Turcicus latifolius laciniatus, Schol. Bot. Par.* ♀.
    7. *Orientalis minor flore ſimplici fiſtuloſo purpureo, & albo, Nobis. Cyanus orientalis alter, ſive Conſtantinopolitanus flore fiſtuloſo candicante, Valot. Hort. R. Par.* ♀.
    8. *Orientalis major foliis magis diſſectis flore luteo, ex Alepo,* ♀.
    9. *Orientalis minor foliis minus diſſectis flore luteo, fiſtuloſo, Dodart. Mem.* ♀.
    10. *Hiſpanicus foliis integris capite foliaceo, Nobis. Jacea Hiſpanica, Proſp. Alp. de Exot.* ♀.

1. Cyanus *Alpinus radice perpetua, J. B. Cyanus montanus latifolius, vel Verbaſculum cyanoides, C. B. P. Cyanus major, Matth. Dod. Lob. Ger. Eyſt. Flore grandi, Cæſ.* Radici craſſæ, nonnihil repenti, hærent fibræ durabilis naturæ; è qua ſingulis annis regerminant folia, dodrantem longa, pollice latiora, mollia, lanuginoſa, albicantia, *Lychnidis coronariæ* ſimilia, acutiora tamen. Inter hæc oriuntur caules pedales, anguloſi, quibus folia conſimilia naſcuntur, marginibus ad proximum uſque folium cum caule continuatis, quibus caulis alatus eſt: capitula profert turbinata, ex rotundo in mucronem pyramidalem deſinentia, ſquamis plurimis anguſtis imbricatim tecta. Ex his *flores* apparent cœrulei ampli, qui pro petalis, tubulos infundibuli forma, in margine quinquefariam diviſos habent. Atq; hi umbonem purpuraſcentem, ex plurimis floſculis conſtantem, ambiunt: *ſemen* ſuccedit oblongum, pappo coronatum. Hic rarius in album variare reperitur.

In montoſis variis Germaniæ ſponte naſcitur, unde in Hortos tranſlatus, ſatis luxuriat, & per totam æſtatem flori explicatos profert.

2. Cyanus *montanus anguſtiore folio & longiore Belgicus, Valot. Hort. Reg. Par.* Priori accedit; folia exhibet longiora, anguſtiora, tomento rariori obſita; & flores ex tubulis tenuioribus compoſitos. Pro varietate habeatur; ut etiam alter foliis prioris latioribus & obtuſioribus,

3. Cyanus *major Alpinus foliis inciſis.* Plantam hanc novam in altiſſimo, ac aſperrimo illo Abrutii monte, quem vulgus *Hortum Centauri* nominat, primitus detexit *Jo. Baptiſta Triumfetti* Bononienſis. Ex hujus radice ſolidiore, non repente, proveniunt folia integra, primi conformia, per terram ſtrata; cætera ſuccedentia in quinque, vel ſeptem profundas inciſuras diſtincta ſunt.

Floret quo tempore & cæteri hujus ſpeciei.

4. Cyanus *ſegetum vulgaris minor annuus, Nobis. Cyanus, J. B. Minor vulgaris, Lob. Ger. Park. Cyanus ſegetum, C. B. P. Baptiſecula, Trag.* Cyanus hic vulgaris, admodum notus, caules profert erectos, duros, anguloſos, quibus inferius adnaſcuntur folia Erucæ modo laciniata, & ſuperius anguſta, integra, & utrinque tomentoſa,

toſa; capitula, in ſummis cauliculorum faſtigiis turbinata, & in anguſtias ſe contrahentia; ſquamata, in conicam figuram efformata; è quibus *flores* erumpunt cœrulei, ex multis tubulis, pulchra ſerie in ordinem digeſtis, cum ſtaminulis in medio: *ſemen* læve, ſplendidum, parte ſuperiore barbatulum, quod inter floccos & pilos in capite contentos reperitur.

In frumentariis una cum Tritico, ſecale, & Hordeo, arva ornat; colore & numero petalorum variat, præſertim in Hortis, modo *albicantis*, modo *purpurei, incarnati, violacei, coloris, & flore albo umbilico cæruleo, violaceo, purpureo; flore carneo fundo immaculati candoris, &c.* & *Cyanus hortenſis flore pleno*, etiam colore variat, *C. B. P. J. B. Eyſt.* Hujus flos numero Petalorum, cultura, & accidentaliter augetur.

5. Cyanus *Orientalis major moſchatus flore purpureo, & albo, Park. Ambrette vulgo flore purpur o & albo, Hort. Reg. Par. Amberboi* ſeu *Emberboi H. Ambroſin.* Huic folia Jacobææ ſimilia, vulgaris ſunt ampliora, viridiora, in profundas lacinias diviſa: caules eriguntur cubitales & ramoſi, ſuperiore parte è dimidio, nudi, quorum ſinguli ſingula ſuſtinent capitula, aliis antedictis breviora, & quaſi compreſſa, ſquamata; ex his *flores* dilute rubentes, aut purpuraſcentes, ſatis ampli, cum umbone in medio ſtaminuloſo, turgeſcente, & innumeris longis filamentis pallidioribus, quaſi pleni apparent; horum odor fragrantiſſimus eſt, ut præſtantiſſimum Zibethum ſuperet: ſemen oblongum, fuſcum, pappoſum, ut in aliis, inter pilos latet, quibus quotannis renovatur.

In arvis Conſtantinopolitanis ac Chalepenſibus naſcitur, ubi flos ab Imperatore ob odoris gratiam collectus, & dilectus eſt, unde apud nos nomine Sweet Sultan *notus eſt.*

6. Cyanus *floridus odoratus Turcicus latifolius laciniatus, Schol. Bot. Par.* Planta hæc major videtur, foliis latioribus donata, & ex latitudine in profundas quoque lacinias diviſis: *Floret* eodem modo quo & prior, & plenam amplitudinem conſervat.

7. Cyanus *Orientalis minor moſchatus flore ſimplici fiſtuloſo purpureo & albo, Nobis. Cyanus Orientalis alter ſive Conſtantinopolitanus flore fiſtuloſo candicante, Vall. Hort. Reg. Par.* Cyanus hic minor & tenuior eſt, foliis longis, & quaſi integris, in ambitu dentatis, ornatus: floris petala quæ ore aperto tubuloſa ſunt, marginibus fimbriatis, & tenuiter diviſis cernuntur, & pauciora quam antedictorum; Ejus umbo quoque non turgide medium occupat, ſed depreſſus videtur, quo flos cum petalis ſuis extantibus ſimplex apparet.

Ex Aleppo habemus.

8. Cyanus *Orientalis major foliis magis diſſectis flore luteo, ex Aleppo.* Fores qui natura rubri, purpurei, aut cœrulei ſunt, à ſeminis productione & variatione in albos tranſmutari, plurima dantur exempla, ſed in colorem intenſiorem (nempe luteum) provehi omnino ſciendum eſt: quamobrem huic *Cyano raro*, primo horum conformi, floris colore excepto, qui in hoc aureſcit, locus proprius debitus eſt.

9. Cyanus *Orientalis minor foliis minus diſſectis flore luteo fiſtuloſo, Dodart. Mem.* Planta hæc rara, cæteris hujus familiæ imbecillior eſt, & ſeptimo ſimilis, folia profert pene integra, longa, & dentata; flores etiam ſimplices ſed eleganti flavo calore emicant.

10. Cyanus *Hiſpanicus foliis integris capite foliaceo, Nobis. Jacea Hiſpanica, Proſp. Alpin. de Exot.* qui hiſce verbis exprimit: Et foliis & floribus, & caulibus ex toto Jaceæ vulgari ſimilis eſt: *Flores* vero ad flores Cyani maxime accedunt, & magnitudine, & figura, & colore: Etenim colore albeſcunt in cœruleum, & veluti radios elegantiſſimos habent. Planta annua eſt, & ſapore amareſcit.

Hujus ſemina ex Anglia habuit Pr. Alpinus à Jo. Moro M. D. miſſa.

De aliis Cyanis dictis, Annotatio.

Cyanus Pulchro ſemine Centaurii majoris, J. B. Quære inter Centauria majora.
Cyanus ſpinoſus Creticus, Ponæ Ital. Vid. Jacea.

Cyanus peramarus repens folio Lavendulæ, J. B.
Cyanus repens latifolius, C. B. P.
Cyanus Lini folio repens, J. B. Repens anguſtifolius, C. B. P.
Cyanus tomentoſus Alpini.
Cyanus fruticoſus Creticus, Ponæ. Cyanus arboreſcens alter Styracis folio, P. Alp. v. Stœbe.
Cyanus arboreſcens longifolius, Proſp. Alpin. Stœbe.
Cyanoides flos Dod. Lege quæ de Jacea Cyanoide echinato capite tradimus.

} Inter Jaceas quærendi.

Vires & Uſus.

Cyanus frigidæ eſt temperaturæ, atque adeo repellentis; In aqua cordiali frigida Saxoniæ, prout recipitur in officinis, uſurpari ſolet.

Aqua ex floribus deſtillata oculorum inflammatione, rubedine, ac lippitudine, laborantibus, linteolis madefactis, prodeſt.

In Eryſipelate, morbo regio, palpitatione cordis, & uterina ſuffocatione prodeſſe dicitur.

Floribus ejus conciliatur color elegans Saccharo, cujus uſus omni vacat periculo.

PLANTÆ

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes capitatæ non Spinoſæ.

CAPUT. XXIX.

Stœbe.

Στοιβὴ *Dioſc. l. 4. c. 12. Plin. l. 22. c. 11. Hanc aliqui Phleon appellavere: Quo nomine eas plantas deſignarunt Priſci, quarum extrema folia utcunque aculeata ſunt. Apud Neotericos non determinata data eſt differentia inter Stœben, Jaceam, & Cyanum, quæ capitatæ, læves, & proximæ ſunt affinitatis. Nos ſententiæ Antiquorum concedimus, &* Stœben *plantam eſſe pappeſcentem capitatam intelligimus, quæ flores poſſidet ſtaminuloſos,* Jacearum *ſimiles, ſed foliis integris, ut plurimum in aculeum deſinentibus donatam, vel cujus capitulorum ſquamæ ſimplici tantum ſpinula terminantur, cum* Jaceæ *folia dentata, ſinuata, vel laciniata ſint, & eæ quæ ſpinoſas proferunt ſquamas, in plures ſpinulas dividantur.*

TABULA XXVI. SECT. VII.

Stœbe capitulis

minoribus

1. *Capitata Roriſmarini foliis, Ponæ, ſive Chamæpitys fruticoſa Cretica, Belli, aut Jacea fruticans Pini folio, C. B. P. J. B.*
2. *Spinoſa Cretica, Park. Spinoſa, J. B. Spinoſa maritima, C. B. P. Cyanus Spinoſus, Cret. Ponæ. Alpin.*
3. *Leucoii foliis ſubtus incanis, Nobis. Carduus ſtellatus Leucoii folio, Dodart. Mem.*
4. *Plantaginis folio flore luteo, Proſp. Alp. de Exot. Park.*
5. *Hirſutior, Nobis. Jacea incana Cyani capitulis, C. B. P. Jacea incana, Lugd.*

majoribus

6. *Fruticoſa Cretica Styracis foliis argenteis ſubrotundis, Nobis. Frutex argenteo rotundo folio Cyani flore, C. B. P. Stœbe fruticoſa latifol. Park. P. Alp. de Exot.*
7. *Incana Cyani majoris folio in aculeum deſinente ſquamis cum ciliaribus nigris, Nobis. Stœbe incana Cyani majoris folio, &c. D. L. Pluk. Phyt.*
8. *Cretica Piceæ foliis anguſtis crebrius ſtipatis, Nobis. Chamæpeuce, Proſp. Alp. de Exot.*
9. *Virginiana tuberoſa anguſtifolia, capitulis ſeſſilibus ſquamis foliaceis acutis donatis.*
10. *Virginiana tuberoſa latiore folio, capitulis ſpinoſis.*
11. *Foliis Erucæ ſquamis capitulorum crebrioribus, Nobis. Jacea minor Stœbe Gallicæ aut Auſtriacæ accedens, ſquamis capitulorum crebrioribus, quarum ſingulæ unico ſaltem aculeo ſunt armatæ, D. L. Pl. Phyt.*
12. *Minor exotica ad foliorum margines ſpinulis donata, Nobis. Jacea minor exotica ad foliorum margines ſpinulis donata, Nobis, D. L. Pl.*

1. Stœbe *Capitata Roriſmarini foliis, Ponæ, ſive Chamæpitys fruticoſa Cretica, Belli, aut Jacea fruticans Pini folio, C. B. P. J. B. Stœbe fruticoſa Cretica anguſtifolia, Park. Cyanus arb. longifol. Proſp. Alp.* Ex albicante radice lignoſa & aliquantulum fibroſa, varii efferuntur caules teretes modo *Coronariæ Libanotidis*, trium circiter cubitorum, quadam canitie aſperi: profert folia uti ipſa Libanotis, ſed longiora multo, & acuminata magis, quæ paulatim flaccida facta, ita ſe coarctant, ut omnino appareant *Pinaſtri* folia, quæque ſuperne vireſcunt, inferne albicant, cum quadam lanugine, uti & cauliculi: in ramulorum faſtigiis edit *capitula*, quemadmodum Stœbe Salamantica prima Cluſii, quaſi magnitudinis Centaurii majoris; flos etiam ejus ſimillimus eſt, niſi quod magis purpuraſcit. *Semen* retinet Cnici, ſed nigricans.

Perennis eſt Planta.

2. Stœbe *ſpinoſa Cretica, Park. Spinoſa J. B. Spinoſa maritima, C. B. P. Cyanus ſpinoſus Creticus, Pona. P. Alp. Stœbe peregrina, Cluſ. Hiſ. App. alt. Stœbe ex codice Cæſareo, Ded.* In multis Cretæ locis aſperis ſqualidiſque naſcitur ſatis elegans hæc planta candida, palmaris altitudinis, perennis, & ab una radice longa, aliquatenus craſſa, caulem fert, alios cauliculos producentem. Hi autem in longas acutaſque ſpinas definunt, juxta quas *flores* parvos, calore carneos habet *Cyani* ſimiles, ſed multo minores: folia ad radicem multa fert figura vulgaris *Scabioſæ*, ſed minora, totaque candida. C. Cluſ. in tripedalem altitudidem excreſcere ait, & folia inferiora valde eſſe laciniata, ſuperiora, *Lavendulæ* inſtar, in ſpinas deſinere.

3. Stœbe *annua Leucoii folio ſubtus incano, Nobis. Carduus ſtellatus Leucoii folio, Dodart. Mem. Carduus humilis aculeatus Ptarmicæ Auſtriacæ foliis, Triumfetti Obſ. Carduus ſtellatus foliis integris flore purpureo, H. Reg. Par. Aſter Atticus Dioſc. Rawolf. Hort. Sicc.* E ſemine ex Italia tranſmiſſo oritur hæc planta annua, pedalis, cujus folia digiti longitudinis, ſemiunciam lata, ſuperne viridia, inferne candido tomento obſita, in acumen definentia, cauli erecto, tenui, & tomentoſo, ſparguntur; ad horum verò ſinguli appoſitionem binæ exeunt ſpinulæ, & ex alis cauliculi alii naſcuntur: ſummi cauliculi *capitulum* unum aut alterum, ex ſqua-

mulis

mulis tenuibus in ſpinulam ſingularem uncialem definentibus, compoſitum, ſuſtinent; è quorum medio *flores* ſtaminei purpuraſcentes emicant; his ſuccedunt *ſemina* turgidiuſcula, pro plantæ modulo ſatis magna, inter lanuginem latentia, quibus perfectis, radix perit.

4. Stœbe *Plantaginis folio, flore luteo, Proſp. Alp. de Exoticis, Park.* Planta hæc Cretenſis quam *Proſper Alpinus* inter rariores edidit, *Cichoreum* noſtrum 4. *Cyanoides Coronopi foliis*, cum foliis humi ſtratis Plantagineis, modo creſcendi, ſeminibuſque ſolidis, ſatis æmulatur; niſi quod hujus *flores* toti ſunt lutei, uti refert Author prædictus, qui à *Nicolao Contareno* accepit, cum in altera planta omnino cœrulei cernuntur, & ex qualibet parte rupta lac effunditur, quod in hac neutiquam memoratur.

5. Stœbe *capitulis minoribus hirſutior, Nobis. Jacea incana Cyani capitulis, C. B. P. Jacea incana altera Cyani aut Jaceæ capitulis, Adv. Lob. Jacea incana, Lugd.* A radice dura plures caules emittit; tota planta hirſutie piloſa & incana eſt; folia Gnaphalii triplo majora, crebra, leniter ſunt ſerrata; capitula coniformia ex ſquamulis albidis compacta, è quibus *flores* Jaceæ, apicibus villoſis, ex purpurante colore in pallidum languentibus erumpunt.

In Narbonenſibus vinetis non procul à Monſpelio, & ſterilibus locis & collibus prope pontem Grabels *ſponte naſcitur. Junio menſe floret.*

6. Stœbe *fruticoſa Cretica Styracis foliis argenteis ſubrotundis, Nobis. Frutex rotundo argenteo folio, Cyani flore, C. B. P. Cyanus fruticoſus Creticus, Ponæ, Ital. Cyanus arboreſcens alter Styracis folio, Proſp. Alp. Stœbe fruticoſa latifolia, Cretica, Park. Pulcherrimus frutex, Belli Ep. ad Cluſ.* quem & ipſe concinnè exprimit: Ad duorum cubitorum altitudinem aſſurgit in orbem diffunditur, perpetuoque viret: folia habet longa, rotundiuſcula tamen, inſtar foliorum Mali, firmiora, lætiſſime virentia ſuperne, inferius vero alba quadam lanugine obducta, ut argentea videantur: cauliculos albos lanuginoſos, quos folia utrinque ambiunt; in quorumque extremitate *flores* cernuntur ſpecie thyrſi, ut in *Saponaria vulgari* diſpoſiti, ſquamato poſitu, ſed figura Cyani, colore phœniceo, calyce tamen longiore quam Cyani, ſquamato, albo & rubro diluto colore prædito. *Flores* in pappos reſolvuntur; *Semen* longius quam cumini, calyceſque ſunt perennes.

In altiſſimis præcipitiis inter ſaxa provenit.

7. Stœbe *incana Cyani majoris folio in aculeum deſinente, ſquamis ciliaribus nigris, Nobis. Jacea incana Cyani majoris folio in aculeum deſinente, ſquamis ciliaribus nigris, D. Pluk. Phyt. An Jacea minor foliis aculeatis, Cyani majoris nomine miſſa C. B. P.* E radice caules eriguntur rotundi, circa quos folia pediculis carentia, longa, anguſta, recta, & *Cyani majoris* more tomentoſa, in acumen rigidum terminata, nullo ordine diſpoſita ſunt: caulis ſummum capitulum oblongum gerit ſquamoſum, cujus ſingula ſquama pilis nigris cilii inſtar in margine cingitur; & *flos* ſtaminuloſus purpuraſcens aliorum in modum enaſcitur.

Hujus iconem D. L. Plukenet in Phytographiæ parte prima edere placuit.

8. Stœbe *Cretica fruticans Piceæ aut potius Pini anguſtis foliis crebrius ſtipatis, Nobis. Chamæpeuce, Proſp. Alp. de Exot.* Planta eſt fruticoſa ab una radice multos caules longos, tenues, rectos producens, quos folia plurima longa ſetacea, *Pini* ſimilia, denſe diſpoſita, inordinatim conveſtiunt: in cauliculorum cacuminibus flores attolluntur *Cyani* aut *Jaceæ* ſimiles, è craſſiore capite, ſpinis armato provenientes, colore in vinoſum albicantes, quibus *ſemina* ſuccedunt Cyani haud diſſimilia.

9. Stœbe *Virginiana tuberoſa anguſtifolia capitulis ſeſſilibus, ſquamis foliaceis acutis donatis, Nobis. Jacea non ramoſa tuberoſa, radice foliis plurimis rigidis peranguſtis, flores ferens multos parvos rubentes acaules in ſpica ad caulem ſeſſiles, Cat. Virgin. D. Baniſter.* Ex tuberoſa nodoſaque radice, fibris aliquot adnexis, enaſcuntur folia longa & anguſta; inter quæ caules pedales aut ſeſquipedales, rotundi, graciles eriguntur, foliis vix culmum latis, duas treſve uncias longis, rigidiuſculis, alternatim ad uncialem intercapedinem amicti: quorum ſupremorum alis duo, tria, aut plura *capitula* inſident, pediculis carentia, ex ſquamis foliaceis, ſeu hamis viridibus exacuatis, compoſita; è quibus *flores* ſtaminei purpurei, aliarum hujus familiæ, aut Jacearum ſimiles extruduntur.

Hanc cum ſequente à laudato D. Jo. Baniſter è Virginia habemus.

10. Stœbe *Virginiana tuberoſa latifolia, capitulis ſeſſilibus, ſquamis foliaceis acutis donatis. Eupatorio adfinis Americana bulboſa, floribus ſcarioſis, calycibus contectis, D. Pluk. Phytograph. part.* 3. Huic folia inferiora quatuor aut quinque uncias longa, pollicemque tranſverſum in medio lata, in mucronem terminantur, quibus præcipue ab antecedenti, & ex eis quæ in caule naſcuntur brevioribus, latioribuſque dignoſcitur; capitula ſpinoſa prioris ſimilia profert.

11. Stœbe *foliis Erucæ ſquamis capitulorum crebrioribus & acutis, Nobis. Jacea minor, Stœbe Gallicæ aut Auſtriacæ accedens, ſquamis capitulorum crebrioribus, quarum ſingulæ unico ſaltem aculeo ſunt armatæ, D. Pluk. Phyt.* Huic folia *Erucæ* aut *Coronopi* modo diviſa, inordinatim cauli adnaſcuntur, è quorum alis cauliculi alii exſurgunt, ſuſtinentes in ſummis capitula oblongiuſcula, ex plurimis ſquamulis parvis imbricatim diſpoſitis, quarum ſingula in ſpinulam aut acumen ſimplex (quo à *Jaceis* dignoſcitur) definit, compoſita: *flores* comoſi aliis hujus familiæ ſimiles proveniunt.

12. Stœbe *minor Exotica, ad foliorum margines ſpinulis donata, Nobis. Jacea minor exotica, ad foliorum margines Spinulis donata, D. L. Pluk. Phyt.* E foliorum uncialium aut biuncialium marginibus aculei pauci rigidiuſculi rarius ſunt diſpoſiti; capitula cauliculis ſummis ſquamata, quæ frequenter cum uno aut altero foliolo inſidente naſcuntur, flores ſtamineos, Jacearum ſimiles producunt.

Emendatio Nomenclaturæ.

Stœbe major foliis Cichoraceis mollibus lanuginoſis, C. B. P. Stœbe Salamantica prima, Cluſ. Hiſt.
Stœbe major foliis Erucæ mollibus lanuginoſis, C. B. Salamantica 2. Cluſ. Hiſt.
Stœbe major calyculis non ſplendentibus, C. B. Stœbe Gallica & Auſtriaca elatior, Cluſ. Hiſt.
Stœbe calyculis argenteis, C. B. Stœbe Salamantica 3. Cluſ. Hiſt.
Stœbe incana Cyano ſimilis tenuifolia, C. B. Stœbe Auſtriaca humilis, Cluſ. Hiſt.
Stœbe rubra Monſpeliaca, parvis Cyani capitulis, C. B. P.

De his antedictis lege inter Jaceas.

Pimpinella ſpinoſa à quibuſdam pro Stœbe Dioſcoridis habetur, qui plantam eſſe ſpinoſam prodit.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Non Lacteſcentes, capitatæ non ſpinoſæ.

CAPUT XXX.

Jacea.

JAcea *forte dicitur à Jacendo, quod humi jaceat, & non aſſurgat. Ambroſin.*

Jacea & Stœbe *ſunt Plantæ proximæ affinitatis, quarum nullum Orientale nomen hactenus comperimus; veriſimile itaque eſt has & Cyanum antedictum, & Scabioſam Recentiores æque ac Antiquos confudiſſe; ideo explicandum eſt quid interſit.*

Jaceæ ſunt Plantæ pappeſcentes non lacteſcentes, læviores, capitatæ, foliis diviſis vel ſinuatis, quarum flores fiſtuloſi, quinquepartiti, cæteris tenuiores ſunt; capitulorum ſquamæ vel læves, vel ſpinulis pluribus præditæ ſunt, cum tamen Stœbes ſimplici tantum aculeo donantur.

TABULA XXVII. SECT. VII.

Jaceæ capitulis lævioribus.

Jacea non ſpinoſa foliis

minus diviſis

1. *Pratenſis latifolia, C. B. P. Jacea nigra, Tab. Ger. Jacea nigra vulgaris capitata & ſquamoſa. J. B.* ☉.
2. *Peramara procumbens, latiore folio, capitulo ſquamoſo, Nobis. Cyanus repens latifolius, C. B. P. Cyanus peramarus repens, Lavendulæ folio, J. B.* ☉.
3. *Jacea ſupina anguſtifolia, capitulo ſquamoſo, Nobis. Cyanus Linifolius repens, J. B.* ☉.
4. *Integrifolia humilis, C. B. P. Nigra humilis, Park.* ☉.
5. *Odorata, foliis minoribus ſubincanis, Nobis. Cyanus tomentoſus, Proſp. Alpin. de Exot.* ☉.
6. *Auſtriaca 6. hirſuto capite, Cluſ. Hiſt. 3. Cl. Pan. Jacea nigra laciniata, C. B. P. Nigra Dod.* ☉.
7. *Nigra ſquamoſo capite major, C. B. P. Jacea montana ſquamoſa major, ſemine nigro, J. B. Auſtriaca prima, Cluſ. Pan. & Hiſt.* ☉.
8. *Nigra ſquamoſo capite minor, C. B. P. Montana ſquamoſa minor, ſemine albicante, J. B. 2. Cluſ. Hiſt.* ☉.
9. *Luſitanica ſemper virens, Hort. R. Bleſ. ſemper virens maxima, Dod. Mem. Elatior ſemper virens Luſitanica, Bocc,* ☉.

magis diviſis purpurea

10. *Nigra laciniata, Park. Scabioſa major ſquamatis capitulis, C. B. P. Centaurium collinum Geſneri, flore purpureo, J. B.* ☉. *Hujus datur varietas tenuius diſſecta.*
11. *Montana incana odora, C. B. P. Montana Narbonenſis, Lob. J. B. Park.* ☉.
12. *Jacea incana laciniata capitulis Cirſii, J. B.* ☉.
13. *Laciniata ſquamata, C. B. P. Jacea ſquamata Cretica, quibuſdam Scabioſa Cretica dicta, J. B.* ☉.
14. *Major foliis Cichoraceis mollibus, flore ſtamineo, Nobis. Stœbe major foliis Cichoraceis mollibus lanuginoſis, C. B. P. Stœbe Salamantica 1. Cluſ. Hiſp. & Hiſt.* ☉.
15. *Elatior capitulis minoribus non ſplendentibus, Nobis. Stœbe major calyculis non ſplendentibus, C. B. P.* ♃.
16. *Elatior capitulis argenteis, Nobis. Stœbe calyculis argenteis, C. B. P. Scabioſa ſquamata argentea, J. B.* ♃.
17. *Auſtriaca humilis tenuifolia, Nobis. Stœbe incana Cyano ſimilis tenuifolia, C. B. P.* ☉.
18. *Humilis alba, Hieracii folio, Lugd. C. B. P. Jacea Monſpeſſulana, cui in ſquamis fibræ nigræ, interdum acaulis, J. B.* ♃.
19. *Montana incana capite Pini, C. B. P. Capite magno Strobili, J. B.* ☉.
20. *Montana candidiſſima Stœbes folio, C. B. P. Stœbe argentea incana Aldroand. J. B.* ☉.
21. *Cineraria laciniata flore purpureo, Triumfetti. Jacea incana capite ſquamato, Franciſ. de Honuphriis,* ☉.
22. *Cretica foliis Cinerariæ, Dodart. Mem. Jacea arborea argentea Raguſiana, Zanoni,* ☉.

§. I.

§. 1. Jaceæ non ſpinoſæ, foliis minus diviſis.

1. Jacea *nigra pratenſis latifolia, C. B. P. Jacea nigra, Tab. Ger. Eyſt. Jacea nigra vulgaris capitata & ſquamoſa, J. B. Scabioſa vulgaris pratenſis, Trag.* In pratis & paſcuis, ubique fere obvia, occurrit hæc Jacea, omnibus ſtudio Botanico modice verſatis nota, cui à radice duriuſcula, fibris longis adnexis, proveniunt folia palmum ſæpe longa, a pediculis aut ex anguſtia in uncialem aut biuncialem latitudinem ſeſe dilatantia, viridia, frequenter integra, interdum vero ſinuata, tantilla hirſutie donata: inter hæc caules aſſurgunt cubitales, tenues, ſtriati, firmi, fractu contumaces, foliis minoribus onuſti, qui in alios cauliculos ramuloſve diviſi, folia adhuc minora, & longe anguſtiora inordinatim gerunt. Caulium ſummitates pauca ſuſtinent *capitula*, ex ſquamis nigreſcentibus compoſita, figura pyramidali, è quorum vertice proveniunt *flores* purpurei, tubuloſi, in margine in quinque tenues lacinias diviſi, ut ſtaminei ampli quaſi appareant. His autem ſuccedunt *ſemina* oblonga, brevi pappo coronata, & in hirſuta lanugine (qua caput impletum eſt) latentia.

Floret à media æſtate in Autumnum ipſum.

Invenitur *floribus carneis*, & *albis*. Varietas etiam in Occidentali plaga Angliæ reperitur *floribus quaſi plenis*, ex petalis fiſtuloſis in medio, æque ac in margine compoſitis; eſt & altera *floribus amplioribus*, petalis longioribus prædita.

Autumno foliis anguſtiſſimis occurrit, quam *Jaceæ nigræ anguſtifoliæ*, vel Lithoſpermi arvenſis foliis deſcripſit *C. B. in Prod.* Paſſim Monſpeſſuli ſe obſervaſſe tradit *D. Magnol.*

2. Jacea *peramara procumbens anguſtiore folio, capitulis argenteis, Nobis. Cyanus peramarus repens Lavendulæ folio, J. B. Cyanus repens latifolius, C. B. P. Cyanus peramarus repens capitulis ſquarroſis Seſamoidis parvi, Adv. Lob.* Antecedenti convenit hæc; folia vero albidiora, & plerumque anguſtiora cernuntur, valde amara; floret eodem modo, è capitulis quorum ſquamæ retorridæ argentei ſunt coloris. Atque his dignoſcitur.

In pratis Lateræ, aliiſque humidioribus locis circa Monſpelium, copioſe provenit.

3. Jacea *ſupina anguſtifolia capitulo ſquarroſo, Nobis. Cyanus Liniſolius repens, J. B. Cyanus repens alter, Cyano peramaro repenti non abſimilis, Lob. Obſ.* Cauliculos profert dodrantales; folia fere Lini, valde crebra, uncia paulo longiora; anguſta capitula longa, ſquamoſa, ſimilia Stœchadis citrinæ alterius inodoræ, verum ſquamæ, è quibus erumpunt flores, breviores videntur.

4. Jacea *integrifolia humilis, C. B. P. & Prod. Nigra humilis, Park.* Hæc cauliculis eſt pedalibus, rotundis, alba lanugine hiſpidis, & terram verſus reflexis, foliis unciam latis, duas longis, nec laciniatis, nec crenatis, ſed integris, lanugine præſertim per marginem pubeſcentibus, & ſubaſperis, baſi ſua caulem ambientibus, in cujus ſummo capitulum cernitur, ex multis ſquamis imbricatim diſpoſitis conſtans; Atque ex hoc flos *Jaceæ vulgaris* ſimilis, ſubpurpuraſcens prodit.

In Auſtria ad S. Hippolytum provenit, unde Jaceæ Auſtriacæ repentis nomine D. Burſerus ad C. Bauhinum miſit.

5. Jacea *odorata foliis minoribus ſubincanis, Nobis. Cyanus tomentoſus, Proſp. Alpin. de Exoticis. An Stœchas purpurea odorata, Park. & D. Pelliter, Lob?* Virgultis cubitalibus donatur, modo erectis, modo procumbentibus, tomentoſis; foliis plurimis brevibus & anguſtis, ſuperne viridioribus, inferne argentea lanugine obductis, modice dentatis: Virgarum cacuminibus capitula inſident ſquamata, oblonga, non admodum turgeſcentia, frequenter ſingula, interdum bina, è quibus *flores* ſtaminei purpurei erepunt. His autem *ſemina* oblonga, pappoſa, lanugine incluſa, ſuccedunt.

In monte Cetio, & in ſterilioribus & ſaxoſis Gallo-Provinciæ & Narbonenſis agri invenitur: & à Stœbe capitata Roriſmarini folio, Ponæ, non multum abludit, ſi non eadem.

6. Jacea *Auſtriaca hirſuto capite, 6. Cluſ. Hiſt. 3. Cluſ. Pan. Jacea nigra laciniata, C. B. P. Jacea cum ſquamis Cilii inſtar piloſis, J. B. Nigra, Dod.* Hujus folia vulgaris ſunt ſimilia, ſecundum radicem leviter laciniata: *Caulis* cubitalis aut altior, gracilis, firmus, ſtriatus, nonnihil interdum purpuraſcens, in multas alas inæquales diviſus, per quem ſub ſingulis alis ſparſa ſunt folia jam dictis minora, anguſtioraque: *flores* in ſummis ramis è ſquamato capite prodeuntes, vulgatiſſimæ Jaceæ floribus omnino ſimiles, aſt ſaturatiores.

In montanis Pannoniæ, & Auſtriæ pratis provenit, ut Cluſius refert.

7. Jacea *nigra ſquamoſo capite major, C. B. P. Jacea major ſquamoſa major ſemine nigro, J. B. Auſtriaca prima, Cluſ. Pan. & Hiſt.* Numeroſa ab eadem radice promit folia oblonga, vulgatiſſimæ *Jaceæ* haud abſimilia: caules plerumque cubitales, ſtriatos, ramoſos, foliis anguſtioribus, & interdum paucis laciniis ſecundum pediculum præditis, obſitos, ut in vulgatiſſima; *Capitula* in extremis ramis craſſiora, non hirſuta, ſed multis ſquamis tenuibus, & ſi vel leviter digitis attingas, crepitantibus donata, inferne candicantia, ſuperne vero, qua ſe flos explicat, fuſca: *flos* ex purpureo candicat; *ſemen Cnici* forma ſimile, ſed exiguum, nigrum, paulo majus quam vulgaris; ſubaſtringentis guſtus eſt.

8. Jacea *nigra ſquamato capite minor, C. B. P. Montana ſquamoſa minor ſemine albicante, J. B. ſecunda, Cluſ. Hiſt.* Alteri fere per omnia ſimilis, paulo tamen humilior, ut quæ raro cubitalem ſuperet altitudinem, foliis minus aſperis, & aliquantulum incanis, paulo dilutiore flore, ſemine minore, nec nigro, ſed candicante & cineraceo, linguam etiam magis excalefaciente: Maturius plerumque floret, & ſemen menſe Julio perficit.

9. Jacea *Luſitanica ſemper virens, Hort. Reg. Bleſ. Semper virens maxima, Dodart. Mem. Elatior ſemper virens Luſitanica, Botc. Qui ſatis apte deſcriptionem verbis ſequentibus dedit:* Hujus Plantæ folia lanceolata, longiora, latioraque quam vulgaris, margine tamen, ut illius, laciniata, aſpera, è virore ſplendentia: Caules multi cubitales aut bicubitales, pluribus ſparſim & confuſe foliis cincti, in ramos multiplices per totam ſummitatem diviſi, duri, aſperi, proferentes *capitula* è quibus exeunt ſtamina plura, contracta, coloris ex purpura rubentis: *Radix* lignoſa dura, non abſque fibris. Tota Planta hyemem (niſi acris admodum fuerit) ſine noxa facile tolerat.

E Luſitania primum allata creditur; In hortis Florentinis, Piſanis, Bononienſibus, Pariſienſibus, & Anglicis ſervatur.

Hujus datur varietas in Hortis, *foliis magis diviſis*; forte à ſemine producta.

§. 2. Jaceæ non ſpinoſæ, foliis magis diviſis.

10. Jacea *nigra laciniata, Park. Scabioſa major ſquamatis capitulis, C. B. P. Centaurium collinum Geſneri flore purpureo, J. B. Jacea nigra major lacinioſa, Adv. Lob. Jacea major, Ger.*. Folia interdum prima ac pauca à radice orta ſubrotunda & indiviſa apparent, ſubinde longa, &, *Jacobææ vulgaris* more, profunde laciniata, longiora tamen, & quæ in caules cubitales aut ſeſquicubitales naſcuntur tenuiora ſunt: *Caulium* faſtigia globulos vulgaris duplo majores, ex ſquamis nigricantibus pilis donatis compactiles gerunt; è quibus *flores* purpurei, ampliores, Cyani modo extenſi proveniunt; hiſce ſuccedunt *ſemina* oblonga, pilis in ſuperiore parte donata.

In herbidis incultis ad agrorum margines, & inter ſegetes frequenter occurrit.

Variat etiam flore *pallido*, & *albo*.

Ex Italia varietatem recepimus foliis pene ferulacea tenuitate donatis.

11. Jacea *Montana incana odora, C. B. P. Montana Narbonenſis, Lob. J. B. Park. Et Jacea muſchata, J. B.* Radix eſt lignoſa, lenta: caulis rotundus, pedalis: folia longa, lata, mollia, tomentoſa, laciniis longis diviſa, alba vel cinerea. Capitula forma & colore Jaceæ ſecundæ *Taberni*, quæ Centaurium murale dicitur. Tota planta ſatis ſuavi odore prædita eſt, ſaporis amaricantis, cum adſtrictione quadam. Ita deſcripſit *Jo. Bauhinus* poſt *Tabernamontanum*.

Heidelbergæ arenoſis & ſiccis locis provenire dicitur; In monte Hymetto prope Athenas obſervavit Reverend. D. G. Wheeler.

12. Jacea *incana laciniata capitulis Cirſii, J. B.* Hæc ex radice, caulem profert palmarem, anguloſum, incanum; folia habet multa ad radicem per terram ſparſa, lata, laciniata, molli lanugine incana; flores pauci, Jaceæ vulgaris ſimiles, ex capitulis ſquarroſis prodeuntes, caulis ſummitati inſident.

In montibus prope Capuam provenit, J. B.

13. Jacea *laciniata ſquamata, C. B. P. Jacea ſquamata Cretica, quibuſdam Scabioſa Cretica dicta, J. B. An Scabioſa Cretica Anguillaræ?* Multa habet folia longa, multipliciter laciniata, caulem cubitalem & ampliorem, per quem ſparſa ſunt folia jam dictis minora, & minus laciniata; finditur deinde in varios ramos, minoribus adhuc foliis, & rarius ſectis præditos; extremi rami ſuſtinent capitula ſquamata, quæ producunt flores purpuraſcentes, (aliquando albos) aliarum more.

14. Jacea *major foliis Cichoraceis mollibus, flore ſtamineo, Nobis. Stœbe major foliis Cichoraceis mollibus lanuginoſis, C. B. P. Stœbe Salamantica prima, Cluſ. Hiſt. & Hiſp. Stœbe Salamanticenſis prior, Cluſii, ſive Jacea intybacea, J. B.* Humi ſtrata habet folia, Scabioſæ, Jaceæque foliis latiora, ad Cichorei folia accedentia, mollia, lanuginoſa, & interdum candicantia. Aliquot ex eadem radice caules exeunt bicubitales, ſtriati, ſubhirſuti, fungoſa medulla farcti, multis alis brachiati, quibus inhærent minora, minuſque diſſecta, & mucrone quodammodo ſpinoſo folia: *Flores* naſcuntur in ſummis ramulis, capitulis (Cyani paribus, turbinatioribus, glabris, nitidiſque & politis, albicantibus, per extremum rubentibus ſquamis imbricatis) comprehenſi, purpurei, quos ſubſequitur ſemen ſubruffum, Centaurii majoris æmulum, ſed minus: *Radix* eſt longa, candida, digiti interdum craſſitudine, quæ nonnunquam vivax eſt, & plures annos durat.

Circa Monſpelium paſſim provenit, nec minus frequens habetur in Italia, & Sicilia.

Eadem habetur in Horto noſtro *flores candidos* producens.

15. Jacea *non ſpinoſa foliis magis diviſis elatior, capitulis minoribus non ſplendentibus, Nobis. Stœbe major calyculis non ſplendentibus, C. B. P. Stœbe Auſtriaca elatior, Park. Centaurii majoris ſpecies tenuifolia, J. B. Stœbe Gallica & Auſtriaca elatior, Cluſ. Hiſt. Jacea ſeu Stœbe Gallica, Cluſ. Pan.* Numeroſa promit folia, ſecundum radicem humi procumbentia, incana, oblonga, magnis & profundis inciſuris, quemadmodum in Jacea nigra vulgari laciniata, ſed longiora: Caules plerumque recti aſſurgunt bicubitales aut ampliores, in frequentes ramos diviſi: folia per ramos ſparſa alte quidem inciſa, inferioribus minora, & breviora, inque molles quoſdam aculeos definentia: ramorum faſtigiis inſident calyculi ſeu capitula ex ſquamis villoſis imbricatim compoſiti, unde *flos* exilit *Cyani* forma, ſed coloris purpurei dilutioris, & medio villoſus; ſemen reliquis congruit, radixque perit.

16. Jacea *non ſpinoſa foliis magis diviſis elatior, capitulis ſplendentibus, Nobis. Stœbe calyculis argentei, C. B. P. Stœbe Salamantica tertia, Cluſ. Hiſt. Scabioſa ſquamata argentea, J. B. Aphyllantes, 4. Dod. Stœbe argentea Salamantica minor, Lob.* Antecedenti quoad folia, & modum creſcendi, convenit, ſolis capitulis quorum ſquamæ ſunt amplores, argentei coloris, marginibus pilis deſtitutæ, dignoſcitur. Poſt ſeminis maturitatem radix quoque perit.

In agro Viennenſi, & Salamanticenſi, in arvorum & vinetorum marginibus copioſe naſci obſervavit C. Cluſius. In Italia quoque invenitur.

17. Jacea *Auſtriaca humilis tenuifolia, Nobis. Stœbe incano Cyano ſimilis tenuifolia, C. B. P. Stœbe Auſtriaca humilis, Cluſ. Hiſt.* Huic folia humi ſparſa, priorum minora ſunt, alte laciniata; tota planta altitudinem pedalem raro ſuperat: capitulorum ſquamæ marginibus hirſutiei ſecundæ antecedentis donata ſunt. Floret eodem modo.

In collibus, & montibus Viennenſi urbi vicinis ſponte provenit.

18. Jacea *humilis alba Hieracii folio, Lugd. C. B. P. Jacea Monſpeſſulana cui in ſquamis fibræ nigræ, interdum acaulis, J. B. Jacea pumila, Adv. Lob.* Planta hæc palmaris, (per culturam pedalis, aut amplior) folia profert oblonga, latiuſcula, nunc integra & dentata, nunc Hieracii modo laciniata, caulibus reclinantibus appoſita, quorum ſummitatibus capitula cum foliolis oblongis, viridibus, ſubjectis, adnaſcuntur ſquamata, quorumque ſingulæ ſquamæ acumen (non ex oris ut in aliis) in pinnatas ſpinulas innoxias fatiſcit:

Flos

Flos ſimplex ex fiſtuloſis petalis radiatus, frequenter albus eſt, ſed aliquando ex carneo purpuraſcit. Annua eſt Planta.

Circa Monſpelium in marginibus ſatorum, ad pontem, via qua Frontignanum itur, otturrit.

19. Jacea *montana incana capite Pini, C. B. P. Capite magno Strobili, J. B. Chamæleon non aculeatus, Adv. Iob.* Pumila eſt planta, duarum triumve unciarum altitudine, interdum dodrantalis, aut etiam major: Folia cauli longitudine vix cedunt; primum naſcentia integra, lata, & ſublonga ſunt; ſequuntur alia in profundas lacinias æquali ſitu diviſa, ſubtus denſa mollique lanugine candicante obſita, qua etiam ſuperius non omnino deſtituuntur, plerumque tamen viridantia; quædam interdum non laciniata, aut parum. *Cauliculus* quoque tomentoſus eſt, inque ramos ſubinde dividitur, ſæpe ſimplex, cujus cacumini inſidet caput magnum, quale eſt *Scolymi*, ſquamis argenteis, aut ex argenteo rutilantibus purpuraſcentibuſve, perquam tenuibus, mollibuſque, per oras lateſcentibus, criſtatiſque compactile. Medium obtinent pappi, quos *flos* reliquit ſtaminibus purpurantibus conſtans. *Radix* ſatis craſſa, ſimplex aliquando, interdum plurium capitum, nigricans.

In ſterilioribus montoſis & ſaxoſis, circa Monſpelium, Menſe Junio florens, frequenter reperitur.

20. Jacea *montana candidiſſima, Park. candidiſſima, Stœbes folio, C. B. P. & Prod. Stœbe argentea incana Aldroandi, J. B.* Folia habet ad radicem multa per terram ſparſa, palmaria, lata, Stœbes tenuioris inſtar laciniata, molli tomento, quaſi farina aſperſa, mollia & alba: caulem profert palmarem, nonnunquam cubitalem, anguloſum, ſtriatum, molli & incana lanugine veſtitum: cauliculis ſummis *flores* ſinguli Jaceæ vulgaris ſimiles inſident, qui ex capitulis ſquarroſis prodeunt.

In montibus prope Capuam provenit.

21. Jacea *cineraria laciniata, flore purpureo, Triumfetti. Jacea incana, capite ſquamato, Franciſci de Honuphriis.* Planta hæc rara à D. Baptiſta Triumfetti detecta, fuſeque deſcripta, *folia* plurima profert humi ſtrata, palmaris longitudinis, in plurimas lacinias rotundas, uſque ad coſtam mediam diviſa, quorum pars extrema uncialis latitudinis folium claudit, & in rotunditatem definit, argentei coloris, & antecedentis latiora: ex horum medio erigitur caulis cubitalis, lanugine candida tectus, qui in ſummo capitula ſquamoſa ſubrotunda, colore cinereo viridi prædita, ac in limbo cujuſque ſquamæ obſcuris pilis ſtipata geſtat. Hæc autem circiter menſis Maii finem, aut prius, *florem* purpuraſcentem exhibent, intermediis ſtaminulis albidis, ut in aliis Jacearum ſpeciebus: ſemenque in pappo invenitur. Planta perennitur durat.

In celebri montis Circelli jugo reperit D. Triumfetti, ut & D. Franciſ. de Honuphriis, in plantarum rariorum conquiſitione Socius.

22. Jacea *Cretica lutea, foliis Cinerariæ, Dodart. Mem. Jacea arborea argentea Raguſiana, Zan.* Jacea hæc, & foliis quoad formam, argenteumque colorem, & modum creſcendi, antecedenti convenit; capitula quoque ſquamata ſat bene reſpondent; flores vero omnino luteo, aut auri fugentis colore ſplendent, quibus præſertim diffidet.

In Horto Pariſienſi varietas oritur, quæ folia tenuius laciniata profert.

PLANTÆ CAPITATÆ

Foliis lævioribus, & capitulis modice ſpinoſis.

Jacea capitulis acutioribus, Carduus ſtellatus, Carthamus, Lappa major ſive Bardana, & Cirſium.

CAPUT XXXI.

TABULA XXVIII. SECT. VII.

Jacea capitulis ſpinoſis, foliis minus diviſis

1. *Latifolia capite birſuto, C. B. P. Jacea cum ſquamis pennatis ſive capite villoſo, J. B. Auſtriaca villoſo capite 4. Cluſ. Hiſt.* ☉.
2. *Anguſtifolia capite birſuto, C. B. P. Jacea montana villoſo capite humilior, Cluſ. Pan. 5. Hiſt.* ☉.
3. *Cerinthes folio, flore purpuraſcente, Schol. Bot. Par.* ☉.
4. *Latifolia caule alato, capite magno turbinato multiplici aculeo deflexo, è ſquamularum cuſpidibus orto, D. Pl. Phyt. Latifolia ſpinoſa capitulis pulchris, flore purpureo, I. B.* ☉.
5. *Spinoſa Sonchi anguſto folio maritima minor ad ſquamas capituli ſpinulis plurimis, D. Pluk. Phyt.* ☉.
6. *Montana alato caule purpurea ex ſingulis capitulorum ſquamis ſpinulis plurimis in Hemicyclum diſpoſitis, D. Pl. Phyt. Jacea montana echinato capite, Cluſ. Hiſt.* ☉.
7. *Laciniato Sonchi folio, ſive Jacea latifolia purpurea capitulo ſpinoſo, C. B. P. & Prod.* ☉.
8. *Marina Bætica, Park.* ☉.
9. *Sphærocephalos Tingitana latiore folio, H. Lugd. Bat.* ☉.
10. *Incana Cretica flore luteo medio purpureo, ſquamis in molliores ſpinas abeuntibus, Hermanni, Hort. Lugd. Bat.* ☉.

- *Jacea capitulis ſpinoſis foliis*
  - *magis diviſis purpurea*
    11. *Purpurea Valentina muricato capite, Cluſ. Hiſt. Jacea purpurea Hiſpanica muricata, I. B.* ⊙.
    12. *Purpurea tenuifolia, I. B. Stœbe ſquamis aſperis, C. B. P.* ⊙.
    13. *Tomentoſa capitulo ſpinoſo, C. B. P. & Prod. 8.* ⊙.
    14. *Capite longis aculeis ſpinoſo, C. B. P. & Prod. 3.* ⊙.
    15. *Alato caule Cyanoides, Vaillant. H. R. P. Jacea ſpinoſa Cretica, Zan.*
    16. *Montana incana laciniata capit. hiſpidis, C. B. Prod. 6.* ⊙.
    17. *Montana incana aſpera capitulis hiſpidis, C. B. Prod. 5.* ⊙.
    18. *Stœbe Salamantica, 2. Cluſ. Hiſt.* ☿.
    19. *Tingitana centauroides echinato capite villoſo, ex unaquaque ſquama plurimis aculeis circulariter radiatis, D. Pluk. Phyt.*
    20. *Peregrina Napifolia capitulis hirſutis alata, D. Pluk. Phyt. An Cyanus ſpinoſus Creticus Rapi folio, Hort. Reg. Par.* ☿.
    21. *Ramoſiſſima capite longis aculeis ſtellatim naſcentibus armato, Nobis. Carduus ſtellatus, Dod.* ☿.
    22. *Stellata non ramoſa foliis minus diviſis, Nobis. An Carduus ſtellatus Dal. Lugd.*
  - *lutea*
    - *perennis*
      23. *Spinoſa Centauroides, C. B. P. Jacea lævis maxima Centauroides Apula, Col.* ⊙.
      24. *Capite ſpinoſo, C. B. P. Lutea major, Adv. Lob.* ⊙.
      25. *Montana minima tenuifolia, Col. Jacea lutea laciniata, C. B. P.* ⊙.
      26. *Sicula Cichorei folio, Bocconi,* ⊙.
    - *annua*
      27. *Stellata alata foliis Cyani, Nobis. Carduus ſtellatus luteus foliis Cyani, C. B. P.* ☿.
      28. *Melitenſis capitulis conglobatis, Bocc.* ☿.
      29. *Alata tomentoſa Sabauda,* ☿.
      30. *Cichorei foliis minus laciniatis Americana, D. Pluk. Phyt.*

§. 3. Jaceæ ſpinoſæ foliis minus diviſis.

1. Jacea *latifolia capite hirſuto, C. B. P. Jacea cum ſquamis pennatis, ſive capite villoſo elatior & humilior, J. B. Jacea Auſtriaca villoſo capite 4. Cluſ. Hiſt.* Ramis multis brachiata eſt, iiſque cubitalibus & longioribus, ſtriatis, anguloſis, ſubhirſutis: cujuſmodi ſunt & folia per ramos alternatim diſpoſita, breviora, latioraque quam Jaceæ nigræ vulgaris, ſeſcunciam aut unciam longa, latitudine unciali, acuminata, crenata, infima vero palmum & ſeſquipalmum æquant: *capitula* Jaceæ vulgaris capitulis magnitudine reſpondent, verum ſingulæ ſquamæ longo barbitio pennato, nigricante, reflexo, è mucrone oriente comatæ ſunt: *Flos* è medio erumpit Jaceæ vulgaris, purpureus. Calidiori *circa Monſpelium* cœlo, longe eſt ſtrigoſior, foliaque poſſidet interdum ſinuata potius quam crenata, ut refert *J. Bauhinus*, & *D. Magnol.* affirmat.

In Pannoniæ & Auſtriæ pratis oritur, auctore Cluſio, æque ac Monſpelienſibus.

2. Jacea *anguſtifolia capite hirſuto, C. B. P. Jacea montana villoſo capite humilior, Cluſ. Pan. 5. Hiſt.* Hæc antecedenti humilior eſt, foliaque anguſtiora ſunt; capitula quoque tenuibus filamentis nigricantibus barbata ſunt.

Floret menſibus Julio & Auguſto; & iiſdem locis quibus & prior reperitur.

3. Jacea *humilis folio Cerinthes, purpuraſcente flore è Rupe Victoriæ, Schol. Bot. Par. Turnefort.* Planta hæc inſignis à Cl. *D. P. Turnefortio* detecta, folia profert integra, longiuſcula, glauca. in rotunditatem definentia, ad Cerinthes proxime accedentia: Cauliculi pedalem altitudinem rarò ſuperant: Capitula Cirſii more modice ſunt ſpinoſa, è quibus *flores* purpuraſcentes, cæterarum conſimiles prodeunt. Notitiam hujus à prælaudato *D. Sherard* habemus.

4. Jacea *latifolia ſpinoſa capitulis pulchris flore purpureo, J. B. Jacea latifolia caule alato, capite magno turbinato multiplici aculeo deflexo, è ſquamularum cuſpidibus orto, D. L. Pl. Phyt. Jacea foliis Seridis candicantibus purpurea, C. B. P. Jacea purpurea Valentina muricato capite, Cluſ.* Folia inferiora Seridis aut Cichorei modo diviſa, ſuperiora integra, marginibus ſinuata ſeu dentata ſunt; Caulis alatus capitulum turbinatum, oblongum, ſuſtinet, cujus ſquamæ ſingulæ flaveſcentes aut rubentes, alioqui læves & politæ, in quinas, ſenas, aut ſeptenas radiatas ſpinulas deorſum vergentes definunt: *flores* purpurei, ſtaminei tandem in pappos faceſſunt.

5. Jacea *ſpinoſa Sonchi anguſtofolio maritima minor, ad ſquamas capituli ſpinulis plurimis, D. L. Pl.* Huic folia ima oblonga, pollicem lata, ſinuata, & pene laciniata ſunt: caulis non alatus foliis minoribus ſine ordine veſtitus, in ſuperiore parte diviſus, capitula ſuſtinet ſubrotunda, quorum ſquamæ in aculeos breves quatuor aut quinque deorſum flectentes, definunt: *Flores*, aliarum more, purpurei, ſtaminei, apparent.

6. Jacea *montana alato caule purpurea, ex ſingulis capitulorum ſquamis ſpinulis plurimis in Hemicyclum diſpoſitis, D. L. Pl. Phyt. Jacea montana purpurea echinato capite, Park. Jacea capitulis hirſutis, Boelii, Ger.* Tota planta (præſertim ex adverſo) candicante lanugine aſperſa eſt; folia inferiora palmum longa, unciam unam aut alteram lata, ad margines denticulis ſinuata; caulis pedalis aut ſeſquipedalis alatus præ denticellis quibuſdam acuminatis aſperior, capitula profert ſubrotunda quorum ſquamæ deflexæ ſubluteæ, in quinas ſpinulas ſemicircullariter diſponuntur; *flores* cæterarum floribus dilutioris purpuro-rubentis coloris cernuntur, quibus *ſemina* oblonga, ſubfuſca, barbata, inter lanuginoſam materiam latentia, ſuccedunt: radix vivax eſt.

7. Jacea *laciniato Sonchi folio, ſive Jacea latifolia purpurea capitulo ſpinoſo, C. B. P. & Prod.* Folia per terram ſparſa variant, modo integra, ſubrotunda, modoque ſinuata, oblonga, & pene ſunt laciniata; *Caulet*

humum

humum verſus reflexi, ſubhirſuti, nudi, foliis Sonchi vulgaris more diviſis, alternatim poſitis, cinguntur: capitula haud magna inſident ſpinoſa, quorum ſquamæ in ſpinas ſeptem, pulchro ordine ſtellam dimidiatam referentes exeunt; harum autem media cæteris latior & longior eſt: *Flos* quoque elegantis purpuræ, inodorus eſt.

Hanc ex Horto Patavino habemus.

8. Jacea *marina Bætica, Park.* Folia longa ſunt & anguſta, in ambitu ſinuata & carnoſa, viridia, tantilla hirſutie pubeſcentia, qualia caulibus procumbentibus naſcuntur, minora tamen: ſummo cauli capitulum inſidet ſatis amplum, turbinatum, ex ſquamis imbricatim compactum, quarum quælibet in quatuor aut quinque ſpinulas innoxias definit: *flores* ampliſſimi, ex floſculis longiſſimis, tubuloſis, purpuro-rubentibus, compoſiti ſunt.

Ex Hiſpania à Boelio tranſmiſſa eſt.

9. Jacea *ſphærocephalos Tingitana, latiore folio, Hort. Lugd. Bat.* E ſemine Tingitano à *D. Balam* tranſmiſſo, Jacea hæc ſpecioſa nobis orta eſt; caules pedales, aut circiter, teretes, ſtriatos, ſubhirſutos, profert, qui ob capitulorum gravitatem humum petunt. His folia viridia, uncias duas vel tres longa, pollicemque lata, integra, in ambitu leviter dentata, modiceque ſpinoſa, fortuito poſita, lata baſi naſcuntur, quorum ſuperiora, amplitudinem inferiorum pene ſervant: ſingula capitulorum rotundorum ſquama, in criſtam ſpinularum plurimarum terminatur, non tantum in hemicyclum, ut in præcedentibus, diſpoſitarum, ſed ſtellam quaſi integram conficientium: *Flos* amplus ex purpureo rubens, Cyani majoris in modum, ſe petalis ſuis longioribus explicat, ut inter Jacearum flores ampliſſimus eſſe videatur.

10. Jacea *incana Cretica, flore luteo medio purpureo, ſquamis in molliores ſpinas abeuntibus, Hermanni, H. L. Bat. Qui & eam, icone ejus expreſſa, hunc in modum deſcribit*: Levi tomento viridi caneſcit tota hæc planta, attollens ex radice craſſa brachiata caules plures ſeſquicubitum excedentes, anguloſos, lignoſos, duros, valde ramoſos: *Folia* radici proxima conſpiciuntur palmum lata, ſpithamam longa, modo per ambitum leviter crenata, modo profundis aliquot inciſuris, præcipue verſus pediculum diſſecta; ſuperiora vero minora, & omnino integra, ſuaque baſi *caulem* amplectentia. Singuli rami ſuſtinent capitulum ex ſquamis hiſpidis, in breviſſimas aliquot flaveſcentes cuſpides definentibus compactum, cui inſident *flores* vulgaris ſimiles, exteriores rubentes, interiores flaveſcentes, ſeminibus cæteris hujus tribus ſimilibus.

Ex Creta D. Jacobus Zanoni ſemina attulit.

§. 4. Jaceæ ſpinoſæ, foliis magis diviſis, purpureæ.

11. Jacea *purpurea Valentina, muricato capite, Cluſ. Hiſt. Jacea purpurea Hiſpanica muricata, J. B.* Hujus folia laciniata Jaceæ luteæ non multum abſimilia, vel foliis *Seridis* candicantibus; ramis eſt cubitalibus & flexilibus, in quorum ſummo capita ſquamata, florem depromentia purpureum: radix valde craſſa eſt, longaque, & glutinoſa. Granatenſibus vulgo *Arzolla* dicitur.

Carduus ſtellatus, ſeu Calcitrapa altera capitulis ſpinoſis, Lob. Obſ. videtur eadem cum *Jacea altera Granatenſium, Cluſii.*

12. Jacea *cum ſpinoſis capitulis, purpurea tenuifolia, J. B. Capitulis ſpinoſis, Adv. Lob. An Stœbe ſquamis aſperis, C. B. P. & Aphyllantes 2. Dod.?* Caules huic cubitales, ſtriati, aſperi, non alati: folia aſpera, anguſta, uncias duas longa, quædam rarius laciniata, aut cum quibuſdam eminentiis: capitula parva, quæ ſquamis conſtant flaveſcentibus, glabris, niſi quod definant in tres ſpinulas: *floſculi* purpurei. *J. Bauh.*

In ſatorum marginibus & Vinetis circa Monſpelium paſſim reperitur.

13. Jacea *tomentoſa capitulo ſpinoſo, C. B. P. & Prod.* Tota planta quaſi farina aſperſa foret, albeſcit, & à radice caulis pede minor, ſtatim in alas plures diviſus exſurgit: folia habet brevia, anguſta, in petiola tria, quina, ſeptena, ſubrotunda diviſa: cauliculis inſident capitula parva, ex ſquamis multis in aculeos acutos & rufeſcentes abeuntibus, compoſita: *flos* conſpectum fugit.

In Murena Hiſpaniæ D. Albinus legit, uti refert C. Bauh. in ſuo Prodromo.

14. Jacea *capite longis aculeis ſpinoſo, C. B. P. & Prod.* Tota planta ſubincana, brevibus & rigidulis pilis hirſuta, caulem habet cubito altiorem, rotundum, aſperum, in ramulos inæquales diviſum: folia oblonga, uncias duas lata, craſſa, rigida, ad pediculum laciniata: Caulis ſummitati capitulum ſquamoſum, ex pluribus ſquamis, etiam triginta numero compoſitum, & in conum pini æmulum compactum inſidet; ſquamarum apices in ſpinas oblongas, rectas, & rigidas definentes, tanquam ſetis undique circumdatæ ſunt; inter has autem *flos* ex petalis candicantibus conflatus emergit, cui ſemen Cnici ſimile ſuccedit. *D. Doldius Cl. Caſp. Bauh.* miſit, qui & in Prodromo edidit.

15. Jacea *alato caule cyanoides, Vallot. H. R. P. Jacea ſpinoſa Cretica, Zan.* Huic folia oblonga, Cichorei modo laciniata; in ambitu dentata, qua parte cauli adnectuntur, in ipſum parum deſcendunt, eumque quaſi ſemiveſtiunt, dum pars inferior ejuſdem caulis nudus apparet: ſummi ramuli in capitula ſquamoſa, coniformia, ſpinulis plurimis brevioribus armata, definunt, è quibus flores fiſtuloſi, purpurei, ſicut & in aliis, proveniunt.

Candiæ alumna eſt, & à D. Zanoni figura, cum ampla deſcriptione, data eſt.

16. Jacea *montana incana laciniata, capitulis hiſpidis, 6. C. B. Prod.* Ex radice caulis palmo major, rotundus, molli lanugine caneſcens, exſurgit, circa quem folia pediculis oblongis incanis donata, laciniata, & ſubrotunda, tactu mollia: capitulum parvum, brevibus ſpinis hiſpidis deorſum flectentibus munitum eſt.

17. Jacea *montana incana aſpera, capitulis hiſpidis, C. B. P. & Prod.* Huic cauliculus palmaris, rotundus, lanuginoſus eſt: folia ſunt aſpera, ad radicem plura incana, hiſpida, parum laciniata, anguſta, uncias quatuor longa, reliqua vero in profundas & rigidas crenas diviſa, baſique ſua caulem amplexantia, qui aliquando in ramulos dividitur; horum autem ſinguli *capitulum* parvum ex ſquamis hiſpidis compoſitum ſuſtinent; earum enim cuſpides exterius reflexæ, in tenuiſſima filamenta definunt: *flores* vulgaris ſimilis, ſed multo minores.

Monſpeſſuli in monte Calcaris provenire aſſerit C. Bauh. D. Magnol. vero de ea nihil prodidit.

18. Jacea *cyanoides echinato capite, C. B. P. Quæ etiam Stœbe major foliis Erucæ mollibus lanuginoſis, ejuſdem. Cyanoides flos, Dod. Stœbe Salamantica 2. Cluſ. Hiſt. icon.* Folia ſunt oblonga, candicantia, in partes quinas

quinas aut ſeptenas diſſecta; cauliculi teneri, in ramulos complures diviſi, foliis perquam exiguis circa eos, & in ſummo *flores* ſinguli Cyani forma, ſed ambientibus petalis in purpura rubentibus; ſtaminibus vero mediis ex luteo candido colore purpureo permixtis, è capitulis ſquamatis exiguis ſpinulis donatis exeuntibus: radix ſubeſt craſſiuſcula, annua.

Naſcitur in Salamanticenſi agro, in arvorum & vinetorum marginibus.

19. Jacea *Tingitana centauroides echinato capite villoſo, ex unaquaque ſquama plurimis aculeis circulariter radiatis, D. Pluk. Phyt. part.* 1. Cauli tereti, nudo, fortuito poſita ſunt folia longa, *Dentis Leonis* aut *Hieracii* more ad nervum medium pene laciniata, hirſuta, & in ambitu crenata: caulis extremitati capitulum adnaſcitur turbinatum, ſeu globoſum, ſatis amplum, ſpinis ſtellatim armatum, cujus vertice *flos* ſtamineus purpuraſcens exprimitur.

20. Jacea *Peregrina Napifolia, capitulis hirſutis alata, D. Pluk. Phyt. An Cyanus ſpinoſus Creticus Rapifolio, Hort. Reg. Par.?* Planta hæc nova, quam munificentiæ prædicti *D. Sherard* debemus, folia profert plurima, palmum longa, per terram ſtrata, à pediculo biunciali, *Rapi*, ſeu *Napi, vulgaris*, in modum diviſa, ſatiſque eundem æmulantia, ſubrotunda, parte lata nervum claudente, in ambitu dentata, viridia; inter hæc caules aſſurgunt bipedales aut tripedales, in plurimos ramulos brachiati folioſa materia dentata, per longitudinem alata, minora anguſtioraque folia ſine ordine emittentes: caulium ſummitates capitulis exiguis ſubrotundis ornantur, ſquamatis, quorum ſingula ſquama in ſuperiore parte, ſpinulis exiguis, quinque aut ſex terminatur. *Flores* è capitulis extruduntur ſimplices, ex petalis fiſtuloſis, & Cyani modo patulis, elegantis purpuro-rubentis coloris compoſiti. Horum medietates ſtamina ochroleuca occupant; *ſemen*que oblongum fuſcum, in apice barbulis coronatum, inter lanuginem, qua caput ipſum impletur, latitans ſuccedit, quo (radice pereunte) quotannis renovatur.

21. Jacea *ramoſiſſima, capite longis aculeis ſtellatim naſcentibus armato, Nobis. Carduus ſtellatus, Dod. Carduus ſtellatus ſive Calcitrapa, J. B. Carduus ſtellatus foliis Papaveris erratici, C. B. P.* Biennis eſt planta: prima humi ſtrata ſunt folia longa, hirſuta, ad nervum medium penè diviſa: ſuccedente vere aſſurgit caulis cubitalis aut ſeſquicubitalis, durus, in alas plurimas divaricatus, non alatus, foliis anguſtis, minuſque diviſis donatus; ad horum autem appoſitionem, & cauliculorum angulos, æque ac terminationes, oriuntur capitula, ſpinis ſuis ſtellatim radiantia, quorum ſingula ſquama in aculeum rigidum uncialem, ex albo flaveſcentem, (cum ſpinis minoribus lateralibus) deſinit: *Flos* in medio cernitur purpuraſcens, rarius albus, ſemenque ſuccedit ſeminibus aliarum hujus familiæ ſimile, quo matureſcente, radix perit.

In incultis gramineis, ſterilioribus, ſecus vias publicas, in Anglia, vicinisque Regionibus frequenter invenitur.

In Horto ficco à *D. L. Rawolfio* collecto, planta 115. obſervatur vel ſpecies vel varietas, cujus folia in latiora ſegmenta, Sonchi æmula, diviſa ſunt; capitula eodem modo naſcuntur.

22. Jacea *ſtellata non ramoſis foliis minus diviſis, Nobis. Carduus ſtellatus latifolius cauleſcens, C. B. P. An Carduus ſtellatus, Dal. Lugd?* Foliis eſt parvis, nec valde laciniatis, nec ſpinis aut multis, aut rigidis armata; caule cubitali, parum ſurculoſo; capite toroſo & craſſo, candicante, ſpinis undique muricato, ſtellæ figura radiatis, ex aculeis ſeptem conſtantibus, unaquaque ſpinarum congerie coaleſcente, longiſſimo eo qui medius exſtat, brevioribus reliquis utrinque tribus, qui medium ambiunt; elegantiſſima harum ſpinarum ſtructura; *flos* purpuraſcens.

Ex Alepo (cum aliis) ad Hortum noſtrum ſiccum componendum, à Viro celeberrimo D. D. Huntington, hanc habemus.

Memoratur à *D. Magnol.* in Catalogi Append. quædam hujus familiæ, *foliis integris donata*, quam à *D. Tournefort.* accepit.

§. 5. Jaceæ ſpinoſæ, foliis magis diviſis, luteæ.

23. Jacea *lutea ſpinoſa Centauroides, C. B. P. Jacea lævis maxima Centauroides Apula, Col.* Folia quæ primo è radice dura erumpunt, Rumici æmula, carnoſa, dura, lævia, retuſiora, magna, longa, lata; quæ deinde in lobos paulatim diviſa erumpunt, Raphani modo, majora, latiora, Centaurii magni æmula, & Limonii ſoliditate ſunt. *Caulem* habet tripedalem, anguloſum, foliis diviſura Quercus, vel Cerri modo hærentibus alternatim, in ſummo parum hirſutum, ſicuti & folia, parte averſa: *Capita* profert duo aut tria, craſſa, magni Centaurii paria, Jaceæ aut vulgaris Cyani ſquamulis compacta, aculeata & per ambitum inſecta, luteſcentibus ſpinulis, ſed majora ſunt omnia: internum vero quod à luteis ſpinulis ſive laciniis ſepitur, vireſcens, aſpectu pulcherrimum eſt; ex his *floſculi* lutei capillares, Carduorum modo, emicant.

Prope Acquamena Cirinolæ parum obviam detexit accuratus Fab. Col. cui deſcriptio ſuperius poſita debetur.

24. Jacea *lutea capite ſpinoſo, C. B. P. Centaurium collinum, J. B. Jacea major lutea, Lob. icon. Lugd. Eyſt. Tab. Ger. Jacea luteo flore, Cluſ. Hiſt.* Longas cubitales majoreſve fert virgas hæc planta, quas ſecundum radicem folia Centaurii majoris, (quod multifido eſt folio, & laciniato) ſimilia amplectuntur, minus tamen ampla, ſuperiora vero per virgas ſparſa, Jaceæ nigræ ſimilia, duriora aliquantulum, & candicantia, guſtu utcunque acido ſunt. *Capita* in ſummis virgis Cnici ſylveſtris majora, ſpinis horreſcunt, è quibus *flos* luteus proſilit Atractylidis æmulus. *Semen* in capitibus cineracei coloris latet, exiguum, multa lanugine involutum: *radix* eſt longa, alba, ſucculenta, dulcis, Eryngii vulgaris inſtar.

In agro Salamanticenſi, & Monſpelienſi ſponte naſcitur, & præ repente facultate copioſe ſe propagat. Menſibus Junio & Julio floret.

25. Jacea *montana lutea minima tenuifolia, Col. Jacea lutea laciniata. C. B. P. Ex Æquicolorum montibus herbidis eruit Fab. Col.* hanc plantam puſillam, reſpectu capituli & florum; magnum quidem Caput profert congenerum etiam modo ſquamulis compactum, atque *flores* majoris Jaceæ pares, aureo colore. *Caulis* vero tenuis eſt, anguloſus, ſemipedalis ad ſummum, duabus alis foliorum interceptus: folia vero triuncialia, prope humum expanſa, in tenues admodum lobos diviſa, ipſique inſuper lobi laciniati, carnoſi, aculeati: *ſemen ei* pappoſum; radiciſque odor, & ſapor quales ſunt congenerum.

26. Jacea *Sicula, Cichorei folio, flore luteo, capite ſpinoſo, Boce.* Caulis huic anguloſus, & cubitum altus eſt, quan-

quandoque reclinatus, multis alis divisus, & concavus: *Folia* longa, aspera, duas aut tres uncias lata, utrinque profundius dissecta, candicantia, foliis Jaceæ Sonchi folio latiora: *floribus* constat luteis, succedentium similibus: Capitulis longis aculeis, armatis, donatur. *Radix* alba, fibrosa, vivax est.

Circa Saccam prædictus P. Boccone invenit.

27. Jacea *lutea annua stellata & alata foliis Cyani, Nobis. Carduus stellatus luteus foliis Cyani, C. B. P. Carduus solstitialis, Cam. Spina solstitialis, Gesn. Dod. Adv. Lob. J. B. Leucacantha quorundam, Lugd.* In frequentes ramos divaricata, caule est gracili, cubitali, albido tomento, viriditate undique obsito, membranis passim secundum longitudinem aptatis, alato, foliis stipatis una cum ramis ad Cyani minoris folia accedentibus, duarum triumve præterpropter unciarum longitudine, per superiores ramos vix unciam longis, hirsutis, quæ, in florem eunte caule, fere decidunt: *Capitula* Cyani capitibus æqualia, longis rigidis spinis, è singularum squamarum mucrone, insecta: *flosculi* fistulosi, lutei, quinquefariam in margine divisi, qui tandem in pappos facessunt.

Annua est planta; in satis abunde nascitur circa Monspelium, ut D. Magnol. notat, unde incremento segetum aliquando officit, & messorum manus pedesque cruore & vulnusculis afficit. *In Anglia etiam mense Augusto floribus luteis invenitur.*

An Carduus stellatus mitior Apulus spina solstitialis altera, Col. ab hac dirimenda sit, incertum est: spinas in capite breviores & molliores esse asserit idem *Col.*

28. Jacea *lutea Melitensis capitulis conglobatis, Bocc.* Antecedenti convenit; folia vero prima humi strata, rotundis laciniis divisa, obtusa terminatione folium claudunt: capitula præcedentis paria, in summis ramulis multa coacervata sunt, & ex alis foliorum etiam nascuntur.

In Melita Insula invenit P. Boccone.

29. Jacea *lutea annua alata tomentosa Sabauda.* Prioribus similis est, è semine Sabaudico orta: Tota planta tomento candido, Gnaphalii modo, obducta, caulisque omnino membrana foliacea alatus est: *Capitula* spinis longioribus & paucioribus armata sunt, quibus à cæteris hujus familiæ dignoscitur.

30. Jacea *lutea Cichorei foliis minus laciniatis Americana, D. Pluke. Phyt. Part.* 3. Hujus folia latiuscula integra sunt, in ambitu spinulis sinuata. Capitulis paucis, præcedentium majoribus, spinis squamarum brevibus armatis donata est.

De aliis quæ a quibusdam Jaceæ nominantur.

Jacea Oleæ folio capitulis simplicibus, C. B. P. Ptarmica Austriaca, Lob. Clus. Ger.

Jacea Oleæ folio capitulis compactis, C. B. P. Jacea pusilla altera folio Oleæ, Lob. vid. Xeranthemum, Cap. 20. Sect. 6.

Jacea tricolor, sive Trinitatis flos, J. B. & Jacea tricolor surrectis caulibus, ejusdem, violæ sunt, & Cap. 3. Sect. 5. Volumine priore quærendæ.

Jacea aromatica aut caryophyllata, Tab. est Serratula.

Jacea aculeata sive tuberosa, Tab. est Cirsium Asphodeli radice.

Jacea maxima, Prosp. Alp. Vid. Centaurium, Cap. 26. hujus Sectionis.

Jaceæ Vires & Usus.

Jacea amariuscula est herba, calido siccoque temperamento prædita. Adversus diuturniores tonsillarum faucium tumores, qui ad suppurationem ægre perveniunt, nulli secunda. Adhærentem faucibus pituitam abstergit, digerit & discutit; tumoresque earum partium cito tollit si decoctum in ore gargarizato diutius retineatur, præsertim mellis rosacei exigua portione addita.

PLANTÆ CAPITATÆ

Foliis lævioribus, & capitulis modice Spinosis.

CAPUT XXXII.

Cnicus sive Carthamus aureus.

CNicus *appellatur* ἀπὸ τῦ κνίζειν, *quod mordere & pungere significat; vel potius dicitur à floris colore croceo;* κνικὸς *exponitur croceus, flavus, rutilus. Carthamus & Carthamum dicitur, quoniam à Mauris, apud quos frequens nascitur, dicitur Kartam & Karten, unde fit terminatione Latina Carthamus. Cnico, & præcipue flore Cnici, subinde adulterari solet Crocus.*

Cnicus sive Carthamus est planta capitata annua, foliis lævibus viridibus, flores producens crocei coloris, & semina candida quadrangularia.

1. Cnicus *sativus, sive* Carthamum *officinarum, C. B. P. Cnicus sive Carthamus sativus, Park. Cnicus, Matth. Dod. Cnecus, Turn. Carthamus sive Cnicus, J. B.* qui bene his verbis describit: Tereti surgit caule, singularique, qui superius in ramos dividitur. Folia per caulem ramosque indigesta, nervosa, glabra, brevi-

bus ſpinulis per ambitum donata, ſeſcunciam aut uncias duas longa, unciam fere lata, in acumen definentia, anguſta cervice ramis adhærent. Ramulorum extremis inſident capita inter folia ſquamata, è quibus *flores* explicantur ſtaminei, ſaturo Croci rubore tincti. Semen pappo adhæret oblongum, album, quadratum, medulla dulci, alba.

Annua eſt planta, quæ variis regionibus in hortis & campis ſata eſt. In Ægypto ſponte naſci creditur. Julio & Auguſto menſibus floret.

2. Cnicus *Creticus laciniatus ſingulari caule, Nobis. Cnicus ſingularis, Proſp. Alp. de Exot.* Naſcitur in Creta unicum caulem à radice producens, rectum, rotundum, ſemicubitalem hinc inde, foliis longis in acutum definentibus, undique crenatis, & ſpinoſis veſtitum; in hujus autem ſummitate caput exſtat inter folia ſpinoſa, Atractylidis magnitudine, in quo exeunt capillamenta denſe crocei coloris ſimul ſtipata, florem conſtituentia; in his vero ſemina alba, Centaurii majoris ſimilia continentur.

De *Cnico cæruleo aſperiore, inter* plantas acanaceas, cœruleos flores producentes, poſtea agemus.

Cnici Vires & Uſus.

Flores & *ſemina in uſum veniunt: flores præterquam quod eleganter Hortos exornant, in obſoniis adhibentur; alvum emolliunt, ad cibos & bellaria tingenda aptiſſimi. Abutuntur autem Myropolæ, dum legitimi Croci ſtamina, ponderis augendi gratia floribus Cnici nefarie adulterant; unde Safflora, Baſtard Saffron, Crocus ſpurius nominitatur.*

Semen ad purgationes aptum, excalefacientis eſt naturæ. Tunditur ut ex eo exprimatur ſuccus, qui cum Hydromelite, aut gallinaceo jure datus, alvum purgat, ſtomacho tamen adverſatur, Dioſc. Auctore, ſed corrigitur, addit Meſues, Aniſo, Galanga, Zinzibere, aliiſque ſtomachicis, quæ non modo ventriculum roborant, ſed & actionem ejus accelerant. Ex Hujus interiore medulla hydragogon celeberrimum & præſtantiſſimum medicamentum conficitur, Diacartamum vulgo nominatum, ad hydropicorum purgationes utiliſſimum. Hujus genuina deſcriptio apud Guidonem Chirurgum exſtat Doct. 1. Tract. 5. vide cætera apud Jo. Bauhinum pag. 80. prioris partis, Tom. 3.

PLANTÆ CAPITATÆ

Foliis lævioribus, & capitulis modice ſpinoſis.

CAPUT XXXIII.

Lappa major ſive Bardana vel Arcium.

LAppa *duci poſſit à λάπτω lambo vel à λαβεῖν prehendere; quod prætereuntium veſtes lambat, ejuſque capitis illis adhæreſcant; dicitur ἄρκειον ſive ϖερσωπὶς aut ϖερσώπιον, id eſt Perſonata, quod hac herba propter amplitudinem foliorum, utpote latiſſimorum uti veteres ſolebant, ſi forte perſonam ſeu larvam induere placuiſſet.*

Lappa ſeu Bardana eſt planta capitata biennis, latiſſimis foliis integris, capitula geſtans ſquamata, quæ hamulis aduncis cincta, prætereuntibus ſolent adhæreſcere.

TABULA XXIX. SECT. VII.

Lappa major
1. *Arcium Dioſcoridis, C. B. P. Bardana ſive Lappa major, Dod. Perſonata ſive Lappa major aut Bardana, J. B. Variat capitulis foliaceis aut roſeis, unde Lappa roſea, C. B. P. & Prod. deſcrip.* ☿.
2. *Montana capitulis tomentoſis, C. B. P. Perſonata altera cum capitulis villoſis, J. B.* ☿. *Variat etiam cum capitulis minus villoſis.*
3. *Flore albo,* ☿
4. *Montana altera lanuginoſa, C. B. P. Arctium quorundam, Lugd.*

1. Lappa *major, Arcium Dioſcoridis, C. B. P. Perſonata ſive Lappa major aut Bardana, J. B. Bardana major, Dod. Ger. Park. Perſonata major, Matth. Caſt.* Planta ſatis obvia, omnibuſque, non ſolum Botanicis, nota. Profert è radice longa, recta, ſatis craſſa & carnoſa, foris nigricante, intus alba, *folia* ſubrotunda aut cordiformia, ampliſſima, pedem unum aut alterum lata, pediculis longis, tomentoſis, adhærentia: *caulis* ex rotundo ſtriatus, bicubitalis, in ramos diviſus, plurima ſuſtinet capitula ſubrotunda, ſquamata; horum ſingulæ ſquamæ hamis reflexis donatæ, obviis veſtibus pertinaciter adhæreſcunt: *flores* ut & in reliquis acanaceis, ex apice erumpunt, ſtaminei, breves, purpuraſcentes, quibus *ſemina* oblonga, ſubfuſca, inter lanuginem latitantia ſuccedunt.

Ad vias publicas, & inter rudera frequenter, menſibus Junio & Julio florens invenitur.

Interdum luxuriat & variat hæc, foliolis viridibus in caulis ſummitate ſimul congeſtis, & quaſi in roſam expanſis; horum autem medietati capitulum inſidet. Plantam hanc tanquam ſpeciem diſtinctam haud recipimus. Ejus mentio & deſcriptio apud *Caſp. Bauh. in Prodromo occurrunt.*

2. Lappa

2. Lappa *major montana capitulis tomentoſis, ſive Arctium Dioſcoridis, C. B. P. Perſonata altera cum capitulis villoſis, J. B.* Hæc antecedenti ſimillima eſt, capitulis præſertim dignoſcitur, quorum ſpinulæ breviores, recurvæ, tomentoſa lanugine, quaſi aranearum telis, eleganter intèrtextæ ſunt, ut fibulas à peritiſſima manu compoſitas, (cum floreſcat planta apicibus ſuis cericeis conſpicua) ſat bene repræſentent.

In montoſis Angliæ variis in locis, æque ac Germaniæ, ſponte naſcitur.

Hujus capitula etiam variant, ſeu degenerant, & minore ſua lanugine, ad vulgarem fere accedunt.

3. Lappa *ſive Bardana major, flore albo.* In hac plus quodammodo quam floris colore à priòribus differentiæ apparet, quem à rubente aut purpuro-rubente, ſponte nato, in album variare, quis ut credat facile inducatur? Hujus vero *folia* ab amplitudine in longitudinem magis ſunt protracta, & acutiora redduntur; capitula quoque minora, ſtamineos *flores* albos, ſemper producere, per plurimorum annorum culturam & aſſervationem, ſatis eſt notum.

Lappa minor, Xanthium Dioſcoridis, *inter heteroclitas poſthac tractanda & quærenda eſt.*

4. Lappa *montana altera lanuginoſa, C. B. P. Arctium quorundam, Lugd. Planta iſthæc, Dalechampio* Auctore, naſcitur in montibus *Allobrogum, radice* craſſa, longa, tenera, candida, foliis multis Verbaſci ſimilibus, averſa parte candidis, & valde lanuginoſis, adverſa viridioribus, & minus villoſis, venoſis: *flos* luteus in capite nitet, craſſo, Scolymi ſimili, non tamen aculeato, ſquamis compacto; atque is tandem in pappos faceſſit: ſemen oblongum, Cumini non diſſimile.

Lappæ ſeu Bardanæ Vires & Uſus.

Lappæ *radices, folia, & ſemina, in officinis uſurpantur: radix moderate reſiccat & diſcutit; eximie diaphoretica eſt, ac diuretica, tenuium eſt partium, cum quodam calore; hinc calculoſis, renum & veſicæ morbo & pleuritide laborantibus commendatur. In Lue venerea curanda egregium habet uſum; adverſus morbos malignos, & canum rabidorum morſus, vim obtinet. Sed de iſtis plura apud Sim. Paul. pag.* 363. *Jo. Bauhin. &c.*

Nota quod radices primi anni, antequam cauleſcat, dum carnoſæ & pingues ſint, in uſum colligendæ ſunt.

Folia digerentis & exſiccantis facultatis ſunt, nonnihil adſtringentia, quamobrem veteribus ulceribus, imo cancris ipſis, utilis eorum applicatio.

Succus herbæ vino veteri in potionem datus, omnes morſus ſerpentum, mirifice ſanat, febricitantes juvat, caloremque optime mitigat: iis qui doloribus articulorum gravantur, podagricis, &c. externa tantum foliorum applicatio mirè confert; tumores quoque placat & commulcet.

Adverſus ſuffocationes, præcipitationes, ac diſlocationes matricis, remedium eſſe præſtantiſſimum, ſcribit Mizaldus; capitique impoſitam, ejus dolorem mitigare dicit Virtembergius.

Caules primo vere erumpentes, dum teneri ſint, deraſo cortice, crudi, coctique prima menſa mandi cæpere, aliis ſolo ſale, aliis oleo acetoque utentibus, in tantum recepta gratia, ut largiſſime à quibuſdam manducentur; calculoſis, & ad urinam ciendam, ſemen augendum, veneremque excitandum, idonei perhibentur.

Semen pulveriſatum, inque vino datum Iſchiadicos mire ſanat, dolorem veſicæ juvat, ut ex Ephem. Germ. An. 3. *Obſ.* 222. *appareat, ubi multum ſalis nitroſi poſſidere, & proinde in podagra curanda, & calculoſis medendis, præſtantiſſimum eſſe facile colligitur.*

PLANTÆ CAPITATÆ

Foliis lævioribus, & capitulis modice ſpinoſis.

CAPUT XXXIV.

Cirſium, ſive Carduus mollis.

CIrſium Κίρσιον, *Spina mollis, quod dolores varicum ſedare parti affectæ alligatum dicitur: hinc deductio nominis quod dolores* Κιρσῶν *ſedet. Italis vocatur Stoppione, quaſi Stoppone, quod capitula in ſummo producat, quæ in pappos ſeu lanuginem ſolvantur, & veluti ſtupa in campis, vento agitata dilabantur agroſque impleant. Ambroſin.*

TABULA XXX. SECT. VII.

- *Cirſium radicibus fibroſis,*
  - *foliis integris*
    1. *Mollioribus ſive haſtato folio, Nobis. Carduus Mollis Lapathi, C. B. P. J. B. Ger.* ⊙.
    2. *Humile montanum Cynogloſſi folio polyanthemum, Raii Synopſ.* ⊙.
    3. *Montanum Cambro-Britan. capitulis compactis Hieracii fruticoſi anguſtis foliis,* ⊙.
    4. *Molle humile & anguſtifolium, Nobis. Carduus mollis humilis & anguſtifolius, J. B. Carduus mollis folio anguſto Cirſii capitulo, C. B. P.* ⊙.
    5. *Sive Carduo-Cirſium minus anguſtifolium capitulis plurimis ampliorib. ſparſis, è Maderaſpata, D. Pluke. Ph.*
    6. *Mollibus ſinuatis, Nobis. Carduus montanus foliis Helenii non ſpinoſis, J. B. Mollis foliis Helenii, C. B. P.* ⊙.
    7. *Lappæ capitulis, C. B. P. & 1. Prod. Park.* ⊙.
    8. *Non hirſutis floribus compactis, C. B. P. Carduus Cirſium Monſpelianum folio longo glabro, Matthiol. J. B.* ⊙.
    9. *Singularibus capitulis parvis, C. B. P. Cirſium tertium montanum, Cluſ. Hiſt.* ⊙.
    10. *Non dentatis viridibus capitulis ſimplicibus, Nobis. Cirſium Baſinenſe.* ⊙.
    11. *Britannicum repens, Cluſ. J. B. Cirſium ſingulari capitulo ſquamato vel incanum alterum, C. B. P.* ⊙.
    12. *Majus ſingulari capitulo magno, vel incanum varie diſſectum, C. B. P. Cirſium Anglicum, Ger. Anglicum primum, Park.* ⊙.
    13. *Anguſtifolium, C. B. P. Cirſium Pan. 1. Cluſii.* ⊙.
    14. *Minus Virginianum ſingulari capitulo, caule folioſo.* ⊙.
    15. *Alpinum foliis minus profunde laciniatis, creberrimis ſpinis oblongis, Raii Hiſt.* ⊙.
    16. *Vel Carduus tricephalos Horti Carthuſiani, Raii Hiſt.*
    17. *Vel Carduus Araeophyllos Dalechampii, J. B.* ⊙.
  - *foliis laciniatis*
    18. *Majus ſingulari capitulo magno, C. B. P. Cirſium 3. Dod.* ⊙.
    19. *Sive Carduus mollior laciniato folio, C. B. P. J. B. Park.* ⊙.
    20. *Viridioribus floribus albicantibus, Nobis. Carduus pratenſis, Tragi, J. B. Pratenſis latifolius, C. B. P. Park.* ⊙.
    21. *Viridibus magis laciniatis floribus albicantibus, Nobis. Carduus pratenſis foliis tenuiter laciniatis, C. B. P.* ⊙.
    22. *Aut Carduo-cirſium maximum profunde laciniatum in foliorum ambitu ſpinis mollibus hirtum, D. Pluke. Phyt.* ⊙.
- *Aſphodeli*
  - *foliis integris*
    23. *Maximum foliis carnoſis bulboſa radice, forte Lutetianum, J. B. Cirſium maximum Aſphodeli radice, C. B. P.* ⊙.
    24. *Foliis latioribus carnoſis viridibus humilius Pyrenaicum.* ⊙.
    25. *Montanum maximum, Park. Cirſium tomentoſum radice bulboſa, quibuſdam Leucacantha Anguillarae, J. B.* ⊙.
    26. *Tuberoſum Mexicanum rotundioribus foliis, Nanacate, Recchi.* ⊙.
  - *foliis aciniatis*
    27. *Majus latioribus viridius, Nobis. Carduus pratenſis Aſphodeli radice latifolius, C. B. P. Vel Carduus bulboſus Monſpelienſium, Park. Carduus bulboſus Monſpelienſium, ſive Acanthus ſylveſtris quibuſdam foliis laciniatis, J. B.* ⊙.
    28. *Viridioribus profunde & tenuiter diviſus, Nobis. Carduus pratenſis fol. profunde & tenuiter laciniatis, C. B. P. Jacea aculeata vel quarta tuberoſa, Tab.* ⊙.

Explicatio Tabulæ Carduorum molliorum ſive Cirſiorum.

1. Cirſium *polyanthemum molliori haſtato folio, Nobis. Carduus mollis Lapathi foliis, C. B. P. J. B. Ger. Carduus mollis vel mollior 2. Cluſ. Pan. & Hiſt.* Pedali aſſurgit *caule*, utcunque craſſo, ſtriato, nonnihil lanuginoſo: *folia* circa radicem majora, *Lapathi* foliis fere ſimilia, aut potius illius plantæ quam vulgo *Totam Bonam*, ſive *Bonum Henricum* cognominant, qua pediculo adhærent latiora & quodammodo anguloſa, extrema vero parte mucronata, in ambitu aliquantulum ſinuoſa, & mollibus veluti aculeis obſita, ſupina parte virentia, prona vero omnino incana, foliorum albæ Populi inſtar, & denſa lanugine obſita, guſtu initio exſiccante, deinde amariuſculo; quæ vero caulem amplectuntur minora ſunt, & anguſtiora, ex quorum ſinu, circa ſummum caulem, ramuli exeunt terna, quaterna aut plura, ſuſtinentes *capitula* ſquamata, *Cyani* aut *Jaceæ* capitulis reſpondentia, quæ dum expanduntur, *florem* promunt ex cœruleo purpuraſcentem, & *ſemen* deinde continent lanugine involutum, *Cyani* ſemini non valde diſſimile, ſed paulo majus, candicans. *Radix* nigra, aliquot tenuibus fibris prædita, dura, vivax, è lateribus propagines ſpargit. Ita deſcripſit hanc plantam Cluſius.

Hoc cirſii genus eruebat idem Cluſius circa ſecundum Sneberg, excelſi admodum montis jugum, inter ſaxa naſcens: deinde etiam in Eyſchero. D. Ed. Lloyd in ſummis rupibus Arvoniæ, fæliciter cum aliis, detexit. Menſe Julio floret.

2. Cirſium *humile montanum Cynogloſſi folio polyanthemum, Raii Synopſ.* Hoc etiam novum *D. Lloyd* debemus, quod antecedenti convenit, *Foliis* exceptis, quæ tres quatuorve uncias longa, non adeo lata baſi, & quaſi

quaſi triangularia cernuntur, ſed Cynogloſſi modo, ex anguſto principio, ad uncialem aut biuncialem latitudinem expanſa, in anguſtum mucronem definunt, ex virore (præſertim ſubtus) albicantia, in ambitu modice ſinuata: *capitula* plurima parva, ſquamata, caulis pedalis apici inſident; ex his autem *flores* purpuraſcentes, ut in pleriſque hujus familiæ, emergunt.

3. Cirſium *montanum Cambro-Britannicum capitulis compactis Hieracii fruticoſi anguſtis foliis, Nobis. Cirſium montanum polyanthemum, ſalicis folio anguſto denticulato, Raii Synopſ.* In *Alpibus Britannicis, v. g. Clogwyn y Garnedh yſcolion duon, &c.* prædictus *D. Lloyd*, indefatigatus, hoc cum præcedentibus raris, ſponte naſcentibus invenit. *Caulis* pedalis aut altior; huic autem folia anguſta, digitalis longitudinis & latitudinis, in mucronem exeuntia, in margine denticulationibus raris donata, & Hieracii anguſtifolii ſimilia, inordinatim ſparguntur: *capitula* exigua, octo vel decem, aut plura, præcedentium more, ſimul congeſta ſunt, purpureos *flores* emittentia, qui in pappos ſolvuntur.

4. Cirſium *molle & anguſtifolium humilius, ſingulari capitulo, Nobis. Carduus mollis humilis & anguſtifolius, J. B.* Humilius hoc eſt, neque palmarem altitudinem excedit, caule non minus craſſo quam ſuperiorum, multis longis *foliis* exornato, ſuperne etiam virentibus, inferne cana lanugine veſtitis, & molles quaſdam ſpinas in ambitu obtinentibus: ſummo *cauli* inſidet ſingulare capitulum ſquamatum, majus quam præcedentium capita, ex quo *flos* multa lanugine ex cœrulea purpuraſcente pubeſcens exoritur.

Creſcit in ſummis Snealben jugis; & menſibus Julio & Auguſto florens invenit Jo. Bauhin.

5. Carduo-Cirſium *minus anguſtifolium, capitulis plurimis amplioribus ſparſis Maderaſpatanum, D. Pluke. Phyt. part.* 3. Nova hæc planta, Indiæ Orientalis alumna, *folia* profert biuncialia, vix pollicem lata, ex anguſta baſi pediculove ſeſe dilatantia, & mucronata, plana, & fine minima in ambitu inciſura, *cauli* tereti, inæquali exortu adhærentia: *Caulis* cis ſummitatem in plures partes ſe dividit, quarum ſingula *capitulum* è laxatis ſquamulis externis, & *floſculis* ſtamineis internis, compoſitum ſuffulcit.

6. Cirſium *radice fibroſa, foliis integris mollibus & ſinuatis, Nobis. Carduus mollis foliis Helenii, C. B. P. Carduus montanus foliis Helenii non ſpinoſis, J. B. Camerar. Cluſ. Hiſt.* Genus elegans, præaltum, & *radice* ſerpente, eſt: *folia* ſunt ampla, oblonga, denticulationibus profundis & acutis ſinuata: *flores* ſinguli vel *capitula* ſummos caules occupant.

In Horto cultiſſimo C. V. Joachimi Camerarii Norimbergæ, Cluſius obſervavit.

7. Cirſium *ſive Carduus mollis latifolius Lappæ capitulis, C. B. P. & Prod. Caule* eſt cubitali, ſtriato, brevibus & mollioribus ſpinis armato: *foliis* Rumicis forma, tenuibus, lævibus, venoſis, palmum longis, uncias quatuor latis, ad margines exiguis ſpinulis dentatis: *caulis* ſummitas in pediculos breves unciales abit, quorum ſinguli *capitulum* Lappæ vulgaris forma, ejuſque fere magnitudinis ſuſtinent; hoc autem in ſtamineum purpureum *florem* expanditur.

Hoc D. Burſerus in Auſtriæ monte Taurero Raſtadienſium legit.

8. Cirſium *foliis non hirſutis floribus compactis, C. B. P. Carduo-Cirſium Monſpelianum folio oblongo glabro, Matthiol. J. B. Cirſium* 2. *Dod. Quartum vel montanum ſecundum, Cluſ. Pan. & Hiſt. Radix* & ima *folia* (inquit Lobelius) *Dipſaci* modo & ortu, *Bugloſſi* anguſtifolii acutiora, & levibus, hirſutiſque ſpinis aſperiora, longiora, viridia: *caulis* ut plurimum ſingularis binos ternoſve cubitos æquat, anguloſus, rectus, incanus, tener, Sonchi modo: E *caulis* ſumma parte emergunt *flores* rotundis oblongis capitulis Cardui, purpureis, denſis conflati ſtaminibus, in pappos definentibus, relicto exiguo, oblongo, Cardui ſemine fulvo.

Monſpelii variis locis obſervatur, v. g. juxta molendina in locis vadoſis Lani amnis; pratenſibus lacuſtribuſque littoreis variis, ſponte naſcitur.

9. Cirſium *majus ſingularibus capitulis parvis, C. B. P. Cirſion, Dod. Cirſium tertium, Cluſ. Pan. & Hiſt. Folia* Profert à fibroſa radice, oblonga, Centaurii majoris non laciniati æmula, viridia, dentata, ſatis carnoſa, in ambitu crebris aculeis prædita: *caulis* cubitalis aut bicubitalis eſt, ſtriatus, quem alternatim ambiunt folia minora, latiore pediculo eum amplectentia; horum autem marginibus veſtientibus, *caulis* quaſi alatus apparet; ſummus caulis in hiſpidum, multiſque ſquamulis imbricatum caput definit; è quo *flos* producitur, frequenter dependens.

Menſe Junio florens, in montanis ſylvis Pannoniæ, & ſupra Badenſes Thermas, & vicinis locis Cluſius invenit.

10. Cirſium *foliis non dentatis viridibus capitulis ſimplicibus, Nobis. Cirſium Baſinenſe, Hort. Amſtel.* Hoc *folia* profert Bugloſſi ſimilia, obtuſiora tamen, marginibus rectis non dentatis, in ambitu pilis rigidiuſculis donata, viridia: *caulis* bicubitalis aut tricubitalis, anguloſus, raro ramoſus, *capitulum* gerit ſingulare, ſquamoſum, haud magnum, floribus aliis conſimilibus donatum, quod ex Horto Amſtelodamenſi pro *Cirſio Baſinenſi* collectum habemus.

11. Cirſium *Britannicum repens foliis majoribus ſubtus incanis, Nobis. Cirſium ſingulari capitulo ſquamato, vel incanum alterum, C. B. P. Cirſium Anglicum* 2. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Britannicum Cluſii repens, J. B. Cirſium aliud Anglicum Pennæi.* Hujus *folia* pedalem aut ſeſquipedalem longitudinem, palmaremque latitudinem acquirunt, in mucronem ſenſim definentia, candida lanugine ex adverſa parte tecta; ab averſa, viridia apparent, ſpinulis exiguis in margine dentatis: *Caulis* aſſurgit cubitali aut amplior, cum paucis foliis appoſitis: ejus autem ſummitas *capitulum* unicum unciale ſuſtinet, floribus purpuro-rubentibus donatum: *radix* craſſis fibris rependo ſe propagat.

In montoſis, ad montium radices Eboraci & Weſtmorlandiæ & comitatibus aliis Angliæ borealibus ſponte naſcitur.

12. Cirſium *majus ſingulari capitulo magno, vel incanum varie diſſectum, C. B. P. Cirſium Anglicum radice Hellebori nigri modo fibroſa, folio longo, J. B. Cirſium Anglicum, Ger. Anglicum primum, Park.* In paludibus noſtris, lociſque quibus terræ glebellæ effodiuntur combuſtibiles, ſatis frequenter reperitur hoc *Cirſium*, *radice* fibroſa albida, repente donatum: *folia* exeunt humi ſtrata, tres quatuorve uncias, aut amplius longa, binas in medio lata, ex virore ſuperne albeſcentia, prona parte lanugine candicante obſita, margine ſpinulis fere innoxiis armato; ex horum centro *caulis* erigitur pedalis aut bipedalis, ſtriatus, ſubfuſcus, cui unum aut alterum affigitur foliolum magis diviſum, è cujus ala, cauliculus alter interdum aſſurgit, nudus: ſummo cauli

insidet *capitulum*, mediocris magnitudinis, squamatum, cum *floribus* purpureis, ut in aliis, qui in pappos mensibus *Julio* & Augusto dehiscunt.

13. Cirsium *angustifolium non laciniatum, C. B. P. Cirsium Pannon. 1. pratense, Clus. Hist.* Hoc à præcedenti non multum abludere videtur quantum ex Clusii descriptione colligimus; *folia* tamen plura *cauli* adnascuntur & in caule altius ramificantur.

14. Cirsium *minus Virginianum singulari capitulo, caule folioso. Caulis* assurgit gracilis, pedalis aut sesquipedalis; huic inordinatim *folia* nascuntur numero 26. aut 28. plus minus, quorum inferiora triuncialem longitudinem, & semiuncialem latitudinem obtinent, sed assurgentia minora gradatim redduntur, superne viridia, inferne candida lanugine obsita, spinulis plurimis in ambitu dentatis: *caulis* apici capitulum innascitur, ex rotundo oblongiusculum, ex squamulis acutis confectum, unde *flos* exilit purpureus, ut in aliis.

Hujus exemplar cum aliis, in Horti nostri sicci ornamentum, à D. J. Banister è Virginia communicatum est.

15. Cirsium *Alpinum, foliis minus profunde laciniatis, creberrimis spinis oblongis, Raii, Hist.* Hanc speciem in *Alpibus Carinthiacis*, & circa *Augustam Vindelicorum* observavit prædictus *D. Raius. Foliis* est ad radicem pluribus, palmum aut sesquipalmum longis, unciam aut sescunciam latis, acuminatis, obscure virentibus, glabris, ad margines leviter, nec profunde incisis, creberrimis, & oblongis, acutis, sursum modice inflexis spinis horridis: *Caulis* ejusmodi foliis, sed angustioribus & minoribus donatur, & spinosis fimbriis armatur, inque ramos dividitur, in prælongos, tenues, hirsutos pediculos desinentes; horum autem singuli singula *capitula* parva, purpureis *floribus* conspicua, calyce squamis brevibus non aculeatis compacto, sustinent.

16. Carduus *tricephalos Horti Carthusiani, D. Raii.* qui in Historia sua hunc in modum descripsit: Erat, ait, satis procerus, *foliis* ad radicem integris *Cirsii*, pari modo circa margines spinulis brevioribus & minoribus cinctis. *Caules* & ramuli fimbriis spinosis ad capitula usque excurrentibus aucti, tria insigniora capitula, parva, brevia, latiuscula, sessilia, squamulis innoxiis obsita, singuli sustinent. Insigniora dixi, nam & alia præterea pusilla, rudimenta potius capitulorum quam capitula majoribus agglomerata observavi. *Floret* purpurei.

17. Cirsium *Carduus araeophyllos dictus, Dal. J. B. Carduus tomentosus capitulis minime aculeatis, J. B.* quod *caulis* angulosus est, & rarius foliis vestitur. Huic folia ex intervallis singula longiuscula angusta, Oleæ similia, paucis & mollibus spinulis aspera, prodeunt in *caule* tereti & angulosо, pedem alto, in cujus summo quatuor aut quinque conspicias capitula subalbida, minime aculeata, sed lancinularum positu, ordinibus, & scansili inæqualitate levissime tantum attrectantium manus scabentia: *flos* purpureus est: *semen* parvum oblongum, inter omnia Carduorum genera molliſſima & longissima lanugine reconditum: *radix* fibrosa.

Cirsium sive Carduus mollis fibrosa radice laciniatus.

18. Cirsium *majus singulari capitulo magno, C. B. P. Cirsium majus, Lob. Cirsium tertium, Dod.* Tota sua stirpe spinosum est. Folia profundis incisuris secta, durissimis & acutissimis spinis horrent, colore virentia, medio tamen candicante nervo; capitula nutant quoque; *flosculi* purpurei; caules crassi, membranacei, & angulosi.

19. Cirsium *sive Carduus mollis laciniato folio, C. B. P. J. B. Park. Carduus mollis tenuifolius, Cam. Carduus mollior, Clus. Pan. & 1. Hist.* qui his verbis descripsit: Multa secundum *radicem* habet *folia*, cum humi sparsa & jacentia, tum surrecta, inferne cana mollique lanugine obsita, superne virentia, valde laciniata, & ad medium usque nervum dissecta, *Calcitrapæ* sive *Cardui muricato capite*, mollioribus & tenerioribus foliis pene similia, nullis tamen spinis horrentia: è quorum medio, unus aut alter *caulis* assurgit cubitalis aut altior, teres, rotundus, striatus, purpurascens, & molli quadam lanugine obsitus; quæ vero folia supremum caulem ambiunt, oblonga, angusta, nullis laciniis divisa, mucrone ut plurimum purpurascente: Extremi *caules* in aliquot ramos interdum dividuntur (magna tamen ex parte singulares sunt, unicumque sustinent caput) qui *capitula* sustinent, ex multis tenuibus squamis imbricatim dispositis compositа, molliter echinata; horum medium occupat stamineus & villosus *flos*, coloris purpurei elegantissimi: flori flaccido & evanido succedit *semen* angulosum: *radix* digiti crassitudinem nonnunquam æquat, subfusca, longa, aliquot fibris donata.

Invenitur tota illa catena montium, quæ à Calenberg & Danubio, ad Alpes usque extenditur, aliisque circiter locis. Floret Mense Maio: semen perficitur Mensibus Junio & Julio.

20. Cirsium *fibrosum foliis latioribus divisis viridibus floribus albicantibus, Nobis. Carduus pratensis, Tragi, J. B. Pratensis latifolius, C. B. P. Park. Brassica pratensis, Lonicer. Acanthus sylvestris, Lugd. Caulis* striatus, glaber, trium quatuorve cubitorum altitudine, cui *folia* ex longis intervallis adnascuntur, pallide virentia, alia cubitum longa, alia palmum, alia satis profunde laciniata, alia duntaxat serrata, mollia, tenera, & viridia: ramis in quos caulis finditur insident capita satis magna, simul multa congesta, mollia, è quibus *flores* exeunt ex flavo pallescentes: *semen* Cnici minus: *radix* crassa fibris subpositis.

Copiose invenitur ad ripam Dubis inter Longueville & Bavans; etiam in pratis Rheno vicinis, prope Argentoratum, Basileam, aliisque in locis.

21. Cirsium *fibrosum foliis angustioribus viridibus floribus albicantibus, Nobis. Carduus pratensis foliis tenuibus laciniatis, C. B. P. Erisithales, Anguill. Lugd.* Hoc à præcedente, tenuitate *foliorum*, eorumque frequentioribus laciniis, facile dignoscitur.

22. Carduo-Cirsium *maximum profunde laciniatum, in foliorum ambitu spinis mollibus hirtum, D. Pluk. Phytograph. part. 3. Caulis* erigitur teres, molli hirsutie pubescens, cui raro & per intervalla apponuntur *folia* satis ampla, longa, profundis denticulationibus seu incisuris, æquali ordine divisis, & Polypodii foliorum modo, raro subdivisionem passa, spinulis tenuibus per totum circumactis: *caulis* summum capitulis tribus aut pluribus, squamosis, absque pediculo ornatur, sessilibus, è quibus *flores* purpurei, ut in aliis, extruduntur.

23. Cirsium *maximum foliis carnosis bulbosa radice, forte Lutetianum, J. B. Cirsium maximum Asphodeli radice, C. B. P. Maximum montanum incano folio, bulbosa radice, 5. Clus. Hist.* In cubitalem & majorem altitudinem excrescit, pollicaris crassitudinis, caule striato, incana tomentaceaque lanugine obsito: *folia* illi magna,

magna, carnoſa, ſucci plena, viridia, in ambitu dentata, mollibuſque ſpinis hirtâ: *capita* in ſummo caule, ſummiſque ramis ſquamata, ſatis magna, quæ in ſtamineos purpureo colore nitentes flores expanſa, maturitate in pappum reſolvuntur: *radix* multis craſſis fibris, Aſphodelinos bulbos fere referentibus, & oblongis firmatur.

24. Cirſium *foliis latioribus carnoſis viridibus, humilius Pyrenaicum, Hort. Paris.* Præcedenti convenit hoc; humilior vero eſt planta; *folia* ſunt latiora, viridia, præſertim ea quæ *caulem* amplectuntur, quibus diſcriminandum eſt.

A Clariſſ. D. Sherard ſemina tranſmiſſa habemus.

25. Cirſium *tomentoſum radice bulboſa, quibuſdam Leucacantha Anguillaræ, J. B. Cirſium montanum maximum, Park. Cirſium majus ſingularibus capitulis, Cam. Cirſium maximum aſphodeli radice, Ger. Cirſium tomentoſum radice bulboſa, quibuſdam Leucacantha Anguillaræ, J. B.* Ex eodem capite multæ pendent radices, Pæoniæ vulgaris more, candidæ, guſtu fere inſipido; unde *folia* primum promuntur dodrantalia, & cubito longiora, mollia, incana lanugine ſupra infraque obducta, per ambitum laciniata, ſpiniſque mitioribus obſita: poſt *caulis*, & is quoque folioſus, attollitur craſſus, lanuginoſus, inque ramos diviſus: *flores* ſingulis pediculis inſident ſinguli, nutabundi, Cirſii vulgaris, ad rubentem colorem tendentes, & è capitulo ſquamoſo emicantes, & in pappos abeuntes, ſemen relinquunt parvum, album. *J. B.*

Tota æſtate floret. Natales ignoramus; in Hortis Curioſorum reperitur.

Cirſium ſive Carduus mollis radice tuberculis donata ſeu Aſphodeli.

26. Cirſium *tuberoſum Mexicanum rotundioribus foliis, flore luteo; Nanacace, Recchi, Hiſt. Mex.* Nanacace, ſeu planta anguloſa, herba eſt, *folia* Vitis viniferæ ſimilia ferens, ſed aliquantulum oblonga, & in purpureum colorem vergentia; *caulem* unicum purpureumque: *flores* juxta acumen luteos, ſquamoſis, oblongiſque contextos calycibus: *radicem* vero craſſam & brevem, in *Ponticarum Nucum* quandam ſimilitudinem, velut diviſam, fibratam, obrutamque lanugine.

Provenit montoſis locis, ac temperatis. Recchi.

27. Cirſium *latioribus foliis viridibus laciniatis radicibus Aſphodeli, Nobis. Carduus pratenſis Aſphodeli radice latifolius, C. B. P. Vel Carduus bulboſus Monſpelienſium, Park. Carduus bulboſus Monſpelienſium, ſive Acanthus ſylveſtris quibuſdam foliis laciniatis, J. B. Folia* Acanthi ſeu Branchæ urſinæ foliis aliquatenus ſimilia, admodum nigricantia, paulum hirſuta, vel potius tomentoſa, craſſiuſcula, cum ſpinulis in extremitatibus laciniarum, pediculis ad radicem rubeſcentibus; *caules* bicubitales, rubentes imprimis parte ima; horum autem ramis longis capita inſident aliquot Cirſii capitibus ſimilia, *floribus* purpuraſcentibus donata: *radices* ex uno capite plures dependent turgidulæ, bulbos imitatæ.

Menſe Maio florens in pratis circa Monſpelium & in locis udis ſponte naſcitur.

28. Cirſium *Aſphodeli radice foliis viridioribus profunde & tenuiter diviſis, Nobis. Carduus pratenſis Aſphodeli radice foliis profunde & tenuiter laciniatis, C. B. P. Carduus dictus Cirſium folio laciniato nigrius, J. B. Acanthus ſylveſtris alter, Dal. Lugd.. Cirſium* hoc laciniatis ſpinoſiſque membranis caulem ſtriatum ornantibus donatur: at vero *folia* palmum aut ſeſquipalmum longa, glabra, nigricantia, profundis Carlinæ vulgaris laciniis inciſa, rigidioribus ſpinis horrentia: ſcapi folioſam & ſpinoſam fimbriam habent, & in longos ramos dividuntur, in quorum extremitatibus *flores* purpurei, & *capita* ſquamata ſingularia, unde flores emicant.

Menſe Junio cum flore reperitur circa lucum Gramuntium, & in marginibus ſatorum circa Mommau, & Salenovam. Magnol.

Cirſii Vires.

De viribus Cirſii parum dicendum eſt: exſiccandi facultatem obtinet. Radicem adalligatam varicum dolores ſedare Andreas ſcripſit, ut Dioſcorides refert. Vid. Dod. p. 738. Folia viridia Cirſii decimi noni tenera ſunt, & inter olera, pro cibo, à quibuſdam expetuntur.

PLANTÆ PAPPESCENTES

Capitatæ, ſquamatæ, ſpinoſæ, aculeigeræ, ſive Cardui proprie dicti.

CArduus *dicitur à caro, vel ex carpo, vel à κείρω ἔκαρον, tondeo, Scalig. ob ſpinas quibus radit, utpote ad lanas carendas aptus; quod tamen ad dipſacum, Carduum Fullonum dictum, magis proprie pertinere videtur.*

Quemadmodum Ακανθος Ακανθα & Ακανς apud Theophraſt. 6. Hiſt. 1. & lib. 6. c. 4. generaliter omnem ſpinam denotat; ſic & Σκόλυμος, Græcorum, Latini Carduum generaliter interpretantur. Sunt vero plurimæ plantæ aculeigeræ quæ Carduorum nomina obtinuerunt, & à quibuſdam aliæ etiam denominationes nonnullis eorum tributæ ſunt, v. g. *Acanthii*, ab Ακανθα ſpina, quod Spinam albam tomentoſam nominavit Caſp. Bauh. Eſtque Carduus ſylveſtris, Cæſalp. *Cinaræ*, à cinere quo lætatur, qui ab aliis Carduus domeſticus, ſive Scolymus dicitur; *Acani* & Ακάνς (unde plantæ acanaceæ omnes appellantur) qui & inter Φυλλάκανθα recenſetur; *Chamæleontis*, à foliorum varietate, quæ nunc viridia, nunc albicantia, cœrulea, & rubra inveniuntur, & maculata;

maculata; *Carlinæ*, quaſi *Carolinæ*, quod credatur hæc herba *Carolo magno* ab Angelo demonſtrata fuiſſe, tanquam certiſſimum remedium ad peſtem ab exercitu ſuo propulſandam; *Atractylidis*, dictæ quod ea antiquæ mulieres pro fuſo uterentur; ἄτρακτος enim fuſum ſignificat. Aliæ porro numerandæ ſunt appellationes, quæ ad Carduos proprie attinent; & ut clarius appareant varia eorum genera, hunc ordinem proponemus: *Cardui* ſunt vel ἀκανώδης, polyacanthi caulibus alatis & ſpinoſis, vel caulibus nudis; floſculos ferentes fiſtuloſos, rubentes, violaceos, luteos, vel Xeranthemos non fiſtuloſos. Qui vero *Cardui impropriè* dicuntur, capitati ſunt & ſquamati, pappo deſtituti; de quibus ordine ſecundum titulos proprios, paragraphos, & capita agemus.

Carduus eſt planta capitata, pappeſcens, undique & foliis & cacuminibus muricatis, ſquamis atrociter ſpinoſis armata, floſculis fiſtuloſis ut plurimum donata.

CAPUT XXXV.

Cardui polyacanthi, ſeu caulibus alatis, capitulis majoribus, & minoribus, floſculis rubentibus fiſtuloſis.

TABULA XXXI. SECT. VII.

Carduus polyacanthos, ſive ἀκανώδης *floribus rubentibus, capitulis,*

majoribus
1. *Sive Acanthium vulgare, Tab. Park. Spina alba tomentoſa, C. B. P. Acanthium album, Ger. Spina alba ſylveſtris Fuchſio, J. B.* ☿.
2. *Acanthium Syriacum dictum capitulis majoribus,* ☿.
3. *Acanthium Illyricum, Adv. Lob. Park.* ☿.
4. *Acanthium Illyrico accedens capitulis minoribus flexuoſis, Moriſ. Prælud.* ☿.
5. *Acanthium tomentoſum altiſſimum Luſitanicum, Hort. Reg. Par.* ☿.
6. *Moſchatus major capite nutante, Nobis. Moſchatus Ger. Avenarius ſive Moſchatus, C. B. P.* ☿.
7. *Lanceatus latifolius, C. B. P. Lanceatus, Tab. Ger.* ☿.
8. *Lanceatus ſuperficie folii ſpinoſa, Nobis. Lanceatus ferocior, J. B.* ☿.
9. *Lanceatus anguſtifolius, C. B. P. & Prod.* ☿.
10. *Spinoſiſſimus ſphærocephalus rigidis aculeis armatus, C. B. P.* ☿.

minoribus
11. *Pluribus nutantibus ramoſior, Nobis. Carduus caule criſpo, J. B. Onopyxos, Park. Onopordon, Dod.* ☿.
12. *Spinoſiſſimus erectus anguſtifolius paluſtris, Nobis. Carduus paluſtris, C. B. P. & Prod.* ☿.
13. *Longioribus & tenuioribus, foliis albicantibus, Nobis. Carduus ſylveſtris 3. Dod. Carduus Acanthoides, J. B.* ☿.
14. *Pycnopolycephalus ſylveſtris, Triumfetti,* ☉.
15. *Pycnopolycephalus paluſtris, Triumfetti,* ☉.
16. *Salmanticenſis ſpinis longioribus flavis, Nobis. Chamæleon niger Salmanticenſis, Cluſ. Hiſt. Dod. Ger.* ☿.
17. *Galactites, J. B. Leucacantha Monſpelienſ. Dal. Lugd.* ☿.
18. *Cirſioides Alpinus Carlinæ vulgaris folio, Nobis. Carduo-Cirſium Alpinum Carlinæ vulgaris folio, & caule alato, ſpinis rigidioribus armato, D. Pluke. Phyt.*

Cardui polyacanthi, ſeu caulibus alatis.

1. Carduus *alatus tomentoſus latifolius vulgaris, Nobis. Acanthium vulgare, Tab. Park. Acanthium album, Ger. Spina alba tomentoſa latifolia ſylveſtris, C. B. P. Spina alba ſylveſtris Fuchſio, J. B.* Ad tres quatuorve cubitos profert caulem ſtriatum, tomentoſum, cui membranæ per longum adnatæ, valde ſpinoſæ, ſinuatæ, albicante villo abductæ; his continuantur *folia* pedalia & ampliora, ſinuata, ſpinis horrentia, ſimiliter utrinque villoſa & candida, potiſſimum minora, priuſquam excreverit caulis: capita extremis ramorum hærentia, mordacia, florem explicant purpuro-rubentem, rarius album, ex pluribus floſculis fiſtuloſis conſtantem, his evanidis ſuccedunt ſemina rugoſa, majora, pappo criſtata, & lanugine involuta. *Radix* tenera, alba, in adoleſcente planta ſubdulcis; cauleſcente, lignoſa & durior.

Naſcitur paſſim in Anglia, Gallia, Germania, ſecus vias, & ad foſſas. A menſe Junio in Auguſtum uſque furet, altero à quo natus eſt anno. Seminibus perfectis radix perit.

2. Carduus *tomentoſus anguſtifolius Acanthium dictum Syriacum capitulis majoribus. An Carduus tomentoſus capitulo majore, C. B. P.? Spina Arabica, Dioſc. & Plinii, Cæſ.* Hic antecedenti accedit, niſi quod folia anguſtiora, magiſque ſunt laciniata; capita quoque producit majora, & flores ad cœruleum tendentes.

Ex Halepo habemus.

3. Carduus *tomentoſus Illyricus procerior, Nobis. Acanthium Illyricum, Park. Spina alba tomentoſa altera ſpinoſior, C. B. P. Carduus quibuſdam dictus Acanthium Illyricum, aliis vero Onopordon, J. B.* Magnam habet hic cum primo ſimilitudinem: folia tomento candicante ſimiliter obducta, profundius diſſecta, tota ſpinis armata:

armata: caulis membranaceis alis aculeatis, ſex ſeptemve cubitorum altitudine, in extremis ramis *flores* gerit purpurantes, ex echinatis ſimilibus capitulis naſcentes.

Provenit ſponte in Dalmatia, Illyrio, & Sclavonia. Æſtate floret, & Autumno ſemen perficit, & perit.

4. Carduus *Acanthium Illyrico accedens, capitulis minoribus flexuoſis, D. Moriſ. Prælud.* Priori adeo accedit, ut niſi propius intuenti, non animadvertatur differentia; caules emittit, non tam ſpinis armatos; capita habet minora, quaſi cernua, & flexuoſa.

5. Carduus *Acanthium dictus altiſſimus Luſitanicus, Hort. Reg. Par.* Acanthio vulgari ſimilis eſt hic Carduus, niſi quod folia habeat magis incana, majora, albidiora, denſiore lanugine obducta; caules emittit altiores, imo decem aut duodecim pedes altos; capita etiam minora; cæteris ei convenit.

6. Carduus *alatus major flore rubro moſchato, capite nutante, Nobis. Carduus nutans, J. B. Carduus moſchatus, Ger. An Carduus ſpinoſiſſimus latifolius ſphærocephalus vulgaris, C. B. P.?* Hic carduus ſatis vulgaris, caulem habet bipedalem, aut altiorem vel humiliorem, ſecundum ſolum cui innaſcitur, valde alatum, undulatum, ſpinoſum undique; *folia* ſunt oblonga, pallida, laciniata, undique, quemadmodum & caules, ſpinis armata; in ſummis plurima proveniunt capita ſpinoſa, ſquamata, cernua ſeu verſus terram propendentia, moſchum redolentia; ex pluribus floſculis tubuloſis ſeu fiſtuloſis rubentibus, aliquando albis, *flores* compoſitos habet, ſatis magnos.

Provenit paſſim ſecus margines viarum, ſcrobiumque, & incultis agris.

7. Carduus *lanceatus latifolius, C. B. P. Park. Lanceatus, Ger. Lanceolatus, Tab. Carduus Lanceolatus, ſive ſylveſtris, Dod. J. B.* Hic caulem habet erectum, undique membranaceis alis, ſpinulis ornatis cinctum, bicubitalem, cui ſparſim adnaſcuntur folia perlonga, per intervalla pluribus foliolis ſpinoſis cincta, adeo ut ſingulorum foliorum mucrones in aculeum deſinentes, una cum coalitu foliorum aculeatorum, lanceæ extremitatem perfecte demonſtrent, unde illi nomen. *Capitula* profert aculeata, pollicaris craſſitudinis, è quibus *flores* ut in cæteris, purpuro-rubentes, & aliquando albi, emittuntur.

In paſcuis incultis & neglectis ubique fere obvius eſt. Menſibus Junio & Julio floret.

8. Carduus *lanceatus folii ſuperficie ſpinoſa. Carduus lanceatus ferocior, J. B.* Antecedenti convenit hic Carduus, niſi quod folia lanceam referentia, in acutum deſinentia, ſuperficie ſpinulis ſunt obſita, & averſa parte qua nervus rigidus in medio ſeu coſta percurrit ſpinis rigidioribus armata ſunt, quibus ab altero facile dignoſcitur.

In campeſtribus circa montem Lupi, haud longe à Monſpelio, aliiſque circiter locis invenitur.

9. Carduus *lanceatus anguſtifolius, C. B. P. & Prod. Park.* Huic folia circa caulem anguſtiora ſunt (mucrones autem foliorum latiores) ſaturatius viridia ſupra, & hirſutie incana infra: capita ſunt magna ſquamata, ſpinoſa, priorum ritu, fere protrudentia *flores* purpureos, nonnunquam albos. Nam familiare eſt omnibus Carduis, ut plurimum flores rubros producentibus interdum producere albos.

10. Carduus *ſpinoſiſſimus ſphærocephalus rigidis aculeis armatus, C. B. P.* Hujus ſemen (ut ait) *Cardui Arabici* nomine miſſum fuit. Excrevit caule criſpo, cubitum ſuperante, foliis latis, longitudine palmum excedentibus, per caulem rarioribus; capite eſt rotundo, ſuperne æquali, ſpinis oblongis atrociter pungentibus armato; flore albo odorato, in cujus lanuginoſo capitulo ſemen continetur ſtriatum, & tranſverſim caniculatum.

11. Carduus *polyacanthos capitulis pluribus nutantibus ramoſior, Nobis. Carduus caule criſpo, J. B. Carduus Aſininus ſive Onopyxos, Ger. Onopyxos, Park. Carduus ſylveſtris primus, Dod. Pempt. Carduus ſpinoſiſſimus latifolius ſphærocephalus vulgaris, C. B. P. Polyacantha Theophraſti, Tab.* Bipedalem aut tripedalem attingit altitudinem; caulem etenim habet quatuor aut quinque membranulis ſpinoſis, viridibus alatum; folia laciniata, obſcurius virentia, in mucronem non adeo acutum deſinunt; capitula in ſummis longioribus ramulis inſident, plurima, haud magna, ſquamata, nec rigidis, ſed imbecillioribus ſpinulis armata, nutantia, è quibus *floret* rubros, ſtamineos, parvulos emittit.

Provenit in aggeribus, foſſis, aliiſque neglectis locis, circa ſuburbiorum, urbium, & villarum foſſas. Menſe Junio floret.

12. Carduus *ſpinoſiſſimus erectus anguſtifolius paluſtris, Nobis. Carduus paluſtris, C. B. P. & Prod. Onopyxos alter, Lugd. Carduus polyacanthos tertius, Ger. Carduus ſpinoſiſſimus anguſtifolius vulgaris, C. B. P. Agriocantha, Ruellii.* Ad bicubitalem & tricubitalem præterpropter altitudinem, commodum ſolum nactus aſſurgit hic Carduus, caule recto, digitali craſſitie, ſubhirſuto, ex purpureo viridante, membranis laciniоſis ſpinoſis criſpo, implexu undulatis, per longitudinem adnatis donato, fiſtuloſo, multis alis concavo; *folia* ſinuata, dodrantalia aliquando, ſed fere minora, atrovirentia, hiſpida, aculeis mordacibus crebris pungentia; *flores* ſimul aliquot minores junguntur, ex pluribus floſculis fiſtuloſis, rubris, quinquefariam in limbo diviſis, cum ſtylo è medio fiſtularum bifido exeunte. His autem ſingulis evanidis, ſingula ſuccedunt *ſemina* pappoſa, vento avolantia; *capitulum* ex quo floſculi emergunt, vix Avellanæ magnitudinem excedit, ſpinis mollioribus obſitum.

In humidis, ſylvis umbroſis, & paluſtribus, paſſim occurrit; & erecto caule, minime ramoſo, facile dignoſcitur.

13. Carduus *polyacanthos capitulis longioribus & tenuioribus, foliis albicantibus, Nobis. Carduus polyacanthos ſecundus, Ger. emac. Carduus Acanthoides, J. B. Carduus ſylveſtris tertius, Dod. Carduus ſpinoſiſſimus capitulis minoribus, Phyt. Bot.* Carduus hic primo vere florens in ſuburbiorum & villarum foſſis, aggeribuſque, vix bipedalem excedens altitudinem apparet; caules multos ex eadem radice protrudit, undique alis tenuibus cinctos; *folia* habet ſatis lata, ſubhirſuta, ex albo viridia, in margine laciniata, & ſpinulis armata, levibus & obſcuris lineis è terra orta, antequam cauleſcant, in ſuperiore parte notata, deinde arcte caulem amplectentia; in ſummitatibus caulium, in multa brachia tomentoſa albedine diductorum, proveniunt *capitula*, plura ſimul juncta, ſquamata, ſpinoſa, oblonga, & tenuia. Ex horum ſingulis oriuntur *flores* parvi elegantis dilute purpurei coloris, qui cito poſt convertuntur in pappos, adjunctis infra ſeminibus parvis & oblongis, quæ vento ablata ſeſe multiplicant.

14. Carduus *pycnopolycephalus ſylveſtris, Triumfetti.* In umbroſis ſylvis, ultra Tuſculanos agros extenſis, reperit *Cl. D. Triumfetti* Carduum hunc ante inauditum, qui à radice perenni, pollicari, recta, multa

protrudit folia, pediculis brevibus adhærentia, humi ſtrata, palmum pene longa, unciamque lata, ſubtus lanugine candida incana, ſupra vero atrovirentia, cum maculis lineiſve albis obſcure inſcriptis, in aculeum deſinentibus; & prope extremum foliorum ambitum, taliter ordinantur laciniæ, cum ſpinis ſuis, ut ipſa veluti criſpatis oris evadant. *Caulis* anguloſus, ſpinoſis membranulis alatus, ad duorum fere cubitorum altitudinem aſſurgit, modice lanuginoſus, foliis confuſo ordine ornatus, raro in ramulos diviſus. *Capitula* Avellanæ magnitudine æqualia, quatuor aut quinque petiolis breviſſimis innixa, ex rotunditate oblonga, ſquamata, & pungentia ſunt; è quibus flores tubuloſi, atrorubentes, erumpunt; his ſuccedunt ſemina turgidiuſcula, lanugine denſa, ut in aliis, involuta.

15. Carduus *pycnopolycephalus paluſtris, Triumfetti.* Hujus *radix* in craſſum, ſubrotundum, & nodoſum caput protuberat, fibris craſſioribus ſubnexis affixa; *folia* profundius laciniata, ſpinis acutis longioribus, atque etiam brevioribus, armata, craſſa, ſuccoſa, atrovirentia, tres uncias plus minus lata, bipalmaris plerumque longitudinis. Unicus fere attollitur *caulis* humanam altitudinem ſuperans, anguloſus, foliis minoribus, nullo ordine diſpoſitis & membranis per longitudinem onuſtus. In hujus ſummo plura naſcuntur *capitula* parva, longiuſcula, denſiſſime ſimul juncta, ut interdum tricenarium aut quadragenarium numerum impleant, quæ *flores* tubuloſos oſtendunt, purpureos, candido ſtamine inſignitos. *Semen* oblongum, perexiguum, compreſſum, cinerei eſt coloris.

In cænoſis ſcrobibus, ac paludoſis foſſis circa Romam invenitur.

16. Carduus *Salmanticenſis annuus caule folioſo, ſpinis longioribus flavis, Nobis. Chamæleon niger Salmanticenſis, Cluſ. Hiſt. Dod. Ger. Acarna major caule folioſo, C. B. P. Acarnæ ſimilis flore purpureo, Chamæleon Salmanticenſis Cluſii, J. B. Caulem* pedalem habet, interdum etiam cubitalem, multis alis ſine ramis concavum, ſtriatum, & quaſi φυλλώδη, durum tamen & firmum; *folia* numeroſa, longa, anguſta, candicantia, ſpinis plurimis, longioribus, flavicantibus, horrida; ſummis ramis innati quini aut etiam ſeni calyculi, ſeu capitula ſpinoſa, umbellæ ſpeciem præ ſe ferunt, in quibus *flos* purpureus dilutior. *Flos* iſte maturo *ſemine* ſubinde in pappum evaneſcit. Tota planta ἀκανώδης eſt, & firmarum ſpinarum vallo munita.

In agro Salmanticenſi in arvis frequens eſt.

17. Carduus *galactites, J. B. Leucacantha Monſpelienſium, Dal. Lugd. Carduus Syriacus vulgo. Radice* nititur ſatis tenui & ſimplici; *caulem* tollens interdum ſimplicem, interdum ramoſum, cubitalem, ſtriatum, cano villo pubeſcentem, membranis ſpinoſis pinnatum, cujus ſummum in ſurculos aliquot faceſſit, capita ſuſtinentes Avellanæ magnitudinis, ſquarroſa; horum autem ſingulæ ſquamæ in longam, acutam, invalidam ſpinam deſinunt. Hinc *flores* emicant purpurei, gratiæ ſuæ poſt multos annos tenaciſſimi. *Semen* pappo appenditur oblongum, lubricum, candidum, amarum. Cæterum *folia* palmo longiora, mitius aculeata, profundis crebriſque laciniis diviſa, ima parte albida lanugine donata, ſuperna vireſcunt, fortuitis maculis lacteis reſperſa, *J. B.*

In ſatorum marginibus non longe à Monſpelio, aliiſque locis incultis Siciliæ, Melitæ, atque Italiæ ſponte naſcens reperitur. Interdum floribus albis obſervatur.

18. Carduus *polyacanthos cirſioides Alpinus Carlinæ vulgaris folio, Nobis. Carduo-Cirſium Alpinum Carlinæ vulgaris folio, & caule alato, ſpinis rigidioribus armatis, D. Pluke. Phyt.* Hic Carduus à *Cl. D. Sherard* delatus, *caules* profert ramoſos, crebris undique ſpinoſis membranulis criſpis alatos, quibus fortuito poſitu naſcuntur *folia* longa, laciniata. Laciniæ vero medium nervum non attingunt, ſed ordine ad rectas lineas laterales, quæ integram folii partem longitudinaliter in medio conſtituunt, inciſæ ſunt; ſingula diviſio frequenter in trifoliatam cuſpidem acutam ſcinditur, ſpinulis frequentibus in oris, & terminationibus donatam; *capitula* ſummis caulibus nudis profert, ex ſquamis mollioribus, *Cirſii* modo, compoſita, è quibus emicant, ut in aliis, *flores* fiſtuloſi & ſtaminei.

CAPUT XXXVI.

Cardui caulibus nudis, capitulis majoribus & minoribus, floſculis rubentibus fiſtuloſis donati.

TABULA XXXII. SECT. VII.

Carduus caule nudo floribus rubentibus, capitulo

majore

1. *Albis maculis notatus, C. B. P. Carduus lacteus, Matth. Carduus Mariæ, Trag. Geſn. Hort. Silybum, Anguil. Adv. Lob.* ☿.
2. *Mariæ non maculatus.* ☿.
3. *Lacteus peregrinus major ſemine fuſco, Raii. Silybum majus annuum, Park.* ☿.
4. *Leucographus, ſive Mariæ hirſutus, capitulo minore, Moriſ. Prælud. Bot.* ☿.
5. *Albis maculis notatus exoticus, C. B. P. Carduus,* ☿. *Lacteus Syriacus, Cam. Silybum minus Bætic. Park.* ☿.
6. *Albis maculis notatus minor polycephalus capite folioſo, Nobis. Hacub ſive Silybum quibuſdam, J. B.*
7. *Rotundo tomentoſo, C. B. P. Carduus eriocephalus, Dod. Carduus tomentoſus Corona fratrum dictus, Park.* ☿.
8. *Tomentoſus capitulo majore, C. B. P. Spina Arabica, Dioſc. & Plin.*
9. *Latifolius echinos obſoletæ purpuræ ferens, C. B. P. Acanus Anguil. Lugd. Park.*

10. *Tomentoſo*

minore
10. *Tomentoſus ſecundus, C. B. P. Carduus ſphærocephalus 5. Dod. Spina alba, Matth. Lugd.* ☿.
11. *Tomentoſus capitulis echinatis, C. B. P. Leucacantha Monſpelienſium, Dal. Lugd.* ☿.
12. *Sive Carduus acaulis ſeptentrionalium, Lob. Carlina acaulis minor purpureo flore, C. B. P.* ☉.
13. *Polycephalus anguſtifolius, C. B. Prod.* ☉.
14. *Vulgatiſſimus viarum, Ger. Carduus ſerpens lævicaulis, J. B. Ceanthos ſive viarum & vinearum repens, Park.* ☉.
15. *Repens Sonchi folio Virginianus major,* ☉.
16. *Spinoſiſſimus ſegetibus frequens, C. B. P. Drypis, Lugd. Carduus avenarius, Park.*

1. Carduus *albis maculis notatus vulgaris, C. B. P. Carduus Marianus, ſive lacteis maculis notatus, J. B. Carduus Mariæ vulgaris, Park. Leucacantha, Lac. Leucographus, Plin. Lugd. Silybum, Ang. Adv. Lob. Carduus Leucographus, Dod. Folia* ejus magna, lata, ampla, ambitu crenata, multis duris ac aſperis ſpinulis ſtipata, omnino glabra, dilute virentia, notis ac lineis varie ductis, (unde nomen) iiſque candidis, ac lactei coloris maculata; *Caulis* humanæ altitudinis, digito craſſior, in ramulos diviſus; *flores* è capitibus ſatis amplis, ſpinis horridis armatis, ſtaminei, ac purpuro-rubentis coloris emicant; *ſemen* oblongum, glabrum, & lucidum, lanugini implicatum eſt, quo matureſcente, radix perit.

Ad ſepes, & in aggeribus foſſarum & munimentorum paſſim provenit.

2. Carduus *Mariæ non maculatus, Moriſ. Prælud. Bot.* Præcedenti in omnibus convenit, niſi quod folia edit maculis ſive lineis albis deſtituta.

Circa Londinum, ad foſſas, inque ruderibus invenitur.

3. Carduus *lacteus peregrinus major ſemine fuſco, Rati. Silybum majus annuum, Park. Folia* lineis lacteis paucioribus notata ſunt, quæ foliis antecedentis majora, & amplitudinem vulgaris non attingunt; *caulis* rectus bicubitalis aut altior, capitula profert pauciora, & ſeſſilia; *ſemen* rotundum, fuſcum.

In Sicilia & Melita Inſulis ſponte provenit.

4. Carduus *Leucographus, ſive Mariæ hirſutus capitulo minore, Moriſ. Prælud. Bot.* Hic Carduus folia edit longiora, & anguſtiora, obſcure maculata; ſecundo anno caulem emittit bipedalem aut tripedalem, in cujus cimis naſcuntur capita minora, purpureos ferentia tubulos ſeu flores.

5. Carduus *albis maculis notatus exoticus, C. B. P. Carduus lacteus Syriacus, Cam. Silybum minus Bæticum, Park. Lacteus peregrinus, Cam. J. B.* Hujus Cardui lactei *folia* prima ſunt triplo, quadruplo, Cardui Mariæ vulgaris foliis minora, profunde in margine inciſa, coloris dilute viridis, & lineis maculiſve albis notantur, latiora verſus terram; quæ autem caulibus adhærent, minora ſunt, longioraque, anguſtiora, & caulem cingentia, magiſque diſſecta, atque ſpinis undique ſepta. *Caules* ſunt bipedales & ampliores, atque in ſummitatibus gerunt alternatim è geniculis *flores* triplo minores antedicti vulgaris, plurimis fiſtuloſis floſculis purpuro-rubentibus, interdum etiam albis, pariter conſtantes; quibus ſingulis deciduis ſuccedunt ſemina turgidiuſcula brevia & rotundiora.

In Creta & Hiſpania ſponte naſcitur. Menſe Julio floret, & autumno ſemen perficit.

6. Carduus *albis maculis notatus minor polycephalus, capite folioſo, Nobis. Hacub ſive Silybum quibuſdam, J. B.* Primo vere *flores* protrudit, quos incolæ ſecant, noſtratium in modum coquunt, ac comedunt. Tota planta *Carlinæ* noſtrati (ut ait *Rawolfius*) apprime ſimilis eſt, major tamen ea, altiorem erigit ſcapum, cui in ſummo *capitula* inſident ſpinoſa, ex quibus *floſculi* emicant dilute rubelli. Halepenſibus hodierno die dicitur *Hacub. Serapionis c. 295. Hacub alcardeg, Dioſcoridis Silybum* exiſtimandum.

Circa Halepum, locis præſertim aridis & aſperis provenit.

7. Carduus *capite rotundo tomentoſo, C. B. P. Carduus tomentoſus, corona fratrum dictus, Park. Carduus eriocephalus, Dod. Cluſ. Spina alba, Cæſ. Carduus capite tomentoſo, J. B. Caulibus* aſſurgit bicubitalibus, craſſis, tomento albo obductis; *folia* ejus laciniosa, magna, pedalia, atque cubitalia, anguſta, inferius tomentoſa, ſuperius viridia, quæ quatuor quaſi foliorum ſeries, cum laciniis ſuis, per intervalla diſpoſitis conſtituunt. Harum autem duæ inferiores planæ & æquales, reliquæque elevatæ ſunt: *capitula* in ſummis caulibus multa ſunt, ſquamata & ſpinoſa, rotunda, multa tenui candida lanugine veſtita, è quorum vertice *flores* ſtaminei, aut tubuloſi protruduntur. *Semen* oblongum ſplendens, ut in plurimis Carduis.

Ad agrorum margines, in paſcuis, aliiſque montoſis & incultis non raro invenitur.

8. Carduus *tomentoſus capitulo majore, C. B. P. Carduus tomentoſus, Adv. Lob. Spina Arabica Dioſc. Plinii, & Cæſ.* De Spina Arabica multum controvertitur, ut quid ſibi velint Auctores, vix colligendum eſt. Quidam pro *Spina alba* habent: alii *Spinam Ægyptiacam nominarunt*; & non deſunt qui *Carduum eriocephalum tomentoſum* jam tractatum, *Spinam Arabicam volunt*, de qua *Cæſalpin.* hæc prodit: *Spina Arabica* in montibus naſcitur, locis gracilibus, prope cubiti altitudinem; duobus aut tribus ramis prælongis, infirmis; paucis foliis, figura *Spinæ albæ*, ſed multo minoribus, criſpis, viridibus, modice pungentibus: capita fert cacuminibus ſingula, lata, & depreſſa, inverſis ſquamis tenuibus, flore purpureo.

9. Carduus *latifolius echinos obſoletæ purpuræ ferens, C. B. P. Acanus, Anguil. Lugd. Theophraſti, Park. Agavanus Cretenſium, forte Acanus Theophraſti, Honor. Belli Epiſt. 5. ad Cluſium, & Ponæ Ital. qui hiſce verbis deſcribit:* Planta eſt ſpinoſa, (à qua reliquæ hujus ſectionis plantæ acanaceæ dicuntur) *folia* habens aliquantulum lata & ſpinoſa; *caules* bicubitales aut tricubitales, in quibus capitula Echini æmula, è foliorum quæ caulem ambiunt cavitatibus, ut & extremo caule exeunt, in quibus flores obſoletæ purpuræ; deinde *ſemen* rotundum, aliquantulum compreſſum, Cannabis ſemen colore æmulans.

In Creta vulgo notus eſt, & antequam in caulem abeat comeditur.

10. Carduus *tomentoſus capitulo minore, C. B. P. Spina alba, Matth. Lugd. Spina alba altera, Cæſ.* Planta hæc cubito procerior aſſurgit, *caule* anguloſo, ſuperne ramoſo, inani, pollicis craſſitudine; foliis *Chamæleontis albi*, candidioribus, anguſtioribus, altius inciſis, ſpinoſis, ſubhirſutis; echinis oblongis, ovatis, aculeis innumeris

innumeris rigentibus, *Dipſaci ſativi* echino prorſus ſimilibus, horrido ſpinarum erectarum vallo cinctis; quod huic uni, ac *Eryngio cæruleo*, ex omnibus ſpinoſis plantis peculiare eſt; aſpectu pulcherrimo; *flore* purpureo in echino ſub aculeorum velut radice prodeunte; *ſemine* Cnici minore. *Hiſt. Lugd.* Quidam pro *Carduo Sphærocephalo* habent, cujus ſpeciei nullus qui proferat flores purpureos nobis notus eſt; ſi quiſpiam plantam poſſideat, certius de hac re pronunciaverit.

Gignitur in nivoſis, aſperis, & lapidoſis montibus Allobrogum.

11. Carduus *tomentoſus capitulis echinatis, C. B. P. Leucacantha Monſpelienſium, Dal. Lugd.* In aſperis & ſaxoſis provenit, *radice* craſſa, ſuccoſa, modice fibrata, *caulibus* multis ſeſquipedalibus, ramoſis, foliis laciniatis, incanis, lanuginoſis, aculeatis; *capitulis* echinatis; *flore* purpureo, coloris vividiſſimi, in pappos abeunte; *ſemine* oblongo.

De his duobus antedictis omnes Antiquiores meminere, nobis vero omnino inquilini ſunt; quorum notitia qualis-qualis ex Hiſtoria Lugdunenſi hauſta eſt, ubi plura lege,

12. Carduus *humillimus ſeptentrionalium, flore purpuro-rubente, Nobis. Carlina acaulis minor purpureo flore, C. B. P. Carduus acaulis ſeptentrionalium, & Chamæleon albus Cordi, Lob. Carlina minor purpureo flore, C. B. P. Cluſ. Hiſt. Chamæleon ſeptentrionalium exiguus appellatus, Col.* *Folia* in orbem per terram ſternit, profunde laciniata, hirſuta, atrovirentia, aculeis horrida; inter quæ, aut nullo aut brevi *caule* unciali vel ſeſquiunciali, in ſterilioribus; palmari aut ſeſquipalmari in lætis & humentibus agris, hirſuto, enaſcuntur capitula oblonga, turbinata, in parvæ Juglandis formam, ſquarroſa, ſpinulis armata. Ex his *flores* emicant purpurei ut plurimum, aliquando albi. *Radix* minimi digiti craſſitudine, longa, fibris aliquot craſſiuſculis donata, ſapore aliquantulum aromatico eſt.

In aſperis & gramineis montibus, & ericetis humentibus provenit. Auguſto menſe florem oſtendit.

13. Carduus *polycephalus anguſtifolius, C. B. P. & Prod.* *Radicem* habet lignoſam, fibroſam; *caulem* cubito altiorem, rotundum, ſtriatum, ſpinis carentem, cujus ſummitas in plures ſemipalmares ramulos, & hi quandoque in breviores, dividitur. *Folia* ſunt pauca, anguſta, & brevia, ſpinis oblongis armata; *capitula* plura, parva; quibus minima ſubjiciuntur, exiguis ſpinulis prædita, & *flos* Jaceæ flori ſimilis, ex ſtaminulis purpuraſcentibus compoſitus, inſidet. Hic autem in lanuginem abit. *C. B. In pratis Michelfeldenſibus frequens oritur.*

14. Carduus *vulgatiſſimus viarum, Ger. Carduus viarum & vinearum repens, Park. Carduus vinearum repens foliis Sonchi, C. B. P. Carduus ſerpens lævicaulis, J. B. Ceanthos Theophraſt. Anguil. Lugd. Col.* Vulgatiſſimus hic Carduus, per vias, & in vinetis, *radice* ſua repente, terram implet; *caulis* ſeſquicubitalem altitudinem attingit, tenuis, ſingularis, lævis, viridis, aliquando rubens, cui *folia* adnaſcuntur, Sonchi modo laciniata, modo tomentoſa, modo glabra, nunc anguſta, nunc latiuſcula, & minus profunde laciniata. *Scapus* in aliquot ramulos ſurculoſve dividitur, quibus inſident *capitula*, parva, oblonga, turbinata, echinacea, parum admodum mordacia, aculeis brevibus ex ſquamis exeuntibus, quæ protrudunt *flores* dilute rubentes. Atque his ſuccedit *ſemen* oblongum pappo invulutum.

15. Carduus *repens Sonchi folio Virginianus major.* Carduus hic repens à *Cl. V. D. Plukenet* receptus, antecedenti convenit, in omnibus tamen major eſt, *foliis* frequenter integris, & glabris; repente facultate priorem excedit, qua tantum abundat, ut raro florendi otium obſervetur.

16. Carduus *ſpinoſiſſimus ſegetibus frequens, C. B. P. Drypis, Lugd. Carduus avenarius ſive moſchatus, Park. Tab. Carduus ſylveſtris in avena, Thal.* Carduus hic diris aculeis rigens, à quibuſdam Drypeda nominata, in arvis inter fruges, quas fere corrumpit, & avenam, præcipue naſcitur, interdum humana proceritate, interdum humilior, radice alba, & craſſa; *foliis* caules ambientibus muricatis & incifis; *capitulis* turbinatis, ſquamatis, paululum echinatis; *flore* ut plurimum purpureo, aliquando albo; ſemine oblongo lævi, parvo, rufeſcente. *Annua* eſt planta, hieme periens.

VIRES & USUS.

Carduus *Mariæ temperatæ qualitatis eſt. Aqua ex herba deſtillata, ad pectoris, pulmonum, hepatis, Lienis, renum, uteri, mala ſananda, & ad referendas illorum obſtructiones commendatur; quare & hydropicis utilis.*

Semen moderate calidum & tenuium partium eſſe, nemo dubitat. Hujus autem inſignis eſt uſus in pleuritide, & laterum punctionibus; & remiſcetur plerumque aliis ſeminibus, ex quibus emulſiones parantur.

Folia tenera in medio naſcentia, demptis aculeis, cocta, inter olera præſtantiora veniunt; aſthmaticis utilia, aliiſque pectoris vitiis ægros liberant.

CAPUT

CAPUT XXXVII.

Cardui floribus violaceis, fiſtuloſis

TABULA XXXIII. SECT. VII.

Carduus floribus Violaceis, capitibus

majoribus

1. *Cum ſquamis diſpanſis viridibus, Nobis. Cinara hortenſis foliis non aculeatis, C. B. P. Scolymus Græcorum, ſive Scolymus, Eyſt. Carduus hortenſis, Geſn. Hort.* ⊙.
2. *Elatior & ramoſior viridis.* ⊙.
3. *Sive Cinara rubra maxima Anglica, C. B. P. Carduus Scolymus maximus non ſpinoſus, J. B.* ⊙.
4. *Sive Cinara Hiſpanica minor & acutior, Nobis. Cinara patula, Park. Par.* ⊙.
5. *Sive Cinara ſylveſtris latifolia, C. B. P. Carduus Scolymus ſylveſtris J. B. Scolymus ſylveſtris, Adv. Lob.* ⊙.
6. *Hortenſis foliis ſpinoſis, Geſn. Hort. Cinara hortenſ. aculeata, C. B. P.* ⊙.
7. *Hortenſis ſpinoſiſſimus elatior, Nobis. Cinara ſpinoſa cujus pediculi eſitantur, C. B. Cardones, Cæſalp.* ⊙.
8. *Sive Cinara ſylveſtris Cretica, C. B. P. Agriocinara Cretica, Belli. Ponæ Ital.* ⊙.
9. *Humilis Tingitanus ſpinoſus tenuiter laciniatus, Nobis. An Cinara ſylveſtris Bætica, Cluſ. Cur. poſt.?* ⊙.
10. *Andaluſiacus ſpinoſiſſimus, echino grandi, aculeis rigidis armato, D. Pluke. Phyt.*
11. *Humilis gummifer magno flore ſimplici, Nob. Carlina acaulis gummifera, C. B. P.* ⊙.
12. *Humillimus Creticus integris & anguſtis foliis, Nobis. Carduus Pinea Theophraſti, Proſp. Alp. de Exot.* ⊙.
13. *Eryngioides ſive Carduncellus montis Lupi, Lob. Eryngium montanum mitius capitulo magno, C. B. P.* ⊙.

minoribus

14. *Carduncellus montis Lupi minor, ſpecies repens.*
15. *Carduus Eryngioides capite ſpinoſo, Proſp. Alp. de Exot.*
16. *Procerior, ſpinis ternis per intervalla foliorum marginibus donatus, Nob. Polyacanthus Caſſabonæ, Acarnæ ſimilis, J. B.* ♀.
17. *Pluribus corymbatim diſpoſitis, Nobis. Chamæleon niger umbellatus, flore cæruleo hyacinthino, C. B. P.*
18. *Cnici facie foliis diſſectioribus, Nobis. Cnicus ſive Carthamus flore cæruleo, J. B. Cnicus cæruleus aſperior, C. B. P.* ⊙.
19. *Cnici facie Tingitanus foliis magis integris, Nobis. Cnicus perennis cæruleus Tingitanus, Hermanni.* ⊙.
20. *Humilis Creticus integrifolius ramoſus, Nobis. Carduus Creticus minimus, Proſp. Alp, de Exot.* ⊙.

Carduus *hic domeſticus*, maximiſque capitibus, qui alimentum hominibus optimum præbet, & de quo impræſentiarum agimus, vulgo *Cinara* dicitur, à cinere quo ſtercorari amat, Columellæ & Palladio. Quidam a foliorum colore cinericeo dictum volunt: alii à *Cynara* ejus nominis Puella. Κυνάρας Græci, & Κινάρας, *Alexander Trallianus* Αρτιτυλὼς; quidam corrupta voce *Articocum*; alii *Alcocalum* vocant. Gallice *Artichoch*, & *Artichaux*, unde Anglice *Artichock*, appellatur.

1. Carduus *domeſticus capite majore cum ſquamis diſpanſis viridibus, Nobis. Cinara hortenſis foliis non aculeatis, C. B. P. Carduus ſive Scolymus ſativus non ſpinoſus, J. B. Carduus hortenſis, Geſn. Hort. Sativus Cæſalp. Scolymus Græcorum, Eyſt.* Pulchritudine ſua, ſiquis unquam alius Carduorum, *Acanaceam* familiam ducit, & naturam nuſquam non totam eſſe indicat, maxime ubi culturæ accedunt mangonia, veluti in hac noſtra planta; quæ inter *folia* laciniata, *Chamæleontis* albi foliis non diſſimilia (cum quibus etiam à Dioſcoride comparantur) ſed multo ampliora, imo ad tripedalem longitudinem porrecta, inferne nonnihil incana, ſuperne vireſcentia, *caulem* emittit bicubitali quandoque altitudine, craſſitudine vero pollicari; cujus faſtigium in capitis molem, duos vel tres pugnos æquantem, extuberare ſolet, coniformi & turbinato quaſi modo, corticoſis unguibus, ſive ſquamis amplis coagmentatam. Atque hi floridum orbem, hyacynthini coloris, floſculis fiſtuloſis, & ſtaminibus turgidum, extrinſecus ſtipant; in quo durioribus pilis conditur *ſemen* cinereum, ſubmaculoſum, ſeminis Cnici figura, ſui generis plantarum defectus pro delicatiorum palato reparans.

2. Carduus *hortenſis Cinara dictus elatior & ramoſior viridis.* Humanam altitudinem attingit hujus *caulis*, plura proferens *capita*, ex viridibus ſquamis imbricatim compoſita: cætera antecedentis more naſcuntur.

3. Carduus *hortenſis ſive Cinara rubra maxima fructu compreſſo, Nobis. Cinara maxima Anglica, C. B. P. Scolymus maximus non ſpinoſus, J. B.* Cinara hæc præſtantior, ſolo Anglicano optime luxurians, humilior eſt, bipedalem aut tripedalem altitudinem raro excedens. *Folia* ima frequenter integra ſunt, ſatiſque lata, interdum quaſi ſemi-integra, dum alia in profundas lacinias diſſecta ſunt: *capita* profert pauca, quorum minima

nima cultoris induſtria deripienda ſunt, & capitis humani, aut galeri vorticis magnitudinem æquant, ejuſdemque pene forma, compreſſa, cum ſquamis ſubfuſci coloris ampliſſimis, inflexis, & arcuatim complicatis. Species hæc præ ſqamarum unguibus, earumque carnoſa ſubſtantia copioſiſſima, ſuaviſſima, eſuique aptiſſima eſt; prima vero præ fundo carnoſo, ſeu ſquamarum ſede tenerrima & ampliſſima eminet. Hujus datur varietas, *capitibus* quoque magnis, & ſubfuſcis, cujus ſquamæ exteriores, ſquamas in medio naſcentes, longitudine & altitudine ſuperant, inflexæ tamen, & quaſi diſcum formantes, eaque propter *Cinara diſcoides* à quibuſdam nominatur, dum antecedentis plana & compreſſa appareant.

4. Carduus *eſculentus, ſive Cinara Hiſpanica minor & acutior, Nobis. Cinara patula, Park. Par.* *Folia* reliquorum conſimilia profert, *capitula* vero minora, conicam figuram efformant, quæ præſertim pro acetariis crudis conſervantur.

Omnes hæ ſpecies antedictæ, in Hortis bene ſtercoratis creſcunt & luxuriant, & ab hyemis aſperitate, ſtraminea materia facile tectæ, vernali tempore, per ſtolones liberaliter propagantur; & fortaſſe è ſylveſtrium & ſequentium ſeminibus, (additaque debita cultura) natæ ſunt; ubi ſpontaneæ, nihil de iis compertum eſt.

5. Carduus *ſive Cinara ſylveſtris latifolia, C. B. P. Carduus ſcolymus ſylveſtris, J. B. Scolymus ſylveſtris, Adv. Lob.* *Caule* eſt procero, hominis altitudinem aſſequente: *folia* ampliſſima, cæſura Sativi, ſed tomento copioſiori obducta; horum autem nulla eſt lacinia, quantumvis exigua, quam non arment ſpinarum mordacium flaveſcentium ſpicula, quibus & ſingula capitis ſquamarum extrema, ſed majoribus multo, rigidioribuſque horrent; ipſa vero *capita* Sativi capitibus magnitudine cedunt. *Flos* ſtamineus conſimilis, cœruleus.

In lætis agris circa Monſpelium menſe Junio florentem, præcipue circa Perauls proſilire, notat Jo. Bauhinus, cui D. Magnol. adſtipulatur. In Sicilia quoque oritur.

6. Carduus *hortenſis foliis ſpinoſis, Geſn. Hort. Cinara hortenſis aculeata, C. B. P. Scolymus Dioſcoridis, Cluſ. Hiſt.* Varietas videtur antecedentis, *folia* vero in frequentiores lacinias diviſa, in ſpinas terminantur, unde magis ſpinoſa apparent.

7. Carduus *ſpinoſiſſimus elatior Chardone dictus, Nobis. Cinara ſpinoſa cujus pediculi eſitantur, C. B. P. Carduus ſive ſcolymus ſativus ſpinoſus, J. B. Cactos Theophraſti, Matth. Lugd. Carduus hortenſis, quem Carduum vulgo, Cam. Cardones, Cæſalp.* Hæc ſpecies etiam inter ſylveſtres numeretur, quæ altior eſt planta, & *foliis* & *capitulis* cæteris magis horrida, qua de re capitula haud magna, inutilia habentur. *Semina* harum ſylveſtrium ſpecierum bene matureſcunt, unde novæ in Hortis frequenter oriuntur plantæ; ſativorum vero & majorum ſemina raro ad maturitatem perveniunt.

8. Carduus *Agriocinara Cretenſium, ex quo Coſtus nigra officinarum, J. B. Cinara ſylveſtris Cretica, C. B. P. Park. Agriocinara Cretica, Belli. Ponæ Ital.* Supra *Chiſami* arcem in Inſula Creta (Auctore *Bellonio in Obſ.*) ea montis parte qua *Calohierorum* Monaſterium, cui nomen *D. Joannis de Prædermos*, ſitum eſt, Artichocæ ſylveſtris genus creſcit, paſtoribus *Agriocinara* appellatum, cujus *radicem* cubitalis longitudinis, & humani cruris craſſitudinis, foris & intus nigram, pyri in modum turbinatam, *Coſti Indici* loco in Aromatariorum officinis venalem eſſe novimus. *Capita* fert inſtar *Cinaræ*, ſive *Artichocæ*; eamque paſtores crudam mandunt. Ejus *flos* maxima ex parte candidus eſt (licet & purpureus inveniatur) & ſuavis odoris. Ipſius *radices Chamæleontis* albi radicibus ſimiles ſunt, & *folia* Chamæleontis nigri foliis. Differt ab aliis *Artichocis* ſylveſtribus, multis Italiæ locis naſcentibus.

9. Carduus *humilis Tingitanus cæruleus, magno ſtrobilo, tenuius laciniatus. An Cinara ſylveſtris Bætica, Cluſ. Cur. poſt?* Nova hæc planta, nec minus rara, Regionis Tingitanæ alumna, è ſemine a *Cl. V. D. Alex. Baalam* tranſmiſſo, nata eſt. Ejus *folia* humi ſparſa, pedalia aut longiora, palmarem latitudinem acquirunt, varie fiſſa, & ad nervum medium uſque per intervalla inciſuris profundis diſtincta, quæ etiam ſubdiviſiones patiuntur, (harum autem ſingula in aculeum brevem & acutum terminatur) prona parte tomento candido tecta, ſupina atrovirentem colorem obtinentia. *Cauli* haud craſſo, cubitali, folia à priorum forma non aberrantia, licet minora, ſparguntur; hujus autem ſummo innaſcitur *caput* in biuncialem latitudinem expanſum, ſquamis Cinaræ ſylveſtris in modum in ſpinas acutas definentibus; è cujus vertice coniformi, *flores* fiſtuloſi, quinquefariam in ore tenuiter diviſi, amethyſtini coloris, cum aliis ſtamineis in medio, exeunt. Iſtis ſingulis ſuccedunt *ſemina* magna, fuſca, quadrata, Cnici forma, duplo vero vel triplo majora, pappo longo & amplo, apice obtuſo criſtata, quæ Cinaræ modo inter lanuginem longam & ſetaceam latentia, involvuntur. Per varios annos, Horti noſtri ornamento, ſuccrevit, tandem per hyemis auſteritatem, nunquam oblivioni tradendam, Anno 1683. tota periit.

10. Carduus *Andaluſiacus ſpinoſiſſimus, echino grandi aculeis rigidis armato, D. Pluk. Phyt. Tab.* 19. Inter plantas quamplurimas, rariores, quas *Cl. D. Plukenet* in lucem eruere placuit, elegans hæc infimum locum non obtinet. Spinoſo capite, floribuſque extantibus, antecedenti convenire videtur; *foliis* exceptis, quorum tenuitas diſcrimen facile demonſtrat; quæ è regione cauli adnaſcuntur, adeo pergracili tenuitate diviſa ſunt, ut ex ſpinis, abſque parenchyma adjuncta, compacta videantur; horum autem laciniæ per intervalla, rachi ſeu nervo medio adnexæ, ordinem ſervant, & omnino oppoſitæ ſunt.

11. Carduus *humilis gummifer magno flore ſimplici cæruleo, Nobis. Carlina acaulis gummifera, C. B. P. Chamæleon albus Apulus purpureo flore gummifer, Col.* Huic *radix* craſſa eſt admodum & longa, foris rufeſcens, intus alba, lacteſcens, aromatico gravi parum odore, non injucundo, cerebrum petente, dulci ſapore, edulis, & cum extirpatur, ſi vel minima fibrilla violetur, ſtatim ea parte lac emittit, in grumos ob viſcoſitatem concreſcens: ſumma *radix* frequenter in plures ſe dividit, in quibus ſingula *capita* orbiculata, mali parvi magnitudine, ſingulis foliorum umbilicis hærentia inveniuntur, echinata, ut in vulgata Carlina, humi jacentia. Huic ſpinoſum caput ſive *Acanus*, in quo flos conſpicitur, tumeſcens, ruffas minutaſque barbulas, ſeu potius ſquamas occultans, atque pappoſus. *Floſculi* quidem ambientes, in quinque partes ſinguli dividuntur, tenues admodum, ut capillares fere videantur, non ſecus ac in floribus *Scolymi* ſive *Cinaræ*, quibus ſimillimi effigie, colore vero non ita cœruleum imitantes, ſed potius purpuraſcentes. His marceſcentibus candidum pappum emittunt interna *ſemina* ſingulis floſculis ſubjacentia, oblonga, cinerea, & ſplendida. *Folia* huic pedalia vel majora, magis profunde inciſa, & ſpinoſiora vulgaris Cinaræ, ſimiliore diviſura, colore albicantia, velut caneſcentia, inferne hirſuta, quandoque Maio menſe virentia, in vetuſtioribus & areſcentibus rubentia, ut in aliis plantis obſervatur.

In

In Apuliæ Cinirolæ ſterilibus devexis locis occidentalibus editis ſatis frequens naſci obſervatur.

Inter ſpinoſa folia calycis gummi emanat, quod in Apulia *Cera di Cardo* nominatur, quod ruſtici colligunt, & dum recens, & viſci modo adhærens, candidum eſt; quod ſi denſatur, nigreſcit.

12. Carduus *Creticus humillimus integris & anguſtis foliis, Nobis. Carduus Pinea Theophraſti, Proſp. Alp. de Exot.* Ab una *radice* longa ſenſim gracileſcente, *folia* numeroſa producit, longa, multa ſimul à radice prodeuntia, digitum lata, in nervum acta, *Papyri* ſeu *Cyperi* foliis proxima, ſed albidiora, latiora & lenia. In horum autem medio quaſi obrutum *caput* acanaceum occulitur, ſpinis exterius longis, denſis, in crucis modum actis, cuſtoditum. Intus vero lanuginem albam, denſam, induratam habet; in qua, & exterius in eodem capite circa ſpinas gummi parvum, colore fulveſcens, *Maſtichi* ſimile, odoratum, & calidi guſtûs, inhæreſcens, cernitur.

Ex Creta Proſp. Alpinus accepit.

13. Carduus *eryngioides, ſive Carduncellus montis Lupi, Lob. Park. Eryngium montanum mitius capitulo magno, C. B. P. Carduncellus montis Lupi, J. B.* Hæc puſilla Cardui ſpecies *radicem* habet implexam, alte humi depactam, à qua mox *foliola* plura pediculis longis adnexa, quædam integra, plura exilibus & altis diviſuris dentata; *caulem* vix ſpithameum, lævem, gracilem, humi demiſſum; *caput* majus quam pro foliorum & totius plantæ proportione, foliola ſpinoſa cingunt; floris calycem turbinatum, atque *florem* cœruleum, ex multis floſculis fiſtuloſis, & ſtylo prominente, conſtructum eadem *foliola* claudunt; ſingula ſuccedunt *ſemina* craſſa, longa, ſubnigro cortice tecta.

In Narbonenſis agri montanis, ad montis Lupi ima ſeu radices, meridiem verſus, oriri ſcribit Pena, prope puſillum amnem, aut potius torrentem.

14. Carduncellus *montis Lupi minor ſpecies repens, Nobis. Eryngium minimum mitius capitulo magno, H. R. Par.* Priori accedit; *radix* vero longe lateque repit; *caulem* edit biuncialem; *folia* frequenter plana & non dentata, nec ſpinoſa, quibus à priore diſtinguitur.

Autumno floret & ſecundo lapide à Blæſis reperitur.

15. Carduus *eryngioides capite ſpinoſo, Proſp. Alp. de Exot.* *Folia* ſunt mollia, more Eryngii, anguſta: *caulis* rectus cubitalis aut altior; in ſummo profert capita magna, rotunda, *Cactis* ſimilia, ſed minora, ſquamis pulcherrimis circum extremitates crenatis obſita, inter quas ſpinæ multæ exeunt, ſtellarum modo acutæ, albicantes, & duræ; *flores* Cyani ſimiles, cœrulei; *radix* craſſa & carnoſa.

Planta hæc incognita antecedentibus ſimilis eſſe videtur, altitudine tamen, & ſpinis longis, è capitulis exeuntibus diverſa apparet.

16. Carduus *cæruleus procerior, ſpinis ternis per intervalla foliorum marginibus donatus, Nobis. Polyacanthus Caſſabonæ Acarnæ ſimilis, J. B. Acarna major caule non folioſo, C. B. P. An Acarna Theoph. Anguillaræ, Lob. Acarna Theoph. Imperati.* Pulcher eſt Carduus, bicubitalis aut tricubitalis, per cujus *caulem* rotundum, album, lævem, ramoſque, *folia* dodrantalia ac etiam longiora, unciali latitudine, acuminata, ſuperne ex atro virore ſplendentia, inferne tomento candicante denſo, preſſo, obſita, æquabili marginum circumſcriptione, niſi prohibeant ſpinulæ flaveſcentes, mordaces, ex intervallis frequentius ternæ vel quaternæ, in quas nervi definunt, qui oblique à magno ſecundum longitudinem decurrente nervo in oras exporriguntur. *Flores* è capitulis oblongis, Avellanæ magnitudinis, ſquamatis, & ſpinoſis, brevibuſque pediculis appenſis, emicant cœrulei, quibus *ſemina* brevia, turgida, nigricantia, & glabra, inter lanuginem candidam latentia ſuccedunt; his matureſcentibus, caulis arefit, radixque perit. Planta biennis eſt, primo anno frigoris impatiens.

De Caſſabona Herbarius Ducis Florentiæ miſit cum hac inſcriptione Italica, *Leon di Cardi maſchio.*

17. Carduus *Chamæleon dictus, capitulis pluribus minoribus cæruleis corymbatim diſpoſitis, Nobis. Chamæleon niger Dioſc. Maranthæ, J. B. Chamæleon niger umbellatus flore cæruleo hyacinthino, C. B. P. Chamæleon niger, Dioſc. Lob. Cam. Col. Chamæleon niger verus, Park.* Planta eſt pulcherrima, multis *capitulis* oblongis, denſiſſimis, umbellatim ſeu potius corymbatim diſpoſitis & circumſeptis, conſtans, ſpinarum acutarum plena; in quibus *flores* cœrulei, hyacinthini coloris, oblongi, intus candidi, ſupereminent: atque in capitulis ſpinoſis *ſemina* occluduntur Cnici ſimilia, quæ decidentibus floribus matureſcunt. *Folia* vario colore maculis inſperſa, & profunde laciniata. *Caulem* habet purpureum, dodrantali altitudine; *radicem* foris fuſcam, intus carnoſam, acerrimi guſtus, ſed commanducatu aptam.

In Lemno inquit *Bellonius*, valde communis eſt, ubi tam elegantem cœruleum florem profert, ut coloris pulchritudine cum ipſo cœlo certare, & Cyani flos cum ipſo collatus pallere videatur.

Naſcitur in campis juxta Abydum, & prope flumina Helleſponti, & in Heraclea Thraciæ; in Apuliæ variis locis, & in Græciæ etiam reperitur.

18. Carduus *erectus cæruleus Cnici facie foliis diſſectioribus, Nobis. Cnicus cæruleus aſperior, C. B. P. Cnicus ſeu Carthamus flore cæruleo, J. B. Cnicus alter perennis Cluſii, Park. Cnicus alter cæruleus, Ger. Carthamus* ſive *Cnicus* (ut aute dictum) eſt Planta capitata croceos producens *flores*, annua. Cum hæc planta cœruleo colore prædita ſit, huc revocandam judicavimus, jungat qui voluerit, modo aliter dividat, per me non ſtabit. Huic bini, terni, ſunt *caules*, cubitales, firmi, erecti, veluti lignoſi, nullis aut perpaucis ramis præditi: *folia* biuncialia, aut triuncialia, unciamque lata, tantillo tomento villoſa, in ambitu ſpinulis dentata, viridia, caulem inordinatim conveſtiunt: Capita è ſquamis imbricum inſtar ſibi invicem incumbentibus, conflata, è quibus *flos* emicat ex multis floſculis cœruleis, fiſtuloſis compoſitus, ſtylo albo rubeo ex ſingulis floſculis exeunte. *Semen Cnici* ſemine majus & ſubruffum. *Radix* perennis, pollicaris craſſitudinis carnoſa & ſucculenta. Aliquando reperitur *flore albo.*

Hic circa Cordubam in ſegetibus inventus eſt, & in agro Hiſpalenſi, à Car. Cluſio, florens menſibus Maio & Junio; ſemen matureſcit menſibus Septembri & Octobri.

19. Carduus *erectus cæruleus Tingitanus Cnici facie foliis magis integris, Nobis. Cnicus perennis cæruleus Tingitanus, Hermanni, H. L. Bat.* Præcedenti convenit hic, *foliis* inferioribus præſertim diſcrepat, quæ palmum longa, unciamque lata ſunt; ſed quæ *cauli* innaſcuntur breviora, magiſque ſunt laciniata, ſpinulis in margine armatâ. Floret eodem modo quo & prior.

20. Carduus *humilis Creticus edulis, integrifolius ramoſus, Nobis. Carduus Creticus minimus, Proſp. Alp. Exot. Park.* A *radice* longa tenui, ad palmarem aut ampliorem altitudinem aſſurgit, *foliis* longis, integris, olivaceis, molliuſculis, ſpinulis tamen armatis: *caulibus* multis oblique exeuntibus, qui ordinem dichotomum aut trichotomum obſervant, foliis conſimilibus onuſtis: *capitula* profert in ſummo, ex quinque ſtellæ

modo

modo ſubjectis foliolis, turbinata, calycibus oblongis, vix ſquamatis, & aſperis, reticulæ more elegantiſſime elaboratis: *flos* parvus ſtamineus, nunquam late dehiſcit, cœruleus, qui *ſemina* producit in pappo, parva, alba, ſtaminibus mollibus inhærentia. *Calyces* dulces immaturi, cum ſale & pipere, eſui ſunt aptiſſimi.

In Creta naſcitur.

Cinaræ Vires & Uſus.

Fructus ſeu capita inter alimenta præſtantiora locum vendicant. Exteriorum ſquamarum ungues, ut & infimus diſcus, cui pappoſum ſemen inſidet, ad teneritatem decocti, cum butyro eduntur, & inter delicias habentur, ad opiperas cœnas inſtruendas, (gulæ, veneriſque incitamenta) maxime idonei. Fundus quoque carnoſus in artocreis & cupedulis delicatioribus, avide expetitur.

Fructus tenelli crudi, cum ſale, Italis & Gallis non ſine voluptate comeduntur.

Sic & foliorum media, coſtæque eorum, cultura candidæ, teneræque ſub terra factæ, & crudæ & coctæ, magno apparatu menſæ, una cum bellariis, inferuntur; præſtat autem ipſas elixas mandere: cui uſui ſpecies ſpinoſæ præſertim inſerviunt, & Cardo, Cardos, & Cardons appellantur.

Radices in vino coctæ & potæ, graveolentes alarum hircos, & reliqui corporis viroſum odorem tollunt.

Succus foliorum optimi eſt uſus; urinam mire provocat, adeo ut cochlearia duo ejuſdem cum vino albo, aut potius aceto, horis medicis ſumpta, eos qui hydrope pene perempti ſunt, ad ſalutem priſtinam revocent.

Folia in Zythogala decocta, ad icterum removendum, aliaſque obſtructiones, imprimis commendantur, ut medicamentum nulli ſecundum.

Carduus Chamæleon niger dictus, acerrimæ facultatis eſt; radiciſque ſuccus cutem adurat; eſt tamen ad ulcera maligna depurganda utilis; qua de re lege Bellonii Epiſt. ad Cluſium.

Cardui gummiferi, Carlinæ gummiferæ dicti, radix, excalefacit & reſiccat; ſudores movet; ventris tineas ac lumbricos pellit; jecinoris & lienis obſtructiones aperit; urinas ciet; menſes promovet; hydropicis confert; & contra peſtem omniaque venena eſt efficax.

In Apulia gummi à ruſticis, armentorumque ducibus colligitur, ex acanaceis capitulis floribuſque exſudans viſcum referens, quod concretum dureſcit & nigreſcit, & Cero di Cardo *nominatur.*

CAPUT XXXVIII.

Cardui floribus luteis fiſtuloſis donati.

TABULA XXIV. SECT. VII.

Carduus flore luteo capitulo

majore

1. *Sudorificus & amarus, Nobis. Carduus Benedictus, Trag. Matth. Cnicus ſylveſtris hirſutior, C. B. P.* ☿.
2. *Ramulis fuſum referentibus erectus, Nobis. Atractylis lutea, C. B. P. Atractylis vera flore luteo, J. B.* ☿.
3. *Ramulis fuſum referentibus major, Nobis. Colochierni Carduus Cretenſibus, J. B.* ☿.
4. *Creticus humilis capitulis globoſis & reticulatis, Nobis. Acarna capitulis globoſis, C. B. P. Carduus parvus, J. B.*

minore

5. *Acarnæ affinis, Leo ferox flore pallido, J. B. Acarna minor caule non foliaſo, C. B. P. Carduus ferox, Lob. Ger.* ☿.
6. *Alatus Acarna dictus, Nobis. Acarna flore luteo, J. B. Valerandi Douzet, Ger.* ☿.
7. *Chondrilloides, Dal. Lugd. Carduus vertice corticoſo, C. B. P.* ☉.
8. *Foliis tenuibus ſpinoſis ad inſtar Juniperi, Nobis. Spina umbella foliis vidua, C. B. P. Drypis Theoph. Anguil. Lob.* ☉.

1. Carduus *luteus procumbens ſudorificus & amarus, Nobis. Carduus Benedictus, Trag. Matth. Lob. Lugd. Tab. Ger. Eyſt. Cnicus ſylveſtris hirſutior, ſive Carduus Benedictus, C. B. P. Caules* teretes, lenti, ac obſequioſi, & in alas nonnullas effuſi humi procumbunt; *folia* utrinque laciniata, innocentibus aculeis per margines ſpinoſa ſunt; *capitula* in ſummis virgulis acanacea, ſpinoſis & pungentibus foliis ac aculeis ſtipata; è quibus *flores* emicant lutei, parvi, multis floſculis fiſtuloſis conſtantes. Horum ſingulis ſuccedunt *ſemina* oblonga, craſſa, ſtriata, barbulis rigidis in apice capillata. Tota herba cum foliis ac caulibus necnon capitulis, molli tenuique lanugine inter ſquamas contegitur, & guſtui amara eſt.

In Lemno, Mediterranei maris inſula, locis campeſtribus, frequens occurrit, Petro Bellonio teſte. Apud nos, Germanos, Belgas, Gallos, Italos, &c. ob uſum inſignem, in hortis frequenter colitur.

2. Carduus *luteus erectus reticulatus ramulis fuſum referentibus, Nobis. Atractylis lutea, C. B. P. Atractylis, Matth. Dod. Lob. Caſt. Cam. Tab. Ger. Folia* longa, viridia, laciniata, & hirſuta, humi ſtrata ſunt; inter hæc autem *caulis* erigitur rectus, teres, rigidus, & quaſi lignoſus, bipedalis aut circiter, quem folia breviora, ſpinis rigentia, lata baſi frequenter conveſtiunt: caulis ſummitas *capitulum* gerit turbinatum, nucis Regiæ magnitudine, ſquamis ſpinoſis undique cinctum, è quo exeunt *flores* fiſtuloſi, dilute lutei coloris; atque pereuntibus floſculis, ſuccedunt ſingula *ſemina* majuſcula, alba, quadrangulaſa, rigidis barbulis coronata. Caulis, erga ſummitatem, & ſub capite antedicto, in ramulos ſeu *cauliculos* quatuor aut quinque ſe dividit, qui, ut in *Impia herba* videre licet, primum caput in eorum medio, altitudine ſuperant, & capitula conſimilia

lia proferunt, tomento quodam, telarum aranearum ad inſtar, inter ſquamas, & ſuprema foliola amicta: qui cauliculi adeo expanduntur ut fuſum ſeu colum, quo mulieres ad continendam lanam uti ſolent, imitentur; unde Ἀτρακτυλὶς dicitur, quoniam ex eo ἄτρακτοι, i. e. fuſi antiquitus conficiebantur. *Dioſcor.*

Naſcitur in Creta, Gallia Narbonenſi, Gracia variis provinciis, & circa Genevam, ad vias & agrorum margines, copioſe.

3. Carduus *luteus erectus reticulatus ramulis fuſum referentibus major, Nobis. Atractylidi & Cnico ſylveſtri ſimilis, C. B. P. Calocheerni, Belli Epiſt. 5. ad Cluſium.* Circa Conſtantinopolin, aliaque loca vicina naſcitur hæc ſpecies, quæ antecedenti convenit, altior vero aſſurgit, imo ad humanam altitudinem; *folia* etiam & *capitula* proportionem ſervant.

4. Carduus *Creticus humilis luteus, capitulis globoſis, & reticulatis, Nobis. Acarna capitulis globoſis, C. B. P. Carduus parvus, J. B. Carlinæ aliud genus, Cluſ. Cur. poſt.* Planta pedalis altitudinis, *radice* longa, ſed non fibroſa conſtans, idcirco annua exiſtimatur; multa è ſummo ejus capite ſupra terram habens *folia*, unciam unam aut alteram longa, vix ſemunciam lata, per oras inciſa & ſpinoſa, ut illa quæ totum caulem indigeſta amplectuntur. Summus *caulis* definit in globoſum caput, è multis anguſtiſſimis foliolis, utrinque longiuſculis ſpinis armatis conſtans. Ex hujus autem umbilico exilit *flos* flavus. Cauliculus circa ſummum faſtigium, interdum in binos ramos diviſus eſt qui ſupra globoſum illud caput aſſurgentes, *capitella* etiam ſpinoſa proferunt, ſed minora. Certe tota plantæ gratia conſiſtit in globoſis illis *capitellis*, quæ reticuli inſtar quodammodo ſunt compoſita.

In Creta naſcitur. In Hiſpania quoque Boelius in arvis obſervavit.

5. Carduus *luteus ferociſſimus, ſive Acarnæ affinis, Leo ferox flore pallido, J. B. Acarna minor caule non folioſo, C. B. P. Carduus ferox, Lob. Ger. Leo Carduus ferox, Dod.* Hunc totius Acanacei generis facile *Phœnicem, Leonem* ferocem dixere nuperi Botanologi, à ſpiculis & infeſtiſſimis ſpinis; nihil enim aliud è *foliis* altius diviſis, & *capitulorum* exordiis quam *ſpicula* & *vepres* unciam & ſeſcunciam longas videas. *Cauliculus* vix palmum æquat. *Flos* Cnici ſylveſtris, pallidus, ſpinis & aculeis ſævientibus horridiſque.

In Italia naſci Lobelius ſcribit; ſed nemini præterquam ſibi eum innotuiſſe eſt ſane quod miremur.

6. Carduus *luteus alatus Acarna dictus, Nobis. Acarna flore luteo, J. B. Acarna Valerandi Doures, Ger.* Hic *foliis* atrociter ſpinoſis, binas uncias longis, ſemiunciam latis, incana lanugine utrinque pubeſcentibus, antecedenti convenit; *caules* vero membranaceis appendicibus ſpinoſis, ſecundum longitudinem alati ſunt. *Flores* lutei ex capitulis oblongis, inter foliola ſpinoſiſſima occultis, apparent. Annua eſt planta.

In Inſula Leſena Illyriæ, ſpinis luteolis copioſe invenitur.

7. Carduus *luteus chondrilloides, Dal. Lugd. J. B. Carduus vertice corticoſo, C. B. P.* Carduus hic *Chondrilloides* cognominatur, quod foliis *Chondrillam* valde imitetur. Creſcit in aſperis & ſaxoſis, *radice* dodrantali, lignoſa, dura, candida, obliqua, tenuiſſimis villis capillata; *foliis* proxime radicem multis, laciniatis, & circumroſis *Chondrillæ* modo, brevibus, aculeatis, in ſuperiore caule, qui pedalis eſt, paucis. In ramulos fere duos tantum diviſus, teres anguloſus eſt, in cacumine *capitulum* nullum geſtans, ſed ejus vice, corticoſus vertex, ut in Borragine circinatus eſt velut in radios diſpertitos. *Flos* aureus, in pappos evaneſcens, *Dal.*

8. Carduus *foliis tenuibus ſpinoſis, ad inſtar Juniperi, Nobis. Drypis Theophraſti, Anguill. Lugd. Spina umbella foliis vidua, C. B. P,* Cardui ſpecies à veteribus dicta fuit ἀπὸ τῦ δρύπτειν id eſt παραφάτειν, νύττειν, ξύειν, à lancinando, pungendo, vellicando, quod aculeis ſuis attrectantes & colligere volentes vulneret. De hoc nihil compertum. In Marſis haud procul a mari naſci fertur, *radicibus* ſub terra ſerpentibus, *ramulis* geniculatis, cubitalibus, *foliis* aculeatis, *Juniperi* ſimilibus; *umbella* in ſummis caulibus *flores* luteos profert, ut quidam volunt; alii *flores* candidos eſſe aiunt, unde *Eryngium* eſſe exiſtimatur.

Vires & Uſus.

Carduus *de quo jam agimus, à mirificis virtutibus quibus pollet, Benedictus & Sanctus appellatur; excalefacientis & exſiccantis naturæ; amarus eſt & expurgans. Venenis omnibus reſiſtit, & peſtilentiales morbos averruncat, ſi tempeſtive propinetur. Curat & quaternas, ac inveteratas ac diuturnas alias febres. Viſcera, hepar, ac lienem, ab obſtructionibus liberat; ventriculo quem bilis infeſtat gratus, ejuſque dolores, præſertim vitio ventriculi ſupervenientes, ſopit, ventris lumbricos interimit ac expellit; tormina ſedat, urinam ciet; nephriticis & calculoſis prodeſt; renum ac laterum dolores mitigat. Optimum autem herbæ decoctum cum vino ſi febris adſit paratur. Datur & aridæ pulvis cum vino. Minus efficax eſt aqua per organa diſtillatoria extracta.*

Contra Scorbutum à Medicis noſtri ævi celeberrimis, frequenter uſurpatur. Herba vel recens vel ſiccata in aqua cocta, & uberius ſumpta, vomitum bene movet. In Zythogala in minori doſi ſudorem movet, & ad prædicta utilis eſt.

Contumacia præterea & rebellia ulcera, hujus decocto aliquot diebus ſumpto, curari affirmant Medici, & medicamentum vix ulli ſecundum eſt aqua diſtillata, puluiſque foliorum ulceribus malignis inſperſa, & ad mundandos & curandos cancros, uſque ad oſſa ipſa putrefactos. De his autem exempla legenda ſunt apud Simonem Paulum, & Jo. Baubinum.

CAPUT XXXIX.

Cardui xeranthemi, ſive floribus diſcoidibus patulis non fiſtuloſis.

TABULA XXXV. SECTIONIS VII.

Carduus Xeranthemus flore
- *purpuro-rubente*
  1. *Patulo, Nobis. Acarna flore purpuro-rubente patulo, C. B. P. Acanthoides parva Apula, Col.* ☿.
  2. *Sive Carlina Xerampeloides Africana Abrotoni fœminæ foliis, Breyn. Prod.*
- *albo*
  3. *Ampliore acaulos, Nobis. Carlina acaulos magno flore, C. B. P. Chamæleon albus, Matth. Lugd. J. B.* ☉.
  4. *Cauleſcens, Nobis. Carlina cauleſcens magno flore, C. B. P. Chamæleon niger vulgaris, Trag. Eyſt.* ☉.
- *luteo*
  5. *Vulgaris annuus, Nobis. Cnicus ſylveſtris ſpinoſior, C. B. P. Carlina ſylveſtris, Dod.* ☿.
  6. *Capitulis parvis in umbella, Nobis. Acarna capitulis parvis in umbella, C. B. P.* ☉.
  7. *Patulo Hiſpanicus perennis, Nobis. Acarna flore luteo patulo, C. B. P. Carlina ſylveſtris minor Hiſpanica, Cluſ. Hiſt.* ☉.

1. Carduus *xeranthemos flore purpuro-rubente patulo, Nobis. Acarna flore purpuro-rubente patulo, C. B. P. Acanthoides parva Apula, Col.* E *radice* annua, dura, aſſurgit caulis erectus, dodrantalis aut pedalis, rotundus, firmus, lanugine tectus, nunc ſimplex, nunc in ramulos diviſus; quem folia anguſta, digiti longitudinis, ſemiunciam aut unciam lata, in ambitu ſinuata, & ſpinoſa, tomentoſa, ſine ordine per intervalla conveſtiunt. Summi cauliculi *capitula* ſuſtinent uncialia, ſquamoſa, quibus folia etiam ſubjiciuntur & adhærent, minora tamen, ſpinis horrentia. Ex his autem *flores* radiati, patuli & aperti, diſcoides, è petalis anguſtis, rigidis, ſiccis, purpuro-rubentibus, compreſſis, & non fiſtuloſis, ut in præcedentibus, conflati erumpunt. Medium umbonem occupant *ſtamina* candida, lanuginoſa; quibus ſuccedunt *ſemina* oblonga, glabra, poſt quorum maturitatem radix perit.

Locis incultis, ſiccis, ſterilibuſque Cinirolæ, via quæ ducit ad Vineam, Acquamena dictam, frequentiſſime obſervavit Fab. Col.

2. Carduus *xeranthemos, ſive Carlina xeranthemoides Africana Abrotoni fœminæ foliis, Breyn Prod. Plantarum Æthiopicarum Regina, à D. Ja. Breynio in Prodromo ſuo primo ob elegantiam appellata.* Hujus *ramuſculus* lignoſus, candidiſſimo tomento obductus, rotundus, haud craſſus eſt; ex eo quinque exeunt *ramuli* recti, firmi, foliolis denticulatis tenuibus, teretibus, & candidis, *Abrotoni fœminæ Narbonenſis* ſimillimis, ſed multo brevioribus, undequaque denſe ſtipati. Horum ramulorum *apices*, floribus *Carlinæ ſylveſtris Dodonæi* magnitudine ornantur, ex triplici aut quadruplici *petalorum* anguſtorum ſerie, colore purpureo & argenteo ſplendentium, *Xeranthemi* ſubſtantia conflatorum, quæ *umbonem* pilis ex albo ad cinericeum colorem tendentibus, ſplendore perjucundo, radiatim ambiunt.

3. Carduus *xeranthemos flore albo ampliore acaulis, Nobis. Carlina acaulos magno flore, C. B. P. Chamæleon albus, Matth. Caſt. Lugd. J. B. Carlina ſeſelis flore, Cam. Ixine Theophraſti, Ang. Chamæleon albus Dioſcoridis, ἰξία Theophraſti. Cluſ. Hiſt. Carduus* hic humillimus χαμαιλέων *à Dioſcor. & Plinio*, à foliorum varietate dicitur, quæ à colore viridi, albicantia, cœrulea, & interdum rubra conſpiciuntur. Ab Auctoribus *duplex* habetur, *albus*, & *niger*: *albus ἰξία* dicitur, à viſco quodam, quod radicibus enaſcitur & colligitur, & vice Maſtiches uſurpatur. E *radicis* longæ, craſſæ, capite, cortice fuſco & denſo obducto, ſtatim proveniunt *folia* in orbem humi fuſa, pedalis longitudinis, & palmaris latitudinis, inciſa, & in ambitu ſpinulis ſinuata, tantilla lanugine ex viridi caneſcentia, quæ per ætatem (ut in aliis) maculis verſicoloribus inſperſa ſunt. In horum autem umbilico *caput* grande, ſeſſile, ſpinis armatum naſcitur; ex quo *flos* diſcoides, palmaris latitudinis, humo quaſi incumbens, ex petalis plurimis albis, circumradiatis, compoſitus, ſereno tempore expanditur, qui nebuloſo aere, ut melius interiora ſemenque conſerventur, ſe contrahit & claudit.

In Pannoniæ, Auſtriæ, & Stiriæ montium declivibus Cluſius obſervavit, cujus icon ſatis pulchre ab eodem expreſſa eſt.

4. Carduus *xeranthemos flore albo cauleſcens, Nobis. Carlina cauleſcens magno flore, C. B. P. Chamæleon niger vulgaris, Trag. Eyſt. Chamæleon albus caule donatus, Lob. Carlina elatior, Chamæleon albus vulgaris, Cluſ. Hiſt.* Poſtremus iſte multo frequentior invenitur, & pedalem *caulem* adquirit. Anguſtiora habet folia, in multas lacinias diviſa, non paucioribus tamen, quam ſuperioris folia, aculeis horrida; *caput* in extimo caule minus amplum, *floremque* minorem. *Radix* perinde craſſa eſt ac ſuperioris, foris etiam fuſci coloris.

5. Carduus *xeranthemos vulgaris annuus, Nobis. Carlina ſylveſtris vulgaris, Cluſ. Hiſt. Cnicus ſylveſtris ſpinoſior, C. B. P. Carlina ſylveſtris, Dod. Carlina ſylveſtris quibuſdam, aliis Atractylis, J. B.* Palmarem aut dodrantalem altitudinem vix ſuperat hujus plantæ *caulis* inter *folia* anguſta, humi ſparſa, albicantia, & ſpinoſa. Cauliculi faſtigio, ut plurimum, bina inſident capitula ſpinoſa, quæ in *ſtellato flore* aperiuntur, ex petalis rigidiuſculis, ſiccis, & luteolis conflato, umbonem medium luteo-pallidum ambientibus. *Semen* breve, pappo rigido barbatum eſt, quo maturo *radix* perit; ſed reſiccata planta in collibus ſterilioribus, uſque ad annum ſuccedentem frequens conſervatur.

6. Carduus *xeranthemos flore luteo, capitulis parvis in umbella, Nobis. Acarna capitulis parvis luteis in umbella*

umbella, C. B. P. Acarna ſive Acorna altera Apula, Col. *Radix* pollice amplior, pedalis, lacte dulci turgida: *folia* ei ſunt etiam longa & anguſta, lævia, acutis admodum ſpinis: inter quæ *caules* prodeunt cubitales, lacte turgidi, foliis alternatim hærentibus: in ſummo quatuor aut plura capitella parva acanacea, denſe, corymbatim aut umbellatim naſcuntur, floſculis intus *Anthemidis* floſculos æmulantibus, luteſcentis coloris.

In Apulia naſci Cl. Fab. Col. prodidit.

7. Carduus *xeranthemos flore luteo patulo Hiſpanicus perennis, Nobis. Acarna flore luteo patulo, C. B. P. Carlina ſylveſtris minor Hiſpanica, Cluſ. Hiſt. Carduus Carlina ſylveſtris minor flore luteo, J. B.* Altitudine dodrantali aut pedali aſſurgit *caulis* rotundus, gracilis, firmus, cana lanugine obſitus, cui *folia* adhærent, Carlinæ vulgaris anguſtiora, ſpinis horrida. Caulis frequenter diviſus eſt, & capitula ſuſtinet ſpinoſa; in quo *flos* luteus orbem oculi imitans, media lanugine pallida, quam ambiunt rigidiuſcula & exſucca petala, flavi coloris. *Radix* tenuis vivax eſt, ut in Horto probavimus, quanquam C. *Cluſius*, & poſt eum *Jo. Bauhinus*, contrarium aſſerat.

Hactenus explicatæ ſunt Plantæ capitatæ, ſeminibus pappo donatis: nunc capitatas ſpinoſas proſequamur quarum ſemina pappo ſunt deſtituta. Harum tamen ut in præcedentibus, floribus ſingulis, ſingula ſuccedunt ſemina. Huc referendi ſunt Carduus globoſus, & Dipſacus. *Aliaſque Plantas ſubjungimus ſpinoſas, quarum floribus ſingulis plura ſuccedunt ſemina non pappoſa. Hac claſſe collocandi ſunt* Melo-Carduus, Euphorbium, Cereus, Ananas, &c.

PLANTÆ CAPITATÆ

Spinoſæ non Pappoſæ, (ſive Cardui improprie dicti) quarum flores capita circumſiſtant.

CAPUT XL.

Carduus globoſus.

TABULA XXXVI. SECT. VII.

Carduus ſphærocephalus ſeu globoſus

perennis

1. *Latifolius vulgaris, C. B. P. Carduus ſphærocephalus acutus major, Park.*
2. *Medius Pariſienſis, D. Fagon.*
3. *Cæruleus minor, C. B. P. Echinopus minor, J. B. Ritro floribus cæruleis, Adv. Lob.*
   Variat flore albo.
4. *Capitulo longis ſpinis armato, C. B. P. Carduus ſphærocephalus acutus minor, Park. Acutus, Dod.*
5. *Minimus acutiſſimis foliis, C. B. P. Park. 4. Dod.*

annuus

6. *Bæticus minor, Nobis. Carduus ſphærocephalus annuus, Cam. Hort.*
7. *Tenuiter laciniatus Luſitanicus, Tournefortii.*

1. Carduus *ſphærocephalus latifolius vulgaris, C. B. P. Carduus ſphærocephalus acutus major, Park. Carduus globoſus, Ger. Carduus ſphærocephalus, Dod. Tab. Eyſt. Spina alba quibuſdam capite echinato, J. B. Echinopus, Geſn. Ritro ſive Rutro Theophraſti, Lob. icon. Crocodilium, Chalceos, & Tetralix ſpinoſa, Lugd. Hiſt.* (*quæ ternas figuras unius & ejuſdem plantæ ponit.*) Hic *caule* eſt prælto, ad quaternos quinoſve pedes aſcendente; *foliis* laciniosis, magnis, longis, lætis, profundius inciſis, graveolentibus, ſuperiore parte dilute virentibus, inferiore candidioribus ac lanuginoſis. *Floſculi* è globoſo & abſolutæ rotunditatis capitulo in cauliculorum faſtigiis & ramulis exeunt candidi, fiſtuloſi, quinquefariam in oris diviſi, ſtylo in medietate cœruleo, verſus extremitatem quadrifariam diviſo. Floſculis ſingulis cum ſtamine fatiſcentibus, ſingula ſuccedunt *ſemina* oblonga, rotunda, nonnihil hirſuta, mediocris longitudinis, thecis hirſutis, tanquam vaginulis, incluſa. *Radix* ſatis craſſa & fibroſa, altero anno ligneſcit.

In montoſis ſylvis Germaniæ, & Italiæ ſponte naſci obſervatur. Floret menſibus Junio & Julio.

2. Carduus *ſphærocephalus medius Pariſienſis, D. Fagon.* Hæc ſpecies duorum pedum altitudinem raro ſuperat; *folia* vero lata & laciniata poſſidet. *Capitula* antecedentis ſimilia ſunt, globoſa, minora tamen.

3. Carduus *ſphærocephalus minor cæruleus, C. B. P. Carduus ſphærocephalus tertius, Dod. Crocodilium Monſpelienſium, Dal. Hiſt. Lugd. Echinopus minor, J. B.* *Caulibus* duobus cubitalibus angulosis aſſurgit, lanuginoſis & ramoſis; *foliis* averſa parte candida lanugine pubeſcentibus, adverſa in viridi pallidis, multis inciſuris laciniatis, & aculeatis; *capitulis* multis pilæ modo rotundis, & globoſis, pungentibus thecis, in quibus continentur *ſemina*, aſpectu cinereis; *flore* copioſo, cæruleo, aut hyacinthino colore donato.

In aridis & apricis circa Monſpelium copioſe oritur: quibus etiam locis, floribus albis invenitur.

4. Carduus *ſphærocephalus capitulo longis ſpinis armato, C. B. P. Carduus ſphærocephalus acutus minor, Park. Carduus globoſus acutus, Ger. Sphærocephalus acutus, Dod. Lugd.* *Caulem* ſurrigit cubitalem, ſtriatum, in plures ramos diviſum. *Folia* plus minus dodrantalia, tenuius foliis priorum diſſecta, tum alibi, tum ramuſculorum

divaricationi ſubjecta ſunt, & ſpinoſa. Singulis ramis inſidet *caput* ſphæricum, ſpinis cæteris prominentioribus armatum, unde acutus ab Auctoribus nominatur. *Flores* ad cæruleum colorem tendentes conſpiciuntur.

Provenit in montibus aridis, ubi humilior, & minor quoad omnes partes obſervatur.

5. Carduus *ſphærocephalus minimus acutiſſimis foliis, C.B.P. Carduus ſphærocephalus* 4. *Dod. Lugd.* Carduorum hujus ſeriei, quantum ex *Dodonæo* colligere licet, minimus eſt, *foliiſque* acutiſſimis ac ſpinoſiſſimis, *capitulo* exiguo, cujus *floſculi* ut plurimum albidi ſunt. An à priore ſpecies ſit diſtincta, quærendum eſt.

6. Carduus *ſphærocephalus Bæticus minor annuus, Nobis. Carduus ſphærocephalus annuus, Cam. Hort.* Dodrantalem altitudinem *caulis* raro excedit; Folia *Eryngii* diviſione, cum ſubdiviſionibus profunde laciniata ſunt, & ſpinoſa, inferne albicantia, ſuperne viridia. Caulis ſummitas *capitula* gerit rotunda, minora, *floſculis* cyaneis glomerata. *Semina* in thecis foliaceis continentur, ſatis magna, quibus matureſcentibus, *radix* perit.

7. Carduus *ſphærocephalus annuus Luſitanicus tenuiter laciniatus, Tourneſortii Pariſienſis*, qui in ſportulis ſuis extraneis detexit. Hujus *folia Coronopi* aut *Artemiſiæ* diviſura, ad nervum uſque medium tenuiter diſſecta ſunt, albedine pubeſcentia. *Caulis* pedalis, erga ſummitatem non nudus, ut in aliis, ſed folio uno vel altero conſimili, *capiti* ſphærico ſubjecto & contiguo donatus apparet. Hoc autem ex longis thecis foliaceis & acutis, ut in aliis compoſitum eſt.

PLANTÆ CAPITATÆ

Spinoſæ, non Pappoſæ.

CAPUT XLI.

Eryngium.

ERyngium *Gr.* ἠρύγγιον ἀπὸ τῆς ἐρευγῆς, *i. e.* ructu *nonnulli dictum putant, quod capræ quæ morſu ſurculum Eryngii præciderint, vel deglutiverint, totum gregem pone ſequentem quaſi ſtupore attonitum ſiſtant, donec Eryngium ructu rejecerint.*

Eryngium eſt planta humilis ſpinoſa, non pappoſa, capite coniformi donata, cui radiatim naſcentia ſubſunt foliola, ſeminibus binis ſimul junctis prædita. Eſt autem notatu dignum, quod propius intuenti appareat, bina ſemina compreſſa, ſtriata, poſt ſingulum florem pentapetaloidem provenire; quod cum umbellæ proprie dictæ nota ſit eſſentialis, proinde ad plantas umbelliferas non injuria reducatur. Sed cum planta ſit ſpinoſa, floribus & ſeminibus arcte ſine pediculis capiti adhærentibus, & à Dipſaco haud facile diſtinguenda; eiconeſque huc ipſum referentes ante aliquot annos, ſint inciſæ: non obſtantibus ſeminibus ipſis, ad conſimiles retulimus. Si cuipiam poſt Aſtrantiam diſponere viſum fuerit, per me non ſtabit.

TABULA XXXVII. SECT. VII.

Eryngium foliis

- *magis diviſis*
  1. *Vulgare, C. B. P. J. B. Eryngium campeſtre, Dod. Campeſtre mediterraneum, Adv. Lob.* ☉.
     Variat foliis anguſtioribus.
  2. *Montanum amethyſtinum, C. B. P. Eryngium cæruleum, J. B.* ☉.
  3. *Amethyſtinum minus folio longiore Luſitanicum, Tournefort.* ☉.
     An Eryngium minus montanum flo. cæruleo pulchro, viridar. Luſit.
  4. *Albis maculis notatum,* ☉.
  5. *Ex plani ſemine degener, Hort. Reg. Par. & Bleſ. auct.* ☉,
  6. *Maritimum, C. B. P. Geſn. Hort. Marinum Matth. J. B.* ☉.
  7. *Maritimum Luſitanicum amplioribus foliis, Hort. Reg. Par.* ☉.
  8. *Indicum ſpicatum, ſive Indicum Bontii,* ☉.
- *minus diviſis*
  - *rotundioribus*
    9. *Latifolium planum, C. B. P. Pannon. latifol. Cluſ. H.* ☉.
    10. *Alpinum cæruleum capitulis Dipſaci, C. B. P. Planum Matthioli, Dod.* ☉.
    11. *Planum minus, C. B. P. Puſillum planum, J. B. Puſillum planum Mutoni, Cluſ. Hiſt.* ☉.
    12. *Capitulis Pſyllii flore cæruleo ex Sicilia, Bocc.* ☉.
    13. *Syriacum ramoſius capitulis mineribus.*
        Eryngium cæruleum pumilum, Rawolf. Hort. Sicc. ☉.
  - *longioribus*
    14. *Americanum fœtidum, Hort. Lugd. Bat.* ♀.
    15. *Montanum pumilum, C. B. P. Pumilum Hiſpanicum, Cluſ. Hiſt.* ♀.
    16. *Parvum foliis ſerratis, Nobis. Carduus parvus, J. B.* ♀.
    17. *Minus paluſtre oderatum, Gab. Griſley.*
    18. *Paluſtre caule fiſtuloſo, capite cornuto, Tournefort.*
    19. *Omnium minimum paluſtre, ſive humi fuſum ut data*

opera

opera compreſſum videatur, Tournefort. ♃.
20. *Geniculatum foliis Juniperi Syriacum, Nobis. Mepaa Theoph. Rawolf. Hort. Sicc.* 201.
21. *Virginianum Yuccæ foliis, ſpinis raris tenellis & inutilibus ad margines appoſitis,* ☉.
22. *Mexicanum foliis longis dentatis, Scorpii ſpina, Hernand.* 222.
23. *Syriacum foliis Chamæleontis longis & ſpinoſis, Nobis. Silybum Dioſc. verum, nondum cognitum, Rawolf. Hort. Sicc.* 81.
24. *Trifolium, Park.* ☉.
25. *Lacuſtre flore ex albido cæruleo, caule & foliis Ranunculi flamei minoris, Virginianum.*
26. *Planum Portulacæ foliis Virgin. Jo. Baniſter. Forte Eryng. Plinii Portulacæ folio, D. Sprague.*

1. Eryngium *vulgare, C. B. P. J. B Cam. Eryngium campeſtre, Dod. Campeſtre vulgare, Cluſ. Hiſt. Mediterraneum, Tur. Geſn. Hort. Ger.* *Radix* longa, foris nigricans, intus albida, digiti calamive craſſitie; unde oriuntur *folia* viridia, quorum quædam pene ſunt integra, ſubrotunda, pediculis longis inſidentia, ſed pleraque multipliciter in varias particulas diſſecta, ſpinis ſecundum marginum crepidines horrent. *Caulis* in complures alas diviſus, cubitalis, *capitula* promit ſpinoſa, conica figura, avellanæ magnitudinis, cum foliolis plurimis anguſtis, & ſpinoſis, rigidis, circumvallatis. *Floſculi* omnino circum caput exeunt pallidi, & ex cœruleo albeſcentes, pentapetali, parvi, ſtaminibus in medio candidis; quorum ſingulis ſuccedunt bina *ſemina* brevia, ſimul juncta, arida, ſeparata, parte exteriore convexa, ſtriata, interiore concava, apiculis binis terniſve in ſummitate ſingulorum donata.

Locis incultis, quandoque ſaxoſis, ſecus vias, per univerſam Germaniam, Galliam, Bohemiam, aliiſque regionibus; ſed raro in Anglia reperitur. Poſt ſolſtitium floret æſtivum, Julio menſe, & nonnunquam tardius. Obſervet Lector, modum florendi, ſeminumque producendi, eundem eſſe, cunctis Eryngii ſpeciebus in hoc capite contentis; quare ſpeciatim dicere ſupervacuum eſt.

2. Eryngium *montanum amethyſtinum, C. B. P. Cæruleum, J. B. Caule & flore cæruleo, Aug. Eryngium totum cæruleum Eyſt.* Vulgaris Eryngii *foliis* exit, paulo anguſtioribus, & in multas ſciſſuras aculeatas dilatatis, quorum lati pediculi interdum impari poſitu amplectuntur *caules* cubitales, erectos, ſuperius in pauca adnata diviſos. Caulibus imponuntur *capitula* ſubrotunda, rigidis & longis aliquot foliis circumſepta, & *floſculis* exilibus cœruleis coronata. Tota ſæpe planta, ſaturato colore cœruleo elegantiſſimo aſpectui blanditur; interdum ſuperioribus tantum partibus oculis placet.

In montibus Stiriæ ſponte natum invenitur, & in Hortis alitur.

3. Eryngium *Amethyſtinum minus folio longiore Luſitanicum.* Elegans hæc planta ab induſtria egregii Botanici *D. P. Tournefort Pariſienſis*, in Luſitania reperta, *folia* edit præcedentis ſenſim anguſtiora, & in tenuiores fiſſuras diviſa; totaque planta in omnibus minor eſt & humilior; colore etiam inſigni cœruleo gaudet.

4. Eryngium *cæruleum albis maculis notatum.* Hujus *folia* amethyſtini antedicti rotundiora, & non in adeo profundas lacinias diſſecta, viridia, vel ſubcœrulea, maculis albis, præſertim ad originem laciniæ, inſignita ſunt. Caules & ſummitates pallide cœrulei ſunt coloris: aliis ad prædictum accedit.

5. Eryngium *ex plani ſemine degener, Hort. Reg. Par.* *Folia* prima, ampla & pene integra ſunt, glauca, rigida, & ſpinoſa, interdum varie fiſſa; cauleſcentia, in tenuiora ſegmenta ſunt diviſa, glauca, & ad cœruleum tendentia. Atque hiſce notis à prioribus dignoſcitur. An vero à foliorum rigiditate, modoque creſcendi; an è ſemine *plani Cluſii*, quod vulgo pro *Eryngio plano* habetur, ortum ſit, ſubdubitare licet.

6. Eryngium *maritimum, C. B. P. Eryngium marinum, J. B. Cluſ. Matth. Dod. Cæſ.* *Folia* ampla ſubrotunda, è virore cæſio ſubalbicantia, ſpiſſa & carnoſa, & juxta non altos ſinuum angulos, temporis decurſu ſpinoſa, craſſis & carnoſis pediculis ſubvecta, prodeunt è *radice* valde prolixa, & per intervalla nodoſa, ſubalbicante, æqualis pene craſſitudinis, guſtu aromatico, æque ac odore cognatum genus reſipiente. Alterum demum poſt annum, inter illa *caulis* attollitur, pluſquam dodrantalis, craſſus, & quaſi nervulis per longitudinem liratus, cujus cacumina in brachia dirimuntur. Eorum autem extremitates ſingulæ globoſum *capitulum* ſuſtinent, ſenis anguſtis ſinuatis foliolis rigidis & ſpinoſis, ſtellato ambitu ſuffultum, quod ſimul cum *floſculis*, illud propter filamenta media albicantia obſidentibus, cœruleum colorem refert.

In arenoſis oris maritimis, variis Europæ regionibus frequens oritur. Radix minimi digiti craſſitie, adeo profunde demittitur, ut tota (quanquam in arena fere laxa ſita) extrahi nequeat, niſi admodum raro.

7. Eryngium *maritimum Luſitanicum amplioribus foliis, Hort. Reg. Par.* Eryngium hoc novum omnibus præcedenti reſpondet, niſi quod majus ſit omnibus ſuis partibus, non præ cultura tantum, ſed natura efformante.

8. Eryngium *Indicum ſpicatum, ſive Indicum Bontii; qui in Hiſtoria ſua, biſce verbis edidit.* Quod ad *folia* attinet, *Eryngio* maritimo vulgari ſimile eſt; *flore* tamen omnino differt, qui ſpicatim prodit, non ſecus ac flos *Lavendulæ*, niſi quod longe major ſit; coloris ex cæruleo pallidi. Florens per totum annum conſpicitur, & libenter circa paludes creſcit, & longa ſpatia occupat, læto ſane ob pulcherrimos flores aſpectu. *Radicem* habet aromaticam, & blande calidi ſaporis.

Eryngia foliis minus diviſis rotundioribus.

9. Eryngium *latifolium planum, C. B. P. Planum latifolium capitulo rotundo parvo, J. B. Eryngium ſpurium primum, Dod. Planum, Matth. Pannonicum ſive montanum, Park. Pannonicum latifolium, Eyſt.* *Radice* nititur craſſa, dulci, & aliorum Eryngiorum modo longa. Juxta hujus caput in oblongis pediculis ſpectan-

tur *folia*, ſecundum baſin latiora, & paulatim in longitudinem demum obtuſam ſpeciem induentem porrecta, viridia, *Dipſaci* foliis novellis congrua, ambitu inæqualium ſerraturarum diſtincta. *Caules* conſcendunt ſtatim à radice multiplices, cubitales, & ſeſquicubitales, ſtriati, quos etiam ex intervallis, lata & membranacea ſede complectuntur, & in multifidas pungentes ſerratas lacinias abeunt. *Rami* vero caulium multiplicati vetuſtate cœruleum colorem adquirunt, atque cacuminibus ſuis echinata globoſa capitula oſtendunt, & in his puſillos *cæruleos floſculos*, albida ſtaminula è medio exerentes, qui novenis aut pluribus oblongis anguſtis foliis leviter diſſectis, & radiatim expanſis excipiuntur. Interdum *flos* in *album colorem* variat, ſummitaſque plantæ viridior, & non ad cœruleum tendens conſpicitur.

Sponte naſcitur in pratis ad Danubium, ſupra & infra Viennam ſitis. Floret Menſibus Junio & Julio.

10. Eryngium *Alpinum cæruleum capitulis Dipſaci, C. B. P. Eryngium Alpinum latis foliis, magno capite oblongo cæruleo, J. B. Eryngium montanum tenuifolium, ambitu profunde ſinuatum, Lob. Hiſt. Eryngium cæruleum Genevenſe, Adv. & icon. Lob.* *Caput* hujus perquam cœruleo arridet colore, & *cauliculos* ex *radice* promit plures, rectos, cubitales & ſeſquicubitales, aliquando per intervalla geniculatos: *folia* inferiora majora latioraque, ambitu crenata; ſuperiora autem minora, ſtellatim articulos ambientia, molliter ſpinoſa: *capitula* item ſpinoſa, colore cœrulea: *radicem* toroſam, veluti *Helenii*, foris nigricantem, intus albidam, odoratam, ſapore Eryngii, habet.

In monte Thuiri florere incipientem, Jo. Bauh. reperit, Menſis Julii principio.

11. Eryngium *planum minus, C. B. P. Puſillum planum, J. B. Puſillum planum Mutoni, Lob. Lugd. Cluſ. Hiſt.* Humile erat, inquit *Cluſius*, hoc *Eryngium*; ſtatim à *radice* repente plures ramos divaricatos, teretes, procumbentes edebat; ad quorum ſingula genicula naſcebantur inordinata *folia* extrema latiuſcula, circa pediculum anguſtiora, & crenata; quæ vero circa *radicem*, forma quidem illis ſimilia, ſed ampliora, unciam lata, binas aut amplius longa, ex viridi palleſcentis coloris; frequentes ex alis naſcebantur *ramuli*, ad quorum ſingulos nodos *foliola*, & echinata virentiaque *capitula* exoriebantur. Radix *Corrudæ* aut *Aſparagi*, ſed multo minor, perennat, teſte *Hiſt. Lugd.*

12. Eryngium *Siculum capitulis Pſyllii flore cæruleo, Bocconi.* Hoc ad *Eryngii plani* genus pertinet. Quod *capitulis Pſyllii* proveniat, ſic appellatur à *D. Bocconi.* Conſtat enim *radice* tuberoſa, ad *Raphani* formam accedente. Cum primum *folia* oriuntur, ſunt glabra, rotunda, indiviſa, ſed per oras crenata, longiſſimis & capillorum inſtar tenuiſſimis pediculis pendentia. Caulis pedalis & altior, capitulis in ſummitate & caulium alis ſpinoſis, *Pſyllii* quodammodo æmulis, è quibus *floſculi* prodeunt purpurei. Subſunt etiam ſingulis horum capitum *foliola* anguſta, longa, dura, & mucrone pungentia, multo longiora iis quæ in vulgari conſpiciuntur.

In neglectis agris & aridis (ut plurimum) locis magna copia naſcitur circa Saccam, Panormum, & Agrigentum, aliaſque urbes.

13. Eryngium *Syriacum ramoſius capitulis minoribus, Nobis. Eryngium Cæruleum pumilum, Rawolf Hort. Sicc.* Planta hæc ex Aleppo, à *Cl. viro D. D. Huntington* tranſmiſſa, *folia* primo profert rotunda, crenata & indiviſa, pediculis appenſa. Caules pedales in quamplurimas & extentas ramificationes, *Cardui* ſtellati more, diviſi ſunt, variiſque foliis plurifariam diviſis, ſpinoſis, ad genicula, veſtiuntur. *Capitula* non ſeſſilia, ſed petiolis gracilibus inſident, parva, rotunda, ſpinoſa, Pſyllii capitula non excedentia, & *floſculos* cœruleos proferentia. Sub ſingulo capitulo *foliola* quinque longa, anguſta, recta, & acuta, omnino indiviſa naſcuntur.

14. Eryngium *Americanum fœtidum, Hort. Lugd. Bat. Itubu Surinamenſibus.* *Folia* circa *radicem* humi procumbunt, in orbem digeſta, digiti longitudinem & latitudinem aliquando excedentia, mollia, obtuſa, in ambitu crenata, ſingulis crenis in mollicellas ſpinas definentibus; aſt quæ *caulium* geniculis per intervalla adnaſcuntur, ſunt rigidiora, mucronata & laciniata, marginibus profundius ſerratis, & robuſtioribus aculeis armatis. *Caules* recti, firmi, ſtriati, in frequentes ramos divaricati, quibus inſident *capitula* oblonga, echinata, herbacea, *Pſyllii* craſſitie, ſubtus aliquot rigidis aculeatis foliolis circumvallata. Intra echinos capitulorum abſconduntur *floſculi* exigui, pallidi, vix conſpicui, fatiſcentes in *ſemina* parva, ſuæ ſortis paria. *Herman.*

Ex Inſula Barbadienſi habemus.

15. Eryngium *montanum pumilum, C. B. P. Pumilum Hiſpanicum, Cluſ. Hiſt. Pumilum Cluſii, Tab. Dod. Lugd. Ger. Eryngium pumilum, J. B.* Palmaris, nonnunquam pedalis eſt altitudinis; *caule* gracili, erecto, multis ramis ex adverſo ex ſingulis geniculis ut plurimum naſcentibus prædito. *Folia* prima circa radicem in rotæ ſpeciem humi ſparguntur, majuſcula, latiuſcula, ſerrata, in mucronem aculeatum definentia; at quæ in ipſo *caule* naſcuntur, multifida ſunt, tenuia, in ambitu ſerrata, & aculeata. *Capitula* globoſa ſummitatibus inſident, octo plerumque ſpinoſorum foliorum ambitu ſtellæ inſtar circumvallata. *Flores* cœrulei ſunt. *Radix* dura, ſed non vivax. Erecta eſt planta, parum ramoſa.

Poſt meßes paſſim in agro Salmanticenſi, in collibus, & nuſquam alibi, naſcitur.

16. Eryngium *parvum palmare foliis ſerratis, Nobis. Carduus parvus, J. B.* Inventus mihi inter Plantas *Valerandi Dourez, pulchellus Carduus minor*, longiuſcula ſed gracili *radice*, nixus: à qua *caules* ſurgunt aliquot tenues, palmares, & altiores, in plurimos ramos diviſi; perque hos *foliola* uncialia, culmum lata, ſpinulis per margines donata, ſubhirſuta; *capitula* extremis ramulorum hærentia, inter plurima foliola ſerrata, erecta, & quaſi inter reticulatos pinnatorum foliorum cancellos concluſa, veluti *Dipſaci capitula*. Carduus hic non major eſt ipſa icone, prout à nobis viſus. Ita *Jo. Bauhinus.*

17. Eryngium *minus paluſtre odoratum, Gab. Griſley, Viridar. Luſitan.* Optandum ſane (quod obiter notaverim) ut plantæ quæ in terra Luſitanica uberrime proveniunt, accuratius inveſtigarentur. Hanc (præter alias quaſdam non minus raras) cum duabus ſequentibus feliciter detexit prædictus *D. Tournefort.* Hujus *folia* anguſta, ſerrata, digiti longitudinis, in orbem humi expanſa ſunt. Inter hæc autem *caulis* erigitur pedalis, in ramulos aliquot fiſſus, quorum extremitates *capitula* parva foliolis circumvallatis, ornata ſunt. Tota planta odorem ſpirat ſatis gratum.

18. Eryngium *Luſitanicum paluſtre caule fiſtuloſo, capite cornuto, Tournefortii.* *Folia* integra uncialibus pediculis à radice appenſa, biuncialis ſunt longitudinis, ex anguſto principio in ſemiuncialem latitudinem in medio extenſa, mucronata, glabra, & in ambitu dentata, humi ſtrata; ex quorum umbilico aſſurgit *caulis* rectus,

rectus, teres, fiſtuloſus, foliolis paucis minoribus, fortuito poſitu amictus, qui ad dodrantalem altitudinem in brachia duo, quaſi cornua, binas aut tres uncias longa, ſe dividit (fortaſſe vero in lætiori ſolo nutrito augmentum proveniat) in horum autem angulo, ſeſſile eſt *Eryngii capitulum* breve, cum foliolis acutis quinque vel ſex, ut in aliis ſubpoſitis. In iſtis cauliculis, ad uncialem intercapedinem, æque ac in terminatione, *capitulum* enaſcitur conſimile, pediculo deſtitutum.

19. Eryngium *omnium minimum paluſtre Luſitanicum, ſive humi fuſum, ut data opera compreſſum videatur, Tournefortii.* Planta hæc quoque nova & inaudita, à *radice* longiuſcula, *folia* exigua & anguſta, vix uncialem longitudinem, nec culmi latitudinem acquirentia, dentata, ſtellatim expanſa, producit. E centro cauliculos tenues emittit, nunc rectos, modoque recurvos, cum binis foliolis ad genicula è regione adnatis, ubi ſtatim dividuntur, & in *capitula*, pro plantulæ modulo ſatis magna, cum foliolis acutis circumſitis, ut in congeneribus, deſinunt. *Planta* hæc perelegans, inter minimas eſt; cauliculi adeo humum petunt, ad inſtar *Coronopi*, ut nec ii nec capitula omnino attollantur, ſed quaſi pedibus depreſſi appareant.

20. Eryngium *Syriacum geniculatum foliis Juniperi, Nobis. Mepæa Theophraſti, Rawolf. Hort. Sicc.* 201. Hujus *caulibus* erectis, *folia* tenuia & acuta, *Juniperi* ad inſtar, denſe ſtipata, ad ſingula genicula apponuntur. Atque his facile dignoſcitur. *Capitula* ſunt *Eryngii*, parva, foliolis circumvallata.
In itinere Orientali D. Rawolfius legit.

21. Eryngium *Virginianum Yaccæ foliis, ſpinulis raris tenellis & inutilibus marginibus appoſitis.* Hoc rarum & non ita pridem detectum Eryngium in Virginia à *D. J. Baniſter*, & ex ſeminibus ad nos delatis, in Horto publico Univerſitatis ſatis ubertim pullulavit. *Caulem* edit rectum, cubitalem, in cujus ſummo faſtigio plura *capita*, vulgarium cæterorum more, cernuntur, *floſculis* pentapetaloidibus albis onerata. Horum autem ſingulis evaneſcentibus, ſuccedunt bina ſemina, in apicibus aculeata, prædictorum *Eryngiorum* more. *Folia* producit plura, ex radicis capite immediate è terra exſurgentia, pedalia ſaltem, intus cava ſeu canulata, foris convexa ſeu gibba, atque ſurſum verſus *foliola* parva, ejuſdem figuræ, mucronata. Singula folia tam inferiora quam ſuperiora, ſpinulis lævibus & innoxiis in margine ornantur, loco ſpinarum in cæteris. Denique *folia* ejus primo anno naſcentia adeo ſimilia apparent *Yaccæ* foliis, ut ſub eadem ſpecie collocari poſſe non immerito videatur.

22. Eryngium *Mexicanum foliis longis dentatis, Ocopiaztli Scorpii ſpina, Hernand.* Herba eſt ſpinifera, *folia* proferens *Cirſii*, ſpinis horrentia, prælonga & anguſta; *caules* longos, teretes ac læves, quorum ſupremis partibus hærent capitula ſpinis horrida, *Eryngii Dipſacive* haud diſſimilia, ac floſculis contecta purpureis.
Planta hæc inter Eryngium & Dipſacum quaſi media videatur: ſi perennis ſit (ut probabile eſt) hunc locum ſibi vendicabit.

23. Eryngium *Syriacum foliis Chamæleontis longis & ſpinoſis, Nobis. Silybum Dioſcoridis verum, nondum cognitum, Rawolf. Hort. Sicc.* 81. Hujus *folia*, longa, ſinuata, & ſpinoſa, aliorum Carduorum ſive Chamæleontis, ſimilia ſunt; *flores* vero non è capitis vertice, ut in *Carduis*, ſed Capite unciali, turbinato circumcirca, ut in aliis hujus familiæ, glomerati emergunt; *foliolis* quoque longis ſpinoſis, aliorum more circumactis.

24. Eryngium *trifolium, Proſp. Alp. de Exot. Eryngium trifolium Alpin. Park.* Eryngiis itidem adſcribenda eſt hæc planta in aſperis naſcens, prorſus Stirpium ſtudioſis nova. Cubitalis & folioſa eſt, ab *radice* ſatis tuberoſa, turbinata, multas fibras à ſe emittente; *folia* complura, longa, tenuia, viſu Holoſtei foliis ſimilia, duriora tamen; quorum quædam in caulis ſummitate tria habent alia oblonga, verſus pediculi ſummitatem, *Trifolii* ritu juncta. E medio foliorum ſingulatim ex radice exeuntium, exſurgit *caulis* unicus, rectus, rotundus, gracilis, hinc inde foliis trifoliatis, per intervalla, alternatim cinctis. In ſummitate vero caulis duo aut tria capitula *foliolis* ſpinoſis cincta, apparent, *floſculis* multis purpureis, pentapetalis onerata, ad *Eryngii montani* floſculos proxime accedentibus; quibus ſingulis evanidis, ſuccedunt bina *ſemina* ſimul juncta, aliorum Eryngiorum ritu.

25. Eryngium *lacuſtre flore ex albido cæruleo, caule & foliis Ranunculi flamei minoris Virginianum.*

26. Eryngium *planum portulacæ foliis Virginianum. Forte Eryngium Plinii Portulacæ foliis D. Spragge, Raii App.*

Hæc duo jam tantum memorata in *Virginia* ſponte naſcentia *D. Baniſter* collegit, & nobis in ſcriptis tranſmiſit, quorum nomina ſatis accommodata rem totam demonſtrant.

Eryngium *arvenſe foliis ſerræ ſimilibus, C. B. P. Eryngium* 4. *Dod.* Lege quæ de *Ammi perenni* in Sectione nona, de Umbelliferis agentes tradidimus.

Eryngii Vires & Uſus.

Radix præcipuè in uſum venit, & vel vulgaris vel marini eligitur; excalefactoria & moderate reſiccans; nephritica eſt & alexipharmaca; urinas movet; menſes pellit; tormina & inflationes diſcutit; & jecinoroſis utilis eſt. Non parvam habet ſiccitatem in tenui eſſentia conſiſtentem, qua reſerare hepatis, renumque obſtructiones poteſt. In compoſitione Diaſatyrii præſcribitur; & in numero quinque radicum minorum aperientium collocatur.

Saccharo aut melle condita, nemini diſplicet; non modo nephriticis prodeſt, ſed & veneris concitatrix eſt. Eandem vim habet in pinguium carnium jure decocta. Ad menſes ducendos, in decoctis aperientibus, & materiam peccantem præparantibus, optimi eſt uſus.

Affirmabat quidam, inquit Ætius, aſſiduo Eryngii uſu ſe nunquam poſtea minxiſſe calculos, cum prius eo morbo frequentiſſime vexaretur.

Foliorum ſuccus cum vino expreſſus, ut & radices coctæ, iis proſunt qui venerea gonorrhœa vexantur.

PLANTÆ

PLANTÆ CAPITATÆ

Spinoſæ non Pappoſæ.

CAPUT XLII.

Dipſacus, ſive Labrum Veneris.

Δίψακος *quaſi ſitiens dicitur, quod aquam in coherentium foliorum ſinu contineat, qua ad ſitis injurias abigendas utatur. Labrum Veneris à foliorum etiam poſitu, pelvis ſeu lavacri ſpeciem conſtituentium, humorem perpetuo continentium, appellatur.*

Dipſacus eſt planta procera, caule ſpinoſo, capite reſupinato, conico, floſculis ambientibus, annua, quibus ſingulis, ſingulari ſquama diviſis, ſuccedit ſingulare ſemen quadratum, ſolidum.

TABULA XXXVIII. SECT. VII.

Dipſacus ſquamis
- *reflexis*
  1. *Sativus, C. B. P. J. B. Dod. Ger. Park. Labrum Veneris, Matth. Cardui Fullonum, Lob.*
  2. *Sativo ſimilis hamis brevioribus.*
- *rectis*
  3. *Sylveſtris aut Virga paſtoris major, C. B. P. Sylveſtris ſive Labrum Veneris, J. B.*
  4. *Folio laciniato, C. B. P. Sylveſtris folio laciniato, J. B. Park.*
  5. *Sylveſtris capitulo minore, vel Virga paſtoris minor, C. B. P. Virga paſtoris & Dipſacus fatuus, Lam.*
  6. *Mexicanus, Cohayélli, ſive Herba ſerratorum foliorum, Recchi.*
  7. *Indicus maximus, pluribus capitulis racematim diſpoſitis, Ambroſin.*

1. Dipſacus *ſativus, C. B. P. J. B. Dod. Ger. Park. Labrum Veneris, Matth. Dipſacus ſive Labrum Veneris, Lugd. Hiſt. Geledragon Xenocratis, Anguil.* Plantarum aculeatarum generis eſt *Dipſacus. Caulem* edit humanæ altitudinis, rectum, geniculatum, & ſpinis horrentem. *Folia* è ſingulis articulis bina non modo contra ſe poſita, ſed & caulem amplectentia, ſimulque coalita, ita cohærent ut unum quaſi appareant, & ad caulem concava ſunt, ut exigui labri modo, rorem, imbrem, pluviamque contineant. Longa autem hæc ſunt, & glabra, marginibus modice ſpinoſis, dorſo vero eminente, durioribus etiam ſpinis rigentiora. Scaporum faſtigia oblonga occupant *capitula*, mordacibus ſpinis echinata, mucronibus hamulorum inſtar reflexis & recurvis; è quibus *floſculi* candidi, ad ſingulas ſquamas proveniunt. *Semen* quadrangulum, in ſingularibus capſulis incluſum, amaricans. Inalbicant præ venuſtate capitula, ac in ipſis per medietatem Sectis, ſubinde parvi vermiculi reperiuntur.

Juxta *fluminum & ſcrobium margines naſcitur; variis locis & terris colitur, ſingulari à cultoribus adhibita diligentia, ad rudes pannos expoliendos. Menſibus Junio & Julio floret. Echinata capitula in Autumno colligenda ſunt.*

2. Dipſacus *ſativo ſimilis hamis brevioribus.* E Gallia hanc ſpeciem recepimus, quæ antecedenti convenit: *folia* vero glabriora & non adeo ſunt ſpinoſa; hamæque *capituli* recurvæ ſunt, ſed ob brevitatem minus ſunt horridæ.

3. Dipſacus *ſylveſtris ſive Virga paſtoris major, C. B. P. Dipſacus ſylveſtris ſive labrum Veneris, J. B. Labrum Veneris flore purpureo, Cæſ. Dipſacus ſylveſtris, Dod. Folia* primo anno, longitudine dodrantalia, latitudine trium digitorum, aſpera, rugoſa, & ſuperius aculeis armata, undique in orbem ſtrata ſunt; è quorum medio, ſequenti anno caulis aſſurgit rectus, humanæ altitudinis, teres, geniculatus, & ſpinis *Raiæ* piſcis modo armatus, præſertim in ſummis virgis. *Folia* è ſingulis geniculis bina exeunt, aculeis in eminenti dorſo *Luciorum* dentibus ſimilibus, non ab invicem diſcreta, ſed continua juxta exortum, & concavo ſinu, veluti labro quodam caulem amplectuntur. *Capitula* ſunt oblonga, ovata, aculeis longis, anguſtis, mollibus, & obliquo ordine diſpoſitis, ſurſum verſus, conſtantia. Subtus longi quidam radii foliacei, reſupinati, & inferius aculeati, exeunt. Omnia *capita* oblongam habent cavitatem, in qua nonnunquam vermiculi gignuntur. *Flores* inter ſquamas proveniunt purpuraſcentes; & *ſeminibus* anguloſis matureſcentibus, *radix* perit.

In ruderibus, & ad foſſas frequens oritur.

4. Dipſacus *folio laciniato, C. B. P. Dipſacus ſylveſtris folio laciniato, J. B.* Hujus *folia* inferiora & humi ſtrata, ampla ſunt, & antecedentis molliora, margine dentata, & integra; aſt quæ ad *caulem* naſcuntur, labrum quoque formantia in profundas lacinias diſſecta ſunt. *Flores* exalbidi ſunt, è capitibus vulgaris ſylveſtris ſimilibus, circumcirca provenientes.

Inter Horburgum & Colmariam, in Alſatia, J. B. legit.

5. Dipſacus *ſylveſtris capitulo minore, vel Virga paſtoris minor, C. B. P. Virga paſtoris, Park. Virga paſtoris vulgaris, J. B. Dipſacus minor, Geſn. Hort. Thal.* Ad *caulem* quoque procerum, *folia* bina è regione ſita ad genicula naſcuntur, minime caulem amplexantia, ſed pediculo unciali appenſa, infima parte verſus caulem

binis

binis auriculis donata; poſt auriculas, in palmarem latitudinem dilatantur, brevia, & ſerrata, ſpinis qua terram ſpectant, per nervos armata. *Capitula* (quibus ſex circiter folia ad baſin oriuntur acuta) prædictorum minora ſunt, & magnitudinem nucis moſchatæ vix excedunt, *floſculis* albis *apicibus* partim cineraceis, partim atropurpureis, confertim ſtipata, inter quos erepunt ſpinæ nigricantes, piloſæ & mollicellæ.

Ad vias & vineas, & ad radices murorum, quos alunt rivuli, frequens ſponte naſcitur. Floret menſibus Maio & Junio; & Autumno, ſemine perfecto perit.

6. Dipſacus *Mexicanus*, *Cohayelli, ſeu Chichica Hoaxton, ſeu Herba ſerratorum foliorum, Recchi, Hiſt. Mex.* Herba eſt ſpinoſa, proferens *Cirſii* folia longa, & anguſta, ſerrata, & ſpinoſa, unde nomen; *caules* rotundos, cavos, purpuraſcentes, & in eorum cacuminibus, *capitula* ſpinifera, & obrotunda; *radices* fibratas. Capitula ſunt vulgaris Dipſaci ſimilia; foliaque ex oppoſitione bina, quaſi unum fiunt.

7. Dipſacus *Indicus maximus, pluribus capitibus racematim diſpoſitis*, *Hyacinth. Ambroſin.* Qui iconem ejuſdem tantum nominatam exhibuit, unde quidem *folia* oblonga, obtuſa, in ambitu dentata eſſe colligere licuerit. *Caulis* rectus, procerus; *capitula* oblonga, hiſpida, tenuiora, numero ſex vel ſeptem ſummo cauli racematim inſidentia, cernuntur.

Vires & Uſus.

Dipſaci ſativi capitula proſtant in tabernis Fullonum, & eorum qui in pannis rudioribus depectendis verſati ſunt; cui uſui ob hamos ſuos rigidos & recurvos, optime inſerviunt.

Radix decocta ſanat rimas ſedis, & fiſtulas; ſi decocta in vino tuſaque ad craſſitudinem ceræ admoveatur. Eadem tuſa & melle excepta Phthiſicis deſperatis mire proficua eſſe comperitur; ſcrophulas ſanat, omnique putredini reſiſtit.

Aqua in foliis reſerta, ad oculorum claritatem, & faciem emendandam, pulchritudinis gratia, in uſum venit; unde forte labrum Veneris appellatur.

PLANTÆ SPINOSÆ

Capitatæ exoticæ, foliis Aloes.

CAPUT XLIII.

Pinea Braſiliana, Ananas dicta.

1. CArduo *affinis ſive Pinea Braſiliana Ananas dicta, Nobis. Carduus Braſilianus foliis Aloes, C. B. P. Nana ſive Strobilus Peruvianus & Ananas, J. B. Matzatli ſeu Pinea Indica, Hernandez. Hiſpaniolæ indigenis Jajama, & Yayama. Pinea dicitur quia ſimilis Pini fructui.* Nomine *Kapa-tſjakka Hort. Mal. Part. II. fuſe deſcribitur.* Ex provincia S. *Crucis* in *Braſilia* primum in occidentalem, deinde etiam in Orientalem Indiam, ubi majores fructus profert, delata eſt; in quibus nunc uberrime provenit, & ob fructus generoſiſſimos atque antecellentes alitur; quorum quidem ſuccus bonitate & ſuavitate, omnium fructuum aliorum ſuccum præcedit. Quidam fragrantiam *Mali Perſici* probe maturi ſpirare putant; alii ad *Fragarum* ſaporem accedere exiſtimant; alii etiam vini guſtum, cum aqua roſacea & ſaccharo permixti eidem tribuunt. Sane fructus delicatiſſimos eſſe, longe alios ſuperantes, omnes uno ore concedunt. Adeo ſunt odoriferi, ut quibus ædibus ſint, prætereuntibus odor indicet.

E *radice* longa, fibris adnexis, *folia* pedalia aut bipedalia, gladiata, viridia, ad acies ſpinulis crebris, recurvis, denticulata, Yaccæ modo radiatim proveniunt. Ex horum autem medio aſſurgit caulis cubitalis aut bipedalis, qui *Cinaræ* in modum *capitulum* ſuſtinet ovale, binorum pugnorum magnitudine, Strobili aut *Pini ſativi* fructus, cum eminentiis protuberantibus, pene æmulum; ex viridi flavi coloris, cum umbilico in qualibet eminentia donato. Augeſcente capitulo, *floſculi* ex tribus petalis cœruleis conflati, inter foliola cernuntur. Fructus maturus decorticatur, & materia ſucculenta & carnoſa flaveſcens expreſſa gratiſſime comeditur; in qua *granula* ſeminis loco conduntur, ſed non vegetabilia; incrementum vero ex ſtolonibus lateraliter provenientibus fit, & præcipua planta ſuccedens, eſt roſacea ex conſimilibus foliolis compoſita, & ex apice fructus glorioſe enaſcitur. Planta iſthæc decerpta, terræque commiſſa, anno ſequenti fructum præbet.

In pleriſque calidioribus regionibus habetur; è quibus plantæ productioni paratæ, Curioſis adferuntur, atque in æſtuariis & conſervatoriis noſtris calefactis, calorem Indicum mentientibus, ad maturitatem producuntur, & inter delicias exquiſitiſſimas magnatum non immerito cenſentur.

Fructus ob ſuavitatem ab omnibus expetitur, & inter bellaria præſtantiora inſtruenda habetur. Corroſivam facultatem ei quidam tribuunt; quamobrem ejuſdem exceſſus cohibetur, ne dyſenteriam libere edentes contrahant. *Fructus* ſucculentus febricitantibus, moderate ſumptus, ſatis proſpere adhibetur. *Liquor*, (ſeu vinum ejuſdem expreſſum,) urinam provocat, & nephriticis utilis eſt; ſed ob acrem intermiſtam qualitatem, modica quantitate ſumendus eſt.

2. *In Braſilia*, naſcitur ſpecies altera *Bonjama* dicta; cujus fructus interius albicans, ſaporis dulciuſculi eſt, & quodammodo fatui.

3. Tertia *Iajagua* & *Yayagua*; & ipſa alba, ſaporem vini Rhenani æmulatur, guſtu ſubacido & acerbo.

4. *Ananas ſylveſtris folia Aloes fructu cupreſſino, J. B. Carduus Braſilianus ſylveſtris, C. B. P. Ananas ſylveſtris*

ſtris, Acoſtæ, Lugd. Nana brava, i. e. ſylveſtris Braſilienſibus, Marcgrav. Folia circa radicem cuſpidibus ſpinoſis prædita, & per ambitum mollibus ſpinis ſepta, Aloes ſimilia. Truncus lævis, rotundus, *Mali aureæ* craſſitie, haſtæ magnitudine, in ramuſculos diviſus, quibus glomerata ſunt folia minora; atque ex eiſdem ramulis *flores* proveniunt flaveſcentes ſuaviſſimi odoris. Ex horum ſingulis *ſpica* prodit, Arundinis ſpicæ non abſimilis, ſed craſſior, compactior, & elegantior, odore Cedri. E ramis dependent fructus *Melonis* magnitudine, coloris rubri elegantis, toti in partes diviſi, quemadmodum Cupreſſini ſtrobili, ſeu nuces exſiccatæ, ſed tuberculis foris obſiti, ut procul ſpectantibus magni Pinei ſtrobili appareant. Hic fructus paucis pro cibo eſt.

Succus Ananæ ferrum corrodere dicitur non ſecus ac aqua fortis.

5. Pinea *Malabarica ſive Ananas ramoſa prima odorata, Kaida ſeu Bendaki Bramanarum, Hort. Mal. T. 2.* In ripis aquarum naſcitur: *folia* oblonga, & cuſpidata, longitudine, 5. 6. ſeptemve cubitorum, tribus ordinibus aculeorum, duobus in oris, uno in medietate ſeu coſta muniuntur; loco *florum* faſciæ albicantes floſculoſæ, ſupra exortum foliorum prodeunt. *Faſciæ* hæ in foliis oblongis, cuſpidatis, candidis, primum involutæ ſunt, ac foliis apertis ſe produnt ex diuturniore apertione rubeſcentes; ſuntque, ſicut & folia, albicantes, odoris acris & fragrantis. *Fructus* qui faſciis floſculoſis ſuccedunt, oblongo-rotundi ſunt & prægrandes, primum viridi-fuſci, dein vetuſtiores colore rubicundo, in cortice confertis tuberculis exturgeſcentes, ac in ſingulis tuberculis tribus aculeatis, ruffo-rubris, duris lignoſis papillis muniti, carne intus flava, ſucculenta. *Cortex* molliculus ramulorum radicaturas molles, ut in Arbore de Rayz, & Sedo arboreſcente, obſervare eſt, emittit copioſe dependentes.

6. Pinea *Indica ſive Ananas fructu rotundiore tuberculis majoribus, Kaida Taddi, Hort. Mal. T. 2.* Fructus profert prægrandes, forma rotundiores, in corpore diverſis grandibus nodis (qui ſulcos profundos & latos oſtendunt) extuberantes, eoſque in ſuperficie nodorum ſeptem octove paſſim minoribus nodulis, in quibus ſingulis papilla duriola, ruffa eminens eſt, interſtinctos, colore primum viridi, dein corallino-rubro, ac in ſuperficie nodorum ſingulorum dilutiore; carne intus flava, in medietate caverna vacua excavatos, ac carne albicante facinacea; in medio nodi cujuſque unum rotundum oblongum ſemen continentes.

7. Pinea *Indica ſive Ananas fructu oblongo-rotundo minoribus nodis, Periu Kaida Taddi, Hort. Mal. T. 2. Folia* antedictarum foliis conſimilia ſunt. *Fructus* oblongo-rotundi, ac minoribus nodis donati, (qui ſulcis quoque profundis interſtincti ſunt) extuberantes, ac in ſuperficie cujuſque nodi, una papilla ruffa nigricante præditi. Suntque hi flavo-rubeſcentes, ac odoris vegeti, haud ingrati.

8. Pinea *Indica ſive Ananas montana fructu anguſtiore viridi, Kaida Tſjerria, Hort. Mal. T. 2.* In opere hoc inſigni, eſt & alia ſpecies memorata, in montoſis naſcens; cujus fructus (quibus ab antedictis præſertim differt) forma oblongo-rotundi ſunt, & anguſtiores, in ſuperficie bullis ſeu oculis extuberantibus donati, & oblongis nigricantibus, rigidis ſpinis in vertice bullarum muniti, cortice viridi, ac odoris vegeti ac grati.

9. Carduus *ex Inſula Madagaſcar Indiæ, J. B. C. B. P. Cardui cujuſdam elegantiſſimi caput ſub fructu, Cluſ. Exot.* Hujus tantum caput lectum fuit (ut inquit Cluſius) in magno illo ſinu Inſulæ Madagaſcar, à Luſitanis *Bayo d Anlongil* nuncupato, Orienti expoſito. Hujus iconem in tabula ænea 37. exhibuimus.

PLANTÆ SPINOSÆ

Exoticæ acaules & aphyllæ.

CAPUT XLIV.

Melocarduus.

TABULA XXXIX. SECT. VII.

- *Melocarduus*
  - *ſulcatus*
    1. *Sulcis rectis, ſpinis ad angulos appoſitis, major, Nobis. Melocarduus, Pena, & Lob. Ger. Melocactos Eyſt. Echinomelocactos, J. B.*
    2. *Globularis ſulcis, coſtis, & ſpinis majoribus.*
    3. *Globularis ſulcis, coſtis, & ſpinis minoribus.*
    4. *Sulcis incurvis & obliquis, ſpinis majoribus.*
    5. *Mexicanus floribus rubentibus, ſpicis pluribus, Tepenexcomitl, Hernandez.*
    6. *Folioſus & ſquamoſus, Carduus Pitahaya, Oviedi, Lugd. Carduus ſpinoſiſſimus brachiatus, C. B. P.*
  - *mamillaris*
    7. *Elatior & cauleſcens major ovalis, ſpinis longiſſimis.*
    8. *Major ſeſſilis & globoſus, ſpinis brevioribus, Nobis. Ficoides ſive Melocactus mamillaris glabra, ſulcis carens, fructum ſuum undique fundens, D. Pluk. Phyt.*
    9. *Minimus ſeſſilis uberior, ſpinulis minimis imbecillioribus, Nobis. Ficoides ſive Melocactos minimus lanuginoſus, ſpinis mitioribus, fructu ſparſim egredientes, D. Pluk. Phyt.*

1. Melocarduus *ſulcis rectis, ſpinis ad angulos appoſitis, major, Nobis. Melocarduus, Pena & Lob. Ger. Melocactos, Eyſt. Echinomelacactos, J. B. Ficoides occidentale ſpinoſum Melonis facie, coſtis rectis, Hort. Lugd. Bat. Echino-*

Echinomelocactos major tomentoso capite, costis rectis, Par. Bat. Prod. Planta hæc globularis, *Peponis, Melonisve* majoris magnitudis, ab infima parte sessilis, fibris tenacibus terram comprehendens, aphyllos, acaulis, & *spinis* horridis, quales sunt *Echini* Animalis, undique munita, in Regno Botanico monstrosa videtur. Ejus diameter pedalem plus minus latitudinem obtinet, interdum enim ampliorem, à qua in metam assurgit, & *cortice* glabro viridi tecta, 12. 14. aut 16. profundis *sulcis* rectis, totidemque elatioribus costis, à radice ad apicem decurrentibus, prædita; quarum singula 9. 10. aut 11. tomentosa habet *tubercula.* Ex his autem decussatim acutissimæ, firmissimæque, & tanquam corneæ 10. aut 12. *spinæ*, unciam longæ, stellatim prodeunt, inter quas binæ ternæve surrectæ sunt. Summa parte plantæ densissima, tomentosa, emicat materia, ad semipedalem aut ampliorem altitudinem supra corpus globulare elevata, quatuor aut quinque uncias crassa, in conum effigiata, brunni coloris, nonnihil purpurascentis. Hujus autem *tomentum* tenuissimum, lapidis Amianthi instar, candidissimum est, in quo quamplurimæ exiles spinulæ latent purpureæ, quæ supra tomentum se exerentes rigidiusculæ sunt. Ab extima pulpa rari prodeunt in tomento latentes, *folliculi* membranacei, sive vaginulæ, coloris sanguinei elegantissimi, unciam longi, superna parte crassiusculi, ubi *flores* emicant elegantes, purpuro-rubentes, stellati, ex plurimis petalis constructi; infima autem qua videlicet pulpæ adhærescunt, angusti & tenues sunt; *semine* exili nigricante pleni, instar seminis Amaranthi, aut potius Portulacæ, quod singulis horis matureſcit, & sponte sua præ succedente copia ejicitur. Interna pars, sive *pulpa* candida, spissa, & adeo lenta est, ut in tenuissimas etiam laminas secta, & digitis extensa, vix frangi possit. *Cucurbitæ* saporem quodammodo refert.

In Brasilia, haud procul à mari, ad rupes, præcipue earum rimas, frequens occurrit; & exinde delata, hæc cum quibusdam speciebus succedentibus, in Horto Chelseiano satis fæliciter viguit. Frigoris impatientem sese comprobat.

2. Melocarduus *sulcatus globularis, sulcis, costis, & spinis majoribus.* Priori convenit hic; sulci vero pauciores, striæ quoque majores, æque ac spinæ quæ longius exstant, & fortasse temporis decursu, corpus hoc magis globulare, amplius fiet.

3. Melocarduus *sulcatus globularis, sulcis, costis, & spinis minoribus.* Duæ hæ species, non in metam (ut aliæ) assurgunt, sed rotundiores nascuntur. In hac 20. aut 24. sulci, totidemque striæ in circumferentia sunt, spinæ quoque minores & plures sunt.

4. Melocarduus *sulcatus, sulcis incurvis & obliquis, spinis majoribus. Ficoides Occidentale spinosum costis obliquis, Hort. Lugd. Bat.* Rara hæc species ad primam accedit; *sulci* vero profundi, à vertice ad fundum recurvati sunt, ad modum literæ S. *Spinæ* quoque longiores sunt.

5. Melocarduus *sulcatus Mexicanus floribus rubentibus, & spicis pluribus, Tepenexcomitl. Hernand. Radix* fibris donata, *folia* emittit *Opuntiæ* foliis similia, arcte cohærentia, ut sphæram quodammodo constituant, frequentibus spinosis stellulis horridam. *Fructus* è medio spinarum longarum, & erectarum in superiore parte enascuntur, tres aut plures, *Opuntiæ* fructibus similes, atque eodem modo *flores* rubri, & rubescentes, ac maculis quibusdam virescentibus ornato fructui pulchre insident, granulisque parvulis impleti sunt. *Folia* crassa *Opuntiæ* æmula, ex colore viridi mixta, albicant, & luteis aculeatis *stellulis* constant.

6. Melocarduus *foliosus & squamosus, Carduus Pitahaya Oviedi. Carduus Pitahaya fructum ferens, J. B. Carduus spinosissimus brachiatus, C. B. P.* In *Hispaniola* Insula nascitur *Pitahaya*, inquit *Oviedus, Lib. 8. cap. 24.* cujus *fructus* est pugni mediocris magnitudine. Hic profert Cardui genus, spinis quidem horridum, sed aspectu jucundum & pulcherrimum: foliis enim caret, sed horum & ramulorum vice, *brachia* quædam habet, sex pedes longa, quadrangula, in medio canaliculata, in quo medio, & in angulis, *spinæ* sunt valde pungentes, venenatæ, satis longis spatiis à sese distantes, ternæ simul aut quaternæ, digiti maximi longitudine. Inter hæc brachia *fructus* medius exoritur, qui *Pitahaya* illic nominatur, *cortice* crasso, spisso, & veluti squamoso contextus, qui tamen facile cultro inciditur, etiamsi tota interiore parte granulis carni permixtis, ficuum nostratium modo, sit refertus, coloris venustissimi, nempe Chermesini saturati. Qui comederit, non statim, sed duabus post horis, urinam reddit plane crudam; est tamen innoxius, & spectatu elegantissimus, sed qui eum profert *Carduus* est horrendus, specie valde agresti & admiranda, viridi, cinerea, candicante.

7. Melocarduus *mamillaris elatior & caulescens major ovalis, spinis longissimis.* In *Museo Oxonienſi*, in quo quamplurima conduntur & artis & naturæ rariora, præsertim à *D. Jo. Tradescante* collecta; necnon inter rariſſima siccata, in ædibus Curiosissimi & illustrissimi Viri *D. Courtene*, de Medio Templo Londini, asservatur hæc nova planta, cujus *radix* longa & lignosa, pollicari crassitie, fibris quibusdam adnexis, in *caulem* assurgit pedalem, qui ad apicem perducitur per numerosas extantes quasi mamillas cylindriacas (dum recentes haud dubie carnosas) unciam aut circiter longas, calami scriptorii crassitie. Atque istæ caulem dense circumstant, qui fusi vicem præstat. In medio longiores turgescunt, ovalem figuram efformantes binorum pugnorum magnitudine. Singula autem harum mamillarum (si ita dicam) seu partium longarum, in *spinas* stellatim expansas, definit; quarum quinque vel sex, uncialem longitudinem superant, totidemque inter illas breviores, rigidæ atque acutissimæ cernuntur, ut intractabilem reddant.

De natalibus nihil nobis adhuc compertum est.

8. Melocarduus *mamillaris major sessilis & globosus, spinis brevioribus, Nobis. Ficoides sive Melocactos mamillaris glabra, sulcis carens, fructum suum undique fundens, D. Pluke. Phyt. An Echinomelocactos minor lactescens, absque tomento, cylindris laxioribus, Par. Bat. Prod?* Pseudo-carduus hic, terræ saxisve sessilis, & acaulos, *mamillis* seu extuberantiis carnosis, brevibus, & per medium turgidiusculis, undique orientibus, sphæram constituit, pugni, aut amplioris, magnitudinis. Ex unoquoque autem harum extuberantiarum apice radiatim emergunt spinulæ decem aut duodecim, vix unciæ quadrantem longæ, exiles, fusci coloris, quæ *stellulam* elegantem componunt.

9. Melocarduus *mamillaris minimus sessilis uberior, spinulis imbecillioribus donatus, Nobis. Ficoides sive Melocactos minimus lanuginosus spinis mitioribus, fructu sparsim egrediente, D. Pluke. Phyt.* Elegantissima hæc *Melocacti* species globularis est, pilæque pugni frequenter magnitudinis, quandoque majores, existunt; *Mamillæ* antedicti minores, densiusque in orbem stipatæ sunt, brevibus tenuibusque spinulis pilosis obsitæ, stellatim egredientibus. *Flores* emergunt inter spinulas dilute rubentes, monopetali; fructusque novos singulis diebus emittit hæc planta. Stolones, prolesve ex inferiore parte, ut in *Sedo majore*, pullulascentes videre licet.

Finis Sectionis Septimæ, Partis Tertiæ.

PLANTARUM

Hiſtoriæ Oxonienſis

PARTIS TERTIÆ, SECTIO OCTAVA

De Culmiferis ſeu Calamiferis.

ENucleata doctrina *Plantarum Corymbiferarum*; *Lacteſcentium non Pappeſcentium*; *Pappeſcentium Lacteſcentium*; & *Pappeſcentium non Lacteſcentium*; cum *Capitatis non ſpinoſis*, & *ſpinoſis*, *iiſque affinibus*, ubi & Plantas illas quarum ſingulis floſculis ſemina ſubſunt ſingularia, propoſuimus: Nunc ſeriem naturæ, Methodumque noſtram Botanicam obſervantes, reliquas poſt ſingulos floſculos ſemina ſingulatim proferentes, rebus rite connexis, aggrediemur. Plantas dico *Culmiferas* ſeu *Calamiferas*, foliis rectis arundinaceis præditas, quæ *Cerealia & Gramina* vulgo dicuntur. Quibus etiam annexæ ſunt iis affines, quæ quanquam antecedentibus, ratione creſcendi ac florendi quodammodo diſſimiles apparent, tamen propter congruentiam quam habent cum Plantis binis ſeminibus præditis, & inferius proxime tractandis, eis ſunt præponendæ.

Claſſem ergo numeroſam ſubjungimus, earum Plantarum quas Deus Opt. Max. in præcipuos hominum uſus aliorumque animalium beneficia creavit; quas ut optima ſua munera, non uni vel alteri Regioni definivit, ſed per univerſam telluris ſuperficiem diſſeminavit, vimque addidit qua ſub quocunque ſidere ſatis feliciter provenirent. Et ſi uſus neceſſarios & quotidianos (præſertim nobiliorum) quæ cibariis aptiſſimæ, medicamentis non ineptæ, conſideremus, certe locum ſuperiorem, ſi non primarium, in Hiſtoriis Plantarum jure optimo ſibi vindicarint. Ex his enim conficiuntur *Panis* varia genera, *Pultes*, *Polentæ*, *Ptiſanæ*, *Atheræ*, *Chondri & Alicæ*, *Amyla*, *Pollina*, *Farinæ*, *Furfura*, *Malta*; necnon aliæ Cibi ac potus præparationes ſubminiſtrantur. Nec tamen prorſus negligenda ſunt ipſa minora Gramina, quæ licet ad Medicinam & uſus domeſticos minus faciant, ſuas tamen habent utilitates, eaſque non contemnendas; non enim amænitate tantum oculos noſtros oblectant, aut terram ceſpite conſtringunt, verum, quod longe utilius, his pecudes ac jumenta nutriuntur, ſine quibus noſmet ipſi vitam commode ſuſtinere non poſſemus.

Frugum nomine accipiuntur Plantarum fructus edules, ſeu ſemina majora quæ in alimentum vertuntur; quales præcipue ſunt Leguminum fructus. *Frumentum* ea propria dicuntur quæ panificiis ſunt aptiſſima. Hinc apud Botanographos recentiores illa tantum Frumentaceorum titulo inſigniuntur, & in hac claſſe recenſentur, quæ bonitate aut magnitudine granorum cæteris præſtant; reliqua vero omnia, tanquam in nulla communi teſſera cum frumentaceis convenientia, in claſſes diſtinctas rejiciuntur. Conſtat autem *Frumentacea* ſeu *Cerealia* primitus ante agriculturam *Gramina* fuiſſe ſpontanea: ſed meliora, grana ferentia turgidiora, collecta, ſata, & repetitis ſationibus multiplicata, in uſus venerunt. Horum præſtantiſſimum tritum è ſpicis, *Tritici* nomen obtinuit; quod optimæ Regionis *Siciliæ* alumnum eſt; *Diodoro Siculo lib. 5. cap.* 1. hiſce verbis demonſtrante: Tradunt Siculi (ducti perantiqua à Progenitoribus fama) Siciliam *Cereri* ac *Proſerpinæ* ſacram eſſe. Has ſimul Deas primum in *Sicilia* viſas, inque ea primum Frumentum terræ bonitate ortum; ſicut & teſtatur Clariſſimus Poeta:

Abſque ſatu hic creſcunt & vomeris omnia ſulco,
Hordeum, & alticomum Triticum, Viteſque parentes
Uvarum & Vini, quæ Jupiter imbribus auget.

Inſuper nec dubitandum eſt, quin ignobiliora, minora, ac ſtrigoſa, loco præſtantiorum uſurpari poſſint, quorum vices urgente neceſſitate ſuppleant. Idcirco in his diſponendis, nobis non viſum eſt eorum veſtigiis inſiſtere, qui *Gramina* aliquammulta à *Frumentaceis*, quibus affinitate ſunt conjuncta, diſtrahunt, & ſeorſim per ſe collocant. Uſus enim & magnitudo granorum, licet excellentiæ gradum addant, tamen inde nulla evenit neceſſitas, ut quiſquam Naturæ ſeriem interrumpat; quod fit communes differentias extendendo, neglectis interim eis conditionibus quæ ad ſpecies conſtituendas ſunt maxime idoneæ. Nos itaque in hac ſectione, propterea quod eam Methodum *Naturæ* conſentaneam eſſe putavimus, quæ ordinem *Naturæ* minus conturbat; primo quæ in eadem nota eſſentiali conveniunt, ſimul in eadem claſſe collocavimus; deinde quæ proximæ ſunt affinitatis (appelles licet *Gramina*) immediate ſubjunximus, & ſimilia ubique ſimilibus aſſociavimus, ut ex Tabulis noſtris ſubjectis clarius innoteſcet.

Plantarum in hac Sectione

CONTENTARUM ELENCHUS.

- *Plantæ culmiferæ, foliis arundinaceis*
  - *granis nudis sive decorticatis,*
    - *spicatæ, iisque similes*
      - *Triticum, ejusque species.*
      - *Gramen triticeum.*
      - *Gramen caninum.*
      - *Secale.*
      - *Gramen secalinum.*
      - *Lolium.*
      - *Gramen loliaceum.*
      - *Gramen dactylum.*
      - *Phalaris.*
      - *Gramen phalaroides.*
      - *Panicum.*
      - *Gramen paniceum.*
      - *Alopecuros.*
      - *Gramen alopecuroides.*
      - *Gramen typhoides.*
      - *Gramen cristatum.*
      - *Gramen echinatum.*
    - *jubis sparsis, iisque affines*
      - *Milium.*
      - *Gramen miliaceum.*
      - *Gramen paniculatum.*
      - *Gramen tremulum.*
  - *granis tunicatis sive corticatis,*
    - *spicatæ, iisque congeneres*
      - *Zea sive Briza.*
      - *Gramen Brizæ spica.*
      - *Hordeum.*
      - *Gramen hordeaceum.*
    - *jubis sparsis, iisque consimiles*
      - *Oryza.*
      - *Avena.*
      - *Festuca, Ægylops, Bromos.*
      - *Gramen avenaceum.*
      - *Gramen sparteum.*
      - *Gramen maximum Arundo dictum.*
      - *Gramen tomentosum.*
      - *Gramen hirsutum.*
      - *Gramen junceum.*

Istis succenturiantur Plantæ fungosæ, nec geniculis, nec foliis donatæ, viz. Junci. Deinde

- *Plantæ caulibus enodibus*
  - *Triangularibus*
    - *Cyperus.*
    - *Gramen cyperoides.*
  - *rotundis*
    - *Typha.*
    - *Acorus.*
    - *Sparganium.*

Adjiciuntur demum Plantæ quædam exoticæ, Frumentum Indicum Mayz dictum, Lachryma Jobi, Arundo sive Canna Indica, Curcuma, Zinziber, & Zedoaria, Cardamomum, Galanga, Costus, & Nardus.

SECT.

SECTIONIS OCTAVÆ

Distributio prima.

De Plantis culmiferis, granis nudis sive decorticatis, spicatis, iisque similibus.

Triticum, Gramen triticeum; Gramen caninum; Secale, Gramen secalinum; Lolium, Gramen loliaceum; Gramen dactylum; Phalaris, Gramen Phalaroides; Panicum, Gramen Paniceum; Alopecuros, Gramen alopecuroides; Gramen typhoides; Gramen cristatum; & Gramen echinatum.

CAPUT I.

Triticum.

DE *Frumentaceis* impræsentiarum agimus, quorum culmi geniculati, foliaque arundinacea sunt. Inter hæc ob præstantiam, summamque utilitatem *Triticum* locum primarium sibi vindicat; quod generaliter omne *frumentum* ex spicis tritum, ac triturationе repurgatum significet, ut ex *Varrone* colligere est. Recentiores tamen peculiari frumenti speciei *Tritici* nomen tribuunt. Atque de isthoc imprimis disseremus, *Dioscoridem* imitati, qui l. 2. c. 107. περὶ πυρῶν primo egit. Πυρὸς dicitur Græcis quasi *απυρὸς*, pro *απορὸς*, *ἀπὸ τὸ ἀπείρειν*, h. e. seminando.

Gramen à gradiendo, quod geniculatis ramulis serpat: vel à gignendi fœcunditate, cum crebro à se radices novas spargat, dictum est. Græcis *ἄγρωστις*, *ἀπὸ τῶν ἀγρῶν*, quod in agris proveniat: *ἕρπη* herba, *Theophrasto*, quod omnium herbarum frequentissima sit.

TABULA I. SECT. VIII.

Triticum spica { *lævi* { *Hybernum* {

1. *Aristis carens, C. B. P. & Theat. Triticum vulgare glumas deponens, J. B. Triticum spica mutica, Park. Siligo spica mutica, Lob. Obs.*
   Hoc frequenter sine aristis, & cum aristis etiam invenitur, unde
   Triticum aristis munitum, Park. &c.
   Hujus quatuor varietates in agris satæ, & à Rustici sati notæ & distinctæ, observantur.
   1. *De quo jam agimus, quod spica est rubra, & granis etiam rubris, culmo luteolo vel stramineo.*
   2. *Triticum culmo rubro aut purpurascente, granis rubris.*
   3. *Triticum spica mutica albicante, granis rufescentibus, sive Triticum mixtum.*
   4. *Triticum spica sive gluma albicante, granis etiam albis. Triticum longioribus aristis spica alba, C. B. P.*
2. *Majus rubrum spica quadrangulari splendente eleganter aristata, Nobis. Triticum lucidum, Ger. Park.*
   Trit. longioribus aristis spica subcærulea, C. B. Theat. Hoc etiam sine aristis invenitur.
3. *Typhinum simplici folliculo, C. B. P. Theat. Typha cerealis, Dod.*
4. *Tripolitanum granis nigricantibus, Park.*
5. *Chalepense spica breviore nitidissima alba, seu Triticum Josephi.*
6. *Chalepense humilius aristis nigricantibus.*
7. *Spica multiplici, C. B. P. Theat. Ger. Park. Triticum cum multiplici spica glumas facile deponens, J. B.*
8. *Majus longiore grano glumis foliaceis incluso, Poloniæ dictum, Nobis. An Triticum semine oblongo, C. B. P. Theat. Triticum speciosum grano oblongo, J. B?*
9. *Sylvestre Creticum, C. B. P. Theat. Triticum sylvestre Agriostari Cretensibus, J. B. Honor. Belli Ep. ad Clusium.*

æstivum {

10. *Trimestre, Portæ, Park. Triticum æstivum, C. B. Theat. Triticum aliud quod vernellum vocant, Cæs.*
11. *Spica hordeacea, Nobis. Zeopyrum, C. B. P. Theat. Park. Hordeum nudum sive Gymnocrithon, J. B. Zeopyrum gymnocrithon, Lugd.*

12. Gram

Triticum ſpica | *villoſa* { 12. *Grano maximo, C. B. P. Theat. J. B.*
13. *Longiore ariſtis munitum, Nobis. Triticum cinericeum maximum ariſtis donatum triturando glumas deponens, J. B.*
14. *Breviore ac turgidiore, Nobis. An Hexaſticum, C. B. P. Theat. J. B?*

1. Triticum *hybernum ariſtis carens, C. B. P. & C. B. Theat. Triticum vulgare glumas deponens, J. B. Triticum ſpica mutica, Lugd. Ger. Park. Siligo ſpica mutica, Lob. Obſ.* Planta hæc præſtantiſſima adeo cognita eſt, ut longa verborum ſerie nullo modo indigeat. Hujus Variæ ſunt ſpecies, quarum plurimæ ab inſerendi tempore, & plurimis regionibus, imo frigidioribus, eo quod hyemem tolerare poſſint, hybernæ dicuntur: quædam vero ſpecies, frigus hyememve non ferunt, & æſtivæ appellantur. *Hæc* de qua jam ſermo, vulgatiſſima, vix ſolum quodvis, terram, aeremve reſpuit; læto vero & pinguiore, cultura addita, incrementum facit, ut nihil fertilius eſſe ſcribat *Plinius*; qua largienda Providentia Divina bonitatem univerſaliter demonſtravit. *Radix* fibris comoſa *folia* emittit recta, longa, anguſta, arundinacea, *caulesque* teretes, cavos, internodiis geniculatos, qui *culmi calamive* nominantur. *Semina* ſummitati culmi, ſpicatim in glumis muticis, fuſcis naſcuntur, oblonga, tumidiuſcula, cum rimula aut ſinu longitudinaliter decurrente. *Flos* ſummitati ſinguli ſeminis tenelli, aut ejuſdem embryonis apici in duo quaſi cornua villoſa ſe dividens inſidet bifurcatus, folliculis viridibus incluſus, qui (aere excluſo) albus fit, & quoad formam flori *Nucis juglandis*, cum fructu ſubſidente, ſimilis cernitur. Ex *ſeminis* fundo, ſeu ejuſdem appoſitione, bina enata ſtaminula longa, tenuia, cum apiculis flaveſcentibus adnexis, cruciatim diſpoſitis, fructum ſuccedentem, folliculoſque eum continentes, longitudine ſuperantia, laxe dependent, quæ circa feſtum *D. Joannis* frequenter apparent, & facillime vel leviſſimo tactu abſtergentur. Modus hic florendi, & *Cerealibus* & *Graminibus* communis eſt.

Varietates quædam a ruſticis obſervantur, quæ cum diſtinctiones retineant, & immixtæ appareant, notatu dignæ ſunt, quales ſunt.

1. Triticum *ſpica rubra, & granis etiam rubris aut fuſcis, culmo luteolo.* Hoc frequentiſſimum eſt, quod vulgo *Red Wheat* appellitatur.
2. Triticum *culmo rubro aut purpuraſcente, granis rubris: Red ſtrawed Wheat.*
3. Triticum *ſpica mutica albicante, granis rufeſcentibus, ſive Triticum mixtum: Mixt Lammas Wheat.*
4. Triticum *ſpica ſive gluma albicante, granis etiam albis: White Lammas Wheat. An Triticum ſiligineum, C. B. Theat.?*

2. Triticum *majus rubrum ſpica quadrangulari ſplendente, eleganter ariſtata, Nobis. Triticum lucidum, Ger. Park. Triticum longioribus ariſtis ſpica ſubcærulea, C. B. P. Theat. Triticum Loca vocatum alterum, Lob. Icon.* Nobile hoc *Triticum ſpicam* profert turgidiorem, quadratam, ad ſingulos angulos binis granorum ſeriebus donatam, *glumis* lævibus rufeſcentibus tectis; è quarum apicibus *ariſtæ* longiſſimæ, rigidiores, & aſperæ ordine aſſurgunt.

3. Triticum *typhinum ſimplici folliculo, C. B. P. Theat. Typha cerealis, Dod.* Hoc *culmo, ſpicis*, atque *granis*, communi majus eſt, ſpicis longioribus, plenioribus, rotundioribus, magiſque in unum coactis; ariſtis longis, & aſperis; ſemine duro, denſo, fulvo, folliculo unico incluſo, Tritici ſimili, quod facile è glumis exteritur.

Italis familiare eſt: ſeritur in Germaniæ regionibus, idque locis potiſſimum montoſis, præſertim ubi apri fruges depaſcuntur. Nam ab hoc uno fere abſtinent, quod ejus ariſtis durioribus offendantur.

4. Triticum *Tripolitanum granis nigricantibus, Park.* Huic *culmi* aſſurgunt bicubitales, *foliis* latioribus amicti; *ſpicæ* palmaris longitudinis, prælongis ariſtis armatæ ſunt, *granis* vulgaris longioribus, nigricantibus, Secalis ſimilibus incluſis.

Ex Aleppo recepimus.

5. Triticum *Chalepenſe ſpica breviore nitidiſſima alba, ſeu Triticum Joſephi.* Humilior hæc planta *ſpicas* profert breves, & ariſtatas; *glumæ* albidæ & glabræ ſunt; *grana* brevia ac turgida. Ob ſpicæ munditiem *Joſephi* nominarunt Orientales, quod nomen ob inſignem hominis formam cuilibet rei pulchræ ac ſpecioſæ ſolent attribuere.

6. Triticum *Chalepenſe humilius ariſtis nigricantibus*: Humilis quoque hæc Tritici ſpecies, *grana* rufeſcentia profert, è quorum glumis *ariſtæ* oriuntur longæ, nigricantis coloris. Atque iſtis ab omnibus aliis Tritici ſpeciebus facile dignoſcitur.

7. Triticum *ſpica multiplici, C. B. P. Theat. Ger. Park. Triticum cum multiplici ſpica glumas facile deponens, J. B. Frumentum racemoſum, Ang.* Tritici rufi genus eſt. *Spica* ariſtis circumvallata, in alias finditur, & ſpicas minores adnatas veluti ramos ſpargit, ſpica alias ſpicas è lateribus furidente, & quidem modo pauciores, modo plures, ita ut Matthiolus 24. ſpicas obſervet. In his *grana* grandiora ſunt; *culmus* fortior, erga ſummum medulla farctus eſt.

8. Triticum *majus longiore grano glumis foliaceis incluſo, Poloniæ dictum. An Triticum ſemine oblongo, C. B. P. Theat. Triticum ſpinoſum grano oblongo, J. B?* Inter Tritica, hoc cæteris majus videtur. Ejus enim *ſpicæ* palmaris longitudinis, altius attolluntur; harum autem ſingula gluma foliacea, uncialem aut ſeſcuncialem acquirit longitudinem, quæ in ariſtam mediocrem definit. *Grana* incluſa majora, & præſertim longiora, trituratione facile deponuntur. Nonnunquam ſpicula una aut altera, è primariæ latere, quaſi diviſa apparet.

Lætiori ſolo in agris ſeritur.

9. Triticum *ſylveſtre Creticum, C. B. Pin. & Theat. Triticum ſylveſtre Agrioſtari Cretenſibus, J. B.* Herba eſt Tritico ſimilis, *folia* & *caules* Tritici ferens; *ſpicaſque* aliquantulum aſperas, nigriores, & ariſtas breviores. *Grana* Tritici ſativi granis minora ſunt, & altera parte obtuſa, ita ut *Secalis* grana potius quam *Tritici* æmulentur.

Frequentiſſime in Creta invenitur, & negligitur.

10. Triticum *æſtivum, C. B. Theat. Triticum trimeſtre, Portæ. Park. Triticum aliud quod vernellum vocant, Ceſalp. Tritici tertium genus, Columellæ.* Hoc ab antedictis non ſolo ſationis tempore differt, ſiquidem unico ſit *culmo, ſpica* longiore, craſſiore, & longioribus ariſtis ad Hordei ſimilitudinem, *grano* quinetiam magis rotundo.

Vere ſeritur, & æſtivis menſibus ad maturitatem pervenit.

11. Triticum

11. Triticum *æstivum spica Hordei polystichi, Nobis. Zeopyrum seu Tritico-speltum, C. B. P. Theat.* Park. *Hordeum nudum sive Gymnocrithon, J. B.* Inter Triticum & Hordeum mediæ cujusdam naturæ videtur. Ordo crescendi, ad Hordeum attinet, spicaque aristata Hordeo polysticho cum sex *granorum* seriebus, simillima est. Tritum quidem Tritici rubri *semen* demonstrat, gluma destitutum, purum, glabrum, & nitidum, sublutei coloris.

12. Triticum *rufum grano maximo, C. B. Pin. & Theat. Triticum rufum grano maximo, Far sive Adoreum veterum putatum, J. B. Spicam* fert muticam, *granum* maximum & amplissimum, sed ad conficiendum panem minus utile. Ex hoc decorticato cum lacte puls fit, Rusticorum palatis gratissima, quibus propterea satis accurate colitur hæc Tritici species, ne desit ista deliciarum materies.

In pagis monti alto seu aureo propinquis colitur, haud procul à Lugduno, ubi forte in solo latiori vulgari grandius fit.

Far à variis Auctoribus varie usurpatur, & pro diversis granorum speciebus recipitur; nec desunt qui *Far* nomen fuisse generale, ad omnia frumenti genera aptum crediderunt.

13. Triticum *spica villosa quadrata longiore, aristis munitum, Nobis. An Triticum cinericeum maximum, aristis donatum, triturando glumas deponens, J. B?* Speciosum visendæque magnitudinis est, *calamis* proceris geniculatis, foliosis; *spica* maxima, fere sesquipalmari, quatuor *granorum* ordinibus compacta; *glumis* hirsutis, cinericeis, in longissimas asperrimasque aristas desinentibus, quibus tribuli verbere in area facile excutiuntur semina, quæ pollen præbent longe candidissimum.

Hoc propter aristarum asperitatem, & glumarum hirsutiem, quibus & ab avibus aliisque injuriis liberatur, ad sepes vulgo seritur, & nomine Cone Wheat *Rusticis notum est.*

14. Triticum *spica villosa quadrata breviore & turgidiore, Nobis. An Triticum hexastichum, C. B. P. Theat. J. B?* Humilior hæc Planta *spicas* profert villosas, breviores, albidiores, & turgidiores, quadratas, aristatas, (interdum vero aristis destitutæ reperiuntur) quibus *semina* ex luteo albicantia, tumidiora apparent, & flagello facile excutiuntur.

In agris satum frequens occurrit, & nostratibus nominibus Square gray, Gray pollard, & Duckbill Wheat, *innotescit.*

Tritici Virium & Usuum supputatio concisa.

Inter omnia Cerealia, tanquam præstantissimum, Triticum merito commendatur, non solum propter insignem nutriendi vim, sed quod etiam adversus morbos multos, & intrinsecus, & extrinsecus, utiliter usurpetur. Usu quotidianus, universalisque ejusdem congruentia ejus claritudinem & supereminentiam facile demonstrant. Porro quum de hoc Auctores adeo copiose jam disserverint; brevitati studere visum est nobis consultius, atque isthæc leviter attigisse.

Triticum ut alimentum Galenus fuse explicavit, ubi de pane triticeo πυρίνῳ egit, ut & de placentis ex farina triticea confectis quas Græci πίμπλαμ vocant.

Febri ardenti laborantibus, & Hæmoptoicis; in Phthisi; in Pleuritide, Tussi, Dysenteria, fluore uterino, maxime commendatur. Farinaceum fermentum calefaciendi, extrahendi & digerendi vi præditum est.

Cur Triticum homini in cibo facilius sit, quam cæteris animalibus, quanquam validioribus, docet Theophrast. de causis Plantarum cap. 10. lib. 4. Ad conficiendum vinum, præparatio hoc nostro ævo satis nota est.

Ad externos usus commodum est Triticum. Ad visum debilem & obscurum clarificandum, & maculas delendas collyrium præstat; oculorum tumoribus & inflammationibus, in aqua madefactum, auxiliatur; faciei rugas tollit farina; mammarum duritiem emollit farina oleo mixta, & in formam cataplasmatis imposita.

Podagram levat Tritici farina, cum furfuribus, aceto decocta, & in formam Cataplasmatis dolori podagrico applicata; & ad omnes quorumcunque artuum dolores mitigandos confert.

Inflammationem omnem discutit Tritici pollen aqua mulsum, aut hydrelæo decoctum. Apostemata hepatis, lienis, aliarumque partium, farina oleo mixta, vel aqua prius decocta & imposita, maturat. Ad ulcerum sinus, pedum & manuum rimas quas frigus excitaverit, & ad cutim asperam lævigandam valet oleum ex Tritici granis expressum. Idem contra panaritium digitorum cataplasmatice applicatum valet.

In glutine si grana decoquantur & delingantur, sanguinem rejicientibus auxilio sunt.

Partes seu Tritici præparationes varia obtinent nomina. Quod in molendo crassius fit, & ex quo puls fit, Crimnon *κρίμνον appellatur. Et Amylum appellatum est ex eo quod sine mola fiat, cujus inventio Chio Insulæ debetur.* Chondrus *χόνδρος* & Halica *seu* Alica, *ab alendo, ἄλιξ, ex factitiarum rerum numero sunt, purgatione granorum confectarum, in Ptisanis & pultibus aptissimarum, & πλιγμάτων πυρίνων appellatarum.* Athera & *κόλλα sive* Gluten *est pulticula liquida, cito concocta, facile nutriens, infantibus & senibus conveniens; πλὸς solidior ac spissior est, quo chartæ glutinantur, &c. De quibus, & usibus, aliisque eo pertinentibus, consule Casparum Bauhinum in Theatro suo Botanico; Joan. Bauhinum in Historia; Dodonæum; Historiam Lugdunensem; & Columellam; qui de his rebus fusius scripserunt.*

PLAN-

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT II.

Gramen triticeum ſeu Caninum.

GRamen *Triticeum à ſpicarum ſimilitudine dictum eſt. Hujus glumæ ſeu ſpiculæ late ad culmum naſcuntur, & à dextra ad ſiniſtram dilatantur, nec cæſim ſive per earum oras eidem opponuntur, ut in Gramine loliaceo ſuccedente apparent. Caninum dicitur quod Canibus (quorum ab inſtinctu naturali medicamentum eſt) folia manducantibus, præ acierum aſperitate ſtomachi nervis intolerabili, faſtidium oboritur, vomituſque movetur, & pituita peccans ejicitur.*

Hoc quia ad cætera cum ſpinis tum modo creſcendi accedat, propter accidentia quædam minuta ab eis diſjungere minime oportere judicavimus.

TABULA II. SECT. VIII.

- *Gramen triticeum*
  - *non repens*
    - *latifolium*
      1. *Sive ſpica triticea compacta, C. B. P. & Theat.*
      2. *Elatius ſpica ariſtata.*
      3. *Spica divulſa, C. B. Pin. Prod. & Theat. J. B.*
      4. *Maritimum aſperum, C. B. P. Prod. & Theat.*
    - *anguſtifolium*
      5. *Spica triticea compacta, C. B. P. Prod. & Theat.*
      6. *Paluſtre humilius ſpica mutica breviore, Nobis. Gramen avenaceum procumbens paniculis non ariſtatis, Raii.*
      7. *Spicatum foliis brevioribus maritimum, Nobis. Gramen caninum maritimum ſpicatum, C. B. P. Theat.*
  - *repens*
    - *latifolium*
      8. *Vulgatius Park. Gr. Caninum arvenſe, ſive Gramen Dioſcoridis, C. B. P.*
      9. *Supinum Monſpelienſe, Lob. Illuſt. Park.*
    - *anguſtifolium*
      10. *Spica Tritici muticæ ſimili, C. B. P. Prod. & Theat.*
      11. *Maritimum ſpicatum foliis longioribus, Nobis. Gr. Caninum maritimum ſpicatum, C. B.*
      12. *Maritimum ſpica foliacea, C. B. P. & Theat.*
      13. *Geniculatum parvum arenoſum aggerum maritimorum Zelandiæ longius radicatum, Lob. Illuſt.*
      14. *Maritimum vulgato canario ſimile, Park. Lob. Illuſt.*

1. Gramen *latifolium ſpica triticea compacta, C. B. Pin. Prod. & Theat. J. B. Culmo* eſt ſeſquicubitali, uno alterove geniculo diſtincto; *foliis* frumentaceis, pedalibus; *ſpica* triticea palmari, lata; *glumis* ariſtis carentibus.

Baſileæ ad agrorum margines; Norimbergæ vero ſpica occurrit anguſtiore, magis ſparſa, & utriculis ariſtatis.

2. Gramen *caninum non repens elatius ſpica ariſtata. Gramen* hoc inter majora recenſetur, quod è *radice* fibris comata, *folia* longa, latiuſcula, pallide virentia protrudit. *Culmi* aſſurgunt plures erecti, bipedales, aut tripedales, glabri, foliis conſimilibus, paucis inferius amicti, qui in *ſpicam* digiti aut amplioris longitudinis, deſinunt, ex ſpiculis glumiſve tranſverſim ſitis, ut in aliis hujus ſeriei, quæ in ariſtas unciales terminantur.

In montoſis ſaxoſis & ſylvoſis Agri Oxonienſis reperitur.

3. Gramen *latifolium ſpica triticea divulſa, 2. C. B. P. Prod. & Theat. J. B.* Hoc à primo *ſpica* potiſſimum differt, quæ in ſpicas diſtinctas & anguſtas divulſa eſt; hæ ſibi invicem in *culmo* alternatim ſuccedunt, earumque utriculi breviſſimis ariſtis armantur.

In Italia ad agrorum margines provenit.

4. Gramen *caninum maritimum aſperum, ſive ſpica echinata, C. B. P. Prod. & Theat. Gramen parvum echinatum, J. B. Radix* fibroſa eſt. Calami plures, dodrantales, reflexi, duri, ruſeſcentes, ſunt, quos *folia* latiori baſi complectuntur brevia, hirſutie ſua ferræ ad inſtar exaſperata. *Spicæ* folliculo primum incluſæ, anguſtæ, ſeu ex lappulis elegantiſſimis, exiguis, aſperis & echinatis, trifidis, alternatim diſpoſitis, & præ maturitate ſpadiceis, compoſitæ ſunt.

In locis maritimis arenoſis circa Monſpelium, littore Veneto, aliiſque frequens occurrit.

5. Gramen *anguſtifolium ſpica triticea compacta, C. B. P. Prod. & Theat.* Hoc *foliis* eſt anguſtioribus, ſeſquipalmaribus, rigidis, acuminatis, & albicantibus; *culmo* lævi, rotundo, ſtriato, ſeſquicubitali; *ſpicis* palmaribus compactis; *utriculis* rigidis & acuminatis.

Baſileæ ad ſepes, locis aridioribus extra portam Blaſianam oritur.

6. Gramen *triticeum paluſtre humilius, ſpica mutica breviore, Nobis. Gramen avenaceum parvum procumbens*

bens paniculis non ariſtatis, Raii. Gramen hoc humile dodrantalem aut pedalem longitudinem raro ſuperat. *Folia* anguſta ex thecis fuſcis ceſpitem conſtituunt, oblique naſcentia, infra hirſutie quadam donata. Inter hæc autem *culmi* graciles, non erecti, ſed oblique reclinati proveniunt, foliolo uno vel altero cincti; qui in *ſpicam* uncialem aut ſeſcuncialem, è locuſtis turgidulis, & pene rotundis, muticis, non arcte ſibi invicem naſcentibus compoſitam deſinunt.

In paſcuis humidioribus, & pene paludoſis occurrit.

7. Gramen *caninum ſpicatum foliis brevibus maritimum, Nobis. Gramen caninum maritimum ſpicatum, C.B.P. Prod. Theat. Gramen caninum maritimum Monſpelienſe, Park.* E *radice* capillacea viticulæ plures, procumbentes, pedales & longiores frequenter geniculatæ in *ramulos* plures, tres quatuorve uncias longos ſurſum ſpectantes diviſæ, prodeunt. Has *foliola* pallida, anguſta, brevia, & acuta, alternatim diſpoſita, cingunt. *Ramulorum* ſummitatibus *ſpica* triuncialis, ex cinereo colore nigricans, è pluribus utriculis compoſita, inſidet.

In littore Monſpeſſulano, prope Perault, aliiſque locis adjacentibus, ſatis frequens eſt.

8. Gramen *caninum repens vulgatius, Park. Gramen caninum arvenſe ſeu Gramen Dioſcoridis, C.B.P. Theat. Gramen repens, officinarum, forte triticeæ ſpicæ aliquatenus ſimile, J. B. Gramen canarium medicatum, Lob. Radices* habet oblongas, numeroſas, geniculatas, oblique ſub terra repentes, adeo copioſas ut terram ipſam non ſine aliarum plantarum detrimento occupent. Folia longa arundinacea *culmum* inſtar vaginæ amplectuntur, duriuſcula & aſpera, frequenterque roſcida. *Culmus* modo erectus, modoque reclinatus, bipedalis, *ſpicam* longam tenuem, ex brevibus glumis arcte confarctis, alternatim & tranſverſim ſitis, compoſitam ſuſtinet.

In agris locisque arenoſis vitium ac peſtis eſt, & agricolis exoſum, qui radices raſtris & occis copioſe colligunt, & flammis exurunt. In hortis, ubi ſingula genicula germinant, extirpatu difficile eſt.

9. Gramen *caninum ſupinum Monſpelienſe Laugerii, Park. Lob. Illuſt. Magnol.* Geniculatis calamulis caducis humi perreptat, & ſecundum foliata *genicula* fibroſis *radicibus* alimentum ſugit. *Spica* longa, tenuis, & indiviſa eſt.

10. Gramen *anguſtifolium ſpica Tritici muticæ ſimili, C. B. P. Prod. Theat. J.B. Gramen frumentarium ſegetaleve triticeum, ſive triticea ſpica, C. B. Lobelio. Radicibus* oblongis, geniculatis, nodoſis, candidis ſerpit; *culmis* eſt ſeſquicubitalibus, rotundis; *foliis* junceis, oblongis, duris, in acumen faſtigiatis; *ſpica* oblonga, triticea; *glumis* paucis oblongis, ariſtis carentibus.

Arenoſis circa Baſileam, apud Cliben provenit, C. B.

11. Gramen *caninum maritimum ſpicatum foliis anguſtis longioribus, Nobis. Gramen caninum maritimum ſpicatum, C. B. Theat. 8. Gr. repens marinum ſpica exigua, J. B. Gr. caninum marinum, Ger. Gr. caninum geniculatum maritimum ſpicatum, Park. Radice* eſt tenui, oblonga, vulgati canini ſimili; *cauliculo* eſt tenui; & *ſpica* tenui, ex utriculis arcte ſibi adhærentibus, compoſita. *Folia* ſeſquipalmaria ſunt, oblonga, anguſta, & quidem primo craſſiora, ruſeſcentia, ſubdulcia, aciditate cum leviſſima acredine admixta.

In ſabuloſis aggeribus, foſſiſque maritimis & arenoſis, frequens invenitur.

12. Gramen *caninum maritimum ſpica foliacea, C. B. P. & Theat. Gr. caninum longius radicatum marinum alterum, Lob.* Ex ſingulis *radicibus* oblongis, capillatis, prioris ſimilibus, *culmus* unus aut alter tenuis, breviſque inter *folia* ſemipalmaria exſurgit, qui in *ſpicam* craſſam, foliaceam, velut ſquamoſam & duram, abit. Sapore cum priore convenit.

Ortus ei idem cum præcedente.

13. Gramen *geniculatum parvum arenoſorum aggerum maritimorum Zelandiæ, longius radicatum, Lob. Illuſt.* Hoc maritimum Gramen *foliis* exit ſpithameis; è quibus geniculati *culmi* exſeruntur dodrantales, & *ſpicæ* aceroſæ, Graminis canini breviores multo durioreſque. *Radix* geniculata prolixe per arenam reptatu vagatur, Canarii graminis inſtar.

14. Gramen *maritimum vulgato canario ſimile, Park. Lob. illuſt.* Gramen hoc maritimum *folia* profert vulgaris Graminis canini tenuiora, duriora, colore ad cæſium tendente, *ſpicaſque* fere conſimiles. *Varietas* quoad magnitudinem, culmorumque longitudinem obſervatur.

In littore Britannico & Belgico invenitur.

Vires & Uſus.

Inter Gramina, vulgare caninum præſertim in officinis venit; cujus radices dulces, eſculentæ, tenuis & incidentis ſubſtantiæ, numerum quinque aperientium implent. Nephriticis prodeſt; renum, hepatis, & lienis obſtructiones reſerat; urinæ difficultatem relevat. Radix in Zythogala decocta & pota, dolores junctur arum, podagricorum, & arthriticorum ſtatim mitigat, materias morbi, ad vias urinæ convertens & derivans, ut docet Villanovanus: & ab univerſis, ad calculoſus & bilioſos humores removendos, tanquam utiliſſima habetur.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT III.

Secale, & Gramen ſecalinum.

SEcale *à quibuſdam Farrago dicitur, quod nomen non huic ſoli tributum eſt, ſed plurimis frumenti generibus. Rogga etiam aliis appellatur. Cum vero fruges duplici voce ſignificentur: & Legumina quæ manducantur & Frumenta qualia Secale, & alia quæ ſecantur, eodem titulo inſigniuntur. Secale à ſecando dicitur. Voſſ. Etymol.*

TABULA

TABULA III. SECT. VIII.

- *Secale*
  1. *Hybernum ſive majus, C. B. P. & Theat. Secale, J. B. Secale vulgatius, Park. Siligo Brunf. Lonicer. Rogga ſive Secale Plinii, Dod.*
  2. *Latifolium, C. B. P. Park. Secale latifolia peregrina, C. B. Theat.*
  3. *Vernum ſive minus, C. B. P. Theat. Rogga ſive Secale æſtivum, Dod.*
- *Gramen Secalinum*
  - *latifolium*
    - *minus*
      4. *Vulgatiſſimum viarum, Nobis. Gr. hordeaceum minus & vulgare, C. B. P. Theat. Hordeum murinum, J. B.*
      5. *Maritimum glaucifolium ſpicis brevioribus, Nobis. Gr. Secalinum paluſtre & maritimum, Raii.*
      6. *Pratenſe elatius, Nobis. Gr. Secalinum, Ger. emac. Gr. Secalinum minus, Park.*
      7. *Chalepenſe radice tuberoſa, Nobis. Gr. bulboſum ex Aleppo, J. B. C. B. Theat. Park.*
      8. *Montanum bicorne, Nobis. Gramen bicorne ſeu diſtachyophorum, Bocc.*
      9. *Indicum ſpica gracili tomentoſa, ariſtis longioribus ad ſe invicem intortis, D. Pluk. Phyt. T. 191.*
    - *majus*
      10. *Virginianum altiſſimum.*
      11. *Segetale, Nobis. Gr. Secalinum ſive ſpica ſecalina, C. B. P. Prod. & Theat. Gr. ſpica quadrata ad Secale accedens, J. B.*
      12. *Sylvaticum, Nobis. Gr. Hordeaceum montanum ſive majus C. B. P. & Theat. Gr. ſecalinum maximum, Park.*
      13. *Sive Sparteum ſpicatum latifolium, C. B. P. & Theat. Gr. maritimum ſive oceanicum latifolium, J. B.*
  - *anguſtifolium*
    14. *Maritimum ſive Sparteum foliis mucronatis, ſeu ſpica Secalina, C. B. P. & Theat. Sparteum ſpicatum pungens oceanicum, J. B.*
    15. *Sive Sparteum maximum maritimum Hollandicum, Raii.*
    16. *Sive Sparteum ſpicatum foliis mucronatis brevioribus, C. B. P. & Theat. Gr. Sparteum 1. Tab. J. B.*

1. Secale *hybernum ſive majus, C. B. P. Theat. Secale, J. B.* Planta ſatis eſt obvia, in autumno ſata, & *folia* Tritici anguſtiora; *culmos* elatiores; *ſpicas* longiores, ſemper ariſtatas; *granaque* ſtrigoſiora, nuda, & nigriora, proferre comperitur.

Grana interdum vitium contrahunt, ut etiam in plurimis Graminibus videre licet, præſertim cum copioſæ ſint pluviæ, quibus grana quædam in ſpica, dum tenera, nimis impleta, rumpuntur, & in cornu nigricante, pene unciali, augentur, & ex propriis utriculis protenduntur: hinc à quibuſdam *Secale luxurians* nominatur; aliiſque *Orga*, & *Secalis mater*.

2. Secale *latifolia peregrina, C. B. P. Theat. Prod. Park.* Huic *culmi* ſunt altiores; *ſpicæ* longiores, & craſſiores; *folia* cubitum longa, unciamque lata.

Ex Horto Cl. Contareni, Senatoris Veneti, C. Bauh. habuit.

3. Secale *vernum vel minus, C. B. P. Vernum vel æſtivum, C. B. Theat. Siligo æſtiva, Trag.* Hoc in omnibus minus eſt, vernalique tempore ſatum, quod plurimi pro ſpecie diſtincta non habebunt.

SECALIS USUS.

Secalis *grana ad panes conficiendos, Tritici ſecunda ſunt: panis vero in calefaciendo ac digerendo potentior; magis ponderoſus, gravis, humidior, & concoctu difficilior, ex iis conficitur: ruſtici & robuſti tamen tanquam præſtantiorem exiſtimant. Frequenter cum Tritico ſatum & mixtum eſt, & eo gratius redditur, Latinis Miſcellaneum, Anglice* Mung-corne *ſeu* Maſcelin *appellatur, panemque ob ejuſdem humiditatem, plurimis ſatis gratum, frequenter faciunt, qui & alvum emollit.*

Externe contra Eriſipelatem, cephalalgiam, & ad tumores emolliendos, cataplaſmatice applicata, farina feliciter uſurpatur.

4. Gramen *Secalinum vulgatiſſimum viarum, Nobis. Gramen Hordeaceum minus & vulgare, C. B. P. & Theat. Hordeum murinum, J. B. Holcus, Plinii. Lolium tertium, Trago. Gramen* hoc ad muros, macerias, & ſemitas ubique obvium, ad Secale, cum pluribus in ſpica ſquamarum ſeriebus potius quam Hordeum, accedit. *Culmis* aſſurgit pedalibus, plus minus, quandoque reclinantibus; *foliis* gramineis, latiuſculis donatum; *ſpica* digiti longitudinis, ex ſquamis longis compoſita, *ariſtis* aſperis, longis, & tenuibus, Hordeum, ſeu potius Secale æmulatur.

5. Gramen *Secalinum maritimum glaucifolium, ſpicis brevioribus, Nobis. Gramen Secalinum paluſtre & maritimum, Raii.* Hujus *folia* minora ſunt; *culmi* graciliores, & humiliores; *ſpica* brevior; *ariſtæ* longæ, tenuiores, magiſque exſtantes: brevi, planta humilior eſt, & minor, ad cæſium colorem tendens.

Ad maris littora, ſolo præſertim arenoſo, frequens invenitur. Annua videtur planta.

6. Gramen *Secalinum pratenſe elatius, Nobis. Gramen Secalinum, Ger. emac. Gramen Secalinum minus, Park.* Hoc in pratis & paſcuis humidioribus frequens invenitur. Ejus *calami* graciles, erecti, cubitales, *ſpicas* ſecalinas, ſubtenues, unciales aut biunciales ſuſtinent, *ariſtis* rectis & argutis donatas.

7. Gramen *Secalinum Chalepenſe radice tuberoſa, Nobis. Gramen bulboſum ex Aleppo, J. B. C. B. Theat.* Ex

olivaribus, multis, laceris, tunicis veſtitis, bulbis pendent, *fibræ* robuſtæ. *Culmi* pedales, craſſiuſculi, foliis inſignes, anguſtis, palmaribus. *Scapo* gerit *ſpicam* Hordei murini ſimilem, palmari minorem, glumis denſis, longis, calamo appreſſis, ſurſum ſpectantibus, in brevem ariſtam ſingulis deſinentibus, J. B.

8. Gramen *Secalinum montanum bicorne, Nobis. Gramen bicorne ſeu diſtachyophorum, Bocc.* *Radix* huic eſt perennis, fibroſa; *Calamus* pedalis longiorque, geniculatus, paucis foliis cinctus. Ex hoc ad inſtar juli recti, triuncialis longitudinis exit è folliculo *ſpica* rubens, quæ per maturitatem, Graminis dactyli modo, in furcam dividitur. Ejuſdem autem ſpicæ *glumæ* in aculeos aut ariſtas tenuiſſimas & longas abeunt. Floret vere, uſque ad finem æſtatis. Ne credas naturæ luxuriantis eſſe errorem; nam in Hyblæis montibus, & circumfuſis campeſtribus locis nullum Gramen frequentius occurrit, *Bocc.*

9. Gramen *Secalinum Indicum ſpica gracili tomentoſa, ariſtis longioribus ad ſe invicem intortis, D. Pluk. Phyt.* Novum hoc Gramen ex India delatum. *Folia* profert rigidiuſcula & anguſta, quatuor aut quinque ex eodem geniculo emergentia; inter quæ *culmi* eriguntur bini, graciles, geniculo cum foliolo adjuncto, nonnunquam donati. *Spica* in ſummo tenuis, biuncialis aut triuncialis eſt, ex *glumis* turgidiuſculis, tomentoſis compoſita, quæ ad dimidium uſque naſcuntur. Ubi ſe attenuat, *ariſtæ* ſex aut plures, unciales aut biunciales, & non ex ſingulis glumis, uti in aliis, ſed ex culmi apice proveniunt, & ad ſe invicem ſub imum contortiles, ad ſummum ſingulatim diviſæ ſunt.

10. Gramen *Secalinum majus altiſſimum Virginianum.* Huic *Calami* teretes, glabri, geniculis & internodiis longis diſtincti, aſſurgunt, & humanam altitudinem obtinent; quos *folia* lata, triticea, quaſi vagina, inferius amplectuntur. *Spica* attollitur quinque aut ſex uncias longa, ex glumis anguſtis compreſſis, & pene foliaceis, in ariſtas breves deſinentibus, conſtructa; & *ſpicæ* Secalis ſatis ſimilis apparet.

Eſeminibus Virginienſibus, à D. J. Baniſter receptis, ortum eſt.

11. Gramen *Secalinum ſegetale majus, Nobis. Gramen ſpica Secalina, C. B. P. Prod. & Theat. Gramen ſpicæ quadrata ad Secale accedens, J. B.* Hoc ipſi Secali ſimillimum, *calamo* eſt tricubitali, lævi, geniculato, & pallente; *foliis* paucis longiuſculis; *ſpica* uncias quatuor longa, oblongis *ariſtis* armata, *C. B.*

Baſileæ in agris frumentaceis frequenter reperitur; cumque inter ſegetes naſcatur, annuum eſſe ſe indicat.

12. Gramen *Secalinum majus ſylvaticum, Nobis. Gramen Hordeaceum montanum ſive majus, C. B. P. & Theat. An Gr. Secalinum maximum, Park.?* *Calami* bipedales aut tripedales; *folia* ſatis lata, viridia, ſunt; *ſpicæ* ſunt ſecalinæ, tenuiores, digiti longitudinis, *ariſtis* brevibus præditæ.

In ſylvis montoſis prope Stokenchurch, *in agro Oxonienſi naſcitur; & quotannis ex eadem radice reſurgit.*

13. Gramen *Secalinum latifolium maritimum, ſive Sparteum ſpicatum latifolium, C. B. P. & Theat. Gr. maritimum ſive oceanicum latifolium, J. B. Spartum noſtras alterum, Lob.* In ſabuloſis Batavicis naſcitur hoc, cui à radice geniculata, hinc inde ſub arena repente, oriuntur *folia* arundinacea ſeu graminea, glauca, ſatiſque lata & rigida; eaque apud ſtoreatores Batavicos frequenter in uſum veniunt, & nomine *Halm* innoteſcunt. Inter hæc autem *culmi* aſſurgunt graciles, *ſpicas* ex ſquamis tenuibus & aſperiuſculis compactiles, gerentes, Secalis ſimiles, aſt breviores, & muticas, ad phalaridem ſemine nigro accedentes.

14. Gramen *Secalinum anguſtifolium maritimum, ſive Sparteum foliis mucronatis, C. B. P. & Theat. Spartum ſpicatum pungens oceanicum, J. B. Spartum marinum noſtras, Park.* *Radix* valde repit, in arena adeo complicata, ut per tenacitatem undas repellat. *Folia* aſſurgunt anguſta; per ſiccitatem convoluta, rigida & juncea apparent, cubiti altitudinem præterpropter aſſequentia, in mucronem durum & acutum faſtigiata, ut cruribus eorum quibus ſine ocreis illac iter eſt, ſæpiſſime vulnera inferant. *Culmo* eſt ſeſquicubitali aut bicubitali; *ſpica* ſecales ſimili, quatuor aut quinque uncias longa, mutica.

Ad maris littora, Angliæ, Flandriæ, alibique naſcitur; & Halm *etiam vocatur.*

15. Gramen *Sparteum ſive Spartum maximum maritimum Hollandicum ſpica Secalina, Raii.* Hoc præcedente duplo majus eſt; *ſpica* laxior eſt, & glumæ minus confertæ.

In arenoſis ad vicum Schevelingam, uno ab Haga Comitum milliari, invenitur.

16. Gramen *Secalinum anguſtifolium maritimum, ſive Sparteum ſpicatum foliis mucronatis brevioribus, C. B. P. & Theat. Gr. Sparteum* 1. *Tab. J. B.* *Radix* repit; *folia* duorum antedictorum ſimilia, rigida, breviora tamen, & pedalia; *ſpica* quoque convenit.

In Brabantia, locis arenoſis, copioſe provenit.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT IV.

Lolium & Gramen Loliaceum.

LOlium *quaſi* δόλιον *ſpurium ſeu Adulterinum: D. mutata in L. ut alia exſtant exempla: vel* ἀπὸ τῦ λοιγὸν λοιὸν ἐλεῖν (*i. e.*) *ſegetem perdendo: ſeu quaſi* λοιγὸν ὀλοὸν (*i. e.*) *ſeges noxia, ſecundum Martinium, & ex eo Voſſium.* Αἶρα *Dioſc. & Theophraſt.* ὅτι τὸ αἴρεσθαι *quod eſt efferri & attolli. Hoc ab aliis granis, nempe Tritico vel Hordeo degeneraſſe, ut quidam fabulantur, qui jam credit hunc eſſe Lolium non immerito pronunciaveris.*

Lolium eſt planta triticea, ſpica longa ſtrigoſa, cujus ſpicularum ſeu glumarum oræ, alternatim poſitæ, caſim ad culmum naſcuntur, & à ſiniſtra ad dextram, latam, compreſſam, ſpicam conſtituunt.

TAB.

TABULA IV. SECT. VIII.

Lolium *verum, Geſn. Lolium album, Ger. Gramen Loliaceum ſpica longiore, C. B. P. ſeu Lolium Dioſcoridis, C. B. Theat. Invenitur cum & ſine ariſtis.*

- *Gramen loliaceum ſpica*
  - *ſimplici*
    - *majus*
      1. *Latifolium ſpica anguſtiore, C. B. P. & 60. Prod.*
      2. *Vulgare anguſtiore folio & ſpica, 3. C. B. P. & Theat. Phœnix Lolio ſimilis, J. B. Lolium rubrum, Ger. Hoc ratione ſoli & cœli variat, unde Gr. loliac. majus ſpicis rarius diſpoſitis, Park. icon. 1146.*
         Gr. loliac. ſpicis brevioribus compreſſis.
         Gramen loliac. ſive Phœnix multiplici ſpicata panicula, Park. 1145.
      3. *Foliis & ſpicis tenuiſſimis, Nobis. Gr. loliaceum minus ſpica ſimplici. 4. C. B. P. Prod. 61. J. B. 544.*
      4. *Maritimum foliis pungentibus noſtras, D. Pluk. Phyt. Gr. phœnicoides foliolis convolutis junceis ac pungentibus, J. B. 477.*
      5. *Spicis in verticellas mulcipicatis Maderaſpaten. D. Pluk. Phyt. Tab. 191.*
    - *minus*
      6. *Maritimum biunciale, Nobis. Gr. foliolis junceis, radice jubata, C. B. Theat. 74.*
      7. *Supinum locuſtis turgidioribus, Nobis. Gr. loliac. ſupinum 6. C. B. P.*
      8. *Maritimum ſpicis articulatis recurvis, Nobis. Phœnix aceroſa aculeata, Park. 1146.*
      9. *Murorum duriuſculum ſpica erecta rigida, Nobis. Minus duriuſculum, Ger. Gr. pratenſe panicula multiplici, C. B. P. Park.*
      10. *Tenuiſſimum unciale aut biunciale, Nobis. Gr. minimum Cherleri, J. B. 465.*
  - *diviſa*
    - *terreſtre*
      11. *Maritimum panicula loliacea ramoſa, C. B. P. Theat. p. 130. Prod. 63. J. B. 544.*
      12. *Panicula ſparſa lutea loliacea, Magnol. App.*
      13. *Foliolis junceis brevibus minus, C. B. P. Theat. 73. Tenue duriuſculum & pene junceum, J. B. 467.*
      14. *Foliolis junceis brevibus majus radice nigra, C. B. Theat. 74. Prod. 34. Gr. tenuifolium glabrum, J. B.*
      15. *Sive pratenſe majus, Nobis. An Lolium alterum avenacea gluma, Park?*
    - *fluviatile*
      16. *Longiſſima panicula, Nobis. Gr. fluviatile, Ger. Park. Aquaticum cum longiſſima panicula, J. B. 490.*
      17. *Geniculatum panicula foliacea, locuſtis tenuibus oblongis, Virginianum.*

Lolium *verum, Geſneri, Lolium album, Ger. Lolium gramineum ſpicatum caput tentans, J. B. Gramen loliaceum ſpica longiore, C. B. P. Lolium & Triticum temulentum, Adv. Lob. Frumentum fatuum, Lon. Radice* conſtat, ut in aliis Cerealibus, fibris comata. *Folia* ſunt anguſta, longa, inferne piloſa, Tritici ſimilia, viridiora tamen. *Culmi* cubitales, graciles, ſpicas pedales ſuſtinent; quæ à Tritico, hac nota diſcrepant, quod racemulæ parvulæ, quarum ſingulæ terna, quaterna, aut plura grana, Triticeis minora, cum foliolo oblongo ſubjuncto, continent, alterno ordine digeſtæ, è culmi lateribus ad dextram & ſiniſtram, abſque pediculo arcte adhæreant, ut *ſpicam* compreſſam, duabus tantum ſeriebus componant. *Glumæ* fuſcæ, frequenter muticæ, interdum vero ariſtis barbatæ inveniuntur.

Frugum vitium eſt, & triticea ſegete præſertim gaudet; inter alia grana tamen reperitur; ſed pro degenerato, ut vult Theophraſtus, Plinius, &c. nequaquam recipiendum eſt.

Vires & Uſus.

Semen *calefacit & ſiccat, & à temperatis, ad acria accedit; gravitatem capiti movet. Cerviſia ex eo parata, aut cum ejuſdem farragine ceu mixtura, ebrietatem parit: & ſi nimia copia pani addatur, vertiginem, temulentiam & ſtuporem, eſitantibus creat; & imbecillitatem oculorum inducit; carbonibuſque injectum, ſenſus offendit. Quare inter incommoda, interne ſumptum, recenſetur. His de cauſis Virgilius rite* infelix Lolium *appellavit; inſuper Ovidius ſic vota concipit:*

Et careant Loliis oculos vitiantibus agri.

Lolium molitum, externe applicatum, attenuat, reſolvit, & abſtergit: ad ulcera mundanda, putredines, gangrænas, & Lepras curandas, vim habet inſignem.

Cum ſtercore columbino, & lini ſemine coctum in vino, ſtrumas diſſolvit, & quæ ægre maturantur, rumpit.

1. Gramen *loliaceum latifolium ſpica anguſtiore, 2. C. B. P. 60. Prod. Theat. 127.* Ex *radice* alba, arundinacea, fibroſa, *culmi* aliquot cubitales exſurgunt, *foliis* paucis, latiuſculis, oblongis, cincti; quorum ſummitati

mitati ſpica anguſta, uncias quatuor vel quinque longa, Phœnicis vel Hordei murini ſimilis, inſidet.
Baſileæ circa Cliben, & longioribus & brevioribus foliis varians, reperitur, C. B.

2. Gramen *loliaceum vulgare anguſtiore folio & ſpica, 3. C. B. P. & Theat.* φοίνιξ *Dioſc. Phœnix Lolio ſimilis, J. B. 436. Lolium rubrum, Ger. Lolium rubrum ſive Phœnix, Park.* Humilis hæc planta, admodum vulgaris, palmarem aut pedalem altitudinem raro ſuperat. *Folia* plurima anguſta, & viridia, quibus à *radice* fibroſa exuberat, ceſpitem conſtituunt. *Spicæ* modo erectæ, modoque reclinantes, compreſſæ Lolii antedicti, ſimiles ſunt, frequenter ruffi aut Phœnicei coloris, unde φοίνιξ dicitur.

Ad vias & ſemitas graminoſas, in paſcuis etiam inter alia genera frequenter occurrit. Semina collecta, & in terra rigente, paſcuiſque humidioribus, & ob ſegetum inopiam & intermiſſum, ad ceſpitem gramineum conciliandum, ſeminantur Gramen ipſum nomine Ray grais *Ruſticis notum in Ovium aliorumque animalium pabulum inſigni eſt uſus.*

Hoc ratione ſoli & cœli variat.

Gramen *loliaceum majus ſpicis rarius diſpoſitis, Park. icon. 1146.*
Gramen *loliaceum ſpicis brevioribus & latioribus, compreſſis.*
Gramen *loliaceum ſive Phœnix multiplici ſpicata panicula, Park. 1145.*

3. Gramen *loliaceum foliis & ſpicis tenuiſſimis, Nobis. Gr. loliaceum minus ſpica ſimplici, 4. C. B. P. 61. Prod. J. B. 554. Phœnix ſimplici & rariſſima gluma, Park.* Ad palmarem altitudinem aſſurgit, *foliis* minoribus & brevioribus, *culmis* & *ſpicis* loliaceis tenuiſſimis, erectis.

In luco Gramuntio, aliiſque agris Monſpelienſibus frequens eſt. Annuum videtur.

4. Gramen *loliaceum maritimum foliis è regione ſitis pungentibus noſtras, D. Pluk. Phyt. Gramen phœnicoides foliis convolutis junceis ac pungentibus, J. B. Oxyagroſtis maritima, Dal. Lugd. 1391. Park. 1278. 477.* Cubito altiorem *calamum* tollit, internodiis longis geniculatum, foliis amictum ſeſquipalmaribus circiter, duris, rigidis, acutis, mediocriter latis. Summo *culmo* ſpica inſidet ſeſquipalmum longa, alternante glumarum muticarum ſquamatim compactarum poſitu, ut in vulgari, ſed multo major, colore ex viridi in flavum vergente. *Radix* oblique acta, fibroſa, dura, & alba, in maritimis arenoſis reperitur.

An Oxyagroſtis maritima, Dal. Lugd. p. 1391. Park. 1278. Gr. arundinaceum maritimum & acutiſſimum, 1. C. B. P. ab hoc dirimendum ſit, quærendum eſt.

5. Gramen *loliaceum majus ſpicis in verticellas multiplicatis, Maderaſpatanum, D. Pluk. Phyt.* Hujus *folia* anguſta ſunt, & rigida. *Culmus* erectus aſſurgit, qui per intervalla, & binarum unciarum intercapedinem, *foliola* pauca, *ſpicaſque* tres quatuorve loliaceas, biunciales aut triunciales, verticillatim emittit; in quas deſinit.

6. Gramen *loliaceum maritimum biunciale, Nobis. Gr. exile durius Norwegicum aut Danicum, ſcoparii gramini cognatum, J. B. 463. Lob. Ger. foliolis junceis radice jubata, C. B. Theat. 74. Forte Gr. pumilum loliaceum ſimile, Raii. Gr. exile duriuſculum maritimum foliolis circumvolutis, veluti junceis brevibus, D. Pluk. Phyt. Radix* pro plantæ modulo longa, jubis plurimis, levi terra & ſaxorum rimis gaudens, comata, *foliola* uncialia, anguſta, emittit, quæ præ ſiccitate, in juncea contrahuntur. Inter iſthæc *culmuli* biunciales aut palmares oriuntur, quibus loliaceæ ſpiculæ compreſſæ, in ſummo naſcuntur.

In oris maritimis Britannicis, Norwegicis, aliiſque naſcitur.

7. Gramen *loliaceum ſupinum minus locuſtis turgidioribus, Nobis. Gr. loliaceum ſupinum, 6. C. B. P. & Theat. 130. J. B. 544. Gr. phalaroides exile ſupinum humi ſparſum Danicum, Lob. part. 2.* Hoc magnitudine præcedens non ſuperat, ex locuſtarum turgiditate, ſeminumve rarius diſpoſitorum, diſcriminatur.

Prope Croneburgum arcem regiam Selandiæ Danorum, ſolo ſabuloſo ad latus maritimum Lobelius notavit.

8. Gramen *loliaceum maritimum ſpicis gracilibus articulatis recurvis, Nobis. Phœnix aceroſa aculeata, Park. Folia* huic plurima ſunt anguſta, brevia; *cauliculi* geniculati, complures, ſemipedales aut palmares, &, quod notatu dignum, ex geniculis alii cauliculi, culmive graciles & recurvi, brachiati ſunt; qui in *ſpicam* biuncialem aut triuncialem deſinunt, ex *locuſtis* adeo tenuibus, alternatim ſitis, compoſitam, ut culmi craſſitiem vix excedant, ad quarum ſingularum appoſitionem, articulatim perfacile rumpitur.

Ad oras maris, & in ſabuloſis, variis in locis reperitur.

9. Gramen *loliaceum murorum duriuſculum, ſpica erecta rigida, Nobis. Gramen panicula multiplici, C. B. P. 11. Prod. Theat. 32. J. B. 464. & Gramen minimum Monſpelienſe, ejuſdem. Gr. minus duriuſculum, Ger. Folia* parva ſunt, graminea; *culmi* tenues palmares aut ſeſquipalmares, duobus tribuſve geniculis diſtincti, rigiduſculi; *ſpicæ* rigidulæ loliaceæ, biunciales, ex *ſpiculis* lateralibus aliis longioribus, & quaſi ramoſis, pediculis brevibus exſtantibus, compoſitæ ſunt, quæ ſubfuſci coloris apparent.

In ſaxoſis, muris, & ſiccioribus provenit. Annua eſt planta.

10. Gramen *loliaceum tenuiſſimum unciale aut biunciale, Nobis. Gramen minimum Cherleri, J. B. 465. Radicula* fibrata eſt. *Foliola* ſtipulas à radice aliquouſque comitantur, tenella, perpuſilla. *Culmi* numeroſi, plus minus unciales, enodes, molles, tenuiſſimi, in *ſpicam* deſinunt, alternis glumis, quod & in aliis hujus familiæ notare eſt, obſitam.

In Gallia Narbonenſi naſcitur, & exinde amiciſſimus Sherardus attulit.

11. Gramen *maritimum panicula loliacea ramoſa, C. B. P. Theat. p. 130. 63. Prod. J. B. 544.* Ex *radice* capillari, oblonga, albicante, *cauliculi* plures rotundi, recurvi, altitudine impares, palmo inferiores, geniculati, ad radicem nonnunquam ſpadicei coloris, *foliis* paucis, anguſtis, oblongis cincti, exſurgunt. *Panicula* eſt loliacea, ramoſa,, trium quatuorve unciarum.

In littore maris prope Perault, non longe à Monſpelio legitur.

12. Gramen *panicula ſparſa lutea loliacea, Magnol. App.* Annuum iſtud Gramen *folia* habet piloſa; *culmum* cubitalem, cui innaſcitur *panicula* è plurimis *ſpicis* loliaceis, uncialibus, ſparſis, parum barbatis, compoſita. *Flores* lutei ſunt.

Maio menſe, in pratis ultra la Garrigue du Terrial, *via qua itur* St. Jean de Vedas *reperitur.*

13. Gramen *loliaceum foliolis brevibus junceis minus, C. B. P. & Theat. 73. Gr. tenue duriuſculum & pene junceum, J. B.* *Folia* capillata, juncea, trium quatuorve unciarum longa, prodeunt; inter quæ *cauliculi* plures, tenues

tenues, erecti, dodrantales, & pedales, geniculo uno aut altero assurgunt, in summo *spicam* brevem, uncialem aut sesquncialem, ex *spiculis* parvis paleaceis, compressis, compositam, singuli sustinentes. Spicularum aliæ scapo adhærent, aliæ ex eodem exortu pediculis brevibus appensæ, racemos constituunt. Radix vivax est. An Gr. capillaceum locustellis pennatis non aristatis, Raii?

Locis siccioribus gramineis, & montosis pascuis, frequens occurrit.

14. Gramen *loliaceum foliolis junceis brevibus majus radice nigra, C. B. P. & Theat. 74. 34. Prod. Gramen tenuifolium glabrum, J. B.* Ex *radice* capillata, nigra, *folia* juncea rarius duas tresve uncias superantia prodeunt; inter quæ culmus tenuissimus, pedalis, levis. Hujus autem summo glumæ minimæ, quemadmodum in gramine exili duro, alternatim dispositæ sunt.

Ad mœnia Basileensia, alibique legitur.

15. Gramen *loliaceum spica divisa pratense majus, Nobis. Gramen ruderum atque arvorum, Lob. Stirp. illust. 6. An Lolium alterum avenacea gluma, Park. 1146? Gr. arundinaceum aquat. panicula Avenacea, D. Doody.* Gramen hoc majus in pratis & pascuis pinguioribus, per stolones, cum subactis fibris, partim repit, & in cespitibus terram fortiter adprehendit. *Folia* exeunt triticea, satis lata. *Culmi* calami scriptorii crassitie oriuntur bicubitales, geniculis tribus & internodiis distincti, totidemque foliis eosdem circumvolventibus. *Spica* seu panicula semipedalis & dodrantalis, ex plurimis loliaceis, muticis & compressis spiculis semiuncialibus, pediculis uncialibus & biuncialibus insidentibus composita est, binis ut plurimum per intervalla simul orientibus, quorum alter alterum longitudine superat.

Alterum in pratis, dimidio minus, ejusdem formæ, frequens invenitur, & tanquam distinctæ speciei habendum est.

16. Gramen *loliaceum fluviatile spica longissima divisa, Nobis. Gr. fluviatile, Ger. Park. Gr. aquaticum 1. sive aquaticum fluitans multiplici spica, C. B. P. Theat. 40. Gr. aquaticum cum longissima panicula, J. B. 490. Gramen aquis innatans, Lob.* *Radix* è geniculis fibras demittens, lutaria, & vado fixa est. *Folia* sub initium Mensis Martii aquis innatant, latiuscula, & obtusa. *Calami* procumbentes, bicubitales, folia è geniculis dodrantalia & pedalia protrudunt, & calamum quasi vaginæ amplectuntur. A medio ad summum extensa est *spica*, quæ primo simplex, longa, & tenuis apparet, ad glaucum colorem ex viridi tendens; postea *spiculæ* muticæ, ex squamis locustisve brevibus constructæ, pediculis longis insidentes, à scapo decedunt. Atque his spica divisa & quasi paniculata est.

In aquis stagnantibus, fossis, & rivulis, frequenter occurrit.

17. Gramen *fluviatile geniculatum, panicula foliacea, locustis tenuibus oblongis Virginianum.* Gramen hoc novum, à *D. Jo. Banister*, è Virginia transmissum, *culmum* profert cubitalem aut bicubitalem, culmi triticei crassitie, geniculis frequentioribus, inferius vix uncialem, & superius minorem distantiam observantibus. In inferiore parte, calamus foliacea materia, quasi ocreatus est. Calamo autem assurgente è vagina consimili seu ocrea, exeunt *folia* uncialia aut biuncialia, culmum lata, quæ vaginæ circumambientes, à geniculo ad geniculum, usque ad culmi summitatem ipsam tegunt. E supremis geniculis, & ex alis quasi foliorum, proveniunt *spicæ* unciales aut sesquncuales, subfusci coloris, singulæ ex *locustis* sex septemve semiuncialibus, tenuibus, squamatis, à nervo medio pertenui, pediculove distentis compositæ.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT V.

Gramen dactylum sive Ischæmon.

GRamen *dactylum seu digitatum dicitur, eo quod spica in quaternas, quinas aut plures, spiculas ad loliaceas proximas divisa, quasi digitos manus expansos referat.* Ἰσχαίμων *vero, à sistendo sanguine nomen invenit.*

TABULA V. SECT. VIII.

- *annuum*
  1. *Esculentum. C. B. P. Theat. 118. Ischæmon sativum, sive Gramen Mannæ esculentum, Park. 1178.*
  2. *Folio latiore 4. C. B. P. Theat. 114. Ischæmon sylvestre latiore folio, Park.*
- *perenne*
  - *repens*
    3. *Folio arundinaceo majus, C. B. P. Theat. 111. Gramen repens cum paniculis Graminis Mannæ, J. B. 456.*
    4. *Folio arundinaceo minus, 3. C. B. P. Theat. 112. Pin. 3.*
    5. *Aquaticum, 7. C. B. P. Theat. 117. Gr. aquaticum geniculatum Tab. digitatum atropurpureum, J. B. 491.*
    6. *Sive Canarium Ischæmi paniculis, Park. 1179. Gr. Canarium alterum, Lob.*
    7. *Ægyptiacum, 1. C. B. P. Theat. 110. Gramen crucis sive Nejemelmsalib, J. B. 460.*

8. *Africa-*

- *Gramen Dactylum*
  - *perenne*
    - *non repens*
      8. *Africanum, Park. Gramen Iſchæmon Africanum perenne, Lob. illuſt.* 36.
      9. *Bermudenſe ſpecioſus fol. brevibus obtuſis, D. Pl. Phyt.*
      10. *Indicum ſpica gemella, Tereta-pullu, Hort. Mal. Park.* 12. *p.* 81.
      11. *Indicum eſculentum ſpica articulata, Ambroſin. Phytol.* 546. *Gr. Dactylum maximum Americanum, Cat. Hort. Reg. Paris.*
      12. *Scoparium,* 6. *C. B. P. Theat.* 116. *Gr. ſcoparium Iſchæmi paniculis Gallicum, J. B.* 460.
      13. *Orientale majus frumentaceum ſemine Napi, Caracan Cingalenſibus, Knox itin. p.* 11. *D. Pluk. Phyt.*
      14. *Spicis villoſis,* 5. *C. B. P. Theat.* 116. *Gr. digitatum hirſutum, J. B.* 445.
      15. *Indicum ſpicis villoſis ſubrubeſcentibus, Kouda-pullu, H. Mal. Part.* 12.
      16. *Plumoſum Braſilienſe Capuupeba Braſilienſibus, Marcgrav. Piſon.* 238.
      17. *Spicis villoſiſſimis argenteis. An Plumoſum Braſilienſe, Marcgrav.?*
      18. *Altiſſimum Braſilienſe, Marcgravii.*
      19. *Americanum ſpicis infra digitatam diviſionem, caulibus ſparſis. Gramen dactylum Americanum, Par. Bat. Prod.*
      20. *Indicum ſeminibus rotundis, Tsjtti-pullu, Hort. Mal. par.* 12. *p.* 149.
  - δυσεχνοφόρον
    21. *Sive ſpica gemina, Millepedi ſimile, C. B. Theat. Gramen* δυσεχνοφόρον, *Col.*
    22. *Parvum procumbens Jamaicenſe ſpica compreſſa, D. Pluk. Phyt.*

1. Gramen *dactylon eſculentum, C.B.P. Theat. Iſchæmon ſativum ſive Gramen Mannæ eſculentum, Par. Graminis genus, Dens caninus tertius, ſive Gramen primum, vel Galli crus, J. B. Gramen Mannæ eſculentum, Ger. Lob. Radice* eſt fibris tenacibus affixa, candida, in tranſverſum porrecta, ex qua *culmi* cubitales, & nonnunquam altiores, crebro geniculati, præ maturitate ſubrubentes, aſſurgunt. Circa hos autem *folia* oblonga, gramini ſimilia, ſed latiora, viridia, & ea parte qua culmos ambiunt, villoſa. *Panicula* eſt viridi, per maturitatem nigricante, quæ in plures, ſeptem, octo, & novem, veluti *ſpicas* longas, ſæpe uncias ſex ſuperantes, & pertenues dividitur. *Semen* ab una tantum parte utriculis incluſum, oblongum, compreſſum.

Sponte locis incultis Germaniæ, Bohemiæ, & Italiæ, in agris exit.

2. Gramen *dactylon annuum folio latiore, C.B.P. Theat. Iſchæmon Plinii, Cluſ. Hiſt.* 217. *Iſchæmon vulgare, Ger. Iſchæmon ſylveſtre latiore folio, Park. Calami* multi pedales, & altiores, tenues, geniculati exſurgunt, frequenter ex atro rubore ſplendentes, inferne nonnihil piloſi. *Folia* anguſta, graminea. *Spicas* habet ex apice culmi in quinas, ſenas, aut plures veluti lineas, digitatim diviſas, herbacei, aut ad rubedinem tendentis coloris.

In Hortorum areis, ſcrobibus, alibique ſponte exſilit.

3. Gramen *dactylon perenne folio arundinaceo majus, C. B. Theat. Folio arundinaceo majus, aculeatum forte Plinii, C. B. P. Gramen repens cum paniculis Graminis Mannæ, J. B. Gr. Mannæ prius Matthioli, Dal. Lugd. Gramen legitimum, Cluſ. Radix* geniculata valde ſub terra repit. *Culmi* pedales geniculati. *Folia* anguſta, graminea, dura, marginibus leviter villoſa. Culmi ſive calami in quaternas, quinas, aut ſenas *ſpicas* virides, tenues, præ maturitate nigricantes, definunt; quarum utriculi brevibus ariſtis donati, ſæpe ab una parte coſtæ propendent, dorſo libero exiſtente.

In agris & vinetis, in locis quoque maritimis & arenoſis, Germaniæ, Galliæ, & Italiæ naſcitur, v. g. circa Monſpelium, Genevam, & Baſileam.

4. Gramen *dactylum folio arundinaceo minus, C. B. P. Theat.* Hoc *viticulis* gracilibus, longis, geniculatis, per terram ſerpit, & ex articulorum nodis, *radiculas* protrudit. *Folia* anguſta, haud longa, in exilitatem faſtigiata, cauliculis multis brevibus recurvis, quibus *ſpica* inſidet, tribus quatuorve torulis donata. Ex cacumine aliquando appendicem, duarum triumve unciarum, longam, candidam, & velut ex ſquamis compactam, duram, & quaſi articulatam deorſum mittit, quæ terræ rurſus infigitur.

5. Gramen *dactylon aquaticum, C. B. P. Theat. Gr. aquaticum geniculatum Taberni digitatum atropurpureum, J. B. Radice* eſt fibroſa, ex qua pluſculi naſcuntur teretes geniculati, ſeſquipedales circiter *calami, folia* ad articulos gramineis, brevibus, latis, acuminatis, amicti. In calamorum faſtigiis *ſpicæ* naſcuntur longæ, tenues, digitales, Iſchæmi ſpicis ſimiles, breviores, atropurpureæ.

Paſſim in lacuſtribus & paluſtribus naſcitur, ut refert Tabernamontanus, ex cujus verbis, differentia ab alia vix colligitur.

6. Gramen *dactylon repens, ſive Canarium Iſchæmi paniculis, Park. Gramen canarium alterum, Lob. Radix* geniculata, uti Graminis canini vulgaris, reptatu luxuriat. *Foliaque* conſimilia, culmis geniculatis adnaſcuntur. *Spica* digitata, ut in aliis, *ſemina* aſperiora continet. *In Hiſpania & Gallia oritur.* An ab antedicto *Gramine dactylo* folio arundinaceo minore diſtinguatur quærendum eſt.

7. Gramen *dactylon Ægyptiacum, C. B. P. Theat. Nejemelmſalib, ſive Gramen crucis, Ægyptius, Alpino, J. B. Gramen ſtellatum Ægyptiacum, Veſlingii.* Hujus *radix* quoque repit. *Folia* ſunt parva, *culmique* palmarem aut dodrantalem altitudinem non ſuperant. Culmorum faſtigia, quadripartitis ſpicis, modo crucis, ſemper ornantur; quamobrem *Gramen Veſlingii* quod *ſtellatum* vocat, quodque plures *ſpiculas* producere confirmat, idem eſſe alii vix concedunt.

8. Gramen *dactylon Africanum, Park. Gr. Iſchæmum Africanum perenne, Lob. Stirp. illuſt.* Antecedenti altior

tior eſt planta, *ſpicis* quoque digitatis & cruciatim diviſa, cui averſa parte *carina* longitudinaliter eminens excurrit; & *granula* lateralia turgidiora, quibus *ſpica* craſſior apparet, in binis ſeriebus oſtendit.

In campo Sophiæ oppiduli oriri fertur. Ab Illuſtriſſimo D. Hermanno habemus.

9. Gramen *Iſchæmon Bermudenſe ſpecioſius, foliis brevibus obtuſis, D. Pluk. Phyt. Part.* 3. *Folium* ſingulum ad ſui dimidium in *caule* veſtiendo, ad geniculum ſuccedens occupatur, ubi ex utraque parte ſinu donatum, quaſi articulatum apparet; atque compreſſum, gramineum, obtuſum, biunciale aſſurgit. *Culmi* erecti apex quinque vel ſex *ſpiculas*, ab eodem exortu digitatas, tenues, & acutas, è *glumis* anguſtis, unam partem ſpectantibus, compoſitas profert.

10. Gramen *dactylum repens Indicum ſpica gemella, Terreta-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 81. Naſcitur in arenoſis, repens, & terræ ſe affigens. *Caules* geniculati, rotundi, virides, glabri, *foliis* oblongis, anguſtis, cuſpidatis, viridibus, in geniculis veſtiti. In vertice caulium ſpicati & gemmati prodeunt *petioli*. *Spicæ* in duabus ſeriebus ſunt conſitæ, rotundæ, parum cuſpidatæ, duræ, albicantes.

11. Gramen *dactylum Indicum eſculentum ſpica articulata, Ambroſin. Phytolog. Gr. dactylum maximum Americanum, Cat. H. R. Pariſ. Seſamum perenne Indicum, Zanoni. Gramen ſpica articulata Virginianum, Park.* Gramen hoc amphiſſimum è Virginia delatum, in Horto ſatis luxuriat, hyememque tolerat. *Folia* emittit gladiata, ulnæ aut ampliorís longitudinis, viridia, per longum ſtriata, ad oras aſperiuſcula, nervo medio fragili in dorſo eminente; inter quæ *culmi* minimi digiti, calamive ſcriptorii craſſitie, geniculis paucis, longiſque internodiis donati, anguloſi, ex viridi purpuraſcentes, ad humanam altitudinem aſſurgunt. Inque horum faſtigio (ut in aliis hujus familiæ) umbellatim, in ternas, quaternas, aut quinas partes ſeu *ſpicas*, dodrantales aut pedales, rectas & extentas ſe dividit. Singula ſpica ſquamoſa, in quadrantis unciæ diſtantiam, articulata eſt, fractuque facilis, qua ſingula *grana*, alterno ordine poſita, & in theca anguloſa, luteola aut ſtraminei coloris latentia, continentur. Ex ſingulo geniculo, æſtivis menſibus, *linguæ* duæ lanuginoſæ, ſubfuſcæ, dependent, quæ è *flore* bifurcato, ut in aliis naſcuntur.

12. Gramen *dactylum ſcoparium, C. B. P. & Theat. Gr. ſcoparium Iſchæmi paniculis, Park. Iſchæmi paniculis Gallicum, J. B. Ger. Lob. Adv. part. alt.* Hoc eſt è cujus prælongis, prætenuibus, rigidiſque cubitalibus, & longioribus, *radicum* cirris concinnantur ſcopulæ illæ vulgatiſſimæ nitentis comæ conciliatrices, frictionibus capitis accommodatiſſimæ & uſitatiſſimæ. *Culmus* cubitalis, *foliaque* longa vulgaris foliis conveniunt. In quaternas, quinas, ut plurimum ſenas, & plures, elegantiſſimas, lucidas, ſpicatas *caudicellas*, vulgaris craſſiores, & à coſta media è binis lateribus naſcuntur *ſpiculæ*. *Folia* quodammodo hirſuta ſunt. A quibuſdam non ſpecifice à Gramine 13. ſequente diſcrepare exiſtimatur.

Copioſe provenit in Gallia, ſabuloſis vicinis Caſtri Inſulani vocitati (vulgo Chaſteau de l'Iſle) locis, prope Aureliam.

13. Gramen *dactylum Orientale majus frumentaceum ſemine Napi, Caracan Cingalenſibus, Knox itin. p.* 11. *D. Pluk. Phyt. Folia* huic latiuſcula, & quaſi porracea, ſex ſeptemve ex eodem exortu, erecte aſſurgentia, & in mucronem deſinentia, *ſpicam* ipſam altitudine ſuperantia, cavitate ſua canaliculata *culmum* amplectuntur; qui craſſiuſculus, teres, & erectus eſt. Hujus autem faſtigio quinque aut ſex *ſpiculæ*, antecedentis ſimiles, quaſi ex eodem centro, radiatæ ſunt.

14. Gramen *dactylon anguſtifolium ſpicis villoſis, C. B. P. Theat. Gramen digitatum hirſutum, J. B. Iſchæmon ſylveſtre ſpicis villoſis, Park. Radix* fibroſa, perennis eſt. *Culmi* cubitales, geniculati, purpuraſcentes, & ad genicula hirſuti, *foliis* anguſtioribus veſtiti, ſpica ſimili, verum lanuginoſa, molli, purpuraſcente, in plures partes, ſæpe denas ſectibiles, diviſa. *Spicæ* ſingulæ, utrinque ad utriculos ariſtas oblongas flavas obtinent, quæ *ſemen* paleaceum, guſtu aſtringens, includunt.

Hæc locis incultis, & in agris, non ſolum circa Monſpelium, ſed & aliis obvium eſt.

15. Gramen *dactylum Indicum ſpicis villoſis ſubrubeſcentibus, Kouda-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 95. *Radix* albicans, fibroſa eſt. *Caules* rotundi, glabri, virides, geniculati, in geniculis cymis inflexi, foliis gramineis veſtiuntur. *Spicæ* petiolis viridibus, ſurrectis, qui ex vertice caulium plures erumpunt, in duabus ſeriebus confertæ inſident, fuſce rubeſcentes, & nitentes, ex vertice *pilis* oblongis ſurrectis rubeſcentibus barbato.

16. Gramen *dactylum plumoſum, Capuupeba Braſilienſibus, Marcgravii, Piſon.* 238. Ad duorum aut trium pedum altitudinem aſſurgit, *caule* tereti, geniculato, *foliis* ad genicula plus ſeſquipedem longis; & in ſummitate in 20. 24. & interdum 30. tenuiores *caules* dividitur, quorum quilibet verſus ſummitatem, ad duorum, trium, quatuorve digitorum longitudinem argentea veſtitur *panicula*, quæ & in medietate *ſemen* gramineum continet. *Caules* egregie rufeſcunt.

17. Gramen *digitatum alterum plumoſum Braſilienſe, Marc. Caulis* teres, tenuis, cavus, gramineus, in 18. aut 20. digitorum altitudinem aſſurgit, cui folia gramínea. In caulis ſummo, quinque aut ſex *ſpicas* tenues, duos circiter digitos longas, craſſo filo haud craſſiores, coloris argentei, profert; de quibus parvuli è cinereo ad purpurocœruleum colorem vergentes *flocculi* dependent, tremuli, qui & vento abripiuntur.

Inter alia rariora, à laudato *D. Sherard* collecta, Gramen dactylum elegantiſſimum obſervatur; quod in *ſpiculas* novem aut decem, biunciales, rectas, ex apice *culmi* ſe dividit, glumis tenuibus, & ariſtatis, ſeu plumoſis arcte confarctis, ad unam partem ſpectantibus, elegantiſſimi argentei coloris. Hoc autem munificentiæ *D. Stoneſtreet* Cantabrigienſis acceptum refert. An hoc ſit idem cum ſupra memorato quærendum.

18. Gramen *dactylum altiſſimum Braſilianum, Marcgravii.* Bicubitalem aut tricubitalem ſortitur altitudinem, *caule* & foliis gramineis. *Panicula* in parte ſuperiori in duodecim, quindecim, aut plures *ſpiculas* dividitur, quarum quælibet, octo aut novem digitos longa, coloris obſcure rufeſcentis.

Duodecima Graminis ſpecies Marcgravii hujus varietas eſſe videtur, panicula longiore & pene pedali, ſubtiliuſque compoſita, atque coloris viridis.

19. Gramen *dactylum Americanum, ſpicis infra digitatam diviſionem caulibus ſparſis. Gramen dactylum Americanum, Parc. Bot. Prod.* Omnia hujus familiæ præcedentia, ab eodem exortu, ſummitati *culmi* naſcentes *ſpiculas* digitatim emittunt. Hoc non ſolum quatuor aut quinque ad eundem modum, ſed infra, ad uncialem diſtantiam, *culmo* ſingulatim adhærentes, *ſpiculas* duas vel tres conſimiles profert, anguſtas, ſeſcuncia-

les, glumis frequenter à nervo ad unum latus ſpectantibus. Planta cubitalis aut bipedalis, aliarum more graminea eſt.

20. Gramen *dactylum Indicum ſeminibus rotundis, Trytti-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 149. Caules* ex *radice* exſiliunt rotundi, geniculis tuberoſis interſtincti. *Spicæ* in culmis denſa ſerie ad unum latus conſident, rubrorufeſcentes, planæ, quatuor vel quinque cuſpidibus præditæ, intra ſuas veſiculas totidem includentes *ſemina* rotunda, cortice rubro fuſco tecta.

21. Gramen *ſpica gemina Millepedi ſimili, C. B. Theat. Gramen* δυσιχωφόρον, *Col. Culmos* ſupinos, geniculatos, dodrantales, *foliaque* graminea parva, profert, & in ſummo binas *ſpicas* breves, ſimul junctas ſemper producit, ex una parte dorſo rachive per medium diſcurrente, utrinque pinnatas, ex alia vero quatuor angulis per longitudinem; & in medio *canaliculus* eſt, tribus aut quatuor ſoliaceis fructuum ordinibus emicantibus, conſtructis. *Spicæ* è dorſi parte millepedum ſive ſcolopendram fere æmulari videntur. *Cl. Fab. Col.* durationem non exprimit, ſed annuum eſſe videtur. *In Meſſana D. Raius* Gramen huic ſimile detexit, perenne, è cujus geniculis, alii quoque culmuli ſpicæque ramificantur, quod *Gramen dactylum Meſſanenſe panicula multiplici, ſpicis ab eodem exortu geminis* nominavit.

22. Gramen *parvum repens* δυσιχωφόρον *Jamaicenſe ſpica longiore compreſſa, D. Pluk. Phyt. part. 1.* Planta hæc humilis, quæ palmarem altitudinem vix excedit, *folia* anguſta & acuminata, *culmeſque* breves, geniculo uno vel altero, cum folio ſatis longo adnato profert. *Spica* binatim ſe dividit, compreſſa, & præcedentis longior & tenuior eſt. Hujus *glumæ* à nervo medio oblique actæ ſunt.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT VI.

Phalaris & Gramen phalaroides.

PHalaris ἀπὸ τῆ φαλήρεως, *à ſplendido ſemine nomen habet.*

Phalaris eſt planta culmifera erecta, ſpicis ſquamatis muticis, ſeminibus lucidis & compreſſis rhomboidibus donata.

TABULA VI. SECT. VIII.

- *Phalaris*
  - *annua*
    - *ſemine*
      1. *Albo, C. B. P. & Theat. Phalaris, J. B. Dioſc. Matth.*
      2. *nigro, C. P, P. & Theat. J. B. Cuneno, Melitenſium incolis.*
  - *perennis*
    3. *Major radice nodoſa, Nobis. Gramen phalaroides perenne radice tuberoſa, Moriſ. Prælud. Bot.*
    4. *Minor radice nodoſa, Nobis. Phalaris bulboſa ſemine albo, Park.*
- *Gramen Phalaroides*
  5. *Spica longa pyramidali.*
  6. *Spica brevi reclinata ex utriculo prodeunte, D. Pluk. Phyt. Gramen phalaroides Luſitanicum, Raii Hiſt.*
  7. *Minus ſive Hiſpanicum, 2. C. B. P. 26. Prod. Minus, Theat. 55. J. B. 475.*
  8. *Spica panicea Siculum, Raii Hiſt. 1249.*

1. Phalaris *major annua ſemine albo, C. B. P. & Theat. Phalaris, J. B. Dioſc. Matth. Dod. Cord. Phalaris herba, Geſn. Radix* multifida & fibrata. *Folia* hordeacea ad cæſium colorem tendentia. *Culmi* tres, quatuor aut plures, cubitales, geniculati, glabri, graciles; quibus ſingulis *ſpica* inſidet coniformis, uncialis aut ſeſquialis, digitali craſſitudine, exiguis candicantibus *ſquamis*, viridibus lineis diſtinctis, compactis. Inter has autem *florum* ſtaminula dependentia prodeunt. *Semen* inter ſquamas ſplendidum, candidum, & Lini ſeminis forma compreſſum eſt, quo quotannis renovatur.

Vere ſatum facile provenit, & ſub finem æſtatis matureſcit apud nos. Sponte vero in Inſulis Canariis Fortunatis dictis, in Hiſpania, Galloprovincia, aliiſque locis provenit.

Vires & Uſus.

Semen cum aceto vel vino & cum melle potum calculoſis auxiliatur; idemque veſicæ vitia ſanat. Alimento eſſe, & nonnullos panes ex eo pinſendos curare, æſtareque calculo fractuque veſicæ laborantes perhibet Lobel. *Paſſerculis Canarienſibus vel philomelis, pluſquam melliſluas cantilenas modulantibus, alendis optime inſervit.*

2. Phalaris *major ſemine nigro, C. B. P. & Theat. J. B. Cuneno Melitenſium incolis.* Altior hæc planta eſt, recte aſſurgens. *Spicæ* ſquamatæ longiores ſunt & tenuiores. *Grana* minora, ad nigredinem tendentia.

In Sicilia, Italia, & Gallia Narbonenſi, frequens eſt.

3. Phalaris *perennis major radice nodoſa, Nobis. Gramen phalaroides perenne radice tuberoſa, Moriſ. Prælud. Bot.* Rara hæc ſpecies è ſeminibus à *Cl. D. Sherardo* è Gallia tranſmiſſis nobis orta eſt. *Radix* ex plurimis tuberculis nodiſve, avellanæ magnitudinis, cum fibris exinde depreſſis, compacta eſt; è quibus *folia* ampliora graminea, & pene arundinacea, in ceſpitem coagmentata, prodeunt. Inter iſthæc *culmi* plures eriguntur graciles, glabri, paucis tantum geniculis diſtincti, humanæ altitudinis, qui in *ſpicas* aceroſas & ſquamoſas, 4. aut 5. uncias longas, digiti craſſitudinis, deſinunt. *Semen* nitidum, glabrum, antecedentis ſimile, nos ut Phalaridem potius quam gramen appellaremus permovit.

4. Phalaris *perennis minor radice nodoſa, Nobis. Phalaris bulboſa ſemine albo, Park.* Huic *radix* quoque tuberculis donata eſt; *folia* molliora; *culmi* tenuiores & breviores; *ſpicæ* vulgaris annuæ longiores, quæ *ſemina* glabra, minora, albicantia continent.

Ex Hiſpania delatam eſſe perhibet Parkinſonus.

5. Gramen *phalaroides ſpica longa pyramidali, Sherardi.* Ex eadem *radice* fibroſa, annua, proveniunt *folia* graminea, palmaria, molli hirſutie pubeſcentia; *culmique* cubitales, erecti, geniculis paucis, in inferiore parte intercepti, foliiſque circumvolventibus cincti. *Spica* in ſummo biuncialis, lata & pene unciali baſi, in pyramidem ſeſe efformans, ex plurimis aſperiuſculis, anguſtis ſquamis glumiſve, imbricatim incumbentibus, ut in aliis hujus ſeriei.

Hoc Cl. D. Sherardus attulit, & in Horto noſtro alendum tradidit: ſed unde conquiſivit nos latet.

6. Gramen *phalaroides ſpica brevi reclinata, ex utriculo prodeunte, D. Pl. Phyt. Gramen phalaroides Luſitanicum, Raii Hiſt.* Gramen hoc elegans, in *Horto Amſtelodamenſi*, plurimis abhinc annis, nobis primo viſum, & Graminis Phalaroidis Luſitanici nomine acceptum, in *Horto noſtro* quotannis jam uſque ſuccrevit. Verno tempore ſatum plurima ſpargit per terram ſtrata *folia*, mollia, pallida, graminea. *Culmi* dodrantales aut pedales, modo erecti, modoque reclinati, duobus tribuſve geniculis interſtincti, cum folio ad ſingulum geniculum exeunte, culmum amplectente. Horum autem ſupremum ſe dilatans, vaginæ ſeu thecæ ſpicam incluſam tegentis loco eſt, unde & *ſpica* temporis decurſu emergit ſeſcuncialis, aut biuncialis, ex anguſto principio in digitalem craſſitiem intumeſcens, ex plurimis anguſtis & acerofis, pallidis ſquamulis compacta, *ſemina* paleacea continentibus; quibus matureſcentibus, perit.

7. Gramen *Phalaroides minus ſive Hiſpanicum, C. B. P. Prod. Theat. J. B.* *Foliis* eſt oblongis, anguſtis, viridibus, quorum unum vel alterum *culmos* cubitales, tenues, tubi inſtar, cingit. *Culmorum* ſummitati *ſpica* Phalaridis ſimilis, ſed anguſtior, trium unciarum inſidet. *C. B.*

8. Gramen *phalaroides ſpica Panicea Siculum, Raii Hiſt.* *Culmo* eſt procero, firmo; *foliis* longis & modice latis; *ſpica* palmari panicea; hoc eſt, è multis brevibus & confertis ſpicis coagmentata; *glumis* aceroſis, è viridi albicantibus, nullis omnino ariſtis donatis. *Semen* nondum maturum erat, cum obſervavit *Cl. Raius.*

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT VII.

Panicum & Gramen Paniceum.

PAnicum *à paniculis plurimis, quæ ſpicam conſtituunt, ſeminaque continent, dictum eſt.* Ελυμος ϗ Μελίνη *Dioſc. l. 2. c. 120.* Ελυμος *forſan ad* ἑλύω *involvo, Plin. l. 18. c. 7.* μελίνη *quaſi melleum quidpiam.*

Panicum eſt planta culmifera longis ſpicis donata, ex plurimis paniculis ſimul junctis & granis parvis rotundis nudis compoſita.

TABULA VII. SECT. VIII.

Panicum

1. *Germanicum, ſive panicula minore, C. B. P. Theat. vulgare, J. B. album vulgare, Park. Variat ſeminibus albis, luteis, & rufeſcentibus, J. B. 440.*
2. *Italicum panicula majore, C. B. P. Theat. Panicum puniceum, J. B. Panicum aliud Indicum panicula villoſa, Lob. Park.*
3. *Indicum majus ſeminibus albicantibus, Tenna, Hort. Mal. Part. 12. p. 151.*
4. *Indicum ſpica ſpecioſa divulſa, Nobis. Cui figura Panici ſpica divulſa, J. B. bene convenit.*
5. *Indicum ſpica obtuſa cærulea, C. B. P. Theat. Panicum cæruleum ſive Indicum, J. B. Park. Panicum Americanum, Cluſ. Hiſt.*
6. *Indicum ſpica longiſſima, C. B. P. Theat. Panicum Americanum ſeſquipedali ſpica, J. B. Cluſ. Hiſt.*
7. *Indicum ſpica longiore villoſa & interrupta, ſemine longiore, Nobis. Gramen alopecuroides ſpica maxima Indiæ Orientalis, D. Pl. Phyt. Gramen Alopec. Indicum maximum, Raii. Hiſt. App.*
8. *Braſilienſe ſquamoſum, Amongeaba dictum, Piſ. 239.*

- *Gramen Paniceum ſpica*
  - *ſimplici*
    9. *Lanuginoſa, maritimum, Nobis. Gramen Alopec. minus ſpica longiore, C.B.P. Theat.* 57.
    10. ἐλυμάγρωστις, *C. B. P. Gramen paniceum, ſive Panicum ſylveſtre, ſimplici ſpica, C.B. Theat.* 138.
    11. *Aſpera, C. B. P. Theat.* 139. *Gramen geniculatum, Tab. Ger. J. B. Minus, Park.* 1177.
    12. *Laxa pyramidali, Nobis. Gr. ſerotinum arvenſe ſpica laxa pyramidali, Raii.*
    13. *Latiore, Nobis. Gr. Alopecuroides ſpica aſpera, C. B. P.* 10. *Prod. Theat.* 59. *Gr. cum cauda leporis aſpera, ſive ſpica murina, J. B.*
    14. *Americanum procumbens, ſpicis è ſingulis geniculis prodeuntibus. An Panici effigie Africanum ſylveſtre Gramen, Lob. Stirp. Illuſt.* 18?
  - *diviſa*
    15. *Primum, C.B.P. Gr. paniceum ſive Panicum ſylveſtre ſpica diviſa, C.B. Theat.* 136.
    16. *Ariſtis longis armata,* 2. *C.B.P. Theat.* 137.
    17. *Nigra,* 5. *C.B.P. Theat.* 140. *Gramen paniceum* 3. *Tab.*
    18. *Maderaſpatanum, D Pluk. Phyt. Tab.* 191.
    19. *Minus Inſulæ Barbadienſis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 189.
    20. *Seminibus rariſſime diſpoſitis, Kaden-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 89.

1. Panicum *Germanicum ſive paniculo minore, C. B. P. & Theat. Panicum, Dod. Cord. Lob. Cæſ. Vulgare, J. B. Album vulgare, Park. Radix* multis fibris validis fixa eſt. *Culmi* pauci, intus farcti, articulis geniculati, ac ſenſim gracileſcentes, bicubitales, quibus *folia* arundinacea, multo Tritici latiora, pallide virentia, adnata ſunt. *Spica* digiti longitudinis & craſſitudinis, aut amplioris, ex plurimis ſpiculis brevibus, parviſque, arcte ſimul junctis, ex granulis exilibus, rotundis, ſplendentibus, duris, compoſitis, condita eſt. *Granula* numeroſa, folliculis incluſa frequenter ſublutea ſunt; interdum vero alba, & rufeſcentia conſpiciuntur.

In agris, levi ſolutaque terra, Germaniæ, Italiæ, & Galliæ, ſeritur.

2. Panicum *Italicum panicula majore, C. B. P. Theat. Panicum aliud Indicum panicula villoſa, Lob. Park. Panicum Indicum, Tab. Ger.* Priori convenit hoc; in *ſpica* præcipua conſtat differentia, quæ pene pedalem longitudinem quandoque attingens ex ſpiculis conſimilibus compoſita, & dependens ſeu nutans, hirſutie longa villoſa eſt. *Seminis* color quoque variat.

Ex India primo allatum eſſe creditur. In agris Italicis ſatum, fœcundius exiſtit quam in Germanicis.

3. Panicum *Indicum majus ſeminibus albicantibus, Tenna, Hort. Mal. Part.* 12. 151. *Caules* in cacumine oblongum & ſpicatum geſtant *capitulum*, filamentis viridibus inter *ſpicas* eminentibus, barbatum. *Spicæ* ipſæ geminulæ ſunt oblongorotundæ, quæ filamentis viridibus, longiuſculis, tanquam proprio conſpiciuntur calyce. Matureſcentes non tam longæ ſunt, albicantes, ſubflaviuſculæ, nitentes, in *capitulo* inter filamenta flaveſcentia gemmulas referentes.

4. Panicum *Indicum ſpica ſpecioſa & pene divulſa.* E ſeminibus ex Inſula *D. Chriſtophori* miſſis ortum eſt, modoque creſcendi aliis congruit; *ſpica* vero brevior, quæ ex *ſpiculis* quaſi disjunctis, laxior & craſſior apparet, non hirſuta, ut in præcedenti. Figura Jo. Bauhini, ubi Panicum ſpica divulſa nominatur, pag. 442. mediocriter hoc repræſentat, niſi quod hirſutiem non ſatis expreſſerit.

5. Panicum *Indicum ſpica obtuſa cærulea, C. B. P. Theat. Panicum cæruleum ſive Indicum, J. B. Dod. Park. Panicum Americanum, Cluſ. Hiſt. Culmos* promit craſſos, 8. vel 9. pedes altos, crebris geniculis articulatos & hirſutos. *Folia* è ſingulis geniculis dura, magna, longa, lataque, omnino arundinacea. *Spicæ* craſſæ ſunt, & denſe compactæ, aliquantulum hirſutæ, breviores non raro quam vulgaris Panici, ſed craſſiores. Exeunt hæ & è ſummo culmorum, & è foliorum finibus, brevioribus ac tenuioribus veluti culmis ramatim inſidentes. *Semen* oblongum, capillaceis glumis implicatur, quæ ipſas paniculas hirſutas efficiunt. *Radices* validæ ſunt, ac fibroſæ, ampliores quam prioris Panici.

6. Panicum *Indicum ſpica longiſſima, C. B. P. Theat. Panicum Americanum ſeſquipedali ſpica, J. B. Cluſ. Hiſt. Panicum Æthiopicum ex Guinea, Cluſ. Hiſt. ap. ad l.* 6. Hoc *ſpicam* habet ſeſquipede longiorem, craſſam, firmam, & compactam, non æqualem, ſed paulatim extima parte gracileſcentem. *Semina* præcedentium Panicorum ſimilia, nec multum majora, ſed plura ſimul juncta, & gluma hiſpida incluſa, brevique pediculo innixa.

Forte idem eſt quod in Horto Rev. D. D. H. Compton Epiſc. Londinenſis, & Rei Botanicæ Fautoris digniſſimi ſuccrevit, & quod Cl. D. Plukenet nomine Graminis alopecuroidis ſpica maxima edidit.

7. Gramen *Alopecuroides Indicum maximum, Raii.* Hujus *culmi* humanam proceritatem acquirunt. *Folia* ſunt magna, Tritici Indici *Maiz* dicti ſimilia. *Spicæ* ſpithameam longitudinem æquant, ex *granulis* quamplurimis, inter villoſam, brevem, fuſcamque materiam naſcentibus, compoſitæ, hyeme vero nimis feſtinante, fructu immaturo, totum periit.

Panica alia exotica à Parkinſono noſtrate (quem conſule) memorata ſunt, adeo tamen inaccurate deſcripta, ut impræſentiarum ſint a nobis prætermittenda.

8. Panicum *Braſilienſe ſquamoſum, Amongeaba dictum, Piſonis.* Species hæc eleganter plicata & Miliacea, ad trium vel quatuor pedum altitudinem, ex *radiculis* filamentoſis, Arundinis modo, in paſcuis aſſurgit. *Folia* viridia, longa, hinc inde *caulis* geniculis adnata, & ſolitarie poſita. In ſummitate caulis *ſpica* longa ſquamata, ariſtis Panici ſylveſtris figura & magnitudine ſimilis.

Vires & Uſus.

Semina Panici Milii vices præſtant, & inter panificia minora habentur. Parum ad nutrimentum faciunt, ut Galenus perhibet; difficulter in ventre conficiuntur; flatus pariunt; alvumque adſtringunt, ſiccant, atque refri-
geranti;

gerant: lacte vero cocta, fæliciter commeduntur, pulteſque ex iis conficiuntur, haud ingrati ſaporis.

Externe cataplaſmatice applicata exſiccant, refrigerant, & adſtringunt. Apud Italos ad columbarum gallinarumque ſaginam, potius quam ad hominum alimentum, ſeruntur; quibus Divina providentia melius proſpexiſſe comperitur.

9. Gramen *paniceum ſpica ſimplici lanuginoſa maritimum, Nobis. Gramen alopecuroides minus ſpica longiore, C. B. P. Theat. Cauda vulpina Monſpelienſium, Lob. Radix* fibroſa eſt. *Culmi* multi geniculati, recurvi. *Folia* longa, anguſta. *Spica* trium unciarum, rarius pauciorum, albida, lanuginoſa, quæ compacta eſt, ita ut ſimplex videatur; cum tamen ex multis ſpiculis ſit compoſita, & mollitiem Alopecuri non obtineat.

In ſabuloſis, foſſis, & ſtagnis maritimis circa Monſpelium, copioſe oritur.

10. Gramen *paniceum, ſpica ſimplici, ἀλωπεκοειδὲς, C. B. P. Gramen paniceum ſive Panicum ſylveſtre ſimplici ſpica, C. B. Theat. Panicum ſylveſtre dictum & Dens canis, J. B. Panici effigie Gramen ſimplici ſpica, Lob. icon.* Huic *folia* ſunt latiuſcula, gladiata, haud longa, & ob brevitatem plerumque erecta, viridia, & aſpera, præſertim ſi deorſim ſtringantur. Culmi cubitales, geniculati, graciles, ad rubedinem tendentes ſunt; è quorum geniculis culmi alii minores interdum oriuntur. *Spicæ* digitalis longitudinis & craſſitiei, *ariſtis* purpuraſcentibus aut ſubfuſcis, brevibus, hirſutæ, & Panici ſecundi ſimiles, ſed minores inſident. *Semen* eſt Panici, ſed minus; unde ſi quis Panicum ſylveſtre minus appellaverit, ipſe non repugnabo.

In Gallia & Italia frequenter inter ſegetes occurrit.

Deſcriptio *Jo. Bauhini* ad ſuccedens potius quam ad hoc applicetur.

11. Gramen *paniceum ſpica ſimplici aſpera, C. B. P. & Theat. Gramen geniculatum, Tab. Ger. J. B. Gramen geniculatum minus, Park.* 1177. *Panicum ſylveſtre, Dal.* E *radice* fibris multiplicatis contexta, *culmi* aſſurgunt pedales, plerumque reclinati, è quorum *geniculis*, in terram incumbentibus radices quoque actæ ſunt. *Spicæ* longæ, tenues, tactui aſperæ, & veſtibus adhærentes. Atque iſtis facile dignoſcitur.

12. Gramen *paniceum ſerotinum ſpica laxa pyramidali, Nobis. Gramen ſerotinum arvenſe, ſpica laxa pyramidali, Raii. Gramen Alopecuroidi accedens ex culmi geniculis ſpicas cum petiolis longiuſculis promens, D. Pluk. Phyt. Radix* fibroſa, annua. *Culmi* plures graciles, geniculati, pedales. *Folia* pallide virentia, aſperiuſcula, graminea, parva. *Panicula* ſeu *ſpica* ex plurimis ſpiculis compacta, mollis, anguſta, tres uncias longa; cujus locuſtæ ſingulares minime ſquamoſæ ſunt, verum ſingula granularia panicea, rotunda, continent, glumis in mollem ſeu brevem ariſtam exeuntibus.

Inter ſegetes, præſertim in meridionalibus Angliæ plagis reperitur.

13. Gramen *paniceum ſpica aſpera latiore, Nobis. Gr. Alopecuroides ſpica aſpera, C. B. P. Prod. & Theat. Gramen cum cauda Leporis aſpera, ſive ſpica murina, J. B.* Pluſculis ſurgit *calamis* pedalibus, aut ſeſquipedalibus, rigidulis, gracilibus; inque horum ſummitate *ſpicæ* ſunt breves, unciales aut ſeſcunciales, unciam latæ, ex criſtis ariſtatis & aſperis compoſitæ, quæ ex brevi reflexu in ſummitate culmi nutant. In harum autem ſinu *glumæ* latent parvæ, inutiles. *Folia* mediocris longitudinis, rigidiuſcula, glabra.

In marginibus ſiccioribus ſatorum, circa Monſpelium, aliiſque Galloprovinciæ locis frequens eſt.

14. Gramen *paniceum Americanum ſpicis è ſingulis geniculis prodeuntibus. An Panici effigie Africanum ſylveſtre Gramen, Lob. illuſt.* Gramen hoc cubitale aut bipedale, *calamos* glabros, procumbentes emittit ſex ſeptemve geniculis tumidiuſculis diſtinctos, è quibus *folia* modice lata, eoſdem amplectentia proveniunt. In foliorum autem ſinu, aut ex illorum alis *culmi* alii minores, ramatim naſcuntur, qui in *ſpicam* ſimplicem, tenuem, biuncialem, non ariſtatam, terminantur.

Ex Inſula Bermudenſi habemus.

15. Gramen *paniceum ſpica diviſa primum, C. B. P. Gr. Paniceum ſive Panicum ſylveſtre ſpica diviſa, C. B. Theat. Graminis genus quibuſdam Gallis Dens canis 2. ſive Panicum ſylveſtre panicula divulſa, J. B. Panicum ſylveſtre, Dal. Lugd. Sylveſtre Herbariorum, Park.* A *radice* multas fibras ſpargente, *culmi* complures exſurgunt cubitales, geniculati, quorum quidam erecti, nonnulli in latus & terram verſus reclinati. Circa culmos *folia* longa, aſpera, & arundinacea. *Juba* eſt aſperiuſcula, ex pluribus paniculis, ſpiculiſve, tenuibus, alterno ſitu ſummo cauli adhærentibus compoſita, quæ quandoque herbacei, alias in rubedine nigricantis coloris, ex denſo granulorum paniceorum ſtipatu conferta. Singulis *utriculis* mollibus & ſubrotundis, ſingula *ſemina* Panici minora, duriuſcula, flaveſcentia, Auguſto menſe matura, inſunt.

Ad agrorum & vinearum margines: in hortis item & viridariis, nullo ſatu, apud Germanos, Italos, & Gallos; rarius in Anglia, reperitur.

16. Gramen *paniceum ſpica diviſa ariſtis longis armata, 2. C. B. P. & Theat. Park. Panici effigie Gramen ariſtis circumvallatum, Lob. icon. Gr. Paniceum, 2. Baſſei.* Gramen præcedens frequenter, ut in Tritico, Lolio, & aliis, variiſque graminum ſpeciebus, cum & ſine ariſtis, videre licet; breves tamen ariſtæ in hoc conſpiciuntur. Hoc de quo jam agimus in omnibus præcedenti convenit, niſi quod ariſtas emittit longiores. Hinc plurimi tanquam ſpeciem diſtinctam recipiunt.

17. Gramen *paniceum ſpicis nigris, C. B. P. Theat. Graminis Dentis canini ſpica divulſa tenuior nigra ſpecies, J. B. Panici effigie Gramen 3. Lob. Gr. Paniceum 3. Tab.* Huic *culmi* ſunt tenuiores; *folia* brevia latiuſcula; *ſpicæ* nigræ, graciles, fortuito poſitu, erga caulis ſummitatem ramatim naſcuntur.

18. Gramen *paniceum multiplici ſpica Maderaſpatanum, D. Pluk. Phyt. part.* 3. E *culmo* erecto, gracili, longis interſtitiis inter genicula donato, naſcuntur *folia* longa, anguſta, recta, & acuminata, cavitate ſeu ſulco ſuo eundem involventia; cui in ſuperiore parte, alterno ſitu, ad uncialem intercapedinem, *ſpicæ* tenues, unciales, paniceæ, muticæ, ad ſingulam appoſitionem ſingulæ naſcuntur.

19. Gramen *paniceum minus, ſpica divulſa, Inſulæ Barbadienſis. Pargiter Graß, & Plowmans plague, noſtratibus nuncupatur, D. Pluk. Phyt. p.* 3. Humile hoc Gramen, plurimos *culmos*, tenues, è *radice* fibroſa emittit, *geniculis* ut plurimum binis, rarius ternis, diſtinctos, modo erectos, modoque reclinatos; quibus *folia* graminea, pro longitudine unciali, lata, nec circumvoluta, apponuntur. *Spicæ* breves, è locuſtis turgidiuſculis, paniceis, muticis, compoſitæ, fortuito poſitu, tres quatuorve, ſummis caulibus inſident

20. Gramen *paniceum Indicum ſpicis diviſis & ſeminibus rariſſime diſpoſitis, Kaden-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 89. *Caules* exſurgunt ex rotundo triangulati, foliis longis gramineis veſtiti. *Flores* in ſummitate

caulium ſpicati proveniunt in *petiolis* tenuibus, planis, viridibus, qui ſupra foliorum exortum ex caule erumpunt, ramulis petioli tranſverſis inſidentes. *Spicas* habet, quarum *folia* anguſta & cuſpidata. Illis deciduis in unoquoque *calyce* aperto unicum conſpicitur *ſemen* rotundiolum ac trilaterale, primo viride dilutum, deinde candidum, & nitens; ad maturitatem ubi pervenerit, albocinereum ad Perſicum vergens, forma gemmulam referens. *Hort. Mal.*

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT VIII.

Alopecuros & Gramen Alopecuroides.

Αλωπέκουρος à ſpica molli, ſericea, caudam vulpinam referente, dicta eſt.

TABULA VIII. SECT. VIII.

Alopecuros

1. *Spica rotundiore, 1. C. B. P. Theat. 56. Alopecuros genuina, Park. 1166. Gramen alopecuros ſpica brevi, J. B. 475.*
2. *Altera Anglica & Flandrica, Park. 1166. Gr. alopecuros altera, Lob. Illuſt. 36. J. B. 475.*
3. *Maxima Anglica paludoſa, ſive Gramen alopecuroides maximum, J. B. 474. Alopecuros maxima Anglica, Park.*
4. *Major maritima repens, ſpica longiore, Nobis. Gr. Alopecuroides majus ſpica longiore, C. B. P. 3. Theat. 58.*
5. *Indica, ſpica longiore nigricante. Tsjaria-kuren-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 117.*
6. *Spica longa tomentoſa candicante, J. B. 474. Gr. tomentoſum ſpicatum, 1. C. B. P. Theat. 59.*
7. *Madraſpatana folio brevi criſpo, ſpica purpuroſericea, Nobis. Gramen geniculatum brevifolium, ſpica purpuroſericea, D. Pluke. Phyt. T. 119.*

Gramen alopecuroides ſpica

longiore

8. *Majus, Ger. Phalaroides majus, Park. Phalaroides majus ſpica molli, ſive Germanicum, C. B. Theat. 56. J. B. 475.*
9. *Medium folio lanuginoſo, Nobis. Gr. typhoides molle, C. B. Theat. 50. J. B. 542. Gramen alopecuroides, Lob.*
10. *Hirſutum culmo reclinato, Nobis. Gramen typhoides culmo reclinato, C. B. P. Theat. 54. Cum cauda muris, foliis hirſutis, J. B. 471.*
11. *Cum cauda muris purpuraſcente ſpica, ariſtis carens, Nobis. Gramini caudæ muris purpuraſcenti aliquatenus ſimile, J. B. 473.*
12. *Spica longa tenuiore, Nobis. Gramen typhoides ſpica anguſtiore, 5. C. B. P. Theat. 53.*
13. *Minus ſpica mucronata pyramidali.*
14. *Madraſpatanum ſpica quaſi geniculata molli, D. Pluk. Phyt. T. 190.*
15. *Fluviatile geniculatum procumbens, Nobis. Gramen aquaticum geniculatum ſpicatum, 2. C. B. P. Theat. 42. Gr. fluviatile ſpicatum, Ger.*
16. *Minus enode fere, ſpica ſubcærulea, Nobis. Gramen glumis variis, C. B. Theat. 158. Gramen verſicolor, J. B. 466.*
17. *Humilius ſpica gracili longiore, ariſtis recurvis, Nobis. Gramen ſpica gracili, ariſtis recurvis, Raii.*

breviore

18. *Sive Pumilum hirſutum ſpica purpuroargentea molli, Raii.*
19. *Pratenſe ſpica purpurea ex utriculo prodeunte, C. B. P. 44.*
20. *Montanum aſperifolium ſpica brevi, Nobis. Gramen montanum ſpicatum aſperum, Raii.*
21. *Nodoſa radice, Nobis. Gr. nodoſum ſpica parva, 3. C. B. P. 6. Prod. Theat. 20.*
22. *Sylvaticum anguſtifolium ſpica alba 2. C. B. P. 21. Prod. J. B. 479.*
23. *Rubens minus bulbulis donatum, Nobis. Gramen bulboſum, Del. Læd. 427.*
24. *Parvum præcox ſpica laxa caneſcente, Raii.*
25. *Vernum pratenſe ſpica flaveſcente laxiore, Nobis. Gramen Anthoxanthon ſpicatum, J. B. 466.*
26. *Hirſutum Indicum glomeratis capitulis, Lagopi æmulis, D. Pluk. Phyt. Tab. 190.*

locuſtis argenteis disjunctis
- 27. *In ſpicis trictis laxioribus naſcentibus, Nobis. Gr. avenaceum lanugineſum glumis rarioribus, C. B. P. Prod. 72. Theat. 157. J. B. 464.*
- 28. *Indicum holoſericum majus ſpica longa pappeſcente, D. Pluk. Phyt. Tab. 92.*
- 29. *Indicum minus ſpica ſericea candida laxiore, D. Pluk. Phyt. Tab. 92.*

1. Alopecuros *genuina, Park. Gramen Alopecuros ſpica rotundiore, ἀλωπέκουρος, Theophraſti, C. B. P. Theat. Gramen alopecuros ſpica brevi, J. B. Alopecuros altera, Lob. icon.* E *radice* annua, tenui, fibroſa, *culmi* tenuiores, pedales, geniculati, tenui canitie albicantes, exſurgunt; ut & *folia* graminea, pallida, tenui lanugine mollia; *ſpica* in cacumine uncialis aut ſeſcuncialis, ſubrotunda, molliſſima, & lanugine denſa. Ex hac autem *pili* oblongi, delicati, ſubfulvi, prodeunt, ita ut caudam vulpinam omnino imitetur; & Julio & Auguſto menſibus ubi matura eſt, *ſpica* flava pallet.

In Italia, Gallia, Sicilia, arenoſis locis provenit.

2. Alopecuros *altera Anglica & Flandrica, Park. Gramen alopecuros altera, Lob. J. B.* Hujus *ſpicæ* minores, ac breves, nec tam lanuginoſæ quam antedicti. *Culmos* quoque ſurrigit multo altiores, bicubitales. *Folia* graminea. *Radix* fibroſa. *Lob.*

Campeſtribus ſeſquimilliari diſtantibus Brugis, juxta Merkirk, *copioſe provenire Auctor eſt Lobelius.*

3. Alopecuros *altera maxima Anglica paludoſa, Ger. ſive Gramen alopecuros maximum, J. B. Alopecuros maxima Anglica, Park. An Gramen alopecuroides cuſpidatum maximum Anglicum, ejuſdem; & Gramen tomentoſum, Alopecuros vera Plinii & Theophraſti, Dal. Lugd.* 430. *Culmus* illi cubitalis, ſeſquicubitalis, & quandoque procerior, geniculatus eſt. *Folia* Graminis aut Tritici. *Panicula* quincuncialis ſæpe ſpecioſiſſima, habitior, ſericea, ſpicata, caudataque. Hujus *ſpica* integra videtur, ex plurimis vero parvulis arcte conſtructis conficitur, quibus, & *ariſtis* ſuis rectis, brevibus, ad Panicea accedit. *Annua eſt planta.*

In riguis herbidis Comitatus Southamptoniæ, proxime ſalinas & antiquas Ædes Drayton vocatas, cis mare, duobus milliar. Anglicis à Portſmouth, invenit Lobelius: ubi etiam Cl. Sherardus legit. In Eſſexia quoque juxta Thameſis amæniſſima fluenta reperitur.

4. Alopecuros *major maritima repens ſpica longiore, Nobis. Gramen alopecuroides majus ſpica longiore, C. B. P. & Theat. Juncus marinus gramineus Pſeudoſchœnanthum, Lob. Obſ.* Hoc *radice* eſt longa, tranſverſim lata, fibris deorſum miſſis; culmis cubitalibus, geniculatis; *foliis* gramineis, Schœnanthi æmulis; *ſpica* in cacumine oblonga, denſe congeſta, lanuginoſa, alba.

In Adriatico mari, & mediterraneis circa Monſpelium, prope aquas Marianas ſive aquas mortuas, collectum eſt.

5. Alopecuros *Indica ſpica longiore, nigricante, Tſjeria-Kuren-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 117. Caules* rotundi, glabri. *Folia* oblonga, in oris pilis hirſutis obſita, manibus adhærentia. In ſuperiori caulium parte *pluma* geminata conſpicitur, cujus ſtamina rubropurpurea & tenuia. Hæc in *ſpicis* nigricantibus, oblongis, ſtrictis, tranſverſis prodeunt, atque ex illarum vertice emicant. *Spica* florentes floſculos emittunt albicantes.

6. Alopecuros *ſpica longa tomentoſa albicante, J. B. Gramen tomentoſum ſpicatum, C. B. P. Theat. Gramen ſparteum 2. & Schœnanthinum, Tab. Culmo* eſt cubitali, gracili, geniculato; *foliis* gramineis, glabris, adeoque non aſperis, ſqualidis; *ſpica* palmari, mollicella, tomentoſis, cum nitore candicantibus & tremulis, *glumis* congeſta. *Radix* eſt fibroſa, infirma.

Ad thermas Belerucanas, juxta ſepes, non longe Monſpelio, naſcitur. Magnol.

7. Alopecuros *Madraſpatana folio brevi criſpo, ſpica purpuroſericea, Nobis. Gramen geniculatum brevifolium, ſpica purpuroſericea, D. Pluk. Phyt.* Non minus elegans quam nova hæc planta eſt, cujus *culmus* à *radice* fibroſa, aſſurgit erectus, ſimplex, pedalis, aut altior, quatuor quinqueve nodulis geniculatus, quibus naſcuntur *folia* uncialia undulata, & mucronata, lata baſi eundem amplectentia. *Spica* bella palmaris, concinnis ariſtis, mollibus, & ſericeis, rectis, ad fuſcum purpureumve colorem tendentibus, ornatur.

Gramen alopecuroides non adeo ſericea ſpica, ſed ariſtis brevibus mollioribus donatum eſt.

8. Gramen *alopecuroides majus, Ger. Phalaroides majus, Park. Alopecuro ſimile glabrum, cum pilis longiuſculis in ſpica, Onocordon denominatum, J. B. Gramen phalaroides majus ſive Italicum, C. B. P. Gramen phalaroides majus ſpica molli ſive Germanicum, C. B. Theat. & Prod. ut & J. B.* Gramen hoc in pratis & palcuis vulgatiſſimum, *folia* profert longa, anguſta, mollia, & innoxia, *polline* quodam glauco, averſa præcipue parte, aſperſa. *Culmus* cubitalis, aut altior, *foliis* paucis conſimilibus veſtitur. *Spica* ſimplex eſt teres, in ſummo biuncialis, triuncialis, interdum longior, mollis, ex glumis hirſutis ſingularibus compacta, cinerei coloris, cum ſtaminulis & apicibus purpuraſcentibus, mollibus, laxe appenſis, Maio menſe facile deterſis.

9. Gramen *alopecuroides medium foliis lanugineſo, Nobis. Gramen typhoides molle, C. B. P. & Theat. Gramini alopecuroidi accedens, & Phalaridi ſpica longiuſcula, folio lanugineſo, J. B. Gr. alopecuroides, Lob.* Minor eſt hæc planta, antecedenti conveniens. *Spica* breviores calami ſcriptorii craſſitie, ſummis *culmis* inſident.

An ſolum pot differentiæ faciat nemo quidem dubitabit.

10. Gramen *alopecuroides hirſutum culmo reclinato, Nobis. Gr. typhoides culmo reclinato, C. B. P. & Theat. Gramen cum cauda muris foliis hirſutis, J. B. Gramen alopecuroides minus, Lob. Tertium, Tab. Culmo* eſt pedali, geniculato, ad ejorum reclinato. *Folia* latiora ſunt, aliquando terna ſimul juncta. *Spica* uncialis aut ſeſcuncialis, mollis eſt.

In incultis, ſecus vias reperitur.

11. Gramen

11. Gramen *Alopecuroides cum caudæ muris purpurascentis spica, Nobis. Gramini caudæ muris purpurascenti aliquatenus simile, J. B.* Antecedenti convenit. *Culmi* cubitales. *Folia* breviora, raris pilis obsita, striata. *Spica* præcedentis similis, tum figura, tum colore, præterquam quod *aristis* nullis sit septa; mox divulsa & aperta elegantem glumarum purpurearum aut xerampelinarum, & pulchre splendentium thyrsum exhibet. *Flosculi* vel potius *apiculi* pulchelli, obscure purpurascentes, tremuli, dependent.

Arenosis & siccis gaudet. Haud longe à Monbelgarde primum observavit Jo. Bauh.

12. Gramen *alopecuroides spica longa tenuiore, Nobis. Gr. typhoides spica angustiore, C. B. P. & Theat. Gr. cum cauda muris purpurascente, J. B. Gr. alopecurinum minus, Ger. Gr. alopecuroides aut myosuroides mucronatum minus alterum, Lob. St. illust.* Ad vias & agrorum margines occurrit hoc Gramen, *foliis* plurimis, angustis gramineis; *culmis* cubitalibus, gracilibus, erectis, *geniculis* binis ternisque distinctis, tenuibus, donatum. *Spicæ* erectæ, purpurascentes, caudæ muris similes, biunciales & triunciales, tenues, ex *glumis* tenuibus, imbricatim dispositis, compositæ; quarum quælibet in *aristam* brevem, mollemque terminatur. E *floseulis* bifurcatis glumis inclusis, *stamina* cum *apicibus* luteolis pendulis effluunt.

13. Gramen *alopecuroides minus spica mucronata pyramidali, Sherardi.* Altitudine dodrantali aut pedali assurgit *culmus*, gracilis, lævis, in inferiore parte, tribus quatuorve *geniculis* donatus, foliis angustis, palmaribus, mollibus, ad instar vaginæ eundem cingentibus. *Spica* erecta, biuncialis, ad basin latiuscula, in acutum mucronem terminatur, ex *glumis* angustis, mollibus, non aristatis, composita.

14. Gramen *Alopecuroides Madraspatanum, spica quasi geniculata molli, D. Pluk. Phyt. Part.* 3. Huic *radix* fibrosa est, & *folia* protrudit longa, erecta, graminea, & pene juncea, quæ *culmos* ipsos longitudine multum superant. *Spicæ* unciales aut biunciales, *villo* mollicello donatæ, teretes, quasi in articulis divisæ, ut in spica Lavendulæ videre licet. *Glumæ* contiguæ, verticillatæ apparent.

15. Gramen *alopecuroides fluviatile geniculatum procumbens, Nobis. Gramen aquaticum geniculatum spicatum, C. B. P. & Theat. Gramen cum cauda muris parva, radice non nodosa repens, J. B. Gr. fluviatile spicatum, Ger. Gr. aquaticum spicatum, Park. Radicem* habet è geniculis fibrosam, limo adhærentem; *folia* longa mucronata; *culmos* longos, geniculatos, procumbentes. *Spicam* mollem, aristis brevibus donatam, uncialem aut biuncialem, frequenter purpurascentem, in summo simplicem emittit.

In riguis, & aquosis limosis, frequens occurrit.

16. Gramen *alopecuroides minus, enode fere, spica subcærulea, Nobis. Gramen glumis variis, C. B. P. Prod.* 73. *Theat. p.* 178. *Gramen versicolor, J. B. cujus icon alibi locari debet.* E *radice* crassa, incurva, membrana alba, rugosa, intecta, *caules* bini, ternive, spithamei, & longiores, graciles, læves, internodiis carentes, exsurgunt, communiter nudi. *Folia* à basi proveniunt graminea, latiuscula, & obtusa, palmaria. *Spica* in summo uncialis, ex *glumis* muticis, & quasi avenaceis, contiguis, confecta est.

Circa Genevam, Monspelium, aliisque in asperis reperitur. Et in Angliæ borealibus.

17. Gramen *alopecurinum humilius spica gracili, aristis recurvis, Nobis. Gramen spica gracili aristis brevibus recurvis, Rati.* In viis publicis, locis udis provenit, nec ante Autumnum aut Æstatis finem *spicam* producit. *Culmus* tenuis, dodrantem altus, uno alterove articulo interceptus, & *folio* inde enascente cinctus. *Spica* parva uncialis & biuncialis, teretiuscula, è *glumis* rubentibus in *aristas* prætenues, breves, recurvas exeuntibus composita. *Folia* ad radicem pauca, angusta, brevia.

D. Dale Brantrienſis primum invenit.

18. Gramen *pumilum hirsutum spica purpureoargentea molli, Raii Hist. Gramen montanum hirsutis foliis, spica leucophæa dirupta, D. Pluk. Phyt. Folia* ei longa sunt, angusta & hirsuta. *Culmi* tenues, geniculo uno vel altero donati, foliis cincti, dodrantales, in summitatibus *spicas* unciales aut paulo longiores, molles, muticas, purpuroargenteas, sustinent.

In montalis gramineis & campestribus D. Dale collegit, sed rarius.

19. Gramen *pratense spica purpurea ex utriculo prodeunte, C. B. Theat. Gr. folio spicam amplexante, Pin. Gr. spicam folia amplectens, J. B.* 469. *Et nomine, Gr. tenuis duriusculi & pene junceo, ejusdem pag.* 463. *item, & descriptio locupletior est. Gr. pratense spica purpurea, Park. Dal. Lugd. Culmi* multi sunt dodrantales. *Folia* multa angusta, viridia. *Spica* brevis, crassiuscula, folio supremo dilatato, e culmo prodeunte, quasi vesica, obvoluta, & primo inclusa, demum purpurascens, erumpit.

In humidis pratis non longe Monspelio nascitur. Magnol. unde & Cl. Sherardus attulit.

20. Gramen *spicatum montanum asperum, Raii.* E rupium fissuris in monte *Ingleborough*, exit densis cespitibus. *Folia* ei longa, modice lata, carinata, marginibus asperis, si deorsum digiti ducantur. *Caulis* tenuis, pedalis, aut cubitalis, *spicam* in cacumine gerit brevem. *Semina* longa, nigra. *Glumæ* minimis aristis mollibus donatæ sunt.

21. Gramen *alopecuroides minus nodosa radice, Nobis. Gramen nodosum spica parva, C. B. P. Prod. Theat. Radix* parva, nodosa, albicans, *fibris* subtus adnatis. *Culmi* læves, geniculati, cubito altiores; quibus *folia* graminea. *Spica* simplex, mollis, uncialis est.

In Dumetis udis circa Befordiam, Bauhinus collegit: In herbidis umbrosis, satorum & vinearum marginibus, circa Boutonetam, & Salmevam, D. Magnol. sæpe invenit.

22. Gramen *sylvaticum angustifolium spica alba, C. B. P. Prod. J. B.* Huic *radix* fibrosa; *folia* plura capillacea, palmaria; *culmi* tenuissimi. *Spica* simplex candida, exiguis aristis donata, unciam vix superans, insidet.

In silvis humidis Huningensium reperitur.

23. Gramen *Alopecuroides rubens minus bulbulis donatum, Nobis. Gramen bulbosum, Dal. Lugd. Park. Gramen* hoc humile *radicem* habet plurimis tuberculis donatam, è quibus dependent *fibræ*. *Folia* parva brevia cespitem constituunt. *Culmi* palmares *geniculo* uno vel altero donati, *spicas* breves, satis crassas, *aristis* brevibus præditas, sustinent.

24. Gramen *parvum pracox spica laxa canescente, D. Raii, D. Pluk. Phyt. T.* 33. In glareosis & sterilioribus plerunque nascitur, ubi palmarem altitudinem assequitur; in lætiore solo, semipedale est. *Radices* capillares; *folia* brevia angustissima; *caulis* tenuis, geniculatus; *spica* uncialis, è viridi aut purpureo colore canescens,

neſcens, è pluribus *locuſtis*, in parvis ramulis laxius naſcentibus conſtans. Singulæ locuſtæ bina *granula* continent, *ariſtis* geminis, perbrevibus.

25. Gramen *alopecurinum vernum pratenſe ſpica flaveſcente laxiore, Nobis. Gramen pratenſe ſpica flaveſcente, C. B. P. & Theat. Gr. anthoxanthon ſpicatum, J. B.* *Foliis* & *radiculis* capillaribus ad Gramen pratenſe accedit. *Folia* ima parte hirſuta; *culmi* dodrantales, tenues, geniculati; *ſpica* biuncialis, metæ figura, *glumis* anguſtis exſtantibus, non ariſtatis; inter quas *apiculi* tremuli purpuraſcentes dependent.

In paſcuis obvium eſt. Menſe Aprili florens invenitur, poſtea glumæ aridæ flaveſcunt.

26. Gramen *birſutum Indicum glomeratis capitulis, Lagopi æmulis, gluma è ſquamulis plurimis purpuraſcentibus, ariſta unica donata, compactili, D. Pluk. Phyt.* Huic *culmus* eſt craſſiuſculus, geniculatus, è cujus nodulis naſcuntur *folia* brevia, ad appoſitionem lata, caulem amplectentia, in mucronem definentia. *Spicarum* vice in ſummo, quaſi piſulæ globulares, ſunt Platani pilularum ad inſtar, è *locuſtis* & *glumis* mollibus, purpuraſcentibus, conglomeratis, compoſitæ; quarum ſingula in ariſtam ſingularem definit.

27. Gramen *locuſtis argenteis disjunctis, in ſpicis erectis laxioribus naſcentibus, Nobis. Gramen avenaceum lanuginoſum glumis rarioribus, C. B. P. Prod. Theat. J. B. An Gramen capillaceum locuſtellis pennatis non ariſtatis, Raii?* Ex *radice* fibroſa, *folia* juncea, oblonga; *culmique* juncei plures, cubitum ſuperantes, paucis foliis, iiſque brevibus, culmum circa geniculum veſtientibus exſurgunt. In horum autem ſummo *glumæ* rariores albæ cernuntur, lanuginoſæ, utriculo contentæ, quo ſemen nigrum, ſplendenſque, includitur.

In aſperis circa Monſpelium provenit, unde ex munificentia Cl. D. Sherard habemus.

28. Gramen *alopecuroides Indicum holoſericum majus ſpica longa pappeſcente, D. Pluk. Phyt. An Gr. alopecuroides Curaſſavicum ſpica longiſſima ſericea candida, Parad. Bat. Prod.?* *Culmus* gracilis, procerus, paucis *geniculis*, *foliiſque* tenuibus & acutis, donatus, *ſpicam* erectam, ſimplicem, triuncialem, ex *locuſtis* parvis, ſingulatim & alternatim poſitis, ſericeis & plumoſis pilis exſtantibus, abſque *utriculo*, compoſitam ſuſtinet.

29. Gramen *alopecuroides Indicum minus, ſpica ſericea candida laxiore, D. Pluk. Phyt.* Omnino antecedenti minor eſt hæc planta; *foliolis* quoque acutis, & junceis, brevioribus. *Culmi* breviores *ſpicas* conſimiles, aſt minores, erectas gerunt.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT IX.

Gramen typhoides ſive typhinum, & criſtatum.

GRamen *typhoides*, *à ſpicæ forma typhæ paluſtris conſimili, quæ longa, teres, & quaſi cylindracea eſt, ex glumis bicornibus aſperis compoſita*, nomen habet.

TABULA IX. SECT. VIII.

- *Gramen typhoides*
  - *majus*
    1. *Spica longiſſima, maximum, C. B. P. Prod. 25. Theat. 49. Gramen typhoides maximum, Park.*
    2. *Vulgatiſſimum ſive medium, Park. Typhoides aſperum primum, C. B. P. Theat. 51.*
  - *minus*
    3. *Ger. Park. Gramen typhoides aſperum, alterum, C. B. P. Theat. 52.*
    4. *Radice nodoſa, Nobis. Gramen cum parva cauda muris radice nodoſa repens, J. B. 472. Typhinum Danicum, Park.*
    5. *Aſperum annuum, Moriſoni.*
- *Gramen criſtatum*
  6. *Anglicum, Lob. Park. Criſtatum, J. B. Criſtatum ſive ſpica criſtata lævi, C. B. P. & Theat. 43.*
     Spica præ luxuria ſe dividit, unde Gr. criſtatum ſpica multiplici, Park. 1660.
  7. *Subhirſutum, C. B. P. Theat. 43. Criſtatum ſubhirſutum, Park. 1160.*
  8. *Madraſpatenſe ſpica interrupta villoſa.*

1. Gramen *typhoides maximum ſpica longiſſima, C. B. P. Prod. & Theat. Gramen cum cauda muris majoris longa majus, J. B. Gramen typhoides maximum, Park. Radices* hnic tenues. *Culmi* habent principium bulbulo oblongo ſimile, ſuntque cubitales & bicubitales. *Folia* deorſum tractantibus aſpera, triticea, aut ampliora, vagina longiore ſtipulam complexa. Summum cacumen geſtat ſeſquipalmarem *ſpicam*, teretem, digiti minoris craſſitie, ex innumeris *ſyngeniis*, in binas breves *ariſtas* deſinentibus, confarctam, mollibus, ſi ſurſum verſus manu demulceas, aſperis, ſi contra; coloris cinericei. Inter iſtas, apiculæ flaveſcentes Menſe Maio, laxe dependentes exiſtunt.

In pratis & ad ſepes fucundiori ſolo naſcitur.

2. Gramen *typhoides medium ſive vulgatiſſimum, Park. Typhoides aſperum primum, C. B. P. & Theat. Gramen cum cauda muris minus, J. B. Quis & ipſe quærit an a maximo differat?* In pratis & paſcuis frequentiſſime occurrit.

3. Gramen *typhoides minus, Ger. Park. Gr. Typhoides aſperum, alterum C. B. P. & Theat. Gr. typhinum, Lob. Lugd. 2. Tab.* *Radicibus* eſt fibroſis, tenuibus, oblongis, quaſi ex *bulbiculis* promanantibus; *caulibus* geniculatis, prioris ſimilibus, *foliis* anguſtioribus, durioribus cinctis; *ſpica* breviore, tenui, ſubaſpera.

In ſabuloſis reperitur.

4. Gramen *typhoides minus radice dupliciter nodoſa, Nobis. Gramen cum parva cauda muris radice nodoſa repens, J. B. Gramen typhinum Danicum, Park.* Tota eſt hæc Typhini Graminis ſpecies ſimilis; *foliolis* & dodrantalibus geniculatis *culmis*; ſed *ſpica* breviore multo, vix unciam ſeſcunciamve æquante, aliquantulum aſpera, arguta, tereti. *Culmus* ima ſui parte, gemino tereti oblongo bulbillo ſtriato, foliaceis involucris tecto, altero alteri incumbente, donatur.

In aridis & cretaceis, tam mari vicinis quam aliis locis, frequens reperitur.

An { Gramen *typhinum alterum ſive Zelandicum, Park. &* Gramen *typhinum minus Harlemenſe, ab hoc diſtinguenda ſint, quærendum.*

5. Gramen *typhoides minus aſperum annuum, Moriſoni.* Humile hoc Gramen Typhinis propter aſperitatem adnumeratur. Palmarem aut dodrantalem altitudinem haud ſuperat *culmus*, binis, terniſve *geniculis* donatus. E *radice* fibroſa annua exit; & *ſpicam* minimam, vix uncialem, ſuſtinet. *Glumæ* hujus non, ut in aliis, bifurcatæ, ſimpliciter terminantur.

In collibus & ſiccioribus locis prope Bleſas reperitur.

6. Gramen *criſtatum Anglicum, Lob. Park. Gramen pratenſe criſtatum ſive ſpica criſtata lævi, C. B. P. & Theat. Gramen criſtatum, J. B.* *Radicum* capillamentis plurimis, oblongis, albicantibus, abundat, quæ in unum veluti ceſpitem coeuntia, deorſum repunt. *Culmis* eſt pluribus gracilibus, nitidis, ſeſquicubitalibus, *geniculis* paucis donatis; foliis brevibus, anguſtis, & circa caulem paucis, uncias quatuor vel quinque longis. *Spicam* habet tenuem, oblongam, pallide flaveſcentem, cujus *locuſtæ* diſtinctæ, ex plurimis glumis confectæ, Galli criſtam, vel ſemen plantæ *Capitis gallinacei* dictæ, referunt; qua de cauſa criſtatum nominare placuit.

In pratis & paſcuis ubique provenit; & nomine Bent graſs *vulgo notum.*

7. Gramen *ſpica criſtata ſubhirſutum, C. B. P. & Theat. Gramen criſtatum ſubhirſutum, Park.* Hoc à priore differt, *radicum* capillamentis rufeſcentibus; *culmis* tenuioribus, parte inferiore lævi lanugine aſperſis, & humilioribus; *ſpica* candicante, minus compacta, nec ita eleganter criſtam exprimente.

In paſcuis & locis gramineis oritur.

8. Gramen *criſtatum Madraſpatenſe ſpica interrupta villoſa, Nobis. Gramen Madraſp. ſpica interrupta totali, è pluribus ſpicis parvis villoſis elegantiſſime conſtructa, D. Pl. Phyt.* Novum hoc gramen, quod ex India Orientali habemus, *culmum* profert, ex uno *geniculo* inferiore, in binos, terniſve culmos ſe dividentem, internodio uno aut altero donatos, foliis tribus aut quatuor tenuibus, acutis, uncialibus aut biuncialibus, ad ſingulum nodum exeuntibus; & ſupra genicula *folia* quædam ſingularia cernuntur. *Spica* tenuis, biuncialis aut triuncialis eſt, è *locuſtis*, ſpiculiſve criſtatis, tantillo *villo* obductis, & quaſi pectinatis, brevibus, conſtructa, quæ per intervalla, præſertim in inferiore parte, culmo gracili adhærent.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT X.

Gramen echinatum ſive aculeatum.

TABULA X. SECT. VIII.

Gramen echinatum ſpica
- *breviore*
  1. *Spica ſubrotunda echinata, C. B. P. Theat.* 107. 48. *in Prod. Gramen montanum echinatum tribuloides capitatum, Col.*
  2. *Spica plana echinata, 2. C. B. P.* 49. *Prod.*
  3. *Album capitulis aculeatis Italicum, C. B. P. Theat.* 108. *Gramen ſupinum aculeatum, J. B.* 461.
- *longiore*
  4. *Locuſtis craſſioribus tribuloidibus, Virginianum.*
  5. *Americanum ſpica echinata, majoribus locuſtis, Schol. Bot. Paris. Aculeatum Curaſſavicum, Hort. Reg. Paris.*
  6. *Humile latifolium locuſtis parvis rarioribus ariſtis rigidiuſculis donatis.*

1. Gramen *ſpica ſubrotunda echinata, C. B. P. & Theat. Gramen perpuſillum capitulo rotundo ſpinoſo, J. B. Chab. Gramen montanum echinatum tribuloides capitatum, Col.* Paucis *fibrillis* ſummo ceſpite hærentibus radicatur. *Folia* uncialia, rigidula, latiuſcula. *Culmus* gracilis, palmum altus, durus, rigidus, ſtriatus; cujus ſummo inſidet *capitulum* glomeratum, exalbidum, *ſtellis* denticulatis, admodum rigidis pungentibuſque muricatum.

In ſterilioribus circa Monſpelium variis in locis reperitur. Annua eſt planta.

2. Gramen *ſpica plana echinata, C. B. P. Prod. Theat.* Plantula palmaris eſt. *Radicula* ex *fibrillis* albis compoſita

posita, ex qua *foliola* capillacea, pauca, unciam longa, & *festuca* tenuissima prodeunt. *Spicam* habet unciale, planam, quæ ex *utriculis* minutissimis *aristas* acutas emittit, *C. B.*
In Hispania D. Albinus legit.

3. Gramen *album capitulis aculeatis Italicum, C. B. P. Theat. Gramen supinum aculeatum J. B. Aculeatum Italicum, Park.* Brevibus *fibris* radicatur, *ramos* vero terræ apprimit in orbem, multos, palmares, & sesquipalmares, rigidulos. Atque ad horum genicula, *utriculi* instar *folium* striatum, glumas numerosas conglomeratas, squamarum foliacearum ambitu comprehensas, claudit; deinde in mucronem rigidum & acutum, uncialem & breviorem, recta in latus protendit; atque in extremo caule, hujus generis plura folia & utriculi glumis gravidi, echinati aliquid ostentant.
In Italia, & circa Monspelium provenit.

4. Gramen *echinatum spicatum locustis crassioribus tribuloidibus Virginianum.* E *seminibus* è Virginia transmissis, novum oritur hoc Gramen annuum, quod *folia* brevia, lata, gladiata, emittit. *Culmi* item dodrantales, geniculati, *folia* duum triumve unciarum promunt; & *spicæ* loco *locustæ* grandes, duræ, subrotundæ, numero sex septemve, dissitæ & squamatæ, ad biuncialem longitudinem apponuntur. *Locustarum* quælibet squama, ad basin latiuscula, in acumen pungens terminatur.

5. Gramen *aculeatum Curaßavicum, Hort. Reg. Paris. Gramen Americanum spica echinata, majoribus glumis, Schol. Bot. Par.* Hujus *folia* multo longiora, in pedalem aut ampliorem longitudinem protracta sunt, saturate viridia, & Tritici foliorum latitudinem assequentia, suntque, si deorsum digitis stringas, asperiuscula. *Culmi* pedales, modo erecti, modoque reclinati, geniculati, foliis consimilibus vestiti; quorum singulis fastigiis *spica* insidet biuncialis, angusta, ex *locustis* plurimis, duris, compositа. Locustarum unaquæque quasi ternas quaternasve, congeneres, sibi invicem conjunctas, latitudinaliter culmo arcte adhærentes demonstrat, *spinulis* brevibus, sursum rigentibus armatas. *Radix* fibris comata, appropinquante hyeme tota perit.

6. Gramen *humile latifolium, locustis parvis rarioribus aristis rigidioribus donatis. Gramen latifolium ex Horto Patavino olim receptum.* Dodrantali geniculato *culmo* assurgit, quem *folia* vaginæ ad instar inferius ambiunt, atque ubi succreverint, ex angusto principio, in semiuncialem latitudinem in medietate extensa, in mucronem definunt. Biuncialem autem longitudinem raro superant. *Spica* tenuis, biuncialis, è *locustellis* parvis, duris, separatis, & rarius dispositis, aristis brevibus rigidis, sursum spectantibus, confecta est.

PLANTARUM CULMIFERARUM

Distributio secunda.

De calamiferis jubis sparsis, sive pediculis donatis, seminibus nudis sive decorticatis, iisque affinibus.

Milium, Gramen Miliaceum, Paniculatum, Tremulum, &c.

CAPUT XI.

Milium.

Milium *à mille, Festo auctore, quasi mille granorum ferat.* Κέγχρος *Theophrast. Dioscor. l. 2. c. 119.* κέγχρων *Straboni, à minutis ficuum granis, seu gigartis numerosissimis, quæ* κεγχραμίδες *vocantur.* Μελίνη *quidam vocitant, &* μέλιν, *quæ Panici speciebus potius tribuitur.*

Milium inter æstivas fruges est, effusa seu sparsa juba, granis ovalibus vel subrotundis, lucidis & politis, facile degluminatis & purificatis, donata.

TABULA XI. SECT. VIII.

minus
1. *Semine luteo vel albo, C. B. P. Theat. 502. Milium semine fulvo, aureo vel albo, J. B. 446. Milium vulgare album, Park.*
2. *Semine nigro, C. B. P. Theat. 505. Semine nigro spadiceove, J. B.*
3. *Indicum angustiore folio, semine flavo, Tanna Etta Indorum.*
4. *Virginianum lato brevique folio panicula rariore.*
5. *Indicum birsuto caule, seminibus majoribus & rarioribus, Kuren-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 115.*

- *Milium*
  - *majus*
    - 6. *Sabæum, C. B. P. An Milium lucidum argenteum ex Cairo, J. B.?* 447.
    - *arundinaceum*
      - 7. *Subrotundo ſemine, Sorgo nominatum, C. B. P. Milium arundinaceum ſive Indicum ſemine ſubrotundo, C. B. Theat.* 510.
      - 8. *Plano albóque ſemine, C. B. P. Theat.* 514. *Sorghi album, Milium Indicum, Doræ, J. B.* 448.
      - 9. *Indicum nigrum, Panicutis rarius diſpoſitis, Katou-Stiolam, Hort. Mal. Part.* 12. *P.* 113.

Gramina miliacea minores ſunt plantæ, ſemina minora proferentes.

- *Gramen miliaceum*
  - *Europeum*
    - 10. *Vulgare, Park.* 1153. *Gramen miliaceum, Lob. Ger. J. B.* 462. *Gramen ſylvaticum panicula miliacea ſparſa, C. B. P. Theat.* 141.
    - 11. *Patavinum anguſtifolium, Nobis. Gr. arundinaceum panicula miliacea, J. B. C. B. Theat.* 141. *Prod.* 51.
    - 12. *Parvum repens Hibernicum, Sherardi.*
  - *Exoticum*
    - 13. *Americanum medium panicula magis ſparſa & ſpecioſa, D. Pluk. Phyt.* 92.
    - 14. *Americanum latifolium panicula minore, D. Pl. Phyt. T.* 92.
    - 15. *Americanum minus panicula parva, D. Pluk. Phyt. T.* 92.
    - 16. *Braſilianum elegans plicatis foliis, Marcgrav.* 1.

1. Milium *ſemine luteo vel albo, C. B. P. & Theat. Milium vulgare album, Park. Milium ſemine fulvo, aureo, vel albo, J. B. Milium Dioſc. Theoph. Plin. Radicibus* eſt numeroſis, duris, & altis, & quam primum è terra erumpit, herbam latiorem magiſque hirſutam cæteris frugibus oſtendit; *caule* arundinaceo, multiplici, lanuginoſo, ſeptenis aut pluribus geniculis diſtincto, altitudine ternos pedes ſuperante, qui foliis amplis, arundinaceis veſtitur. In ſummo caule non *ſpicam*, ſed *jubam* paniculatam (φόλλυ *Theophraſtus* appellat) divulſam, è vagina graminea prorepentem, deorſum reflexam, flaveſcentem promit. Succedit copioſum *ſemen* parvum, durum, læve, lævore quodam peculiari ſplendens, ſubrotundum, folliculo tenuiſſimo concluſum, coloris ex candido flaveſcentis, interdum pallidi, candidi, & fulvi. Facillime tenui folliculo relicto excidit; quod cum nullis *ariſtis* armetur, maxime ab aviculis infeſtatur.

In agris uliginoſis & arenoſis, levique terra, tempore vernali ſeritur.

2. Milium *ſemine nigro, C. B. P. Theat. Semine nigro latiore juba, Lob. Semine nigro ſpadiceove, J. B. Milium nigrum, Tab. Ger. Park.* Antecedenti convenit, majus vero eſt; altius aſſurgens; folia latiora & longiora; ſemina ſemper nigra proferens.

3. Milium *Indicum anguſtiore folio, ſemine flavo, Tenna Etta ab Incolis dictum.* E *ſeminibus* ex *India Orientali* receptis, naſcitur hoc *Milium*, quod *folia* longiora, imbecilliora, viridiora, & anguſtiora profert. *Culmi* tenuiores cubitalem aut bipedalem altitudinem raro ſuperant, reclinati, & vix ſe ſuſtentantes; quibus *panicula* ſparſa ſpecioſa pediculis tenuibus donata, innumeris *locuſtis* minoribus, *ſemina* Milii flaveſcentia minora, continentibus, onuſta, inſidet.

4. Milium *Virginianum lato brevique folio panicula rariore. Cui figura Graminis miliacei latiore folio Madaraſpatani, D. Pluk. Phyt. T.* 189. *bene convenit.* Huic *Culmus* ſurgit erectus, gracilis, quatuor geniculis diſtinctus; è quorum ſingulo folium digiti longitudinem, & in medio latitudinem æquans, enaſcitur. *Panicula* in ſummo ex paucis petiolis ſparſa, jubas ſeminaque includens, pro Milio ſatis ampla explicatur. *A D. J. Baniſter collectum & tranſmiſſum eſt.*

5. Milium *Indicum hirſuto caule ſeminibus majoribus & rarioribus, Kuren-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 115. *Caules* rotundi ſunt, pilis capillati; *ſpicæ* conicæ ſunt, virides, deinde rufeſcentes, in plurimas rariores ſparſæ. In ſingulis autem unum continetur *ſemen* rotundum, ſed aliquo modo oblongum.

6. Milium *Sabæum, C. B. P. An Milium lucidum argenteum ex Cairo, J. B.?* Vulgari Milio magnitudine cedit, magiſque rotundum, in acutum umbilicum terminatur; tenui, argenteo, valdeque lucido cortice, & à medulla levi attactu ſeperabili. *Medulla* Milii vulgaris, alba, inſipida fere, dentibus friabilis. *Milio* frumentum eſt in Guinea parvum, Milii forma, ſed dulcius, ex quo panem, & vinum conficiunt in *Regno Sabæo. Cluſ. cur. poſt.*

7. Milium *arundinaceum ſubrotundo ſemine, ſorgo nominatum, C. B. P. Milium arundinaceum ſive Indicum ſemine ſubrotundo, C. B. Theat. Sorghi, J. B. Melica ſive Sorgum, Dod.* Multos è fibroſis *radicibus* emittit *culmos*, homine proceriores, robuſtos, craſſos, geniculatos, *medulla* alba farctos, *foliis* ſtipatos arundinaceis. Faſtigia culmorum in *jubam* pugni magnitudinis effunduntur, eamque palmarem aut pene pedalem, è multis flexuoſis, lentis *loris* contextam; quibus è tenuibus pedicellis appenſa, hærent copioſiſſima *grana*, lentibus æqualia, compreſſa, nonnihil oblonga, nunc alba, nunc fuſca, & quandoque nigra. Hinc *Sorgum fructu rubro, & fructu albo, Eyſt.*

8. Milium *arundinaceum plano albóque ſemine, C. B. P. Theat. Sorghi album, Milium Indicum, Doræ, J. B. Milium Æthiopicum, Portæ. Foliis* quoque conſtat arundinaceis; altioribus & geniculatis *culmis*, qui primum emergentes, incurvati & deflexi ſunt, & decurſu temporis erecti attolluntur, *jubaſque* haud multum ſparſas ſuſtinent, *grana* majora, rotundiora, & candida, in *glumis* hirſutis continentes.

In utraque India, & calidioribus regionibus Milia omni cum fertilitate luxuriant; apud nos ſæta, raro ad maturitatem perveniunt.

9. Milium *Indicum nigrum paniculis rarius diſpoſitis, Katou-Stiolam, Hort. Mal. Part.* 12, *p.* 113. *Caules* rotundi, anguſtis *foliis* veſtiti. E *geniculis* ſuperioribus *petioli* prodeunt tenues, qui in *calycibus* foliofis *gemmas* proferunt rotundas, nigricantes, vitreas.

MILII VIRES & USUS.

Inter panifitia adnumeratur Milium. Refrigerandi & exſiccandi facultatem obtinet. Inter omnia frumentatea edulia minimum nutrimenti confert, tum conſiſtentia, tum temperatura; eos vero juvat qui refrigeratione & deſiccatione ventriculi indigent. Ex ejus farina cum lacte Itali lagana & placentas parant, quas cito menſis apponi jubent. Germani quoque Milium de ſuo cortice deglubitum, Oryzæ modo lacte decoquunt, quo humidius fiat, eſuique aptius. Pultes & polentæ, bene nutrientes, butyro addito, ex eo conficiuntur.

Aqua ex tota herba, cum culmis & paniculis teneris maceratu, deſtillata, mane & veſpere, ad uncias duas epota, urinam promovet; renes & veſicam ab omnibus excrementis & humoribus calculoſis expurgat. Sunt qui ſingulis tribus menſibus utantur, ſex diebus continuis, duabus horis ante prandium & cænam, quo ſpatio à calculo liberatos refert Tabernamontanus.

Extrinſecus farina cum pice liquida ſerpentum & millepedæ plagis imponitur. Ad flatus diſcutiendos, & inde ortos inteſtinorum dolores, & fluxiones artuum, nervorumque moleſtias mitigandas, optimum fomentum eſt, præſertim ſi Chamæmeli flores addantur. Brevi, Milium propter ſuam ſiccitatem, potiſſimum ad cephalalgiam, ad putredinem & corruptionem amoliendam, utile eſt.

Milia Indica & majora conſimilibus facultatibus prædita ſunt, ſed ſuperiori gradu; adeo ut plurimæ gentes in utraque India, eis varie paratis nutriantur. Incolæ ex culmis, eo quo ex Cannis ſaccharinis modo, maſticatis, ſuccum ſuavem & dulcem, qui in his continetur, eliciunt.

10. Gramen *miliaceum vulgare, Park. Gr. miliaceum, Lob. Ger. J. B. Gramen ſylvaticum panicula miliacea ſparſa, C. B. P. & Theat.* *Radice* eſt fibris denſe complicata, perenni, ex qua *calami* plures, rotundi, læves, ſtriati, geniculati, bicubitales, cum *foliis* viridibus, triticeis, oblongis, ſtriatis exſurgunt. *Paniculam* habet miliaceam, pedalem, rariorem, erectam, *glumis* exiguis donatam.

In ſylvoſis & ad ſepes naſcitur. Hoc ob ſemen ſpectabile Milium dicatur.

11. Gramen *miliaceum Patavinum anguſtifolium, Nobis. Gramen arundinaceum panicula miliacea, C. B. P. Prod. & Theat. J. B.* *Culmus* unus vel alter exſurgit, quem à parte inferiore, *folia* arundinacea, unciarum trium, cingunt; ad partem ſuperiorem duobus nodis diſtinctam, *folia* duo anguſtiora, longioraque veſtiunt; In ſummitate *panicula* trium unciarum, Milii paniculæ ſimilis. *J. B.*

12. Gramen *miliaceum parvum repens Hibernicum, Sherardi. An Gramen murorum radice repente, C. B. Theat. 17?* *Radices* culmique geniculis & internodiis brevibus donati, ad terram reclinantes, fibraſque agentes, luxuriante copia ſe propagant; & exinde *folia* emittunt graminea, brevia, biuncialem longitudinem raro ſuperantia, quæ *culmum* palmarem & dodrantalem, inferioribus geniculis, vaginæ inſtar conveſtiunt. *Panicula* petiolis brevibus ſparſa, uncialis & ſeſcuncialis, ex minutiſſimis *locuſtis* acutis & paleaceis compoſita, *ſemina* miliacea, ſubrotunda, minima, copioſe continet.

Locis montoſis Hiberniæ, præſertim de Mourne, *rupibus perreptans D. Sherard copioſe detexit.*

13. Gramen *miliaceum Americanum medium panicula magis ſparſa & ſpecioſa, D. Pluk. Phyt.* *Gramen* hoc terra Virginienſi ortum, *culmos* profert graciles, frequenter reclinatos, pedales aut cubitales, *geniculis* tribus quatuorve diſtinctos; quos *folia* graminea nec latitudine nec anguſtia notabilia, molli hirſutie pubeſcentia, vaginæ inſtar, inferius amplectuntur. *Paniculam* geſtat in ſummitate, pediculis tenuiſſimis & ramoſis donatam, brevem, ſed ſpecioſam; qua *locuſtellæ* minimæ rotundiuſculæ plurimæ, ſparſæ apparent.

14. Gramen *miliaceum Americanum latifolium panicula minore, D. Pluk. Phyt.* Folia huic lata ſatis, & brevia, *lineis* veniſve per longitudinem decurrentibus, *piliſque* raris oblongis in ſuperficie donata, *culmum* geniculatum conveſtiunt; qui *paniculam* miliaceam, i. e. ex rotundiuſculis *locuſtis* ſparſim compoſitam, parvam, ſuſtinet.

15. Gramen *miliaceum Americanum minus panicula parva, D. Pluk. Phyt.* Humile hoc Gramen, & inter miliacea minimum, modo procumbens, modoque erectum eſt. *Folia* ei anguſta & acute mucronata ſunt. *Panicula* in ſummitate minima, cujus *ſemina*, ut in aliis, rotundiuſcula, in theca bicapſulari naſcuntur.

16. Gramen *miliaceum Braſilianum elegans plicatis foliis, Marcgrav.* In trium, quatuor, aut etiam quinque pedum altitudinem aſſurgit, ex *radiculis* filamentoſis, Arundinis modo. *Folia* circiter unum pedem longa, ſunt eleganter plicata, viridia, figura quali eſt Palma nucifera junior. *Caulis* fert ſuperne *ſpicam* circiter ſeſquipedem longam, *Milii* ſpicæ ſimilem.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT XII.

Gramen Paniculatum.

GRamen *paniculatum miliacea panicula ſparſa præditum eſt, ex locuſtellis tenuibus aceroſis compoſita, ſemina exigua, longa & anguſta continentibus.*

TAB.

TABULA XII. SECT. VIII.

Gramen paniculatum panicula

tenuiore

montanum

1. *Seu ſegetum altiſſimum panicula ſparſa, 3. C. B. P. Theat. 34. Gr. ſegetum panicula ſpecioſa, Park. 1158. Gramen capillatum, J. B. 462.*
2. *Sylvaticum altiſſimum, 4. C. B. P. 14. Prod. Theat. 38.*
3. *Spadicea delicatiore, 1. C. B. P. 12. Prod. Theat. 36.*
4. *Repens paniculis atrorubentibus, Nobis. Gr. caninum ſupinum minus, 7. C. B. P. Theat. 13. Gramen parvum repens purpurea ſpica, J. B. 459.*
5. *Xerampelinum miliacea pretenui ramoſaque ſparſa panicula, Lob. illuſt.*
6. *Repens vineale, Nobis. Gramen caninum vineale, 2. C. B. P. 1. Prod. Theat. 11. J. B. 458.*
7. *Radice repente murorum, Nobis. Gramen murorum radice repente, 12. C. B. P. 5. Prod. Theat. 17. J. B. 468.*
8. *Odoratum, 2. C. B. P. 13. Prod. Theat. 35. Gramen paniculatum Germanicum odoratum, Park.*
9. *Nemoroſum paniculis albis, capillaceo folio, C. B. Theat. 97.*
10. *Foliolis junceis oblongis, radice alba, 1. C. B. P. Theat. 74. Gr. tenuifol. magis ſparſa panicula, J. B. 462.*
11. *Argenteum locuſtis parvis annuum, Nobis. Gramen paniculatum cum locuſtis parvis annuum, Raii.*
12. *Panicula foliacea majus, Nobis. Gramen Sparteum panicula foliacea majus, Phytolog. Brit. Merret. Pin.*
13. *Panicula foliacea, capillaceo folio minus.*
14. *Panicula breviore foliacea, Nobis. Gramen arvenſe panicula criſpa, C. B. P. Theat. 32.*
15. *Capitulo globoſo foliaceo, Ambroſini.*
16. *Minimum elegans paniculis elegantiſſimis, C. B. P. Theat. 27. J. B. 465.*

17. *Agrorum venti ſpica, Park. 1158. Gramen agrorum latius arundinacea panicula, Lob. icon. 3. Gramen ſegetum panicula arundinacea, C. B. Theat. 351.*
18. *Majus latiore folio, ſive Theophraſti 2. C. B. P. Gramen pratenſe vulgatius, Lob. Gr. pratenſe paniculatum majus, C. B. P. Theat. 28.*
19. *Majus anguſtiore folio, 3. C. B. P. 10. Prod. Theat. 29. J. B. 461.*
20. *Medium, 5. C. B. P. Gramen pratenſe paniculatum medium, C. B. Theat. 30. minus, J. B. 542.*
21. *Minimum album & rubrum, Ger. 3. Park. 1156. Gramen pratenſe minus, 6. C. B. P. Theat. 31. Gramen paniculatum minus album & rubrum, J. B. 465.*
22. *Serotinum panicula longa purpuraſcente, Raii. Gramen pratenſe ſpica Lavendulæ, Merret. Pin Gramen enode arundinaceum minus ſylvaticum, C. B. Theat. 97.*
23. *Caninum ſupinum paniculatum folio variante, C. B. Theat. 12. Graminis primi Dioſcoridis ſpecies minima, Thal. J. B. 459.*
24. *Indicum paniculis parvis fuſce purpureis, Tsjama-pulla, Hort. Mal. Part. 12. P. 75.*

pratenſe

aquaticum

25. *Latifolium, C. B. P. Theat. 46. Gramen aquaticum Harundinaceum paniculatum, J. B. 542.*
26. *Arundinaceum Syriacum, linea alba per medium decurrente. An Gr. arundinaceum maximum Bayonenſe, Park?*
27. *Seu paluſtre panicula ſpecioſa, C. B. Theat. 39. J. B. 542. Gramen aquaticum panicula ſpecioſa, Park. 1274.*
28. *Indicum paniculis longioribus erectis, Tsjama pulla, Hort. Mal. Part. 12.*
29. *Caninum ſupinum paniculatum dulce, C. B. P. Theat. 13. J. B. 459. Gramen dulce odorum, Lob. Illuſt.*
30. *Maritimum vulgatiſſimo pratenſi Gramini congener aut ſimile, Lob. Illuſt.*
31. *Caninum maritimum paniculatum, Raii Hiſt. 1286.*
32. *Maritimum vulgatiſſimum, Raii Hiſt. An Gr. maritimum alterum ſive ſecundum elatius, Lob. Illuſt?*
33. *Virginianum locuſtis minimis.*

pratenſe

34. *Molle, 1. C. B. P. 10. Prod. Theat. 27. Gramen lanatum Dod. J. B. 466.*
35. *Molle radice Graminis canini repente, Nobis. Gramen canarium longius radicatum majus, C. B. P. Theat. 11. Eſt & majus & minus.*

36. Mini-

- *Gramen tremulum paniculis*
  - *teresa*
    - 36. *Minimum molle, Magnol. App.*
    - 37. *Panicula pendula aurea, 2. C. B. P. Theat. 34. J. B. 466.*
    - 38. *Spicatum folio aspero 5. C. B. P. Prod. 9. Theat. 45. J. B. 467.*
    - 39. *Spicatum montanum asperum, Raii Hist. 1287.*
    - 40. *Spicatum annuum asperum, Morif.*
  - *aquaticum*
    - 41. *Arundinaceum aceroſa gluma noſtras, Park. 1273. Arundinaceum Calamagroſtis dictum, ſpica multiplici, 1. C. B. P. Theat. 92. Gramen Harundinaceum majus, J. B. 489.*
    - 42. *Arundinaceum minus, Ger. 8. J. B. 418. ſpicatum, C. B. P. Theat. 94.*
    - 43. *Folio variegato, 3. C. B. P. Theat. 37. Striatum, Ger.*
    - 44. *Sive Calamagroſtis altera Norwegica, Park.*
  - *rotundioribus*
    - *minus*
      - 45. *Vulgare, J. B. 470. Gr. tremulum majus, C. B. P. Theat. 22.*
      - 46. *Panicula parva, 4. C. B. P. Prod. 9. Theat. 25. Minus, J. B. 470.*
      - 47. *Locuſta deltoide, Nobis. Gr. tremulum minus panicula magna, 3. C. B. P. Theat. 23. J. B. 470.*
    - *majus*
      - 48. *Sive maximum, 1. C. B. P. Prod. Theat. 23. J. B. 470.*
      - 49. *Fuſcum Tingitanum.*
      - 50. *Perenne, Hermanni, Hort. Lugd. Bat.*
      - 51. Μυλοπορφύρεον ὀξύφυλλον *Carolinianum, D. Pluk. Phyt.*
  - *longioribus*
    - 52. *Paniculis elegantiſſimis, C. B. Theat. 26 Gr. Amoris dictum, J. B. 470.*
    - 53. *Sive Gramen filiceum paniculis integris, Boccon. 63.*
    - 54. *Sive Gramen amoris alterum paniculis ſtrigoſioribus magiſque ſparſis, Raii, D. Pluk. Phyt. Tab. 92.*
    - 55. *Sive Gramen amoris Indiæ orientalis panicula ſparſa, glumarum petiolis huc illuc undatim inflexis, D. Pluk. Phyt. T. 190.*
    - 56. *Madraſpatanum panicula ſpicata longa ſpecioſiſſima, D. Pluk. Phyt. 190.*

§. 1. Gramina montana paniculata.

1. Gramen *ſegetum altiſſimum panicula ſparſa, C. B. P. Theat. Gramen ſegetum panicula ſpecioſa, Park. ſpecioſa latiore, Lob. icon. Gramen capillatum, J. B. Gramen ſegetale, Ger.* A *radice* fibroſa *folia* quamplurima, pedem aut ſeſquipedem longa, anguſta, & aſpera, *lineis* ſulciſve per longitudinem decurrentibus diſtincta, ceſpitem denſum fortemque conſtituunt, quem uno molimine deſecantes probe fœniſeca uti meſſores putantur. Inter hæc autem *culmi* eriguntur graciles, læves, tribus internodiis frequenter diſtincti, totidemque foliis circumvoluti, cubitales & bicubitales. *Paniculæ* palmares & pedales, elegantis ſtructuræ, cum *pediculis* longis, tenuibus, & ramoſis quaſi verticillatim, & per intervalla culmo naſcuntur; in quibus *locuſtæ* parvæ quamplurimæ, ex viridi argenteo in flaveſcentem, & deinde purpuraſcentem colorem verſæ, ſplendentes, cernuntur.

Ad liras inter ſegetes, & in agris humidioribus ad pedes montium, in paſcuis etiam junceis & aquoſis naſcitur; unde mulieres Menſe Maio & Junio calamos colligunt, de quibus (foliis expalliatis) craticulas ad ædes caminoſque exornandos, connectunt.

2. Gramen *ſylvaticum paniculatum altiſſimum, C. B. P. Prod. Theat. J. B. Park.* Ex *radice* repente fibroſa, *calami* duorum triumve cubitorum exſurgunt, qui *paniculas* parvas ſuſtinent. *Foliis* eſt latis, Cyperi æmulis.

In ſylvis circa Montembelgardum frequens eſt & ex eo ruſtici torques aptos equis, aratra trahentibus, conficiunt, J. B.

3. Gramen *montanum panicula ſpadicea delicatiore, C. B. P. Prod. Theat. J. B. An Gramini caudæ muris purpuraſcenti aliquatenus ſimile, ejuſdem?* *Radice* eſt alba, brevi, capillacea; *culmis* ternis, quaternis, geniculatis, pedalibus, uno alterove *folio* cinctis. *Folia* etiam ad radicem brevia & pauca ſunt. In culmorum ſummitate *panicula* triuncialis, ſpadicei coloris, ex *locuſtis* minimis non ſquamoſis, bicornibus, compoſita. Hoc tamen variat magnitudine, cum & *caule* ſeſquicubitali, & *ſpica* palmari inveniatur; quæ quidem ſpicâ primo compactior eſt & nutans, deinde in paniculam erectam expanditur.

In montoſis & paſcuis ficcioribus frequens reperitur.

4. Gramen *parvum repens paniculis atrorubentibus, Nobis. Gramen caninum ſupinum minus, C. B. P. Theat. Gramen parvum repens purpurea ſpica, J. B. An Gr. Xerampelinum exile Narbonenſe atque Anglo-Britan. & Belgic. Lob. Illuſt.?* *Radix* capillaris, cui *viticulæ* plures recurvæ proſtratæ, internodiis extuberantibus donatæ, oriuntur, unde novi *cirri* emergunt, & *radicula* ſparguntur, quæ in terram defixæ, novis plantis originem præbent. *Folia* anguſta & copioſa. *Spicæ* paucæ expanſæ, ex atro rubore ſplendentes.

In agris cultis provenit.

5. Gramen *xerampelinum miliacea prætenui ramoſaque ſparſa panicula, ſive Xerampelino congener arvenſe æſtivum Gramen minutiſſimo ſemine, Lob. Illuſt.* Mollitie delicatiore foliorum, & cubitalium ſeſquicubitaliumque culmorum exilitate, *Xerampelinum Gramen* æmulatur, *ſpica* jubata, inſtar plumei faſciculi ſparſa, elegantiſſimis puſillis nitidioribus thecis rotundioribus, lævioribus tunicis tectis prædita, in quibus *ſemen* minutiſſimum, teres, oblongum, fuſcum, prægnans. *Radix* capillaris, tenuiſſima.

Aridis arvorum marginibus gaudet, arenoſiſque herbidis ſatorum marginibus, circa Monſpelium oritur. Magnol.

6. Gramen *paniculatum repens vineale, Nobis. Gramen caninum vineale, C. B. P. Prod. Theat. J. B.* *Radix* alba repens, geniculata eſt. *Culmi* tenues, læves, geniculati, ex quorum ſingulis geniculis *folium* anguſtum

ſtum prodit. *Culmorum* ſummitati *panicula* brevis, parumque expanſa, ex parvis *glumis* compoſita, inſidet.

In vinearum viis, ſolo aliquantum duriore, circa æſtatis initium Baſileæ reperitur, C. B.

7. Gramen *paniculatum radice repente murorum, Nobis. Gr. murorum radice repente, C. B. P. Prod. Theat. J. B. Radice* eſt repente, nigricante, & capillacea; culmis pluribus pedalibus, incurvis, tenuibus, geniculatis; quos *folia* pauca, brevia & anguſta ambiunt. *Culmorum* ſummitatibus *panicula* albicans, ſeſcuncialis, ex minimis *glumis* contexta inſidet.

Baſileæ, ad urbis mœnia interiora, inter lapides reperit C. Bauh.

8. Gramen *montanum paniculatum odoratum, C. B. P. Prod. & Theat. Gramen paniculatum Germanicum odoratum, Park. Radicibus* candidis geniculatis ſerpit. *Culmo* eſt bicubitali, geniculis paucis diſtincto; *foliis* longiſſimis, iiſque anguſtis, paniculam ſuperantibus. *Culmo panicula* albicans parva, læviterque ſparſa, inſidet.

Apud Boruſſos provenit, qui in faſciculos collectum, propter odoris fragrantiam, veſtibus intermiſcent. Culmi frequenter breviores in faſciculis cernuntur.

9. Gramen *nemoroſum paniculis albis, capillaceo folio, C. B. P. Prod. Theat.* Ceſpitis inſtar eſt hoc Gramen, & ex *radicibus* capillaceis albis, folia copioſa, viridia, pilis tenuiſſimis ſimilia, pedem longa, emittit. Inter iſthæc *culmi* tenues geniculati, cubitales, aliquando ſeſquicubitales, pene nudi, in *paniculam* rariorem albicantem, palmo minorem, ex *glumis* parvis, ariſtis donatis, compoſitam abeunt.

Baſileæ in querceto non longe Michelfelda copioſe creſcit, C. B. Atque in Ericeto ſolo glareoſo haud longe ab Oxonio invenimus.

10. Gramen *foliolis junceis oblongis, radice alba, C. B. P. Theat. Gramen tenuifolium magis ſparſa panicula, J. B.* Antecedenti convenit hoc; *locuſtæ* vero albicantes *ariſtis* deſtitutæ inveniuntur.

In frigidis & locis aridis reperitur.

11. Gramen *paniculatum purpuroargenteum locuſtis parvis annuum.* Fibræ *radicis* albæ ſunt; *folia* perangusta, & fere capillacea; caulis ſemipedalis aut dodrantalis, interdum altior, geniculatus, gracilis; *panicula* ſparſa *locuſtis* parvis, purpuroargenteis, bina *ſemina*, totidem *ariſtis* perexiguis & brevibus armata continentibus. Summitates caulium & locuſtarum pediculi præ maturitate purpuraſcunt. Scapus culmi ubi primum paniculas emittit non recta deinceps aſſurgit, ſed nonnihil reflectitur. Evulſu facile eſt hoc genus, & annuum eſt.

In ſterilioribus & arenoſis plerumque occurrit.

12. Gramen *montanum panicula foliacea majus, Nobis. Gramen ſparteum panicula foliacea graminea majus, Phytolog. Brit. Merret. Pin.* Huic *folia* longa, pedalia, culmum lata, rigidiuſcula, & præ ficcitate rigidiora & convoluta fiunt, quibus de cauſis *Spartei* titulo, & D. How, & D. Merret inſignierunt. *Calamus* lævis aſſurgit, ſeſquicubitalis, binis *geniculis*, longis internodiis diſtinctus, totidemque *foliis* eundem circumvolventibus; *panicula* plumoſa, dodrantalis, cum quatuor quinqueve geniculis ſupremum culmum per intervalla dividentibus, ut in *Gramine Miliaceo* videre licet. E geniculo quolibet ſparguntur *pedicelli* oblongi, *glumas* tenues gerentes, quarum extimæ & ſupremæ, in *foliola* viridia uncialia naſcuntur & extenduntur, ut foliaceam viridem paniculam componant.

In Alpibus Cambro-Britannicis, v. g. Carnedg Llhewellyn, provenit, unde D. Lloyd ad nos attulit. A. D. Tho. Lawſon nobis tranſmiſſum quoque eſt.

13. Gramen *montanum panicula foliacea, capillaceo folio minus, Nobis. Gramen ſparteum montanum ſpica foliacea graminea minus, Phyt. Brit. Merret. Pin.* E *radice* capillis nigris comoſa, *foliola* plurima, palmaria, capillaria oriuntur. *Culmi* aſſurgunt tenuiſſimi, pedales, pene nudi, *geniculo* uno aut altero in inferiore parte donati. *Panicula* ipſa uncialis aut biuncialis, modice ſparſa eſt. Atque hujus *glumæ* in foliola uncialia, graminea, recta, viridia, terminantur.

In montoſis Borealibus Angliæ & Cambro-Britanniæ locis reperitur.

14. Gramen *Montanum panicula foliacea criſpa breviore, Nobis. Gramen arvenſe panicula criſpa, C. B. P. Theat. Gramen minimum rubrum ſive Xerampelinum, J. B.* Planta hæc dodrantalis ad antecedentes accedit, his tamen notis dignoſcitur: 1. Planta annua eſt, cum aliæ perennant. 2. *Folia* graminea, compreſſa, aliarum; hujus juncea & capillaria ſunt. 3. Hujus *ſpica* eſt brevis, ſpecioſior, *glumiſque* foliaceis brevioribus, recurvis, ita ut criſpa videatur; aliarum non item.

Circa Monſpelium in vinetis, aliiſque locis Aprili menſe ſpicas proferens copioſe reperitur, & à plurimis Gramen cepaceum dicitur, Magnol.

15. Gramen *capitulo globoſo foliaceo. Gramen hoc* (cujus figuram Hyacinthus Ambroſinus Bononienſis in Phytologiæ ſuæ Part. 1. Tom 1. edidit, & deſcriptionem locupletiorem in Tom. 2. promittit) erectum videtur & annuum, *foliis* gramineis, modice latis, *culmum* geniculatum circumvolventibus. *Capitulum* rotundum eſt, cujus *glumæ* in *foliis* uncialibus, undiquaque terminantibus excreſcunt.

16. Gramen *minimum elegans paniculis elegantiſſimis, C. B. P. Theat. Gramen minimum Dalechampii, J. B.* Eſt veluti gleba ampliuſcula, rotunda, radiculis plurimis, brevibus, candidis; *foliis* digito non longioribus, teretibus; *ſpica* valde gracili, parva; floſculis rubris, Menſe Februario ſtatim ad primam aeris temperiem exorientibus; ſapore initio dulci, deinde amaro. *Semen* exiguum fuſcum & ſplendens eſt.

In arvis & vinetis prope Boutonet, aliiſque circa Monſpelium locis naſcitur. Primo vere, ut & hyeme floret.

§. 2. Gramina pratenſia paniculata.

17. Gramen *agrorum venti ſpica, Park. Gramen agrorum latiore arundinacea panicula, Lob. icon. Gramen ſegetum panicula arundinacea, C. B. P. Theat.* Huic *radix* eſt parva, nonnunquam & craſſior; *calami* bicubitales, rotundi, læves, uno alterove geniculo diſtincti; *folia* longa anguſta, per quæ venæ diſcurrunt, nec, ut in harundinaceo gramine, acuta. *Paniculam* habet oblongam, compreſſam, aliquando flaveſcentem, aliquando

quando ſpadiceam, ex *locuſtis*, ſpiculiſve turgidioribus, pediculis tenuibus miliaceis appenſis, compoſitam, quæ vento agitante, frequenter ad unum latus ſpectant.

In pratis, & inter ſegetes, humidiori ſolo naſcitur, & variis Angliæ comitatibus obſervatur.

18. Gramen *pratenſe majus latiore folio, non Theophraſti, C. B. P. Gramen pratenſe paniculatum majus, C. B. Theat. Gramen pratenſe vulgatius, Lob. Pratenſe vulgatius majus, Park. Gramen pratenſe vulgare ſpica fere arundinacea, J. B.* Hujus *radix* à geniculis fibras emittit, & copioſe reptatu ſe propagat, *foliaque* numeroſa protrudit. *Calami* eriguntur cubitales, & altiores, quatuor aut quinque nodis geniculati, *foliis* triticeis, aſperiuſculis, amicti. *Panicula* in ſummitate ſatis ampla, erecta, palmaris & dodrantalis, miliacea eſt, cujus *petioli* quaſi verticillatim & per intervalla, ſeptem octove gradibus naſcentes, *locuſtas* parvas, muticas, copioſas ſuſtinent.

19. Gramen *pratenſe majus anguſtiore folio, C. B. P. Prod. Theat. J. B. Radix* non repens ut in antecedenti, cirris quamplurimis affixa eſt; folia graminea anguſta, & erecta; *culmi* pedales aut cubitales, geniculati, paniculas è paucioribus conſimilibus *locuſtellis* compoſitas ſuſtinent.

In pratis & paſcuis, aque ac dumetis, ſatis frequens occurrit, ubi & panicula tenuior obſervatur.

20. Gramen *pratenſe paniculatum medium, C. B. P. Theat. Gramen pratenſe minus, J. B.* Hoc *radice* geniculata, repente præditum, *folia* quamplurima nec latitudine nec anguſtia inſignia, in pratis & paſcuis ubique obvium, producit. *Equinum* & *Hippagroſtis* nominatur, eo quod quadripedia amimantia libenter depaſcantur, & præcipue Equi hoc ſummopere delectentur. *Culmi* pedales & cubitales, *paniculas* minores & breviores, è *locuſtis* turgidioribus confectas, etiam ariſtis deſtitutas, gerunt.

Gramina hæc jam nominata, ſicut animalibus pabulum optimum ſuppeditant, ita Creatoris beneficio frequentiſſima inveniuntur.

21. Gramen *pratenſe minimum album & rubrum, Ger. Park. Gramen pratenſe minus, C. B. P. Theat. Gramen paniculatum minus album & rubrum, J. B.* Annua hæc planta, in agris, pratis, & ſemitis, nec non Hortorum areolis nimis frequens, palmaris aut ſeſquipalmaris eſt. *Folia* tenera, anguſta, dilute viridia ſunt, è *radice* capillacea prodeuntia. *Paniculæ* ſummis culmulis inſident, &, ut in præcedentibus, ſparguntur, minores tamen; quarum *ſemina* tenuia, decidua, plantas novellas circumcirca copioſas producunt.

Apiculi florum horum, aliorumque varii generis Graminum, è glumis erumpentes & dependentes, frequenter albi ſunt, & nonnunquam ad rufeſcentem colorem tendentes conſpiciuntur.

22. Gramen *pratenſe ſerotinum panicula longa purpuraſcente, Raii. Gramen pratenſe ſpica Lavendulæ, Merret. Pin. Gramen erode arundinaceum minus ſylvaticum, C. B. P. & Theat.* In humidioribus gramineis & ſylvoſis locis reperitur hoc Gramen, quod brevia & ſatis lata *folia*, pilis paucis aſperſis, protrudit, & pedalem aut cubitalem altitudinem æquat. *Culmus* haud longe à *radice* fibroſa geniculo ſingulari, raro binis, donatus & ſuperius enodis & nudus apparet, & *paniculam* ſpicamve anguſtam, digiti longitudinis, è *glumis* purpuraſcentibus, rectis, longiuſculis, muticis, compactam, *pediculis* brevibus non à culmo extenſis, profert.

23. Gramen *caninum ſupinum paniculatum folio varians, C. B. P. Theat. Graminis primi Dioſcoridis ſpecies minima, Thal. J. B. Radix* ex *cirris* fibrata eſt; *cauliculi* recurvi humi proſtrati, tenues, geniculis frequentibus interſepti ſunt; *folia* prima palmaria, anguſta profert; dein inter hæc folia, & ipſorum genicula ſingula, ceſpes aliquando ſubrotundus, ex plurimis parvis, oblongiuſculis & ſtrictiſſimis foliis compoſitus prorumpit. Atque ad horum inferius tuber, quo ipſa ex geniculis prorumpunt, novi *cirri* emergunt, qui denuo in muſco convoluti novis plantis originem præbent. *Panicula* tenuiſſime diviſa in ſummo ſe erigit.

In Italia, & in ſylva Hercynia, in pratis uliginoſioribus paſſim reperitur.

24. Gramen *paniculatum Indicum paniculis parvis fuſce purpureis, Tsjama-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 75.* Planta hæc naſcitur in arenoſis. *Radix* fibroſa albicans; *caules* rotundi, glabri, virides, geniculati, *foliis* gramineis veſtiti; *ſpica* vertici caulium in *petiolis* viridibus inſident, virides, complanatæ, ex pluribus, minutis *foliolis* imbricatim conformatæ; vetuſtiores fuſce purpureæ. *Semina* in illis continentur arenacea.

§. 3. Gramina paniculata aquatica.

25. Gramen *paniculatum aquaticum latifolium, C. B. P. Theat. Gramen aquaticum harundinaceum latifolium, J. B. Tab. & Gramen harundinaceum paniculatum, ejuſdem. Gramen aquaticum majus, Ger. Arundinaceum aquaticum, Park. Radice* eſt repente, fibroſa; *caulibus* bicubitalibus, vel etiam altioribus, digito minore paulo tenuioribus, frequentibus & grandioribus *geniculis* obſeptis, ſtriatis; *foliis* latis, longis, aſperis, gladiatis, culmum ambientibus; *panicula* palmari, miliacea, pallida. Aliquando *glumis* rufeſcentibus, florem, Junio menſe, candidum profert.

In foſſis, rivulis, & aquarum littoribus, nihil frequentius.

26. Gramen *paniculatum arundinaceum Syriacum, Hulliaun indigenis dictum. An Gramen arundinaceum maximum Bayonenſe, Park?* Hoc è ſeminibus à Reverendo & admodum generoſo *D. D. Huntington* tranſmiſſis, nobis natum eſt. Ejus *radix* Arundinis in modum per *Stolones* laterales incrementum facit; & *folia* longa cubitalia, digitum unciamve lata, gladiata, ad cæſium colorem tendentia, linea alba inſigni, ut in *Tragopogone*, per medium decurrente, profert. Inter folia *calami* oriuntur bicubitales & tricubitales, arundinacei, geniculati, foliis conſimilibus, minoribus tamen, ornati. *Paniculam* geſtat in ſummitate erectam, palmarem, & dodrantalem, ſubfuſcam, è *locuſtis* plurimis, longiuſculis, ſatiſque turgidis, muticis, pediculis ramoſis inſidentibus, ſurſum ſpectantibus, confectam; quibus ſemina oblonga, mucronata, turgidiuſcula, fuſca, lucida, continentur.

27. Gramen *paluſtre panicula ſpecioſa, C. B. P. Theat. J. B. Gramen aquaticum panicula ſpecioſa, Park.* Hoc ad cubitalem altitudinem exſurgit, *calamo* ſatis craſſo. *Foliis* eſt paucis, pedalibus, latiuſculis, per marginem aſperiuſculis, quorum aliqua tubuli inſtar, calamum media ex parte ambiunt. *Panicula* eſt jubata, ſeſquipalmari, ex elegantiſſimis parvis & ſubrotundis laminellis compoſita.

In humidis Patavii, circa Mulhuſium obſervavit Caſp. Bauh.

28. Gramen *paniculatum Indicum paniculis longioribus erectis, Tsjama-pulla, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 83. *Caules* rotundi, tenues, intus tubulo pervii, glabri, proxime vero ad caulem *pilis* albicantibus in interiore latere barbati. In vertice caulium *petioli* breves, ſpicati prodeunt, folioſis involucris tecti. *Spicæ* ipſæ paryæ ſunt, oblongæ, cuſpidatæ, viride dilutæ, quatuor conſtantes *foliolis* cuſpidatis. In ſingulis *ſemen* includitur unicum.

29. Gramen *caninum ſupinum paniculatum dulce, C. B. P. Theat. Gramen dulce, Lob. icon. Dulce odorum, Lob. Illuſt.* E tenella, albida, geniculata, reptrice *radice*, ſubfuſcis *fibris* donata, *folia* edit viridia, graminis Canarii in modum, mollia; & tenellos geniculatos, pedales, & cubitales *culmos*, paniculis elegantioribus ſparſis, patenſis Graminis vulgatiſſimi more faſtigiatos. *Radix*, uti tota planta, polentæ inſtar ſubdulcis eſt.

Foſſis & rivulis limoſis gaudet.

30. Gramen *maritimum vulgatiſſimo pratenſi Gramini congener aut ſimile, Lob. Stirp. Illuſt.* *Radix* capillata. *Folia* unius, duum, & trium unciarum, Schœnanthi modo congeſta, è *folio* aut folliculo prodeunt, è fundo unciali, lato, compreſſo, inſtar vaginæ educto. *Culmi* item trium, quatuor, & quinque unciarum folioſa vaginula incluſi ſunt, & è ſecundo emanant culmi geniculo. *Spicæ* ſpecioſæ, ſparſæ, Panici ſylveſtris ritu, ſeſcunciales, duum unciarum, ſubrubentes.

In maritimis litoreis Cantii oriri Lobelius ſcribit.

31. Gramen *caninum maritimum paniculatum, Raii.* Hujus *radix* longe lateque repit. *Folia* ſatis lata, obſcure viridia, ſemipalmaria, & longiora ſunt, carinata, duriuſcula, & rigida, ima parte ſe mutuo amplectentia, ut totum germen ad exortum planum & compreſſum ſit. *Culmi* ſeſquipalmares aut ſemipedales, uno alterove nodo intercepti, *paniculam* in ſummo geſtant brevem, nec multum plerumque ſparſam, è *locuſtis* parvis, ſquamoſis, muticis, nonnihil interdum purpuraſcentibus, Graminis pratenſis ſimilibus, compoſitam.

32. Gramen *paniculatum maritimum vulgatiſſimum, Raii.* *Radix* fibris albis tenuibus conſtat. *Folia* brevia longitudine vix palmari, peranguſta, carinata, lateribus ita adductis & quaſi complicatis, ut teretia ſeu juncea videantur. *Culmi* ſatis firmi, pedales, duobus tribuſve *geniculis* intercepti, in ſummo *paniculam* geſtant palmarem non multum diffuſam, purpuraſcentem, è *locuſtis* ſeu ſpicis oblongis, anguſtis, ſquamoſis, non ariſtatis compoſitam. *An Gr. maritimum alt. ſive ſecundum elatius, Lob. Illuſt.*?

In paluſtribus maritimis ubique frequentiſſimum eſt.

Hujus *aliam ſpeciem* ad bicubitalem altitudinem aſſurgentem *D. Newton* obſervavit.

33. Gramen *paniculatum Virginianum locuſtis minimis.* *Culmi* hujus Graminis, frequentibus *geniculis* intercepti, dodrantales & pedales, nunc erecti, nunc reclinati, *folia* proferunt ad ſingula genicula longa & anguſta, quæ *paniculam* elegantiſſimam, ex minimis locuſtis, petiolis erectis, non multum diffuſis, adnexis, confectam, altitudine ſuperant. Ex ſupremis foliis, quaſi ex vagina panicula prorumpit; &, quod in aliis Graminibus Americanis obſervare eſt, è geniculis *culmuli* alii minores excreſcentes, paniculas conſimiles gerentes ramificantur.

§. 4. Gramina toroſa panicula donata.

34. Gramen *pratenſe paniculatum molle, C. B. P. Prod. Theat. Park. Lob. Gramen lanatum, Dal. J. B.* Qui hunc in modum recte deſcribit: Totum mollicellum eſt, tomentoque obſita non tantum *folia* longiuſcula, & latiuſcula, ſed & *calami*, eorumque *genicula*. *Culmi* pedales aut cubitales, tribus quatuorve geniculis diſtincti, totidemque foliis mollibus, cinericeis veſtiti. *Paniculæ* mediocriter divulſæ *ſpicam* mentiuntur, palmares & longiores, colore plerumque purpuraſcente, vel ex purpuraſcente & cinereo mixto, interdum cinericeo, vix ullis donatæ pilis, molles tamen, ita ut tractantium manibus blandiantur, glumis laxioribus, brevibus, ariſtarum expertibus, ut plurimum ſtria unica obſcuriore donatis; florum *apiculis* luteis; *radicibuſque* fibroſis.

In pratis & paſcuis frequens, menſibus Maio & Junio, cum ſpicis reperitur.

35. Gramen *paniculatum molle radice Graminis canini repente, Nobis. Gramen canarium longius radicatum majus, C. B. P. Theat. Gramen canarium longius radicatum latiore panicula, Lob. J. B. Park.* Quoad externa antecedenti convenit, *radix* vero geniculata longe lateque ſerpit, idcirco non in ceſpitibus, ut in altero, ſed rarius provenientes inveniuntur *culmi* mollicelli, proceriores *ſpicas* tenuiores gerentes, ex *glumis* amplioribus, modice ariſtatis, compoſitas.

In ſylvoſis, terra argillaſa, & inter ſegetes occurrit, & Menſe Junio paniculam explicat.

36. Gramen *paniculatum minimum molle.* Palmaris, & tempeſtate humida bipalmaris eſt planta, annua, *radiculas* habens fibroſas; *culmum* duobus aut tribus articulis diſtinctum. In ſummitate oritur *panicula* expanſa, è plurimis *glumulis* mollibus, albicantibus, compoſita, quæ ob parvitatem vix deſcribi poſſunt.

In luco Gramantio Aprili & Maio menſibus repetitur. Sub Ciſto & Ilicibus invenit D. Magnol. & in Appendice Catal. ſui edidit.

37. Gramen *paniculæ pendula aurea, C. B. P. Theat. Gramen aureum, Dal. Lugd. Gramen panicula aurea, J. B.* *Radicibus* nititur multis, nigricantibus, diſtractis; *foliis* multis, oblongis, gramineis donatur; *culmo* cubitali, geniculato; *panicula* toroſa, pendula, aurea, unde aureum cognominatur.

In ſqualidis & ſtientibus provenit, Hiſt. Lugd.

38. Gramen *ſpicatum aſpero folio, C. B. P. Prod. Theat. Aſperum, Ger. J. B.* *Culmo* eſt cubitali & bicubitali, geniculato, aſpero, potiſſimum ſub nodis, & in faſtigio. *Folia* ſunt plurima ſimul naſcentia, longa, atque aſpera; *Panicula* autem rigida, & craſſa eſt, albicans vel rubens; ſæpe minus ſparſa, alias magis, cum parvis paniculis, ex *pediculis* longis aſperis eminentibus.

In pratis, paſcuis, & ad ſepes ubique oritur.

39. Gramen *ſpicatum montanum aſperum, Raii Hiſt.* E rupium fiſſuris in monte *Ingleborough* exit denſis ceſpitibus. *Folia* ei longa, modice lata, carinata, marginibus aſperis, ſi deorſum digiti ducantur. *Caulis* tenuis, cubitalis, *ſpicam* in cacumine gerens brevem. *Semina* longa, & nigra ſunt.

40. Gramen

40. Gramen *ſpicatum aſperum annuum, Moriſoni.* Hoc a Clariſſimo & Botanicorum Principe, *D. D. Moriſono* circa *Bleſas* detectum, vulgari aſpero ſimile eſt, minus & humilius vero exiſtit, *ſpicaſque* frequenter ſimplices, interdum diviſas profert, aſperas, aceroſas, *ſeminaque* longa tenuia continentes; quibus maturis *radix* perit.

41. Gramen *arundinaceum aceroſa gluma noſtras, Park. Raii. Gramen arundinaceum Calamagroſtis dictum ſpica multiplici, C. B. P. Theat. Gramen arundinaceum majus, J. B. Radicibus* ſerpit arundinaceis, *fibris* è geniculis provenientibus affixis, quæ *calamos* rectos, geniculatos, quinque aut ſex pedes altos, emittunt; *foliis* ad arundinem vulgarem accedentibus, unciam latis, dodrantalibus, glaucis, ſuperius aſperis, amictos. In ſummitate *paniculæ* ſpicatim aſſurgit, Graminis aſperi antedicti ſimilis, ſed longior, imo dodrantalis, *pediculis* brevibus ſpiculas aceroſas ſuſtinentibus, quæ non multum ſparſæ apparent.

Ad aquarum margines, pratis udis, foſſis & paluſtribus familiare eſt: & certe Scriptoribus ante Parkinſonum, neceſſe eſt innotuerit, cum plantam adeo obviam omittere non poterant; quare idem eſſe quod Bauhini Fratres, aliique cogitarunt & deſignarunt, pronum eſt ſuſpicari. Quanquam enim in iconibus nimis ſparſa panicula demonſtratur, deſcriptio tamen haud apparet incongrua.

42. Gramen *arundinaceum ſpicatum, C. B. P. Theat. Arundinaceum minus, Ger. J. B.* Antecedenti ſimile eſt, ſed minus & humilius. *Panicula* ſpicata minus diviſa eſt.

Locis conſimilibus quoque reperitur.

43. Gramen *paniculatum folio variegato, C. B. P. Theat. Gramen ſtriis pictum, J. B. Striatum, Ger. Folia* arundinacea minora, rigore tamen non cedentia, ſtriis albis ex viridi glaucis, alternatim virgata ſunt. *Paniculas* in ſummo culmo ſuſtinet palmares, candicantes, aceroſas, ac mediocriter divulſas. Pro radice repenti *fibris* nititur.

In Hortos ut deduceretur fecit foliorum grata varietas. In ſylvoſis & montoſis Sabaudiæ ſponte provenire fertur.

44. Gramen *arundinaceum ſive Calamagroſtis altera Norwegica, Park. Graminis* arundinacei majoris magnitudinem non aſſequitur, durius tamen & aſperius eſt, tum *culmo*, tum *foliis*. *Juba* in ſummo amplior eſt, magiſque ſparſa, tactu etiam aſperior. *Radix* ſimiliter plurimis oblongis *fibris* ſeu filamentis conſtat.

§. 5. Gramina paniculata tremula & filicea.

Gramen *tremulum dictum, eo quod locuſtæ tenui filo propendentes, à quovis vento etiam leviſſimo agitatæ, continuo motu agitantur & tremunt.*

Gramen *filiceum, quod panicula eſt ſpecioſa, ex laminulis numeroſis, oblongis, acuminatis, Filicis maris foliolis ſimilibus, imparibus ſpatiis prodeuntibus, compoſitæ.*

45. Gramen *tremulum vulgare minus locuſtis rotundioribus, Nobis. Phalaris pratenſis minor, Adv. Lob. Gramen tremulum majus, C. B. P. Theat. Gramen tremulum, J. B. Gramen Leporinum & tremulum, Tab. Amourettes tremblantes, Cluſio. Radix* vivax, fibroſa, ſubnigra eſt. *Folia* ad radicem brevia, anguſta, acuminata, inter quæ *culmi* pedales & cubitales, ſtriati, fuſci, & ex ſanguineo luridi, uno alterove folio veſtiti. *Panicula* ſive *juba* expanſa, aliquando viridis, aliquando ſpadicei coloris, ex copioſis glumis, tanquam laminulis ſquamatis, rotundis, lenticularibus, nitidis, coagmentata eſt, quæ in tenui filo, ſeu pediculo, ſæpe nitido & atrofuſco, è ſummis culmis propendent; quam ob cauſam pene continuo motu agitantur & tremunt.

In pratis & paſcuis, potiſſimum montoſis, ſatis frequens reperitur.

46. Gramen *tremulum minus ſpica non ramoſa ex utriculo prodeunte, Nobis. Gramen tremulum minus panicula parva, C. B. P. Theat. Tremulum minus, J. B. Culmus* palmaris, aut paulo altior aſſurgit. *Folia* graminea, acuminata ſunt. *Culmi* partem ſuperiorem folium ſic obvolvit, ut veſicæ ſpeciem referat, & ſuo acumine *jubam* rectam vel ſuperet vel ſaltem adæquet, quæ multis *laminulis* ſquamatis, rotundis, tenui brevique filo adpenſis, conſtat.

In pratis Baſileenſibus provenit; ut & Monſpelienſibus.

47. Gramen *tremulum minus locuſta deltoide, Nobis. Gramen tremulum minus panicula magna, C. B. P. Theat. J. B. Tremulum minus alterum, Park. Gramen* hoc annuum *folia* antedictis profert pauciora & latiora, acuminata. *Culmus* duobus tribuſve geniculis interſtinctus eſt. *Panicula* in ſummo locupletior, ex pluribus *locuſtis* triangularibus, pediculis tenuibus appenſis, plerumque viridibus, conflata eſt; totaque panicula ex lata baſi in metam erigitur.

Circa Monſpelium in luco Gramuntio frequens naſcitur, unde Chariſſimus Sherardus attulit.

48. Gramen *tremulum maximum, C. B. P. Theat. Prod. J. B. Culmo* eſt pedali & cubitali, tenui, ſtriato, geniculatoſque; *foliis* paucis auguſtis acuminatis; *paniculis* ſubrotundis, ſquamatis, ſiccis, quinquies quam in vulgari majoribus, candicantibus, tenui filo appenſis, leviſſimo aeris motu trementibus.

In Hiſpania, Italia, & Sicilia ſponte oritur; & in Hortis ornamenti gratia ſervatur.

49. E regione *Tingitana* aliud conſimile habemus, cujus ampliores locuſtæ fuſcum colorem ſemper demonſtrant.

50. Aliud à Clariſſimo *D. Hermanno* memoratur, radicibus vivacibus præditum.

51. Gramen *πολυκεφάλον ἐξύφυλλον Carolinianum, D. Pluk. Phyt. An Gramen Curaßavicum paniculis diviſis, C. B. P.?* Inter Gramina hoc ſpectabile, ab inſigni digniſſimoque Viro, *D. Courtène* à *Carolina* comparatum eſt. Inter majora habetur, *culmo* erecto, rigente, triticeo, *geniculis* paucis intercepto; *foliis* convolutis rigidis, mucrone pungentibus, donatum. In ſummitate culmi *panicula* ſpecioſiſſima expanſa eſt, & pediculis longis, fortioribus quam ut facile tremiſcant, locuſtæ ampliſſimæ, ſquamatæ, lupulinæ, *Graminis tremuli majoris* locuſtarum pene æmulæ, majores tamen, ſatis turgidæ, & ex duobus verſibus compreſſæ, ſubfuſci coloris, inſident. Locuſtarum ſingula *ſquama*, (ſi accurate inſpicias) in mucronem bifidum terminatur; in cujus ala *ſemen* oblongum latens incluſum eſt.

52. Gramen *paniculis elegantiſſimis, C. B. P. Theat. Sive Eragroſtis major. Gramen amoris dictum, J. B. Gramen amourettes, Cluſio. Gramen filiceum ſive polyanthos, Lugd.* Hoc perelegans graminis genus eſt, & cum prædictis aliquomodo convenit, quanquam adeo *tremulæ* ſpicæ non conſpiciuntur. E *radice* exili, capillis implexa, *culmi* ex uno ceſpite plures, tribus geniculis diſtincti, dodrantales, exſurgunt; ut & *folia* pauca graminea, anguſta, palmaria. *Panicula* eſt ſpecioſa, palmari, aliquando magis, aliquando minus ſparſa, ex *laminulis* numeroſis, oblongis, acuminatis, modo rectis, modoque recurvis, *Filicis maris* foliolis ſimilibus, imparibus ſpatiis prodeuntibus, ex atro colore virentibus, præ maturitate candidis, aſpectu jucundis; compoſita.

In Hortis, & in agrorum marginibus Galliæ Narbonenſis, Italiæ, Germaniæ, &c. provenit, quibus in locis paniculis albis, & etiam rubentibus, eſſe notat D. Magnol.

53. Gramen *filiceum paniculis integris, P. Boccon.* *Radice* eſt fibrata; *culmo* tenui & geniculato, *foliis* paucis veſtito. *Culmi* faſtigium obtinent pulchræ *paniculæ*, antedicti ſimiles, niſi ſimul eſſent conjunctæ, & palmam manus extenſis junctiſque digitis imitarentur.

In littore S. Eraſmi *loco* li Stazzuni *dicto D. Magnol. reperit.*

54. Gramen *amoris alterum paniculis ſtrigoſioribus magiſque ſparſis, Raii Itin. In Hiſt. omiſſum eſt, ut D. Plukenet notat.* Prioribus hujus ſeriei propemodum convenit, niſi quod *locuſtæ* oblongæ, minores & tenuiores ſint; ut & tota planta minor.

Circa Monſpelium & Florentiam obſervatur.

55. Gramen *amoris Indiæ Orientalis panicula ſparſa glumarum petiolis huc illuc undatim inflexis, D. Pluk. Phyt.* *Gramen* hoc elegans, præcedentibus elatius eſt, *foliiſque* longioribus donatum. *Panicula* magis ſparſa, pediculis alternatim fitis, undulatis & quaſi criſpis, plurimas *locuſtas* ſeu ſpiculas compreſſas, elegantes, haud magnas, ſuſtinet.

56. Gramen *Madraſpatanum panicula ſpicata longa ſpecioſiſſima, D. Pluk. Phyt.* Pulcherrima videtur hæc Graminis ſpecies elatior, quæ à præcedenti præſertim *panicula* differt, & ex *locuſtis* minimis, filiceis, compreſſis, quamplurimis confecta eſt; *petiolis* brevibus, binis frequenter ex eodem geniculo enaſcentibus. *Locuſtæ* autem ita compoſitæ, ſpicam longam, elegantis ſtructuræ mentiuntur.

PLANTARUM CULMIFERARUM

Diſtributio tertia.

De Calamiferis ſpicatis, granis corticatis aſperis; iiſque affinibus.

Zea ſive Briza, Gramen ſpica Brizæ, Hordeum, & Gramen Hordeaceum.

CAPUT XIII.

Zea ſive Briza.

BRiza *dicitur à verbo græco* Βρίζω, *poſt cibum ſomno gravatus ſum, dormio: hinc Briza ita dicta, quod panis ex ea confecti eſu gravati homines dent corpora ſomno. Briza etiam ſecundum Galenum eſt nomen barbarum, unde panis niger Bizam vocatur & a vulgo Biſum. Zea* Ζέα *à* Ζάω *vivo, quod Zea primi mortales veſcerentur. Locar etiam vocatur, quaſi loculare, quod pluribus tunicis quaſi loculis ſemen involutum condatur.*

Zea inter Cerealia præſtantiora habetur. Spicas profert compreſſas, cum binis granorum feriebus ex utroque latere, unde dicoccos, vel ſimplicibus, unde monococcos appellatur, glumis lævibus corticoſis adeo arcte adhærentibus, ut flagello detunicari non poſſit.

TABULA XIII. SECT. VIII.

- *Zea*
  - 1. *Spica mutica dicoccos vel major, C. B. P. Theat. 413. Zea ſive Spelta, J. B. 412.*
  - *Spica barbata*
    - 2. *Briza dicta, vel monococcos Germanica, C. B. P. Theat. 415. Park. Zea monococcos, Briza quibuſdam, J. B. 431.*
    - 3. *Amylea vel Zeopyrum, C. B. P. Zea amylea ſive Olyra, C. B. Theat. Zea verna vel Triticum Wirtembergicum, J. B. 413.*
- *Gramen ſpica Brizæ*
  - 4. *Majus 1. C. B. P. Prod. 58. Theat. 133. J. B. 477. Ger. 31.*
  - 5. *Minus 2. C. B. P. 59. Prod. J. B. 477.*

1. *Zea ſpica mutica dicoccos vel major, C. B. P. Theat. Zea ſive ſpelta, J. B. Ger. Spelta prima Trag. Zea ador, Tab. Spelta, Cæſ.* Tritico haud abſimilis eſt, *radice* multiplici; *culmis* tenuioribus, numeroſis, geniculatis

latis, firmis, Hordei altioribus, at Tritici brevioribus; *Spica* quæ circa festum S. Johannis floret, incondita, compressa, ut plurimum arista carente; (mixtim etiam crescit spica, aristata & mutica,) *granis* ex utroque latere prodeuntibus, multiplici *folliculo* arcte inclusis, & geminis *utriculis* geminis granis junctis, quæ Tritici semine longiora, dorso acuto, colore rufo, è glumis difficile exteruntur; nam tribulis se exteri non patiuntur, sed in mola, Hordei instar, deglubi necesse habent.

Humidiori solo potissimum delectatur, & in agris Italiæ, Germaniæ, Galliæque eodem tempore quo & Triticum seritur.

2. Zea *Brizæ dicta vel monococcos Germanica, C. B. P. Theat. Park. Zea monococcos, Briza quibusdam, J. B. Briza monococcos, Ger. Culmis* est & *spicis dicocci* brevioribus, angustioribus, tenuioribus, & depressis; *spicis* duplici ordine, Hordei modo digestis, *aristis* subasperis armatis; *seminibus* multo minoribus, singulis utriculis (qui læves candicantes, interdum punicantes & modice depressi) inclusis, quibus in mola, non in area, exuuntur.

In montosis & aridis, solo tenui, in autumno seritur, & apud Germanos in agris longo tempore vomerem non expertis.

3. Zea *amylea vel Zeopyrum, C. B. P. Zea amylea seu Olyra, C. B. Theat. Zea verna, vel Triticum Wirtembergicum dictum, J. B. Olyra, Park. Triticum amyleum, Ger.* Herba *calamis, geniculis,* magnitudine, Tritico similis est. *Spica* aristis multis vallata, ut eatenus ad *Hordeum* accedat. Hujus singulæ species, duos granorum ordines, ut Zea dicoccos, obtinent. *Semen* folliculis modo candidis, modo rufis includitur, & ut, Zea, decorticationem in mola requirit, quibus spoliatum *Tritici* granis simile est.

Multis Germaniæ locis provenit vere sata, apud quos communiter quinto mense maturatur.

Zeopyrum seu Triticospeltum, C. B. P. Hordeum nudum, Ges. Vide Triticum 10.

Vires & Usus.

Zea plus quam Hordeum alit, ori grata; usurpatur in panificiis, minus quam Triticum alens, Dioſc. Panes non minus albi quam ex Tritico confecti, leviores tamen. Recens suavis est, & concoctu facilis; veteraſcens non ita gratus, & concoctu difficilis. Inter levia edulia perpurgatur, & pultis in morem decoquitur.

Crimnon crassior est ex Zea Triticoque farina, ex qua pultem faciunt. Abunde alit, facile digeritur; alvum vehementius adstringit, si Zea ex qua fit, prius torreatur.

Athera ex Zea fit tenuissime molita. Est autem sorbitio, quasi liquida pulticula infantibus conveniens, & cataplasmatice efficax.

Halica fit ex Zea; plus alit quam Oryza; alvum magis cohibet; stomacho longe utilior. Decocta in aceto, illitaque lepras tollit; unguium scabrities extricat; incipientibus agilopiis medetur. Decoctum dysentericis idoneum est.

4. Gramen *spica Brizæ majus, C. B. P. Prod. & Theat. J. B. Ger. Radicibus* & *Culmis* est frumentaceis; *foliis* angustis; *spicis* palmaribus, multiplicibus; *utriculis* aristis brevibus armatis; *floseulis*, ut in Tritico, luteolis. Tota planta ad humanam altitudinem assurgit. *C. B. Qui locis acclivibus ad Rheni ripam, & ad montis Creutzacensis ascensum provenire asserit. In satorum marginibus circa Salenovam oriri testatur D. Magnol.* Quod pro hoc Gramine habemus, & apud nos in montosis & sylvosis satis frequens occurrit, altitudinem bicubitalem vix attingit. *Folia* longa, triticea, & satis lata, prona parte molli hirsutie pubescunt, & vaginæ instar hirsutæ, *culmum* amplectuntur. *Spica* in summo palmaris & amplior, primo conferta & integra videtur, dein spiculæ unciales, numero 8. vel 10. à culmo extensæ, ex binis seminum ordinibus compositæ, glumis in aristas semiunciales definentibus exseruntur.

5. Gramen *spica Brizæ minus, C. B. P. Prod. Theat. J. B.* Tota planta palma minor est, *radice* exili fibrosa; *foliolis* ad radicem brevibus, mollibus, canescentibus; *spica* unciali, quæ modo simplex, modo gemina & terna; *utriculis* aristis armatis.

In agris circa Monspelium occurrit, C. B.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT XIV.

Hordeum, & Gramen Hordeaceum.

HOrdeum *à quibusdam dicitur ab horrore, propter aristarum asperitatem & mordacitatem. Hordeum ab aliis quasi aridum, quia primo inter segetes aresçat. Græcis* κριθὴ *à* κρίνω *secerno, quia multo labore glumæ secernendæ sunt.*

Hordeum Cereale est humile spicatum, granis cortice crassiore tectis, & aristis longis asperioribus spicis binis ordinibus, quæ dystycha, vel pluribus, quæ polystycha appellitantur, donatis.

52. Gramen *paniculis elegantiſſimis, C. B. P. Theat. Sive Eragroſtis major. Gramen amoris dictum, J. B. Gramen amourettes, Cluſio. Gramen filicum ſive polyanthos, Lugd.* Hoc perelegans graminis genus eſt, & cum prædictis aliquomodo convenit, quanquam adeo *tremulæ* ſpicæ non conſpiciuntur. E *radice* exili, capillis implexa, *culmi* ex uno ceſpite plures, tribus geniculis diſtincti, dodrantales, exſurgunt; ut & *folia* pauca graminea, anguſta, palmaria. *Panicula* eſt ſpecioſa, palmari, aliquando magis, aliquando minus ſparſa, ex *laminulis* numeroſis, oblongis, acuminatis, modo rectis, modoque recurvis, *Filicis maris* foliolis ſimilibus, imparibus ſpatiis prodeuntibus, ex atro colore virentibus, præ maturitate candidis, aſpectu jucundis; compoſita.

In Hortis, & in agrorum marginibus Galliæ Narbonenſis, Italiæ, Germaniæ, &c. provenit, quibus in locis paniculis albis, & etiam rubentibus, eſſe notat D. Magnol.

53. Gramen *filicum paniculis integris, P. Boccon.* *Radice* eſt fibrata; *culmo* tenui & geniculato, *foliis* paucis veſtito. *Culmi* faſtigium obtinent pulchræ *paniculæ*, antedicti ſimiles, niſi ſimul eſſent conjunctæ, & palmam manus extenſis junctiſque digitis imitarentur.

In littore S. Eraſmi *loco* li Stazzuni *dicto D. Magnol. reperit.*

54. Gramen *amoris alterum paniculis ſtrigoſioribus magiſque ſparſis, Raii Itin. In Hiſt. omiſſum eſt, ut D. Plukenet notat.* Prioribus hujus ſeriei propemodum convenit, niſi quod *locuſtæ* oblongæ, minores & tenuiores ſint; ut & tota planta minor.

Circa Monſpelium & Florentiam obſervatur.

55. Gramen *amoris Indiæ Orientalis panicula ſparſa glumarum petiolis huc illuc undatim inflexis, D. Pluk. Phyt.* *Gramen* hoc elegans, præcedentibus elatius eſt, *foliiſque* longioribus donatum. *Panicula* magis ſparſa, pediculis alternatim ſitis, undulatis & quaſi criſpis, plurimas *locuſtas* ſeu ſpiculas compreſſas, elegantes, haud magnas, ſuſtinet.

56. Gramen *Madraſpatanum panicula ſpicata longa ſpecioſiſſima, D. Pluk. Phyt.* Pulcherrima videtur hæc Graminis ſpecies elatior, quæ à præcedenti præſertim *panicula* differt, & ex *locuſtis* minimis, filiceis, compreſſis, quamplurimis confecta eſt; *petiolis* brevibus, binis frequenter ex eodem geniculo enaſcentibus. *Locuſtæ* autem ità compoſitæ, ſpicam longam, elegantis ſtructuræ mentiuntur.

PLANTARUM CULMIFERARUM

Diſtributio tertia.

De Calamiferis ſpicatis, granis corticatis aſperis; iiſque affinibus.

Zea ſive Briza, Gramen ſpica Brizæ, Hordeum, & Gramen Hordeaceum.

CAPUT XIII.

Zea ſive Briza.

Briza dicitur à verbo græco Βρίζω, *poſt cibum ſomno gravatus ſum, dormio: hinc Briza ita dicta, quod panis ex ea confecti eſu gravati homines dent corpora ſomno. Briza etiam ſecundum Galenum eſt nomen barbarum, unde panis niger Bizam vocatur & a vulgo Biſum. Zea* Ζέα *à* Ζάω *vivo, quod Zea primi mortales veſcerentur. Locar etiam vocatur, quaſi loculare, quod pluribus tunicis quaſi loculis ſemen involutum condatur.*

Zea inter Cerealia præſtantiora habetur. Spicas profert compreſſas, cum binis granorum ſeriebus ex utroque latere, unde dicoccos, vel ſimplicibus, unde monococcos appellatur, glumis lævibus corticoſis adeo arcte adhærentibus, ut flagello detunicari non poſſit.

TABULA XIII. SECT. VIII.

- *Zea*
  - 1. *Spica mutica dicoccos vel major, C. B. P. Theat. 413. Zea ſive Spelta, J. B. 412.*
  - *Spica barbata*
    - 2. *Briza dicta, vel monococcos Germanica, C. B. P. Theat. 415. Park. Zea monococcos, Briza quibuſdam, J. B. 431.*
    - 3. *Amylea vel Zeopyrum, C. B. P. Zea amylea ſive Olyra, C. B. Theat. Zea verna vel Triticum Wirtembergicum, J. B. 413.*
- *Gramen ſpica Brizæ*
  - 4. *Majus 1. C. B. P. Prod. 58. Theat. 133. J. B. 477. Ger. 31.*
  - 5. *Minus 2. C. B. P. 59. Prod. J. B. 477.*

1. *Zea ſpica mutica dicoccos vel major, C. B. P. Theat. Zea ſive ſpelta, J. B. Ger. Spelta prima Trag. Zea ador, Tab. Spelta, Cæſ.* Tritico haud abſimilis eſt, *radice* multiplici; *culmis* tenuioribus, numeroſis, geniculatis

latis, firmis, Hordei altioribus, at Tritici brevioribus; *Spica* quæ circa feſtum S. Johannis floret, incondita, compreſſa, ut plurimum ariſta carente; (mixtim etiam creſcit ſpica, ariſtata & mutica,) *granis* ex utroque latere prodeuntibus, multiplici *folliculo* arcte inclusis, & geminis *utriculis* geminis granis junctis, quæ Tritici ſemine longiora, dorſo acuto, colore ruſo, è glumis difficile exteruntur; nam tribulis ſe exteri non patiuntur, ſed in mola, Hordei inſtar, deglubi neceſſe habent.

Humidiori ſolo potiſſimum delectatur, & in agris Italiæ, Germaniæ, Galliæque eodem tempore quo & Triticum ſeritur.

2. Zea *Brizæ dicta vel monococcos Germanica, C. B. P. Theat. Park. Zea monococcos, Brizæ quibuſdam, J. B. Brizæ monococcos, Ger. Culmis* eſt & *ſpicis dicocci* brevioribus, anguſtioribus, tenuioribus, & depreſſis; *ſpicis* duplici ordine, Hordei modo digeſtis, *ariſtis* ſubaſperis armatis; *ſeminibus* multo minoribus, ſingulis utriculis (qui læves candicantes, interdum punicantes & modice depreſſi) incluſis, quibus in mola, non in area, exuuntur.

In montoſis & aridis, ſolo tenui, in autumno ſeritur, & apud Germanos in agris longo tempore vomerem non expertis.

3. Zea *amylea vel Zeopyrum, C. B. P. Zea amylea ſeu Olyra, C. B. Theat. Zea verna, vel Triticum Wirtembergicum dictum, J. B. Olyra, Park. Triticum amyleum, Ger.* Herba *calamis, geniculis,* magnitudine, Tritico ſimilis eſt. *Spica* ariſtis multis vallata, ut eatenus ad *Hordeum* accedat. Hujus ſingulæ ſpecies, duos granorum ordines, ut Zea dicoccos, obtinent. *Semen* folliculis modo candidis, modo ruſis includitur, & ut, Zea, decorticationem in mola requirit, quibus ſpoliatum *Tritici* granis ſimile eſt.

Multis Germaniæ locis provenit vere ſata, apud quos communiter quinto menſe maturatur.

Zeopyrum ſeu Triticoſpeltum, C. B. P. Hordeum nudum, Geſ. Vide Triticum 10.

Vires & Uſus.

Zea plus quam Hordeum alit, ori grata; uſurpatur in panificiis, minus quam Triticum alens, Dioſc. Panes non minus albi quam ex Tritico confecti, leviores tamen. Recens ſuavis eſt, & concoctu facilis; veteraſcens non ita gratus, & concoctu difficilis. Inter levia edulia perpurgatur, & pultis in morem decoquitur.

Crimnon craſſior eſt ex Zea Triticoque farina, ex qua pultem faciunt. Abunde alit, facile digeritur; alvum vehementius adſtringit, ſi Zea ex qua fit, prius torreatur.

Athera ex Zea fit tenuiſſime molita. Eſt autem ſorbitio, quaſi liquida pulticula infantibus conveniens, & cataplaſmatice efficax.

Halica fit ex Zea; plus alit quam Oryza; alvum magis cohibet; ſtomacho longe utilior. Decocta in aceto, illitaque lepras tollit; unguium ſcabrities extricat; incipientibus agilopiis medetur. Decoctum dyſentericis idoneum eſt.

4. Gramen *ſpica Brizæ majus, C. B. P. Prod. & Theat. J. B. Ger. Radicibus* & *Culmis* eſt frumentaceis; *foliis* anguſtis; *ſpicis* palmaribus, multiplicibus; *utriculis* ariſtis brevibus armatis; *floſculis*, ut in Tritico, luteolis. Tota planta ad humanam altitudinem aſſurgit. *C. B. Qui locis acclivibus ad Rheni ripam, & ad montis Creutzacenſis aſcenſum provenire aſſerit. In ſatorum marginibus circa Salenovam oriri teſtatur D. Magnol.* Quod pro hoc Gramine habemus, & apud nos in montoſis & ſylvoſis ſatis frequens occurrit, altitudinem bicubitalem vix attingit. *Folia* longa, triticea, & ſatis lata, prona parte molli hirſutie pubeſcunt, & vaginæ inſtar hirſutæ, *culmum* amplectuntur. *Spica* in ſummo palmaris & amplior, primo conferta & integra videtur, dein ſpiculæ unciales, numero 8. vel 10. à culmo extenſæ, ex binis ſeminum ordinibus compoſitæ, glumis in ariſtas ſemiunciales deſinentibus exſeruntur.

5. Gramen *ſpica Brizæ minus, C. B. P. Prod. Theat. J. B.* Tota planta palma minor eſt, *radice* exili fibroſa; *foliolis* ad radicem brevibus, mollibus, caneſcentibus; *ſpica* unciali, quæ modo ſimplex, modo gemina & terna; *utriculis* ariſtis armatis.

In agris circa Monſpelium occurrit, C. B.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Seu Calamiferæ.

CAPUT XIV.

Hordeum, & Gramen Hordeaceum.

HOrdeum *à quibuſdam dicitur ab horrore, propter ariſtarum aſperitatem & mordacitatem. Hordeum ab aliis quaſi aridum, quia primo inter ſegetes areſcat. Græcis* κριθὴ *à* κρίνω *ſeorno, quia multo labore gluma ſecernenda ſunt.*

Hordeum Cereale eſt humile ſpicatum, granis cortice craſſiore tectis, & ariſtis longis aſperioribus ſpicis binis ordinibus, quæ dyſticha, vel pluribus, quæ polyſticha appellitantur, donatis.

TABULA XIV. SECT. VIII.

- *Hordeum*
  - *dystichum*
    1. *C. B. Theat.* 440. *Pin. J. B. Ger. Park. Hordeum binis versibus, Matth.* *Ustilago ejusdem.*
    2. *Spica lata compressa, Nobis. Zeocrithon sive Oryza Germanica, C. B. P. Theat.* 421. *Hordeum dictum Germanis Oryza, J. B.* 429. *Oryza Germanica, Trag.*
  - *polystichum*
    3. *Hybernum, C. B. P. Theat.* 438. *Hordeum polystichum, J. B.* 429.
    4. *Vernum, C. B. P. Theat.* 439. *Hordeum hexastichum pulchrum, J. B.* 429.
    5. *Causticum, C. B. Theat.* 467. *Hordeum urens Novæ Hispaniæ, J. B.* 431.
- *Gramen Hordeaceum*
  6. *Equinum molle semine fere Hordei magnum, J. B.* 491. *Gramen sive Hippagrostis, Gesneri.*
  7. *Causticum radice capis fibratis persimili, Recchi,* 307.
  8. *Angustifolium orbiculari radice, Recchi,* 307.

Gramina alia Hordeacea appellata, cum aristas undique proferant, easque breves, Secalinis potius adnumeranda sunt, & Cap. 3. hujus Sectionis quærenda; qualia sunt

Gramen *Hordeaceum minus & vulgare, C. B. P. Theat. Hordeum murinum, J. B.*
Gramen *bulbosum ex Aleppo, J. B.*
Gramen *bicorne seu dystachyophoron, Bocconi.*
Gramen *Indicum spica gracili tomentosa, aristis longioribus ad se invicem intortis, D. Pluk. Phyt.*

1. Hordeum *dystichon, C. B. P. Theat. Dystichum quod spica binos ordines habeat, Plin. Dystichum, J. B. Dod. Tur. Hordeum binis versibus, Matth. Hordeum δύστιχον Galaticum, Columellæ.* Hordeum hoc satis obvium, plantam esse cubitalem, gramineam, notum est. *Spicæ* binis versibus granorum, sursum rigentium, & *tunica* pertinaci asperiuscula, adhærenti tectorum, & exinde *aristis* longis, præ maturitate fragilibus, asperis, præditæ sunt.

In agris, tempore vernali, (hyemes nostras non tolerans) satum est. Ejus natale solum insignis Poeta (ut in præloquio hujus Sectionis memoratur) exprimit.

Ustilago Cerealium & graminum, præsertim spicatarum, vitium est; ut *Tritici, Secales, Hordei; Avenæ* etiam variorumque graminum morbus est. *Ἐρυσίβη* rubigo est, vertente *Gaza* apud *Theophrast.* ubi in spicam abit culmus, apparere solita, si pluvia madens incerti solis sentiat fervidiores radios; *culmo foliove* neutiquam degenerante, sed *grana* in fuscum nigrescentemve fuliginosum pulvisculum commutatis, qui vel solus vel saliva liquoreve subactus, ejusmodi colore cutim inficit. Rustici ut huic malo occurrant semen antequam terræ committant lixivio ex cinere per 24. horas infusum calce viva aspergunt, adeoque firmum efficiunt adversus hujus vitii causas. An hoc malum innatum in semine imperfecto sit, an pluvia roreve madente in vagina graminea manente, antequam erumpit spica, grana dum tenera sint putrida fiant, & postea exsiccata, quasi usta appareant, atque adeo corrumpantur, in medio relinquimus.

2. Hordeum *dystichum spica lata compressa breviore, Nobis. Zeocrithon sive Oryza Germanica, C. B. P. Theat.* 422. *Hordeum dictum Germanis Oryza, J. B.* 429. *Oryza Germanica, Trag.* Antecedenti convenit hoc, humilius vero est. *Spica* brevior & compressa, amplior est, ex *granis* crassioribus magisque exstantibus composita.

In agris vere quoque seritur, & nomine Sprat Barly *notum est.*

3. Hordeum *polystichum hybernum, C. B. P. Theat. Hordeum polystichum, J. B.* κριθὴ πολύστιχος, & *Hordeum hyemale, Cordi.* Vegetior planta est hæc. In summitate plurimis granorum versibus spicatur, quatuor, quinque, & frequentius sex ordines habens. Autumno seritur; hyemem fert; idcirco Borealibus & frigidioribus regionibus aptior est.

4. Hordeum *polystichum vernum, C. B. P. Theat.* 439. *Hordeum hexastichum pulchrum, J. B.* 429. *Polystichum vernum, Lob. Trimestre polystichum, Tab.* Brevior sed torosior Hexastichi *spica*, senis granorum versibus constans, inter quos & *paleæ* inutiles, brevi mollique arista donatæ intercurrunt; at solidorum granorum *gluma* in valentulam, asperam, longamque *aristam* facessit.

An ab antedicto distinguatur quidam dubitant.

5. Hordeum *causticum, C. B. P. Theat. Hordeum urens Novæ Hispaniæ, J. B. Orzada Novæ Hispaniæ, Monardi. Cevadilla sive Hordeolum causticum Americanum, Park. Ytzcuimpatli, seu canis interfector, vel Hordeolum, Recchi,* 307. Planta est à *Nicolao Monardo* detecta, quæ in Hispania nova *Cevadilla* id est *Hordeolum* vocatur, à similitudine quam cum nostro Hordeo habet, tum *spica* tum *vaginulis* quibus semen includitur, sed eo minus, & *lini* semine neutiquam majus, & longe aliis facultatibus præditum.

Hordei Vires & Usus.

Quis Hordei *multiplicem & variam utilitatem explicare satis poterit, cum ad alendum nutriendumque corpus præcipui usus sit? Panis namque hordeaceus cibus commodus, & post Triticum proximum locum occupat, Hippocrate teste. Quin & Christo servatori nostro panes hordeacei miraculi materiam præbuerunt. Equidem panis ex optimo Hordeo confectus, qui ἄρτος καθαρὸς dicitur, bene nutrit, (licet Agineta gravem nutrire asserat) sed robusto ventriculo opus est. Pinsitus candidus apparet, & nonnihil densitatis ac ponderis habet.*

Usus Hordei *in re domestica administranda experientia quotidiana demonstrat.* Maltum *seu* Byne, *Hordeum esse Madefactum, quod germen emittit, & deinde una cum enatis ligulis torretur, bene notum est. Quæ quidem*

dem præclara præparatio jam adeo frequenter in uſum venit, ut pluribus explicare ſupervacuum ſit. Ex Tritico, Zea, Avena, & Milio, Maltum fit; *ex* Hordeo, *vero frequentius conficitur: ex quo vinum illud eminens & generoſum à* Camdeno, *aliiſque merito laudatum, Byera, Alla, & Cereviſia nominatum, frequens componitur. Ejus uſus neceſſarius ad vitam humanam ſuſtinendam vix ſatis celebrari poteſt. De præparationibus autem, conficiendique modis,* Lobelius, Johan. & Caſp. Bauhini *falſe ſcripſerunt. Eos vero modos utpote plebeiis notos, recenſere jam minus neceſſarium judicamus.*

Hordeum *frigefacere & ſiccare* Galenus *perhibet; abſterget; urinam ciet; inflammationem parit; ſtomacho adverſatur; tumores concoquit,* Dioſcor. *Contra acrimonias, atque gutturis ſcabritias, exulcerationeſque pollet, quibus etiam triticeæ ptiſanæ præſidio ſunt, ſed plus iis alit, magiſque urinam movet.*

De Ptiſana ejuſque uſibus integrum librum conſcripſit Galenus. *Ptiſana autem ex Hordei granis à membranis & cortice mundatis, fit.* Πτισάνη ἀπὸ τῦ πτίσσειν, *quod eſt tundendo deglubere, ſeu pinſendo decorticare. Exacte confecta & cocta, humectat, refrigerat, & deterget, eduliumque eſt in acutis morbis, reliquis omnibus frumentaceis præferendum, monente* Hippocrate, *in libro hujuſce argumenti. Hujus viſcoſitas jucunda, lubrica, & mediocriter humida, ſitim arcet & ad febrium & pleuritidum malignitatem mitigandam, aptiſſima probatur. Lac abunde ſuppeditat, ſi Fœniculi ſemine decocta ſorbeatur. Poſt purgationem, ægrotis,* ptiſana *hordeacea abſorpta utilis eſt.*

Fit & hodie à Pharmacopœis, Gallicis præcipuè, potio, quam Ptiſanam καθαρτικὴν *vocant; nec enim ptiſana eſt, nec ptiſanæ cremor, ſed tantum Hordei tenuis decoctum, ipſius ſubſtantiæ parum aut nihil retinens. Fit enim ex Hordeo mundato, Glycyrrhiza raſa, & uvis paſſis; quandoque pruna, & dactyli, & jujubæ, aliaque ſimilia adduntur. Hæc potio in Gallia frequentiſſima eſt, æſtivo tempore, ubi in omnibus fere pharmacopoliis venalis proſtat; vix biduum ſervari poteſt antequam acreſcat & corrumpatur. Uſus ejus eſt ad refrigerandum & humectandum. Iis qui inflammatione pulmonis, partiumque reſpirationi inſervientium, vel renum veſicæque exulceratione, aut inflammatione, laborant, proficuus cenſetur, ut* D. Raius *recte obſervavit.*

Polenta, ἀλφίτων Græcis, *Hordei toſti ſeu frixi farina eſt; verum quod Polenta ſiccior ſit ipſo Hordeo, non ſolum* Galenus, *ſed quotidiana experientia docet. Adverſus calculi & Iſchuriæ dolores* Simon. Paulus *remedium proponit. Recepit arbitrariam quantitatem probe percoctæ polentæ, ex aheno calidæ, & tantam Lupuli, qui frigebat, addita bene magna quantitate butyri, ex quibus Cataplaſma paravit, quod linteo implicatum tam calide pectini & peritonæo applicabat, quam ferre poſſet, &, Deo benedicente, intra horæ quadrantem à recenſitis ſymptomatis æger liberatus erat; quod & felici ſucceſſu plurimis applicavit.*

Farina Hordeacea *decoquitur in mulſa aqua cum ficubus, ut inflammationes, collectioneſque diſcutiat. Podagricis inflammationibus cum cotoneis aut aceto prodeſt. Decocta in acri aceto, quo modo hordeaceum cataplaſma, & calida impoſita, lepris medetur.*

Pultes *aliæ,* Maza, *&c. ex Hordeo conficiuntur, quædam ſpiſſiores, aliæ tenuiores, ad proprios uſus deſtinatæ.*

Crimnon *etiam, unde* κρῖμνα *Hordeum, per apocopen* κρῖ *apud* Homerum, *craſſior farinæ pars eſt, quæ per tribrum laxiora habens foramina tranſmittitur; vel* κρῖμνον *rudior farina quæ fragmenta majuſcula ipſorum granorum continet; ex quo Pultem conficiunt, quæ plus nutrit quam polenta, & abunde alere creditur.*

Zythum *ex Hordeo potus fit, qui urinam ciet; renes & nervos tentat; membranis, præſertim cerebrum veſtientibus officit; inflammationem parit; vitioſum ſuccum creat; elephantiaſin gignit.*

Curmi *quoque potus ex Hordeo factus Vini præſtat vices; verum dolorem capiti movet; malum ſuccum parit; & nervis nocet.*

Hordeum *in aqua decoctum, conſtituit baſin juleporum, cum ſyrupo aceti, quod ob gratam aciditatem detur in febribus.*

6. Gramen *hordeaceum equinum molle ſemine fere Hordei magnum, J. B. Gramen ſive Hippagroſtis, Geſneri.* Gramen albicans lanuginoſum, molle, duos cubitos cum dimidio attingit; *ſemine* lato eſt, ſatis magno, quale eſt *Hordei* fere.

Refert Geſnerus in pratis naſci, ſed parce. Habuit hoc Camerarius ex Horto Nobiliſſ. Viri D. Georgii Reteſelii, ubi ſponte inter cætera Gramina proveniebat, J. B.

7. Gramen *hordeaceum cauſticum radice Cæpis fibratis perſimili, Recchi.* Huic *folia* ſunt oblonga lineis ſecundum longitudinem procurrentibus; *ſpica* hordeacea; *radix* Cæpis fibratis perſimilis.

Apud Michuacanenſes naſcitur.

8. Gramen *hordeaceum anguſtifolium orbiculari radice, Recchi.* Hoc apud eoſdem oritur, *foliis* anguſtioribus, orbiculari *radice, ſapore* fere nullo, & quoad cætera præcedenti ſimile.

PLANTARUM

PLANTARUM CULMIFERARUM

Diſtributio quarta.

De Calamiferis jubis ſparſis, granis tunicatis, iiſque affinibus.

Oryza, Avena, Feſtuca, Ægilops, Bromos, Gramen avenaceum, Gramen ſparteum, Gramen hirſutum, Gramen junceum, & Gramen tomentoſum.

CAPUT XV.

Oryza.

Oryza laxam ſparſamve profert jubam; grana ariſtata, cortice aſpero, non foliacea gluma tecta.

TABULA XV. SECT. VIII.

Oryza
1. *Italica, C.B.P. Hordeum Galaticum, Columellæ. Oryza, C.B.T. 479. J.B. 451.*
Indiæ Orientalis ſemine
2. *Rubro longiore, Jerbundaan Indorum.*
3. *Albo longiore, Boondilydaan, & Doordadaan.*
4. *Nigricante, Saatydaan.*

1. Oryza *C.B.T. J.B. Matth. Lob. Dod. Oryza peregrina, Trag. Oryza Italica, C.B.P. ad differentiam Germanicæ. Hordeum Galaticum, Columellæ, Hermolai, Ruellii.* Oryza *folia* profert triticea ſeu arundinacea; *culmum* cubitalem & ſæpe ampliorem, geniculatum, Tritici craſſiorem, firmioremque. In culmi faſtigio *juba* oritur, in ramulos diviſa, *granis* plurimis ſubflavis, ovalibus, *cortice* aſpero, ſtriato, tectis, in *ariſtam* ſimplicem, uncialem aut biuncialem deſinentibus, *pediculis* alternatim adnatis, donata.

Oryzæ originem eſſe ex *India Orientali* haud dubitandum eſt. In *Japonia, Sina, Bengala, Ceylon*, aliiſque circiter regionibus, ejuſdem frequens eſt uſus. In *Africa* & *Æthiopia*, necnon *India Occidentali*, calidioribuſque regionibus ſeritur. Locis variis quoque Europæ ſata eſt, in *agris Hiſpanicis, Hetruria, Lombardiæ, circa Mediolanum*, unde potiſſimum ad nos adfertur. In *Italia* quoque habetur.

Locis uliginoſis & paluſtribus gaudet, magnam temporis partem in aqua creſcit, imo in ipſa aqua uberrime luxuriat.

2. Oryza *Indica ſemine rubro longiore, Jerbundaan Indorum.*

3. Oryzæ *Indica ſemine albo longiore, Boondilydaan & Doordadaan.*

4. Oryza *Indica ſemine nigricante, Saatydaan Incolis nominata.*

Tres has ſpecies, nobis novas, à munificentia *D. E. Ent*, ab amico ex India Orientali, cum plurimis aliis, comparatas, habemus, quæ apud nos pullulavere, foliaque produxere; ſed climate noſtro temperato, neque hæ, nec vulgatior, ad maturitatem pervenient.

Oryzæ Vires & Uſus.

Calidæ & modice ſiccæ qualitatis eſt; probe nutrit; concoctu facilis, cum tantilla adſtrictione, qua ventrem leniter ſiſtit. Propter exſiccantem facultatem Dyſentericis, cœliacis, & diarrhœa laborantibus in tuſſi, in hecticis ſtribus, & faucium ulceratione utilis eſt applicatio Oryzæ.

Ptiſanam *Itali ex* Oryza, *ut alii ex* Hordeo *conficiunt; ex granis repurgatis & à cortice denudatis, ut nobis venalis habetur, unde quidam* Oryzæ Ptiſanam *appellant.*

Uſus univerſis prope gentibus tam Europeis quam Africanis familiaris eſt, & in cibum ac potum venit. Quibuſdam in locis, non ſolum in Indicis terris ſiccioribus, ſed in Luſitania etiam, ubi difficultas annonæ prævalet, Oryza in pulmentum toſta utuntur.

Placentæ ex Oryza, additis Saccharo & aridis Amygdalis, pinſitæ, avide expetuntur.

Apud Turcas magno eſt in uſu, qui in juſculis coquunt, diuque ebullire ſinunt, (nullo modo agitantes) ad tantam denſitatem, ut digitis elingere poſſint.

Europeis in pinguium carnium jure, aut cum Amygdalarum dulcium cremore, vel cum lacte vaccino decoquitur; hunc in modum parata, bonum corporis habitum, bonumque colorem affert; pinguedinem ſemenque genitale auget.

Pultes *variæ ex Oryza confectæ, butyro ſaccharo & aromatis additis, in cibum plurimarum gentium veniunt. Oryzæ grana madefacta, tenera, mire intumeſcunt & ſpiſſeſcunt; ſuavem ſalubremque diætam præbent.*

Potum *quoque multis in locis ex Oryza, uti nos ex Hordeo, conficiunt. Apud Peruanos* Acua *appellatur. Alii aquam exinde extrahunt, (quibuſdam* Arack *nominatam) quæ vino certare poteſt, quæque copioſius hauſta inebriat, caputque premit vertigine.*

PLANTÆ

PLANTÆ CULMIFERÆ

Jubis ſparſis.

CAPUT XVI.

Avena, Bromos, & Ægilops.

AVena *Plin. l.* 18. *c.* 17. *quaſi advena, quia non ſata nec expectata apparet; vel Avena dicitur quaſi vana, quod parum boni in ſe habeat. Et Avena ab aveo, quod pecudes, præſertim equi, edere aveant.* Βρῶμος *forſan à* βρῶμα *quod cibum ſignificat, edulium, eſcam; nam nonnulli hujus pulte vivunt.*

Avena culmifera Planta eſt, juba ſive panicula ſparſa, ſemina longa anguſta, in ſingula locuſta bifida, continente.

TABULA XVI. SECT. VIII.

Avena
- *ſativa*
  1. *Vulgaris ſive alba, C. B. P. Theat.* 470. *J. B.* 432. *Avena veſca, Park. Hujus varietas major è Polonia habetur.*
  2. *Fuſca ſeu rubra, ex agro Staffordienſi.*
  3. *Nigra, C. B. P. Theat.*
  4. *Nuda, C. B. P. Theat. J. B. Dod. Lob.*
- *ſylveſtris*
  5. *Piloſa ariſtis recurvis, Nobis. Feſtuca dumetorum utriculis lanugine flaveſcentibus, Ægilops Dioſcoridis, C. B. P. Theat.* 149. *Ægilops quibuſdam ariſtis recurvis, ſive Avena piloſa, J. B.* 433.
  6. *Braſilienſis piloſa, Nobis. Gramen avenaceum Braſilienſe piloſum, Marcgr.*
  7. *Madraſpatenſis ariſtis tribus donata, Nobis. Gramen avenaceum Madraſpatanum panicula ſparſa ariſtis longioribus armata, D. Pluk. Phyt.* 191.
  8. *Luſitanica ſpicata, caput Meduſæ referens. Gramen caput Meduſæ referens Luſitanicum, Tournefortii.*
  9. *Auſtriaca capillaceo folio, ariſtis longiſſimis pennatis, Nobis. Gramen ſparteum pennatum, C. B. P. Theat.* 71. *Spartum Auſtriacum pennatum, Cluſ. Hiſt.* 221.

1. Avena *vulgaris ſeu alba, C. B. P. Theat. J. B. Avena veſca, Park.* Hanc Plantam, ſi *radiculas* fibroſas, *culmos* geniculatos, *foliaque* graminea ſolummodo conſideraveris, difficulter admodum à reliquis frumentaceis diſtinguere potueris; ſin *Paniculam* contuearis, diſcrimen facile deprehenderis. *Panicula* enim tremulis ſtaminibus, *glumis* geminis laxioribus hiantibuſque inſignibus donata, ad inſtar *jubæ* explicatur. *Grana* quoque gemina, oblonga, alba, *glumis* corticibuſve duris, haud facile deterſis nec niſi mola attritis, involvuntur. *Granorum* alterum habitius binas habet *ariſtas*, è fundo ſeminis lateraliter naſcentes; utrumque glumis durioribus detritis villoſum evadit.

In Aſia frequentiſſima eſt Avena, an ſponte naſcens jam latet. In frigidioribus regionibus quoque abunde vere ſeritur, & cum primis cerealibus matura fit.

Magna eſt inter doctos controverſia, quid ſit Avena, *quid* Bromos, *quid* Ægilops, *quid denique* Feſtuca; *de quibus volumina exſtant integra.* Βρῶμος *nomen eſt Græcum Avenæ appropriatum, & inter grana mitiora refertur.* Ægilops ὁ αἰγίλωψ *quantum colligere licet, ſylveſtre, immite, & deciduum granum eſt.* Feſtuca *aliis ariſtatis tribui poſſit, cum ſit minima quæque res & leviſſima herbæ pars parvi momenti, unde &* Avenæ, *præſertim ſylveſtres,* & Gramina avenacea Feſtucarum *titulum apud nonnullos obtinuerunt.*

Avena *fuſca ſeu rubra,* non alia re quam *ſeminibus* ab antecedenti dignoſcitur, quæ quidem turgidiora in hac ſunt, coloris fuſci aut ad rubedinem tendentis, & Agricolis Staffordienſibus frequenter ſata, & bene nota ſunt.

Hujus notitiam D. D. Plot debemus, qui Hiſtoriam naturalem Comitatus prædicti concinnavit.

3. Avena *nigra, C. B. P. Theat. J. B.* Hæc ſeminum colore à reliquis præſertim differt; quæ cum à ſatione invariabilia ſint, ſpeciei diſtinctæ eſſe putantur.

4. Avena *nuda, C. B. P. Theat. J. B. Dod. Lob.* Minor aliquantulum eſt hæc planta. *Juba* pediculis brevioribus donata, compactior & erectior apparet. *Semen* pallidum oblongum, avenaceæ farinæ ſimile, trituratione leviſſima glumas paleaceas deponens, nudum & decorticatum cernitur.

Variis in Angliæ locis ſeritur, uſumque habet in re domeſtica adminiſtranda ſatis inſignem.

5. Avena *ſylveſtris piloſa ariſtis recurvis, Nobis. Feſtuca dumetorum utriculis lanugine flaveſcentibus, Ægilops Dioſc. C. B. P. Theat. Ægilops quibuſdam ariſtis recurvis, ſive Avena piloſa, J. B. Ægilops bromoides Belgarum, Lob.* Hujus *folia, culmus,* & *ſpica,* Avenam veram æmulantur, niſi quod *pediculi* ſint pauciores, & proinde *juba* laxior appareat. *Glumæ* etiam parum diſſimiles, latiores tamen, quibus *grana* frequenter bina, oblonga, fulvi coloris, pilis flaveſcentibus & lucentibus obſepta. Ex ima granorum parte binæ enaſcuntur ariſtæ, duas uncias longæ, quæ circa medietatem uti locuſtæ ſylveſtris crura, incurvatæ ſunt.

In agris hordeaceis aliiſque nimis frequens reperitur, unde illud Virgilianum: Infelix Lolium & ſteriles dominantur Avenæ. *Hujus ſemina prius quam cæteræ fruges matura, cito decidunt, & cornea materia non putrefacta, anno vertente, ſecunda, imo & tertio germinant, ita ut terra ab hac peſte raro liberetur.*

6. Avena *ſylveſtris Braſilienſis piloſa, Nobis. Gramen avenaceum Braſilienſe piloſum, Marcgrav.* Ex *radice* capillata multi prodeunt *caules* teretes, tenues, ſpithamam alti, ad terram unico *foliolo* gramineo, acuto, veſtiti; ex quo tanquam vagina prodit *caulis*. Summitatem autem caulis in orbem circumſtant ſeptem *foliola* anguſta, acuta, duos circiter digitos longa, viridia quidem, ſed qua parte exorta ſunt interius albiſſima. In horum foliorum medio aliquot *granula* inſtar Avenæ ſibi invicem ſunt appoſita; in quibus *ſemen* latet. *Caulis* & folia *pilis* albis & mollibus veſtiuntur. *Marcgrav.*

7. Avena *ſylveſtris Madraſpatenſis, ſeminibus ariſtis tribus donatis, Nobis. Gramen avenaceum Madraſpatanum panicula ſparſa ariſtis longioribus armata, D. Pluk. Phyt.* *Folia* huic anguſta ſunt & graminea. *Culmus* geniculatus, aliarum culmis gracilior, in ſummo *paniculam* gerit dodrantalem, pediculis biuncialibus & uncialibus ſparſam, quibus naſcuntur *ſemina* longa, avenacea, ſingularia, ut plurimum dichotomum ordinem obſervantia, *glumis* foliaceis ſubluteis incluſa. Sed quod in hac notatu dignum eſt, ſemina ipſa glumis involuta, ternis *ariſtis* capillaribus & acutis, biuncialibus, in modum Muſcæ tripliciter caudatæ, *Tripilii* vulgo *May-Fly* appellatæ, terminantur.

Ex India Orientali ab amiciſſimo D. Gifford accepimus.

8. Avena *Luſitanica ſpicata, caput Meduſæ referens. Gramen caput Meduſæ referens Luſitanicum, Tournefortii.* Clariſſimus iſte Botanicus & Plantarum rariorum ſingularis inveſtigator novam hanc in peregrinationibus ſuis detexit. *Folia* ſunt graminea. *Culmus* erigitur rectus, ratius geniculatus, qui *ſpicam* biuncialem, primo aſpectu quaſi ſecalinam, ſed ex longis ſeminibus avenaceis compoſitam ſuſtinet; ad quorum ſinguli ſedem ſeu appoſitionem terna *foliola* anguſta, & ariſtata triuncialia naſcuntur; (è ſeminis apice conſimili folio ariſtato unico excreſcente) quæ quidem extenſa, incurvata, & promiſcue ſparſa, caput Meduſæ, quemadmodum vulgo apud Poetas repræſentatur, aliquomodo referant.

Raræ hujus Plantæ notitiam humanitati peritiſſimi D. Sherard, à prædicto D. Tournefortio ei tranſmiſſæ, debemus acceptam.

9. Avena *perennis Auſtriaca capillacea, ariſtis longiſſimis pennatis, Nobis. Gramen ſparteum pennatum, C. B. P. Theat. Gramen pennatum, aliis ſpartum, J. B. Spartum pennatum, Cluſ. Hiſt, Gramen pinnatum, Dalechamp.* *Radix* cirris capillaribus fibrata eſt. *Folia* pedalia gracilia, ex anguſtis teretia, numeroſa exeunt. *Culmi* graciles, foliorum faſtigium non ſuperantes, vix *ſpicam*, ſed ſemina tria quatuorve proferunt anguſta, longa, avenacea, ad quorum mucronem oritur *ariſta* dodrantalis aut pedalis, erga ſemen contorta, pennata aut plumoſa, alam avis *Manucodiatæ* ſive *Paradiſi* vulgo nuncupatæ, pennulis repræſentans. *Semen* maturum Junio menſe, vel leviſſimo auræ flatu excutitur, atque cum ſua pennula paululum volans, ubi decidit ſtatim per Gramen irrepit & terra ſe condit.

Provenit in aridis & apricis Auſtriæ & Hungariæ locis, & in monte Badenſibus thermis imminente, totaque illa catena montium qui inde ad Danubium uſque procurrunt.

Avenæ Vires & Uſus.

Avenæ ſemen calidum mediocriter deſiccat & digerit. In equorum pabulum, & ad anſeres gallinaſque paſcendas, copioſe ſeritur. Ad alimentum humanum plurimum confert. Ex ejus farina optimæ & variæ pultes & ſorbitiones conficiuntur. Juſcula avenacea ſucceſſerunt hodie cremori Ptiſanæ in morbis chronicis, tam pro nutritione, quam temperandis ſuccis acribus effervescentibus, unde in aſperitate faucium uſurpari ſolent. Grana mola decorticata integra Grote *Saxones vocant; nobis* Grotes *appellantur, & in obſoniis coctis & botulis frequenter in uſum veniunt. Ita ex avena leviter tuſa edulium fit quod vulgus* Grualdum *appellat, quo & divites & pauperes frequenter utuntur, Medicique ſaluberrimum pronunciant, ſtomachiſque imbecillibus idoneum.*

Panes *quoque &* Placentæ *ex Avena plurimis regionibus conficiuntur; à quibuſdam vero, ob amaritudinem, ingratumque ſaporem rejiciuntur: alvi profluvia ſanant; & bene nutriunt.*

Cereviſiam *quoque ex Avena conficiunt & magnæ Britanniæ incolæ, aliique, & tanquam nulli ſecundam exiſtimant; ſpiritu abundat, & ebrietatem parit. Aqua vitæ quoque exinde ſatis fortis extrahitur.*

Avena quoque in medicina venit; calefacta enim & ſacculo incluſa, contra tormina abdominis uſurpatur. Tuſſientibus ſuccus ſorbitione prodeſt, Dioſc. vim enim quæ humores ex thorace & pulmone purget & educat, haud minorem quam ptiſana, forte & aliquanto ſuperiorem obtinet. Cataplaſmatis in modum adhibita deſiccat & digerit, mediocriter ac ſine morſu. Ad dolorem nephriticum mitigandum Avena cum baccis Juniperi ſacculo inditur, & calida parti affectæ applicatur. Syrupus Lutheri ex juſculo avenaceo adverſus cholicam præſcribitur. Plura de Avenæ uſibus apud S. Paulum, Caſp. Bauhinum, alioſque occurrunt.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Jubis ſparſis.

CAPUT XVII.

Feſtuca, Gramen avenaceum.

FEſtuca, *ut ante dictum, eſt leviſſima plantæ pars, cito areſcens, & pro ariſta accepta; qua cum ea, de quibus ſermo, abundant, per Synecdochen Feſtucæ appellantur.*

Gramen avenaceum ſparſa ut plurimum panicula, glumis avenaceis vacuis, ſeminibus non adeo prægnantibus, donatur. Glumarum autem quædam ariſtis brevioribus, aliæ muticis præditæ ſunt.

TAB.

TABULA XVII. SECT. VIII.

- *Festuca graminea*
  - *annua*
    - 10. *Sive Ægilops capitulis duris, C. B. P. Theat. 151. Festuca sive Ægilops Narbonensis, Lob. Park. Festuca Italica, Ger.*
    - 11. *Sterilis elatior sive Bromos Dioscoridis, 7. C. B. P. Theat. 146. Ægilops Matthioli forte, J. B. 439.*
    - 12. *Sterilis humilior, C. B. Theat. 148.*
    - 13. *Sterilis pediculis brevioribus & spicis erectis.*
  - *perennis*
    - 14. *Longissimis aristis glumis vacuis, C. B. T. 144. Magnol.*
    - 15. *Sive Gramen avenaceum maximum utriculis cum lanugine alba & aristis longissimis, Magnol.*
- *Gramen avenaceum locustis*
  - *majoribus*
    - 16. *Segetale majus, Nobis. Festuca altera, Dod. Gramen du Gros Montbelgardense, J. B. 438.*
    - 17. *Spica birsuta ad Gramen du Gros accedens, J. B. 438.*
    - 18. *Pratense locusta squamata & villosa, Nobis. Gr. avenaceum squamosa gluma, Park.*
    - 19. *Pratense squamosa gluma tenuiore glabra, Nobis. Gramen avenaceum pratense, Park.*
    - 20. *Glabrum panicula purpureargentea splendente, Raii. Ægilops Bromoides juba purpurascente, J. B. 436.*
    - 21. *Humilius erectum foliis angustioribus glabris, Nobis. Gramen avenaceum murorum erectum, Park.*
    - 22. *Humilius erectum foliis latioribus hirtis.*
    - 23. *Siculum multiplici panicula spicis ab eodem exortu geminis, D. Pluk. Phyt. An Festuca junceo folio spica gemina, C. B. P. T. 145. 67. Prod. J. B. 544?*
    - 24. *Madraspatense cum pluribus spicarum paribus ad summum caulis velut in verticillos positis, D. Pluk. Phyt.*
    - 25. *Incanum, Park. Festuca pratensis lanuginosa, C. B. P. 68. Prod. Theat. 148. J. B. 544.*
    - 26. *Dumetorum majus glabrum paniculatum, Nobis. Gr. avenaceum dumetorum spica divisa, Raii.*
    - 27. *Dumetorum majus birsutum paniculatum, Nobis. Gramen bromoides maximum hirtum, Park.*
  - *aristatis*
    - 28. *Sive Festuca dumetorum angustissimis & pilosis foliis, C. B. Theat. 148.*
    - 29. *Paniculatum Gallo-Provinciale Aquilegiæ semine, Schol. Bot. Par. An Festuca graminea nemoralis latifolia mollis, C. B. P. Theat. 144. J. B. 479?*
    - 30. *Glabrum panicula è spicis rarís strigosis composita, aristis tenuissimis, D. Doody.*
    - 31. *Paniculatum rigidis angustis foliis, Nobis. Festuca junceo folio, C. B. Theat. 145. J. B. 489.*
    - 32. *Sive Festuca graminea arvensis minor, C. B. Theat. 148.*
    - 33. *Dumetorum elatius latiore folio spicatum, Raii H. 1262.*
    - 34. *Dumetorum angustiore folio spicatum, Festuca dumetorum, C. B. Theat. 148.*
    - 35. *Madraspatanum locustis rarioribus turgidulis aristis brevibus donatis, D. Pluk. Phyt. 191.*
  - *minoribus*
    - 36. *Madraspatanum locustis tenuibus oblongis densius stipatis.*
    - 37. *Elatius juba longa splendente, Raii. An Festuca graminea effusa juba, C. B. P. Theat. 144. J. B. 479?*
    - 38. *Elatius radice tuberculis prædita, Nobis. Gramen nodosum avenacea panicula, C. B. P. 3. Prod. Theat 18. Gramen nodosum, J. B. 456.*
    - 39. *Gemmea radice seu nodosa minor, Nobis. Gramen gemmeum sive nodosum alterum, C. B. Theat. 19. J. B.*
    - 40. *Lanuginosum ramosum, C. B. P. Theat. 157. Gramen glumosum, Dal. J. B. 464.*
    - 41. *Panicula sparsa speciosa, locustis minimis.*
    - 42. *Panicula flavescente, locustis parvis, Raii.*
    - 43. *Murorum spica longissima, Ger. emac. 29. Gramen spica nutante longissima, Park. 1162.*
    - 44. *Bromoides minus paniculis aristatis unam partem spectantibus, Raii.*
    - 45. *Montanum lanuginosum, C. B. P. & Theat. 156. Gramen cum locustis parvis candidis, semine avenaceo, J. B.*

muticis
- 46. *Arundinaceum aquaticum, D. Doody. An Gramen avenaceum paniculis longissima, Raii H.* 1291?
- 47. *Sive Festuca avenacea spicis strigosioribus è glumis glabris compactis, Raii,* 1909.
- 48. *Montanum locustis rubris, C. B. P.* 17. *Prod. Theat.* 154. *Gramen avenac. locustis rubris, Park.* 1151.
- 49. *Locustis rarioribus, C. B. P. Theat.* 155. *Gr. avenaceum rariore gluma spicatum, Park.* 1151.
- 50. *Majus locustis rarioribus Virginianum.*
- 51. *Capillaceum minoribus glumis, C. B. P. Theat.* 155. *Gramen nemorale avenaceum alterum ex fusco xerampelinum lucidum Danicum, J. B.* 463.

10. Festuca *sive Ægilops capitulis duris, C. B. P. Theat. Festuca sive Ægilops Narbonensis, Lob. Ægilops, Anguillar. Secunda Matth. Festuca Italica, Ger. Radice* est fibrosa, alba, pusilla, ut pene omnes hujus seriei. *Culmos* tenues geniculo uno aut altero recurvo distinctos, dodrantales aut pedales profert. *Foliis* est Hordei minoribus, mollioribus, paucis, per latera pilosis. In culmorum fastigio *spicæ* parvæ ex duobus aut tribus capitibus duris, utriculisque striatis, compositæ. *Utriculus* corticosus, semen includens, in aristas compressas, unciales, decem aut duodecim definit. Semine perfecto radix perit.

In Galliæ Narbonensis, Italiæ, & Siciliæ agris, inter segetes triticeas & hordeaceas, æstuosis & glareosis marginibus frequenter occurrit.

11. Festuca *avenacea sterilis elatior, seu Bromos Dioscoridis, C. B. P. Theat. Ægilops Matthioli forte, J. B. Bromos herba sive Avena sterilis, Park. Bromos sterilis, Lob. Culmi* multiplices ex eadem *radice* fibrosa, cubitales, geniculati exsurgunt, & *folia* lanugine pubescentia, mollia, Avenæ angustiora, plurima. Ex *jubæ* seu paniculæ geniculis per intervalla proveniunt *pediculi* graciles, imbecilles, biunciales & triunciales, quibus dependentes *spiculæ* tenues, unciales, è glumis longis, angustis & aristatis compositæ adnectuntur.

Ad agrorum margines, inter segetes, ad vias & muros, satis est obvia.

12. Festuca *avenacea sterilis humilior, C. B. T. Lolii quintum genus, Trag.* Antecedenti in omnibus minor est, ut *C. Bauh.* refert. An quantitas contracta solo debeatur necne quærendum.

13. Festuca *avenacea sterilis, pediculis brevioribus & spicis erectis.* Priori convenit. Ad pedalem aut circiter altitudinem assurgit. Quoad *folia*, modum crescendi, spicularumque aristatarum formam, vulgari similis; *petioli* vero spiculas sustinentes breves sunt. *Spica* ipsa cum *aristis* erecta & compacta cernitur. Frequenter subfusci coloris est.

Natale solum ignoramus. Præclarus D. Sherardus attulit.

14. Festuca *graminea longissimis aristis glumis vacuis, C. B. P.* 64. *Prod. Theat.* 144. *J. B.* 479. *Radice* est fibrosa; *culmis* pedalibus, geniculatis, ad radicem lanugine pubescentibus; *foliis* paucis brevibus, angustis. *Spicas* habet oblongas, ex tenuissimis & oblongis filamentis dependentes, quarum *glumæ* oblongæ aristis armatæ, partim virides, partimque spadiceæ sunt & vacuæ.

In hortorum muris & juxta sepes circa Monspelium passim reperitur; & quia glumæ quovis vento agitari solent, Tremula vocatur.

Aliquando *glumis paucioribus, & aristis longioribus, iisque recurvis, in agris reperitur, & Festuca Graminea aristis recurvis nominari possit. C. B.*

15. Festuca *sive Gramen avenaceum maximum utriculis cum lanugine alba, & aristis longissimis, D. Magnol. Cat. Monsp.* *Radices* fibrosæ sunt, è quibus plures *culmi* bicubitales, nodis distincti oriuntur, *foliis* angustis vestiti. *Spica* avenacea est, cujus *utriculi* oblongis pediculis insidentes, lanuginem albam habent, & longissimis *aristis* donantur. Ipsæ aristæ sesquipalmares sunt, & dum siccantur, in modum spiræ convolvuntur.

Maio mense invenit Cl. Magnol. cum spicis, in sylvæ Valene locis herbidis, præcipue circa Caravettes.

De aliis Festucis dictis.

Festuca *utriculis lanugine flavescentibus, C. B. P. & Theat. Ægilops bromoides Belgarum, Lob.* Vide Avena pilosa.

Festuca *graminea glumis hirsutis, C. B. P. & Theat. Festuca altera, Dod.*

Festuca *graminea effusa juba, C. B. P. & Theat.*

Festuca *junceo folio, C. B. P. & Theat. J. B.*

Festuca *junceo folio, spica gemina, C. B. P. Theat. & J. B.*

Festuca *gramine arvensis minor, C. B. P. Theat. Sexta Thalii, J. B.*

Festuca *dumetorum, C. B. P. Prod. & Theat. J. B.*

Festuca *dumetorum angustissimis & pilosis foliis, C. B. P. Theat. J. B.*

Festuca *graminea nemoralis latifolia mollis, C. B. P. Theat. J. B.*

Festuca *avenacea spicis strigosioribus è glumis glabris compactis, Raii.*

Cum Auctores Festucæ characterem minus accurate constituerint, quæ nisi aristis longis sit non ita appellari debet, & hæ jam nominatæ aristis brevibus donatæ sint; ad Gramina avenacea succedentia nos ablegavimus.

Festuca *longissimis aristis, C. B. P. & Theat. Ægilops bromoides, Tab. Ger.* Vide Gramen sparteum cap. sequenti.

16. Gramen *avenaceum locustis majoribus squamatis segetale majus, Nob. Festuca altera, Dod. Festuca graminea glumis hirsutis, C. B. P. Theat.* 143. *Gramen du Gros Montbelgardense, J. B. Gramen murorum, Dal.* Hujus *culmi* cubitales & bicubitales, geniculati, striati, Tritici tenuiores sunt; circa quos *folia* oblonga, latitudine triticea,

cea. *Paniculas* habet è culmorum verticibus, primo erectas, deinde pendulas, craſſas, *locuſtis* uncialibus, modo longioribus, modoque rotundioribus, veluti per ſquamas diſpoſitis, arcte conjunctas, *ariſtis* brevibus munitas, quas *pediculi* oblongi, hirſuti, aſperi, per intervalla diſpoſiti, ſuſtinent. Utriculis eſt ſubhirſutis, parvis. *Semen* oblongum, longitudine grani pene ſecalini, ſed anguſtius, tenuius, levius, & aceroſum includitur.

Inter ſegetes in agris frequens locuſtis quandoque hirtis, interdum glabris occurrit. Annuum eſt.

17. Gramen *ſpica hirſuta ad Gramen du Gros accedens, J. B.* Hoc, quod *Nemauſi* naſci inter Triticum refert *Gener Cherlerus*, & ex eo *Jo. Bauhinus*, *radices* habet craſſas, duras, perennes, *ſpicaſque* præcedentis ſimiles, ſed hirſutiores; quibus potiſſimum differt.

In ſatorum marginibus circa Monſpelium copioſe reperitur. Magnol.

18. Gramen *avenaceum pratenſe panicula ſquamata & villoſa, Nobis. Gr. avenaceum ſquamoſa gluma, Park. Gramini murali Dal. ſimile, ſi non idem, J. B.* Gramen hoc hirſutie pubeſcens, molle, in pratis, paſcuis, & ad muros frequenter naſcens, cubitale eſt, *culmis* quatuor quinqueve geniculis diſtinctis. *Panicula* in ſummo, ex locuſtis turgidulis, brevioribus, compoſita, *glumis* ſquamatis, imbricatim diſpoſitis, & *ariſtis* brevibus donatis, frequenter erecta eſt.

19. Gramen *avenaceum pratenſe gluma tenuiore glabra, Nobis. Gramen avenaceum pratenſe, Park.* Antecedenti convenit; minor, humilior, & glabrior eſt planta, *locuſtis* tenuioribus & acutioribus donata, quarum longitudine, pediculorumque tenuitate frequenter dependens cernitur.

In pratis & paſcuis paſſim reperitur.

20. Gramen *avenaceum glabrum panicula purpureargentea ſplendente, Raii. Ægilops bromoides juba purpuraſcente, J. B. Folia* quamplurima, antedictorum longiora, anguſtiora, viridia, ceſpitem conſtituunt. Inter iſthæc autem *culmi* erecti, gracileſcentes, quatuor ut plurimum geniculis diſtincti, cubitales & ſeſquicubitales aſſurgunt, qui *paniculam* erectam ex purpurea ſplendentem, ſuſtentant, è *locuſtis* ſquamatis, primo exortu pertenuibus, oblongis, breviter ariſtatis; ſubinde turgidioribus *petiolis* uncialibus & biuncialibus inſidentibus glabris, compoſitam. Inter harum autem *ſquamas*, dependentes *apiculi* florei crocei, eleganti ſpectaculo menſe Junio cernuntur.

In agris reperitur, præſertim cum Onobrichide vulgo St. Foin dicta copioſe naſci obſervatum. Perennis eſt planta.

21. Gramen *avenaceum erectum foliis anguſtioribus glabris, Nobis. Gramen avenaceum murorum erectum, Park. Gramen avenaceum montanum ſpica ſimplici, ariſtis recurvis, Raii.* Huic *folia* ſunt ad radicem brevia, uncialia & biuncialia, anguſta, glabra. *Culmi* eriguntur graciles, ſingulo geniculo prope radicem tantum donati, pedales & ſeſquipedales. *Locuſtæ* avenaceæ ſpicatim naſcuntur erectæ, argentei coloris, quarum *ſquamæ* glumæve paleaceæ, non ariſtatæ ſunt, ſed ex fundo ſeminis incluſi, ariſta ſingula recurva, ut in Avena ſylveſtri, enaſcuntur.

In muris aridiſque locis montoſis naſcitur.

22. Gramen *avenaceum erectum foliis latioribus hirtis. Gramen avenaceum panicula purpureargentea ſplendente, D. Doody. Foliis* exceptis, antecedenti ſimile eſt, quæ in hoc latiora & hirſuta ſunt *culmum* pene ad ſummum vaginæ inſtar circumvolventia. In ſingulo *utriculo* bina aut terna *ſemina*, totidemque *ariſtas* profert. *Spica* aliquantum laxior eſt.

An gramen avenaceum incanum minus, Park?

In locis montoſis ſaxoſis & ſiccioribus provenit.

23. Gramen *avenaceum Siculum multiplici panicula longa, ſpicis ab eodem exortu geminis, Nobis. Gramen dactylon Siculum, &c. D. Pluk. Phyt.* Peramplum hoc Gramen humanam altitudinem attingens, *folia* profert graminea, aſpera, & latiuſcula. *Calami* triticei oriuntur, variis *geniculis* ad intercapedinem palmarem diſtincti; ad quorum ſingula folium emergit, culmumque amplectitur. *Spica* pedalis aut amplior, *pediculis* oblongis, etiam geniculatis, donata; ad quorum etiam pediculorum genicula, *foliola* ſatis lata naſcuntur, quod huic peculiare videtur. Singulus gracilis *petiolus* in *ſpiculam* geminam uncialem, villoſam, avenaceam, deſinit; cujus *glumæ* non in ariſtas terminantur, ſed *ariſtæ* unciales, fuſcæ, è fundo *ſeminis* incluſi, avenaceo modo naſcuntur.

Hujus exemplar ſatis amplum à Botanico inſigni D. Sherard communicatum habemus.

24. Gramen *avenaceum Madraſpatanum cum pluribus ſpicarum paribus ad ſummum caulis velut in verticillos poſitis. Gramen dactylon Maderaſpatenſe, &c. D. Pluke. Phyt.* Pluribus antecedenti quadrat hoc; *Spica* vero brevior, ex *ſpiculis* quoque bifidis, ariſtatis, confecta.

25. Gramen *avenaceum incanum, Park. Feſtuca pratenſis lanuginoſa, C. B. P. Prod. Theat. J. B.* Ex *radice* capillacea rufeſcente *folia* multa anguſta, pedalia, una cum *culmis* tenuibus, pedalibus, foliaceis, molli & parca lanugine (culmis potiſſimum aſperis) exſurgunt. *Spica* eſt oblonga, anguſta, ex *glumis* oblongis *ariſtis* donatis, compoſita, & quaſi in *paniculam* parvam expanſa.

Baſileæ paſſim in pratis occurrit. C. B.

26. Gramen *avenaceum dumetorum paniculatum majus glabrum, Nobis. Gramen avenaceum dumetorum ſpica diviſa, Raii.* In dumetis, ſepibus, & ſylvoſis, frequenter occurrit. *Folia* longa, gladiata, ſemunciam lata, pallide viridia ſunt, *ſulis* in margine vix viſibilibus, & coſta media eminenti, obſita; reliqua parte glabra. *Culmi* cubitales & bicubitales, ternis, ut plurimum, geniculis diviſi ſunt; qui *paniculam* ex raris tenuibus *pediculis* oblongis confectam & expanſam ſuſtentant; uſque vulgo dependentes adnectuntur *ſpicæ* tenues, longæ, ex *glumis* longis, tenuibus, ariſtatis, imbricatim diſpoſitis, compoſitæ.

27. Gramen *avenaceum dumetorum paniculatum majus hirſutum, Nobis. Gramen bromoides maximum hirtum, Park.* Antecedenti ſimile eſt; *folia* vero utrinque hirſuta ſunt, præſertim pars iſta quæ *culmum* amplectitur, ut idem omnino hirſutus appareat. *Paniculorum* pediculi rariores longius extenduntur, quibus dignoſcitur.

Locis conſimilibus naſcitur.

28. Gramen *avenaceum ſive Feſtuca dumetorum anguſtiſſimis & piloſis foliis, C. B. Theat.* *Radix* eſt albi-

 cans,

cans, ex durioribus *fibris* compoſita; ex qua *calami* aliquot tenues, uno alterove *geniculo* diſtincti, & pene nudi exſurgunt. *Folia* ſunt brevia, anguſtiſſima, lævi mollique lanugine hirſuta. *Culmorum* ſummitate *panicula*, ex *ſpicis* plurimis compoſita, quarum quælibet capillaceo pediculo inſidet, multis *glumis* ariſtatis & candicantibus conſtans expanditur.

Baſileæ, in dumetis circa Clyben reperitur. C. B.

29. Gramen *avenaceum paniculatum Gallo-Provinciale Aquilegiæ ſemine, Schol. Bot. Par. An Feſtuca graminea nemoralis latifolia mollis, C. B. Theat. J. B.?* *Folia* inter Gramina latiſſima ſunt & viridia, multa ad *radicem* congeſta. *Culmis* & *panicula*, extenſis ſuis *pediculis*, vulgari noſtro dumetorum, haud multum abſimile eſt; *ſpicis* eſt avenaceis; quæ maturæ tritæ, *ſemina* demonſtrant oblonga, lucida, in medietate extuberantia, & textoris liciatorii forma ad utramque extremitatem acuta.

Hoc etiam munificentiæ prædicti D. Sherard debemus acceptum.

30. Gramen *avenaceum glabrum panicula è ſpicis raris ſtrigoſis compoſita, ariſtis tenuiſſimis, D. Doody.* Hoc a Botanico erudito *D. Doody*, Pharmacopœo Londinenſi peritiſſimo, nec non Horti Botanici Chelſeiani Præfecto collectum, *foliis* glabris & *paniculis*, antedictis hujus ſeriei convenit. *Petioli* extenſi, *ſpiculas* ſuſtinentes, per intervalla exeunt; quibus *locuſtæ* ſimplices, tenuiores, rarius ſunt diſpoſitæ. Locuſtarum quælibet in *ariſtam* ſimplicem capillarem, omnium tenuiſſimam, è *ſemine* paleaceo non è *glumis* orta, terminatur.

Fulhamiæ inter Thameſim & palatium Epiſcopale primo reperit D. Doody; exinde aliis ſepibus & ſylvoſis humidis obſervatum eſt.

31. Gramen *avenaceum paniculatum rigidis anguſtis foliis, Nobis. Feſtuca junceo folio, C. B. P. Theat. J. B.* E *radice* dura, *fibris* tenacibus affixa, *folia* pauca, anguſta, quæ præ ſiccitate juncea & convoluta apparent, ſemicubitum longa, exſurgunt, ut & *culmus* cubi alis qui in *paniculam* avenaceam, ſed anguſtiorem, albam, deſinit; quæ quidem panicula ex oblongo *folliculo* (à folio conſtituto) paniculam longe ſuperante prodit. *Glumæ* raræ *ariſtis* argenteis donantur.

In Valeſia, ad urbis Sedunenſis paludem, copioſe provenit.

32. Gramen *avenaceum ſive Feſtuca graminea arvenſis minor, C. B. Theat.* 148. Hoc *cauliculis* eſt tenuibus, ſtriatis; foliis brevioribus. In cauliculorum ſummitate *utriculi* quidam parvi membranacei & paleacei, palmi longitudine, racematim dependent de tenuiſſimis & vix viſu perceptibilibus *pediculis*; quorum exteriores *membranulæ* rubent. His autem dehiſcentibus *flos* candidulus emicat.

Paſſim in agris Harciniæ Saxothuringicæ provenit.

33. Gramen *avenaceum dumetorum elatius latiore folio ſpicatum, Raii Hiſt.* *Culmus* cubitalis & altior, gracilis, geniculatus, inferius nonnihil piloſus, ſuperius lævis. *Folia* lata, pallide viridia, ſtriata, piloſa, tractantibus aſpera & aridiuſcula. *Spica* trium quatuorve digitorum, ex pluribus ſpicis partialibus, alternatim ſine pediculo medio ſcapo adnatis conſtans. Sunt autem hæ partiales quas dixi ſpicæ totalem componentes oblongæ, ſtrigoſæ, è plurimis *glumis* ſquamatim incumbentibus, & in *ariſtam* longiuſculam definentibus coagmentatæ.

34. Gramen *avenaceum dumetorum anguſtiore folio ſpicatum. Feſtuca dumetorum, C. B. Theat.* *Culmus* duorum triumve cubitorum, *foliis* oblongis anguſtis cinctus exſurgit, in cujus ſummitate *ſpica* oblonga, è *locuſtis* raris, oblongis, cauli proximis & *ariſtis* armatis, conſtans.

Baſileæ circa Birſam in dumetis reperitur. Foliorum anguſtia differentiam à proxime ſuperius explicati Gramine indicare videtur.

35. Gramen *avenaceum Madraſpatanum locuſtis rarioribus turgidulis ariſtis brevibus donatis, D. Plak. Phyt. Part.* 3. Novum hoc gramen & humile *culmum* profert gracilem, *geniculis* paucis diſtinctum, cui ut in aliis, *folia* adnaſcuntur modice lata, graminea. Summitatem occupant *locuſtæ* tres quatuorve, ſemunciam aut amplius longæ, turgidulæ, è *glumis* foliaceis contextæ, & in *ariſtas* breviſſimas terminatæ, quæ per intervalla ſingulatim *ſcapo* adhærent.

36. Gramen *avenaceum Madraſpatanum locuſtis tenuibus oblongis denſius ſtipatis.* Hoc quod munere præſtantiſſimi Viri *D. Gifford* ex India Orientali accepimus, locis humidis & ſubriguis gaviſum eſſe videtur. *Culmus* geniculatus *foliis* gramineis latis veſtitur. Atque hujus ſummitati *panicula* inſidet palmaris fere cum pediculis tribus aut pluribus, biuncialibus & triuncialibus, non ſe in alios ſubdividentibus, è geniculis extenſis. Iſtis *locuſtæ* quamplurimæ tenues, ex paleaceis & foliaceis *glumis* conſtructæ, cum minutiſſima *ariſta* è medietate cujuſque proveniente, *Serpylli* modo verticillatim adhæreſcunt. Atque ad harum inferiorum appoſitionem *folium* unciale aut biunciale adnaſcitur.

37. Gramen *avenaceum elatius juba longa ſplendente, Raii. An feſtuca graminea effuſa juba, C. B. & J. B.?* *Radix* fibroſa eſt; *folia* longa, anguſta. *Culmus* bicubitalis erectus, tribus interſtitiis *geniculiſque* diviſus eſt. *Juba* ſeu panicula dodrantalis & pedalis eſt, *petiolis* tenuiſſimis (ut ſpicam quaſi conſtituant) donata. Petiolis *locuſtæ* parvæ, paleaceæ, argentei plerumque coloris, & vento flante verſus unam partem inflexæ ſunt. Harum unaquæque bina continet *ſemina*; & *Avenæ ſylveſtris* in modum naſcentes binæ etiam *ariſtæ* breves & recurvæ, è fundo exeunt.

Hæc, ut aliæ pleræque præſertim avenaceæ ſpecies, uſtilagine vitiatur. In paſcuis & ad ſepes ſatis frequens occurrit.

38. Gramen *avenaceum elatius radice tuberculis prædita, Nobis. Gramen nodoſum avenacea panicula, C. B. P. Prod. & Theat. Gramen nodoſum, J. B.* Primo aſpectu antecedenti ſimile videtur; in altum aſſurgens, conſimilique fere panicula, ſed laxiori. *Radix* ex plurimis *nodulis* rotundis, *Avellanæ* magnitudinis, compoſita eſt. *Culmus* plerumque quatuor habet *panicula*. *Spicæ* multo rarius conſpiciuntur, & *locuſtellæ* argenteæ, licet minores, è tenuioribus *glumis* conſtructæ ſunt.

Inter ſegetes & ad ſepes invenitur; eſt non ita frequens ac præcedens.

39. Gramen *avenaceum gemmea radice, ſeu nodoſa minor, Nobis. Gramen gemmeum ſive nodoſum alterum, C. B. P. Theat. J. B.* Prædicti ſpecies eſt, *radicibus* gemmeæ rotunditatis unionum inſtar, candidis, quatuor aut quinque ſimul, ac ſi ſtylo eſſent transfixæ, junctis; *culmis* cubitalibus, geniculatis; *foliis* Tritici; *panicula* ſeu juba milii; *ſeminibus* Avenæ, ſed brevioribus, & tenuibus ariſtis inſtar *Oryzæ*. *Graminis* in modum *radice* propagatur.

Hoc

Hoc circa Patavium in montibus Euganeis C. Bauh. legit.

40. Gramen *avenaceum montanum lanuginoſum, C. B. P. Theat. Gramen glumoſum, Dal. J. B. Radix* fibroſa, repens eſt, unde *culmi* cubitales, tenues, læves, geniculati exſurgunt. In culmorum faſtigio *ſpica* oblonga & nutans, ex *glumis* breviſſimo filamento inſidentibus compoſita, quæ exterius candicant, nec lanuginoſæ; at interiores *utriculi* lanuginoſi ſunt, *grana* nudæ avenæ ſimilia continentes.

Circa Monſpelium ſponte provenire ſcribit Caſp. Bauh. Gramen montanum Avenæ ſemine Cluſius appellavit, qui in umbroſis ſylvis Pannoniæ, Auſtriæ, & Bohemiæ, detexit.

41. Gramen *avenaceum ſparſa panicula ſpecioſa, locuſtis minimis. Radice foliiſque* multis Graminum ſpeciebus non diſſimile eſt. *Culmus* pedalis & ſeſquipedalis, paucis *geniculis* interceptus, *paniculam* gerit palmarem, ſpecioſam ſatis, cum *petiolis* capillaribus, non dependentibus tamen, per intervalla, Graminis pratenſis in modum, extenſis. Iſtis autem ſparſim accreſcunt *locuſtæ* exiguæ, bifidæ, inter avenacea gramina minimæ, cum *ariſta* unica pertenui & eleganti è cujuſque medietate exeunte.

In locis gramineis reperitur, ſed rarius.

42. Gramen *avenaceum panicula flaveſcente locuſtis parvis, Raii. Culmi* plurimi ex eadem *radice* fibroſa oriuntur pedales & ſeſquipedales, tribus *geniculis* ut plurimum diſtincti. *Folia* graminea ſunt, nec latitudine nec longitudine inſignia, molli hirſutie utrinque pubeſcentia. *Panicula* comoſa tres quatuorve digitos longa, ſpicatim aſſurgit, è *locuſtis* quamplurimis, bifurcatis, mollibus, flaveſcentibus, cum *ariſta* brevi è qualibet oriente, compoſita.

In pratis & paſcuis frequens occurrit, & culmis plurimis, coloreque flaveſcente, facile cernitur.

43. Gramen *avenaceum murorum ſpica longiſſima, Ger. Gramen ſpica nutante longiſſima, Park.* Quod *D. Raius* apte his verbis deſcripſit: *Radix* paucis *fibris* tenuibus, rubentibus conſtat, unde exeunt *folia* brevia, anguſta; inter quæ *cauliculi* plures tenues & infirmi, ternis frequenter *geniculis* intercepti, totidemque *foliis* aliorum Graminum in modum, obvoluti. *Spicam* illi in ſummo ſuſtinent ſeſquipalmarem aut ſemipedalem, ſtrigoſam, anguſtam, nutantem, è *ſpicis* prætenuibus, ſquamoſis, *glumis* in oblongas, tenues *ariſtas* deſinentibus compoſitam; cujus ariſtæ verſus unum plerumque latus flectuntur. Annua eſt planta.

In muris ſterilioribus, agriſque ſiccioribus & arvis reſtibilibus reperitur.

44. Gramen *bromoides minus paniculis ariſtatis unam partem ſpectantibus, Raii.* Præcedenti in plurimis congruit; *panicula* præſertim differt, quæ brevior eſt, erecte aſſurgens. *Glumæ* breviter ariſtatæ, majores, unam partem ſpectantes *paniculam* ampliorem oſtendunt.

In arvis ſiccioribus & reſtibilibus & ad muros occurrit.

45. Gramen *avenaceum montanum lanuginoſum, C. B. P. & Theat. Gramen cum locuſtis parvis candidis, ſemine avenaceo, J. B. Gramen montanum avenaceum Cluſii, Park. Ger,* Quaſi ſpicatum apparet hoc Gramen, & *radice* eſt ex multis *fibris* duris, rufeſcentibus, compoſita, ſingulis annis anterius ſerpente, unde *culmi* cubitales, tenues, læves, geniculati, exſurgunt; quos *folia* oblonga, anguſta, palmaria & acuminata, cingunt. In culmorum faſtigio *ſpica* oblonga & nutans, ex *glumis* breviſſimo filamento inſidentibus compoſita, quæ exterius candicant, nec lanuginoſæ; at interiores utriculi lanuginoſi ſunt, *grana* nudæ *Avenæ* ſimilia continentes.

Circa Monſpelium invenitur. In montoſis ſylvis Pannoniæ, Auſtriæ, aliiſque ſponte provenit.

46. Gramen *arundinaceum aquaticum panicula avenacea, D. Doody, qui D. Raio* communicavit, & hunc in modum deſcripſit: Ad tricubitalem altitudinem aſſurgit, *culmo* grandi, arundineo, geniculato, longis internodiis, in cacumine longam non multum ſparſam, ſubinde purpuraſcentem, è ſpicis ſquamoſis muticis compoſitam *paniculam* geſtans. *Folia* anguſtiora quam pro magnitudine plantæ, & longiſſima.

Ad ripas Thameſis fluvii inter Londinum & Chelſeiam obſervavit D. Doody.

Idem conſimile videtur quod à *D. Sherard* in peregrinationibus ſuis collectum habemus; cujus *culmus* ad quinque pedum altitudinem aſſurgens, *medulla* farctus, teres & rigidus eſt. *Panicula* ſeſquipedem longa, anguſta, ex *glumis* avenaceis, muticis & ſubfuſcis purpuraſcentibuſve compoſita eſt; cujus *petioli* per intervalla ſcapo adhærent. *Feſtuca arundinacea maxima montana ſive Neapolitana* ab ipſo appellatur.

47. Gramen *avenaceum ſive Feſtuca avenacea ſpicis ſtrigoſioribus è glumis glabris compactis, D. Dale. Raii Hiſt. p.* 1909. Ad pedalem aut cubitalem altitudinem aſſurgit, *culmo* tenui, tribus aut quatuor *articulis* intercepto, *foliis* anguſtis, oblongis, utrinque hirſutis cincto. *Paniculam* in faſtigio explicat longiorem & anguſtiorem ſeu minus ſparſam, & è paucioribus ſpicis compoſitam quam præcedentis. Sunt etiam ſpicæ ſingulares glabræ & ſtrigoſiores quam illius; alias ſimiles.

In pratis humidis D. Dale obſervavit.

48. Gramen *montanum avenaceum locuſtis rubris, C. B. P. Prod. Theat. Gramen locuſtis rubris, J. B. Gramen avenaceum locuſtis rubris, Park. Culmos* habet cubitales, graciles, geniculatos, *foliis* multis palmaribus, & ſeſquipalmaribus, fere glabris, ſtipatos. *Spica* ſummo culmo ſedens, duarum triumve unciarum longitudine. *Jubæ* aliquatenus ſimiles; *glumæ* rubentes avenaceis ſimiles, muticæ tamen, breviores, craſſiores, læves, tremulis petiolis appenduntur. *Radices* fibroſæ à capite uno pendulæ, in obliquum aguntur.

In montanis umbroſiſque locis in Marchionatu & Richenſtein Baſileenſium Bauhinus legit.

49. Gramen *avenaceum locuſtis rarioribus, C. B. T.* 155. *Gramen avenaceum rariore gluma ſpicatum, Park. Gramen avenaceum rariore grano nemorenſe Danicum, Lob.* Graminis canini modo, per ſummum ceſpitem ſerpente *radice* eſt, *villis* longioribus annexis; *foliis* paucis, oblongis, anguſtis; *culmo* gracili, nitido, ſeſquipedali & bipedali, ſuperne glumis avenaceis brevioribus & rarioribus, alias prioris ſimilibus, donato. *C. B.*

In ſylvis non procul Cronenburgo Lobelius notavit.

50. Gramen *avenaceum capillaceum minoribus glumis, C. B. P. Theat. Gramen nemorale avenaceum alterum ex fuſco xerampelinum & lucidum Danicum, J. B. Culmi* exiles, geniculati, lucidi aut nitidi, pedales & ſeſquipedales, ex fuſco xerampelini, exſurgunt; quibus *paniculæ* longiuſculæ, avenaceæ, *glumis* minoribus donatæ, inſident. Circa culmos *folia* anguſtiſſima, brevia paucaque ſunt.

In ſylvis montoſis & umbroſis, præſertim ſaxoſis in Anglia provenit. In ſylvigeris Daniæ collibus & montibus

tibus Lobelius collegit. Quod & paniculis ramosis observatur. An specifice differant hæ tria gramina quærendum est.

51. Gramen *avenaceum locustis rarioribus muticis Virginianum majus.* Hoc quod è Virginia habemus, antedictis convenit; in omnibus vero majus est. *Culmus* bipedalem aut tripedalem altitudinem attingit, erecte assurgens. *Panicula* dodrantalis paucis longe distantibus *pediculis* se dividit, paucis quoque locustis muticis, avenaceis, iisque appensis, antedictorum triplo majoribus, onusta.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Rigidioribus foliis.

CAPUT XVIII.

Gramen sparteum.

GRamen *sparteum* à similitudine cum genista, quæ Spartum appellatur, dictum videtur. Σπάρτα & σπάρτη funiculi vel lineæ sunt, à σπείρω necto. Eo enim quod horum folia longa sint & tenacia, funiculis, sareis, aliisque texendis, idonea, Spartea appellantur. Sunt vel majora vel minora.

TABULA XVIII. SECT. VIII.

Gramen Sparteum

majus

1. *Bromoides longissimis aristis, Nobis. Festuca longissimis aristis, C. B. P. & Theat.* 152.
2. *Primum panicula comosa, C. B. P. Theat.* 63. *Spartum herba Plinii, Clus. H.* 220.
3. *Panicula brevi folliculo inclusa, C. B. P. Theat.* 66. 2. *Clus.* 220.
4. *Nemorosum paniculis albis, capillaceo folio,* 1. *C. P. B. Prod.* 45. *J. B.* 496.
5. *Setas equinas referens,* 10. *C. B. P.* 32. *in Prod. Theat.* 70. *J. B.* 514.
6. *Madraspatanum crassioribus & brevioribus foliis pungentibus.*
7. *Madraspatanum angustis foliis brevioribus.*

minus

8. *Capillaceo folio, C. B. Prod.* 30. *Theat.* 70. *J. B.* 513. *Gramen sparteum Hollandicum, C. B. P.* 8. *Spartum minimum Anglicum, Park.*
9. *Capillaceo folio Monspeliacum minimum,* 9. *C. B. P.* 31. *in Prod. J. B.* 514.

1. Gramen *sparteum bromoides longissimis aristis, Nobis. Festuca longissimis aristis, C. B. Theat. Gramen Ægilops bromoides, Tab. Ger. Longissimis aristis, J. B.* *Radice* est multiplici fibrosa, ex qua numerosum emergit agmen *foliorum* parvorum, angustorum, junceorum. Inter folia isthæc terni vel quaterni assurgunt *culmi* tenues, cubitales aut sesquicubitales, qui in summitate *spicas* gerunt *glumis* avenaceis similes, sed *aristis* acutis & longis, & frequenter cincinnorum modo crispis, quæ ex membraneo folio velut *utriculo* spicam infera parte complectente prosiliunt, & in unum tantum vergunt latus. *Gluma* seminum sunt vacuæ; decidentibus autem aristis, & ipsa *spica* sicca cum glumis in jubam è tonsilibus cirris contextam, instarque lini pansam dehiscens, tandem vanescit tota.

Arenosis gaudet locis & siccioribus pratensibus; potissimum vero in viis inter Wormatiam & Frankenthal Palatinatus civitatem obvium esse testatur Tabernamontanus.

2. Gramen *sparteum panicula comosa, C. B. P. Theat. Spartum herba, Plin. Clus. Hist. Gramen sparteum Plinii sive sportularum ficuum, J. B. Spartum Plinii, sive Juncus Hispanicus, Park.* Herba est graminea, *folia* proferens numerosa, tenuia, juncea, viridiaque, cubitalis longitudinis, ex eadem *radice* proeuntia, quæ dum novella sunt, latiuscula conspiciuntur, & interiore parte canescentia, decursu vero temporis contrahuntur & convolvuntur, fiuntque juncea, dura, flexibilia tamen, & marginibus ita conjunctis, ut vix rima appareat, nisi diligentius observes. Inter hæc *culmi* exsiliunt ipsis foliis paulo longiores, qui vere & æstate parvam arundinaceam *paniculam* ferunt, simili propemodum ratione, qua & præcedentis panicula, florentem. Deinde oblongum *semen*, quale nonnullorum graminis generum, ostenditur. *Radicibus* nititur fibrosis & perennibus, è quibus multæ simul enascuntur plantæ contiguæ, *Junci* in modum, ut interdum una planta, seu potius multarum congestarum plantarum cumulus, duorum pedum spatium, vel etiam illo amplius, in ambitu occupet.

In Hispaniæ, Lusitaniæ, nec non Africæ oris, variis in locis copiose nascitur; ut totus ille tractus ad Murgim urbem, vulgo Murciam dictam, à veteribus Spartarius campus præ ejusdem copia appellatus fuerit.

3. Gramen *sparteum panicula brevi folliculo inclusa, C. B. P. Theat. Gramen sparteum* 2. *Clus. Hist. J. B. Spartum alterum Plinii, Ger. Spartum Plinii alterum mollius, Park.* *Junco* est molliore & tenuiore, quam antedictum; *panicula* brevi, & *pericarpio* quodam, sive membranaceo folliculo, ficut & *Narcissi* flores se habent, incluso, ad alterum latus exeunte.

Iisdem locis quibus superius, humidioribus præsertim, nascitur. Mense Martio floret.

4. Gramen *sparteum nemorosum paniculis albis, capillaceo folio, C. B. P. Prod. Theat. J. B. Cespitii* instar Gramen hoc existit, & ex *radicibus* capillaceis, *folia* copiosa, viridia, *pilis* tenuissimis similia, pedem longa, emittit. Inter ista autem *culmi* tenues, geniculati, cubitales, aliquando sesquicubitales, pene nudi, in *paniculam* rariorem, albicantem, palmo minorem, ex *glumis* parvis, *aristis* donatis, compositam abeunt.

Basilæ

Baſilæ, in querceto non longe Michelfelda, copioſe creſcit, C. B.

5. Gramen *ſparteum ſetas equinas referens, C. B. P. Prod. Theat. J. B.* Hoc album eſt, & ex *radice* alba, ſetarum inſtar, *folia* cubitos quatuor longa producit, quæ forma, & tenuitate, & robore, *caudam equinam*, ejuſque ſetas referant. Ex iis *Javæ* incolæ tapetia texunt. De *Spica* nihil compertum eſt.

Hujus videtur facta mentio apud Cluſium in curis poſterioribus, ex deſcriptione navigationis Stephani Vander Hagen verſus Guineam.

6. Gramen *ſparteum Madraſpatenſe majus, craſſioribus & brevioribus foliis.* Hujus exemplar ex *India* nobis eſt, quod altitudinem dodrantalem non ſuperat. *Culmus* calami ſcriptorii craſſitie, *geniculis* binis terniſve turgidis donatur; è quibus *folia* proveniunt, quæ ad uncialem longitudinem, lata quadam vagina, marginibus piloſis, culmum amplectuntur; ſed cum à caule migraverint, ſtatim anguſtiora, rigidiſſima, jam contracta, ſatis craſſa, in pungentem mucronem deſinentia, digiti longitudinem non excedunt.

Forte eſt Ily-mullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 143. Cujus *caulibus capitula* inſident rotunda, ex oblongis, viridibus, gramineis, in orbem diffuſis *cauliculis* comformata. Hi ſi verſus inferiores partes ſtringuntur, aſperi ſunt & manibus adhærent. In capitulis, ad exortum cauliculorum, oblongæ, anguſtæ, cuſpidatæ, virides emergunt *ſpicæ*, foliolis involucris conjunctæ; ubi ſe aperiunt, duo emittunt *filamenta* oblonga, albicantia, ruffis apicibus donata. In *caulibus* adhuc alii cauliculi ſpicati conſpiciuntur, qui ex vertice emicant ſpicis ſeriatim obſeſſi.

7. Gramen *ſparteum Madraſpatanum brevioribus foliis anguſtis.* Hoc quoque ex India habemus. Abſque *culmo* aſſurgit. *Folia* ex eadem *radice* punctove orientia, prima extima latiuſcula & breviora, dum alia in medio plurima, anguſta, juncea, rigida, & acuminata, tres quatuorve uncias longa, exiſtant. De quibus, cum *ſpicis* ſint deſtituta, nobis non eſt fuſius differendum.

8. Gramen *ſparteum capillaceo folio minus, C. B. P. Theat. J. B. Gramen ſparteum Hollandicum, C. B. Pin. Spartum minimum Anglicum, Park.* Parva hæc planta è *radice* fibroſa thecas membranaceas tres quatuorve emittit, quibus involvuntur *folia*, (aut eorundem pars inferior) quæ copioſa, capillacea, duas aut tres uncias longa, ad terram reclinantur. *Culmi* tenuiſſimi inter ea aſſurgunt palmares & altiores, erecti, pene nudi, graciles; qui ſuperiore parte duplicem ſeriem *glumarum* ſeu locuſtarum parvarum breviter ariſtatarum, & rarius diſpoſitarum occupant.

In humidis & paluſtribus, ad pedes montium & ſimilibus locis, Julio & Auguſto menſibus cum ſpicis ſuis nitidis, reperitur. An gramen ſparteum juncifolium C. B. non idem ſit quærendum.

9. Gramen *ſparteum Monſpeliacum ſive capillaceo folio minimum, C. B. P. Prod. Theat. J. B.* *Radicem* habet ex *fibris* albis, oblongis, capillaceis compoſitam; *folia* capillacea, uncialia; *culmos* tenuiſſimos, nudos, trium quatuorve unciarum; *paniculas* parvas, ex *locuſtis* minimis compoſitas, & præ maturitate rufeſcentes.

In ſiccioribus ſatorum marginibus frequens oriri teſtatur D. Magnol.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Maximæ.

CAPUT XIX.

Gramina maxima Arundines dicta.

CApite præcedenti, de Culmiferis foliis rigidioribus donatis egimus: ad eas porro quarum culmi rigentes firmiſſimi naſcuntur, accedamus.

Κάλαμος *Græcis. Harundo vel Arundo, Latinis, ab arendo eo quod cito areſcat. Vel forte à ruendo (i. e.) à crepando, & à gravi ſonitu quem emittit vel quando à ventis agitatur, vel igni committitur, aut frangitur. Tengh apud Indos eſt Arundo in genere.*

Arundo inter Graminifolia maxima eſt, & paniculatam comam plumoſam ſeu lanugine alba donatam profert. Vel cava, vel farcta, Europea, vel exotica, eſt. Quædam ſunt exoticæ quæ alios fructus edere feruntur, quarumque ampliorem notitiam in poſterum ſperamus. In remotis calidioribuſque regionibus variæ haud dubio naſcuntur ſpecies, ne nunc quidem nobis cognitæ.

TABULA XIX. SECT. VIII.

- *Arundo*
  - *cava*
    - *Europea*
      - *minor*
        1. *Vulgaris paluſtris, J. B. Arundo vulgaris ſive Φραγμίτης Dioſc. C. B. P. Arundo vallatoria, Lob.*
        2. *Sylvatica major panicula molli candida & ſerici modo lucenti, Nobis. Gramen arundinaceum panicula molli ſpadicea majus, C. B. P. & Theat. Gramen plumoſum, Lob.*
        3. *Plumoſa alba ramoſa, Nobis. Gramen arundinaceum plumoſum album, C. B. P. Theat. J. B.*
        4. *Montana enodis major, Nobis. Gramen arundinaceum enodis majus montanum, C. B. P. Theat. 96. J. B.*
      - *major*
        5. *Sativa quæ δόναξ Dioſc. & Theophraſti, C. B. P. Sativa, Theat. 271. Maxima & hortenſis, J. B. Harundo donax, Park.*
    - *exotica*
      - *minor*
        6. *Scriptoria, J. B. Ger. Arundo ſcriptoria atrorubens, C. B. P. Theat. 273. Harundo minor ſive Elegia, Park.*
        7. *Scriptoria Indica ſpadicei coloris, J. B.*
        8. *Indica, Kerpa dicta, Hort. Mal. Part. 12. p. 85.*
      - *major*
        9. *Laconica verſicolor, Park. Arundo Indica Laconica Theophraſti, Cornuti. Canna de Bengala Luſitanis, Ambroſin.*
        10. *Sive Papyrus quibuſdam folio latiſſimo denticulato, J. B. 486.*
        11. *Arboreſcens tabaxifera, C. B. T. 286. Arundo Indica arborea maxima cortice ſpinoſo Hermanni. Mambu Indorum, Piſ. Ily, Hort. Mal. T. 1. p. 25.*
  - *vaſa ſeu ſarcta*
    - *major*
      12. *Indica altera floribus ſpicatis, Beeſha, Hort. Mal. part. 5. Zivo Brachmanis, Pyl-reet, Belgis.*
      13. *Indica altera internodiis tenuioribus, tertia, ſive Ily ſpecies Malabarens. Nola Ily, Brachmanis, Vaſinola Luſitanis.*
      14. *Indica, Nain-canna dicta, Hort. Mal. Part. 12. p. 139.*
      15. *Maxima atrorubens, C. B. P. Theat. 274. Arundo naſtos ſive ſarcta craſſa & major, J. B.*
      16. *Toxica figurata, J. B. 487. Lob. icon.*
      17. *Indica firmiſſima geniculis turgidioribus, Bambu vulgo dicta.*
      18. *Indica verſicolor, C. B. P. & Theat. 320.*
      19. *Geniculata ſive ſagittalis, C. B. P. & Theat.*
      20. *Indica punicea mollis, C. B. Theat. J. B.*
      21. *Saccharifera, C. B. P. Theat. 293. Park. Arundo ſaccharina, J. B. 531.*
      22. *Indiæ Orientalis ſanguinem draconis manans, D. Hyde, Itin. mundi.*
      23. *Flava, C. B. P. Theat. 276. Arundo naſtos toxica gracilis & plicatilis, J. B.*
      24. *Vallium Ravennæ, Zanoni.*
      25. *Indica erecta, Koddi-pullu dicta, Hort. Mal. Part. 12. p. 107.*
    - *minor*
      26. *Indica fluitans, C. B. P. Theat. 320.*
      27. *Lenta ſarmentis intortis Rotang dicta, Rota Luſitanis, Roting Belgis. Arundo Indica verſicolor flexilis, C. B. P. Theat. J. B. Et Arundo Indica volubilis.*
      28. *Repens ſive Chamæcalamus, C. B. P. Theat. 277. Harundo ramoſa ſive Epigeios Lugdunenſis, Park.*
      29. *Graminea aculeata, Proſp. Alp. Park.*
      30. *Japonica Equiſeti culmo.*
      31. *Syriaca Aromatica foliis ex adverſo ſitis, Nobis. Calamus aromaticus Syriacus, C. B. Theat. Calamus aromaticus verus quibuſdam, J. B. 528.*
      32. *Bononienſis. Canna fiſſa del Fiume Reno di Bologna di Plinio, Zan. 62.*

1. Arundo *vulgaris paluſtris, J. B. Arundo vulgaris ſive Φραγμίτης Dioſc. & κάλαμος Φραγμίτης, C. B. P. Arundo vulgaris, C. B. Theat. Arundo vallatoria, Lob. Dod. Arundo paluſtris, Matth.* *Radices* longe lateque ſerpentes, duræ, albæ, geniculatæ, *calamos* erectos, quatuor quinqueve cubitos altos, geniculatos, pallidos, cavos & (niſi ad *genicula*) fiſtuloſos, parvi digiti craſſitie, quotannis emittunt; *foliis* gladiatis aut miliaceis, unciam unam aut alteram latis, aſperis, alternatim è geniculis orientibus, amictos. In ſummitate *panicula* aſſurgit miliacea, & *Milii* in modum inflexa, primo purpuraſcens, dein præ maturitate *lanugine* tomentoſa candida veſtita, quæ leviſſima aura avolat.

In riguis, foſſis, & ad fluviorum ripas, plurimis regionibus, frequens occurrit.

2. Arundo *ſylvatica elatior panicula molli candida & ſerici modo lucenti, Nobis. Gramen arundinaceum panicula molli ſpadicea majus, C. B. P. & Theat. Gramen plumoſum, Lob.* Huic *radix* tenuis, repens, geniculata & arundinacea eſt. *Culmi* humanam præterpropter altitudinem acquirunt. *Folia* antecedentis longiora & anguſtiora ſunt. *Panicula* in ſummitate anguſtior, *pediculis* brevioribus donata, non adeo laxa nec nutans eſt, ſed erectior, primo ſpadicei coloris, poſt autem tomento candido inſignita ſe Arundinem eſſe demonſtrat.

In ſylvoſis humidis variis in locis reperitur.

3. Arundo

3. Arundo *plumoſa alba ramoſa, Nobis. Gramen arundinaceum plumoſum album, C. B. P. Theat. J. B.* Hæc in Arundinis altitudinem excreſcit. *Radice* & *foliis* eſt arundini ſimilibus; caule anguloſo, albo, qui *paniculam* arundinaceam, tenuiorem, palmarem, albam, mollem, ſplendentem, inſtar ſerici albi, ſuſtinet.

Non longe à Monſpelio circa Perauls & Magelonam reperitur; & in ſabuletis circa montem Cetium legit D. Magnol.

4. Arundo *montana enodis, Nobis. Gramen arundinaceum enode majus montanum, C. B. P. Theat. 96. J. B.* *Radice* eſt oblonga craſſiuſcula, parum fibroſa; *foliis* paucis, anguſtioribus, tenuioribus; *culmis* aliquot erectis, lævibus, geniculis carentibus, triticei culmi craſſitie, cavis, humanam altitudinem æquantibus, qui Junio menſe exſurgunt, Auguſto flaveſcunt, & maturi, duri, firmique fiunt; *panicula* lanuginoſa, tenera & molli, Harundinis vulgaris *jubæ* non diſſimili.

5. Arundo *ſativa quæ δόναξ Dioſc. & Theophraſt. C. B. P. Arundo ſativa, C. B. Theat. Arundo maxima & hortenſis, J. B. Arundo domeſtica, & Canna Hiſpanica, Tab.* Studioſe in varios uſus colitur hortenſis dicta Arundo, multo maxima, haſtam longiſſimam æquans, *calamis* pollice craſſioribus, imo brachialem craſſitudinem adæquantibus, validis, cavis, crebro geniculatis, flaveſcentibus. Comoſa *juba* arundinacea, & *folia* ad colorem glaucum tendentia, vulgarem vallatoriam imitantur, multo tamen majora. *Radix* craſſa nodoſa, *Chinæ* æmula, longe lateque ſub terra vagatur, cujus teneri turiones grata quadam dulcedine eſitari poſſunt.

In Hiſpania, Cypro, aliiſque calidioribus Regionibus, credibile eſt eam ſponte naſci, unde & nomen habet. In Italia, Gallia, & Anglia in Hortis alitur. *Culmi* ampli ſatis, è geniculis, ſecundo, imo tertio anno novos *culmulos* emittunt; quibus deciduis & pereuntibus, duriores & firmiores culmi ſuperſtites fiunt.

6. Arundo *ſcriptoria, J. B. Scriptoria atrorubens, C. B. P. Theat. Harundo minor ſive elegia, Park. Calamus ſcriptorius, an ſyringa? Tab. σύριγξ, Dioſc. Theoph. Radicibus* & *foliis* eſt *Donacis* non abſimilibus; *calamis* concavis, craſſitie indicem digitum, vel potius calamum Cygni æquantibus, octo ſive decem pedum altis, lævibus, ſplendentibus, colore foris atrorubente, intus albo; *geniculis* diſtinctis, altero ab altero plus dodrante diſtantibus, quibus *circuli* albi *faſciolis* ſimiles circumjiciuntur.

In Corcyra Inſula & Græcia, aliiſque humidis & pinguibus terris copioſe reperitur. Apud Turcas quoque, ut nos pennis anſerinis aut cygneis utimur, calami ex iis fiunt ſcriptorii.

7. Arundo *ſcriptoria Indica ſpadicei coloris, J. B.* An eadem quæ à *Rawolfio* memoratur, & apud Sinenſes in uſu eſt? *Craſſitudo* vallatoriæ noſtratis æqua. *Color* foris ſpadiceus ſive ruffus, intercurſantibus ſubinde *maculis* albicantibus politi lævoris, intus albicat. Parietes quam in Phragmite craſſiores aſſuloſe franguntur.

8. Arundo *Indica cava, Kerpa dicta, Hort. Mal. Part. 12. p. 85.* *Radix* geniculata; *caules* rotundi, cavi, duri, & ſtriati, albicantes; *folia* anguſta, longiſſima. In ſuperiori caulium parte plumei conſpiciuntur *glomi*, ex plurimis tenuiſſimis *filamentis* cum *petiolis* compoſiti, qui argenteis, longiuſculis ac glomulatim diſpoſitis *pilis* ſunt veſtiti. *Semina* hiſce filamentis inſident, parva, rufforubra.

9. Arundo *Indica Laconica verſicolor, Park. Arundo Laconica Theophraſti, Cornuti. Canna de Bengala Luſitanis, Ambroſin.* Huic calamus humanæ eſt proceritatis; *folia* uncialis præterpropter latitudinis, venuſte ſtriis albis donata, bipedalis & ſeſquipedalis longitudinis. *Radix* & cæteræ partes Arundinis *donacis* ſimiles.

10. Arundo, *Papyrus quibuſdam folio latiſſimo denticulato J. B.* Hujus *folia* habuit *Jo. Bauhinus*, quorum latitudo eſt quatuor unciarum, longitudo incerta; *craſſities* trium quatuorve foliorum chartæ noſtræ; *textura* fungoſa, pediculorum Nympheæ inſtar, fiſtulis ſimiliter directis, *membrana* utrinque ſtriata, mediocriter lævi, coercitis. Folii *margines* obiter denticulati, nihiloque ſecius medium percurrentem exemptilem coſtam *denticuli*, quidam armant.

11. Arundo *arboreſcens Tabaxifera, C. B. T. Arundo Indica arborea maxima cortice ſpinoſo, Hermanni, Mambu Indorum. Piſ. Arundo Indica, Cluſ. exot. Spodium aut Tabaxir Perſarum, Acoſtæ. Ily, Hort. Mal.* *Radix* albicans & plurimis radiculis ſeu fibris veſtitur, ex geniculis quibus diſtincta eſt. Ex horum autem novis oculis novi prodeunt *caules*, ut in aliis. *Caules* rotundi, cortice viridi muniti, duri & geniculati exeunt è geniculis ſpinas oblongas, rigidas, acutas, ſingularem vel etiam duas pluresve gerentibus, intus fiſtuloſi, fiſtulis ſubtilibus. *Stipites* ad duorum triumve hominum altitudinem ſe erigunt, priuſquam laterales ramulos ſeu ſurculos diffundant, ac craſſitiem ferme unius ſpithamæ obtinent, in medietate uno tantum parvo tubulo pervii; cum vetuſtiores intus cavi, & ad genicula interſepimento lignoſo claudantur. Iidem ſtipites cum vetuſtiores ſint, *calce* quadam in cavitate obducuntur, quæ in uſus medicos ſervatur. *Folia* quæ geniculis caulium breviſſimis *petiolis* inſident, longa, anguſta, ſpithamea ſunt, tranſverſum digitum lata, oblongoſtriata, ab oris aſpera, ſi verſus inferiora ſtringantur. *Flores* in ſpicis ſquamoſis quæ nodulis caulium congregatim inſident, proveniunt, atque ex *ſpicis* apertis tenuiſſima *filamenta* dependent, intra quas ſe deinde recipiunt velut flores ſpicati Oryzæ; ſunt deniqne Tritico ſimiles, niſi quod minores ſint.

Communi lingua *Bambu* eſt arbor naſcens in arenoſis in excelſam altitudinem. Sexageſimo anno à ſatione, ut ferunt, flores fert. Per unum ferme menſem proxime ante florum exortum, primum omnibus foliis ſpoliatur, & poſtquam defloruerit, emoritur.

Incluſus eſt humor lacteus qui *Tabaxir* Arabibus & Avicennæ, *Mambu* Indis eſt; in cujus arundinibus *Tabaxir* conditur ſive *Saccharum*. In Ægypto *Sachar Arabicum*, unde *Saccharum* noſtrum dictum volunt. *Tabaxir* vocabulum eſt Perſicum, quod nihil aliud ſonat quam lacteum humorem. *Avicen. l. 2.*

In portico Horti Academici *Lugd. Bat.* ſuſpenſum hujuſce Arundinis fragmentum viginti octo pedum longitudinem ſuperat, alterumque in Schola Medicinæ apud *Oxonienſes* haud multo minus, cujus diameter ſeptem octove uncias implet. Quin & incredibile eſt, haſce arundines antequam eſſent diffractæ duplo majorem longitudinem obtinuiſſe, cum craſſities unius extremitatis ab alterius craſſitie vix differat.

In univerſo littore Malabarenſi, præcipue juxta Choromandel, necnon Norſingæ Regno ſponte naſcitur, ubi ex ea domos ſuas ædificant, & in varios uſus alios adhibent.

12. Arundo *ſarcta Indica floribus ſpicatis, Beeſha, Hort. Mal. Part. 5. Zivo Brachmanis, Pyl reet Belgis. Bambu d'eſcriver Luſitanis.* Sedecim pedes alta eſt hæc, ramuliſque teretibus, glabris, nodoſis, medulla far-

ctis donata. *Folia* arundinacea antecedentis perquam ſimilia, at glabra ſunt. Ad ramulorum nodos *ſpicæ* proveniunt coniformes, acuminatæ, quibus inſident *floſculi* albicantes, ſtaminei; medium occupante globulo oblongo, è quo ſtylus exit viridiuſculus. Floſculis ſuccedunt fructus oblongoplanorotundi, acuminati, carne intus denſa, albicante, inſipida, referti.

Provenit variis Regni Malabarici locis ſylveſtribus, præſertim in Betsjour, Corremaloer, & Teckenkour.

13. Arundo *Indica altera internodiis tenuioribus, tertia ſeu Ily ſpecies, Malabarenſibus Nola Ily, Brachmanis, Vaſmola, Laſtanis, Bambu gorri.* Antedictis perſimilis eſt, niſi quod *internodia* tenuiora ſint & longiora.

Creſcit in Calicolan & Teckenkour.

14. Arundo *Indica farcta major, Nain-canna dicta, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 136. *Canna ſylveſtris* vocatur hæc, naſcens in arenoſis. *Caules* rotundi ſunt viride diluti, glabri, intus carne fungoſa, inter *filamenta* lignoſa, valde læves. *Folia* longa, acutis oris donata. In caulium vertice *petioli* prodeunt ſpicati, in interſtinctis caulium intervallis, ubi rubeſcunt, iique plures congregati, in orbem diſpoſiti ac oblique ſurrecti, ex *nodulis* rubeſcentibus minores emittentes *ramulos* ſpicatos, plumæ inſtar diffuſi. *Spicæ* ipſæ ex ſpadiceo colore nigricant & nitent, in *penicellis* filamentorum argenteorum, per quæ tranſparent, confitæ.

15. Arundo *farcta maxima atrorubens, C. B. P. & Theat. Arundo naſtos ſive farcta craſſa & major, J. B. Arundo Indica Papyrus antiquorum, Matth. Guiland.* Κάλαμος πύξινος, *Theophraſti. Calamo* eſt recto, craſſo, & robuſto, enodi, lævi, ſplendente, atrorubente, & ſolido.

Ex India & Syria adfertur. Robuſtiores & adultiores ſtolones ſcipionum & fulcrorum Principibus & ſenibus vicem præſtant. Eoſdem etiam Architriclini in aulis Principum argento obductos ferculis præferunt.

16. Arundo *naſtos ſeu farcta toxica figurata, J. B. Lob. icon.* Hæc ad antecedentem accedit, pollicaris aut præterpropter craſſitiei, lævis, adeo dura, ut ſilicis ictu ignis ex ea eliciatur, ſaturati aut fuſci coloris, ferratis impreſſionibus & maculatis notis pallidioribus eleganter inſignita, quæ præ humiditate pluviave in foliorum vagina latente fortaſſe fiunt. Longis *internodiis* donata eſt, & baculorum ſcipionumque vicem optime præſtat, & ob ſoliditatem & lævitatem in pretio habetur.

17. Arundo *Indica firmiſſima geniculis turgidioribus, Bambu vulgo dicta.* Inter majores Arundines habeatur hæc. *Folia* nobis nondum ſunt comperta; in excelſum haud dubio attollitur. Bacula fortiſſima & politiſſima, ſolida & ponderoſa, ferrea pene duritie donata, fuſci coloris, octo pedum longa, nobis ſunt; internodiis pedalibus & ſeſquipedalibus, geniculis turgidioribus firmata, è quorum ſingulo, alterno ordine, ſulcus ſe erigens apparet, qui ramulum è nodo adnatum continebat. Nautæ arundinem hanc ut ſcipionum uſus præſtet ſecum adferunt.

18. Arundo *Indica verſicolor, C. B. P. & Theat.* Hæc arundinibus Hiſpanicis craſſitie ſimilis eſt, paullo tamen tenuior, *medulla* plena, foris *punctis* verſicoloribus notata, haud ſecus ac ſi arte ita picta foret, atque adhuc viridis ad ſtanni modum, aut ſalicis inſtar, lente inflecti poteſt.

In Regno Bengalæ creſcit.

19. Arundo *farcta geniculata ſive ſagittalis, C. B. P. & Theat. Vuba Braſilienſibus, Marcgrav. p.* 4. *Viba Piſ. p.* 50. Hæc & in viginti aut plurium pedum aſſurgit altitudinem. *Caudex* illius rectus; inferius ad trium aut quatuor pedum altitudinem, quaſi lignoſus, durus, reliqua parte ſpongioſus & lævis inferius albicantis flavi coloris, ſuperius plane viridis. Craſſities ejus inferius quatuor aut quinque digitorum, ſuperius digitum auricularem æquat. Verſus inferiorem partem *folia* habet quaſi convoluta, ſuperius recta & plane lævia, atque ex hac fiunt ſagittæ. *Caulis* habet interdum unum alterumve *ramum*. Tredecim aut quatuordecim pedum altitudine à terra, per trium circiter pedum longitudinem veſtitur *foliis* arundinaceis, anguſtis, & pene ſex pedes longis. Supra horum foliorum finem circiter duos pedes rurſus lævis eſt & ſine foliis.

20. Arundo *Indica punicea mollis, C. B. P. Theat. J. B.* Arundo vel Scirpi potius genus, punicei coloris eſt & mollis, quam parumper contortam arcui pro nervo adaptant.

Naſcitur in Regno Congiano, & in Regno Bengalæ ad Gangem fluvium, Hiſt. Ind. Orient. p. 1. *c.* 5.

21. Arundo *Saccharifera, C. B. P. Theat. Park. Arundo ſaccharina, J. B. Radice* eſt craſſa, geniculata, obliqua, atque tranſverſim ſe propagat, Donaci ſimiliter, ſed minus lignoſa, ſiquidem ſuccoſa dulcique medulla plena. Ex hac autem *calami* plures, ſeptem octove pedum prodeunt, pollice multo craſſiores, teretes & flavi, denſis *geniculis*, ſextantis, quadrantis, aut trientis intervallo diſtantibus, interceptis, medulla fungoſa, ſucculenta candida, melleæque dulcedinis farcti, quæ decoctione ſeparatur, & in ſal dulciſſimum cogitur, quod Saccharum vocatur. Ex quolibet *internodio folia* numeroſa, bicubitalia, ſurſum erecta prodeunt, *Arundinis ſativæ* anguſtiora, ſcabra, & ſecundum longitudinem ſtriata, ſtolones amplectentia. *Flos* in ſummitate comoſus, aliquomodo Melicæ ſimilis. Etenim inter miliaceas & arundinaceas plantas media eſt, & ab Arundine *Naſto* vocata in Europa, tantum ſucci dulcedine, craſſitudine, & crebrioribus *geniculis* diſtat. Ex radice *germina* oriuntur, quæ reſecta plantantur; imo etiam taleæ ab ima radice abſciſſæ panguntur. Et Turci fruſtum Cannæ ſucculentum duobus tribuſve internodiis diſtinctum aſſumunt, & per tranſverſum in terram recondunt; atque ita ad quodlibet *internodium* germen acquirit, quod in magnam & altam arundinem excreſcit.

In utraque India reperitur hæc Arundo, & in pluribus calidioribus regionibus, ob uſus præcipuos mercimoniumque eximium aſſidua curatura colitur. Hyemis frigoriſque impatiens eſt.

22. Arundo *farcta Indiæ Orientalis ſanguinem Draconis manans.* Ab *India Orientali* à Mercatoribus petitur, ejuſque ſuccus *Dragons Blood in drops* noſtratibus vocatur; ſubtilior eſt & pretioſior, duplo alio ab arboribus proveniente carior, unde *Dragons blood Cane*; ex *internodio* quatuor pedes longo digitum craſſo orta, flaveſcens. Ex hujus arundinis *nodis* (una cum *foliis*) emergit fructus ad inſtar nucularum, quarum duæ ſpecies; minor figura rotunda, magnitudine *Avellanæ* minimæ; major figura oblonga, magnitudine *Avellanæ* majoris. Utraque autem ſpecies externe multos habet *gibbulos* ſeu ſquamas ad inſtar *bucce* morl. Fracto putamine puriuſculo, intus apparet *nucleus* qualis in ceraſis; revera autem res ita habet: dictus fructus externe tegitur materia quadam rubra, facile friabili, ita ut eam quis digito abſtergere poſſit, quæ tacta chartam aut manus rubedine afficit. Et hæcce rubra materia ea eſt *ſanguinis Draconis* ſpecies ex qua fit vernix qua ciſtæ & pyxides Sinenſes obduci ſolent. Modus autem rubram materiam colligendi, eſt dictum fructum in aqua calida macerare, donec materia illa rubra in fundo vaſis ſubſidet, unde aqua evaporata aut effuſa, dictus *Sanguis Draconis*, cum guttis ſeu fruſtulis concretis, ex fundo vaſis colligitur.

Hujus

Hujus cum aliis non minus rarò Doctiſſ. D. D. Hyde in libello cui titulum fecit Itinera Mundi, nuper edito notitiam debemus acceptam, p. 111. *Apud Bantamenſes ſponte oritur. Tota canna cortice tenui tecta, facile abſterſo, quamplurimis ſpinis acuum inſtar obſita eſt.*

23. Arundo *farcta flava, C. B. P. Theat. Arundo naſtos toxica & plicatilis, J. B. Lob.* Arundo, inquit Rawolfius, à Mercatoribus ex *India* adfertur, valde longa, flexilis, intus farcta, foris lævis & flaveſcens, ejuſdem per totum pene craſſitiei, paucis *geniculis*, longe diſtantibus & vix conſpicuis. Hujus duæ potiſſimum ſpecies major & minor; ex majoribus robuſtiores in ſenum & imbecillium fulcra cedunt; minoribus, quæ tamen aliis forma plane ſimiles, tanquam telis utuntur Turcæ, & ſerico variorum colorum involvunt.

24. Arundo *farcta vallium Ravennæ, Zanoni.* E *radicis* capite magnum *foliorum* ceſpitem emittit, duas circiter ulnas (braccie) longorum, anguſtorum, ut vix duos digitos tranſverſos latitudine adæquent, *nervo* medium percurrente albo, inferius elevato, ſuperne ſulcato, reliquo *folio* læte viridi. *Calami* in quatuor, quinque, imo ſex interdum, aut plurium ulnarum altitudinem aſſurgunt, recti, teretes, ſolidi, & medulla intus alba, ſpongioſa repleti, flexi aut complicati, neque rumpuntur neque finduntur; nodis prope terram imâ parte crebrioribus, ſumma rarioribus, longius diſtantibus, ad dimidiam uſque ulnam. Ad unumquemque nodorum *folium* ſcapum circundat, non tamen eouſque ut margines coeant aut uniantur, parte interna læve, nervoſum, viride, in cervinum poſtea colorem tranſiens. Reliqua pars folii à ſcapo diſjuncta, ubi nodo adjungitur, *lanuginem* multam argenteam obtinet. Externa ejus facies aſpera eſt, *notulis* rubentibus punctata; nervo craſſo, inferne viridi, longitudinem ad apicem uſque percurrente. Sunt autem hujus *folia* longiora & anguſtiora multo quam reliquarum Arundinum vulgarium. Summum *calamum* occupat *juba* aliarum arundinum ſimilis, plumis albis cum purpuraſcentibus mixtis, & in ſummitate florum vice apices flavicantes obtinens. *Radix* craſſiuſcula eſt, tuberoſa, *cortice* exteriore aſpero, tenui, tecta, lignoſa, dura, è qua oriuntur multæ aliæ *radiculæ* craſſiuſculæ, longæ, undulatæ, *fibellis* ſubtiliſſimis capillatæ.
In ſylvis & vallibus Ravennenſibus ſponte naſcens detexit Zanoni.

25. Arundo *Indica farcta minor erecta, Kodi-pullu dicta, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 107. *Radix* nodoſa, duriola; *caules* rotundi geniculati, ſtriati, glabri, ex albedine flaveſcentes, *carne* albicante, fungoſa, ſicca ſtipati; *folia* longa, anguſta ſunt & ſtriata. *Flores* ſpicatim ac condenſi proveniunt, quorum *petioli* pandi, geniculati, ex geniculis novos etiam projicientes *ſurculos* floriferos, parti cavæ internodiorum accumbentes. *Spicæ* cuſpidatæ, rigidiuſculæ & nonnihil pungentes, ad *pedunculos* candidis pilis, quibus poſtea rufeſcunt, veſtitæ, ſed apertæ tenuiſſima ac albicantia filamenta oſtendunt; quorum *apices* oblongi, penduli, crocei ſunt coloris. In ſingulis unicum continetur *ſemen* oblongoanguſtum, quod ſiccum rufeſcit.

26. Arundo *Indica fluitans, C. B. P. & Theat.* Arundineta fluitantia ſive *Trombas* in *Bali Inſula Linſcotus* obſervavit, ut videre eſt in *Hiſtoria Ind. Orient. par.* 3. *c.* 2. & 40. *Et par.* 4. *fig.* 10. pinguntur. Arundines longæ ſeu Algæ in ſalo fluitantes, *par.* 5. *Ind. Orient.*

27. Arundo *Indica lenta ſarmentis intortis. Indica volubilis, C. B. P. & Theat. Rota & Rotang Luſitanis, Roting Belgis dicta. Arundo Indica verſicolor flexilis, C. B. eadem videtur.* Arundinis Indicæ admodum mirabile genus, varie ſe circum arbores vinciens & contorquens in Inſula *Sumatra* reperitur, centum, ducentarum, imo trecentarum & plurium orgyiarum longitudine, ita ut ejus origo, & finis, vix deprehendi poſſit; quod circulis vaſariis conficiendis aliiſque tenacibus valde accomodum eſt. Hæc ad *Cluſii Curas poſteriores* addita ſunt. Funem a natura contortum eſſe credas, in maximam enim longitudinem extenditur, ac veluti funis per terram ac montes prorepit; ſpinis horrida eſt, foliiſque oblongioribus viret; craſſitie vix digitum æquat; lentiſſimum prorſus vimen eſt, maximeque fractioni reſiſtit.

28. Arundo *repens ſive Chamæcalamus, C. B. P. Theat. Arundo humilis rara ac inuſitata, J. B. Arundo tertia in maritimis* ἀπλῶς (*i. e.*) *ſuper terram repens, Cæſ. Arundo ramoſa ſive epigeios, Lugd. Park. Calamus* eſt humi ſparſus, Graminis modo, quod de Arundine epigeio prodit *Theophraſtus*; *cortice* fulvo contentus, lineis ſquamatim cingentibus diſtinctus, *cauliculos* alios multos utrinque producens, denſa congerie ſtipatos, ſimili cortice, ſimiliterque ſquamoſo virgatos, qui rurſum & alios gignunt, prominentium veluti nodorum aut oculorum modo exertos, plures ſuperiore parte qua terram non attingit, pauciores inferiore, qua terræ inſternitur, aſpectu pulcherrima denſiſſima illa tenuium cauliculorum ſurculorumque congerie, cum cæteræ Arundines *folia* tantum hinc inde mittant, nullos autem præterea vel *ſurculos* vel *calamos*. *Folium* noſtræ Arundinis ſimile è *nodis* exoritur, ſed numeroſius multipliciuſque & plures complexu involucrorum per ambitum tunicas inducit.
Hæc Arundo pumila in ſaccis magnis Coſto Arabico & Zinzibere plenis aliquando reperta, veluti rara ac inuſitata hic doctis & Rei herbariæ ſtudioſis ſpectanda proponitur, inquit Auctor Hiſt. Lugd.

29. Arundo *graminea aculeata, Park. Proſp. Alp.* In *Creta* naſcitur in locis humidis ſupra terram ſerpens, miræ quidem longitudinis, multis *ramis* calamos æmulantibus, ab una *radice* exeuntibus, digiti craſſitie, rotundis arundinaceis *geniculis*. Inter calamos medius caudex cæterarum arundinum craſſior eſt. E ſingulis *geniculis folia* utrinque exeunt, inferius lata, & ſuperius gracilia, parva, graminea, dura, ſpinarum modo in duros aculeos definentia. Planta ſterilis omnino, nec *florem*, neque *fructum*, neque *ſemina* producens, obſervata eſt.

30. Arundo *Japonica Equiſeti culmo. Arundo Japonia flava, internodiis breviſſimis, ſurculis nodos ſtellatim cingentibus, Raii.* Rara hæc Arundo nomine *Japan Cane* nobis nota, ex pollicari præterpropter craſſitudine ſenſim & gradatim gracileſcit, *internodiis* plurimis palmaribus & uncialibus diſtincta; quorum media *geniculis* protuberantibus multo ſunt graciliora, dura, omnino ſubflavi coloris. *Genicula* nodoſve oculi plurimi cingunt, quibus haud dubio *folia* Equiſeti in modum ſtellatim adnata fuere. E *ſingulo* geniculo alternatim *ſulcus* ſatis profundus eſt, qui *ramulum* calamulumve inde excreviſſe demonſtrat.

31. Arundo *Syriaca aromatica foliis ex adverſo ſitis. Calamus aromaticus Syriacus, C. B. Theat. Calamus aromaticus verus quibuſdam, J. B. Calamus Indicus odoratus, Galeno & Plinio.* In Malabar *Vaſabu*; in Malaca, *Daringoo*; in Perſia *Heger*; Arabice *Caſſab* & *Aldirixa*. Ex *radice* inutili trium quatuorve unciarum longa ſummo capite nonnihil extuberante, & paucis *fibris* capillata, *caulis* (modo unus, modo plures) fere cubitalis, rectus, rotundus, lævis, fragilis, multis geniculis diſtinctus, exſurgit; qui quidem recens flaveſcit, exſiccatus rufeſcit, nonnunquam minoris digiti craſſitudine, ſubinde & multo gracilior. Hic in plures *ramos* dividi-

dividitur, mox in alios tenuiſſimos, inſtar Liguſtri Ægyptiaci, *Alpini*, ſubdividitur, intus cavus, ſpongioſus & membranula (quaſi tela alba ſubtenſa) Arundinis in modum præditus eſt, qui confractus in multas fiſſuras & ſegmenta aſſulatim diſſilit. *Flores* parvi ſunt foliacei, plurimi, qui ſinguli *pedicellis* ſingulis tenuiſſimis inſident. Ex horum autem medietate *apex* ſtyli inſtar prodit. *Folia* pauca, ſemper bina ex adverſo ad ſingula genicula ſita, caulem amplectuntur, unciam lata, ſeſquiunciam longa; perque horum medium ſecundum longitudinem nervus elatus excurrit. *Caulis* ſapore aromatico, valde amaro, & nonnihil acri, guſtuque muſcoſo.

In paluſtribus in convalle modica prope Libani montem oriri Strabo auctor eſt; aliiſque Syriæ locis naſci Theophraſtus aliique volunt. Ex India ubi ſponte naſcitur, mercimonii gratia advecta eſt, & in Arabiam defertur ut Garcias, Acoſta, aliique affirmant.

De Calamo aromatico verba Cluſ. in Garz. aromatum Hiſtoria, p. 200. accipe. Non minor eſt controverſia inter recentiores Medicos de Calamo & Acoro. Volunt enim nonnulli Calamum officinarum eſſe Acorum veterum; alii malunt Galangam eſſe Acorum. Eam ob cauſam difficile eſt in tanta opinionum varietate aliquid certi ſtatuere. *Calami aromatici* culmi quaſi cum radicibus nobis adveniunt, cujus proximam accipias deſcriptionem: rectum habet *caulem*, multis *nodis* ſeu geniculis cinctum, lævem alioqui, intus concavum, & membranula, uti Harundines, præditum, qui aſſuloſe, quemadmodum *Dioſc.* ſcriptum reliquit, frangitur, eſtque ſatis odoratus, gratique ſaporis, amari tamen, & nonnullius adſtrictionis particeps. *Folia* (ut ex veſtigiis colligere licet) bina ex adverſo, ſingulis *geniculis* ſita, *caulem* amplecti videntur. *Radix* ſummo capite nonnihil extuberat, deinde in fibras definit. *Seritur per univerſam Indiam.*

32. Arundo *fiſſa ſeu farcta Rheni Bononienſis, Zanoni.* Arundo eſt erecta, foliis longis & anguſtis, & internodiis donata, & in plumoſam comam, qualem in Arundine vulgari videre eſt, definit. Nullus ſagittis aptior eſt calamus quam qui in Rheno amne naſcitur, utpote cui plurima ineſt medulla ponduſque volucre, contra flatus quoque pervicax; ſicut & *Jo. Bauhinus Hiſt. pag.* 483. memoravit.

Arundinum varii generis Vires & Uſus.

Arundines *in genere Plinius ex Theophraſt. l. 16. c. 36. bello paceque neceſſarias eſſe ſcripſit: bello quidem ad jacula conficienda (quibus quædam gentes ſolem ipſum quaſi obumbrant). calami aptiſſimi eſſe ubique perhibentur. Ad domus conſtruendas, eaſdemque tegendas utiles ſunt; ſcriptionibus, aliiſque uſibus neceſſariis inſerviunt.*

Arundo *vulgaris ſeu vallatoria, ab aptitudine ad valla & ſepimenta conficienda dicta, abſtergentem & exſiccantem facultatem, minime acrem, poſſidet. Radix in vino decocta menſes & urinam ciet, & ſtranguriæ medetur; in pulverem redacta fiſtulis & ulceribus inſperſa prodeſt; & in aliis in quibus ſiccandi facultas poſtulatur, variis modis in uſum venit.*

Arundo *ſativa ſive* donax, *cum uberiore ſucco impleatur, exſiccantem qualitatem haud adeo attingit. Turiones dulcedine inſigni præditi gratiſſime comeduntur. Calami ad Texterum uſus; Chirurgorum ad oſſa fracta liganda; ad vinearum ridicas; virgas piſcatorias; alioſque uſus applicantur. Ad aquarum canales, ductuſque ſtruendos (cum natura ita comparante perforati ſint) ac pro tubis opticis longioribus, ob levitatem, rectitudinem & firmitatem, excellentes prorſus ac ſingulares. Ex uſta radice ſpodium Arabum paratur.*

Arundo *arboreſcens Tabaxifera in excelſam attollitur molem. Ex hac columnæ fiunt, & ad ædium ſtructuras adhibetur, & tantæ reperitur craſſitudinis, ut diameter tres ulnas impleat, & multo plus, uti teſtatur* Dalechampius. *Naves optimæ ex ea fiunt, ut refert* Diodorus Siculus. *Cymbaſque ex Arundinibus* Mambu *dictis faciunt* Indi, *ex duobus articulis præciſis, & in medietate diviſis & excavatis, quæ binos viros continebunt, qui & eas remis trium quatuorve palmorum longitudine tanta dexteritate impellunt, ut etiam adverſo rapidoque flumine ſumma celeritate navigare poſſint, & à Crocodilis qui ex navibus majoribus eos elicere ſolent, liberi ſint, ut* Acoſta, Diodorus Siculus, *aliique affirmant. Partes externæ corticoſæ, dum teneræ & flexiles, ad lecticas texendas Palankyns dictas, quibus Magnates & viri & mulieres per publicum de loco ad locum portantur, in uſu ſunt apud Indos.*

In hiſce cannis, æque ac ſuccedentis ſpeciei, & fortaſſe in aliis, medulla levis, ſpongioſa & liquida reperitur, grati ſaporis, quæ ob dulcedinem variis uſibus, & ſacchari vice inſervit. Tenerrimi autem ſtolones qui maxime ſucculenti ſunt & ſaporoſi, magni fiunt in Indiis, *apud advenas æque ac indigenas, quod baſes ſint celebris iſtius compoſitionis* Achar *dictæ, quæ in Europam invecta in deliciis apud doctos ex Epicureorum diſciplina habetur & (ut Piſo loquitur) à me quoque non ſemel cum voluptate guſtata eſt. At vero ubi hæ Arundines protere & annoſæ factæ fuerint, liquoris contenti ſubſtantia, color, ſapor, & efficacia mutantur, ipſeque liquor paulatim protruditur foras, & juxta internodium vi ſolis coagulatur, ac inſtar pumicis albi indureſcit, mox nativæ ſuavitatis expers facta, peculiarem ſaporem cum parva adſtrictione eboris uſti æmulum acquirit, vocaturque apud indigenas* Sachar Mambu, *Luſitanis* Tabaxir, *qui quo levior albicantior & glabrior, eo præſtantior; quo magis inæqualis atque cinerei coloris evadit, deterior habetur.*

Arundo *ſaccharifera inter Arundines longe præſtantiſſima eſt. Ejus medulla mollis & humectans melleam ſuavitatem obtinet, unde quaſi mel ſine apibus redditur, &* Saccharum *fit, quod ſalis dulcis genus eſt, ab omnibus laudatum, variarum regionum negotiatio & mercimonium.*

De modo conficiendi ſaccharum, qui, cum planta ſit frigoris impatiens, nunquam apud nos in praxin redigetur, pauca loqui lubet. Et cum à Marcgravio, Piſone, Liggon, Hernandez, Ruellio, Grorræo, Bauhinianis fratribus, *fuſius de eodem ſcriptum ſit, narrationem brevem accipiat Lector.*

Cannæ ſpatio octo vel decem menſium à plantatione ad ſaccharum conficiendum matureſcunt; mox ad geniculum amputantur, & ad molas vegrandes deferuntur, quibus liquor dulciſſimus quem Hiſpani Caldo *vocant, exprimitur. Hoc laborato, ſpuma aſſurgit copioſa Cagaſſa vocata, quæ ſolis pecoribus cibum potumque ſuppeditat.*

Deinde idem ſuccus coquitur, & per linteum percolatur, & tandem ſuccus eo pacto noviſſimum excrementum, ſi quod habet, deponit. Hæ fæces mancipiis victum præbent. Vinum quoque exinde vulgo Garapa *vocatum conficiunt incolæ intermiſcendo aquam, quod avidiſſime appetunt, &* Rum *appellitant. Succus per concoctionem, aſſiduo labore agitatus condenſatur, & repetitis operibus, ſacchari conſiſtentiam acquirit. Obſervatu dignum eſt, quod ſi oleum majoribus inderetur ahenis, in quibus liquor, primo* Caldo *dictus, purificatur, is Saccharo conficiendo plane foret ineptus. Viciſſim ſi minoribus lixivium ſicut majoribus infunderetur, æque impoſſibile eſſet Saccharum conficere. Si denique minima portio ſucci Limonii vel acidi quid injiciatur, Sacchari conſiſtentiam nunquam acquiret.*

Sac-

Saccharum *quoque* nativum eſt, *qui liquor ſponte gummi aut lachrymæ inſtar, piſi aut fabæ magnitudinis, concretur, pellucidus, in geniculis germinat, & Antiquis* Sacchari & Salis Indi *nomine cognitus fuit*; ut Dioſc. & Galenus *teſtantur.*

Saccharum *calidum & humidum eſt. Ob dulcedinem & ſalubritatem neceſſarium eſſe quotidiana experientia docet. Sanguinem purificat; ſpiritus recreat; membra corroborat: ad vitia thoracis & pulmonum utile; proficuum arteriæ aſperæ contra rauedinem; commodum quoque internis apoſtematibus laterit, &c. thoracis ulceribus; tuſſim ſedat; ventrem emollit; ſalutare admodum eſt renum, urinariorum meatuum & veſicæ affectionibus.*

Saccharum *cum aqua mixtum & potum contra tuſſim ſiccam, ſitim, & aſperitatem faucium, pectoriſque anguſtiam, utile eſt; obſtructiones hepatis & lienis reſerat; naturalem colorem inducit. Senibus frigidis & debilibus convenit; & quibus humor nativus & calor naturalis imminuuntur; nutrit enim & ſanguinem generat, & replet partes principales ſpiritibus.*

Saccharum *in pulverem ſubtiliſſimum redactum, oculiſque inſperſum, obſcuritatem viſus depellit, eoſque lucidos reddit, & ulcera ſanat.*

In officinis ſatis frequens eſt; in Electuariis, Syrupis, Julepis, Potionibus, Vinis, Conſervis, Conditis, Succis, *ac omnis generis confectionibus, ſaccharum uſu venit.*

Non deſunt vero & Antiqui & Recentiores qui Saccharum nimia copia aſſumptum damnant, & tanquam Scorbuti Tabiſque cauſam effectricem improbant; ut ex dentibus nigris, putreſcentibus & excidentibus eorum qui eidem aſſueti ſint, facile conſtat. Saccharum enim ſalem acidum & corroſivum continere ex deſtillatione facile obſervatur. Scorbutus autem ſali fixo in ſanguine redundanti debetur, & proinde iis quæ ſale volatili abundant ſanatur.

Saccharum Candum *pellucidum & concretum eſt, quo in genere primum tenet locum candidum; alterum obſcure rufum, alterum violaceum eſt. E Saccharo autem puro pulveriſato fit: quod cum modica aqua, quantum ad diſſolutionem ſufficiet, carbonibus accenſis ſuperponitur ad ebullitionem, quam celerrime fieri neceſſe eſt, ut candidum fiat; etenim ſi diutius bulliat, flaveſcit; ad Syrupi conſiſtentiam coctum, vaſis bulliens effunditur, quibus bacilli tenues, quadrati, abietini aut pinaſtrini, parati & locati ſunt. Vaſa iſthæc obteguntur & prope fornacem collocantur. Bacillis major Saccharo pars, cryſtalli inſtar candidata, eleganter adhæreſcere conſpicitur.* Saccharum candum violaceum *Violarum floribus coloratur.* Saccharum candum *quoque roſaceum,* cinamomium, *aliaque parantur.*

Saccharum candum *cibo, potu, & alio quolibet modo uſurpatur. Aſperitati, tuſſi, raucedini, aliiſque pectoris vitiis medetur.*

Arundo farcta flava & plicatilis; Arundo lenta Rotang dicta; & Arundo repens ſive Chamæcalamus, *aliæque fortaſſe ſpecies flexiles in varios uſus adhibentur: quarum partes exteriores & corticoſæ deraſæ, in vittulas tenuiſſimas dividi ſolent, quæ lentæ fractioni magnopere reſiſtunt, & varie tingunt. Ex his autem ſtoreas, capſulas, pyxides, corbes, crates, ſedilia, alioque ſimilia, ſubtiliſſime contexunt* Indi. *Subtiliſſimæ & molliſſimæ enim ſunt illæ ſtoreæ quibus* Sinenſes *plerique, imo magnates, interdiu ſomnum capere, & decumbere conſueverunt, quæ res & mundiſſima eſt, & cæli ſolique ingenio accommodatiſſima.*

Indigenæ pilorchas ſeu chordas funeſque longiſſimos, cannabeis fortiores ad navium armamenta alioſque uſus varios, ex biſce contorquent.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Capitulis tomentoſis.

CAPUT XX.

Gramen tomentoſum.

GRamen *eriophorum lanatum & tomentoſum dicitur, eo quod in ſummitate paniculæ ſunt tomentoſæ, Goſſipio molliores & teneriores.*

TABULA XX. SECT. VIII.

Gramen tomentoſum capitulo

multiplici

1. *Pratenſe panicula ſparſa, 2. C. B. P. Theat. 61. Gramen juncoides lanatum, ſive Juncus bombycinus vulgaris, Park. 1272.*
2. *Sive lanatum capitulo fuſco foliaceo Virginianum.*
3. *Hirſutum Indicum glomeratis capitulis Lagopi æmulis, D. Pluk. Phyt.*
4. *Indicum ſpiculis cuſpidatis, Kudira-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 79.*

ſimplici

5. *Alpinum & minus, 3. C. B. P. 28. Prod. Theat. 62. J. B. 543. Gramen tomentoſum Alpinum minus, Park. 1272.*
6. *Juncoides lanatum alterum Danicum, Park. 1272.*
7. *Junceum lanatum minus, Park. 1272.*
8. *Indicum ſpicis oblongis ſquamatis, Tagadi, Hort. Mal. Part. 12. p. 91.*

1. Gramen

1. Gramen *tomentoſum pratenſe panicula ſparſa, C. B. P. & Theat. Gnaphalium Tragi, ſive Juncus bombycinus, J. B. Gramen tomentoſum, Ger. Gramen juncoides lanatum, ſive Juncus bombycinus vulgaris, Park.* Implexis *fibris* radicatur, *juncos* tollens rectos, enodes, folioſos, in quorum ſummitate è biſera vagina, longis lentiſque pediculis appenduntur *paniculæ* tomentoſæ, candidæ, *bombycum* opera, & mollitie præſtantes.

In paludibus & uliginoſis pratis, capite candido menſibus Maio & Junio, facile cernitur.

2. Gramen *tomentoſum capitulo ampliore fuſco & foliaceo Virginianum.* Planta hæc reliquis amplior eſt. *Folia* à *radice* naſcentia, pedem aut ſeſquipedem longa, triticea & compreſſa, cum in aliis juncea & teretia ſint. *Culmus* rectus, enodis, foliorum altitudinem æquat; inque ejus ſummitate *geniculum* cernitur; è quo *foliola* terna, palmaria, expanſa ſunt, & ex eorum centro *paniculæ* glomeratæ ſex ſeptemve, brevibus *pediculis* appenſæ, molliſſimo ſericeo tomento, ſubfuſci coloris, & xylo delicatiſſimo quod ex *Java* habemus, ſimillimo, ornatæ, unum quaſi glomeramen ſplendens componunt.

A prædicto D. J. Baniſter è Virginia habemus.

3. Gramen *hirſutum Indicum glomeratis capitulis Lagopi æmulis, gluma è ſquamulis plurimis purpuraſcentibus, ariſta unica donatis, compactili, D. Pluk. Phyt. T.* 190. Novum hoc Gramen *foliis* eſt mucronatis, ad baſin latiuſculis, *culmum* geniculatum amplexantibus; è quorum ſuperioribus alis proveniunt, & ſummo culmo quoque adhærent *capitula* rotunda, *Sparganii* aut *Platani* ad inſtar, molliora tamen, ex *glumis* plurimis purpuraſcentibus, in *ariſtam unicam* mollem deſinentibus, in orbem compactis, compoſita.

4. Gramen *tomentoſum Indicum ſpiculis cuſpidatis, Kudira-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 79. *Radix* convolvuli inſtar ſupra terram repit. *Caules* lignoſi ſunt, tortuoſi, viride flaveſcentes. *Folia* graminiformia, in oris manibus adhærentia. In vertice caulium *ſpicæ*, filamentis tenuibus, rubeſcentibus, quaternæ ſimul proveniunt, cuſpidatæ, rubeſcentes, inferius in exteriore parte à caule averſa *plumulas* duas emittentes argenteas, candicantes, & cum illis *apices* grandiuſculos albicantes, qui in tenuiſſimis *ſtaminulis* penduli nutant.

5. Gramen *tomentoſum Alpinum & minus, C. B. P. Prod. Theat. J. B.* Gramen *tomentoſum Alpinum minus, Park.* Ex *radice* parva inutili *calamus* dodrantem vix ſuperans, foliis duobus tribuſve veſtitus exſurgit; cujus ſummitati *pappus* ſubrotundus inſidet.

In Helvetiæ monte D. Bernhardi minore, & in Rhætia ad lacus creſcit.

6. Gramen *juncoides lanatum alterum Danicum, Park. Juncus Alpinus cum cauda leporina, J. B. Juncus capitulo lanuginoſo, C. B. P. ſive Schænolaguros.* Huic plurima, tenuia & juncea, à radice *folia* prodeunt, aliorum tamen breviora. *Culmus* gracilis, dodrantalis, in medio ſingulari *geniculo* donatus eſt, è quo, vaginæ inſtar, *foliolum* breve latiuſculum enaſcitur. In ſummitate *capitulum* unicum candidiſſimo *tomento* obſitum inſidet. *Parkinſonus* non tanta albedine emicare aſſerit, ſed quod ex *Galliæ* humidis habemus tomento molli candificatur.

In Agro Salopienſi, variiſque Angliæ paludibus reperitur; ſed rarius. Forte Juncus capitulo lanuginoſo vernus, Jungermanni. *Hoffman. Cat. Altorf. Idem eſt quod nomine Graminis juncei montani ſubcærulea ſpica Cambro-Britannici Parkinſonus propoſuit. Phyt. Brit. Tho. Lawſon ex ſua obſervatione illum errorem corrigit; & fortaſſe Juncus Alpinus bombycinus, C. B. P. & Prod. J. B. non ab eo ſpecifice diſtinguitur.*

7. Gramen *junceum lanatum minus, Park.* Hujus *folia* tenuiora & teretia, juncea, plurima coagmentata, *ceſpitem* denſiorem conſtituunt. *Culmi* graciliores *capitula* longiuſcula, & anguſtiora, tomentoſa ſuſtinent.

8. Gramen *plumoſum Indicum ſpicis oblongis ſquamatis, Tagadi, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 91. *Caules* tenues, durioli, foliorum involucris veſtiti. *Folia* arundinacea pilis longis, albicantibus obſita. *Spicæ* in ſummitate caulium oblongæ, cuſpidatæ, mutuo ſeipſas imbricatim obtegentes, viride albicantes, nitentes, rigidæ, circa cuſpidem viridifuſcæ. Ubi ſe aperiunt, in medio lateris exterioris, (ubi nonnihil convexæ,) in longum hiant; inferius ex hiatu *plumulam* ſeu globulum exſerunt conicum, candidum; in cujus medio *Stylus* oblongus tenuis candidus, pilis condenſis in orbem circumdatus, conſpicitur, & cum illo nonnulli *apices* oblongi, albicantes.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Foliis hirſutis.

CAPUT XXI.

Gramen hirſutum.

TABULA XXI. SECT. VIII.

Gramen hirſutum
- *latifolium*
  1. *Majus, C. B. P. Theat.* 101. *Gramen rore lucidum nemorenſe ſive Luzulæ, J. B.* 493. *Gramen nemorum hirſutum latifolium majus, Park.*
  2. *Nemoroſum maximum juncea panicula, Nobis. Gramen hirſutum latifolium minus, C. B. P. Theat.* 102. *Gramen Luzulæ maximum, J. B.* 493.
- *anguſtifolium*
  3. *Majus, C. B. P. Prod. Theat.* 105. *J. B.* 492. & 468. *Gramen hirſutum anguſtifolium majus alterum, Park.* 1185.
  4. *Capitulis Pſyllii, C. B. P. Theat.* 103. *Gramen exile hirſutum cyperoides, Lob. J. B.*

1. Gramen

1. Gramen *hirſutum latifolium majus, C. B. P. Theat. Gramen rore lucidum nemorenſe ſive Luzulæ, J. B. Gramen nemorum hirſutum latifolium majus, Park. Hirſutum nemoroſum, Ger. Hirſutum ſylvaticum*, 4. *Tab. Radicem* habet ex plurimis fibris capillaribus, nigricantibus compoſitam, unde *folia* multa, ad cubiti altitudinem accedentia, latiuſcula, viridia, nervoſa, emergunt (quibus utrinque alba *lanugo* inſtar *pilorum* oblongorum apponitur) & potiſſimum ad ſuum exortum denſius villoſa exiſtunt. Inter hæc autem *culmi* pedales & cubitales, paucis *geniculis* diſtincti, quibus apponuntur *folia* breviora eoſdem amplectentia. Horum autem ſummitates in aliquot *pediculos* inæquales ſecantur, ſingulos unum alterumque folliculum mollem ſuſtinentes, atque ubi maturuere, in plures *apices* abeunt, ex eorumque medietate *filamenta* aliquot prodeunt, *ſemenque* parvum continetur. Ex capitulis ſimplicibus ſingulis pediculis appenſis facile dignoſcitur.

In ſylvis Anglicis & Germanicis frequens reperitur.

2. Gramen *hirſutum latifolium maximum juncea panicula, Cur. Minus, C. B. P. Prod. Park. Gramen Luzulæ maximum, J. B. Et forte medium ejuſdem.* Hoc quoque *foliis* donatur inter *Gramina* latiſſima, piloſa, dodrantem aut pedem longa. *Culmi* pedales *paniculam* junceam, ampliſſime diffuſam, rufeſcentem, plurimis ſeminibus triquetris in eodem *pediculo* naſcentibus, ſuſtinent.

In umbroſis & montoſis ſylvis variis in locis naſcitur.

3. Gramen *hirſutum anguſtifolium majus, C. B. P. Prod. Theat. J. B. Gramen hirſutum anguſtifolium majus alterum, Park.* Longitudinem præcedentium *folia* attingunt, anguſtiora tamen & hirſuta. *Culmus* cubitalis foliis quoque longis veſtitur. *Panicula* in ſummitate umbellatim naſcens *pediculos* plurifariam diviſos pluribus veluti globulis coacervatos profert, quibus *ſemina* ſubnigra & ſubrotunda continentur.

In ſylvis & montoſis, ſolo præſertim fictili, occurrit.

4. Gramen *hirſutum capitulis Pſyllii, C. B. P. Theat. Gramen exile hirſutum cyperoides, Lob. J. B. Et Luzulæ minus, J. B. Gramen nemoroſum hirſutum minus anguſtifolium, Park. Gramen exile hirſutum, Ger. Radice* eſt rufa, oblonga, repente, pluribus *fibris* capillata; ex qua *folia* plura, ſemidodrantalia, modo latiora, modo anguſtiora, acuta, villoſa, prodeunt. Inter folia *cauliculus* palmaris, lævis, tenuis, viridis, exſurgit, *paniculam* brevem, ex pluribus floribus campactam, rufeſcentem ſuſtinens. *Flores* quando aperiuntur, in *petala* ſex, atrorubentia, lateribus pallidis expanduntur, è quorum medietate *ſtamina* flava ſex, & tria *filamenta* pallida prodeunt.

In pratis & paſcuis humidioribus, arenoſis & herboſis locis, menſibus Aprili & Maio, cum capitulis frequens occurrit.

Nos entia ſine neceſſitate multiplicare nolentes, de ſequentibus animi ſenſa ita proponimus, potiori demonſtrationi facile conceſſuri manuſque daturi: *Gramen nemorum hirſutum alterum præcox, Park.* 1186. non tantum ætate & teneritate à ſuccedente proxime differre. Idem forte dicendum de *Gramine Luzulæ medio, à Gramine Luzulæ maximo, J. B.* 493. *Gramen Luzulæ minus, J. B.* 493. *Gramen hirſutum capitulis globoſis, J. B. Park. C. B. P. & Theat.* prædicto capitulis Pſyllii non conſentanea videri. Sed nihil ſtatuo. *Gramen nemoroſum hirſutum anguſtifolium minus paniculis albis, C. B. P. & Theat. Gramen Luzulæ affine flore albo, J. B.* 492. *Gramen junceum leucanthemum, Ger. Utpote cui ſcapus triquetrus ſit, foliaque compreſſa, ad Cyperoidea potiore jure reducendum eſt.*

PLANTÆ CULMIFERÆ

Fungoſæ.

CAPUT XXII.

Gramen Junceum.

GRamen junceum dicitur, quod capitula juncea ferat, vel quod culmus vel folia fungoſa & juncea materia farcta ſint, & non cava & compreſſa, ut in aliis Graminibus cernantur; & propterea ob foliatos culmos Juncis non adnumerandum eſt.

TABULA XXII. SECT. VIII.

- *Gramen junceum*
  - *pericarpiis*
    - *triangularibus*
      1. *Articulatum paluſtre elatius, Nobis. Gramen junceum folio articulato ſylvaticum, C. B. P. Theat.* 76. *Gramen junceum ſylvaticum, Tab. J. B.* 543.
      2. *Paluſtre humilius utriculis frequenter donatum, Nobis. Gramen junceum folio articulato aquaticum, C. B. P. Prod. Theat.* 76.
      3. *Minimum Holoſteo Matthioli congener, Park.* 1270. *Graminis juncei varietas minor, Ger.*
      4. *Aquaticum paniculis cum foliis capillaribus ſimul ortis proliferum, D. Pluk. Phyt. T.* 32. *An Juncus foliatus minimus, J. B.* 523. *Chab?*
      5. *montanum capite ſquamoſo, C. B. P.* 36. *Prod. Theat.* 80. *Gramen junceum ex monte Baldo, J. B.* 509.
      6. *Maritimum capite ſquamoſo foliaceo, Nobis. Gramen cyperoides maritimum,* 14. *C. B. P. Theat.* 91. *J. B.* 498.
      7. *Minimum capitulo ſquamoſo,* 13. *C.B.P.* 37. *Prod. Theat.* 79. *J. B.* 509.
      8. *Indicum ſpiculis plurimis parvis in capitulum digeſtis, Mulen-pullu, H. Mal. Part.* 12.
      9. *Minus Indicum ſpicis ternis tumidioribus ſeſſilibus, Mottapullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 72.
      10. *Minus Indicum capitulo plano rotundo ſimplici, Tsjeru-Kotsjiletti-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 129.
    - *ſubrotundis racemoſum*
      11. *Junci ſparſa panicula, Park.* 1189. *An Gramen junceum polyſtachyon, C. B. P. Theat.* 74?
      12. *Paluſtre racemoſo ſemine C. B. P. Theat.* 74. *J. B.* 543.
      13. *Foliis & ſpica Junci, C. B. T.* 78. *Juncus parvus pericarpiis rotundis, J. B.* 422.
      14. *Nemoroſum calyculis paleaceis, C. B. P. Theat.* 100. *Holoſteum Matthioli junceum, J. B.* 510.
      15. *Virginianum calyculis paleaceis bicorne majus, Gra. junceum elatius pericarpiis ovatis Amer. D. Pluk. Phyt.* 92.
      16. *Minimum maritimum, C. B. P. Theat.* 80. *J. B.* 509.
      17. *Glomeratis capitulis Madraſpatenſe, D. Pluk. Phyt.* 189.
  - *ſpicatum*
    18. *Seu triglochin, C. B. P. Theat.* 80. *Gramen triglochin, J. B.* 503. *Gramen marinum ſpicatum alterum, Lob.*
    19. *Cum pericarpiis parvis rotundis, J. B. Gramen ſpicatum alterum, C. B. P. Theat.* 82. *Marinum ſpicatum, Park.* 1278.
    20. *Sive Hyacinthi parvi facie Gramen triglochin, J. B. Gramen marinum ſpicatum alterum, Park.* 1279.
    21. *Montanum ſpicatum flore herbaceo, caule enodi, J. B.* 492. *Gramen avenaceum montanum ſpicatum, C. B. P. Theat.* 154.
    22. *Specioſum minus, Park.* 1188. *Gramen juncoides Batavum ſpecioſum, Lob. Illuſt.* 69.
    23. *Foliis & ſpica junci minus, C. B. P. Theat.* 79. *Gramen junceum maritimum denſe ſtipatum, J. B.* 508.
    24. *Parvum ſupinum ſive Holoſteum ſtrictiſſimis & hirſutis foliis Madraſpatanum, D. Pluk. Almageſt. Bot.* 179. *Tab.* 299.

Gramina ad juncea accedentia.

25. *Gramen ad junceum accedens aromaticum majus Syriacum, Nobis. Juncus rotundus aromaticus, C. B. P. Theat.* 163. *Schænanthos ſive Juncus odoratus, J. B.* 515.
26. *Gramen ad junceum accedens capillatum, Tazontolli, ſeu juncus capillatus, Retchi,* 42.
27. *Gramen junceum primum Jacapé, aliis corrupte Capé dictum Braſil. Piſ.* 237.
28. *Gramen junceum Braſilianum capite ovali ſquamoſo florido, Nobis. Gramen florens* 7. *Marcgrav. Junceum quartum, Piſ.* 238.
29. *Gramen junceum Hibernicum minus Thlaſpios capitulis, Sherardi. Graminifolia aquatica Thlaſpios capitulis rotundis ſepto medio ſiliculam dirimente, D. Pluk. Phyt.* 188.
30. *Gramen junceum ſive Holoſteum minimum paluſtre, capitulis longiſſimis filamentis donatis, Raii Hiſt.* 1310. *D. Pluk. Phyt. T.* 35.
31. *Gramen junceum clavatum minimum, ſive Holoſteum paluſtre repens, foliis, capitulis, & ſeminibus Pſyllii, Raii.*

§. 1. Gramina

§. 1. Gramina juncea pericarpiis triangularibus.

1. Gramen *junceum articulatum paluſtre erectum & elatius, Nobis. Gramen junceum folio articulato ſylvaticum, C. B. P. Theat. Gramen junceum ſylvaticum, Tab. J. B. Gramen junceum ſylvarum majus articulato folio, Park.* *Radix* obliqua, geniculata, *fibris* ſubactis eſt; ex qua *culmi* graciles, erecti, tribus ut plurimum *internodiis* diſtincti, totidemque *foliis* ex iiſdem orientibus, cubitales & bipedales ſunt. *Folia* è radice æque ac geniculis naſcentia, dodrantem longa, anguſta, juncea, *articulis* frequentibus intercepta ſunt. *Caulis* faſtigium in plures *pediculos* abit, quorum quidam longiores, alii breviores, quique in alios inæqualiter finduntur, & capitula parva, plurima, corymbacea, paleaceis ſuis calycibus, *ſemina* parva, ſplendentia, triangularia, ſubfuſca, ſuſtinent.

In paludibus & aquoſis frequens occurrit.

2. Gramen *junceum articulatum paluſtre humilius, utriculis frequenter donatum, Nobis. Gramen junceum folio articulato aquaticum, C. B. P. Prod. & Theat. Juncus foliaceus capſulis triangulis, J. B. Chab. Gramen junceum aquaticum, magis ſparſa panicula, Park.* Antecedenti convenit; planta vero humilior, *cauliculis* nunc procumbentibus, nunc erectis, *paniculiſque* magis ſparſis eſt. *Caules* inter alios palmares excreſcunt, & non amplius *capitula* corymbacea, ſed *utriculos* unciales foliaceos & paleaceos, modo virides, modo purpuraſcentes proferunt.

In paluſtribus & ſolo ſpongioſo nihil frequentius.

3. Gramen *junceum minimum Holoſteo Matthioli congener, Park. Lob. Illuſt. Graminis juncei varietas minor, Ger. Gramen junceum capſulis triangulis minimum, Raii.* Tota planta duas uncias aut tres vix ſuperat. Seſquiuncialia ima *folia*, quam cauliculorum longiora ſunt, gracilia. *Capitulis* eſt *Junci* ſparſis, parvis; *ſeminibus* ſubfuſcis denſe ſtipatis, capſulis triangularibus incluſis.

Humidis & ericetis aquoſis gaudet.

4. Gramen *junceum aquaticum paniculis cum foliis capillaribus ſimul ortis proliferum, D. Pluk. Phyt. Gr. junceum capſulis triangulis, cauliculis tenuibus, foliis ad nodos & panicularum divaricationes prælongis, Raii.* Genus quaſi luxurians præcedentis videtur hoc. *Cauliculi* ad pedalem, quandoque dodrantalem longitudinem extenduntur, qui è *nodis* in alios ramificantur. Ad ſingula *genicula* glomeratim excreſcunt *paniculæ* foliaceæ, tenuiſſimis *foliolis* ſemiuncialibus ſparſæ, inter quæ *capſulæ* triquetræ, *ſemina* continentes obſervantur.

In ſqualidis humidioribuſque paludibus reperitur.

5. Gramen *junceum montanum capite ſquamoſo, C. B. P. Theat. Prod. Park. Gramen junceum ex monte Baldo, J. B.* *Radice* eſt parva, fibroſa, circa quam *folia* bina, ternave, ſemipalmaria. *Culmus* junceus, lævis, enodis, & nudus, pedem ſuperans. Hujus autem ſummitati *capitulum* inſtar *Phalaridis*, ſquamoſum, in apicem deſinens, ex albo leviter rufeſcens, inſidet, cui utrinque *foliolum* rigidum ſubjicitur, alterum longius, unciam ſuperans, deorſum vergens; alterum quod triplo brevius eſt recta ſeſe efferens.

In Baldi montis ſummitatibus Caſp. Bauh. legit.

6. Gramen *junceum maritimum capite ſquamoſo foliaceo, Nobis. Gramen cyperoides maritimum, C. B. P. Theat. Gramen marinum cyperoides, J. B. Juncus maritimus cyperoides, Adv. Lob. Juncus marinus, Tab.* Craſſiuſcula *radice* nigra, oblique profundius acta, ſerpente, geniculata, *fibris* capillata firmatur; ex qua *caulis* ſurgit cubitalis, rotundus, firmus. Hujus cacumini inſidet glomeratum, magis latum quam longum, *caput* verſicolor partim album, partim ex nigro rubeſcens. Atque hujus baſi appoſita tria *folia* caput ſuperantia, porracea ſunt, albeſcentia, dura, palmaria. Nullo vel ſapore vel odore præcellit.

In maritimis ſabuloſis circa Monſpelium, aliiſque Narbonæ & Galloprovinciæ aquoſis locis occurrit.

7. Gramen *junceum minimum capitulo ſquamoſo, C. B. P. Prod. Theat. Gramen junceum marinum capitulo ſquamoſo, J. B.* *Radiculæ* capillares ſunt. *Folia* pauca, capillacea, duarum fere unciarum; inter quæ *culmi* unciarum quatuor vel quinque exſurgunt; in horum fere ſummitate *capitulum* unicum, minutiſſimum, ſquamoſum, rufeſcens, cui *apex* culmi ſupereminet.

In aquoſis circa Altorfium Noricorum locis & Francofurti ad Oderam provenit.

8. Gramen *junceum minus Indicum ſpiculis plurimis parvis in capitulum digeſtis, Mulen-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 101.* Gramen eſt *caulibus* viridifuſcis, planis, *foliis* veſtitis. *Spicæ* ſummitati caulium inſident, in uno quaſi *capitulo* congregatæ, ac *foliis* ſuccinctæ, virides, ex plurimis conſtantes imbricatis *foliolis*.

9. Gramen *junceum minus Indicum ſpicis ternis tumidioribus ſeſſilibus, Motta-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 72.* Humillima hæc plantula *radices* habet tenues, albicantes, ac etiam rubeſcentes; *caules* tenues, rotundos, virides, gramineis anguſtis *foliolis* veſtitos. Singulis *caulibus*, infra corticem, tranſverſæ inſident *ſpicæ*, numero tres vel quatuor, unico *foliolo* gramineo brevi ſuccinctæ, oblongæ, rotundæ, numeroſis brevibus *filamentis*, penicilli inſtar, donatæ,, ex parte ſpadiceofuſcorubræ, ex parte virides, maxime in *vertice*.

10. Gramen *junceum minus Indicum capitulo plano rotundo ſimplici, Tsjeru-Kotsjiletti-pullu, Hort. Mal. Part. 12. p. 129.* Planta eſt aquatica. *Radix* rotunda, oblonga, candida, viridibus, oblongis, denſis veſtita fibris; ex cujus ſummitate, inter *folia* graminea, exſurgunt *caules* ſimplices, tenues, rotundi, virides, *capitulo* plano, rotundo, ruſſo nodulati, inferius folioſo, theciformi involucro, ſuperius in orificio cuſpidibus hiante, ac *venis* in longum ſtriato, involuti.

§. 2. Gramina juncea pericarpiis rotundis.

11. Gramen *junceum Junci ſparſa panicula, Park. Lob. Illuſt. Et Gramen junceum vulgare, ejuſdem. An Gramen junceum polyſtachyon, C. B. P. & Theat. Et Gramen junceum aquaticum majus, J. B. ſecundum, Tab.? Figura Junci parvi cum pericarpiis rotundis, J. B. p. 422.* huic non diſſimilis eſt; deſcriptio aliud denotat.

Huic *folia* tenuia, dodrantem aut circiter longa, ſupina parte plana, prona convexa, imam culmi partem amplectuntur; qui frequenter *geniculo* uno aut altero, cum *folio* conſimili adnato, conſpicitur. Summus *culmus Junci vulgaris acuti* panicula ſparſa eſt, cum *foliolo* tenui ſuperante; cujus *capſulæ* rotundæ, paleaceis calycibus inſidentes, *ſemina* plurima, minutiſſima, fuſca, & rotunda, continent. *Culmus* modo pedalis, modo dodrantalis, modoque palmarem altitudinem non ſuperat, quæ ob ſoli & cœli inclementiam efficitur alteratio, & fortaſſe tot magnitudinis gradus, ut pro ſpeciebus diverſis in Illuſtrationibus reciperet *Lob.* permovere.

In paſcuis humidioribus, & in ſulcis aquoſis frequens reperitur.

12. Gramen *paluſtre junceum racemoſo ſemine, C. B. P. Theat. J. B. Park.* *Foliis* eſt paucis, junceis; *culmo* cubitali; ex cujus ſummitate inter bina *foliola* veluti *racemus* parvus propendet.

In aquoſis circa Francofurtum ad Oderam locis legitur.

13. Gramen *junceum foliis & ſpica junci, C. B. P. Theat. Juncus parvus pericarpiis rotundis, J. B.* ubi icon eſt alterius. *Gramen junceum maritimum, Ger. Maritimum majus, Park.* *Radix* fibris duris comata eſt, & ad caput centrumve collecta, *folia* plurima, tenuia, anguloſa, ſemipedalia, acuta, & rigidiuſcula, obliqua protrudit. Ex horum autem centro *culmus* erectus, ſemipedalis & dodrantalis, ſæpiſſime nudus, aliquando *geniculo* interceptus, erigitur, qui *paniculam* duram, junceam, rigidioribus, brevibuſque *pediculis* donatam haud multum ſparſam, ſuſtinet. Hujus *capitula* ſingularia, ſatis magna, ſubrotunda & dura, *ſemina* tenuia, plurima, oblonga, includunt.

In riguis, ericetis humidis, & paſcuis, non ſolum mari vicinis, ſed interraneis etiam, variis in locis naſcitur.

14. Gramen *nemoroſum calyculis paleaceis, C. B. P. Theat. Holoſteum Matthioli junceum, J. B. Holoſteum Matthioli, Lob. Gramen bufonium, Tab. Gramen* Πηγανοφκαυλον, *Thal.* Palmum aut ſeſquipalmum altum eſt, *cauliculis* frequentibus, tenuibus, nonnihil rubentibus, & in ramos plures divifis. *Folia* acuta, duas aut tres uncias longa, anguſta. *Paniculæ*, floreſve ſecundum ramulos, adeoque in extremitatibus crebris naſcuntur. Succedunt *vaſcula*, paleacea materia incluſa, quibus *ſemina* puſilla, ruffa, pellucida, clauduntur. *Radices* ſubſunt capillaceæ.

In foſſis, pratis, putridiſque humentibus locis, quibus bufones aſſueti ſunt, unde Gramen bufonium à quibuſdam dictum, frequens reperitur.

15. Gramen *junceum Virginianum calyculis paleaceis bicorne, Nobis. Gramen junceum elatius pericarpiis ovatis, Americanum, D. Pluk. Phyt.* Hujus *folia* tenuia, graminea, ad *radicem* fibroſam naſcentia, emittuntur palmaria, dodrantalia. *Culmus* nudus, enodis, ſemipedalis & pedalis eſt. In ſummitate *panicula* juncea, ex *pediculis* quibuſdam longioribus, aliis brevioribus, (ut in pleriſque) explicata eſt; quibus ſubſunt bina *foliola* tenuia, erecte aſcendentia, & *paniculam* paleaceam, altitudine ſuperantia. Hujus autem acerofis *capitulis* *capſulæ* glabræ, ovales, *ſemina* continentes conduntur.

E Virginia primo auſpiciis Chiliarchi inſignis D. Willis accepimus.

16. Gramen *junceum minimum maritimum, C. B. Theat. J. B.* Tota planta dodrantem non ſuperat, *ceſpiti* ſimilis, ex cujus ſingulis *radiculis* ſinguli *cauliculi* exſurgunt *foliolis* capillaceis paucis cincti; qui exiguis *utriculis* donantur.

In Zelandiæ maritimis ad oppidum Gous *lectum eſt.*

17. Gramen *juncoides glomeratis capitulis Madraſpatenſe, D. Pluk. Phyt. Part. 3.* *Culmus* erigitur geniculatus, in *ramulum* unum aut alterum divaricatus, quem vaginæ inſtar *foliorum* principia conveſtiunt; quæ cum culmum derelinquant, uncialia & biuncialia, latiuſcula & mucronata ſunt. *Culmi* apex in acumen terminatur. Paullo infra glomeramen parvum, *Ranunculi* capituli æmulum, arcte adhæret.

§. 3. Gramina juncea ſpicata.

18. Gramen *junceum ſpicatum ſeu triglochin, C. B. P. Theat. Gramen triglochin, J. B. Dal. Gramen marinum ſpicatum alterum, Lob. Gramen mixtum ex junco & Gramine, Thalii.* *Radicibus* eſt multis, brevibus, tenuibus, & fibratis; *foliis* ſtrictis, gracilibus, acutis, oblongis; *caule* pedali, rarius cubitali, enodi, minime folioſo; in cujus ſummitate *capitula* quædam rotunda, ſurſum porrecta, longo ordine inæqualiter adhærent; *floſculis* ex albo colore ſubluteis, quibus *fructus* oblongus ſuccedit, qui quidem maturus dehiſcens, telum tribus cuſpidibus inverſis, (duobus deorſum ſpectantibus, tertia ſurſum erecta) repræſentat; unde Triglochin cognominatur, quod ipſius ſemen eſt.

In paludibus gramineis frequens occurrit.

19. Gramen *ſpicatum cum pericarpiis parvis rotundis, J. B. Gramen ſpicatum alterum, C. B. P. Theat.* Huic *folia* ſunt craſſiuſcula, & latiora. *Culmus* quoque erectus, enodis, pedalis; cui ſpicatim & longo ordine, utrinque adhærent *capitula* rotunda, *culmo* alternatim diſpoſita. Iis autem maturioribus *roſtrum* parvulum ex ſingulo emergit.

In maritimis Angliæ & Flandriæ vulgo reperitur.

20. Gramen *loliaceum ſpicatum, ſive Hyacinthi parvi facie Gramen triglochin, J. B. Gramen marinum ſpicatum alterum, Park.* Hujus *radix* bulboſa eſt, *fibris* adnexis. *Folia* tenuiſſima, glabra, palmaria, ſtatim à radice orientia, habet. *Cauliculus* gracilis, nudus, enodis, ſeſquipalmaris, longam gerens *ſpicam* floſculorum luteorum, exiguorum, qui in *fructum* oblongum, tenuem, ſtriatum maturatur. Hoc excepta *radice bulboſa* *Gramini triglochin* antedicto ſimillimum videtur.

In ſqualidis quibuſdam locis maritimis Narbonenſis Galliæ naſci teſtatur J. B.

21. Gramen *montanum ſpicatum flore herbaceo, caule enodi, J. B. Gramen avenaceum montanum ſpicatum, C. B. P. Theat.* *Radix* illi digitalis craſſitudinis, bifida trifidave, fibroſa; *folia* oblonga, & nonnihil carinata, infima ſede ſeſe invicem amplectentia. Ex horum vero ſinu dodrantalis & interdum pedalis exit *caulis*, firmus, lævis, nudus, & enodis; qui ſummo faſtigio multos *floſculos* ſpicæ inſtar congeſtos, herbaceoque colore præditos, profert.

In pratis montoſis Germaniæ, v. g. ſupra thermas Badenſes, aliiſque provenit.

22. Gramen

22. Gramen *junceum ſpecioſum minus, Park. Gramen juncoides Batavum ſpecioſum, Lob. Stirp. Illuſt.* Paluſtribus maritimis ſabuletis Harlemenſis agri oritur, quatuor non excedens uncias. Singuli *caules* trium unciarum ſingulis *ſpicis* lucidis, fuſci *Caſtaneæ* coloris, teretis rotunditatis, ſuperne mucronato *folio* duro, unciali præditi ſunt. *Vaginulæ* ex qua emanant *folia* dura, rigidaque, ſemirotunda, duas uncias longa eſt.

23. Gramen *junceum foliis & ſpica Junci minus, C. B. T. Gramen junceum maritimum denſe ſtipatum, J. B. Lob. in Hiſt. Belg. Gramen junceum aquaticum minus, Tab. Radice* eſt fibroſa; *culmis* pedalibus; *foliolis* anguſtiſſimis, junceis, duris, firmis, quatuor unciarum. Culmorum autem ſummitatibus *ſpicæ* parvæ, ut in Juncis, inſident.

Locis herboſis & pratis udis Flandriæ & Zelandiæ provenit.

24. Gramen *junceum parvum ſupinum ſive Holoſteum ſtrictiſſimis & hirſutis foliis Madraſpatanum, D. Pluk. Almageſt. Botan. 179. Tab. 299. Fig. 3.* Exiguum hoc *Gramen junceum* palma humana obtegendum, foliola plurima, tenuiſſima & hirſuta, à *radice* fibrata undique radiatim naſcentia, emittit. Inter hæc *cauliculi* longiores, imo biunciales & triunciales, hirſuti, nunc erecti, nunc reclinati, *capitula* ſingularia, latiuſcula, ſquamata & quaſi compreſſa, ſuffulciunt; unico capillo ut plurimum longiore ſubjecto, exeunte.

§. 4. Gramina ſuccedentia quanquam paniculis ſpiciſque a junceis diſcrepant, folia tamen fungoſa ad calcem hujus familiæ adjungere ſuaſerunt.

25. Gramen *ad junceum accedens aromaticum majus Syriacum, Nobis. Juncus rotundus aromaticus, C. B. P. Theat. Scœnanthos ſive Juncus odoratus, J. B. Squinanthum, Varroni. Dictione compoſita ex* σχοῖνος *&* ἄνθος. *Adhar & Adhir, Avicen. Gramen dactylum aromaticum multiplici panicula, ſpicis brevibus tomento candicantibus, ex eodem pediculo binis, D. Pluk. Phyt. Radicibus* nititur albicantibus, parvis, lentis, duris, lignoſis, multis *fibris* exilibus ſummo ceſpite ſparſis. *Foliis* eſt palmum excedentibus, triticeis, robuſtis, craſſis, ad radicem latis, convolutis, & ſquamatim interſitis, quæ in tenuem rotunditatem, mucronatam, firmamque deſinunt, colore ad radicem albidiore, vel ſubflavo, prope verticem viridi aut purpuraſcente; quæ quidem folia *culmos*, ut in arundine, multis veluti tunicis arcte conjungunt. *Culmi* multi ex uno *radicum* ceſpite pedales, rotundi, geniculati, aliquando lignoſi, pleni, non cavi, & in ſummitate graciles aſſurgunt. Iſtis ſecundum *caulem* gemina ſerie, Lolii modo *flores* ſpicatim hærent, decidui; qui *flores* ex *ſpiculis* exiguis, bifidis, breviter ariſtatis, *pediculis* brevibus appenſis, compoſiti ſunt; inque horum *glumis* aut calyculis, foris rubellis, pappoſi tenueſque *floſculi*, odore & ſapore eodem cum foliis inſident. His autem *ſemina* (è quibus ſæpe apud Germanos planta excrevit) ſuccedunt.

Naſcitur in Africa & Arabia. Laudatiſſimum ex Nabathæa regione adfertur.

Schœnanthi Vires & Uſus.

Folia cum floribus in officinis veneunt, & inter aromata habentur. Quod rufum, flore refertum, tenue, fragmentis in purpuram vergentibus odore Roſæ, cum teritur, eligendum eſt, inquit Dioſc. Tenuium eſt partium; calefacit; ſubaſtringit; diſcutit. Uſus præcipuus in obſtructis menſibus, hepate, liene; in ventriculi inflatione, vomitu, ac ſingultu; in urinæ difficultate, Renum, Veſicæ, ac uteri dolore. Extrinſecus corrigit fœtorem oris, roborat caput (lotione) diſcutit uvulæ tumorem; roborat ventriculum, &c. Schrod. Doloribus ſtomachi, pulmonis, jecinoris, retumque utile eſt.

Paratur vinum Squinanthinum hoc pacto: Recipe Squinanthi conciſi uncias duas. Vini unciæ quadraginta octo affundantur; ſtent horis duabus in Balneo Mariæ; refrigeratæ colentur. Hujus unciæ tres quotidie mane exhibeantur contra ventris dolorem, lienis duritiem, hepatis obſtructionem, iſchuriam. Hoc & hydropicorum urinas, menſeſque promovet.

26. Gramen *ad junceum accedens capillatum, Tozontolli Totonacapenſibus, Recchi. Junci rotundi & odorati ſpecies eſt, & fortaſſis ad Schœnanthum pertinens, Dioſcor. Radices* fundit capillatas, & ex his *caules* rotundos, læves, & cavos. Suntque in cacumine *capitula* lutea & oblonga. Virtutes *Schœnanthi* virtutibus proximæ.

27. Gramen *junceum primum Jacapé, aliis corrupte Capé dictum Braſilianum, Piſon.* Ex *radicula* geniculata, juncea, alba, exſurgit *caulis*, primum ſimplex, inſtar culmi *Siliginis*, teres, qui poſtea in aliquot *folia* finditur, graminea, anguſta, in medietate album nervum ſecundum longitudinem habentia. Nullius eſt odoris, nec *florem* gerit, nec *ſemen*. Solo ut plurimum effœto naſcitur. *Radices* ſub terra longe lateque agit, novaſque herbas tenaces ductiles protrudit, quibus indigenæ plerique & Europei quoque utuntur ad membrorum vulnera liganda, morſuſque ſerpentum mitigandos.

Contra aſſumptum venenum comprobatum experientia uſurpatur.

28. Gramen *junceum Braſilianum capite ovali ſquamoſo florido, Nobis. Gramen florens 7. Marcgrav. Junceum quartum, Piſon. Jupitat Indigenis. Erva d' Empige Luſitani, quia impetigini medetur, appellant.* In paſcuis irriguis Gramen florens menſibus potiſſimum pluviis, eleganti facie luxuriat. E piloſis *radiculis caules* protruduntur multi, tenues, juncei, pluſquam pedem longi, inferiore parte gramineis *foliis* latiuſculis, pedem longis veſtiuntur. Quilibet *caulis* gaudet *capitulo* ovali, ſquamoſo, ſplendenti, coloris luteſcentis, & ex pallido variegati. His ſuperius *floſculus* inſidet unicus, tribus quatuorve *foliolis* conſtans. *Piſ.*

E Virginia recepimus.

29. Gramen *junceum Hibernicum minus Thlaſpios capitulis, Sherardi. Graminifolia aquatica Thlaſpios capitulis rotundis, ſepto medio ſiliculam dirimente, D. Pluk. Phyt.* Parvulam hanc plantam in humidis Hibernicis naſcens Botanicus iſle feliciſſimus & apprime gnarus *D. Sherard* detexit. A *radice* capillata *folia* plurima, juncea, fungoſa, prona parte rotunda, ſupina plana, longitudinem uncialem aut ſeſcuncialem non ſuperantia,

tia, acuta, protrudit. Inter hæc *cauliculi* graciles, pauci, duas aut tres uncias longi, incurvatis interſtitiis attolluntur; quibus ad tranſverſi digiti intercapedinem, ubi quaſi angulus conſtitutus eſt, *capitula* rotundiuſcula, parva *pediculis* brevibus adhærent, quæ *Thlaſpios* capſulam filiculoſam, cum ſepto medio diſterminante, æmulantur. Horum autem bina, terna, & quaterna, ſingulatim cauli adnaſcuntur.

30. Gramen *junceum ſive Holoſteum minimum paluſtre, capitulis longiſſimis filamentis donatis, Raii. Gramen junceum ſive Holoſteum minimum paluſtre, capitulis quatuor longiſſimis ſtaminibus donatis, D. Pluk. Phyt. An Holoſteum aquaticum Alſinanthemon, H. Reg. Par. App?* *Fibris* albis majoribus, & pluribus quam pro plantæ modulo radicatur. *Folia* in orbem ſpargit, craſſa, ſucculenta, anguſta, in terram reclinata, duos vel tres digitos longa. *Caules* ex eadem radice plures, vix digitum alti, *capitulum* ſeu floſculum in ſummitate geſtant exiguum, compreſſum, unde exeunt quatuor longiſſima *filamenta*, apicibus donata.

In paluſtribus & uliginoſis prope Cantabrigiam, Glaſconiam & Penſantiam, ſæpius invenit Cl. Raius, qui verbis ſupra poſitis deſcripſit.

31. Gramen *junceum clavatum minimum, ſeu Holoſteum paluſtre repens, foliis, capitulis, & ſeminibus Pſyllii, Raii. Cauliculis* tenuibus, infirmis, in terram reſupinis, crebris *articulis* interceptis, indeque ramulos emittentibus, ulterius adhuc diviſos & ſubdiviſos, ſe propagat. Ad articulos *foliola* frequentia, *Pſyllii* ſemper virentis foliorum æmula, ſed breviora, ut quæ ſeſcunciam aut duas uncias vix excedant. Una cum foliis exeunt etiam *pediculi* nudi, pari cum foliis longitudine, vel etiam majore, *ſpicam* ſeu capitulum parvum, ſquamoſum, Pſyllii æmulum, ſuſtinentes. *Radices* numeroſæ, capillaceæ tenuitatis, è geniculis demittuntur. *D. Raius.*

In Cambria prope Madern & alibi D. Philip. Skippon detexit. D. Dodſworth etiam in humidis invenit.

PLANTÆ FUNGOSÆ

Enodes & aphyllæ præcedentibus affines.

CAPUT XXIII.

Juncus.

JUncus *à jungendo, Græcis* χοῖνος *dicitur: eo quod ad lora & funes conficiendos aptus ſit.* Hujus variæ ſunt ſpecies, & inter ſe ſeminibus diſtinctæ; quædam enim *duræ & ſolidæ*; alia *minutæ & pulverulentæ*, alia etiam *paleacea ſemina* conſpiciuntur.

TABULA XXIII. SECT. VIII.

- *Juncus*
  - *lævis, paniculâ*
    - *ſparſa*
      1. *Maximus ſive Scirpus, C. B. P. Theat. Juncus lævis maximus, Park.*
      2. *Sive Scirpus medius, C. B. P. & Theat.*
      3. *Indicus major ſtylis geniculatis, Tsjeli, Hort. Mal. Part. 12.*
      4. *Major, C. B. P. & Theat. Park. Juncus lævis, Ger.*
      5. *Alter, C. B. P. & Theat. Junci genus medulla prorſus nivea, J. B. Lugd.*
      6. *Minor, C. B. P. & Theat. Park.*
    - *non ſparſa*
      7. *C. B. P. & Theat. Juncus lævis glomerato flore, Park.*
      8. *Maritimus Cyperi modo foliaceus Narbonenſis, Nobis. Juncus maritimus Narbonenſis, Lob. Park.*
      9. *Glomeratus Madraſp. capitulis compactioribus, acumine geniculato, D. Pl. Phyt.*
      10. *Madraſpatan. capit. compactioribus, acumine bifido longiore, D. Pluk. Phyt.*
      11. *Minor Barbadienſis panicula compactiore, acumine bifido brevi, D. Pl. Phyt.*
      12. *Parvus calamo ſupra paniculam longius producto, Newtoni.*
  - *durior, acutus*
    - *rectus*
      13. *Vulgaris, Park. Juncus acutus panicula ſparſa, C. B. P.*
      14. *Maritimus Anglicus, Park.*
      15. *Pungens ſive acutus capitulis Sorghi, J. B.*
      16. *Montanus humilis paluſtris foliis expanſis, Nobis. Oxyſchœnus ſive Juncus Alpin. Cambro-Britann. Park.*
      17. *Maritimus capitulis rotundis, C. B. P. & Theat.*
      18. *Minor maritimus prolifer, ſive ex uno capitulo multa, D. Pluk. Phyt.*
      19. *Foliaceus humilis caule rotundo, Madraſp. D. Pluk. Phyt.*
      20. *Maritimus caule triangulo, C. B. P. & Theat. Park. J. B.*
      21. *Maritimus caule triquetro maximo molli & procerior noſtras, D. Pluk. Phyt.*

22. Mari-

- 22. *Marit. caule triquetro molli ſpica glomerata in ſtylo ſeſſili, D. Pluk. Phyt.*
- 23. *Humilis, J. B. Juncellus omnium minimus, Adv. Lob.*
- 24. *Perpuſillus Æthiopicus capillaceus capitulis ut plurimum ternis ſeſſilibus, Nobis. Gramen junceum perpuſillum foliis capillaceis, D. Pluk. Almageſt. Bot. 179.*

acumine reflexo
- 25. *Major, C. B. P. & Theat. Prod. 22.*
- 26. *Alter, C. B. P. & Theat. Park. J. B.*
- 27. *Minor vel trifidus, C. B. P. Juncus trifidus, J. B.*

capitatus

capite majore
- 28. *Lævis panicula glomerata nigricante, C. B. P. Juncus Lithoſpermi ſemine, Magnol.*
- 29. *Exiguus montanus mucrone carens, C. B. J. B.*
- 30. *Africanus pectinato capite, Hermanni*
- 31. *Pumilus ſive gramen junceum è Madraſpatan. capitulis in ſummitate, aphyllos, D. Pluk. Phyt.*

capite minore
- 32. *Capitulis Equiſeti major, C. B. P. Juncus capitulis longis ſive clavatus, J. B.*
- 33. *Longiore Gallicus.*
- 34. *Rotundiore, Nobis.*
- 35. *Juncus montanus cum parvis capitulis luteis, J. B.*
- 36. *Sive Juncellus capitulis Equiſeti minor & fluitans, C. B. P. Theat. J. B.*
- 37. *Sive Juncellus minimus capitulis Equiſeti, Bocc. D. Plot. Hiſt. Nat. Oxon.*

1. Juncus *maximus ſive Scirpus, C. B. P. & Theat. Juncus maximus Holoſchœnos, J. B. Juncus lævis maximus, Park. Aquaticus maximus, Lob. Juncus major & paluſtris, Trag.* E *radice* craſſa, geniculata, ruſſa, *fibris* exinde limo affixis, nudos enodeſque *ſtylos* omnium altiſſimos & craſſiſſimos promit, *medulla* pumicoſa & exigua. *Citra* horum faſtigia è latere erumpunt *paniculæ* ſparſæ, è *capitulis* turbinatis, magnis, ſquamatim imbricatimque compactilibus, ruſſis, contextæ; *pediculis* nunc longioribus, nunc brevioribus & fere nullis. *Semen* in ſquamis deliteſcit triquetrum.

In rivulis, piſcinis, & aquis perpetuo ſtagnantibus, paſſim occurrit.

2. Juncus *ſive Scirpus medius, C. B. P. & Theat. Juncus ſylvaticus, Tab. J. B.* Hic præcedenti convenit; magnitudine ſolum differt, qua inferior eſt. An differentia ſolo debita ſit, quærendum.

In aquoſis ſterilioribus & ſylvis invenitur.

3. Juncus *Indicus major ſtylis geniculatis, Tsjeli, Hort. Mal. Part. 12. p. 135. Radix* curta, numeroſis *fibris* capillatis, nigricantibus veſtita. *Caules* qui ſimplices ex radice exſurgunt, juncei, larga cavitate, virides, geniculatis annulis interſtincti, ſed non in una parte foliоſis involucris veſtiti, ſinguli faſcia ſpicata, ruſſa, ad geniculum inferius verticillatim ut plurimum ſuccincti. *Spicæ* quæ ex foliis ſe invicem imbricatim contegentibus, viridibus, ac poſtea rufeſcentibus ſunt compoſitæ, tria, cum florent, extra ſingula *folicula* ejiciunt *filamenta* pendula, oblongis, nutantibus, flaveſcentibus donata *apicibus. Semina* parva triangularia, ſicca, nigricantia, nitentia, inter edulia ſunt.

4. Juncus *lævis panicula ſparſa major, C. B. P. & Theat. Juncus lævis, Ger. Juncus panicula arundinacea, J. B. 520.* Figura eadem eſt qua & Juncus foliaceus ab illo repræſentatur. *Juncus lævis panicula ſparſa, Lob.* Hujus *ſtyli* bipedales & bicubitales, læves ſunt & aliis molliores & virentes, à *radice* ad fuſcum colorem tendentes, *medulla* alba, tenera farcti, quorum cortice ſemideraſo, ad candelas & ellychnia conficienda ſunt apti, acuminati. Ex horum autem latere, ad dodrantem infra ſummitatem, prorumpit *panicula* è plurimis locuſtis parvis paleaceis *petiolis* uncialibus inſidentibus, compoſita. Ex eodem à radice *thyrſo* quidam horum omnino nudi conſpiciuntur.

In ſulcis ubi ſtagnarunt aquæ, in foſſis & ipſis aquis frequens naſcitur; & mollitie & lævitate ſatis eſt notus.

5. Juncus *lævis alter, C. B. P. & Theat. Junci genus medulla prorſus nivea, J. B. Lugd.* Prædicto brevior & craſſior eſſe dicitur; candelis etiam conficiendis idoneus. An diſtincta ſit ſpecies, quærendum.

6. Juncus *lævis panicula ſparſa minor, C. B. P. & Theat.* Tota planta palmaris eſt, *radice* fibris albis donata; ex qua *ſtyli* plures tenuiſſimi & palmares exſurgunt, qui in ſubtiliſſimum apicem finiuntur. Ex ſtyli medio *panicula* exiguà, rufeſcens & ſparſa prodit.

In Bernatum paludoſis jugis Alpinis reperitur, via qua ex valle Grindelwald in vallem Lauterbrun itur. C. B.

7. Juncus *lævis panicula non ſparſa, C. B. P. & Theat. Juncus lævis glomerato flore, Park. Lob.* Eodem loco quo & tertius frequenter naſcitur hic juncus, cujus magnitudinem & altitudinem attingit, ſed hiſce notis facile diſtinguitur, quod *caules* ſtylive omnino per longitudinem ſtriati ſunt & duriores; & *panicula* è medio caule naſcens, abſque pediculis aut brevibus ſaltem ipſi adhæret; nigrioris quoque coloris eſt.

8. Juncus *maritimus Cyperi modo foliaceus, Nobis. Juncus maritimus Narbonenſis, Lob. Park.* E *radice* fibroſa, tenui, repente, plurimi *ſtyli* craſſiuſculi, lenti, pallide virentes, in acumen deſinentes, oriuntur; inter quos *caulis* rectus, *folia* altitudine ſuperans, aſſurgit; atque hujus ſummitati *capitulum* amplum, ex plurimis ſpicis paleaceis compoſitum inſidet; cui tria ut plurimum folia, uno multum reliqua longitudine excedente, ſubjiciuntur.

Narbonem circiter in paludoſis maritimis naſcitur, referente Lobelio.

9. Juncus *glomeratus Madraſpatenſis acumine geniculato, D. Pluk. Phyt. Tab. 197.* Juncus hic ſingularis cujus notitiam *Cl. Plukenet* prodidit mediocris eſt magnitudinis, ejuſque medio *ſpiculæ* plures è *ſquamulis* paleaceis

aceis compactiles in glomerulam confertæ, arcte adhærent; ſed (quod in hoc notandum eſt) *ſcapus* ſupra *paniculam* aſſurgens, ad uncialem & ſemiuncialem intercapedinem *geniculis* ſecantibus dividitur.

10. Juncellus *Madraſpatenſis capitulis compactioribus, acumine bifido longiore, D. Pluk. Phyt. Tab.* 197. Parvulus hic novus Juncus in ſummitate tres quatuorve *ſpiculas* breves, arcte compactas gerit; ad quarum appoſitionem bina *foliola* longa, tenuia & acuta, quoque enaſcuntur & expanduntur.

11. Juncus *minor Barbadienſis panicula compactiore, acumine bifido brevi, D. Pluk. Tab.* 197. Hujus Junci *ſcapus* erecte aſſurgit, pedalis; cujus ſummitati *ſpicæ* tres quatuorve breves, ſquamatæ & paleaceæ inſident. Iſtis autem bina *foliola*, vix uncialia, acuta, ſubjiciuntur.

12. Juncus *parvus calamo ſupra paniculam longius producto, Newtoni.* E *radice* fibroſa & compacta, plurimi junci tenuiſſimi, ad pedalem longitudinem aſſurgentes, oriuntur; quibus, ad tertiam partem à radice, vix dimidiam, *ſpicæ* parvæ, paleaceæ adhærent, & *ſcapus* gracilis ſupra eaſdem in longum producitur.

In Weſtmorlandia non procul ab oppido Ambleſide dicto ſtirpium rariorum inveſtigator indefeſſus D. Newton detexit.

13. Juncus *acutus vulgaris, Park. Juncus acutus, Dod. Ger. Juncus acutus panicula ſparſa, C. B. P. & Theat. Juncus foliaceus, J. B.* Tranſpoſita vero cum Panicula arundinacea eſt figura. *Caules* ſive ſtyli huic ex uno ceſpite crebri, cubitales aut altiores, teretes, graciles, firmi, propter terram rubentes, deinde obſcure virentes, ſtriati, *medulla* tenui farcti ſunt, in acumen longum tenue terminati. E caulium medietate *panicula* ſparſa & jubata effunditur, *ſemen* ferens tenue & fulvum, oblongis in tria foliola dehiſcentibus *conceptaculis* clauſum.

Juncus hic vulgatiſſimus in paſcuis lociſque humidioribus ubique reperitur.

14. Juncus *acutus maritimus Anglicus, Park.* 1194. Virides ſunt huic Junco *ſcapi*, præcedentis majores, altiores, robuſtiores, in *acumen* rigidum pungens definentes; thecis quibuſdam foliaceis in ima parte circumvoluti, ut in aliis, è ſcapo in ſinum excavato, & in duo cornua (quorum alterum admodum breve eſt) diducto. Seſquipalmari aut dodrantali ab apice diſtantia erumpit *panicula* ampla, in plures partiales paniculas diviſa, una præ aliis longo pediculo inſidente, & ſupra reliquas eminente ac ſi ſeparata eſſet. *Panicula petiolis* longis diffuſa, ex albo ſpadicei coloris in thecis ſeu involucris paleaceis, capſulas continet triquetras parvas; quibus *ſemina* plurima, minuta & pulverulenta, includuntur.

In maritimis paludoſis Angliæ, præſertim in meridionali & occidentali ejuſdem littore copioſe provenit.

15. Juncus *pungens ſive acutus capitulis Sorghi, J. B. Acutus capitulis Sorghi, C. B. P. & Theat.* Huic junci ſunt craſſiuſculi, rigidi, pungentes, ſeſquicubitales. Infra mucronem pungentem tribus quatuorve pollicibus exſiliunt florum ſeminumque glomerata *capitula* ſubrotunda, ſplendentia, fuſca, Sorghi aut Melicæ æmula, aſt acuminata, *ſemen* minutiſſimum, oblongum & ſubfuſcum continentia. Horum autem exortui ſubjectum eſt *folium*, indidem erumpens, ex latiore principio, vaginam imitatum, in acumen definens.

In oris maritimis Angliæ variis in locis, & ad pagum Perauls, haud longe à Monſpelio, aliiſque, paſſim occurrit.

16. Juncus *montanus humilis paluſtris foliis brevibus expanſis, Nobis. Forte Oxyſchœnos ſive Juncus Alpinus Cambro-Britannicus, Park.* E *radice* craſſiuſcula *fibris* ſubfuſcis adnexis, proveniunt *folia* plurima, palmaria, rigida, & mucronata, ſuperna parte compreſſa & quaſi ſulcata, altera rotunda, ſtellatim expanſa; è quorum centro erigitur *caulis* unus vel alter, dodrantalis, teres, glaber, in ſummitate *paniculam* junceam, ſparſam ſuſtinens, eamque ex *floſculis* hexapetalis, parvis, ad luteum colorem vergentibus, compoſitam. *Floſculis* autem *capſulæ* ſubrotundæ, fuſci coloris, *ſemina* numeroſa minuta continentes ſuccedunt.

Ad pedes montium & in ericetis ſolo humido & ſpongioſo ſatis frequens reperitur.

17. Juncus *maritimus capitulis rotundis, C. B. P. & Theat. Juncus acutus maritimus alter, Park. Scapo* aſſurgit cubitali, & ſeſquicubitali, magnitudine tertii vulgaris Junci, *panicula* ſparſa, rigidiore tamen, & in acumen pungens terminata. Ubi vero in illo panicula, in hoc tria quatuorve & interdum plura capitula rotunda, parva, Platani aut ſparganii inſtar, ſed minora, rugoſa, fuſca, *petiolis* uncialibus & ſeſcuncialibus inſidentia, exſiliunt. Atque ad horum exortum *foliolum* tenue, acutum, biunciale & triunciale, ſubjectum enaſcitur.

In agro Hantonienſi detexit D. Sherard; in Comitatu Somerſetenſi quoque invenitur; & in Italia, Sicilia, & Gallia Narbonenſi ad maris littus, frequens reperitur.

18. Juncus *minor acutus maritimus prolifer, ſive ex uno capitulo multa, D. Pluk. Phyt.* Antecedenti convenit hic; pungenti *ſcapo*, ſed minore. E *capitulis* rotundis, *petiolis* quoque inſidentibus, minoribus, alii etiam minores emittuntur, ut prolifer appareat.

Hunc quoque Cl. D. Sherard nobis attulit.

19. Juncus *foliaceus humilis ſive Gramen junceum caule rotundo Madraſpatenſe.* Planta hæc dodrantem alta è *radice* fibris compacta, *folia* protrudit juncea, acuta, biuncialia. *Scapi* longiores, juncorum more, ad latus, *paniculas* racemoſas & ſquamoſas oblongas duas aut tres, nunc arcte conjunctas, nunc *petiolis* donatas, habent.

20. Juncus *acutus maritimus caule triangulo, C. B. P. & Theat. Park. J. B. Radice* eſt repente, fibroſa; à qua aliæ *radiculæ* prioribus exſiccatis naſcuntur. Hinc *culmi*, quos ad radicem brevia *folia* cingunt, pedales, trianguli exſurgunt, & in extremitatem pungentem definunt, & paulo infra faſtigium à latere *floccus* racemoſus, rufeſcens, ex *granulis* tribus lateribus donatis conſtans exit. Interdum *racemus* ſingulus, interdum plures *ſcapo* arcte adhærent.

Ad rivulorum quorundam Angliæ ripas, & in maritimis prope Frontignanam & Perauls, haud longe à Monſpelio, reperitur.

21. Huic addit *Cl. D. Plukenet Tab.* 40. *Juncum acut. maritimum caule triquetro maximo molli & procteriorem noſt.* Hic multo major & craſſior eſt, triqueter; & *capitula* plura conſimilia, racematim naſcentia, *pediculis* inſidentia poſſidet.

22. Juncus *acutus maritimus caule triquetro molli, ſpica glomerata in ſtylo ſeſſili*; Hujus notitiam *D. Plukenetius Tab.* 40. prodidit. Eleganti, nitido, triquetro *Scirpo* erigitur; cujus ſummitati *capitula* ſquamoſa & racemoſa, oblonga, ſeptena aut octena numero, confertim ſita, adnaſcuntur.

23. Juncellus *omnium minimus, Adv. Lob. & Chamæſchœnos. Juncellus Lobelii, Park. An Juncellus inutilis ſive Cha-*

me-

mæſchænos, C. B? Parvulus hic juncellus è *radice* fibroſa ceſpitem quaſi conſtituens, crebris *foliolis* ſeti equini craſſitudine denſe in orbem ſtipatus, palmarem altitudinem raro ſuperat. Et *ſcirporum* fœcundiorum latetribus, erga apicem, *panicula* parva & brevis, una vel altera, compacta, paleacea, & quaſi ſquamoſa, in juventute vireſcens, poſtea nigricans adhæret.

Ad paludum molliorum & putridarum margines variis locis reperitur.

24. Juncellus *perpuſillus Æthiopicus capillaceus capitulis ut plurimum ternis ſeſſilibus. Nobis. Gramen junceum perpuſillum capillaceis foliis, D. Pluk. Almageſt. Bot.* 179. *Tab.* 300. *F.* 5. Tenuiſſimus hic *Juncus* inter minimos recenſendus è *radice* cirris compacta *foliolorum* capillaceorum gracillimorum congerie, unciali plus minus altitudine emittit. Alii *ſcapi*, etiam tenuiſſimi longiores, ſua imbecillitate quoque incurvati & contorti inter ea oriuntur; quibus ſingulis *capitula* parva tria plerumque ſimul juncta, præcedentis ſimilia, ſummitatem erga, adhærent.

25 Juncus *acumine reflexo major, C. B. P. Theat. & Prod. Park. J. B.* *Radice* nititur capitata. *Capitula* ipſa qua parte alia aliis adhærent & incumbunt leviter compreſſa ſunt, *cortice* nigro obducta, *fibris* plurimis deorſum & ad latera emiſſis, & in unum ceſpitem coacervatis. *Scirpis* eſt ſeſquicubitalibus, ad exortum tunica atrorubente & ſplendente tectis, & infra cacumen incurvatum, pedis fere ſpatio, ad latus ſcirpo fiſſo, plures *pediculos* emittit, qui foliacea membranoſa & oblonga *vaſcula*, in quinque apices fiſſa, ſuſtinent. Eaque *fructum* anguloſum, nigrum, minuto *ſemine*, eoque flavo, refertum continent.

Naſcitur in aquoſis & pinguibus locis, ſed pura & præterlabente aqua fere madentibus. Caſp. Bauh. In humentibus locis frequens occurrit. Magnol.

26. Juncus *acumine reflexo alter, C. B. P. & Theat. Park. J. B.* *Caule* eſt ſeſquicubitali, rotundo, lævi, aphyllo; *panicula* umbellæ ſimili, atroſplendente, *pediculo* carente, *filamentis* cœruleis (ut in Aphyllante cœrulea) donata. Hanc autem *caulis* duarum triumve unciarum, acutus, ſed mollis, parumque reflexus, ſuperat.

In Galloprovincia provenit. C. B.

27. Juncus *acumine reflexo trifidus, C. B. P. & Theat. Park. Juncus trifidus, J. B.* Ex *radice* nigra geniculata & fibroſa *junci* plures, tenues, palmum ſuperantes exſurgunt; qui in ſummitate in tres, rarius quatuor, ſtylos tenuiſſimos, trium quatuorve unciarum, dividuntur. Inque horum ſummitatibus poſt junci diviſionem *paniculæ* parvæ collocantur.

In monte fracto Lucernatum, ut & Pyrenæis & Moraviæ montibus colligitur.

Junci capitati, ſeu capitulis in ſummo ſimplicibus donati.

28. Juncus *lævis panicula glomerata nigricante, C. B. P. Juncus lævis Lithoſpermi ſemine, Hort. Reg. Bleſ. & Paris. Juncus Lithoſpermi ſemine, Magnol.* *Radice* eſt puſilla, nigra, capillacea; *cauliculo* pedali & altiore; cujus ſummitati *capitulum* ex fuſco colore purpuraſcens, quadrifidum, in exiguum, rigidiuſculum filamentum abiens, inſidet. *Foliola* ad cauliculi principium tria, juncea. *Semina* in capitulo ſquamato incluſa, ſubrotunda, ex cœruleo colore albicantia, ſeminum *Lithoſpermi* vulgaris ſunt æmula.

Locis paluſtribus Angliæ, ſolo ſpongioſo invenitur, ſed rarius. In Germania, & circa Monſpelium reperitur.

29. Juncus *exiguus montanus mucrone carens, C. B. P. & Theat. J. B.* *Radice* eſt puſilla, nigra, capillacea; *cauliculo* quatuor aut quinque unciarum, cujus ſummitati capitulum parvum, ex fuſco colore purpuraſcens, quadrifidum, in exiguum rigidiuſculum filamentum abiens inſidet. *Foliola* ad cauliculi principium tria, juncea, unciam longa.

In Tautero Raſtadienſi Auſtriæ monte D. Burſerus legit, & C. Bauh. tranſmiſit.

30. Juncus *Africanus pectinato capite.* Juncus hic rariſſimus à Clariſſ. *D. Hermanno*, à promontorio *Bonæ ſpei* delatus, nudo *caule* ad pedalem altitudinem aſſurgit; in cujus ſummitate *capitulum* elegantiſſimum, compreſſum, unguis humani latitudinis, ſuperiore *margine* convexo, inferiore quaſi reflexo incurvatum eſt. Hoc autem in *ſulcuiis* & ſtriis eminentibus ſulcatum, & *membranulis* indiviſum, pectinatum eſt.

31. Juncus *pumilus ſive Gramen junceum minus è Madraſpatan, capitulis in ſummitate, aphyllos, D. Pluk. Phyt. Tab.* 192. Plantula hæc palmaris è *radice* parva fibroſa *folia* emittit numeroſa, juncea uncialia & ſeſcuncialia, in orbem diſpoſita; interque iſthæc *cauliculi* oriuntur graciles, teretes, recti, palmares, qui in ſummitate *capitula* ſatis ampla, trifida, ex *ſquamis* paleaceis compoſita, ſuſtinent.

32. Juncus *capitulis Equiſeti major, C. B. P. Juncus capitulis Equiſeti, Theat. Park. Juncus capitulis longis ſive clavatus, J. B. Chab. Juncus clavatus, Dal.* Nodulis *radicum* repente modo ſe propagat, multiſque *fibris* ſubtus capillatur. *Culmi* teretes, molliores, glabri, enodes, recti, cubitum fere æquant, fungoſi, circa imum rubentes. Horum autem ſummitas non in *ſtylum* acutum, ſed in *ſpicam* clavatam, rufeſcentibus ſquamis imbricatam, exit. Clava uncialis eſt aut circiter.

In urbium foſſis, ad rivulorum margines & aquis ſtagnantibus, frequens reperitur.

33. Juncus *clavatus major capitulis longioribus, anguſtioribus, & acutioribus.* Hanc varietatem ex Gallia habemus.

34. Juncus *clavatus medius capitulis rotundioribus.* In ſtagnantibus aquis noſtris, magnitudine variare videtur hæc planta. E Gallia quoque habemus, *Capitula* ſatis tumida, brevia, & pene rotunda ſunt.

35. Juncus *parvus montanus cum parvis capitulis luteis, I. B. Chab. Gramen junceum foliis & ſpica junci minus, C. B. P. & Theat.* Crebris radicatur *fibris*, è quibus *ſtylos* emittit palmares aut dodrantales, tenues, multis *foliorum* propter terram involucris obſitos, qui cætera æquabiles enodeſque in ſummo faſtigio *capitulum* geſtant breve, inter *ſquamas* longiores & magis apertas emicantibus *floſculis* luteis.

In herboſis & paludoſis Flandriæ locis reperitur.

36. Juncellus *capitulis Equiſeti minor & fluitans, C. B. P. Theat. I. B. Park.* Ex *radiculis* capillaceis *juncus* tenuiſſimus recurvus prodit, & in plures *juncellos* duarum triumve unciarum ſubdividitur; quorum ali-

qui erecti, aliqui reflexi *capitulum* minimum ſuſtinent, & juncellis ſingulis *foliolum* tenue & capillaceum apponitur.

In Angliæ aquoſis fluitat, unde D. Gallenius Caſp. Bauh. miſit. Forte Gramen junceum clavatum minimum, ſeu Holoſteum paluſtre repens, foliis, capitulis, & ſeminibus Pſyllii, Raii.

37. Juncellus *clavatus minimus, ſive juncellus minimus capitulis Equiſeti, Bocc. D. Plot. Hiſt. Nat. Oxon.* in paſcuo communi ad pagum *Binſey* dictum mille paſſus ab Oxonio diſſitum attinente, ad foſſarum ſtagnantium margines, hanc plantam perexiguam invenimus. E *radice* minimis *pilis* capillata, *foliola* juncea capilli tenuitate donata, emittit, digiti longitudinis, quorum quædam parvula *capitula*, aliorum hujus ſerici in modum, ſed cæteris multo minora, ſuſtinent.

Juncorum Uſus.

Juncos *officinæ non aquoſcunt; exſiccandi vim Junci tamen obtinent. Ad uſus domeſticos varios præſtant. Genus ſeptimum præſertim, partim decorticatum, ad candelas permanentes conficiendas aptiſſimum eſt. Hoc & majora etiam genera, ad mattas, ſtoreas, tegeteſque diverſiformes nectendas, peridonea ſunt. Indi ex eorum juncis ſpontaneis, tegeticulas, ſcirpeas, corbes, plurimaque alia utenſilia requiſita, faberrime & elaborate plectunt & contexunt.*

SECTIONIS OCTAVÆ

Diſtributio quinta.

PLANTÆ GRAMINIFOLIÆ

ENODES UT PLURIMUM

Cyperus, Gramen cyperoides, Typha, Acorus, Sparganium.

CAPUT XXIV.

Cyperus.

CYperus κύπειρος dicitur a radicis effigie, quæ pyxidulam aut vaſculum puſillum imitatur. Nam Græcis κύπελλοι ſunt vaſa concava & capacia; hinc herba κύπειρος dicta, eo quod pyxiduli aut poculi imaginem mentiatur.

Cyperus eſt planta graminifolia caule enodi, triquetro; cujus ſummitati paniculæ cum foliolis ſtellatim ſubjectis umbellatim naſcentes inſident. Ejus radices vel rotundæ vel longæ ſunt.

TABULA XXIV. SECT. VIII.

- *rotundus*
  - *odoratus*
    1. *Vulgaris, C. B. P. Theat.* 209. *Cyperus panicula craſſiore minus ſparſa, I. B.* 493.
    2. *Orientalis major, C. B. P. Theat.* 208. *Cyperus Syriaca & Cretica rotundave, I. B.* 502.
    3. *Orientalis minor, C. B. P. Rotundus minor, Adv. Lob.*
    4. *Americanus caulibus articulatis, Nobis. Inodorus ex Florida, C. B. P. 1. Apoyomatli, ſeu Phatziſiranda; Cyperus. Amer. Recchi,* 33. *Radix Sanctæ Helenæ, N. Monardi, Cluſ. Exot.*
    5. *Madraſpatenſis major paniculis turgidioribus longis, denſius ſtipatis.*
    6. *Minimus Hiſpanicus,* 4. *C. B. P. Rotundus pumilus, Cluſ. Cur. poſt.*
    7. *Indicus Capitulis ſubrotundis conglomeratis, Mottenga, H. Mal. Part.* 12.
  - *inodorus*
    8. *Littoreus, Ger.* 31. *Rotundus inodorus Anglicus, C. B. P. Theat.* 214. *Rotundus littoreus inodorus, I. B.* 503. *Park.* 1263.
    9. *Littoreus Anglicus alter, Park.* 1264. *Inodorus Germanicus, C. B. P. Theat.* 215. *Aquaticus ſeptentrionalium, I. B.* 503.
  - *eſculentus*
    10. *Anguſtifolius, C. B. P. Theat.* 222. *Traſi, I. B. Cyperus eſculentus ſive Traſi Italorum, Ger.* 32.
    11. *Latifolius,* 2. *C. B. P. Ceraos Traſium modo naſcens folio Iridis lutea, I. B.* 506.
    12. *Madraſpatenſis panicula ſparſa, è plurimis paniculis minimis compoſita. An Traſi minores, I. B.* 506?

13. *Odo-*

- *Cyperus*
  - *major*
    13. *Odoratus, C. B. Theat.* 216. *Cyperus officinarum, C. B. P.* 1. *Cyperus paniculâ ſparſa ſpecioſa, J. B.* 499, 500.
    14. *Indicus Piperis odore, ſpiculis longioribus, Pota-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 93.
    15. *Latifolius locuſtis plurimis minoribus & brevioribus, Nobis. Cyperus gramineus miliaceus,* 1. *C. B. P. Gramen cyperoides miliaceum, C. B. T.* 90. *Cyperus gramineus, J. B.* 504.
    16. *Americanus Lithoſpermi ſemine.*
    17. *Indicus ſpiculis plurimis brevibus tumidioribus & coacervatis, Ira, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 103.
    18. *Indicus ſpiculis parvis rarius diſſitis, Ira ſeu Bellari, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 105.
    19. *Indicus ſpiculis rarius diſpoſitis minimis, Wara-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 77.
    20. *Indicus ſpiculis brevibus tumentibus ſeminibus rotundis ſpadiceis, Beera-Kuida, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 109.
    21. *Gramineus Braſilienſis quadrangulari capitulo, Chamæmeli odore. Gramen triangulare,* 1. *Marcgrav.*
    22. *Gramineus Braſilienſis capitulis albis, Marcgrav.*
    23. *Gramineus Braſil. umbellatus granulis aculeatis. Gr.* 5. *ſpecies, Marcgravii.*
    24. *Inodorus Germanicus,* 4. *C. B. P. Theat.* 221. *Cyperus longus inodorus vulgaris, Park. Sylvaticus, Lob. J. B.* 504. *Cyperoides altiſſimum foliis & carina ſerratis, Bocc. Forte Cyperus long. inodor. ſylvat. vel montanus,* 5. *C. B. P. Prod.* 24.
    25. *Inodorus latifolius ſpicis tumidioribus minus ſparſis, Nobis. Gramen cyperoides panicula ſparſa majus,* 7. *C. B. P. Theat.* 86. *Gr. cyperoides vulgatius aquaticum, J. B.* 495.
    26. *Indicus ſpicis oblongis petiolis propriis inſidentibus, Kol-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 119.
    27. *Americanus ſpicis ſubrotundis ſparganii inſtar echinatis.*
    28. *Fibratus ſpicis ſubrotundis magnis ſingularibus foliis ſeſſilibus, Pee-Mottenga, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 99.
  - *longus*
    29. *Madraſpatenſis panicula ſparſa è locuſtis rotundis compoſita.*
    30. *Madraſpatanus Juncelli Geſneri capitulis; Nobis. Gr. Cyperoides Madraſpatanum Juncelli Geſneri capitulis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 119.
    31. *Americanus ſpicis ſine pedicu is ſummo cauli inſidentibus, longiſque foliolis adnatis. Gramen cyperoides Amer. ſpicis ſpecioſis plurimis compreſſis ſummo caule abſque pediculis adnatis, D. Pluk. Phyt. T.* 91.
    32. *Madraſpatanus rarius & tenuius ſpicatus. Gramen cyp. rarius & tenuius ſpicatum, D. Pluk. Phyt. T.* 192.
    33. *Madraſpatanus panicula è ſpicis mollibus compoſita. Gram. cyp. elegans panicula ſpicis mollibus compoſita, D. Plut. Phyt. T.* 192.
  - *minor*
    34. *Indicus tenuifolius panicula ſparſa flaveſcente, Nobis. Gr. cyperoides Indiæ Orient. elatius panicula ſparſa palleſcente, D. Pl. Phyt. Tab.* 191.
    35. *Madraſpatanus ſpicis plurimis ſummo caule in orbem congeſtis. Gr. Cyp. Madraſpatanum ſpicis plurimis ſummo caule in orbem congeſtis, D. Pluk. Phyt. T.* 192.
    36. *Madraſpatanus capite ex ſpicis plurimis in cacumine caulis glomerato, Nobis. Gr. cyp. Madraſpatanum capite ex ſpicis plurimis acuminatis in cacumine caulis glomerato, D. Pl. Almageſt.* 178. *Tab.* 300.
    37. *Pulcher panicula lata compreſſa ſubflaveſcente, Nobis. Gram. cyp. minus panicula ſparſa, C. B. T.* 89.
    38. *Pulcher panicula compreſſa nigricante, Nobis. Gramen cyp. minus panicula ſparſa nigricante, C. B. P. & Theat.*
    39. *Hirſutus paluſtris paniculis albis paleaceis, Nobis. Gramini Luzulæ affine flo. albo, J. B.* 492. *Gr. junceum leucanth. Ger.* 30.
    40. *Juncifolius paluſtris paniculis fuſcis paleaceis.*
  - *umbellatus*
    41. *Niloticus vel Syriacus maximus papyraceus, Nobis. Papyrus Nilotica, J. B.* 506. *Papyrus Niletica ſive Ægyptiaca, C. B. P. Theat.* 323. *Ger. Papyrus Syriaca vel Siciliana,* 2. *C. B. P. Theat.* 333.
    42. *Braſilienſis granulis aculeatis, Nobis. Graminis* 5. *ſpec. Marcgrav.*
    43. *Paniculis ſquamoſis, Nobis. Gramen cyperoides paniculis ſquamoſis in umbellam compoſitis, Raii.*
    44. *Odorus Peruanus, C. B. P. Radix contra Yerva, Monardi. Radix Drakena, I. B.* 740.
    45. *Inodorus Orientalis, C. B. P. Theat.* 220. *Radix Draknæ affinis, Cluſ. Exot. I. B.* 741.

1. Cyperus *rotundus vulgaris, C. B. P. & Theat. Cyperus panicula craſſiore minus ſparſa, I. B. Cyperus alter radice olivari, Ceſ. Culmum* tollit triangularem, ad cubiti aut ſeſquicubiti altitudinem, quem ſtipant *folia* graminea ſtriata, carinata, acuto dorſo gibba. In culmi ſummitate *folia* duo aut tria breviora, anguſtiora oriuntur, quorum ſinu *paniculæ* ſe explicant fuſcæ *floſculis* pallentibus. *Radix* è pluribus olivaribus glandulis

dulis conſtat; (ſed non pendentibus, ut in plurimis ſuccedentibus) colore foris fuſco, intus albo, ſubſtantia dura dulci, quæ virens odore deſtituitur.

In pratis locisque paluſtribus luci Gramuntii, aliisque circa Monſpelium provenit. Quin & Heidelbergam & Montbelgardum reptatu ſuo nimis perturbat. Menſibus Junio & Julio flores profert.

2. Cyperus *rotundus Orientalis major, C. B. P. & Theat. Cyperus Syriaca, J. B. Radicibus* eſt rotundis *Olivæ* craſſitie, multis, media quadam *fibra* tanquam filo *Filipendulæ* modo connexis, variis *ſtriis* aſperis, foris ſubrufis, aliquando rubentibus, aliquando etiam nigris, intus albidis, aromatici odoris, & acuti ſaporis. *Folia* eſt porraceis, longioribus tamen atque anguſtioribus; *caule* cubitali, anguloſo; in cujus cacumine *folia* aliquot ſtellæ in modum diſpoſita. Ex his autem *ſpicæ* aliquot herbacei coloris, *ſemina* continentes prodeunt. *Flores* odorati, longi, vulgaris ſimiles, ſed *paniculæ* magis ſparſæ ampliores ſunt.

In Ægypto circa urbem Bagadet, Alpino monente, naſcitur, ubi etiam Rawolfius legit & in Herbario vivo ſervavit.

3. Cyperus *rotundus Orientalis minor, C. B. P. & Theat. Cyperus rotundus minor, Adv. Lob. Cyperus minor Creticus, Ger. Cam.* Hic illo duplo minor eſt, *cortice* fuſco, villoſo, priori *ſapore* & *odore* ſimilis, & non modo è *Syriæ* montoſis udis, ſed etiam *Illyriæ* (ubi ſponte provenit) in *Italiam* defertur. Quin & in *Apulia* ſponte provenit.

Eſt etiam ex Creta alia varietas, radice parva, rugoſa, ex fuſco colore nigricante, odore Nardum æmulante.

4. Cyperus *Americanus caulibus articulatis, Nobis. Cyperus inodorus ex Florida, C. B. P. & Theat. Apoyomatli ſeu Phatziſiranda; Cyperus Americanus Recchi. Radix Sanctæ Helenæ, Nich. Monardi, Cluſ. Exot.* Folia fert porrecta, longa & exilia; *caules* medulla refertos geniculatos, ſeſquiulnam longos. *Flores* anguſti, *Cyperi* ſimiles ſparguntur. *Radices* ſunt longæ, *tuberculis* rotundis per intervalla nodatæ.

5. Cyperus *Madraſpatenſis major paniculis turgidioribus denſius ſtipatis.* Cum aliis raris Cyperum hunc ex Oriente habemus, qui inter majores habeatur. Ejus *culmus* triangularis ſatis craſſus eſt, in cujus cacumine *folia* pauca tranſverſum digitum lata, pedalia, ſtellatim expanſa ſunt. Ex horum centro *pediculi* recti, nudi, ſex uncias longi umbellatim proveniunt; ad quorum extremitates *ſpicæ* unciales, craſſiuſculæ, teretes, è glumis quampluribus fuſcis denſe coacervatis compoſitæ erumpunt.

6. Cyperus *rotundus minimus Hiſpanicus*, 4. *C. B. P. Rotundus pumilus, Cluſ. Cur. poſt.* Elegans Cyperi hæc ſpecies rotundis radicibus donata, pede humilior eſt, quam *Cl. Cluſius* in ſportulis à *Gulielmo Boelio* relatis, & in curis ſuis poſterioribus adeo breviter tractavit, ut plus ſtatuere non auſi ſimus.

7. Cyperus *rotundus Indicus capitulis ſubrotundis conglomeratis, Mottenga, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 97. *Radix* glanduloſa, fuſca, capillaceas & fuſcas emittit *fibras*, ex quibus hinc inde novæ glanduloſæ *radices* enaſcuntur, aromatici & gratiſſimi odoris. *Caules* qui cum *foliis* ex radicibus proveniunt triangulati ſunt, tenues, ſuperius nodulo diſtincti, in nodulo *foliis* veſtiti, quæ graminea ſunt & ſtriata. *Flores* in ſummitate caulium proveniunt, quorum *petioli* breves & plures congregatim exeunt. *Spicæ* ſunt parvæ, tenues, planæ, ex ruſſo colore rubeſcentes, *filamenta* tenuia, brevia, flava ceu ruſſa è medio ejicientes.

8. Cyperus *rotundus inodorus littoreus, Ger. J. B. Rotundus inodorus Anglicus, C. B. T.* 214. *Rotundus littoreus inodorus Anglicus, Park. Radicibus* eſt ſubrotundis, Cyperi ſimilibus, aliquando *Avellanæ* magnitudinis, nigris, rugoſo *cortice* tectis, longe lateque ſparſis, multis *filamentis*, & quidem cubitum excedentibus, implexis; *caulibus* cubitum ſuperantibus, triangulis, nigricantibus, & nitidis; *foliis* longis, anguſtis, anguloſis. *Panicula* racemoſa congeſta cauli arcte adhæret.

In Angliæ boreali, & Belgii fluminum littoreis lene fluentiumque rivulorum & maris alluvionibus, Lobelio atteſtante, oritur. Ab alio non inventum eſſe audimus; quare alias varietates à Parkinſono memoratas tranſimus.

9. Cyperus *inodorus littoreus Anglicus alter, Park. Inodorus Germanicus, C. B. P. & Theat. Cyperus aquaticus ſeptentrionalis, Lob. J. B. Folia* longa ad *radicem* tuberculis donatam multa ſunt, anguſta, etiam per *caulem* ſparſa, ita ut *paniculæ* folia duo, nonnunquam quatuor, ſubſint. *Panicula* eſt rufeſcente, communiter conglobata, & duabus, tribus, aut pluribus ſimul junctis.

In foſſis maritimis Anglicis, & pone Antwerpiam urbem inveniri teſtatur Lobelius.

10. Cyperus *rotundus eſculentus anguſtifolius, C. B. P. & Theat. Traſi, J. B. Cyperus eſculentus ſive Traſi Italorum, Ger. Traſi Veronenſium, Lob. Cyperus dulcis, Cam.* Huic à *radice* fibris donata adnectuntur *globuli* ſubrotundi & ovales, lineis paucis per obliquum circumductis, rufeſcentis coloris, carne intus candida, ſaporis grati caſtanearum proximi, edules. *Folia* aſſurgunt plurima, anguſta, dorſo eminente, triangulis *caulibus* cubitalibus; quorum cacumini *folia* minora ſtellatim diſpoſita naſcuntur. Ex horum autem centro alii *cauliculi ſpicas* vulgaris Cyperi longi ſpicis latiores & habitiores, ex fuſco colore luteolas gerentes, umbellatim ſparguntur. Non in omni ſolo provenit, ut *Caſalpinus, Matthiolus, Dodonæus*, aliique recte monent.

In variis orientalibus regionibus naſcitur, eſtque nomine Habalzelim notus. In Siculis & Neapolitanis oris, nec non in Agro Veronenſi ſponte provenit.

11. Cyperus *rotundus eſculentus latifolius*, 2. *C. B. P. Theat. Caceras Traſium modo naſcens, foliis Iridis luteæ, J. B. Caceras, Garziæ. Radix* hæc (ait Garzias) Traſium modo in ipſis terræ viſceribus naſcens invenitur, & deinde per ſiccitatem *cauliculum* dodrantalem emittit, ut & *folia* ſimul implicata, virentia, *Iridis* luteæ aquaticæ ſive Gladioli ſimilia. Dehiſcente per ſiccitates terra, tuberum modo exſilit, deinde ſiccata, Caſtanearum ſaporem refert, non ſiccata autem ingrati ſaporis eſt.

In India naſcitur, ut Garzias Arom. l. 2. c. 23. prodidit.

12. Cyperus *Madraſpatenſis panicula ſparſa è plurimis minimis compoſita. An Traſi minores, J. B.?* Planta hæc omnibus adhuc ſcriptoribus incerta manet. *Johannes Bauhinus* ſe radices rotundas Piſi magnitudinis, ex Africa recepiſſe aſſerit, ſed de foliis floribuſque conſileſcit. Nos Cyperi *paniculam* exinde habemus ſatis amplam aliorum *Cyperorum* more, à *caulis* ſummitate, cum petiolis umbellatim ſe dividentem & in *umbellulas* alias deſinentem, ex Cyperi *ſpiculis*, aliorum multo tenuioribus, brevioribus, & omnium minimis, compreſſis,

fis, compoſitas. An idem ſit cum Bauhiniano aſſerere non auſi ſumus, ſed pro ſpecie eleganti favore antedicti *D. Gyfford* ex Africa accepimus. *D. D. Pluknet in Phytographiæ Tab.* 192. nomine *Graminis Cyperoid. Madraſpatan. panicula magis ſparſa & ſpecioſa*, iconem huic conſimilem edidit.

Cyperi longi majores.

13. Cyperus *longus odoratus, C. B. P. & Theat. Cyperus panicula ſparſa ſpecioſa, J. B. Cyperus longus, Dod. Ger. Odoratior, Lob. Radices* fuſcæ, geniculatæ, parvi digiti craſſitie, importuno reptatu luxuriant, *fibris* plurimis tenacibus ſubpoſitis, & arundinaceo more ſe propagant. *Folia* habet multa, longa & anguſta, dura, dorſo eminente, acie acuta, manus retro tractantium ſcindentia. *Caule* eſt cubitali aut ampliore, geniculo deſtituto, triquetro, glabro, in cujus cacumine *folia* minora ſtellatim diſpoſita ſunt, & *paniculæ* latæ, laxæ, ſubfuſcæ ex eorum centro proveniunt, Traſium paniculis minores, ſed eodem modo naſcentes. *Radix* aromatici eſt odoris, guſtu adſtringente.

In pratis locisque paluſtribus variis ſponte provenit. v. g. circa Monſpelium, in Sicilia, Italia, vallibus Pedemontii, atque Germania, ſed & in Inſula Purbeck ad Angliam attinente D. Newton cum altis fæliciter invenit. Menſibus Julio & Auguſto jubas ſpicaſque profert.

14. Cyperus *longus Indicus Piperis odore, ſpiculis longioribus, Pota-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 93. *Radix* tranſverſim prorepit, geniculata. *Caules* triangulati & glabri, uno latere nonnihil excavato, odorem Piperis ſpirantes. *Spicæ* in *petiolis* viridifuſcis, planis, vertici caulium inſident & plures congregatæ proveniunt, ad exortum petiolorum tribus oblongis graminiformibus foliis ſuccinctæ, ruffæ, inter ſcutellata *foliola* candidiſſima *filamenta*, quorum *ſtaminula* viridia & oblonga, emittentes.

15. Cyperus *longus latifolius locuſtis plurimis minoribus & brevioribus, Nobis. Cyperus gramineus miliaceus, C. B. P. Gramen cyperoides miliaceum, C. B. Theat. Cyperus gramineus, J. B. Pſeudo-cyperus πλύκαρπος, Thalii. Radicibus* conſtat craſſis, fibroſis, nigricantibus; *caule* cubitali & bipedali, geniculato, triangulo; cui (æque ac à radice) *folia* pallide virentia, reliquorum foliis duplo latiora, adnaſcuntur. Caulis ſummitati *coma* elegans velut in racemis elegantibus ſparſa eſt, ex plurimis *paniculis* parvis ſubrotundis confecta; quibus tria frequenter *folia* ſubjiciuntur.

In uliginoſis & juxta aquas variis in locis naſcitur. Prope Hinkſey haud longe ab Oxonio ad ripas fluvii Thamiſis, aliiſque Angliæ, necnon Germaniæ locis aquoſis reperitur; & menſibus Maio & Junio comas profert.

16. Cyperus *Americanus major Lithoſpermi ſemine.* Planta hæc rara *caules* protrudit aliorum more triquetros, quibus *Cyperi* majoris *comæ* inſident amplæ, & in modum præcedentis aliquatenus ſparſæ; non ex paleaceis *capitulis*, ut in aliis, compoſitæ. *Petiolis* arcte adhærentia *capitella* plurima, ex thecis bivalvibus conſtructa, apparent, & quaſi bicapſularia ſeſe aperientia videntur. In ſingulo capitello *ſemen* ſingulare, rotundum, albicans, *Lithoſpermi* majoris ſimillimum denudatur.

Singularis hæc ſpecies à D. Baskervile de Bayworth, in peregrinationibus ſuis quondam detecta, nobis communicata eſt; ſed locus natalis minime innoteſcit.

17. Cyperus *longus Indicus ſpiculis plurimis brevibus tumidioribus & coacervatis, Ira, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 103. Planta eſt altitudinis duorum cubitorum. *Caules* è *radice* exeunt rotundioli, triangulares, in ſummitate nodulo diſtincti. Ex *caulis* ſummitate à nodo ſupra *folia* graminea, aſpera, tres quatuorve emicant *petioli* rigidi. Illis *ſpicæ* denſæ ac confertæ tranſverſim inſident, oblongoanguſtæ compreſſæ, cuſpidatæ, planorotundiolæ, ſquamoſæ, rufeſcentes. *Semina* in illis minuta, angulata, ſpadiceofuſca.

18. Cyperus *longus Indicus ſpiculis parvis rarius diſſitis, Ira ſeu Bellari, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 105. Hujus *folia* maxime ſunt acuta & incidentia. *Caules* triangulati, ſed acutioribus angulis, & ex ſuo nodo *petiolos* ſpicatos non ſolum emittunt, ſed & cum illis plures *cauliculos*, etiam ex ſuis nodulis ſpicatos proferentes *petiolos*. *Spicæ* in iis raræ & diffitæ, in duabus ſeriebus tranſverſim ſitæ, planiores, vel magis compreſſæ, ex flavo colore rufeſcentes.

19. Cyperus *longus Indicus ſpiculis rarius diſpoſitis minimis, Wara-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 77. *Caules* glabri, triangulati, angulis parum obtuſis. *Spicæ* in vertice caulium foliis oblongis ſuccinctæ prodeunt, in duabus ſeriebus diſtinctæ, *petiolis* tranſverſim inſidentes. Intra ſingularum ſpicarum *folia* imbricatim ſe mutuo obtegentia *ſemina* continentur.

20. Cyperus *longus Indicus ſpiculis brevibus tumentibus, ſeminibus rotundis ſpadiceis, Beera-Kwida, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 109 *Caules* tenues ſunt, triangulati, inferius à *foliorum* pedibus veſtiti, ſuperiori parte geniculati, in geniculis *foliis* oblongis obſiti. *Flores* in capitulis proveniunt ſpicatis, quæ, cum *petiolis*, in cacumine caulium ex geniculis erumpunt, *Spicæ* ſunt cuſpidatæ, virides; inque ſingulis unicum continetur *ſemen* rotundiolum, angulatum, ſpadicei coloris.

21. Cyperus *major gramineus Braſilienſis quadrangulari capitulo, Chamæmeli odore. Gramen triangulare* 2. *Marcgravii. Caulem* habet triangularem 15, 16, aut 20. digitos longum, ſupra terram longis, anguſtis, & venoſis foliis præditum. In ſummitate caulis *capitulum* eſt quadrangulare, quaſi è quinque *glandibus* compoſitum, magnitudine paſſulæ majoris; ad cujus latera quatuor *foliola* graminea extenduntur. Ipſum *capitulum* odorem habet quaſi *Chamæmeli*.

22. Cyperus *gramineus major Braſilienſis capitulis albis. Gramen cyperoides* 3. *Marcgravii. Caulem* habet triangularem, circiter pedalem, atque juxta humum duobus aut tribus *foliis* gramineis veſtitum. In ſummitate autem in brevibus *petiolis* proveniunt 6. 7. aut 8. *capitula* alba juxta ſe poſita; quorum quodlibet circumſtant ſex *foliola* viridia, acuta.

23. Cyperus *Braſilienſis umbellatus granulis aculeatis. Graminis quinta ſpecies Marcgrav.* Inferius triangularem habet *caulem*, qui ad quatuor circiter pedum altitudinem aſſurgit; *folia* autem quatuor aut quinque ſeſquidigitum fere longa, arundinacea; ſuperius *umbellas* multis acutis *granulis* quaſi echinorum aculeis onuſtas.

24. Cyperus *longus inodorus major foliis & carina ſerratis, Nobis. Cyperus inodorus Germanicus, C. B. P. & Theat. Cyperus longus inodorus vulgaris, Park. Sylvaticus, Lob. J. B. Gramen cyperoides altiſſimum foliis & carina*

carina ſerratis, Boccon. Radix huic longa, repens, & arundinacea eſt; & *caules* humanæ altitudinis, triquetros emittit, quibuſdam *geniculis* donatos. Folia longa, ſemiunciam lata, ſunt; quorum margines, æque ac dorſum eminens, concinnis & aſperis *ſerraturis* denticulata ſunt. Paniculam profert in ſummitate ſparſam & junceam, ex *locuſtis* parvis & acutis compoſitam. *Semina* intus continentur pulla mucronata, ſplendentia.

Locis udis & paluſtribus variis naſcitur Angliæ, ſed rarius, Germaniæ, Galliæ, Belgiæ, &c.

25. Cyperus *longus inodorus latifolius ſpicis tumidioribus minus ſparſis, Nobis. Gramen cyperoides panicula ſparſa majus, C. B. P. Theat. Gramen cyperoides vulgatius aquaticum, J. B. Gr. cyp. paluſtre panicula ſparſa, Park. Caulis* è *radice* longa Cyperi exſurgit triangularis, aſper, cubitalis, binis terniſve *foliis* longis, latiuſculis cinctus; ejuſque ſummitati *ſpicæ* oblongæ, turgidiuſculæ, villoſæ, ſubluteæ, præ maturitate rufeſcentes, unciam pene longæ, ternæ quaternæve ſimul junctæ, pediculis inſident. Iſtis autem, ut in aliis, *folia* pauca longa & anguſta ſubjiciuntur.

In humidis maritimis, ad Thameſis ripas, aliiſque Angliæ, Belgiæ, & Germaniæ locis cænoſis invenitur.

26. Cyperus *longus Indicus ſpicis oblongis petiolis propriis inſidentibus, Kol-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 119. *Caules* triangulati, lateribus planis glabri, virides, nonnihil nitentes ſunt, inferius *foliis* graminiformibus veſtiti. In illorum autem vertice oblongorotunda prodeunt ſpicarum *capitula, foliis* gramineis ad exortum petiolorum ſuccincta. *Spicæ* cuſpidatæ ſunt virides & oblique ſurrectæ.

27. Cyperus *Americanus ſpicis ſubrotundis ſparganii inſtar echinatis, Nobis. Gramen cyperoides Americanum ſpicis majoribus oblongorotundis, ſparganii in modum echinatis, ad ſummum caulem pediculis longis inniitentibus, D. Pluk. Phyt. Tab.* 91. *Caulis* aliorum more aſſurgit triquetrus, *foliiſque* conſimilibus donatus; ejuſque ſummitati foliola longa ſex ſeptemve (quorum quædam longiora, alia breviora) naſcuntur. Ex horum centro *pediculi* unciales aut ampliores oriuntur, *capitula* ſubrotunda, *piſi* majoris magnitudinis, *Platani Sparganiive* in modum echinata, ſuſtinentes.

28. Cyperus *fibratus ſpicis ſubrotundis magnis ſingularibus, foliis ſeſſilibus, Pee-mottenga, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 99. *Radix* ei fibroſa, ruſſonigricans, aromatici odoris. *Spicæ* ſummis caulibus inſident, ſubrotundæ, ſquamatæ, pollicaris craſſitiei, ſupra *folia* longa, graminea, ſeſſiles.

Cyperi longi minores.

29. Cyperus *Minor Madraſpatenſis panicula ſparſa è locuſtis rotundis compoſita, Nobis. Juncus Orientalis panicula ſpecioſa è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt. Tab.* 95. Hujus *folia* anguſta ſunt & compreſſa. *Caulis* gracilis, triquetrus; ejuſque ſummitas in varios *pediculos* ſparſa eſt, quibus plurimæ locuſtæ parvulæ, ſubrotundæ, paleaceæ, *petiolis* brevibus, appenſæ ſunt. Quidam horum *pediculorum* non ſingulari racemo contenti, in longum tamen extenſi ſunt, aliaſque ſeries graduſve *locuſtarum* ad uncialem intercapedinem conſtituunt.

Novam hanc ſpeciem cum aliis munificentiæ antedicti D. Gifford debemus acceptam.

30. Cyperus *minor Madraſpatanus Juncelli Geſneri capitulis. Gramen cyperoides Madraſpatanum Juncelli Geſneri capitulis, D. Pl. Phyt. Tab.* 119. Antecedenti convenit hæc Cyperi ſpecies, minor tamen eſt planta, *folia* plurima, anguſta, graminea, à *radice* fibroſa emittens. *Caulis* erectus, enodis, dodrantalis, in *paniculas* paleaceas, parvas, longiores, (ſingulis ſingulo petiolo adnexo, Cyperi in modum) *foliolis* paucis ſubactis, in ſummitate diviſus eſt.

31. Cyperus *minor Americanus ſpicis ſine pediculis ſummo cauli inſidentibus, longiſque foliolis adnatis, Nobis. Gramen cyperoides Amer. ſpicis ſpecioſis plurimis compreſſis ſummo caule abſque pediculis adnatis, D. Pl. Phyt. An Gram. maritimum cyperoides Curaſſavicum panicula punicante, C. B. P.? Forte Jacape Braſilienſibus Piſonis. Folia* (quod in hoc obſervabile eſt,) ſex ſeptemve ſub *ſpicis* ſeſe erigentia alia inferiora è *radice* naſcentia longitudine pene æquant; inque horum centro *ſpicæ* amplæ, oblongæ, compreſſæ & indiviſæ, abſque pediculis arcte adhærent.

32. Cyperus *minor Madraſpatanus rarius & tenuius ſpicatus, Nobis. Gramen cyp. rarius & tenuius ſpicatum, D. Pluk. Phyt.* Huic *foliola* pauca in ſummitate ſubjecta ſunt. Ex horum autem medietate *pediculi* tres plureſve, unciales plus minus oriuntur, quorum ſinguli in *ſpiculas* tres quatuorve tenues, ſemiunciales & longiores deſinunt, quæ *Graminis noſtri cyperoidis tenuis ſpicati*, inferius tractandi, *ſpiculas* nonnihil repræſentant.

33. Cyperus *Madraſpatanus minor panicula è ſpicis mollibus compoſita. Gramen cyperoides elegans panicula è ſpicis mollibus compoſita, D. Pluk. Phyt.* Bina *foliola* longa ſummo *caule* palmari & dodrantali naſcuntur. *Pediculi* quatuor aut quinque *ſpiculas* octo vel decem, tenues molleſque, elegantis ſtructuræ, in *apice* ſtellatim diſpoſitas, ſuſtinent.

34. Cyperus *Indicus tenuifolius panicula ſparſa flaveſcente, Nobis. Gramen cyperoides Indiæ Orientalis elatius panicula ſparſa palleſcente, D. Pluk. Phyt. Tab.* 191. *& Almageſt. p.* 179. *Folia* ad imam partem ſolo naſcentia, pauca ſunt, anguſta, & acuta. Inter hæc *caulis* erigitur gracilis anguloſus, dodrantem altus, in cujus cacumine ſubſtrata ſunt *foliola* tenuia, longa, & *paniculæ* plures, *Cyperi* ritu, quaſi è centro provenientes, ſparguntur. Hæ enim ex *ſpiculis* plurimis palleſcentibus, non ut in aliis radiatim, ſed aliæ ſupra alias, *petiolis* uncialibus & biuncialibus inſidentes, naſcuntur.

35. Cyperus *Madraſpatanus ſpicis plurimis ſummo caule in orbem congeſtis. Gramen cyperoides Madraſpatanum ſpicis plurimis ſummo caule in orbem congeſtis, D. Pluk. Phyt. Caulis* aſſurgit gracilis, *folio* gramineo quaſi vigina amictus; è cujus apice ſingulare *foliolum* tenue enaſcitur. Atque huic *ſpicæ* plurimæ ſemiunciales & ampliores, ſatis turgidæ, obtuſæ, ſquamis exiguis præditæ, abſque pediculis, inſidentes, ſphæram conſtituunt.

36. Cyperus *Madraſpatanus capite ex ſpicis plurimis in cacumine caulis glomerato, Nobis. Gramen cyperoides Madraſpatanum, capite ex ſpicis pluribus acuminatis in cacumine caulis glomerato, D. Pluk. Almageſt.* 178. *Tab.* 300. Huic *folia* ſunt tenuia, juncea, & acuta, lata baſi *caulem* inferiore parte, vaginæ ad inſtar, involventia.

Caulis

Caulis autem ſemipedalis tenuis in ſummitate *capitulum* geſtat, ex *ſpiculis* ſeſſilibus, ſquamoſis, & acutis, glomeratim naſcentibus compoſitum, quarum *ſquamæ* præcedentis ampliores ſunt.

37. Cyperus *minor pulcher panicula lata compreſſa ſubflaveſcente, Nobis. Gramen cyperoides minus panicula ſparſa, C. B. T. Panicula ſparſa ſubflaveſcente, Pin. Gramen pulchrum parvum panicula lata compreſſa, J. B. Calamagroſtis Tragi, 679. Et Juncus exiguus pratenſis ejuſdem, 686. Gramen cyperoides minimum panicula ſubflava, Lob.* Pulchelli hujus Cyperi *radices* capillares ſunt, colore ruffo, palmum longæ; *folia* parva, unciam unam, duas, treſve longa, tenuia; *culmi* triquetri, enodes, frequentes, palmares & ſeſquipalmares; quorum extremitatibus ſeſſiles, ſineque pediculis, ut plurimum (licet etiam interdum è medietate productus *pediculus* brevis plures alias ſuſtineat *paniculas*) impoſitæ paniculæ, umbellam quodammodo mentiuntur, ſpecioſæ, graminis *Amourettes* dicti non admodum diſſimiles, compreſſæ, ſemiunciam circiter longæ, culmum latæ, binis verſibus ſquamatis compactæ, colore ex viridi rubeſcente, nitido; *ſemen* minutum nigrum. *Paniculis* ſubjecta ſunt terna *folia* graminea, quorum unum reliquis multo brevius ſemper conſpicitur.

Locis humidis, quibuſque aquæ per hyemem ſtagnarunt, Germaniæ, Italiæ, aliiſque, abunde provenit.

38. Cyperus *minor pulcher panicula compreſſa nigricante, Nobis. Gramen cyperoides minus panicula ſparſa nigricante, C. B. P. & Theat. Gramen parvum pulchrum aliud panicula compreſſa nigricante, J. B.* Antedicto paullo altius aſſurgit, *foliaque* conſpiciuntur longiora, at *ſpicæ* eodem modo compreſſæ naſcentes, minores ſunt & nigricantes, cum alterius ſubflavæ, aut ex viridi colore rubeſcentes ſint.

Iiſdem locis cum præcedenti, in Germania, Italia, & circa Monſpelium invenitur.

39. Cyperus *minor paluſtris hirſutus paniculis albis paleaceis, Nobis. Gramini Luzulæ affine flore albo, J. B. Gramen nemoroſum paniculis albis capillaceo folio, C. B. P. & Prod. Gramen junceum leucanthemum, Ger. Gramen hirſutum anguſtifolium minus paniculis albis, C. B. Theat.* E *radice* perenni proveniunt *folia* dodrantalia, graminea, & latitudine haud memoranda, *pilis* longis tenuiſſimis & læviſſimis albis ornata. *Caules* aſſurgunt graciles, triquetri, pedales, *internodiis* plerumque ternis, totidemque *foliis* etiam hirtis, prodeuntibus. In ſummo faſtigio umbellatim *paniculæ* naſcuntur, ex paleaceis *glumis* apertis albidi argenteive ſplendentis coloris compoſitæ. Quibus à Graminibus hirſutis antedictis, cap. 21. quæ capitata ſunt, diſtingui; & (præcipue ſi culmos triquetros obſervemus,) hunc propterea locum ſibi vendicare judicamus.

Sylvicola eſt Windſorienſis hæc planta in humidis locis; aliiſque variis Angliæ Occidentalis paludibus. Nec non ad latera Montis Salevæ prope Genevam invenitur.

40. Cyperus *minor anguſtifolius paluſtris capitulis fuſcis paleaceis. Gramen Luzulæ accedens, glabrum, in paluſtribus proveniens paniculatum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 34. Quoad *glumarum* formam, modumque creſcendi, ad præcedentem accedit; minores tamen paucioreſque ſunt *paniculæ*, non albidi ſed fuſci coloris. Minor eſt planta & humilior, dodrantem non ſuperans. *Folia* profert tenuiora, quibus nulla conſpicitur *lanugo*. Ex *alis* foliorum geniculiſve aliæ *paniculæ* conſimiles, aſt minores, provenire obſervantur.

In humidis Occidentalis Angliæ locis legitur.

41. Cyperus *Niloticus vel Syriacus maximus papyraceus, Nob.* πάπυρος *Theoph. Dioſ. Plin. & Alp. Papyrus Nilotica, J. B. Papyrus Nilotica ſive Ægyptiaca, C. B. P. & Theat. Ger. Papyrus etiam Syriaca vel Sicilıana, C. B. P. & Sari, Theophraſt.* diverſæ eſſe plantæ non exiſtimantur. Cyperus hic propter egregiam amplitudinem & uſus, inſignis eſt; & à pleriſque non ſolum priſcis ſed neotericis, ut à ſynonymis appareat, Papyrus nominatur, ab uſu ejuſdem, cui & *Ægyptii, Babylonii* aliique hunc applicuerunt. Πάπυρος Græcis, & *Papyrus* Latinis dicta, *Berd* Ægyptiis, & *Plinio* βίβλος chartarum vicem præſtans, non ex foliis, neque ex cortice exteriore, ut quidam volunt, ſed ex membranis tuniciſve ejuſdem culmi interioribus, facta eſt. Has membranas ſive tunicas à ſcapo revulſas *Plinius philuras, ſchedas, ramenta*, vocat, è quibus chartæ fiunt; quæ in tabula plana diſponuntur, & comprimuntur, atque aquæ humore glutinantur, & poſtea diffiliunt, & calore ſolis in apricis locis aut ignis inarefactæ in volumina cedunt; quorum majora in pretio habentur. Cum vero ad omnium Scriptorum uſus copia non ſuppeteret: *Attalus* (uti creditur) Pergamenus, animalium coria arefacta, huic uſui adaptanda invenit, unde Pergamenæ in hodiernum diem appellatæ ſunt. Et Bibliothecam ſuam 200000. voluminibus hiſce inſcriptis exornaſſe dicitur. Papyri ſcriptoriæ vicem aliæ quoque res præſtant; nimirum cortices arborum multigenerum, de quibus in ſuo loco. Et Anno circiter 1470. viri duo *Antonius* & *Michael*, ex Galicia ad Baſileam Germanicam venientes, chartam ex linteis aqua contuſis confectam, jam vulgo in uſu, invenerunt.

Huic *radix* arundinacea, nodoſa, brachialis craſſitudinis, fibris tenacibus deſcendentibus, Cyperi ſapore & odore, in obliquum longe lateque ſerpens, acta in limoſis & quieſcentibus *Nili* aquis, ubi evagatæ ſtagnant, non in altitudine gurgitum, ſed ad duos circiter cubitos, profundo vado, nonnunquam etiam depreſſo naſcitur. *Surſum folia* profert longa, gladiata ſeu enſiformia, *Typhæ* aliquatenus ſimilia, triangularia fere, ſeu dorſo eminente, mollia. Sacra pagina narrat *Moſen* divinæ ſpei & elegantiæ delicatulum puellum à matre invita ejectum prope Nili ripam inter Papyros, juſſu filiæ Pharaonis eductum, indeque nomen ſortitum, quia aquis extractus fuit. *Scapi* in altum, imo cubitos ſex ſeptemve præterpropter aſſurgunt recti, angulis obtuſis, triquetri, brachiali craſſitie, dum tenelli dulci ſucco conſtant, poſtea in tomentitiam medullam indureſcunt. *Fruſtum* caulis ſcapive ſex circiter pedes longum, læve, externe durum & politum, interne *medulla* poroſa, juncea ſeu arundinacea farctum, in *Schola Medicinæ* apud *Oxonienſes* (inter alia curioſa) aſſervatur. Scapi ſummitati *folia* plurima brevia, Cyperi in modum ſtellatim naſcuntur; in quorum medietate *coma* lata exiſtit, ex numeroſis parviſque *petiolis* triangularibus, umbellatim diſpoſitis, conſtans, iique *floccos* rufos, apicibus prominentibus, in ſe collectis, ſuſtinent.

In Syria, Sicilia, aliiſque terris naſcitur, & non ad uſus papyraceos idonea eſt uti in Ægypto, unde diverſam nonnulli putaverunt; quæ tamen diverſitas loco natali tantum fortaſſe debeatur.

42. Cyperus *umbellatus Braſilienſis granulis aculeatis. Graminis 5. ſpecies Marcgravii.* Inferius triangularem habet *caulem*, qui ad quatuor circiter pedum altitudinem aſſurgit; *folia* autem quatuor aut quinque ſeſquidigitum fere longa, arundinacea; ſuperius *umbellas* multis acutis *granulis*, quaſi echinorum aculeis onuſtas.

43. Cyperus *umbellatus Braſilienſis paniculis ſquamoſis. Gramen Braſilienſe cyperoides paniculis ſquamoſis in umbellam compoſitis, Ratii.* Exiles *radiculæ* ſeu potius filamenta emittunt quatuor aut quinque *caules* gramineos, anguſtos, circiter tres aut quatuor pedes altos. Quilibet autem *caulis* ſuperius dividitur in *umbellam capitula* ſquamata continentem.

Hiſce

Hiſce addantur radices quædam exoticæ *Cyperis* conſonantes, quæ propter uſus nobis a mercatoribus adferuntur.

44. Cyperus *Peruanus longus inodorus, C. B. P. & Theat. Radix Drakena, J. B. Cluſ. Exot. Hiſt. Lugd. Radix contra Yerva, id eſt, venenis adverſans Monardi. Bezardica radix, Tab.* Longa & nodoſa eſt hæc radix, in inæquales partes ad digiti parvi craſſitiem aliquando extuberans, rugoſa, dura, foris fuſca, intus alba, *fibris* quibuſdam donata, nullo manifeſto odore prædita, ſed ſaporis nonnihil adſtringentis, & linguam initio exſiccantis, diutius vero manducata, tenuem ſuavemque acrimoniam in ore relinquit, ut recte monet *Cluſius*, qui libro de Exoticis ſe à *D. Franſ. Drake* Equite Aurato Anglicano, abſoluta navigatione qua totum terrarum orbem ſuperato Magellanico freto circumierat, in Europam primo advectam recepiſſe tradit, & idcirco *Drakenæ* nomen ei eſſe voluiſſe. Hanc certe *Hiſpani* in *Peru* maximo habent in pretio.

In Charca & Tonſaglia provinciis Peruvianis Monardus & Ferrus ſponte naſci referunt. Radices nomine Drakenæ & contra yerva nobis adlatæ, quanquam Bauhini fratres aliique pro diverſis habent, & facie & facultatibus bene congruunt.

45. Cyperus *longus inodorus Orientalis, C. B. P. & Theat. Radix Drakenæ affinis, Cluſ. Exot. J. B. Radices* hæ tuberoſæ, & quantum ex earum forma colligere licet, per terræ ſuperficiem repunt, multis *villis* & *fibris* obſitæ, fuliginoſo colore præditæ, nonnihil tamen ad flavum tendente, ſalivam inter manducandum inficientes, & amaræ, & *foliorum* aliquot *pediculos* retinentes.

Has magni apud Indos uſus fuiſſe verisimile eſt; quandoquidem Prorex *Hiſpan.* eas cum aliis nobilibus medicamentis in *India Orientali* natis attulit.

Vires & Uſus.

Radices Cyperi & rotundi & longi in uſum veniunt; odoratæ, aromaticæ, ſtomachicæ, & uterinæ ſunt; calefaciendi, deſiccandi, digerendi, & adſtringendi, vim obtinent, nec tamen inciſoria virtute carent. Hinc extrinſecus, pulveriſatæ vel in farinam redactæ, ulceribus quæ nimia humiditate cicatricem difficulter admittunt mirifice proſunt. Malagmatis calefacientibus, & unguentorum ſpiſſamentis bene adjici ſolent. Ad capitis dolorem mitigandum feliciter adhibentur. Suffitu fotuque menſes movent; fœtum expellunt & ſecundinas; & ſpicæ Lavendulæ uncia unica addita his antedictis optime proſunt. D. Herman.

In vino potæ urinas menſeſque movent; calculoſis & hydropicis proſunt. Ad omnes morbos à cerebri tum frigida humidaque temperie, tum frigidorum humorum deſtillatione cauſatos, efficaciſſimum auxilium eſt; nec non ſtomachi cruditatibus, humiditatibus, flatibus, anhelituſque difficultati, orthopnœæ, tuſſi, hyſtericis omnibus mulieribus, frigido humidoque utero affectis, aliiſque morbis ab iiſdem uteri cauſis obortis medentur. Ad ſuppreſſos menſes, quos efficaciſſime revocant. Ægyptiis remedium familiare eſt; aliiſque non ſit incommodum.

Radices exſiccatas & contuſas mulierculæ ob fragrantem aromaticumque odorem veſtibus inſpergunt & interponunt.

PLANTÆ CULMIFERÆ

Caulibus triquetris

CAPUT XXV.

GRAMEN CYPEROIDES.

CYperis *capite præcedenti explicatis, caulibus triquetris donatis, quorum ſpicæ paniculæve ſummo cauli umbellatim diſpoſitæ inſident: jam ad Gramina cyperoidia caulibus quoque triangularibus accedamus.*

Horum alia habent ſpicas polyſtachyas, quarum aliæ ſupra alias proveniunt, & caſſæ ſeu inanes ſupremæ evadunt; alia ſpicas habent paniculis in ſummis caulibus ſeminiferis præditas. Utraque vel majora, vel media, vel minima ſunt.

TAB.

TABULA XXV. SECT. VIII.

Gramen Cyperoides

- *ſpica caſſa*
  - *polyſtachyon*
    - *majus*
      1. *Spica rufa, caule triangulo, C. B. P. 1. Theat. 83. Gramen cyperoides cum paniculis nigris, J. B. 494. Gr. cyp. majus latifolium, Park. 1265.*
      2. *Spica ſpadiceoviridi, 2. C. B. P. 40. Prod. Theat. 83. J. B. 495.*
      3. *Spicis longis erectis, 4. C. B. P. Theat. 84. Gr. cyperoides majus anguſtifolium, Ger. 29. Park. 1265.*
      4. *Spica pendula longiore, Park. 1267. & anguſtiore, 6. C. B. P. 42. Prod. Theat. 85. J. B. 497.*
      5. *Spica pendula breviore, 5. C. B. P. Theat. 85. Graminis cyp. genus. Pſeudocyperus, Lob. ſpicis vel paniculis pendentibus ex longis pediculis, J. B. 496. Pſeudocyperus, Ger. 29. Spica brevi pendula, Park. 1265.*
      6. *Præcox foliis viridibus ſpicis turgidis teretibus flaveſcentibus.*
      7. *Indicum panicula ſparſa ſemine nigerrimo, Tsjola-pullu, H. Mal. Part. 12.*
    - *minus*
      8. *Anguſtifolium ſpicis teretibus erectis luteolis. Gramen cyp. polyſtachyon majus ſpicis teretibus erectis, Raii. Hiſt.*
      9. *Sylvarum tenuius ſpicatum, Park. 1171. Lob. Stirp. Illuſt. 60.*
      10. *Lanuginoſum, Raii. An Gramen cyperoides Norwegicum parum lanoſum, Park. 1172?*
      11. *Spicatum foliis caryophylleis, Park. 1160. Gramen Caryophyllatæ foliis, ſpica divulſa, & C. B. P. Theat. 46. Gr. cyp. ſpicatum, Ger. 22.*
      12. *Caryophylleum anguſtiſſimis foliis, ſpicis ſeſſilibus brevioribus erectis non compactis. Gr. caryophyllatum nemoroſum ſpica multiplici, 3. C. B. P. Theat. 47. 22. Prod. J. B. 479.*
      13. *Caryophylleum elatius granis tumidioribus, pediculis pendulis tenuiſſimis appenſis, Nobis. An Gr. cyperoides fol. caryophylleis, ſpica granis rarioribus & tumidioribus conflata, D. Pluk. Phyt?*
      14. *Caryophylleum longiore & anguſtiore folio, ſpicis nigris ſeſſilibus compactis erectis, Nobis. Gramen nemoroſum ſpica ſubnigra recurva, 2. C. B. P. Theat. 98.*
      15. *Caryophyllatum montanum ſpica varia, 4. C. B. P. 23. Prod. Theat. 48. J. B. 479. Park. 1161.*
      16. *Flavicans ſpicis brevibus prope ſummitatem caulis, Raii. Hiſt.*
      17. *Spicis plurimis ſeſſilibus in foliorum alis, Raii.*
      18. *Gracile alterum glomeratis torulis ſpatio diſtantibus, Lob. Illuſt. 61. Gr. cyp. polyſtachyon ſpicis parvis longiſſime diſtantibus, Raii.*
      19. *Paluſtre aculeatum, 4. C. B. P. Aculeatum Germanicum; C. B. T. 109. Paluſtre echinatum, J. B. 498.*
  - *monoſtachyon*
    20. *Spicis per maturitatem albicantibus, Raii, Hiſt. 1295. Gramen ſylvaticum anguſtifolium ſpica alba, C. B. T. 47. Park. 1161.*
    Seminibus bullatis, 2. D. Pluk. Phyt. T. 91.
    21. *Seminibus deorſum reflexis puliciformibus, Raii. H. 1298.*
    22. *Minimum, ſive Gramen cyperoides ſpica caſſa ſimplici, Raii Hiſt.*
- *monoſtachyon enode*
  - *majus*
    23. *Paluſtre elatius ſpica longiore laxa, Raii. Hiſt.*
    24. *Paluſtre majus ſpica compacta, 8. C. B. P. Theat. 87. Gramen cyperoides paluſtre majus, Park. 1266.*
    25. *Spicis minoribus minuſque compactis, 9. C. B. P. 43. Prod. Theat. 87. J. B. 497.*
  - *medium*
    26. *Spicis parvis aſperis, 4. C. B. P. Theat. 100. Gr. ſylvaticum 3. Tab. Parvum tenuifolium cum ſpica aculeata, J. B. 509.*
    27. *Sylvaticum tenuifolium rigidiuſculum, J. B. 509. Gr. nemoroſum ſpica rufeſcente molli, 3. C. B. P. Theat. 99.*
    28. *Aculeatum ſpicis longius disjunctis. Gr. cyperoides ſpicatum minus ſpica longa divulſa ſeu interrupta, Raii Hiſt.*
    29. *Paluſtre ſpica diviſa, 10. C. B. P. Theat. 88. Gr. cyp. ex monte Ballon ſpica diviſa, J. B. Paluſtre minus, Park. 1267.*
    30. *Spicis turgidis brevibus maritimum, Nobis. Gr. cyperoid. ex monte*

Ballon ſimile humilius in maritimis & arenoſis naſcens, Raii Hiſt.
31. *Elegans ſpica compoſita aſperiore, Raii Hiſt.*
32. *Spica è pluribus mollibus compoſita, Raii* 1296.
33. *Foliis mollibus tenuibus, ſpicis brevibus coacervatis tribus quatuorve in ſummitate caulis, Raii Hiſt. App.* 1910.
34. *Ex monte Ballon ſimile, ſpica totali è plurimis ſpiciis compoſita, Raii Hiſt. An. Gr. cyp. elegans multifera ſpica, Park?*
35. *Spica ſimplici compreſſa diſticha, Raii App.* 1910. *D. Pluk. Phyt. T.* 34.

minimum
36. *Ranunculi capitulo ſimplici aſperiore rotundo.*
37. *Ranunculi capitulis binis terniſve, Nobis. Gr. cyp. tenuifolium ſpicis ad ſummum caulem ſeſſilibus globulorum æmulis, D. Pluk. Phyt. T.* 91.
38. *Ranunculi capitulo ſimplici longiore & molliore.*
39. *Virginianum ſpica ſimplici longiore, D. Pluk. Almageſt. Bot.* 178. *Tab.* 300.
40. *Caryophylli proliferi capitulo ſimplici ſquamato.*

1. Gramen *cyperoides latifolium ſpica rufa, caule triangulo, C. B. P. & Theat. Gramen cyperoides cum paniculis nigris, J. B. Et Gramen typhinum* 3. *Tab. ſpica multiplici nigra accedens ad Gramen cyperoides, ejuſdem, p.* 495. *Gramen cyperoides majus latifolium, Park.* E *radice* fuſca, Cyperi longi in modum geniculata, proveniunt *folia* bipedalia aut virgæ longitudinis, hujus familiæ latiſſima, quæ cum non ſint expanſa angulos tres efformant, & poſtea in digitalem latitudinem extenduntur, è viridi ad cœruleum glaucumve colorem tendentia. Inter iſthæc *caulis* aſſurgit concinne triquetrus, cubitalis & bicubitalis; cujus ſummum verſus *ſpicæ* teretes unciales & biunciales, 7. vel 8. principio menſis Maii ſubnigræ, tunc *floſculi* ſulphurei coloris, ut in aliis Graminibus, dependentes apparent. Singula *ſpica* ſingulari appoſitione ad intervalla ſita eſt, & tres quatuorve inferiores, quibus *foliola* ſingula ſubacta ſunt, poſtea fœcundæ, *granulis* ex fuſco colore viridibus turgeſcunt, dum ſupremæ tenues, caſſæ, paleaceæ & inanes ſint.

Ad fluviorum ripas, lociſque aquoſis, & in ipſa aqua, Angliæ, Belgiæ, Galliæ alibique familiare eſt.

2. Gramen *cyperoides latifolium ſpica ſpadiceoviridi majus, C. B. P. Theat. & Prod. J. B. Caules* trianguli, cubito ſunt minores; *folia* arundinacea, pedalia, antedicti anguſtiora, *ſpiciis* ternis, quaternis, rarius quinis, alternatim ſuccedentibus, anguſtis, trium quatuorve unciarum donata, coloris ſpadiceoviridis ſunt. *Spicæ* autem primæ ſemper folium oblongum anguſtiſſimum ſubjicitur.

In humidis ad Sellam novam & ſecus Ledum amnem abundat. D. Magnol.

3. Gramen *cyperoides anguſtifolium ſpiciis longis erectis, C. B. P. & Theat. Gramen nigroluteum vernum majus, J. B. Gr. cyp. majus anguſtifol. Ger. Park.* Huic *folia* pro longitudine cubitali anguſtiſſima ſunt & ſtriata, vix gramineo virore ſed ad glaucum colorem tendentia. *Caules* attolluntur tenues, bipedales, ad quorum fere ſummitatem *folia* proveniunt anguſtiora & minora. Ex horum autem alis *ſpicæ* biunciales, tenues, erectæ, ſubnigræ, abſque pediculis ſeſſiles, ex *ſeminibus* minoribus compoſitæ proveniunt; ſupremæ caſſæ, graciles, & nigricantes ſunt.

In pratis & ſylvoſis humidioribus, & ad rivos, ſicut & primum, vulgo provenit.

4. Gramen *cyperoides majus ſpica pendula longiore, Park. longiore & anguſtiore, C. B. P. Prod. Theat. J. B. Folia* gladiata, latiuſcula, viridia, dorſo eminente. *Caulis* ſeſquicubitalis *ſpicas* profert teretes, graciles, acroſas, quinque vel ſex, quinque circiter uncias longas, è petiolis brevibus propendentes, cum *foliolis* longis ſubjunctis, ut in aliis.

Ad fluminum margines, & in foſſis reperitur, ſed non ita frequens.

5. Gramen *cyperoides ſpica pendula breviore, C. B. P. Theat. Spica brevi pendula, Park. Pſeudocyperus, Ger. Graminis cyp. genus. Pſeudocyperus, Lob. Gramen cyperoides ſpicis vel paniculis pendentibus ex longis pediculis, J. B.* Huic *folia* graminea, ſatis lata, pallide virentia oriuntur. *Caulis* præcedentis humilior, cubitalis eſt. *Spicæ* ex alis foliorum, è viridi colore flaveſcentes, biunciales teretes, ex pediculis longis tenuiſſimis dependent, earumque *glumæ* longiores quaſi hirſutæ & turgidæ apparent; in ſummitate *ſpica* una vel altera caſſa & inutilis, aliorum more tenuior aſſurgit.

Conſimilibus locis, quibus & prædictum in comitatibus Warwici, Bercheriæ, & Eſſexiæ reperitur. In Belgia quoque & Germania creſcit.

6. Gramen *cyperoides majus præcox ſpicis turgidis teretibus flaveſcentibus.* Planta hæc antedictis minor, cubitalis vero eſt, tota viridis. *Folia* profert longa & anguſta. *Caulis* anguloſus eſt, tenuior, aſper. *Spicas* profert quinque vel ſex, quarum binæ caſſæ, aliæ flavicantes, biunciales, *floſculis* ineunte *Aprili* luteolis donatæ; deinde parvi digiti craſſitiem obtinent, ex *ſeminibus* turgidioribus, acuminatis, ex viridi colore flaveſcentibus compoſitæ, quibus etiam *foliola* anguſta viridia adnectuntur.

Ad rivulos, ſed rarius, obſervatur. In ambulacris Coll. Ædis Chriſti collectum eſt.

7. Gramen *cyperoides Indicum panicula ſparſa majus ſemine nigerrimo, Tsjola-pullu, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 127. *Radix* fibroſa albicans; *caules* triangulati, angulis acutis ac hærentibus, intus medulla albicante, fungoſa, aquea, *foliis* gramineis, quæ in oris & coſta media manui adhærent, veſtiti. *Spicæ* quæ foliorum pedibus tanquam theciformi involucro ſubſtringuntur, parvæ ſunt, oblongæ, anguſtæ, fuſce rubeſcentes & nitentes; ubi florent ſingulæ tria tranſverſum ejiciunt filamenta piloſa & candida. In unoquoque unicum continetur ſemen inſtar gemmæ nigerrimæ ac nitentis cyatho oblongo, corallino inſidens, ex quo cum capitulo emicat.

8. Gramen *cyperoides medium anguſtifolium ſpicis teretibus erectis flaveſcentibus. An Gramen cyperoides ſpicis teretibus erectis, Raii?* Planta hæc pedalis, vix ſeſquipedalis, *folia* emittit anguſtiſſima, glabra, *caulem* ſpicaſque longitudine ſuperantia. *Caulis* gracilis, triquetrus, ſummitatem verſus, per intervalla folia gerit tenuia, duo vel tria, è quorum ſinubus *ſpicæ* exeunt unciales & ſeſcunciales, cylindraceæ, erectæ, calami craſſitie,

craſſitie, ſubflaveſcentis coloris, unica ex his graciliore inutili. Hoc gramini tertio hujus Cap. in *ſpicis* fere convenit; minus tamen eſt, *foliiſque* multo anguſtioribus.

In paludibus ut & aquoſis juxta Oxoniam, v. g. apud Hockley, aliiſque conſimilibus provenit.

9. Gramen *cyperoides ſylvarum tenuius ſpicatum, Park. Lob. Stirp. Illuſt. Folia Graminis pratenſis* anguſtia donata, plurima, dodrantalia, glabra, è *radice* ceſpitem conſtituunt; inter quæ *cauliculi* triquetri, graciles, pedales & cubitales, ex erecto ſitu proclinant. Circa medietatem *Spicæ* cum foliolis longis, anguſtis, pediculis longis, tenuibus, appenſæ exeunt longæ, tenuiores, è viridi colore palleſcentes, in unicam vel alteram *ſpicam* caſſam ad ſummitatem definentes.

An Gramen cyperoides ſpica pendula breviore minus, C. B. T. 85. & Thal? Sylvis humidioribus, & rivulorum umbroſis marginibus, gaudet.

10. Gramen *cyperoides polyſtachyon lanuginoſum, Raii. An Gramen cyperoides Norwegicum parum lanoſum, Park? Radix* ſubfuſca repit. *Folia* compreſſa, graminea, nec longitudine nec latitudine inſignia, *caulem* dodrantalem amplectuntur, ubi ut plurimum lanuginoſa ſunt. *Spicæ* ex foliorum alis ad intervalla proveniunt, breves, turgidiuſculæ, abſque pediculis ſeſſiles, binis plerumque caſſis in ſummitate.

In paſcuis humidioribus, pratis, lociſque gramineis paſſim reperitur.

11. Gramen *cyperoides ſpicatum foliis caryophylleis, Park. Gramen Caryophyllatæ foliis, ſpica divulſa, C. B. P. & Theat. Gr. cyp. ſpicatum, Ger. Gr. nigroluteum vernum, J. B. Folia* circa *radicem rufam* geniculatam, latiuſcula, haud longa, ad glaucum colorem tendentia, & *Vetonicæ Caryophyllorumve* folia æmulantia, profert. *Culmus* palmaris & dodrantalis rotundotriangularis, *ſpicas* tenues, oblongas, primo vere, & floreſcentes, flavas, deinde nigricantes, erectas, ſimul diſpoſitas, unica in ſummo aceroſa & inutili, ſuſtinet.

Riparium eſt hoc Gramen; in paſcuis, & pratorum tumulis, ſub quibus aquarum ſcaturigines apparent, frequens oritur. Menſe Martio & Aprilis initio floret.

12. Gramen *caryophylleum anguſtiſſimis foliis, ſpicis ſeſſilibus brevioribus erectis non compactis, Nobis. Gramen caryophyllatum nemoroſum ſpica multiplici, C. B. P. Theat. & Prod. J. B.* Huic *folia* ſunt peranguſta, compreſſa, pedalia. *Caules* vix conſimilem altitudinem attingunt. *Spicæ* è foliorum breviorum ſinubus exeunt ſemiunciales, fœtæ, frequenter duæ, ſeſſiles; ſummuſque *caulis* unica *ſpica* paleacea, ſemine caſſa, terminatur.

In ſylvarum planitiebus & earum marginibus; in paſcuis quoque humidioribus reperitur. Hoc primo à chariſſimo Fratre Tillemano oſtenſum eſt, dein variis in locis obſervatum.

13. Gramen *cyperoides caryophylleum elatius granis tumidioribus, ſpicis pediculis tenuiſſimis appenſis. An. Gr. cyp. foliis caryophylleis ſpica granis rarioribus & tumidioribus conflata, D. Pluk. Phyt.? Folia* compreſſa, ex viridi colore cœrulea, aſpera, *Graminis pratenſis* ſimilia, pedalia, plurima, è *radice* geniculata aſſurgunt, quorum quædam *culmum* triangularem, pedalem & ſeſquipedalem, inferius vaginæ in modum conveſtiunt. *Spicæ* ſummitatem verſus cum *foliolis* longis ſubjunctis, ad uncialem & biuncialem intercapedinem, ſingulatim proveniunt, unciales, ſeminiferæ, *petiolis* longis tenuiſſimis appenſæ; aliæ duæ vel tres graciliores & ſeminibus carentes erectæ aſſurgunt.

Ad ſylvarum margines, lociſque gramineis prope Hinkſey in agro Bercheriæ alibique naſcitur.

14. Gramen *cyperoides caryophylleum longiore & anguſtiore folio, ſpicis nigris ſeſſilibus compactis erectis, Nobis. Gramen nemoroſum ſpica ſubnigra recurva, C. B. P. & Theat. Gr. cyperinum nemoroſum, J. B. Ger.* 19. *Radice* nititur fibroſa, capillari. *Foliis* anguſtis dodrantalibus, acuminatis eſt; juxta quæ *caules* prodeunt ex rotundis triquetri, dodrantem pedemve longi. Atque horum quiſque tres quatuorve *ſpicas* ſubnigras, erectas, ſeſſiles, ſimulque fere junctas, ſuſtinet.

Locis arenoſis gramineis & ſylvis humectis provenit.

15. Gramen *caryophyllatum montanum ſpica varia, C. B. P. Prod. & Theat. J. B. Park. Folia* anguſta, aliquando palmum longa prodeunt. Inter iſthæc autem *culmi* plures, tenues, foliis nudi, imbecilles, palmares, rarius pedales, proveniunt; qui in ſummitate ramoſi, modo *ſpicam* tenuem brevemque & rufeſcentem, modo velut *paniculam* ex thecis paleaceis inordinate diſpoſitis, ſuſtinent. Thecis hiſce ſingulis ſemen triangulare rufum, acuminatum includitur.

In Baſileenſi urbi vicinis collibus reperitur, ut Bauhini fratres referunt.

16. Gramen *cyperoides polyſtachyon flavicans ſpicis brevibus prope ſummitatem caulis, Raii. Caules* triquetri graciles ad altitudinem dodrantalem aſſurgunt; in quorum ſummitate tres plerumque *ſpicæ* breves habitiores, & fere rotundæ, ſimul fere junctæ & contiguæ, adnaſcuntur, cum ſingula erecta, tenuiore & longiore caſſa ſpica terminante; omnes vero conjunctæ, non uncialem longitudinem ultra occupare obſervantur. *Folia* anguſta, graminea, ſubtus quaſi piloſa, caulium altitudinem vix attingunt.

In pratis, paſcuis humidioribus, & juxta paludes frequens invenitur.

17. Gramen *cyperoides anguſtifolium ſpicis ſeſſilibus in foliorum alis, Raii.* Huic *folia* pedalia ſunt, anguſta, viridia, glabra, plurima, *ceſpitem* efformantia. *Caules* triquetri, tenues, pari longitudine oriuntur, inferius nudi. Superius è foliorum alis (quorum primum reliqua omnia excedit) *ſpicæ* adnaſcuntur longiuſculæ, quaſi ſquamatæ ſeſſiles, tres quatuorve, ad intervalla locatæ, ſpica inutili claudente.

In ſylvoſis humectis, & ad foſſas in umbroſis præſertim naſcitur.

18. Gramen *cyperoides gracile alterum glomeratis torulis ſpatio diſtantibus, Lob. Stirp. Illuſt. Gr. cyperoides polyſtachyon ſpicis parvis longiſſime diſtantibus, Raii,* Planta hæc cubitalis *folia* emittit brevia, palmum raro excedentia, latiuſcula; *culmumque* gracilem triquetrum, ad quem ad longiſſima intervalla apponuntur etiam *folia* pene conſimilia, minora tamen, caulem ad appoſitionem amplectentia; ubi *ſpicæ* oblongæ, ſemiunciales, turgidulæ, *petiolis* brevibus adnatæ oriuntur. Harum autem (ut & in aliis obſerves) tres fœcundæ ſunt, dum paleacea & inutilis altera in ſummitate erecta obſervatur.

Solo humido frigido & argilloſo, quale ultra Iſley pagum mille paſſus ab Oxonio diſſitum, gaudet; aliiſque variis locis conſimilibus invenitur.

19. Gramen *cyperoides paluſtre aculeatum, C. B. P. Aculeatum Germanicum, C. B. Theat. Park. Paluſtre echinatum, J. B.* Hujus *caulis* palmaris & dodrantalis eſt; ejuſque ſuperiori parti adnaſcuntur binæ ternæve *ſpiculæ* breviores, habitiores, *ſeminum* punctis acuminatæ & muricatæ, arcte *tauli* adhærentes, qui in ſingu-

larem tenuem *ſpicam* ſubfuſcam & erectam deſinit. *Folia* brevia, modice lata, à *radice* expanduntur.
In humidis & paludoſis locis non raro invenitur.

20. Gramen *cyperoides polyſtachyon minimum ſpicis per maturitatem albicantibus, Raii. Gramen ſylvaticum anguſtifolium ſpica alba, C. B. P. & Theat. Park. Gramen cyperoides exiguum ſeminibus bullatis, D. Pluk. Phyt.* Ex *radice* fuſca, tranſverſa, *fibræ* capillares deſcendunt, & *folia* plura, fere capillacea, palmaria, etiam breviora, rarius longiora exſurgunt; una cum *culmis* tenuiſſimis, quorum quidam folia non ſuperant, cum alii paulo altius aſſurgant. Et in ſuperiore quolibet culmo quaſi è vaginularum ſinubus binæ plerumque exeunt *ſpicæ*, quarum inferior brevis & ſeminifera, turgidulis *ſeminibus* donata eſt, altera caſſa & inutilis evadit. *Spicæ* albicantes, præſertim ad maturitatem pervenientes, apparent.
Prope Genevam, ad montem Salevæ, à D. Sherard collectum & amice communicatum habemus.

21. Gramen *cyperoides minimum ſeminibus deorſum reflexis puliciformibus, Raii.* Elegans parvulumque hoc Gramen in puludoſis naſcens, *folia* capillaria, palmum raro ſuperantia profert. *Caulis* nudus, gracilis ea parum excedit; ejuſque ſummitas, ſeminibus octo circiter, primo erectis, ſpicamque efformantibus, poſtea ad maturitatem ubi pervenerint, deorſum flectentibus, fuſci coloris, puliceſque referentibus, ornatur. Supra ſemina *ſpica* caſſa ſimplex, concolor erigitur.

22. Gramen *cyperoides minimum ſpica caſſa ſimplici, Raii.* Huic *folia* brevia ſunt & capillacea, *culmum* ſemipedalem gracilem, è rotunditate triquetrum, ima parte aliorum more, circumvolventia. *Spica* tenuis, ſemiuncialis, ex luteo colore fuſca, ſquamata, paleacea, caſſa eſt, & (ut videtur) *ſeminibus* deſtituta, uti in aliis ſpicis caſſis, ſummitatibus prædictorum Graminum naſcentibus, & in *Junco clavato*, obſervare licet.
Paludibus variis v. g. apud Hockley, aliiſque, putrido & ſpongioſo ſolo, haud longe ab Oxonio, ſponte naſcuntur hæ parvæ ſpecies variæ.

Gramina cyperoidea enodia, ſpicis caſſis deſtituta.

23. Gramen *cyperoides paluſtre elatius ſpica longiore laxa, Raii.* Ex *radicibus* ita firmiter complicatis, ut ex iis ſedes mattaſque conficias, proveniunt multa *folia* ad tactum aſpera & ſecantia, anguſta, cubitalia, & bicubitalia, ſtriata; quæ *culmum* triangularem, ejuſdem longitudinis, enodem, in funco veſtiunt. *Caulis* in *ſpicam* terminatur, digiti humani longitudinis, ex pluribus *ſpiculis* uncialibus, lucentibus, ſecundariis compoſitam. *Semen* triangulare (ut in aliis plurimis hujus familiæ) *glumis* ſubfuſcis includitur.
Ad foßarum ripas in ſolo putrido & paludoſo naſcitur.

Hujus datur *varietas in omnibus minor, foliis* nempe & anguſtioribus & brevioribus, *ſpiciſque* non adeo diviſis, ut *D. Raius* recte obſervat; quæ variatio non ſolo tribui debet, cum in eodem loco inveniatur.

24. Gramen *cyperoides paluſtre majus ſpica compacta, C. B. P. & Theat. Gr. cyp. paluſtre triquetrum ſpica integra, J. B. Paluſtre cyperoides, Ger. Lob. icon. Paluſtre majus, Park.* *Folia* ei cubitalia ſunt, modice lata, & aſpera, è *radice* fibroſa, dura tamen, orta. *Caulis* triquetrus, ſolidus, enodis, cubitalis, & ſeſquicubitalis *ſpicam* in ſummitate gerit biuncialem, ex plurimis *ſpiculis* breviſſimis acuminatis compoſitam, quæ ipſi cauli arcte adhærent, cum tamen præcedentis *ſpiculæ petiolis* donatæ obſerventur.
Ad fluviorum ripas & foßas, aliiſque locis aquoſis non infrequens eſt.

25. Gramen *cyperoides ſpicis minoribus minuſque compactis, C. B. P. Prod. & Theat. J. B. Cyperoides ſpicis minus compactis, Park. Cyperoides parvum, Ger.* Huic *folia* multo quam præcedentis anguſtiora ſunt & viridiora. *Caules* nudi ad terram reclinantes, graciliores, *foliis* longiores, *ſpicas* minores magiſque diviſas in ſummitatibus proferunt, eundem in modum acuminatas quo prioris Graminis ſpicæ.
Solo aridiore, in ſylvoſis aquoſis & paſcuis humidioribus occurrit.

26. Gramen *nemoroſum ſpicis parvis aſperis, C. B. P. & Theat. Gr. ſylvaticum 3. Tab. Gramen parvum tenuifolium cum ſpica aculeata, J. B.* *Folia* huic peranguſta ſunt, palmaria & longiora; inter quæ *caulis* enodis, tenuis, triangularis, dodrantalis, aſſurgit. In ſummitate tres quatuorve *glomerulæ* rotundæ, aculeatæ, parvæ, à ſe invicem disjunctæ, oriuntur.
In paludibus putrido ſolo ſatis frequens invenitur.

27. Gramen *ſylvaticum tenuifolium rigidiuſculum, J. B. Gr. nemoroſum ſpica rufeſcente molli, C. B. P. & Theat. Sylvaticum nemoroſum primum, Tab.* *Radice* eſt ex pluribus capillaribus *fibris* compacta; unde *folia* numeroſa anguſta, firma, prodeunt. Inter iſthæc folia *culmi* tenues, nudi, dodrantales, *ſpicas* molles, rufeſcenteſque ſuſtinentes exſurgunt.
In humidis & umbroſis ſylvis, præſertim arenoſis, reperitur.

28. Gramen *cyperoides aculeatum minus ſpicis parvis longius disjunctis, Nobis. Gr. cyp. ſpicatum minus ſpica longa divulſa ſeu interrupta, Raii.* Præcedenti convenit hoc; *folia* tamen longiora ſunt, ut & *caules.* *Spiculæ* aculeatæ, frequenter numero ſex, ſeſſiles, *culmo* adnaſcuntur, quarum prima, *foliolo* tenuiſſimo ſubjuncto, à ſecunda unciale intervallum petit, quibus facile dignoſcitnr.
In aquoſis humidiſque locis provenit.

29. Gramen *cyperoides paluſtre majus ſpica diviſa, C. B. P. & Theat. Gramen cyperoides ex monte Ballon ſpica diviſa, J. B. Gr. cyp. parvum, Ger. 21. Gramen cyp. paluſtre minus, Park. 1267.* *Folia* ſubinde dodrantalia, *pratenſis Graminis* in modum anguſta. *Caulis* triangularis cubitalis & ſeſquicubitalis *paniculam* ſpicamve divulſam gerit in ſummo faſtigio, ex 10. vel pluribus ſpiculis conſtantem, corrigulato folio ſubjecto. *Radicum fibræ* graciles & contortæ.
Paſcuis humeſcentibus & pratis gaudet.

30. Gramen *cyperoides medium ſpicis turgidis brevioribus maritimum, Nobis. Gramen cyperoides ex monte Ballon ſimile humilius, in maritimis & arenoſis naſcens, Raii.* *Folia* dodrantem longa, anguſta, ſtriata, è *radice* geniculata, repente, prodeunt. *Culmus* gracilis ſpithameæ longitudinis, frequenter *ſpicis* oneratus, terram verſus incurvatur. Singula *ſpica* ſubfuſca, ex ſex ſeptemve *ſpiculis* brevibus, duriuſculis, ſed vix aculeatis, ſatis turgidis conficitur. Atque hæ ſpiculæ abſque pediculis caulis ſummitati inſident.

Ad

Ad oras maritimas, lociſque ſalſis & arenoſis copioſe invenitur; & mihi primum à Rev. D. Stevens ex occidentali Angliæ plaga tranſmiſſum eſt.

31. Gramen *cyperoides elegans ſpica compoſita aſperiore, Raii.* *Folia* anguſta ſunt, pallide viridia, dodrantem longa; caulis pedalis, nudus, enodis. *Spica* in ſummitate ex colore viridi flaveſcit, è *ſpicis* parvis, quinque, ſex, vel pluribus, brevibus, teretibus, ſquamoſis, compreſſis, & acuminatis, compoſita. *Spicæ* hæ ſummum caulem tantum occupant, & breves, turgidulæ, & duriuſculæ ſunt.

In locis humectis gramineis variis invenitur.

32. Gramen *cyperoides medium ſpica è pluribus ſpicis mollibus compoſita, Raii.* Huic *folia* præcedentis latiora ſunt, ſtriata, mollia, quatuor aut quinque uncias longa. *Caulis* gracilis, dodrantalis & altior *ſpicam* in ſummitate erectam gerit ex *floſculis* luteolis compactam, ſubfuſcam, quæ ex 6. vel 8. ſpiculis brevibus, ſquamoſis, mollibus componitur.

Locis gramineis humidis & aquoſis variis legitur.

33. Gramen *cyperoides foliis mollibus, ſpicis brevibus coacervatis tribus quatuorve in ſummitate caulis, Raii.* *Spica* hujus mollis & ſubfuſca, uncialis, è paucioribus *ſpiculis* paleaceis confertim naſcentibus componitur. *Folia* longiora *ſpicam* excedentia, tactui mollia ſunt, graminea.

In ericeto Hamſtediano primus detexit D. Doody.

34. Gramen *cyperoides ex monte Ballon ſimile ſpica totali è pluribus ſpicis compoſita, Raii.* *Caulis* triangularis pedalis eſt; *folia* latiuſcula compreſſa, palmaria, & dodrantalia. *Spica* in ſummitate ex anguſto principio in latum & obtuſum verticem terminatur, ex *ſpiculis* plurimis, mollibus, & mucronatis coagmentata.

Maii menſis initio floſculos luteolos ſulphureoſve proferens in humidis & locis paluſtribus invenitur.

35. Gramen *cyperoides ſpica ſimplici compreſſa diſticha, Raii. D. Pluk. Phyt.* *Folia* anguſtiora palmum non ſuperant. *Cauliculus* gracilior, vix dodrantem longus, *ſpicam* ſuſtinet fuſci caſtaneive coloris, uncialem & compreſſam, ex *ſpiculis* octo circiter mollibus, contiguis compoſitam, cum *foliolo* ſpicam ſuperante ſub prima ſpicula adnato.

Humidis quoque gaudet, variiſque locis reperitur.

36. Gramen *cyperoides minimum Ranunculi capitulo ſimplici aſperiore rotundo.* Elegans hæc plantula *folia* biuncialia & fere capillacea profert. *Culmus* ei vix dodrantem altus, erectus, tenuiſſimus, triangularis, *capitulum* ſubrotundum, & Ranunculi vulgaris in modum, ex *ſeminibus* plurimis, acuminatis conſtans, in apice gerit.

Præcox hoc Gramen in paludibus variis haud longe ab Oxonio naſcitur.

37. Gramen *cyperoides minimum Ranunculi capitulis binis terniſve, Nobis. Gramen cyperoides tenuifolium ſpicis ad ſummum caulem ſeſſilibus globulorum æmulis, D. Pluk. Phyt.* Hoc *foliis* modoque creſcendi & altitudine antedicto convenit, in ſummitate vero duæ ant tres *ſpiculæ* globulares *cauliculo* arcte adhærent, cum in præcedenti unica tantum obſervetur.

38. Gramen *cyperoides minimum Ranunculi capitulo ſimplici longiore & molliore.* Hoc, quod humanitati antedicti *D. Sherard* debemus, prioribus conſimile eſt. Planta tenuis; *folia* juncea longiora, *cauliculique* graciles, dodrantales ſunt; eorumque ſingulis *capitulum* ſingulare oblongum, ſemiunciale, ex mollioribus *ſquamis ſeminibuſque* compoſitum inſidet.

39. Gramen *cyperoides minus Virginianum ſpica ſimplici longiore, D. Pluk. Almageſt. Bot.* 178. *Tab.* 300. *Fig.* 6. *Radices* huic aliorum ſimiles ſunt. Tota plantula triuncialem altitudinem vix ſuperat. *Toruli* ferruginei aut ſubfuſci coloris, unciales, reliquiis *foliorum* præcedentis anni direptorum amicti. *Folioia* exinde oriuntur graminea, tenuiſſima, uncialia & biuncialia, recta. *Culmuli* triangulares, enodes, pergraciles, binas ternaſve uncias alti, *ſpicas* ſimplices, parvas, vix unciales, è *locuſtis* parvis, turgidiuſculis compoſitas, ſuſtinent.

40. Gramen *cyperoides minimum caryophylli proliferi capitulo ſimplici ſquamato.* Parvula hæc planta *folia* tenuiſſima biuncialia profert. *Culmus* gracillimus *capitulum* in apice ſuſtinet ſubrotundum, ſquamatum, idque *Caryophylli ſylveſtris proliferi C. B. P. ſeu Armeriæ proliferæ, Lob.* ſatis æmulum, minus tamen, cum *ſquamis* paleaceis ſub rectis adnatis.

In paludibus lociſque putridis ſicut & primum minimum colligitur.

Succedunt plantæ arundinaceæ, quarum flores falſi & inanes ſupra partem ſeminiferam naſcentes, inutiles evadunt; quales Typha, Sparganium, Frumentum Indicum Mayz dictum, & Lachryma Jobi.

PLANTÆ CULMIFERÆ

ENODES SPICIS CLAVATIS.

CAPUT XXVI.

Typha paluſtris.

TYpha *ex* τῦφω *palus quod in paluſtribus naſcitur nomen accepit; aliis* τύφη, *cui turbinata paniculæ effigies, quaſi typhonis ſeſe gyrantis, aut gigantis ſtaturam minacem ſignaret, nomen dediſſe videtur.*

TABULA XXVI. SECT. VIII.

Typha paluſtris
- *Europea*
  1. *Major, C. B. P. Theat. J. B. Maxima, Park.*
  2. *Media, J. B. Cluſ. Pan. Clava gracili, C. B.*
  3. *Minima duplici clava, Nobis. Typha paluſtris minor, C. B. P. J. B.*
  4. *Aromatica clava rugoſa, Nobis. Acorus verus ſive Calamus aromaticus officinarum, C. B.*
- *Exotica*
  5. *Sive Acorus Aſiaticus radice tenuiore, Hort. Lugd. Bat. Calamus aromaticus, Garziæ, Arom.*
  6. *Sive Acorus Braſilienſis aromaticus major, Capitatinga, aliis Jacarecatinga, Piſon.*

1. Typha *paluſtris major, C. B. P. Theat. J. B. Typha maxima, Park. Typha aquatica, Trag. Lugd. Radice* eſt obliqua, craſſa, geniculata, *Acori* in modum nodoſa, *fibriſque* multis aucta, fungoſa, intus candida, ſapore dulci, maxime gemmæ ejus recens natæ, ſiquidem quotannis novos oculos protrudit; *foliis Cyperi* æmulis, ſed acuminatioribus, dorſo eminentiore, triangulis, nonnihil aſperis, longiſſimis, & flexibilibus. Inter hæc autem *caulis* exſurgit nudus, rectus, teres, glaber, & veluti perpolitus, æqualis, & ſolidus, ternos cubitos, ſæpe & hominis altitudinem excedens; ejuſque cacumini *ſpica* primum tenuis, muſcoſos *flores* ſulphurei coloris, proferens inſidet, qua arida & decidente Julio & Auguſto menſibus *panicula* clavæ ſimilis, denſa lanugine compacta, punicei & obſcuri coloris, pollicis craſſitudine, palmari aliquando & pedali longitudine ſuccedit; eaque tandem in *pappum* cinereum ventis abrepta evaneſcit.

In paluſtribus & ſtagnantibus aquis, inque piſcinis, foſſis urbium, & juxta lente fluentium fluviorum ripas, paſſim reperitur.

2. Typha *paluſtris media, J. B. Cluſ. Pan. Typha paluſtris clava gracili, C. B. P. & Theat. Typha paluſtris minor, Park. Ger. Foliis* eſt multo quam in vulgari anguſtioribus, *clava* gracili & fere palmari, à majore (pullo illo tomento in clavam compacto) non differens. At ſupra clavam Junio menſe *florum ſpica* oblonga, clava paulo brevior, tenui flavo polline reſperſa, enaſcitur.

In iiſdem locis quibus & major, & in Anglia, Gallia, & Belgia conſpicitur.

3. Typha *minima duplici clava, Nobis. Typha paluſtris minor, C. B. P. & Theat. Typha minor, J. B. Adv. Lob. Minima, Park. Typha minor ſive Typhula, Tab.* Huic *folia* ſunt ſtriata, anguſta, acuminata, aliquantulum rigida; *caulis* cubitalis, lævis, enodis, & rigidus; *clava* parva, anguſta, ſæpe quidem duplex, inferior minor, rotundior, ſuperior vero major, duabus unciis ab inferiore diſtans, & longior; eique *folium* triticeum aliquantum intortum ſubjicitur. Superne aliquando *caulis* in biuncialem aciem abit.

In Genevenſi agro, qua Rhodanus & Arar confluunt, invenitur & ſimplici & duplici clava. Nos quidem cum D. Raio differentiam à ſicciore & ſteriliore loco præſertim oriri ſuſpicamur.

4. Typha *aromatica clava rugoſa, Nobis. Acorus verus ſive Calamus aromaticus officinarum, C. B. P. & Theat. Calamus vulgaris, multis Acorum, J. B. Radix* oblique acta, *Iridis* in modum ſupra terram ſe ſæpe demonſtrat, fibris albis tenacibus inferius deſcendentibus, geniculis crebris diſtincta, intus candida & modice rubeſcens, ſubſtantia rara, anguſtiſſimis poris fungoſa, ac pondere levi, jucundi odoris & aromatici, digiti craſſitudinis. *Folia* Iridis foliis anguſtiora & longiora, unciali fere latitudine, elegantiſſimo virore nitentia, dorſo aliquantum exſtante, non in folii medietate per longitudinem decurrente, ſed ad unum latus inclinante. *Caulis* folio ſimilis è latere exit bipedalis & bicubitalis, qui à medio ad ſummum uſque foliorum modo planus inferna vero parte craſſior, anguſtus eſt, & triangulus. Ex ejus quaſi mędietate & latere nucamentum *Coryli* iulo, vel *Piperi longo* ſimile erectum prodit, floſculis cum ſeſe explicat Junio menſe quadrifoliis, muſcoſis, pallidis & inodoris, plenum. Nucamentum paulatim augeſcit, & digiti craſſitiem & longitudinem adipiſcitur, frequentibus tuberculis ita exornatum, ut *Pinaſtri* recentem conum æmuletur; eique frequenter *folium* pedale & amplius, anguſtius, ſubjicitur.

Ad fluviorum ripas & in aquoſis variis, non ſolum Angliæ, ſed & aliis regionibus naſcitur, v. g. In fluvio Yare, haud longe à Nordvico urbe; in agro Hantonienſi circa Hedley vicum; circa piſcinas & canales Honoratiſſimi & Mæcenatis inſignis H. Comitis de Clarendon apud Swallowfield in Comitatu Berks. Intra Sluys caſtrum & Brugas in Flandria, copioſe naſci obſervavimus; In Lithuania, Ruſſia, Bithynia, &c. provenit.

5. Acorus *Aſiaticus radice tenuiore, Hermanni, H. L. B. Calamus aromaticus Garziæ ab Horto, Aromat. H. 1. l. 1. c. 22. Acorus* hic omnibus partibus convenit cum Europeo, excepta ſola *radice*, quæ tenuior eſt & compactior, ſuperficie crebrius geniculata, odore & ſapore gratiori.

Sponte luxuriat in Malabara & Inſula Zeylan, unde Lugdunum Bat. à prædicto Viro Celeberr. tranſmiſſus, in Horto in hunc uſque diem viget.

6. Acorus *Braſilienſis aromaticus minor, Capitatinga, aliis Jacarecatinga, Piſonis.* Miſſis diſputationum ſalebris de vero Acoro vel Calamo aromatico veterum ac neotericorum, ego (inquit Piſo) nobilem hanc plantam *Capicatinga* dictam, veri *Acori* ſpeciem pronunciarim. Europeo noſtro externa figura, ſive *radices* ſive *folia* ſpectes, excepta magnitudine, multum ſimilis, ſed quantum mole inferior, tantum efficacia ſuperior exiſtit; imprimis radix quæ calida & ſicca eſt, linguam vellicans. Ea ſolitaria, vel aliis immixta, non tantum ad incidendos frigidos humores peccantes fæliciter adhibetur, ſed & contra venena aſſumpta imprimis uſurpatur.

Non ſemper uliginoſis locis, ſicut Iris, creſcit; ſed etiam promiſcue aliis terris gaudet depreſſis, gleboſis, unde magna quantitate à Barbaris ad nos defertur.

Typhæ

Typhæ & Acori Vires & Uſus.

Radices Typhæ majoris modice exſiccandi & abſtergendi vim habent. Folia ad multa opera expetuntur, eo quod ſint longiſſima, plana, & flexibilia, & ad ſtoreas, tegetes, aliaque ejuſmodi conficienda ſint aptiſſima.

Acori folia & radices in uſum veniunt, & præſertim radices; adtenuant, ſtomachicæ, pectorales & alexipharmacæ, ſunt; ad dyſenteriam, & luem veneream utiles; ad febres malignas amoliendas ſingularem habent uſum; ad obſtructiones menſium, lienis, hepatis, urinæ tollendas, ad lateris, jecoris, thoracis dolores removendos adhibentur; frigidum infirmumque ventriculum roborant; adverſus aquas corruptas utiles; quæ forte ratio, cur Tartari *plerumque hanc radicem circumferant, nec aquam bibant, niſi prius in ea Acori radicem macerarint.*

Adverſus corrupti aeris contagia radices cum ſaccharo aut melle conditas plerique edere ſolent, iiſque ventriculum humidum exſiccari; concoctionem juvari; halitum emendari; obſtructiones viſcerum tolli; & venerem irritari exiſtimant. In catarrhis exſiccandis, præcipue convulſivis, inque apoplexia ipſa, magnam habent laudem conditæ radices.

Jacobus Haſebardus Medicus celeberrimus electuarium confecit & elegantius & guſtui jucundius ipſius Meſues diacoro; atque hoc Bartholinus in Ciſtam ſuam Medicam conjecit.

PLANTÆ FOLIIS ENSIFORMIBUS, PILULIS ECHINATIS.

CAPUT XXVII.

Sparganium.

Sparganium *ἀπὸ τῶν σπαργάνων, i. e. faſciolis, quod foliis ejus latis & vitilium modo lentis tanquam faſciis nutrices utantur; vel potius quod faſcias latitudine ſua & flexibilitate folia referant.*

TABULA XXVII. SECT. VIII.

Sparganium
- *ramoſum*
  1. *C. B. P. & Theat. Park. Ger. Sparganium quibuſdam, J. B.*
  2. *Majus ſive ramoſum Virginianum, Park.*
- *non ramoſum*
  3. *C. B. P. & Theat. Park. Alterum, J. B.*
  4. *Minimum, C. B. P. & Theat. J. B. Park.*

1. Sparganium *ramoſum, C. B. P. & Theat. Ger. Park. Sparganium & Butomos Theoph. Lob. Sparganium quibuſdam, J. B. Radicibus* eſt nigricantibus, fibroſis, adnatis radiculis ſerpendo longe lateque ſe diffundentibus; *foliis* à radice ſurrectis, utrinque gladii inſtar acuminatis, cubitum ſuperantibus, quæ dorſo ita prominente & alato ſunt, ut triangula videantur, ſtringentis manum infeſto vulnere ſcindentia; at quæ in caule alternatim diſpoſita, pauca, anguſtiora ſunt. *Caules* à foliorum medietate prodeunt, læves, ſubrotundi, aliquando obtuſis angulis præditi, pallide virentes, alba medulla, quæ in tenuiſſima *filamenta* diduci poteſt, farcti, bicubitales, aliquando altiores, tortuoſi, in *ramulos*, quorum ſingulis *folium* ſubjicitur, diviſi. *Flores* tuberculis ramorum nullo pediculo adnaſcuntur, aſpergillum imitati, è radiatis in orbem ſtaminulis albidis, apiculos fuſcos ſuſtinentibus conſtantes, nullo relicto fructu ſemineve caducis; alibi enim naſcuntur pilulæ echinatæ *Platani*, ex conulis ſingulis ſingulos acinos continentibus glomeratæ.

In aquis ſtagnantibus & ad fluviorum ripas paſſim occurrit.

2. Sparganium *majus ſive ramoſum Virginianum, Park.* E *radice* nodoſa fibris adnatis proveniunt *folia* tria quatuorve numero, latiuſcula, pallide virentia, antecedentis breviora. Ex horum autem medio *caulis* erigitur teres, foliis deſtitutus, & in ſummitate in *ramulos* umbellatim diſtributus, qui ternatim *pilulas* ſphæricas, acuminatas, *nucis juglandis* pene magnitudine, abſque *floribus* exinde provenientibus ſuſtinent.

3. Sparganium *non ramoſum, C. B. P. & Theat. Sparganium alterum, Lob. Tab. J. B. Sparganium latifolium, Ger.* Hæc planta in aquis limoſis & ſtagnantibus naſcens, vulgari ramoſo humilior eſt. Ejus *folia* læte virentia, plana, anguſtiora, & non dorſo eminente donata ſunt. E *caulis* cubitalis inferiore parte quædam *folia* minora, & in ſuperiore globuli florei proveniunt. Horum infimus pediculo brevi inſidet, alii ſeſſiles & inanes ſunt, utpote quibus nullum ſuccedit *ſemen.*

4. Sparganium *minimum, C. B. P. & Theat. J. B. Park.* Plantula eſt unciarum quatuor. E *radicula* ex *fibrillis* oblongis compoſita *cauliculus* unciarum duarum effertur, & in *capitulum* exiguum, ſubrotundum (cui aliud minus inſidet) herbacei coloris ac formæ, ut in *Sparganio minore*, definit. Circa hunc autem ſunt *folia* utrinque quaterna vel quina, anguſta, cauliculum ſuperantia.

Northuſii in lacunis quibuſdam cœnoſis, quarum partes ſuperiores per æſtatem exſiccantur, provenit.

De Viribus parum dicendum; adſtringentis & exſiccantis facultatis ſunt Spargania. Folia ad ſtoreas, corbes, mattaſque conficiendas idonea.

PLANTÆ

PLANTÆ CULMIFERÆ

Floribus caſſis, ſpiciſque ſeminalibus craſſis donatæ.

CAPUT XXVIII.

Frumentum Indicum Mayz dictum.

TABULA XXVIII. SECT. VIII.

Frumentum Indicum
- *majus*
  1. *C. B. P. & Theat. Triticum Indicum, J. B. Maizum, Monardi.*
  2. *Grano Avellanæ magnitudinis, C. B. P.*
  3. *Spica diviſa ſive polyſtachites, Bocc.*
- *minus*
  4. *C. B. P. Frumentum Indicum alterum ſive minus, Park.*

1. Frumentum *Indicum Mayz dictum, C. B. P. & Theat. Et Mayz dictum alterum ejuſdem. Triticum Indicum, J. B. Milium Indicum, Dod. Maizum, Monardi. Triticum Bactrianum, Cord. Geſn. Pagatowr Virginiæ indigenis. Tlaolli ſeu Maiz, Recchi. Maizium Haitinis. Radicibus* nititur numeroſis, duris, fibroſis, ſed minime craſſis, & albis. His autem ab imo caulis geniculo fulcra quædam in terram demittuntur, quibus *culmi* à vento agitati ſuſtinentur, qui quidem arundinei, ſeptem octove pedes alti, rotundi, pollicem craſſi, rigidi, multis *geniculis* articulati ſunt. Hi paulatim extenuantur, ſolidi, denſa & alba medulla inſtar *Arundinis Saccharinæ* farcti, & dum adhuc virides & ſucculenti Saccharinam quandam dulcedinem produnt. *Folii* eſt arundineis, cubito plerumque longioribus, tres aut quatuor uncias latis, venoſis, marginibus aliquantum aſperis; *paniculis* ſummo caule dodrantalibus, glacilibus, raris, jubæ in modum multiplicibus, aliquando in 15. 20. aut etiam 30. *ſpicas* procumbentes diviſis, *ariſtis* carentibus, & flori tantum emittendo natis, vacuis, inutilibus & aceroſis, quod quidem raro in aliis conſpicitur. Nam cum defloruerint exareſcunt, & nullum *ſemen* producunt. Et (quod ſingulare huic plantæ videtur eſſe) alia parte *florem*, alia *fructum* fert, & non reliquarum frugum more, in panicula ſemen fructumve profert, ſed à latere ex culmorum geniculis, medio foliorum & geniculorum ſinu, *ſpicæ* longæ, craſſæ, rotundæ, cylindraceæ effigie, fructum ferentes, & ab uno culmo tres quatuorve alterno ordine exeunt, à ſingulis quidem nodis ſingulæ, quæ multis foliaceis tunicis vaginæ inſtar obvolvuntur, in ſummo tam arcte convolutæ ut ne aquam quidem tranſmittant, quæ ſpicas poſſit corrumpere. *Spicæ* cum ad juſtam magnitudinem pervenerint, *Pinaſtri* arboris conos craſſitudine æquant & pene duritie, longitudine vero dodrantali & pedali ſuperant. E vaginularum verticibus *filamenta* capillacea, quæ *ariſtæ* longæ è ſingulis granis exeuntes ſunt, dependent. Vaginis denudatis, *grana* apparent Piſi magnitudine, omnino nuda, nulloque folliculo incluſa, lævia, ſubrotunda, dura, & mediaſtino ſuliginoſo undique hærentia, propter compreſſionem anguloſa, frequentia, & ſæpe apud *Indos* 700. coacervata, at arctiſſime juncta, & in octo aut decem, rarius duodecim, ordines, in longitudinem rectis lineis digeſta..

Hoc ſpicarum granorumque colore variat. *Colores autem ſunt vel ſimplices vel mixti; ſimplices quidem albi, lutei aurei, violacei, ſpadicei, rubri, nigri.* Mixti colores *in eadem ſpica, & interdum in eodem grano* conſpiciuntur; *ſuntque albo-ſpadicei, & cærulei, albi, nigri, partim punctis ſpadiceis mixti; albi & violacei, lutei, cum punctis ſpadiceis; rubri, nigri & ſpadicei; lutei, albi, aliquando cærulei & violacei, aliquando lutei & albi, violaceis & cæruleis punctis aſperſis; rubri & ſpadicei, aurei & albi, cærulei, lutei, & albi, punctis rubris aſperſis; denique cærulei, lutei, violacei & albi.*

2. Frumentum *Indicum grano avellanæ magnitudine, C. B. T. Folia* habet anguſta & tenuia, & in tantam altitudinem quantam antecedens aſſequitur non exſurgit. Ex ramis frumentum inſtar *nucum avellanarum* dependet, quod *ariſtas* habet *Tritici* ſive *Maiz* ariſtis convenientes, colore rubicundo. *Grana* cute tenella involuta putaminibus includuntur, & peculiaribus quaſi loculis ad modum granorum in Malo Punico ab invicem diſtinguuntur.

Seminatur in agris, quemadmodum frumentum verum, potiſſimum in Africa, & quidem in peculiari quodam loco, qui nomen etiam inde obtinuit, & apud Æthiopas, uti refert Caſp. Bauh. qui ſolus de hoc ſcripſit.

3. Frumentum *Indicum ſpica divulſa, ſeu polyſtachytes, Boccon.* Ad pagum & cœnobium *Sancti Dominici Soriani* hanc ſpeciem uberrimam detexit Auctor. Hujus autem plantæ *Spicæ* mediæ aliæ ſpicæ conſimiles (*Tritici* multiplicis in modum) ſed minores adnaſcuntur. Atque iſtis ſpicis à reliquis homogeneis facile dignoſcitur.

4. Frumentum *Indicum Mayz dictum minus, C. B. P. & Theat. Frumentum Indicum alterum ſive minus, Park.* Hujus *Tabern.* meminit. Prioris altitudinem dimidiam non attingit; ejus autem ſpicæ (ut ait) non ad culmorum latera, ſed floribus ſuccedunt. Colore eſt *albo, rubeo, ſpadiceo, luteo, atrorubente,* & aliquando *mixto.* De modo creſcendi narratio *Tabernæ* in dubium venit. Apud noſtrates vero in *America* degentes datur varietas minor, quæ altitudinem tripedalem raro ſuperat, omnino vero ad eundem modum quo & primum flores inanes fructuſque profert, verſicolores etiam, minores tamen. Citius matureſcit, & titulum *Rath ripe Corne* obtinuit.

In

In Occidentali India haud dubio ſponte naſcuntur hæ variæ ſpecies, & exinde ad varias Europæ plagas & præſertim calidiores advectæ in uſum quotidianum ſeruntur. In Æthiopia, Guinea, aliiſque Africæ regionibus præ fœcunditate ſua copioſe proveniunt.

Frumenti Indici Vires & Uſus.

Hujus temperamentum multo calidius eſt quam noſtri vulgaris Tritici, cui tamen nec viribus nec ſubſtantia cedere à quibuſdam æſtimatur. Frumentum hoc Indis *alimentum bonum & ſalutare præbet; nec ſolum Tritico calidius eſt, verum & craſſius, multum ſanguinis generans. Unde fit ut qui copioſius illud eſitent, tumidi & ſcabioſi reddantur. Sunt qui granis toſtis & præuſtis utantur, atque his à ſcabie ſe vindicare non licet, utpote qui ſanguinem nimis calidum & quaſi aduſtum habeant.*

Panis ex eo conficitur, mediocriter candidus, dulcis, ſed ſapore peregrino præditus, durus ac ſiccus, nihilque lentoris habens; quare concoctu difficilis eſt, corpori exiguum alimentum præbens, tarde deſcendens & alvum conſtringens. Quocirca pultes ex ejus farina toſta & lacte confectæ in diuturnis alvi fluoribus commendantur. Sed delicatior erit cibus ſi ex grani moliti farina parvæ placentæ ad ignem conficiantur, quæ calidæ menſis inferri, & alicubi Arepæ *nominari ſolent.*

Vini apud Indos vicem præſtat, ut qui ex eo potionem conficiant, quæ in Peru Acua, *& maxime communi apud* Indos *nomine* Chicha *appellitatur, qua citius quam vino inebriantur. Alii frumentum hoc aqua probe maceratum coquunt, & potum* Cerviſiæ *non abſimilem inde parant.* Maiz *apud* Indos *hominibus & panem, & vinum, & oleum ſubminiſtrat.*

Quinetiam brutis utile eſt, ſiquidem & folia & caules virentes mulis & equis in America commodiſſimo pabulo ſint.

Farinæ uſus eſt ad cataplaſmata mollientia & ſuppurantia; nam ſuo lentore meatus obſtruens apoſtematibus ſuppurandis peridonea eſt; quod & fermentum ex eadem farina paratum valentius præſtat.

Foliorum item recentium ſuccus refrigerandi facultatem obtinet, & eryſipelatibus molliendis, ſi panni intincti applicentur, conducit.

Plura apud Bauhinos fratres legere eſt. Hernandes etiam in Hiſtoriæ Mexicanæ p. 243. & 244. *idem magnopere commendat.*

CAPUT XXIX.

SECTIO IS VIII.

LACHRYMA JOBI.

LIthoſpermum *arundinaceum, C. B. P. Lachryma Jobi, Cluſ. Dod. Park. Cam. Eyſt. Lachryma Chriſti, Trag. Geſn. Arundo lithoſpermos, Ger. Lithoſpermum arundinaceum forte Dioſc. & Plinii. An Coix Theaphraſt. J. B? Seſamum annuum, forte Seſamum album, Zan. Milium ſolis, Ja. Bontii. Inter Milii ſpecies cenſetur, & Lachryma Jobi, à ſeminum forma, nominatur. Folia* habet longa arundinacea, binas uncias lata; *culmos* craſſiuſculos, geniculatos, cubitales, ex quorum ſuperioribus geniculis duo, tres, aut plures exeunt pediculi; in ſingulis *ſemina* ſingula, dura, lævoris nitidi & politiſſimi, ſuperiore parte turbinata, inferiore rotunda, margaritæ cinerei coloris ſtalagmia, guttas, aut lachrymas referentia, *Piſi* pene magnitudine. Ab iſtis autem dependent quædam veluti *ſpicæ* inanes & muticæ. *Radices* fibroſæ nobiſcum hyeme pereunt; calidioribus regionibus forte perennant.

Hoc in plurimis plagis calidioribus ſponte naſci ſatis eſt veriſimile; ex Inſulis Barbadienſibus & Bermudenſibus, ut & ex India Orientali accepimus. Unde etiam (ut à ſemine duplo majore conjicimus) varietatem comparavimus.

Plantæ *quædam reſtant Culmiferis accedentes, radicibus & foliis arundinaceis præditæ, quarum nota a fine ultimo generica, nempe fructificationis modo tricapſularibuſque vaſculis ſeminiferis conſideratis; ad Sectionem quartam, ubi de* Gladiolis & Iridibus tuberoſis *agitur ſpectare videntur. Illuc ſi Lectori reducere placebit, nulla exinde orietur litigatio. Cum vero ibidem omnino ſint prætermiſſæ; & ſequentes, ob uſus medicinales, vitamque humanam ſuſtentandam, admodum ſint inſignes: hiſce potius, quam in ſolidum præterire, curæ fuit ſubjungere. Harum autem notitia Clariſſ. Viro & Botanico Celeberrimo D. D.* Hermanno *debetur, qui quaſdam earum accurate deſcripſit, & cæterarum, de quibus alii nihil explorati tradiderant, admirandus fuit indagator.*

Arundo florida, Curcuma, Zinziber, Zedoaria, Cardamomum majus & minus, Galanga, Coſtus, & Nardus.

CAPUT XXX.

Arundo florida ſeu Canna Indica.

TABULA XXIX. SECTIONIS VIII.

Arundo Indica
- *flore rubro*
  1. *Latifolia, C. B. P. & Theat. J. B. Canna Indica, Cluſ. Eyſt.*
  2. *Latiſſimo folio, Cat. Hort. Reg. Par.*
  3. *Sive Canna Indica Americana flore fulgenti, cocco ſplendenti, Hort. Lugd. Bat.*
  4. *Anguſtifolia pediculis donata, Agutiguepo-obi Braſilienſibus, Marcgrav. p. 53.*
- *flore luteo*
  5. *Latifolia flore punctato, C. B. P. Theat. J. B. Lithoſpermum arundinaceum aliud, Recchi.*
  6. *Anguſtifolia, Albara & Pacivira Braſilienſ. Piſ.*
  7. *Campanulato, ſive Arundo vulpina, Recchi.*
8. *Latifolia Braſilienſis ſquamato capite, Pacocaatinga, Piſ.*
9. *Latifolia inferius racemoſa, Paco-ceroca Braſilienſ. Marcgr.*
10. *Conifera Peruviana foliis latis ſerratis. Canna viva ſpinoſa veleno ſa & mortifera Peruviana, Zan.*

1. ARundo *Indica latifolia, C. B. P. & Theat. J. B. Arundo Indica humilior flore ſaturatius rubente, Hermanni. Arundo latifolia, Ger. Langoas, Stapelii. Xiphium Indicum Italorum, Cæſalp. Gladiolus Indicus, Cam. Katu bala, Hort. Mal. Tom.* 11. *p.* 85. *Radices* numeroſis prolixis craſſiuſculis fibris conſtant, effuſis è multis nodoſis *capitibus*, quorum ſingula ſucceſſive convolutum quaſi anguſtum cucullum, *Lilii convallis* primum erumpentis inſtar, emittunt, ſenſim ſe dilatantem in *folium* tenue, glabrum, pallidæ herbaceæ viriditatis, in dodrantalem latitudinem coactum, oblique frequenterque nervatum; è cujus ſinu tandem prodit *caulis* arundinaceus ſingularis, lævis, bicubitalem ſæpius altitudinem excedens, ac inferna parte digiti minimi craſſitudinem. Hunc alternatim amplectuntur paria, ſed multo ampliora folia, *Helleborum album adultum*, aut potius *Muſam* quadantenus æmulantia. Summa pars caulis in *alas* dividitur, *floribus Gladioli* aut *Xiphii* conformibus onuſta, longioribus tamen & anguſtioribus petalis linguiformibus præditis, hilarioris ruboris ſeu minii colore ſex ſeptemve numero, tinctis; iiſque hirtum & rugoſum viride *capitulum* ſubſternitur, quod cum flore nondum adaperto, ſorpiculam ſeu chelam cancri fluviatilis referre Herbarii tradunt. Emarcidis floribus, tandem *capitulum* abit in triangulam, oblongam & molliter echinatam capſulam triplicitter diviſam; cujus in medio intrinſecus longo ordine diſponuntur *ſemina* rotunda, dura, ſolida, præ maturitate nigricantia, *Piſi Minoris* magnitudine. De ſeminibus ſphærulas precatorias *Hiſpani* & *Luſitani* confici curant, *Cluſio* atteſtante.

In plurimis Americæ plagis calidioribus ſponte provenit. Hujus Plantæ radicis ſuccum Mercurii ſublimati toxicum infringere refert Hort. Mal.

2. Arundo *Indica latiſſimo folio, flore rutilo, Cat. Hort. Pariſ.* 25. *Arundo Indica latifolia maxima, Hermanni.* In omnibus præcedenti major eſt hæc ſpecies.

Ex Inſula Divi Chriſtophori recepimus.

3. Arundo *florida ſive Canna Indica Americana flore fulgenti, cocco ſplendente, Hermanni, H. L. Bat.* Inter alia *ſemina* ex *Surinama* tranſmiſſa, prodiit hæc planta, quæ non niſi adulta à ſuperiore dignoſcitur. *Stipites* edit proxime præcedentis paulo humiliores; *flores* hilari cocco intenſiſſime rubentes; *ſemina* minora in ſpadiceo colore nigricantia. Cætera ſimilis eſt.

4. Arundo *Indica anguſtifolia flore rutilo, pediculis donata, Agutiguepo-obi Braſilienſibus, Marcgrav. l.* 1. *p.* 53. Forte *Turara* radix in *Guinea*, cujus ſucco vulnerati ſanantur, Radix contra venenatas ſagittas, C. B. P. 14. *Arrowroot* & *Dart-Herb* noſtratibus dicta. Ex *radice* ſuperius rotunda, ſubruffa & ſucculenta, multa craſſa habet filamenta. Provenit *caulis* tres, quatuor & quinque pedes longus, arundinaceus, rectus, digitum craſſus, hinc inde habens in pediculis (duos, tres, aut etiam quinque aut ſex, digitos longis) *folia* unum aut ſeſquipedem aut etiam duos pedes longa, quatuor digit. lata, acuminata, eleganter viridia, ſplendentia, nervo ſecundum longitudinem & ſubtiliſſimis lineis obliquis decorata, & in ambitu linea rubra fimbriata. In ſummitate caulis provenit *flos* inſtar *Lilii*, egregie incurvatus, & ignei coloris, tribus vel quatuor *petalis* conſtans. Apud quodlibet petalum, tria, quatuor aut quinque ſtamina exſtant, ejuſdem coloris & figuræ quibus eſt *dens apri*. *Semen* non deſcribitur.

In Hortis Jamaicæ & Caribbæarum Inſularum ob uſus alexipharmacos ſeritur.

5. Arundo *Indica latifolia flore luteo punctato, C. B. P. & Theat. J. B. Lithoſpermum arundinaceum aliud, Recchi. Canna Indica flore luteo punctato, Park. Toſcuitlapil, Indorum, Mceru Braſilienſ. Piſ. Marcgrav.* Planta hæc præcedentibus rubris, (ultima excepta) humilior eſt. *Folia* habet conſimilia, breviora tamen & latiora, & vix aliis notis diſcrepat, quam *florum* ſpecioſiore elegantia, qui *croceo colore* placent, ac ſaturate rubris ac fere nigricantibus ſtigmatibus ſeu punctis inficiuntur.

6. Canna *Indica anguſtifolia flore luteo. Albara & Pacivira Braſilienſ. Piſ. & Marcgr.* Hæc quoad *radices* ante-

antedictis respondet. *Folia* vero longa & mucronata palmarem latitudinem raro superant. *Flores* ex *petalis* luteis, quorum quædam sunt latiora, & reflexa, quædam recta, angusta, staminulosa, constructi sunt. *Semina* ei rotunda & nigricantia sunt.

7. Arundo *Indica flore luteo campanulato. Arundo vulpina, Recchi* 262. *Acacoyotl, Incolis.* Herba est *caulem* prolixum proferens, arundinaceum, pollice crassiorem, & exsaturato virore nitentem; *folia* ampla pinguia, & longa, multis exilibusque interveniis in obliquum à dorso in utramque partem discurrentibus; *flores* in corymborum formam compositos, juxta caulium cacumina, longiusculos, *aurei coloris* & pulchros spectatu; è quorum singulis prodeunt *semina* fusca, dura, orbicularia, *Ponticis nucibus* paulo minora.

Lithospermum majus arundinaceum Indicum merito appellari potest; ejus enim fructus longe major est quam qui apud nos provenit, inquit Recchus.

8. Arundo *Indica latifolia Brasilienſis squamato capite. Paco-caatinga, Pis.* 214. *& Marcgr. Caulem* habet arundinaceum, digitalis crassitudinis, rotundum, & intus continentem succulentam medullam, subdulcis saporis, consistentiæ fere ejusdem cujus est *Canna saccharifera.* Hunc porro ambiunt sine pediculis hinc inde *folia* solida, septem, octo vel novem digitos longa, circiter tres lata, interdum & majora, figura linguæ, nervo in medietate secundum longitudinem donata, nullis secundum latitudinem venis, sed subtilissimis lineis oblique discurrentibus, ut in foliis *Meeru* antedictæ; suntque superius glabra, & dilute viridia, inferius molli hirsutie prædita & subalbicantia. In summitate caulis provenit *conus* (ut in *Pinu*) 8. aut 9. dig. longus, in fastigio paulo acutior, squamis sibi invicem incumbentibus munitus. Sed temporis decursu *squamæ* illæ à se invicem dilatantur, & sub quaque apparet *flosculus* cavus, instar alveoli apiarii, dilute purpurascentis coloris; sub flosculis vero *cuticula* est albescens, rotundum *sacculum* præbens, & continens 24. aut plura *grana seminis* nigri splendentis, magnitudine seminis *Ceparum* multangularis, suntque *grana* albis *filamentis* quasi lineis involuta, & illis adhærent.

9. Canna *Indica latifolia, inferius racemosa. Paco-ceroca Brasilienſ. Pis.* 214. *Marcg.* In sex septemve pedum altitudinem assurgit; *folia* ejusmodi sunt quæ aliis hujus familiæ latioribus conveniunt. Ad exortum caulis prope folium provenit *pediculus* crassus, sed brevis, in aliquot *ramulos* superius divisus, qui multos habent *flores*, sesquidigitum aut circiter longos, cavos, incarnate rubentes. Flores hosce sequitur *fructus* in uvam congestus, *pruni* magnitudine & figura, prominente umbilico; estque adhuc immaturus saturate viridis, maturus vero subfuscus, triangularis figuræ, & *cortice Aurantii Mali* cortici pene simili cinctus, qui sponte finditur in tres partes, atque facile separatur; intus vero habet exiguam *pulpam* filamentosam, magnitudine *nucis Avellanæ*, in tres itidem partes divisibilem per cuticulam flavam. *Pulpa* autem hæc *cinnabari* colore refert, odoris vinosi fere ut nostras *Cydonium*; & in ea continentur supra 30. *grana seminis*, triangularia, fusca, cum macula (qualem ostendit *cinnabari*) in acutiore parte, magnitudine seminis *Cannabis*, & albissimum nucleum habentia. *Cortex* exterior succulentus cutem tingit colore brunno, ut *Cerasa* nostratia nigra vel *Violæ Martiæ*, atque ideo usurpatur loco atramenti.

10. Arundo *conifera Peruviana foliis latis serratis. Canna viva spinosa velenosa & mortifera Peruviana, Zanon. p.* 61. Planta hæc peregrina, cui *herbæ vivæ* facultatem tribuit *Auctor, folia* protrudit ampla, longa, in ambitu serrata. Ex horum autem medio *caulis* geniculatus, nudus, internodiis distinctus, ad humanam altitudinem assurgit; qui in summitate, binis foliis minoribus, consimiliter dentatis, subjectis, *capitulum* erectum profert, *Cinaræ* in modum squamatum, quod in *spinam* longam, albam, duram, & acutissimam terminatur.

Naru kila, Hort. Mal. Tom. 11. *p.* 67. *ad hanc familiam pertinere videtur.*

CAPUT XXXI.

SECTIONIS VIII.

Zinziber & Zedoaria.

1. Zinziber *Sativum foliis & radice tenuioribus. Zinziber, C. B. P. Zinziberis alia icon, C. B. Theat.* 651. *Chilli Indiæ Orientalis seu Zinziber fœmina, Recchi,* 169. *Zinziber fœmina, Pis. Mantiss.* 190. *Inschi vel Inschi Kua, Hort. Mal. Tom.* 11. *p.* 21. *Arundo humilis clavata radice acri à quibusdam nominatur. Radice* est quaquaversum *Iridis* aut *Arundinis* in modum reptante & oblique acta, pollicis crassitudine & minore, foris albicante, aut in candido colore subfusca, perque ejus longitudinem *venæ* nervosæ feruntur; *gustu* fervido, acerrimo; *odore* aromatico; *foliis arundinis* ritu spithamam longis. *Caulis* multis foliorum involucris constat, & velut exigua quædam Arundo ad altitudinem duorum triumve pedum excrescens apparet. E propriis nodis assurgit *caulis* nudus florifer, in cujus summo *spica* oblonga crassa, foliacea, & squamata, & ut *Recchus* & in icone & in doctrina observat, capitulum *Stœchadi* quadantenus simile insidet, ut in *Curcuma.* Plus lege in *Hort. Mal.*

In plagis Indiæ Orientalis & calidioribus Occidentalis seritur & luxuriat.

2. Zinziber *latifolium sylvestre, Hermanni. Zerumbet Garziæ. Walingburu sive Zinziber sylvestre Zeylanensibus. Kua, Hort. Mal. Tom.* 11. *p.* 27. *Radix* prælonga, brachium crassa, inæqualis, nonnihil depressa, ex crebris prominentibus tuberibus seu apophysibus per genicula junctis compacta, alba, nonnunquam flavescens, carnosa, succulenta, tenacibus crassioribus filamentis intertexta, modo in soli superficie hærens, modo altius demissa, pauciſque albentibus fibris capillata; gustus acris amaricantis aromatici ad *Zinziber* accedentis, sed magis terrestris & minus grati; *odoris* fragrantis. Ex hujus tuberculis eriguntur *caules* sesquicubitales, crassitudine digitali, herbacei, depressi, viridante medulla pleni, quos alterno ordine ab imo ad summum usque vestiunt *folia* spithamam longa, tres quatuorve transversos digitos lata, in mucronem abeuntia, glabra, polita, altera parte læte viridia, altera in viridi colore pallentia, fulta *pediculo* crasso brevissimo, qui lato ac folioso suo principio *Arundinum Graminumve* ritu *caulem* involvit & in nervum per fo-

lii mediam longitudinem excurrentem terminatur. His in caulibus flores nulli conſpiciuntur, ſed ex peculiaribus radicum tuberculis, veluti in *curcuma*, cæteriſque hujus ſortis aromatibus, ſingularis erigitur *ſcapus* prælongis aliquot foliaceis ſquamis, *ſcapum* ſtrictiſſime ambientibus, mucronatis, obtectus, *apice* in oblongorotundum, ſquamatum, rufeſcens *caput*, ex multis obtuſis foliis imbricum modo hærentibus conſtructum, faſtigiato. Ex hujus autem ſquamarum interſtitiis proſilit *flos* oblongus ut plurimum pentapetalus, *Curcumæ* aut *Zinziberi* ſimilis, petalo ſuperiori oblongo, pellucido, galeæ inſtar erecto, duobus inferioribus conformibus, inſtar labii pratenſis, intermedia flaveſcente, ſinuato, ad marginem fimbriato, ex anguſta cervice in rotundam latitudinem diffuſo. Huic demum *ligulæ* inſtar incumbit *petalum* craſſum, albidum, reliquis anguſtius, craſſius tamen & robuſtius, deſinens in parvum leviter inflexum mucronem. His omnibus marceſcentibus ſuccedit *vaſculum* pene trigonum, continens in tribus loculamentis *ſemina* rotunda, fuſca, *Cannæ Indicæ* paulo minora, cæteroquin valde ſimilia.

In ſylvis locisque aliis umbroſis Inſulæ Zeylan, Malabaræ, cæterarumque Orientalium Regionum, ſpontaneo proventu luxuriat. Hactenus Cl. Herman.

3. Zinziber *ſylveſtre latifolium florum ſquamis rotundioribus. Katou Inſchi Kua, Hort. Mal. Anchoa ſive Zinziber mas, Hernand.* 169. *Foliis* conſtat aſperioribus & craſſioribus vulgaris *Zinziberis*; eadem tamen forma, *radice* quoque majore atque craſſiore, cum quadam amaritudine. Indigenæ lucri cauſa hoc cum radicibus primi commiſcent.

4. Zinziber *montanum fructu racemoſo. Mala Inſchi Kua, Hort. Mal. Tom.* 11. *p.* 29. *Giri Kolinjane Bramanibus dictum. Radicibus & foliis* ſylveſtri antedicto convenit. *Caulis florum* (qui medulla eſt plantæ) cubitalis, rotundus, undiquaque multitudine florum obtectus, brevibus *petiolis*, brevibuſque *ramulis* quaternis vel quinis cauli affixis, grati & jucundi odoris eſt. *Fructus ex* pede florum proveniunt, oblongorotundi, primo virentes & glabri, deinde rubri & nitentes, cortice craſſo & membranaceo uvarum inſtar obtecti, intus denſa medulla farcti, intra quam concluduntur *ſemina* duo vel tria numero, alba tenui membrana incluſa; *ſaporis* amari; *odoris* qualis eſt *Zinziber.*

5. Zinziber *fuſcum, C. B. P. & Theat. Lugd. Zinziber intus fuſcum, Cord. Mechin & Zinziber fuſcum officinarum, Adv. Lob.* Non ſolum à *Zinzibere* differt, quod eo immaturius ſit, aut improbius, ſed potius ſpecie & concretione, (caret enim fibris & filamentis) perſpicuitate, fuſcedine, ſoliditate, & acriore guſtu, nec teredine exedi ſolet.

Conditur etiam, & in quibuſdam officinis proſtat.

6. Zinziberi *affinis cortice ſquamato, C. B. Zinziberis Mechini rara varietas, J. B. Adv. Lob. Radix Zinziber vulgatum* ant *Mechinum* refert, ſed elegantiori aſpectu eſt, multis nodis diſtincta, & fere *Doronici* inſtar articulata. *Corticem* habet *Zinziberis* ſimilem, coloris ſubcitrini, pollicari craſſitie, fibriſque carentem. Gravis eſt & ſolida; fracta venas albas oſtendit; ſapore eſt acri, aromatico, & ſi carie non exeſa ſit, guſtu *Zinziberis* multo acriore & ſicciore.

7. Zinziberi *affinis radice Aſphodelina, Coapatli Aſphodelina, Recchi* 300. Herba eſt *radices* longas fundens, candidas, Aſphodelinis non abſimiles, unde inditum eſt cognomen, aut *Mathalitzic*; & ex iis *folia* prolixa & porraceis ſimilia; *flores* in poſtremis caulibus, veluti ſpicatos & *Stœchadis* capitibus perſimiles. *Radices* ſunt molles & refertæ ſucco, inſigni ſapore, & odore carentes, frigidæque & humentis temperiei.

Forte eandem plantam invenit D. H. Sloane *in Inſula* Jamaica.

8. Zedoariæ Caſp. Bauh. *in Theatro æque ac in Pinace quatuor numeravit ſpecies; nempe longæ, rotundæ, tuberoſæ foris nigricantis, & Geidwar: Qua in re minime conſentientem habet D. Hermannum. Longa* forſitan ad *Zinziberem ſylveſtrem* attineat, cujus *folia* non eſſe diſſimilia cuncti ultro concedunt. *Rotunda, C. B. P. & Theat. Colchicum* eſſe *Zeylanicum flore violæ odore & colore ephemero, Par. Bat. Prod.* & *Malankua Hort. Mal. Tom.* 11. *p.* 17. *videtur.* Hujus *radices* digitum craſſæ, oblongorotundæ, binatim, triplici ſupra ſe annectuntur ſerie, *Zinziberis odorem* & *ſaporem* ſpirantes, linguam vero minus vellicantes. E ſummitate radicis *calyx* oritur albus & membranaceus, inſtar *Croci*, cui *flores* includuntur quaterni vel quini, tripetali, vel etiam hexapetali, mixti coloris, ex cœruleo, albo, purpureo, rubro, flavo; gratiſſimi odoris, *Violarum* & *Liliorum* odorem longe ſuperantes, ante folia è terra emergentes. His autem deciduis, *calyx* intumeſcit, *capſulas* ſeminales efficiens. Folia *Zinziberis ſylveſtris*, cubiti altitudinem non excedunt. *Sapor* idem qui & *Zinziberis.*

Doctiſſimus *Hermannus* qui inter *Indos*, apud quos iſtæ ſpecies modo recenſitæ uberrime proveniunt, diu vixerat, hujuſmodi quæſtiones proponit, ſolutu perquam difficiles. *An hoc Indicum aroma ſit Zerumbeth Arabum quod Garzias ab Horto adſtruit; & an Zerumbeth ſit idem cum Zedoaria Geidwar, Arnabo, Been albo & rubro aut Carpeſio, an vero ab his diverſum?* Sane id ex Veterum codicibus difficulter colligi poteſt: quippe non tantum in his, ſed & innumeris aliis deſcribendis, tam breves & incerti reperiuntur *Arabes*, & quod maximum, inter ſe adeo diſſentientes, ut non ſine ratione dubitetur, an *Arabibus* accurata dictorum ſimplicium fuerit notitia. Et fortaſſe *Zedoaria longa, C. B. Zerumbet Garziæ; Zeduca vel Zeduar Geſneri; Zedoaria rotunda, C. B. Zedoaria tuberoſa foris ingricans, C. B. Zerumbeth Serapionis; & Zedoaria Geidwar, C. B. Avicennæ, & Garziæ*, non à ſe invicem ſpecifice diſtinguuntur.

9. Zedoaria *Zeylanica Camphoram redolens, Harankaha Zeylanenſibus dicta, Muſeo Zeylananico H. Lugd.* 636. memoratur, de qua plura expectamus.

Zinziberis Vires & Uſus.

Radix aromati congener & fere ejuſdem uſus eſt, niſi quod magis acris ſit, ſapore Piper imitans. Sale volatili oleoſo aromatico deſtillata abundat. Convenit igitur in omnibus ſtomachi affectibus, acidis & obortis flatibus, frigidis glutinoſiſque humoribus; obſtructiones *à craſſa pituita natas, incidendo, digerendo, & aperiendo, reſerat; ad* ventriculi cruditates, *putredines, & malignos humores removendos, mirabiliter conducit;* alvi profluvia *à crudis humoribus nata, ſiſtit;* crapulæ *viſcerum & inteſtinorum dolores ea mitigantur.*

Radix pulveriſata *& aſſumpta hiſce uſibus inſervit;* condita *vero cum Saccharo, dum recens ex India affertur, ſenibus & pituitoſis, ac frigidis & male concoquentibus ſtomachis perutilis eſt.*

Antidotum eis præſcriptum & ex Zinzibere paratum eſt, quibus jecur citra calorem afficitur; epilepticis, apo-

plecticis,

plecticis, insanientibus, quartanariis, & animi defectionem passis utile quoque est, ut in Pharmacopœa Augustani, aliisque legitur. Plura apud Garziam, Pisonem, Marcgravium, Recchum, & Bauhinos *fratres legenda sunt.*

Zedoaria *his viribus gaudet.* Radix *aromatica vi alexipharmaca laudatur, adeo ut interne theriacalibus remediis adnumeretur, & imprimis Medicis commendetur, ut in ore eandem gestent ægros morbis malignis infectos visitantes. Quin & ad vapores mineralium reprimendos adhibetur.*

Præterea egregium est stomachicum, ad amoliendum latentem in stomacho mucum singulari quadam virtute pollens.

Carminativa pariter est, in colicis, & hystericis affectibus, ubi aqua, vinum, & oleum conducunt. Mulieribus ad dolores post partum leniendos cum pane butyro illito, pulvis ejus, qui secundas insimul promovet exhibetur.

Sic & in aqua cocta visua aromatica prodest tussi diuturna ab aere frigido contracta laborantibus, &c.

Succedunt Plantæ foliis & radicibus arundinaceis, floribus proprio caule e radice prodeunte præditis in spicam crassam racematim congestis, & seminibus tribus loculis instructis, donatæ. Clarissimi Horti Malabarici *Auctores has Plantas Indiæ Orientalis alumnas, nobisque hactenus pene incognitas, (quarum radices duntaxat pro speciebus medicis importatæ sunt) amplissimis suis delineationibus, figuris, atque descriptionibus, in lucem protraxerunt; earumque notitiam* Tomus undecimus *illustrissimi istius operis Lectori abunde suppeditabit.*

Apud Indos Kua, *Brachmanibus* Acua, *proprium & commune omnium Plantarum nomen est, quæ ad species* Zinziberis *referri debent; suntque inibi memoratæ species octo* 1. Kua *simpliciter,* Zinziberi *sylvestri latifoliæ appropriatur.* 2. Inschi Kua *est* Zinzibèr sativum. 3. Kattu Inschi Kua, Zinziber sylvestre angustifolium. 4. Mala Inschi Kua, Zinziber montanum. 5. Malan Kua, Zedoaria. 6. Manjella Kua, Curcuma radice longa. 7. Manja Kua, Curcuma radice rotunda. 8. Tsjana Kua, Costus.

CAPUT XXXII.

SECTIONIS VIII.

Curcuma.

CUrcuma *longa, C. B. Theat. 679. Curcuma sive Terra merita officinarum radice crocea, J. B. Cyperi genus ex India, Matth. C. B. P. Curcuma officinarum, Clus. Lob. Cæs. Tab. Cyperus alter radice lutea, Cast. Crocus Indicus Arabibus Curcum, officinis nostris radix Curcumæ dicta, Bontii. Nat. Hist. 30. Manjella Kua, Hort. Mal. Tom. 11. p. 21. Kaha Zeylanensibus. Borri Borri etiam Indis dicta.* Clarissimo & Callentissimo *D. Hermanno* ex sua observatione Plantarum hoc novum genus in lucem dare placuit, qui verbis sequentibus *Curcumam* descripsit:

Constat *radice* tuberosa, tereti, in transversum acta, *Zinziberis* facie, crassitie digiti, ex multis propaginibus cum circularibus in superficie zonis geniculatim conflata, aliquot crassiusculas *fibras* ex *geniculis* demittente, ponderosa, foris pallida & modice scabra, intus crocea, ac temporis decursu in puniceum colorem inclinante, solida, quasi ex condensato *croceo succo* pressius compacta, *gustus* acris amaricantis aromatici pinguis, odoris fragrantis. Hujus singula *genicula* protrudunt *folia* læte viridia, plana, spithamam longa, unum duosve palmos lata, in modicum acumen definentia, *foliis Cannæ Indicæ* junioris adeo similia, ut à rudioribus non facile ab invicem discerni queant. E novellis & robustioribus radicis tuberibus erigitur *scapus* dodrantalis, teres, succulentus, scriptorii calami crassitudine, ex viridi colore pallescens, inferiore parte nudus, à medietate vero ad cacumen usque in crassam rotundam *spicam fastigiatus*, quam formant *foliola* ab exortu pallide viridia, postmodum ex flavo colore rubentia, vel pallido flava, duos ungues lata, sensim in recurvum mucronem abeuntia, squamatim dispositа; intraque horum commissuras delitescit tenax & viscosus *humor*, collectus ex nocturno deciduo rore. Insuper ex singulis squamis successive prodeunt *flores* oblongi, *Cannæ Indicæ* facie, ast triplo minores, è quatuor ut plurimum pallide flavescentibus aut purpurascentibus *petalis* constructi, uno superiori oblique sursum vergente, binis inferioribus recta protensis, intermedio vero quadantenus intorto & fimbriato. His autem excussis succedunt *vascula* parva, membranacea, tricapsularia, quæ continent *semina* rotunda, fusca, seminibus *Cannæ Indicæ* minora.

Indis adeo familiaris est Curcuma, ut vix Hortum in Oriente reperire liceat, in quo non colatur. Maturescit foditurque radix postquam flores exaruerunt. Propagatur tam seminibus quam nodulis seu geniculis à radice resectis. In desertis Indicis sponte proveniens reperitur. Plura lege in Hort. Mal. loco citato.

Temperamentum & Vires.

Calidæ & siccæ facultatis est Curcumæ radix sed Zinzibere minus pollens; cui tamen vires quasdam similes habet. Omnibus affectibus cathecticis, aliisque ubi bilis peccat, utilis est, & icterum curat; ad hepar & lienem ab

obſtructione liberandum, humoreſque frigidos amovendos proficua eſt. Inter edulia apud Indos frequenter venit. Succus *cum radice contuſus vel lævigatus orificium reficit; halitum gratum facit; melancholiam pellit; ſanguinem purgat; venerem excitat; ventriculum & cerebrum confortat; obſtructiones renum & veſicæ tollit; menſtrua provocat; leniter alvum laxat; hydropyſin curat. Brevi, omnium conſenſu planta nobiliſſima eſt & viribus plane eximiis.*

Cum piſcibus & carnibus condimenti & ſanitatis gratia radix coquitur. Pictores ad tingendas menſas & alias res idoneam eſſe norunt cum magnam crocati liquoris vim reddat, & ære polita, auri fulgorem mentiatur; ea etiam lanarum infectores aliique utuntur. Forte Ganti radix *eſt ac* Zinziber ex Sina, *qua Indi corpora ſua fucant.*

CAPUT XXXIII.

SECTIONIS VIII.

Cardamomum.

Καρδάμωμον *Græcis* (*quaſi Naſturtium ſuave*) *Arabibus* Cordumeni *nominatur.*

1. Cardamomum *minus, Bontii. Cardamomum cum ſiliquis ſive thecis longis & brevibus, J. B. Cardamomum ſimpliciter in officinis dictum, C. B. P. Cardamomum minus, Matth. Vulgare minus, Cluſ. in Garz. Lob. Ger. Park. Caulem* habet *Arundinis* modo internodiis diſtinctum & certe *folia* non diſſimilia Arundinis foliis, & eodem quoque modo coacervatim creſcentia; primumque intuenti vix differentia inter *Curcumam* & *Cardamomum* videbitur, niſi quod *Cardamomum* vix ultra duorum aut ad ſummum trium pedum altitudinem aſſurgat; *folia* quoque contrita ſuaviſſimum odorem reddunt. Dum florentem eam primum conſpexi (inquit *Bontius*) *Garziæ* errorem animadverti, &c. Nam circa *radices* primum emittit *ſpicam*, qualis *in Spica Nardi* conſpicitur, verum longe craſſiorem, cujus calycibus ſupernaſcuntur *flores* pallidi potius in peripheria quam alibi, in calyce vero flavum colorem oſtendunt, ſuntque admodum ſimiles floribus *Mali aurei.* Floſculis hiſce decidentibus, *ſiliquæ* triangulares, digiti longitudine, eorum loco ſuccedunt, *ſemen* fragrans *Cardamomi* conti nentes, quale in officinis noſtris conſpicitur; ſed colore ſunt flavo *ſemine* intus concluſo; & aridi tate & tractu temporis, ex puniceo atrum, quem in exſiccato Cardamomo colorem videmus, contrahunt.

D. Pomet Pariſienſis, in Hiſtoria ſua de ſpeciebus medicis, *Cardamomi minoris* & *minimi* icones edidit, & Plantas ſarmentoſas, foliis trifidis, in ambitu dentatis eſſe confirmat.

2. Cardamomum *majus officinarum, C. B. P. Cardamomum majus, Bontii. Majus vulgare, Cluſ. Hiſt. in Garz, Ger. Park. Saccolaa, Arabum, aut Sacoule Avicen. Elachi Mauritanis. Bontius* horum pleniorem dedit deſcriptionem. Copioſe creſcit in ſylvis *Javanis, flore Hyacinthi* modo faſciculato. Differt à minore ſpecie; primo quidem quod ultra humanam altitudinem aſſurgat; deinde quod *folia* quoque longe ampliora habeat, & quod *caule* non ſit geniculato aut *Arundinis* inſtar nodoſo, ſed qui folia velut tunicas, *Ceparum* ad inſtar explicet. Præterea *flores* non in ſpicis è radicibus, ſed *Hyacinthi* modo in faſtigio gerit. *Semen* denique ejus vel ſiliquæ oblongiores ſunt, digitali aliquando longitudine; *folia* tamen odore conveniunt, ut & *flores*, niſi quod folia *majoris Cardamomi* (præterquam quod ſint majora) citra comparationem, etiam averſa parte, inſtar *Verbaſci*, ſunt mollia. Tota planta pulcherrimo eſt aſpectu, grato virore, floribuſque albis cum purpureo limbo nitet.

An Grana Paradiſi officinarum, C. B. P. Malaguetta Garz. Grana Paradiſi ſive Meligettas, Linſchot propter ſimilitudinem quam cum *Melica* ſemen habet, & *Cardamomum medium & minimum, C. B. P.* ab his diſtinguenda, quidam rogant, aut an aliter quam ſola magnitudine differant, quærendum. *Grana Paradiſi* non eſſe *Cardamomi* ſpeciem, ſed fructum plantæ genere diverſæ affirmat *Garzias. Cordus* quoque errare eos ait qui dicunt *Melegetam* majus Cardamomum eſſe. *Cardamomi* enim tenuis minimeque fervens, ſed gratus ac jucundus eſt ſapor; *Melegetæ* vero Piperis inſtar acerrimus.

Melegeta à Villa Africana Melega dicta nominatur, ubi copioſe provenit.

Regnis Indicis tres ſponte naſcuntur *Cardamomi* ſpecies; quarum uſitatiſſima, in *Horto Malabar. Tom.* 11. *p.* 9. nomine *Elettari* fuſe diſcribitur & iconibus aptis explicatur. Hujus *radix Zinziberis* in modum proſerpit; tota planta duodecim circiter pedes alta eſt; *caules* arundinacei, pollicem craſſi; *folia* quatuor ſpithamas longa, latiuſcula, parallelis lineis ſtriata; *flores* uni fructigero racemo vel radiculi ſurculo plures, oblongis *foliolis*, veluti capſulis impliciti; nullus enim in foliaceo hoc involucro conſpicitur hiatus. Tegmine autem aperto, tripetalus viſui ſe offert *flos.* Petalorum tria magnitudine conveniunt, oblongoangusta, è viridi colore albicantia, membranoſa; quartum lingula donatur, paulo latius & minus oblongum, interius ſitum, ac viride. *Floris* vigore ceſſante complicantur *petala, calyxque* in *fructum* intumeſcit. *Fructus* radicalibus fructipromiſque racemis appendet, qui uvis & forma & ſapore haud perperam aſſimilantur, craſſiuſculo, carnoſo, ſtriato cortice obducti. Hi in tres dividuntur *loculos*, quibus *grana* aromatica continentur.

Prima Species *deſcripta & delineata plane rotundos & albicantes profert fructus. Hujus natale ſolum ſupra* Cochim & Calicut, *in locis montanis, triginta circiter à mari milliaribus; pretioque ob præſtantiores vires reliquis prævalet.* Secunda *ſpecies oblongior eſt, ſed vilior.* Tertia *viliſſima & plane acuminata.* Duæ *poſteriores juxta* Cananoi, *aliaque Indiarum inveniuntur loca.*

Temperamentum & Vires.

Cardamomi *ſemina in uſum veniunt, & blandiſſime excalefacientis ſunt qualitatis; confortant, adtenuant, & ad affectus capitis, ventriculi, uteri, flatus alioſque ſimiles amovendos perutilia ſunt. Hinc eſt quod* Bontius *ea*

ex omnibus aromaticis ventriculo maxime placere asserat. Faciunt itidem ad confortandam memoriam, ad intestinorum affectus crudos flatulentosque ex acido provenientes submovendos. In affectibus vertiginosis, præsertim sympatheticis, ex ventriculo ortis convenire speciatim dicuntur. In Piscibus & carnibus condiendis haud improprie admiscentur; concoctionem enim adjuvant; urinas cient; menstrua movent; flatus dissipant; & obstructiones mire tollunt. Per destillationem aliquantillum fundunt oleum, sed elegans. Folia *suaviter olent.*

CAPUT XXXIV.

SECTIONIS VIII.

Galanga.

GAlanga *medicamentum est usibus humanis valde necessarium, sed veteribus Græcis ignotum, & Arabibus non satis perspectum.*

Dicitur autem Arabibus Caluegiam, licet omnes Mauri Calungem & Galungem scribant.

Est vero *Galanga* duplex, *altera minor*, odorata, quæ ex *Sinarum* regione huc defertur; eam incolæ *Lavandon* appellant. *Altera major*, quæ crassior est, priore ignavior, & viribus infirmior.

1. Galanga *minor officinarum, C. B. P. Galanga minor, J. B. Matth. Cord. Ger. Park. Lob. Lugd. Acost. Lavandon Sinensibus, apud quos nascitur, Linschot.* *Radice* est *Cyperi* modo geniculata, & crassa, zonis circularibus eodem modo cincta, externe subfusca, intus flava, odore valde acri aromatum instar jucundo, gustuque aromatico, totas fauces abunde implente; & (ut perhibet *Garzias*) in duarum palmarum altitudine fruticat; *foliaque Myrti* foliis consimilia profert.

2. Galanga *major, C. B. P. Matth. Lob. Lugd. Cæs. Tab. Ger. Park. J. B. Galanga crassior, Costæo. Laucuas Javanensibus, apud quos crescit, Linschot. Et Jo. Is. du Bry. p.* 18. Ad duorum cubitorum altitudinem crescit, nonnunquam ampliorem, fœcundiore præsertim solo. *Folia* habet *Iridis* vel *Orchidis à Dioscl.* 3. descriptæ similia, longiora tamen & latiora, superne saturatius, inferne dilutius virentia; *caulem* ex foliorum involucris constantem, uti in *Orchidum* generibus; *florem* candidum inodorum; *semen* exiguum neglectum; *radicem* secundum caput crassam & tuberosam, gustui calidam & acrem, reliqua ex parte *Zinziberi* similem sed majorem, imo pollicari crassitie donatam; nonnunquam, ut *Acostæ* effigies exprimit, tuberculis *Hastulæ Regiæ* in modum intumescentibus, luxuriantem. *Clusius* Iridis radicem esse existimat.

In Java & Malabar plurima nascitur.

Galangæ Vires & Usus.

Calefacientis & exsiccantis qualitatis est Galangæ radix; utriusque aromatica est, & egregie stomachica perhibetur; cephalica est & uterina; in affectibus ventriculi flatulentis ex cruditate acida ortis, atque etiam in suffocatione hysterica mulierum, obstructionibus uteri, denique omnibus frigidis affectibus commendatissimum est remedium. Ettmull.

Saccharo condita ad frigidos cerebri & nervorum affectus summovendos, & robur accersendum, & peculiariter ad artuum dolores leniendos utilis est. Acidis ructibus in cordis palpitatione subvenit; malum habitum corporis, hydropem, & totius corporis refrigerationem corrigit emendatque. Vid. Garz. Acost. &c.

CAPUT XXXV.

SECTIONIS VIII.

Costus.

Κόστος *Græcis, Arabibus Cost* aut *Cast.* Veteres tria *Costi* genera constituunt viz. *Arabicam*, quæ candida, lævis, eximiaque odoris suavitate est; *Indicam*, levem amaram & nigram; & *Syriacam*, gravem colore buxeo. Quod *Arabes* ejus duo genera faciant, *amarum* & *dulce*, factum esse puto (inquit *Garzias*) quod hoc medicamentum cum recens est & incorruptum nullius amaritudinis sit particeps candidiusque persistat; ubi autem vetustate corrumpi incipit, amaritudinem contrahit, fitque nigricans.

Recentiores Botanographi alias quasdam *radices* ante explicatis similes repertas nobis commendarunt. Harum autem apud illos, ut & priorum apud priscos auctores (quod dolendum est) breves imperfectæ & minus accuratæ traduntur descriptiones; præsertim si partes superiores, *folia* scil. & *flores* spectaveris. Sed cum penitus omittendæ non sint, & tam *radicibus* (quæ fortasse *folia* priorum similia emittunt) quam *viribus* iisdem, aut certe non multum abludentibus, gaudeant: idcirco istas, usquedum certius quiddam edocti fuerimus, inter se visum est nobis committere.

1. Costus *Arabicus Dioscor. C. B. P. Cam. Syriacus & Arabicus, Lugd. Tab. Zinziberis effigie Costus Syriacus & Arabicus, Adv. Lob. Tsjana Kua, H. Mal. Tom.* 11. *Tab.* 8. *Radice* est *Zinziberi* cognata, figura candida, lævi, pollicem crassa, unciam & sesquiunciam longa, hinc inde tuberibus oblongis donata, intus fibrosa, colore pallescente, & subinde ad luteum inclinante; sapore intenso ac jucundo; odore *Cupressi* aut *Cedri Libani*

bani ad odorem accedente; guſtu acri. Interdum & buxea viſitur, uti vulgata, odore & ſapore eidem ſimilis, ſubamara (imo eximiæ amaritudinis, auctore *Cluſio*) quoad cætera ſimilis Teredines etiam ut *Zinziber* ſentit.

E Syria & Ægypto Venetias maxima copia advehitur, quæ Zedoariæ aut Zinziberis eſt effigie. Circa Guzarate inter *Bengala, Delli, & Cambayo naſci refert Garzias*, unde per majorem *Aſiæ*, nonnullam *Africæ* partem & univerſam *Europam* devehitur, & ab iis qui viderunt (ut ait) deſcribitur *Sambuci* eſſe effigie, & *Arbuti* aut *Azimbri* magnitudine, *florem* odoratum proferens. Præcellit qui intus candidus eſt, cortice cinereo; invenitur tamen colore buxi, cortice palleſcente. Tanta eſt odoris fragrantia præditus, ut pleriſque nares feriat, & capitis dolorem excitet; guſtu nec amaro, nec etiam dulci; tametſi jam ſeneſcens interdum amareſcat, nam recens acri guſtu eſt, ut reliqua aromata. Forte *Coſtus Iridem redolens, C. B.*

2. Coſtus *amarus officinarum, C. B. P. Lon. Caſt. Tab. Coſtus Comagineus, Lob.* *Radix* eſt noſtri *Helenii* per omnia fere ſimilis, denſior tamen & ſolidior, & ob cœli calorem magis percocta, quapropter diſſecta minus in exſiccando flaveſcit, minuſque in rugas noſtra radice contrahitur, quæ quidem incocta humoris plus habet, quo inter exſiccandum exhalante, flaveſcit & in rugas contrahitur. *Colore* candicat recens, ſed veteraſcens, vel intempeſtive effoſſa, vel negligenter ſiccata, livet, aut fuſca eſt. *Lineis* eſt in cortice tranſverſis; *medulla* alba & magna; *ſapore* amariuſculo, ut & noſtra, non tamen adeo acri; inveterata, ingrato admodum & viroſo eſt ſapore, medicato tamen.

Hæc ex Comagena Orientis regione advehitur, & pro candido, hoc eſt Arabico Coſto, uſurpatur.

3. Coſtus *dulcis officinarum Centaurio magno cognatus, C. B. Lon. Tab. Cam.* Hic *radice* eſt craſſa, ſolida, ponderoſa, *lineis* multis à centro radicis ad ſuperficiem ductis, quæ *Centaurii majoris* ſpecies videtur, etſi ejus *odorem* non habeat, & *ſapore* ſit ſubdulci.

4. Coſtus *corticoſus Moluccenſis, C. B. Coſtus Moluccenſis* duplex ab Adverſariorum Scriptoribus proponitur, *alter corticoſus, alter lignoſus fervidior.* Alter major & arboris majuſculæ, inquiunt auctores, cortex videtur; figura *Sambuci* adultioris & cineracei; rugis & plicis inſignis eſt; *ſapore* & *colore* vehementi, *C. B.*

5. Coſtus *lignoſus Moluccenſis, C. B.* Alter minor, quoad radicem *Solano ſylveſtri* valde ſimilis, *colore* dilute pullo, *guſtu* urente, ut ardorem lingua vix ferre queat. Has duas radices peregrinas, *Coſtum* admodum ſimulantes, Adverſariorum Auctores à naucleris è *Moluccis* reducibus acceperunt.

Cl. Horti Malabar. Editor & Annotator, Tom. II. p. 16. Plantam nomine *Tsjana Kua* deſcriptam eam eſſe putat, cujus *radix* apud *Matth. in Dioſc. l. 1. c. 15.* pro *Coſto Arab. Dioſc.* habetur; & eſt *Coſti* quoddam genus *Zinziberis* radici ſimile, *Cluſ. in Garz.* *Radix* tuberoſa, Zinziberina, *ſurculos* ad altitudinem trium quatuorve pedum, ſanguineorubros, arundinaceos, emittit. *Folia* oblongoangusta ſunt, duas ſpithamas longa, anterius acuminata. E ſurculorum cacumine *capitulum* ſeu tuberculum exoritur, *Mali* inſtar *punici*, pyriforme, ex multis corallorubris gemmulis conflatum, quæ ſingulæ lata baſi medio ſtylo annectuntur. E gemmis prodeunt *flores* trifariam diviſi, tetrapetali, ephemeri, candidi, campanulæ formam referentes, in vertice aliquantulum aperti. Quartum petalorum maximum eſt & reflexum. *Calyx* è tribus conſtat foliis rigidis, lignoſis, roſaceorubris, intus cœruleis quæ ſiccata fuſca evadunt. Trigono ac rotundiolo inſiſtunt *globulo ſeminali* iſthæc folia, interſepimento in tres partes diviſa, ubi *ſemina* ſeriatim membranæ mediæ annectuntur, triangularia, (ut *Cardamomi* ſemina) quæ quidem contuſa *Zinziber* ſpirant, ſaporis admodum exigui.

Temperamentum & Vires.

Coſti radix vim habet excalefaciendi adeo intenſam ut etiam exulceret; omnibus ideo affectibus frigidis ſummovendis confert; hepatica, ſtomachica, & nephritica eſt; in colica, obſtructionibus, hydrope, & paralyſi, utilis; contra ſubriles rigores, ante acceſſionem, oleo adhibito per unctionem prodeſt. Uſu venit etiam in malagmatibus & antidotis.

CAPUT XXXVI.

SECTIONIS VIII.

Nardus.

NArdus *Dioſc. Græcis* Νάρδος & Ναρδοστάχυς. *Indis vocatur Cabzcara; Avicen. & Arabibus Cembul quod eſt ſpica, & Cembul Indi, id eſt Spica Indica.* *Nardus* forte à *Naardo*, urbe *Syriaca* Euphrati contermina, dicitur. Hujus differentiæ ab Auctoribus memoratæ varietates à locis quibus naſcuntur potius quam ſpecies diſtinctæ videntur.

Nardus *Indica quæ officinarum ſpica, C. B. Nardus Indica vulgaris, J. B. Nardus Indica ſive Spica Nardi, Park. Nardus Indica, Garziæ, quæ naſcitur in Mandon & Chitor Provinciis, Regnis Delli, Bengala, & Decan vicinis, juxta fluvium Gangem.*

Hac unica *Nardo* juxta *Gangem* orta, & in Occidentem importata, utuntur Medici, tum *Indi*, tum *Turci*, *Perſæ*, & *Arabes*. Quod autem ex ingenti pretio, quo antiquitus, teſte *Plinio*, emebatur, inferre volunt noſtram *Nardum* non eſſe legitimam; objectioni, (inquit *Garzias*) me ſatis reſpondiſſe arbitror, cum dixi *Indias* nunc magis apertas & cognitas eſſe, quam tempore *Plinii* fuerint, & ipſa aromata majori copia ad nos adferri.

Radix eſt, ſpargens ſupra ſolum brevem virgulam ſeu *caulem* circiter tres palmos longum, atque alias in-

ſuper

ſuper *virgulas* multo breviores. In ſumma radice *ſpicæ* producuntur, & quidem nonnullæ per virgulas. Quod nobis importatur nihil aliud eſt quam comatum radicis caput, ex marcidorum foliorum nervoſis filamentis convolutis congeſtum, *colore* rufeſcente, ſapore amaro, acrique & aromatico, odore *Spicæ Celticæ* validiori. Adhæret capitis hujus *coma* radici digitalis craſſitudinis, ſaturatius ruffæ, ſolidæ, ſed fragili. Eſt & ubi *folia* quoque nondum in nervos divulſa, albicantia inveniantur. *Cauliculi* etiam concavi, ſtriati, & plures ex eadem radice capillatæ ſpicæ enatæ ſubinde conſpiciuntur. *Hæc & major & minor ex India importata eſt.*

Nardus *Gangitis ſpuria Narbonenſis, Park. Nardus ſpuria Narbonenſis, C. B. Narbonenſis, Ger.* In montis amœniſſimi & celſi, herbarum lectiorum feraciſſimi, cui idcirca nomen *Horti Dei* impoſitum, ſeptem plus minus milliaria à *Gange* urbicula diſſiti, clivo quà ad meridiem mareve Mediterraneum vergit, hæc uberi proventu erumpit, muſcidis & udis tractibus. Infima *radix* puſilla, exilibus *fibris* duris & raris, quæ ſubſunt ſpicatis comoſiſque *toruli*, minimum digitum craſſis, ex fuſco colore palleſcentibus, fere palmum altis, non valde mucronatis, ſed quadantenus per extremitates reciſis, donatur. *Folio* eſt viridi, rigido, junceo, vix pedem alto, numeroſo, quod ab ima radice ortum trans ſpiceam *comam* imum caulem ambientem ſeſe exſerit; unde fit ut multæ plantæ quaſi uno ceſpitis ambitu contentæ unius effigiem præ ſe ferant. Tota planta inodora eſt præterquam *capillamenta* ſpicea, quæ multo craſſiora quam *Indicæ* ſunt, odore Muſci querni vel terreſtris prædita, & ſolo aquoſiori ortum debent. Ex his autem gracilis ac nitidus junceus *culmus Elphæ* vocatæ non diſſimilis, cubitum altus exit. A medio hujus ad ſummum uſque alternatim collocantur admodum exiles herbaceæ *ſiliquæ*, cum apiculis è calyculis aliquantum *Schænanthi* flori, aut defloreſcenti *Geranio*, aut *Cotyledoni* ſimilibus.

Nardus iſthæc, ſi fides adverſariorum auctoribus adhibenda ſit, *Nardo Gangitidi Dioſcoridis* per omnia ſimilis eſt.

Nardi qualitas & Vires.

Extalefaciendi & exſiccandi vim obtinet, ex ſubſtantia adſtringenti, acri, calida, & quidem leviter ſubamara compoſita. Hepaticis, ictericis, atque nephriticis convenit; ſtomacho frigido, iiſque qui à flatibus exagitantur, prodeſt. Antidotis quoque miſcetur. Vinum è Nardo *paratur, Dioſcoride monente, ad alvum ſiſtendam, urinam ciendam, ejuſque malignitatem corrigendam, utile.*

Externe ad oculorum morbos delachrymantium pulvis non improſpere adhibetur, fluoreſque ſiſtit.

Apud veteres Nardo *in unguentis principatus fuit. Hinc & ex* Nardo *oleum quo ſalvatorem noſtrum* Maria Magdalena *unxit confectum nonnulli ſtatuunt.*

Serapio, Myrepſius, *aliique* oleum *cum aliis pharmacis pararunt, quod ob inſignes virtutes* Oleum benedictum *appellavere; nam omnibus affectibus frigidis, flatulentis, cerebri, ventriculi, jecoris, lienis, & uteri ſubmovendis plurimum confert, & corporis odorem & colorem commendat.*

Nardo Gangitidi ſpuriæ Narbonenſi ſimilis eſt planta Virginiana, Park. App 1688. E *radice* fibris tenuibus conſtante *folia* plurima, longa, tenuia oriuntur, graminea, in ceſpitem coacta, & ex variis quaſi *ſtolonibus* coagmentata. Ex horum medio, ut in *Narbonenſi* prædicta, ſeries alia foliorum longiorum altiori gradu attollitur; & inter ea *caules* nudi, erecti, graciles proveniunt, quorum quilibet *ſpicam* longam curvam & convolutam, binis terniſve *florum* ſtaminuloſorum, in pilos definentium, ordinibus ad unum latus ſpectantibus, per quatuor aut quinque unciarum longitudinem, onuſtam, ſuſtinet.

E Virginia D. Jo. Tradeſcantus primus attulit.

Explicatis Culmiferis foliis rectis gramineis donatis, aliiſque quibus ſingulis floſculis ſuccedunt ſingula ſemina: Plantas quaſdam jam proſequemur, etiàm ſpicatas, venis foliorum nerviſve parallelis, & vaſculis poſt ſingulos flores ſtaminuloſos ſingulis, ellipticis, horizontaliter diviſis, bina ſemina oblonga continentibus, præditas; quas propterea hunc locum ſibi vendicare poſſe arbitramur, quod ſpicis ſuis Culmiferas proxime ſuperius explicatas æmulentur; & quod ſingulis floſculis bina ſemina ſuccedentia poſſidentes, Umbelliferis proxime inferius tractandis commodiſſime præponi poſſe videantur.

CAPUT XXXVII.

Plantago.

PLantago *eſt vel latiore vel anguſtiore folio,* πλάτυφυλλος & στενόφυλλος *à foliorum nervis dicta;* ἀρνόγλωσσον Dioſc. *à forma, id eſt lingua agnina, etiam dicitur. Herba ſtella quoque à foliis à radice ſeu centro radiatim naſcentibus nominatur.*

TABULA XXX. SECT. VIII.

- *latifolia*
  - *glabra*
    1. *Maxima Hiſpanica, Cornuti. Plantago maxima tota glabra, C. B. P. & Prod.*
    2. *Vulgaris, Park. Plantago latifolia ſinuata, C. B. P. Latifolia lævis, Adv. Lob.*
    3. *Roſea, J. B. Eyſt. Lob. Et roſea floribus quaſi in ſpica diſpoſitis, variet.*
    4. *Spica multiplici ſparſa, C. B. P. Major panicula ſparſa, J. B.*
    5. *Peregrina ſinuoſa, C. B. P. Plantago umbilicata, J. B.*

- *Plantago*
  - *angustifolia*
    - *birsuta*
      - 6. *Sive incana, C. B. P. Major incana, Lob.*
      - 7. *Rosea flore expanso, J. B. Rosea exotica, Ger.*
      - 8. *Media Virginiana serratis foliis,*
    - *quinque nervia*
      - 9. *Major seu vulgaris, Nobis. Plantago angust. major, C. B. P.*
      - 10. *Major caulium summitate folios, C. B. P. J. B. & Prolifera, C. B. P. Prolifera Gareti, Clus.*
      - 11. *Alpina, J. B. Holosteum birsutum nigricans, C. B. P.*
      - 12. *Minor, C. B. P. Plantaginis lanceolatæ species minima, J. B.*
      - 13. *Paniculis Lagopi, C. B. P. & Prod.*
      - 14. *Fruticans, Clus. Cur. post. C. B. P.*
      - 15. *Serrata Hispalensis, C. B. P. Angustifolia alia, Clus. Cur. post.*
      - 16. *Marina incana, Hort. Bles. aucl.*
      - 17. *Minor aurea alopecuroides Brasil. fol. gramineis, Breyn.*
    - *trinervia*
      - 18. *Minor spica birsuta alba, foliis ex atro virentibus valde villosis, J. B. 506.*
      - 19. *Pilosa laciniata Apula, Col. Pilosa bulbosa, C. B. P.*
      - 20. *Prochytæ birsutior. Coronopus Prochytæ, Col.*
      - 21. *Altera minima montana incana, Col. montana, C. B. P.*
      - 22. *Argentea angustifolia è Rupe Victoriæ, Schol. Bot. Par.*
  - *mollis sive Holosteum*
    - *birsutum*
      - 23. *Albicans majus, C. B. P. Holosteum Plantagini simile, J. B. Holosteum Salmanticense majus, Clus.*
      - 24. *Albicans minus, C. B. P. Holosteum Salmanticense minus, Clus.*
      - 25. *Seu Leontopodium Creticum, C. B. P. Leontopodium, Alpini, Exot.*
      - 26. *Creticum alterum, C. B. P. Leontopodium Creticum aliud, Clus.*
    - *glabrum*
      - 27. *Strictissimo folio majus, C. B. P. Serpentina Matthioli, Dod.*
      - 28. *Massiliense, C. B. P. Coronopus Massilienses, Lob.*
      - 29. *Sive Coronopus Serpentina omnium minima, J. B.*
      - 30. *Strictissimo folio minus, C. B. P. Coronopus maritimus Rainaudeti, J. B.*
  - *sive Coronopus*
    - 31. *Hortensis, C. B. P. Cornu cervinum, Lob. Ger.*
    - 32. *Maritimus tenuifolius lævis, C. B. P. Coronopus maritimus tenuifolius minimus, Col. descript.*
    - 33. *Maritimus minimus, C. B. P. & Prod.*
    - 34. *Maritimus major, C. B. P. Plantago marina, Dod.*
    - 35. *Maritimus roseus, Bocc.*
    - 36. *Siculus fruticosus platyphyllos, Bocc.*

1. Plantago *maxima Hispanica, Cornuti* 162. *Plantago maxima tota glabra, C. B. P. & Prod. Marina magna, J. B. Latifolia maxima, Park.* Hoc genus *Plantaginis*, quod *Hispania* gignit, mira *foliorum* amplitudine & *thyrsi* proceritate luxuriat. Pedalis illa sunt longitudinis, latitudinis semipedalis, excurrentibus non paucis, ut in vulgari *Plantagine*, per longitudinem nervis, nec non subsstrato singulis foliis palmari *pediculo* latiore. *Thyrsus* in duo cubita plerumque surgit. *Flores*, si magnitudinem excipias, nostratium sunt omnino similes. *Radix* pariter multa fibrarum copia constat.

2. Plantago *latifolia vulgaris, Park. Latifolia sinuata, C. B. P. Latifolia lævis, Adv. Lob. Plantago major, Matth. Dod. Cast. Major folio glabro non laciniato ut plurimum, J. B. Radix* ei brevis, digitalis crassitudinis vel tenuior, multis fibris, plerumque indivisis, capillatur; unde *folia* palmæ amplitudinis, lævia, nervis septem decurrentibus distincta. Inter hæc autem *cauliculi* assurgunt, rotundi, lenti, nec fractu faciles, pedales; qui à medio ad fastigium usque, densis, minimis, herbaceis, *flosculis*, tetrapetaloidibus, spicato ordine convestiuntur; deinde in *vascula* oblonga, horizontaliter in medio per maturitatem divisa, transmutantur. His autem *semina* puliciformia, nunc bina, nunc terna, imo interdum quaterna conspiciuntur, sed frequentius bina.

Omnibus pene regionibus, omnibus pascuis, ad semitas & vias occurrit. Etiam in Insula Jamaica D. Sloane *invenit.*

3. Plantago *vulgaris rosea, Clus. Plantago rosea, J. B. Lob. Eyst. Maxima roseo flore, C. B. Phyt.* Uberior varietas *Plantaginis vulgaris* videtur hæc, cujus *folia* marginibus quandoque sinuata reperiuntur; & *spica* loco, in summo caule, *foliola* crebra, viridia, in *rosam* expansa, insident. Interdum in spica longa, foliacea, conica figura assurgit, unde *Plantago rosea spicata, Ger. Eyst. & Plantago latifolia rosea, floribus quasi in spica dispositis, C. B. P.* appellatur. Inter hujus plantæ foliola *semina* latent consimilia, quæ speciem retinent.

In Hortis alitur.

4. Plantago *latifolia spica multiplici sparsa, C. B. P. Plantago major panicula sparsa, J. B. Folia Plantaginis vulgaris* prodit; sola differentia in *panicula* spicatim sparsa, onusta innumera herbaceorum flosculorum racematim cohærentium fœtura.

In pratis Belgicis, & in Insula Thanato, legitur.

5. Plantago *peregrina sinuosa, C. B. P. Plantago umbilicata, J. B. Umbilicata & convoluta, Lob. Exotica sinuosa, Park. Radix Plantaginis vulgaris* radici simillima, spithamam longa, creberrime fibrata; è cujus nodulo sive basi, primo à satione anno, plantagineum, latum, unicum, admirabili naturæ opificio expansum *folium* prodit, paulatim propagando in latum gyrum umbilicatum excrescens, & *Cochlidis* instar per circuitum ascendens

aſcendens, in ſpiras duas tantum, aut ſemiternas convolutum, ac veluti ex pluribus conjunctis in unum contiguiſque Plantaginis majoris foliis conflatum, ſpithameæ altitudinis aut pedalis fere. Hujus ſummum folium Plantaginis latifoliæ ſervat figuram, ſinuoſam tamen & rugoſiorem. *Folio* hoc hyeme marceſcente, vere proximo plura folia exoriuntur ita arcte ſtipata ac ſi plura in unum compacta eſſent, ſingula formam Plantagineam gerentia, verum rotundiora, & per margines ſinuata, & rugoſa. Ex horum autem mediate *caulis* enaſcitur cubitalem altitudinem ſuperans, ſumma parte *capitula* ſpicata, craſſa, brevia, paululum compreſſa geſtans, in quibus *ſemina* deliteſcunt.

Semen à Caſp. Pelleterio *ad* Lobelium Monſpelio *miſſum ſuccrevit Londini in Horto* I. Naſmyth *Scoti, Chirurgi & Archibotanici.*

6. Plantago *latifolia incana, C. B. P. Plantago major hirſuta media à nonnullis cognominata, J. B. Plantago major incana, Lob. Plantago media, Dod. Thal. Folia* per terram ſtrata, & in roſam expanſa, vulgaris ſunt rotundiora, & omnino hirſutie candida obducta. *Caules* è medietate oriuntur, primo quidem curvi, tunc erecte aſſurgentes, & ſubcœruleas ſpicas longas, ex *floſculis* ſtaminulis albis donatis confectas, gerunt.

In paſcuis & herbidis locis ubique occurrit.

7. Plantago *roſea flore expanſo, J. B. Plantago roſea exotica, Ger. Plantago latifolia roſea flore expanſo, C. B. P.* Hujus elegantis varietatis *folia* ſunt villoſa, præcedentis quodammodo minora; *caules* erecti, dodrantales, *roſa* ampla & multiplicata, expanſa, ex *foliolis* viridibus piloſis compoſita in ſummitatibus ornantur.

8. Plantago *media incana Virginiana ſerratis foliis, annua. Folia* à *radice* fibroſa naſcuntur tres quatuorve uncias longa, ex anguſto principio in uncialem & ſeſcuncialem latitudinem ſeſe dilatantia, obtuſa, molli lanugine pubeſcentia, in ambitu quibuſdam *denticellis* ſinuata. E medietate, ut in aliis, *ſpicæ* tenuiores oriuntur erectæ, palmares, quarum *floſculi* & *capſulæ ſeminales* non adeo confertæ ſunt, ac in cæteris. *Seminibus* matureſcentibus, *radix* perit.

Plantago myoſotis ſive trinervia hirſuta Caroliniana D. Raii eadem eſt. Quinque ſunt *nervi* per *folia* decurrentes, tres tamen eminentiores. *Datur & foliis latioribus & anguſtioribus prædita.*

9. Plantago *anguſtifolia major, C. B. P. Plantago quinquenervia, Lob. Ger. Plantago lanceolata, J. B. Plantago altera & Coſta canina, Tab. Folia* hujus plantæ, admodum vulgaris, anguſta, acuta, in dodrantalem & fœcundiori ſolo pedalem longitudinem exporrecta, molliter piloſa, marginibus nunc æqualibus, interdum etiam dentatis, donantur. *Caules* pedales & altiores ſunt, nudi, ſtriati, & anguloſi, in quorum ſummitatibus *ſpicæ* craſſiores & breviores, *ſemina* gerentes majora, bina in ſingulo vaſculo horizontaliter diſſecto, inſident.

In pratis ficcioribus & paſcuis paſſim provenit.

10. Plantago *anguſtifolia major caulium ſummitate folioſa, C. B. P. J. B. Plantago quinquenervia roſea, Ger.* Præcedenti convenit. *Folia* ima eodem modo naſcuntur. Caulium ſummitates roſam ex anguſtis oblongis foliis compoſitam ſuſtinent.

Huic forte addi poterit *Plantago anguſtifolia prolifera, C. B. P. Anguſtifolia Gareti vel exotica, Cluſ. Hiſt.* ex cujus *roſis* primis foliaceis, aliæ minores *pediculis* ſuis propriis inſidentes exſurgunt.

11. Plantago *anguſtifolia Alpina, J. B. Plantago trinervia folio anguſtiſſimo, C. B. P. & forte Holoſteum hirſutum nigricans, ejuſdem.* Ex *radice* craſſiuſcula, longa, parum fibrata, circa caput craſſeſcente, *folia* oriuntur ad *Lanceolatæ Plantaginis* folia accedentia, ſed multo anguſtiora, & trientem circiter unciæ lata, ſeſquipalmaria, trinervia & quandoque quinquenervia, parum hirſuta, nigricantia, ſolidiuſcula. *Caules* plures exſurgunt, ad radicem hirſuti, *foliis* longitudine æquales; iſti autem capitula gerunt ſemiuncialia, plantagineis minora.

In monte Thuiri prope Genevam reperitur, & ad vias & inter rudera, C. B. monente.

12. Plantago *anguſtifolia minor, C. B. P. Lanceola minor, Cæſ. Plantaginis lanceolatæ ſpecies minima, J. B. Radice* prædita eſt parva, ad foliorum exortum valde villoſa. *Folia* gramineæ anguſtiæ, duum aut trium unciarum longitudinis. *Caulium* palmo longiorum cacumini *capitulum* breve & veluti glomeratum inſidet. *J. B.*

13. Plantago *anguſtifolia capitulis Lagopi, C. B. P. & Prod. Plantago quinquenervia globulis albis piloſis, J. B. Catonance Dioſc. Rawolf. in Herbario ficco.* Hæc ratione ſoli, ſecundum magnitudinem multum variat; in ſterilioribus binas aut tres uncias non ſuperare, & tomento candido obducta eſſe obſervatur; in fertilioribus & Hortis *folia* ſpithameam & ampliorem longitudinem acquirunt; quæ in medio vulgaris quinquenerviæ aliquantulum ſunt latiora, in mucronem acutum terminata, modiceque tomentoſa. *Caules* quoque nudi, in minimis breviora, in aliis longiora *capitula*, candida lanugine obſita, ſuſtinent. Atque his facile dignoſcitur. *Apud nos ſemine maturo radix perit.*

In Hiſpania ſponte naſci obſervavit Cluſius, *& in incultis & juxta vias circa* Villamnovam & Salenovam, *haud longe à* Monſpelio, *nec non in monte* Cetio *collegit D.* Magnol. *In* Jamaica *etiam reperitur.* D. Sloane.

14. Plantago *anguſtifolia fruticans, C. B. P. Cluſ. Cur. poſt. Park. Folia* huic quam *Plantaginis anguſtifoliæ lanceolatæ* albidiora; *caules* elatiores & lignoſi, *foliolis* exiguis veſtiti; *ſpicæ* admodum breves, & quam illius molliores.

Naſcitur ad ripas fluminum in Hiſpania. Boel.

15. Plantago *anguſtifolia ſerrata Hiſpalenſis, C. B. P. Plantago anguſtifolia altera, Cluſ. Cur. poſt. p.* 34. Altera (ait *Auctor*) circa *Hiſpalim* creſcit, cui à *radice* multa exeunt *folia* valde ſerrata, & quodammodo aculeata, inter quæ dodrantales emergunt *pediculi*, ſuſtinentes oblongam florum *ſpicam*, inſtar *Holoſtei* fere.

16. Plantago *marina quinquenervia incana, D. Moriſ. Hort. Bleſ. Auct.* Hujus *folia* ad Plantaginis quinquenerviæ vulgaris folia in omnibus accedunt, niſi quod ſint minora, & villis adeo obducta ut incana aut quaſi cinere conſperſa videantnr.

17. Plantaginella *aurea alopecuroides Braſiliana foliis gramineis, Breyn. Cent.* 1. *Radix* ei exigua, mille fibris niveis comata, *foliola* multa, graminea & anguſta, *Graminis Luzulæ minoris, J. B.* ſed omnino glabra,

in orbem diffundens. Ex horum autem gremio *coliculi* quinquaginta vel plures profiliunt, tenuiſſimi, plantæ exilitatem globulis oblongiuſculis lanuginoſiſque *Plantaginis anguſtifoliæ paniculis Lagopi* minoribus uberrime compenſantes, ſinguli ſingulis coliculis triuncialibus vel brevioribus inſidentes, compoſiti ex pilis leniſſimis, leucophæi coloris; inter quos *floſculi* flavi, perminuti, ſumma amœnitate, veluti punctula aurea, emicant. Atque hi jucundiſſimum huic plantulæ in *Braſilia* vigenti aſpectum conciliant.

18. Plantago *minor ſpica hirſuta alba, foliis ex atro virentibus, valde villoſis, J. B. 506. Plantago trinervia folio anguſtiſſimo, C. B. P. & Prod. 3. Radice* eſt tenui, fibroſa, albicante; *foliis* aliquando palmaribus, aliquando uncias quinque longis, ſtrictiſſimis, atrovirentibus, tribus nervis diſtinctis, per marginem potiſſimum pediculis piloſis. Inter iſthæc *cauliculi* plures exſurgunt, alii cubitales, alii pedales, alii palmares, aliquando triunciales, ad exortum aliquando villoſi, nonnunquam glabri, quibus *ſpicæ* breves oblongæ & ſubrotundæ inſident.

Hanc ſæpius ad vias, maxime ad rudera, notavit C. B.

19. Plantago *piloſa laciniata Apula, Col. Plantago piloſa bulboſa, C. B. P. Coronopus Maſſilienſis hirſutior latifolius, Schol. Bot. Par. Radice* nititur ex craſſis admodum *fibris* compoſita, *Ellebori* craſſioribus, longis, ſemipedalibus, nigreſcentibus, corroſis, tenuibus capillamentis adhærentibus terram undique amplexantibus è craſſo rotundo veluti bulbo *Avellanæ nucis* magnitudine dependentibus. Ex hoc bulbo *folia* multa in orbem in terra ſtrata, Plantaginis quinquenerviæ ſimilia, in ambitu vero *Coronopi vulgaris* modo inciſa, dentata magnis lobis conſpiciuntur (inter quos alii ſunt intermedii, parvi admodum) *Coronopi maritimi in Prochyta Inſulæ rupibus* frequentiſſimi ſimilia, pariter hirſuta, ſed minus aſpera. Thyrſos emittit æſtate plures (ſeptem invenimus, inquit *Columna*) pedales, teretes, tenues, quorum tertia aut major pars in *ſpicam* teretem *floribus Arnogloſſæ* modo refertam abit, ſtaminibus pallentibus dependentibus.

Copioſa hæc eſt in incultis Apuliæ, præſertim Cirinolæ, quibus pro Armentorum paſcuis utuntur, Fab. Col.

20. Plantago *anguſtifolia Prochytæ hirſutior. Coronopus Prochytæ, Col. Plantagini affinis Bipinella Sicilia herbula, J. B. Tom. 3.* A vulgari differt *foliis* parum latioribus, carnoſioribus, hirſutis, atque parum aſperis; *caulibus* & reliquis partibus a vulgari non differt, excepta *hirſutie.*

21. Plantago *trinervia altera minima montana incana, Col. Plantago trinervia montana, C. B. P.* Huic *folia* ex oblonga cervice corticoſa prodeuntia, quatuor uncias non ſuperant, latitudine minus ſemiunciali, tribus decurrentibus nervis, quoad colorem incana. *Caulis* è medio junceus, tenuis admodum, dodrantalis aſſurgit, in quo *capitulum eſt Thymi* magnitudine ad ſummum, *floribus* minutis, quatuor *foliolis* cartilagineis, pellucidis, (ex quibus *ſtamina* multa candicantia, Plantaginea) ab imo dehiſcentibus, onuſtum, in orbem *caput* circundantibus. *Semen* quale eſt in congeneribus.

22. Plantago *argentea anguſtifolia è Rupe Victoriæ, Schol. Bot. Par.* E *radicula* dura, oblonga, *folia* anguſtiſſima, palmum longa, & vix culmum lata, proveniunt, utrinque argenteo tomento obducta. Inter hæc autem *caules* erecti, graciles, dodrantales oriuntur; quibus ſed aliis rarius diſpoſiti, ſunt *floſculi* in *ſpica* biunciali & triunciali, plantaginum cæterarum in modum naſcentes.

23. Plantago *mollis ſive Holoſteum hirſutum albicans majus, C. B. P. Holoſteum Salmanticenſe prius, Cluſ. Hiſt. Holoſteum Plantagini ſimile, J. B. Plantago anguſtifolia alba, Dod.* Præcedenti humilior eſt planta. E *radice* lignoſa in plura capita ſe dividit, & *folia* quodammodo latiora prodit, hirſuta quoque & tomentoſa, *caulesque* palmares, à dimidio ad ſummum *floribus* in ſpica confertis veſtitos.

24. Holoſteum *hirſutum albicans minus, C. B. P. Holoſteum Salmanticenſe minus, Cluſ. Hiſt. Folia Pſyllii* foliorum latitudinem non excedunt, longiora tamen, & villoſa, ſed minus incana parte ſuperiore, quoad cætera prorſus illi ſimile eſt.

In collibus Salmanticæ vicinis, in aridis quoque & ſatorum marginibus circa Monſpelium proveniunt menſe Martio, & Aprilis initio florent & hoc & illud.

25. Holoſteum *ſive Leontopodium Creticum, C. B. P. Prod. & Phyt. Leontopodium Creticum, Cluſ. Hiſt. Leontopodium legitimum, quod Catanance creditum, Imperato.* Planta hæc rara imperfecte ab Auctoribus deſcribitur. *C. Cluſius* iconem breves ligulas exprimentem exhibuit; *Caſp. Bauhinus in Prod.* eandam plantam deſcribere videtur, quam figura *Jo. Bauhini pag. 515.* exprimit, & hiſce verbis deſcripſit: *Radix* nigra eſt, duriuſcula, fibrata; ex qua *folia* emergunt pluſcula, pedalia fere, *Plantaginis Alpinæ anguſtifoliæ*, vel potius *Seſamoidis minoris*, ſine tamen laciniis, tota villoſa. Ad radicem vero recurvis *pediculis* lignoſis *flores* hærent villoſi, quos *capitula* itidem ſequuntur villoſa, *Pſyllii* ſimilia, *ſemen* rotundum, oblongum, cinereum, *Pſyllii* ſemine aliquanto majus continentia.

Hoc Leontopodium legitimum Imperati eſſe in Candia naſcens aſſerit C. B. Bellus tamen in Epiſt. ad Cluſium contrarium tenet. Cum areſcit, inquit, *capitula* in ſe contrahuntur ad ſpeciem unguium milvi exanimati, ut in *Catanance prima Dioſc.*

26. Leontopodium *Creticum aliud, Cluſ. Hiſt. 112. Holoſteum Creticum alterum, C. B. P.* Huic *folia* apparent longa, anguſta, plantaginea; inter quæ, ut in aliis hujus familiæ, *ſpicæ* oblongæ, pediculis uncialibus & biuncialibus inſidentes, proveniunt. Plura lege apud *Proſp. Alpin. Jo. Bauh. & Cluſ.*

27. *Holoſteum ſtrictiſſimo folio majus, C. B. P. Coronopus ſive Serpentina, Matth. Serpentina, Dod. Coronopus Serpentina, J. B.* Inſignis craſſitudinis & longitudinis eſt *radix*, in *capitula* aliquot ſubinde diviſa; ex qua *foliorum* ſeges magna pullulat, longitudine *Coronopi eſculenti*, ſed latitudine trientem aut quadrantem non adæquantium. *Caules* inter ea plures, palmares, & altiores, nudi, enodes, *thyrſo Coronopi* inſignes.

In montibus Galloprovinciæ, v. g. in collibus circa pagum St. Martini, ad lævam montis Lupi, aliiſque provenit.

28. Holoſteum *Maſſilienſe, C. B. P. Coronopus Maſſilienſis, Lob. Coronopus ſive Serpentina minor, Ger. Coronopus Maſſilienſis, Lob. Serpentinæ forte varietas, J. B.* Denſiſſimo ſparſoque *foliorum* ſtipatu luxuriat, *Pinaſtri* ritu, poſitu, & rigiditate; innumera etiam ſobole *cauliculorum* dodrantalium, *ſemen* puſillum *Plantaginis* aut *Serpentinæ vulgaris* ſpicis includentium.

Collibus & cautibus Maſſiliæ *vicinis ad maris alliſiones inter Tragacanthum paſſim luxuriat.*

29. Holo-

29. Holoſteum *ſive Coronopus Serpentaria omnium minima, J. B. An Holoſteum ſive Coronopus Serpentina foliis Vetonicæ anguſtis, ſpica Rubiæ ſpicatæ gracilis, D. Pluk. Phyt?* *Radice* eſt craſſa; *caulibus* vero & *floribus* Coronopi ſerpentinæ; ſed foliolis latioribus.

An hæ tres nominatæ diſtinctæ ſint ſpecies, cum Jo. Bauh. quærendum eſt.

30. Holoſteum *ſtrictiſſimo folio minus, C. B. P. Coronopus maritimus Rainaudeti, J. B. Serpentinæ omnium minima, Lob. Holoſteum anguſtifolium minus ſive Serpentina minor, Park.* *Radix* ſeſquipalmaris, craſſa, fuſca, ſicca, inſipida; è qua innumeræ oriuntur radiatorum foliorum *ſtellæ*, tali vero fere diſpoſitione, quam in *Phyllo Dalechampii* videmus, vel *Erica Matth.* confertiorum, repandorum, ſemiuncia breviorum, anguſtiorum, quam *Serpentinæ Matthioli.* Radiorum *umbilicus* totus villoſus, *Lupini* latitudine, è quo *coliculus* exit uncialis, nudus, hirſutus, *thyrſulo* fere totus obſeſſus.

In maris mediterranei arenoſis reperitur; unde & Cl. Sherardus attulit.

Plantagines foliis Cornu cervi diviſura donatis.

31. Coronopus *hortenſis, C. B. P. Cornu cervinum, Lob. Ger. Coronopus ſive Cornu cervinum, vulgo ſpica Plantaginea, J. B. Coronopus vulgaris ſive Cornu cervinum, Park. Herba ſtella ſive Cornu cervinum, Dod.* *Folia* hujus oblonga, anguſta, adnatis utrinque appendicibus ramoſa, inſtar cervini cornu, exiguis pilis tenuiſſimis aſperiuſcula, & radiantis ſtellæ in modum orbiculatim ſtrata humi decumbunt. Exeunt inter hæc *coliculi* à medio faſtigium uſque *floſculis*, deinde *ſeminibus* gravidi, inſtar ſpicæ *majoris Plantaginis*, quam proxime, tametſi minor ac brevior ſit, refert. *Radix* oblonga, tenuis, albida.

Locis incultis, aridis, arenoſis, ſecus vias, frequens reperitur. Seritur quandoque in Hortis, & in acetariis comeditur, ubi lævior exit, & ad ampliorem altitudinem aſſurgit.

32. Coronopus *maritimus tenuifolius, lævis, C. B. P. Coronopus maritimus tenuifolius minimus, Col.* In mœnibus & locis contra *Caſtrum Ovi* dictum *Neapoli* obſervavit Auctor. *Foliis* eſt exiguis in terram ſtratis (adeo ut *maritimi Abrotoni* foliorum lacinias latitudine minime ſuperent) quatuor uncias longis; cætera ſimilis. Hæc forte tenuitas loci ſterilitati debeatur.

Fortaſſe hæ tres, ut & Coronopus tenuifolius laciniatus Neapolitanus, Col. Part. alt. quæ pro ſpeciebus diſtinctis numerantur, unico eodemque ſolo ſatæ, ad eandem reducuntur.

33. Coronopus *maritimus minimus, C. B. P. & Prod.* *Foliolis* eſt multis per terram ſparſis, in lacinias tenues inſtar foliorum *Scabioſæ minoris* ſive *Stœbes* diviſis; inter quæ plures *pedicelli* recurvi, unciales, *thyrſulos* parvos, ſpicatos & hirſutos ſuſtinentes, *floſculis* minutiſſimis donatos cernuntur. Tota planta hirſuta eſt.

34. Coronopus *maritimus major, C. B. P. Plantago marina, Dod. Ger. Coronopus maritimus noſtras, J. B.* *Radix* nigricans, craſſa, *fibris* aliquot donata; *folia* quam in *Coronopo vulgari* ſtrictiora, longaque, craſſiora & ſucculentiora, ac interdum pene juncea, quadrantalia, ac etiam palmaria, ſapore ſalſo. *Flores* in ſpica longa, ut in vulgari Plantagine tenuiore purpuraſcunt; *ſemenque* non diſſimile.

In maritimis limoſis & ſalſis paluſtribus copioſe provenit; lociſque pinguioribus valde luxuriat. Interdum *folia* crenata ſunt, ſed frequentius iis deſtituitur.

35. Coronopus *maritimus roſeus, Bocc.* *Spicas* fert foliaceas, depreſſas; *Florem* herbaceum (ut in *Plantagine roſea majore*) ex denſa frequentique foliorum dilute viridium ſtructura compoſitum. *Folia* ſubtus glabra, in lacinias aliquot per latera inciſa exhibet, *hortenſis Coronopi* foliis per terram ſtratis ſimilia.

Naturæ luſus potius quam ſpecies diſtincta exiſtimetur.

36. Coronopus *Siculus fruticoſus platyphyllos, Bocc.* Nihil differt ab aliis Coronopi ſpeciebus, niſi quod *radice* craſſa, atque in ſummitate multipliciter brachiata quaſi fruteſcat. Ei *folia* ſunt hirſuta, lata, brevia, paululum in ambitu diviſa, & denſo ceſpite plantam coronant.

In plaga maritima Brazetto dicta prope Pachynum Promontorium videre licet. Bocc.

Plantaginis Temperamentum & Vires.

Mixtæ temperaturæ eſt Plantago; habet enim quiddam aqueum, frigidum, & quiddam auſterum, quod terreum eſt. Itaque refrigerat, ſimul & deſiccat; abſtergit, & inſpiſſat; hepatica eſt & vulneraria; in herniis, alvi fluxionibus, hæmoptyſi, hydrope, gonorrhœa, mictione involuntaria, menſium fluxu, & in febribus utilis eſt.

Aqua *deſtillata in officinis ad affectus prædictos non mediocris eſt uſus.*

Succus *foliorum cum Symphyti majoris radicibus & ſaccharo in electuarium contuſis, adverſus vomitum aut ſanguinis expuitionem certiſſimum eſt remedium*, D. Boyl.

Semen *ſubtilium eſt partium & ſiccioris & minus frigidæ facultatis. Ad jecinorum & renum dolores adhibetur; & ad abortum ſiſtendum inſignis eſt uſus.*

Vulneraria eſt egregia; ad ulcera rebellia & inveterata; ad fluxiones ac ad putredines ſiſtendas optimi eſt uſus; ſinus glutinat, & alia ulcera recentia ſimul & inveterata exſiccat & ſolvit.

Ad uſus adſtringentem vim poſtulantes Plantago anguſtifolia potius eligitur.

CAPUT XXXVIII.

Pſyllium.

Pſyllium *ſeu Plantago ramoſa foliis & capitulis minoribus; ψύλλιον, à ſeminibus puliciformibus dictum.*

TABULA XXXI. SECT. VIII.

- *Pſyllium*
  - *perenne*
    1. *Majus ſupinum, C. B. P. Pſyllium ſemper virens, Lob. Ger. Majus ſemper virens, Park.*
  - *annuum foliis*
    - *planis*
      2. *Majus erectum, C. B. P. J. B. Pſyllium, Matth. Dod. Pulicaris herba, Lugd.*
      3. *Minus, C. B. P. 2. in Prod. Pſyllio accedens Gotne rubrum quibuſdam dictum, J. B.*
    - *crenatis*
      4. *Vel Indicum Dioſcoridis, C. B. P. 1. in Prod. Pſyllium laciniatis foliis, Bocc.*

1. Pſyllium *ſemper virens, Lob. Ger. Pſyllium majus ſupinum, C. B. P. J. B. Majus ſemper virens, Park. Pſyllium perenne, Geſn. Cam.* E *radice* dura *caules* lignoſi, pedales & cubitales, in *ramulos* tenues ab imo divaricati, fruticant; quos *folia* plurima, *Linariæ vulgaris* tenuiora, viridia, uncialia & ſeſcuncialia, è regione naſcentia, conveſtiunt. Alia ex eorum alis quoque non infrequenter proveniunt. Summi ramuſculi *capitulis* brevibus, quaſi ſquamoſis, pediculis nudis inſidentibus, & in iis *floſculis* cum ſuis ſtaminibus eminentibus, *Plantaginis* inſtar, ornati ſunt. His autem *ſemina* parva, oblonga, fuſca & puliciformia, quorum bina in ſingulo vaſculo horizontaliter in medio per maturitatem diviſo continentur, ſuccedunt.

In incultis & olivetorum collibus circa Monſpelium, aliiſque Galloprovinciæ & Italiæ locis frequens reperitur.

2. Pſyllium *annuum majus foliis integris, Nobis. Pſyllium majus erectum, C. B. P. J. B. Pſyllium Matth. Dod. Pulicaria herba, Ger. Pulicaris herba, Lugd.* Planta hæc pedalis ramoſa *folia* profert ex adverſo poſita, antecedentis latiora, *Hyſſopi* ſimilia, acuta; è ſinubus quorum ſupremorum petioli nudi exeunt, *capitula* brevia, plantaginea ſuſtinentes. *Semina* quoque oblonga, parva ſplendentia in capſulis conſimilibus includuntur; quibus matureſcentibus *radix* perit. Tota planta viſcida & glutinoſa eſt.

In Galloprovincia & Italia inter ſegetes frequens reperitur.

3. Pſyllium *minus annuum, C. B. P. & Prod. Pſyllio accedens Gotne rubrum quibuſdam dictum, J. B.* Ubi adolevit patula magis quam alta eſt plantula, gracilis, lignoſa *radice* firmata. *Coliculi* palmares, quorum plerique nonnihil reclinati, *foliis* veſtiti paucis, uncialibus, *Pſyllii* anguſtioribus; iidem vero rurſus in adverſos dividuntur ramos, quorum divarications ſubjecta ſunt *folia* prædictorum ſimilia. *Capitula Pſyllii* multo breviora, imbricata, non tantum faſtigio ramulorum inſident, ſed etiam in coitu ramulorum ſeſſilia, ut in *Gnaphalio vulgari. Floſculis* ex apicibus luteis ſuccedit *ſemen* parvum relucens. Annua eſt planta.

Hujus ſemina ex Aleppo habemus, aliorum ſeminibus comformia, ſed carnei coloris ad roſeum tendentis.

4. Pſyllium *foliis crenatis Indicum, C. B. P. & Prod. deſcrip. Pſyllium foliis laciniatis, Bocc.* Hoc ſecundo in omnibus ſimile eſt, niſi quod *folia Coronopi* fere in modum dentata & laciniata ſint. Annuum quoque eſt.

Prope Melittim & Saccam reperitur, Bocc. Calceolarius *in enumeratione Plantarum provenientium in monte Baldo ejuſdem meminit.*

Pſyllii Vires & Uſus.

Pſyllii *ſemen maxime in uſu eſt; refrigerat & humectat. Aqua in qua id quaſſatum, agitatum maceratumque fuerit, donec lentorem contraxerit, omnes inflammationes ſedat; ardentium febrium calores mitigat; ſitim reſtinguit; & in ore ſubacta linguæ aſperitates lenit.*

Ad bilem educendam, choleramque purgandam, ſeminis & herbæ muccaginoſus & lactei cremoris ſimilis ſuccus commendatur. Dyſentericis, & quibus inteſtina aut veſica exulcerantur, utilis. Minime tamen crebro hac mucagine utendum; nimiam enim quantitatem venenoſam pronunciarunt Græci & Arabes. Et quidem rem ita ſe habere quotidiana docet experientia.

Semen Pſyllii, *aut ejus muccago puerorum enterocelas curat, & umbilicos prominentes, impoſitâ; addito vero & oleo roſaceo articulorum doloribus, (ex cauſa videlicet calente) parotidibus, œdematis, luxationibus emolliendis prodeſſe Dioſc. refert.*

Ad

Ad Sectionem nonam, umbelliferas Plantas continentem, jam properemus; quarum pars maxima foliis lobatis ſeu pinnatis prædita eſt. Plantæ de quibus jam ſermo, folia proferunt omnino lobata, id eſt foliolis binis ordinibus rachi ſeu nervo medio conjugatim poſitis, uno extremum claudente donata. Spicas *autem gerunt ex plurimis floſculis tetrapetalis, ut in antecedentibus, ſpicatim & glomeratim congeſtis compoſitas; quibus ſingulis ſuccedunt ſingula ſemina, quæ aliis hujus diviſionis conformia ſunt.*

PLANTÆ SPICATÆ

FOLIIS PENNATIS.

CAPUT XXXIX.

Pimpinella ſanguiſorba.

PImpinella & Bipinella, *quaſi* Bipennula, *à foliorum binis ordinibus pennatim ſeu plumatim digeſtis, nominatur; ſanguiſorba non infrequenter dicta, eo quod ſanguineos fluxus ſiſtat & ſorbeat.*

TABULA XXXII. SECT. VIII.

Pimpinella Spica

- *breviore*
  - *minor*
    1. *Hirſuta, C. B. P. Sanguiſorba minor, J. B.*
    2. *Inodora, C. B. P. & Prod. J. B.*
    3. *Elegantius laciniata, Schol. Bot. Par.*
    4. *Tingitana ſemine rugoſo majore.*
    5. *Fruteſcens ſpinoſa, Nobis. Pimpinella ſpinoſa, Cluſ.*
    6. *Rupeſtris minima radice magna, D. Pluk. Phyt. Tab. 103.*
  - *major*
    7. *Vulgaris, C. B. P. Sanguiſorba major flore ſpadiceo, J. B.*
    8. *Canadenſis foliis longioribus magiſque ſerratis, Prælud. Bot.*
    9. *Agrimonoides, Prælud. Bot. Bocc. Pimpinella Agrimonoides odorata, H. R. P.*
- *longiore*
  10. *Major Cretica, Zan.*
  11. *Minor Cretica, Zan.*
  12. *Alba Canadenſis, Nobis. Maxima Canadenſis, Cornuti.*
  13. *Rubra Canadenſis, Prælud. Bot.*

1. Pimpinella *ſanguiſorba minor hirſuta, C.B.P. Vulgaris minor, Park. Pimpinella ſanguiſorba Dod. Sanguiſorba minor, J.B. Folia* palmum longa, odore pene Cucumerum, ex pluribus aliis, parvis, ſubrotundis, in ambitu crenatis, nonnihil hirſutis, ad unam coſtam mediam adhærentibus, alata, naſcuntur. Inter hæc *caules* pedales, aliquantulum ſtriati, non omnino foliorum nec ramuſculorum vidui, nunc reclinati, nunc erecti, aſſurgunt; in quorum faſtigiis *capitula* rotunda, ex exiguis *floſculis* tetrapetalis ſubpurpuraſcentibus compoſita ſunt. Floſculorum autem quilibet *fructui* ſingulari ex quadrangulari ſubrotundo, inſidet. *Radix* ſubeſt longa, fuſca, in furculas aliquot diviſa.

Locis aſperis, petroſis, & montoſis, frequens occurrit; & per totam hyemem folia retinet viridia. Hujus folia frequentius obſervantur glabra.

2. Pimpinella *ſanguiſorba inodora, C. B. P. & Prod. J. B.* A præcedenti differt foliis & odore. Nam in hac *folia* longiora ſunt; in illa magis rotunda; ſunt in hac inodora, in illa odora.

Ex Hiſpania miſſa eſt.

3. Pimpinella *ſanguiſorba minor foliis elegantius laciniatis, Schol. Bot. Par.* Modo creſcendi, capituliſque prioribus convenit; *folia* vero paululum longiora, & cauleſcentia, anguſtiora, profundioribus laciniis denticulata ſunt.

A Pariſiis Clariſ. Sherardus *attulit.*

4. Pimpinella *Tingitana minor ſemine rugoſiore majore. Forte Pimpinella ſanguiſorba minor ſemine majore & craſſiore, Magnol.* Hæc in omnibus aliquantulum major eſt planta. *Caules* rubeſcentes, ſtriati ſunt & altiores. *Folia* numeroſa ampliorem ceſpitem conſtituunt. *Flores* purpuraſcentes, *ſtaminulis* cum apicibus ſuis luteolis dependentibus, in *capitulum* glomeratum compacti, *ſemina* etiam quadrangularia, ſed acutiora & rugoſiora, præcedunt. *Odore* grato eſt, ſed non tanto gradu quanto vulgaris.

E regione Tingitana habemus. In vinearum ſepibus circa Salenovam ſuam detexit D. Magnol.

5. Pimpinella *ſpinoſa, Park. Poterio affinis folio Pimpinellæ ſpinoſa, C.B.P. Poterium quibuſdam ſive Pimpinella ſpinoſa, J.B. Bell. Epiſt. ad Cluſ. p.* 303. *Rawolf. χάλκιον. Anguil. Poterion Dalechampii, Cluſ. Hiſt. Cauliculis* pedalibus ſarmentiſve gracilibus fruticeſcit, duplici quaſi cortice tecta, interiore rubente, exteriore cuticula lacerata, cinerea.

cinerea. *Folia* ramulis insident alata, parva, Pimpinellæ vulgaris minoris similia, crenata, superne virentia, inferne cinerea. *Ramuli* frequenter spinulis terminantur. *Flores* in ramulorum extremitatibus nascentes parvi sunt & stellati, ex herbaceo ad rubedinem colorem tendentes quibus subsunt *semina* rotunda, primo albida, dein rubentia, fungosa materia tecta, racematim cohærentia, ordine ad ramulos sessilia, *Ribis* nostri baccis haud absimilia, conspicuo adhuc in uniuscujusque baccæ umbilico flore.

Ad pedem montis Libani detexit Rawolfius. In Creta etiam perpetuo viret & per multos annos durat.

6. Pimpinella *sanguisorba rupestris minima radice magna, D. Pluk. Phyt. Tab.* 103. *An Pimpinella minor altera rotundo splendente folio, Gab. Grisley?* Hæc quæ à *Cl. Tournefortio*, perambulationibus suis Lusitanicis detecta, & à spectatissimo *D. D. Sherard* communicata est, ad instar præcedentis caulescit, & è singulis nodis *foliola* plurima, alis exiguis subrotundis, crenatis & splendentibus, prædita oriuntur. *Radix* longa, crassiuscula, dura, & lignosa.

7. Pimpinella *sanguisorba major, C. B. P. Major vulgaris, Park. Pimpinella major, Dod. Pimpinella sylvester, Ger. Sanguisorba altera major, Adv. Lob. Sanguisorba major flore spadiceo, J. B.* Huic *radix* major & quasi nodosa in superiore parte est, *fibris* tenacibus subactis; è quibus *folia* proveniunt pedalia, ex alis uncialibus composita, & *Betonicæ* in modum in ambitu crenata, petiolis brevibus nervo medio insidentia. Ad horum autem exortum *auriculæ* seu foliola frequenter conspiciuntur. *Caules* assurgunt bicubitales, in quorum summitatibus *capitula* oblongorotunda ex rubris subfusca, præcedentium capitulis majora, nascuntur. *Semina* præcedentium seminibus majora.

Prata ac palustria & humecta magis amat. Folia majorum hyeme pereunt, minorum vigent.

8. Pimpinella *maxima Canadensis spica rubra glomerata, D. Morif. Prælud. Bot.* Antecedenti convenit; *folia* tamen majora, longiora, magisque serrata. *Spicæ* quoque *florum* habitiores sunt.

9. Pimpinella *Agrimonoides, D. Morif. Prælud. Bot.* Hujus *folia* prima facie ad *Agrimoniæ* folia quam proxime accedunt; aspera enim, villosa sunt, & rugosa, rachi seu nervo medio (aliarum Pimpinellarum more) adhærentia, uno extremitatem claudente, & gratissimum contrectata spirant odorem. *Caules* habet erectos pedales & cubitales; inque horum cimis proveniunt *spicæ* glomeratæ, *seminibus* striatis gratissimi odoris onustæ.

10. Pimpinella *spicata Cretica major, Zanon. p.* 161. *Folia* ampla, cum alis *Betonicæ* æmulis, & appendentibus interdum auriculis, vulgaris majoris haud multum dissimilia sunt; ampliora tamen. *Caules* consimilem acquirunt altitudinem, *capitula* ovalia, aut *Betonicæ vulgaris* forma, oblonga, in summitate gerentes.

11. Pimpinella *minor spicata Cretica, Zan.* 163. *Caulis* ei sesquicubitalis attollitur. *Folia* longa exalis longioribus & angustioribus composita sunt. *Spica* oblonga & turbinata, è *floribus* tetrapetalis albis, viridi linea in medietate striatis, compacta.

Ad exitum mensis Septembris floret.

12. Pimpinella *sanguisorba Canadensis major, spica longiore alba. Maxima Canadensis, Cornuti. Maxima Americana, Park. Radice* constat crassiore, fusca, unde *folia* primo rubentia, tunc ex viridi ad cæsium colorem tendentia, amplissima, pedalia, lævia, pro aliarum more alata, longiora tamen, oriuntur. *Caulis* erectus sesquicubitalis, in alas quasdam divisus, *spicas* gerit omnium longissimas, biunciales, imo triunciales. *Flores* singuli quatuor petalis crucis modo constant, ex viridi flavescentibus; quorum inferiores primi aperiuntur, & gradatim superiores postremi.

13. Pimpinella *maxima spica longa rubra, D. Morif. Prælud. Bot.* Hæc ad præcedentem accedit. *Spicam* gerit rubram, ternis quaterniſve unciis constantem; qua facile ad omnibus dignoscitur.

Temperamentum & Vires.

Pimpinella refrigerantis, exsiccantis, & adstrictoriæ facultatis particeps est. Idcirco ad Alvi profluvia, dysenteriam, menses nimios; ad quascunque corporis sanguineas excretiones sistendas, celeberrima audit.

Datur vel succus vel decoctum; vel ipsius herbæ foliorum aridorum pulvis contusa forinsecus imponitur, vel aliis externis remediis admiscetur.

Alexipharmaca *est, & ad morbos malignos abigendos utilis.*

Ad vulnera autem Sanguisorbæ vis singularis est, & à quamplurimis laudata; sanguinem supprimit aque intrinsecus sumpta ac foris imposita.

Fragrantissima est Pimpinella; habet vero superficie tenus quandam leviter odoratam & temperatam qualitatem, quam in vinum injecta deponit; cui gratiam quandam inter bibendum conciliat. Hæc autem qualitas nec aridæ herbæ adest, nec succo aut decocto communicatur; idcirco sulphure & sale volatili planta abundare creditur.

CAPUT

CAPUT XL.

UMbelliferis *affinis capitulis globoſis & villoſis, Nobis. Cuminum ſylveſtre capitulis globoſis, C. B. P. Cuminum ſylveſtre primum vel odoratum globoſum, J. B. Cuminum ſylveſtre Matth. Dod. Lob. Ger. Park. Cuminum ſylveſtre erraticum, Tab.* Planta hæc elegans quibuſdam partibus Umbelliferas optime mentientibus donata, *folia* profert è *radice* tenui, annua, lobata & pinnata, humi procumbentia, digiti, aut amplioris, longitudinis, ex decem vel duodecim alarum lævium, ſubrotundarum, profunde ſerratarum, *Sii terreſtris* ſeu *ſegetalis* ſimillimarum, crebrius vero poſitarum, rachi ſeu pediculo medio adnaſcentium, conjugationibus compoſita. Ex horum centro *caulis* erigitur gracilis, lævis, dodrantalis, in ramuſculos aliquot brachiatus; ad quorum cujuſlibet exortum *foliolum* pinnatum, tenue, nitidum enaſcitur. Summi *cauliculi* occupant *capitula* globoſa, avellanæ magnitudinis, ex multis *ſeminibus* ſingularibus, oblongis, candida hirſutie tectis, compacta, *odore* quodam aromatico, ad *Carotæ* odorem accedente, prædita.

Locis glareoſis Cretæ & Galloprovinciæ ſponte naſcitur. Ex Aleppo quoque habemus. Plantam hanc cum nec floſculis pentapetalis umbellatis pediculis inſidentibus, nec binis ſeminibus ſimul junctis, ſingulis ſuccedentibus (conditionibus præcipuis ad umbelliferam genuinam conſtituendam) donata ſit, huc retulimus; & Umbelliferis proprie dictis, proximeque tractandis, propter rationes ſupra dictas, præponi eam oportere judicavimus.

Finis Sect. octavæ Partis tertiæ.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis
PARTIS III. SECTIO IX.

De Umbelliferis.

IN *Sectionibus tribus antecedentibus de Plantis, quarum ſingulo floſculo ſemen ſuccedit ſingulare, tractavimus: Jam* Naturæ ductum *ſequentes, non incongruum judicavimus proximam ſectionem conſtituere de iis quæ poſt florem ſingulum evanidum bina producunt ſemina, &* Plantæ umbelliferæ *a modo creſcendi dicuntur, quod umbellas quas Mulieres a fervore radiorum ſolarium ſemet tuituræ umbraculorum loco habere ſolent, æmulentur.* Umbella *ergo eſt Plantæ ſummitas rotunda, caulis faſtigio innixa, ex quo plurimi radii ex eodem centro (caulis ſcilicet ſummitate) orti ſuperficiem ut plurimum planam, nunc convexam, nonnunquam concavam, conſtituunt, ex floribus ſæpius albis, aliquando luteis, perraro purpureis, conflatam. His autem evanidis, ſuccedunt conſtanti & invariabili naturæ ordine unicuique flori quinis petalis conflato* bina ſemina *adeo ſimul juncta, ut immatura unicum appareant, cujuſcunque ſit ſeminis formæ aut figuræ, prona parte qua jungantur concava, ſupina convexa; matura vero & exſiccata binatim ſe dividunt, & a ſuperiore parte dependentia videre licet.*

Umbelliferas *Plantas caulibus geniculatis donatas, habita ratione figuræ ſeminis, diſponemus, & ſecundum formam earundemque figuram Claſſes, ſeu Capita, novem ſubalterna genera Umbelliferarum proprie dictarum conſtituentes proponemus; quippe non melior & aptior ordo hujus vaſti & longe patentis generis apparet, qui certiora dabit indicia, quam ſeminis eadem forma idem ſubalternum genus conſtituens. Flores enim omnes pentapetali pene conſimiles ſunt, folia quoque certitudinem non retinent. A* ſeminibus *ordine propoſito dividentur.*

Plantæ Umbelliferæ ſunt vel

1. *Piliferæ, quarum ſemina ſubſtantia fungoſa obducta ſunt.*
2. *Semine rotundo vel teſticulato.*
3. *Semine ſtriato breviore.*
4. *Semine roſtrato ſeu ſtriato longiore, & non ſtriato.*
5. *Semine villoſo ſeu biſpido.*
6. *Semine echinato ſeu aculeato.*
7. *Semine ſubrotundo compreſſo.*
8. *Semine ala foliacea cincto.*
9. *Semine aliis foliaceis cincto.*

Et ſubdiviſiones à foliis ferulaceis, latioribus lobatis, vel plurifariam diviſis, ſtatuimus, ut infra patebit.

SECT.

SECTIONIS NONÆ

DISTRIBUTIO PRIMA.

De Plantis umbelliferis piliferis, ſeu ſubſtantia fungoſa obductis

Cachrys ſeu Libanotis cachryophoros, & Crithmum Spinoſum.

CAPUT I.

CACHRYS.

Κάχρυς à ſeminis acri & ardenti facultate, inſtar pilulæ ferreæ quæ cauteria cuti inurebantur, quæ Κάχρυς ſeu Καίγκρυς Græcis dicebatur, nomen obtinuit. Aliis à ſeminis forma Hordeo toſto ſimili nuncupatur; nam Κάχρυς etiam Hordeum in furno toſtum exponitur, ut facilius commoli & in farinam redigi poſſit. Libanotis quod Thus Libani ſeu Olibanum olet: quod aliis etiam umbelliferis commune eſt.

Cachrys eſt Planta umbellifera cujus ſemen fungoſa ſubſtantia ſubrotunda, tumida tectum, vel lævе vel ſulcatum eſt.

TABULA I. SECTIONIS IX.

Cachrys ſeu Libanotis cachryophoros ſemine fungoſo

1. *Lævi, Nobis. Libanotis cachryophoros quibuſdam floribus luteis, J. B.* ⊙.
- *ſulcato*
  - *aſpero*
    2. *Majore.* ⊙.
    3. *Minore fol. ferulaceis. Hippomarathrum Cret. C.B.P. Siculum, Bocc.* ⊙.
    4. *Sicula, fol. Paſtinacæ latifoliæ.* ⊙.
  - *plano*
    5. *Majore,* ⊙.
    6. *Minore,* ⊙.

1. Cachrys *ſemine fungoſo lævi, Nobis. Libanotis cachryophoros quibuſdam floribus luteis, J. B. Libanotis Galeni Cachrys verior, Ger. Libanotis candida, Cæſalp. Libanotis Ferulæ folio, ſemine anguloſo, C. B. P.* Huic *radix* eſt longa, brachialis craſſitudinis, alba, fragilis, ſucco lacteo turgida; è qua *folia* proveniunt ramoſa, & plurifariam *Peucedani* in modum tenuiter diviſa, compreſſa, tenuia, triplicique diviſione donata. *Caulis* aſſurgit geniculatus, binos cubitos altus, qui in *umbellas* amplas, ex *floſculis* pentapetalis luteis conflatas, terminatur. His autem ſuccedunt *ſemina* ſubrotunda, *nucis myriſticæ* figura, alba, fungoſa dura ſubſtantia obducta, lævia & æqualia, quæ adhuc viridia arcte invicem adeo ſunt conjuncta, ut unicum videantur, nec prius divelluntur quam ſint ad maturitatem perducta; tandem exſiccata hinc inde ſingula ſemina ſtriata intus, in fungoſa ſubſtantia lævi contenta, à duabus fibrillis, quibus nutriuntur, dependentia oſtentant. Hoc familiare eſt omnibus omnium pene *Umbelliferarum* ſeminibus binis.

In montibus celſis Italiæ, Candiæ, & Siciliæ Inſulis naſcitur; prope Monſpelium ſecundum fluvium la Maſſon, eundo à ponte dicto de St. Jean de Vedas, ad pontem Villæ novæ ad dextram, in elato colle prope Molendinum dictum la Tour, Maio menſe florentem, detexit oculatiſſimus D. Magnol.

2. Cachrys *ſeu Libanotis cachryophoros ſemine ſulcato aſpero majore.* Et *radicibus*, & *foliis*, modoque creſcendi, antecedenti convenit; *ſeminibus* præſertim dignoſcitur, quæ majora ſunt & ſecundum magnitudinem breviora. Quælibet pila ex duobus *ſeminibus* compoſita, in decem *ſtriis* & ſulcis canaliculata eſt, aſpera & rugoſa; cum *coronula* in apicem definente.

Ex Mauritania Tingitana, à D. Alex. Baalam, ſemina recepta ſunt; & in Horto Pariſienſi ſemine prægnans obſervata eſt hæc planta.

3. Cachrys *Peucedani folio, ſemine ſulcato aſpero minore, Nobis. Hippomarathrum Creticum, C. B. P. Siculum, Bocc. Fœniculum ſylveſtre ſive Hippomarathrum, J. B. & Fœniculum magnum, J. B. Caulis* cubitalis & bicubitalis intus fungoſus eſt. *Folia* præcedentium tenuiora *Ferulæ* tenuioris folia æmulantur. *Semina* Piſi magnitudine, fungoſa, ſulcata ſunt, & aſpera.

4. Cachrys *Sicula foliis Paſtinacæ latifoliæ, ſemine ſulcato & hirſuto, Nobis. Panax Siculum ſemine hirſuto foliis Paſtinacæ latifoliæ ſativæ. Panax Siculum ſemine hirſuto foliis Paſtinacæ ſativæ, J. B. 158. An Tartaria Ungarica edulis, Panacis Heraclei folio, ſemine Libanotidis cachryoferæ, J. B. Panaci Heracleo ſimilis Ungarica, C. B. P? Tartaria Ungarica, Cluſ. H. Boccon. Radix* pro plantæ ratione parva eſt; *caulis* humanæ altitudinis, lævis, rectus, eſt; *folia* quam *Paſtinacæ ſativæ latifoliæ* ampliora, lucida, quandoque vero hirſuta; *umbellæ*

bellæ albæ; *ſemen* longum, craſſiuſculum, ſtriatum ſeu ſulcatum, exterius candida lanugine hirſutum; qua exuta, ſemen grano *ſecalis* aut *tritici* figura & colore ſimile eſt.

Panormi, Meſſanæ, & in tota Mareræ valle, aliiſque Siciliæ locis incultis & aſperis, copioſe naſcitur.

5. Cachrys *ſemine ſulcato plano majore.* Hujus *ſemen* præcipue notum indicat quod *Avellanæ* magnitudinem acquirit, læve & profunde ſulcatum, omnino abſque aſperitate apparens.

Rara hæc planta umbelliferâ e Regione Tingitana à prædicto Generoſo D. Alex. Baalam delata eſt.

6. Cachrys *ſemine ſulcato plano minore. Folia* ferulacea ſunt tenuitate donata. *Semina* canaliculata, lævia, fungoſa, Piſi magnitudinem non ſuperantia, in Horto *Edvardi Morgan* Weſtmonaſterienſis prægnantia poſt aliquot annos obſervata ſunt, *è ſeminibus Tingitanis* nata.

Cachryos Vires & Uſus.

Vim habet calefaciendi, ut & valde reſiccandi, abſtergendi, & diſcutiendi; ſudorifica eſt & expurgans, ut plurimæ Umbelliferæ thuriferæ; menſes & urinas ducit; comitiali morbo laborantibus auxilio eſt; confert ruptis, convulſis, & podagricis impoſita cum loliacea farina & aceto. Semen Κάχρυος *à καίω uro, acre eſt, & arteriam exaſperat, & adverſus urinæ ſtillicidia vim obtinet.*

UMBELLIFERÆ SEMINE

Fungoſo.

CAPUT II.

Crithmum ſeminis involucro ſpinoſo & fungoſo

1. *Maritimum, Nobis. Crithmum maritimum ſpinoſum, C. B. P. Paſtinaca marina quibuſdam Secacul, & Crithmum ſpinoſum, J. B.* ☉.
2. *Apulum foliis Paſtinacæ tenuifoliæ, Nobis. Paſtinaca echinophora Apula, Col.* ☉.

Duplex eſt Crithmum maritimum: hoc de quo jam agimus; alterum ſemine ſtriato donatum, ut infra ſuo loco docebimus.

1. Crithmum *maritimum ſpinoſum, C. B. P. Crithmum ſpinoſum, Dod. Paſtinaca marina, quibuſdam Secacul & Crithmum ſpinoſum, J. B. Caules* habet pedales, procumbentes, geniculatos admodum; *folia* ſpiſſa, rigida, craſſa, viridia, primo trifariam vulgo partita, tunc in alia ſegmenta rariora, acuta, plurifariam diviſa. *Flores* pallide lutei in umbellis petiolis brevibus adnexis, naſcuntur; quibus *ſemina* ſuccedunt binatim juncta (ut in aliis) ſtriata, pericarpio cartilagineo, intus fungoſo, molli, incluſa, inque horum cujuſlibet ſummitate ſenæ, nunc plures, nunc pauciores ſpinæ enaſcuntur.

In Narbonenſi provincia, aliiſque maris mediterranei littoribus frequens invenitur; quandoque etiam in Anglia.

2. Crithmum *maritimum Apulum ſeminis involucro ſpinoſo, foliis Paſtinacæ tenuifoliæ, Nobis. Paſtinaca echinophora Apula, Col.* Hujus *folia* pluribus *petiolis* alata, *Paſtinacam tenuifoliam* æmulantur, diviſione tamen tenuiore, carnoſiora, in orbem ſparſa, leniter hirſuta, & parum acuta. *Flores* in cacumine in *umbellis, Paſtinacæ littoralis* ritu, Julio & auguſto menſibus exeunt lutei, ex baſi ſex foliolis craſſis, acutis, pungentibus radiatim adnatis prædita.

In Apuliæ locis ſalſis & nitroſis legitur, ut doctiſſimus Fab. Col. perhibet.

SECTIONIS NONÆ.

DISTRIBUTIO SECUNDA.

UMBELLIFERÆ SEMINE

Rotundo ſeu teſticulato donatæ.

CAPUT III.

Coriandrum.

COriandrum Κόριον ἢ κορίανδρον *Græc. Corio nomen feciſſe cimices* τὰς κόριας *quos folia & caules ejus olent veriſimile eſt, niſi ſi potius à* κόριον *pupilla &* ἀνὴρ *vir, quod ſit rotundum ad inſtar pupillæ virilis, ejus notationem petere velimus. Arabibus Cusbor, Kusbero & Kusbera; quanquam nonnulli legunt Rusbor, Rusbera & Kuzibara.*

1. Cori-

1. Coriandrum *majus, C. B. P. Coriandrum, Matth. Lob. Tab. Ger. J. B.* E *radice* longa, fibroſa, annua, *folia* lobata, *Apii* latioris alis ſubrotundis, in ambitu dentatis & laciniatis, glabris; *Aniſi* ad inſtar, proveniunt. *Caulis* rectus bipedalis & ſeſquicubitalis, ſolidus, à medio ramoſus eſt, & aſſurgens *foliis* multo anguſtioribus donatur. Hæc autem in ſummitatibus *Chamæmeli* tenuitatem obtinent; ſuntque *odoris* ſi contrectentur cimicum teterrimi. *Flores* è rubentibus albi, umbellas conſtituunt. *Semina* ſingulis rotunda, initio virentia, reſiccata ex luteo colore albicantia, gratiſſimi & aromatici ſaporis & odoris, ſuccedunt.
In agris & Hortis ſeritur; ſed natale ſolum nos latet.

2. Coriandrum *ſylveſtre fœtidiſſimum, & Coriandrum minus teſticulatum, C. B. P. Coriandrum ſylveſtre, & Coriandrum itidem minus odorum, J. B. Coriandrum ſylveſtre Myconi.* Humilis hæc planta cauliculis plurimis pedalibus, procumbentibus, prædita eſt. *Folia* prima humi procumbentia tenuius ſunt diſſecta, & virentia multo magis putidum edunt fœtorem. *Flores* in *umbellis* parvis ſubalbidi, ſemina majora, bina ſimul juncta, parte qua junguntur binis foraminibus pervia, præcedunt.
Inter ſegetes circa Pictavium, Monſpelium, aliiſque Galliæ locis ſponte proveniens reperitur.

3. In Phytographiæ tertia parte, Tab. 170. *Cl. D. Plukenetii,* mentio fit *Coriandri minus teſticulati, ſeminibus verrucarum inſtar aſperatis, & veluti ſaccharo incruſtatis.* Præcedenti autem hoc convenit, & ex *ſeminibus* duntaxat oritur diſtinctio. *Forte Coriandrum ſylveſtre, C. B. & J. B.*

Temperamentum & Vires.

Coriandrum *cum ſit herba graveolens, in externis uſibus* Cicutæ *vices præſtat, & in tumoribus molliendis antecellit. Uti vero in internis ob narcoticam & venenoſam vim parum convenire quamplures aſſerunt.*

At ſemen *maturum calidum obtinet temperamentum; quod per noctem vino & aceto maceratum, rurſuſque deſiccatum, ſtomacho imprimis gratum eſt.*

Optimum eſt ſtomachicum, *& in affectibus ſtomachi uſurpatur. Ventriculo multum confert, præſertim à cibo, per ſe vel cum aliis permixtum, oris ventriculi humiditatem reſiccat; ſalivationem prohibet; cruditates ſtomachi tollit; & ciborum concoctionem promovet.*

Semina *cum aceto parata, & ſaccharo incruſtata, ad uſus prædictos aptaſunt.*

Confectio laxativa *è ſemine fit, hunc in modum.* ℞. *Coriandri ſemen q. v. hoc ſaccharo bis incruſtetur; poſtmodum pulvere* Scammonii *adſpergatur, & denuo ſaccharo obducitor. Ita parata egregie laxat.*

SECTIONIS NONÆ

Diſtributio Tertia.

UMBELLIFERÆ SEMINE

Striato majore vel minore donatæ, quæ vel foliis fœniculaceis; foliis lobatis; foliis plurifariam diviſis; vel foliis integris prædítæ ſunt.

§. 1. UMBELLIFERÆ SEMINE

Striato majore, foliis fœniculaceis ſive ſetaceis.

Fœniculum, Meum, Cuminum.

CAPUT IV.

FOeniculum Μάραθρον *Dioſc. Arab. Raienigi.* Fœniculum *dicitur quia ſatum magno cum fœnore ſemen reddat; vel quaſi parvum fœnum; vel* Fœniculum *quaſi peniculum, à pinnis quas extremæ foliorum partes æmulantur, unde Italis* Pinochio *appellitatur.*

Fœniculum eſt Planta umbellifera foliis capillaceis longiſſimis, ſemine ſtriato longo majore donata.

TABULA II. SECT. IX.

Fœniculum
- 1. *Vulgare Germanicum, C. B. P. Fœniculum vulgare minus acriori & nigriori ſemine, J. B.* ☉. *Variat foliorum colore, & foliis virentioribus, ſubnigricantibus & rubentibus.*
- *dulce*
  - 2. *Azoricum ampla umbella. An Fœniculum vulgari ſimile dulce, J. B?* ☉.
  - 3. *Majore & albo ſemine, J. B. Dulce, C. B. P.* ☉.
- 4. *Ægyptiacum flore violaceo, odore gravi, Nobis. Hippomarathrum ſphærocephalum, Proſp. Alp. de Exot.* ☉.

1. Fœniculum *vulgare Germanicum, C. B. P. Fœniculum vulgare minus acriori & nigriori ſemine, J. B. p. 2. Fœniculum vulgare, Ger. Dod. Cord. Hortenſe, Cæſ. Radix* ei eſt alba, longa, carnoſa, digitalis craſſitiei, ſapore cum quadam dulcedine fervido & aromatico; *folia* longa, capillacea & ſetacea, capillis & ſegmentis longis tenuibus diviſa, viridia, quandoque rufeſcentia. *Caules* geniculati, medulla alba farcti, humanam altitudinem attingunt. *Umbellæ* luteæ, planæ, latæ, in ſummitatibus naſcuntur; quibus *ſemina* oblonga, acuta & ſtriata, unciæ quadrantem longa, ſatis copioſe ſuccedunt.

In rupibus maritimis & clivis præſertim cretaceis, non ſolum Aremoricis & Maderis ſed & Angliæ occidentalibus ſponte provenit. In hortis ob uſum frequentem paſſim obvium menſibus æſtivalibus floret, & autumno ſemen perficit.

2. Fœniculum *dulce Azoricum ampla umbella. An Fœniculum vulgari ſimile dulce, J. B.*? Hujus *ſemina* è *Luſitania* recepimus, unde planta vulgari ſimilis, niſi quod per omnia præſertim quoad umbellam amplior fit, orta eſt; *odor ſaporque* totius gratior & dulcior eſt, præcipue vero *ſeminum* quæ vulgaris colorem & formam retinent.

3. Fœniculum *dulce majore & albo ſemine, J. B. Fœniculum dulce, C. B. P. Fœniculum dulce ſemine majore, guſtu Aniſi, Lugd.* Hoc vulgari (quoad faciem) convenit. *Guſtus* autem dulcior, *odor* fragrantior. *Semina* majora pallida ſtriata *Aniſi* ſuavem ſaporem referunt, & primo anno poſt ſationem matureſcunt. A regionibus meridionalibus petuntur; in noſtris enim poſt aliquot annos, in vulgaris ſemina degenerare obſervantur.

4. Fœniculum *Ægyptiacum flore violaceo, odore gravi, Nobis. Hippomarathrum ſphærocephalum, Proſp. Alp. Exot.* 199. *Park.* 884. *Caulis* tricubitalis & altior, rotundus, geniculatus; in cujus cacumine umbellæ cernuntur in orbem actæ. Ex his autem *floſculi* elegantes emicant violacei coloris, qui mutantur in *ſemina* longa, tenuia, anguloſa, *Fœniculi* vulgaris ſeminibus proxime ſimilia non parum præ valido odore fœtentia. Tota planta *foliis* conſtat fœniculaceis compluribus, ab una radice provenientibus, eo ordine poſitis, ut ſinguli ternis ramulis digerantur. *Radix* longa eſt, alba, carnoſa. Ex tota planta emanat odor & validus & ingratus, maximeque ex ſeminibus.

Fœniculum vulgare Italicum ſemine oblongo, guſtu acuto, C. B. P. Fœniculum ſylv. ejuſd. Fœniculum erraticum, Matth. & Fœniculum ſemine rotundo minore, C. B. P. Rotundum, Tab. à vulgari non ſpecifice diſtingui veriſimile eſt.

Fœniculi Vires & Uſus.

Inter olera recenſet Theophraſtus, *ad plurima condimenta aptum, calidi & ſicci eſt temperamenti, cum dulcedine & acredine mixti. Sudorificum eſt, & ad febres putridas & malignas diſcutiendas decoctum herbæ radicum, vel ſeminum, efficaciſſimum eſt, ut* S. Paul *fuſe perhibet. Herba vel decocta, vel ſuccus ejuſdem expreſſus & ſumptus, lac nutricibus auget; renum & veſicæ vitiis ſummovendis utilis eſt; urinam ciet; menſes provocat; in febribus ſtomachi ardorem ſedat. Ad aciem viſus exacuendam, reficiendam, & oculorum caliginem diſcutiendam aqua etiam deſtillata ab omnibus commendatur.*

Folia *egerminantia*, cauleſque *exalbati, in acetariis ſaluberrimis, cum oleo & aceto non ſine voluptate eſitantur; flatus diſcutiunt, melioremque digeſtionem efficiunt. Piſces admixtione foliorum ſalubriores redduntur, utpote quorum humiditas inde corrigatur.*

Radix *inter aperientes numeratur; obſtructiones veſicæ, hepatis, & lienis amovet.* Succus *è radice recenter expreſſus, unciarum trium pondere potus cum vini generoſi uncia una, nephriticis mire ſubvenit, & hydropicis auxiliatur.*

Semen *Fœniculi, præſertim dulcis, & culinis & officinis in uſum venit; ſtomacho utile; ventriculum roborat; aſthmaticos juvat; & flatus diſcutit. Si ſemen Fœniculi aceto infundas, exſicces, & Cinamomi tantundem addas, addito ſaccharo; ſumendo de hoc fit mirabile in præſervando viſum & debilitatem reformando, & in oculis octuagenariis jam obtenebrato viſu, ut incredibile viſum ſit.* Arnold. de villa nova.

UMBELLIFERÆ SEMINE Striato majore, foliis fœniculaceis.

CAPUT V.

Meum ſeu Meu.

MEum Μῆον *Dioſc. Arab. Me, Officinis Meu, dicitur à μειόω minuo & extenuo, quia omnium umbelliferarum minima & extenuata habet folia, quod & notæ characteriſticæ vicem præſtat.*

Meum *vulgare tenuifolium, Cluſ. Hiſt. Meum, Matth. Dod. Ger. Meum athamanticum, Dioſc. Meum foliis Anethi, C. B. P. Meum vulgare ſive radix urſina, J. B.* Planta hæc *Fœniculo* minor & humilior eſt. *Radix* in plurimas partes ſeu radiculas rectas ſe ſpargit. *Folia* longa, pediculis longis appenſa, crebrioribus, brevibus & concinnis diviſionibus capillaceis donantur, coloris pallide virentis, *odoris* fervidi non ingrati. *Caules* aſſurgunt pedales & cubitales, graciles, ſtriati, qui *umbellis* albis terminantur. His autem *ſemina* oblonga, ſtriata, *Fœniculi* ſeminibus longiora, ſubfuſci coloris, ſuccedunt.

In montibus Alverniæ, Alpium jugis, aliiſque Italiæ, & Galliæ, necnon in pratis & paſcuis Angliæ borealibus, ut & montoſis Cambrobritanicis ſponte creſcit. Maio menſe floret & Julio ſemen, quod per ſe producitur, ſolet perficere.

Mei

Mei Vires.

Radix *præſertim in uſum venit; Sudorifica autem eſt & alexipharmaca; in* Mithridate & Theriaca Andromachi *locum non minimum obtinet. Urinam provocat (uti plurimæ umbelliferæ) menſes ducit; ſed nimia copia deſumpta cephalalgiam ob calorem efficit. Flatus diſcutit, & ſtomachi uterique dolores, torminaque ventris amolitur.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine ſtriato majore, foliis fœniculaceis.

CAPUT VI.

Cuminum.

Κυμινον *Cuminum, Arabibus Camum, ſeu Kemum. Cuminum quaſi prægnans, à verbo κύω concipio, eo quod conceptionem adjuvet, vel quia uterinis affectibus ſuccurrat; vel ut nonnulli volunt, à Cymino monte Hetruriæ ubi ſponte provenit.*

Cuminum inter Umbelliferas minimas eſt, ferulaceo longiore folio, ſemine longo ſtriato, odore gravi, acri, ſubamaro.

TABULA III. SECT. IX.

Cuminum { *annuum* { 1. *Sativum, J. B. Cuminum ſemine longiore C. B. P.* ☿. 2. *Seminibus villoſis, Raii.* ☿. ; 3. *Perenne majus Carmaniæ.* ☉.

1. Cuminum *ſive Cyminum ſativum, J. B.* 22. *Cuminum ſemine longiore, C. B. P. Cuminum ſativum, Cam. Officinarum, Dioſc.* Parva & umbellifera herba eſt, altitudine raro pedem excedens, annua, tenuibus & in plures anguſtas partes ſectis *foliis*, raris, capillaceis; *flore* candido; *ſemine* in *umbellis* parvis & rotundis oblongo, utrinque acuminato, anguloſo, cartilagineo, in cineraceo colore ſubflavo, longitudine quartam unciæ partem æquante; guſtu ſubamaro, tenui, mediocriter acri, & cum gravitate ſuaviter odorato. *Semine* matureſcente, *radix* perit.

In Inſula Melitenſi, aliiſque terris quas mare mediterraneum alluit, mercimonii gratia copioſe ſeritur.

2. Cuminum *ſeminibus villoſis, Raii.* Hoc *Inſulæ Melitenſis* alumnum eſt, ubi ſparſim cùm alio naſcitur; neque *foliis* nec odore aut ſapore ſeminum, ſed duntaxat eorundem *hirſutie*, à prædicto diſcernendum eſt.

3. Cuminum *perenne majus Carmaniæ.* Plantam hanc nobis plane novam & inauditam munificentiæ *Cl. V. D. D. Huntington* ex Aleppo acceptam debemus. *Folia* pediculis cauliculiſve longis appenſa, ampliſſima & expanſa, ternam diviſionem ſemper retinent; primo quidem *petiolis* triuncialibus nudis, tunc ternis aliis brevioribus, atque rurſus aliis ternis, ut plurifariam diviſa appareant, & foliolis tenuibus, quaſi ferulaceis, brevibus, terminantur. Ad ſingulam autem horum petiolorum appoſitionem ſeu diviſionem bina *foliola* ramoſa enaſcuntur. *Flores* nondum apud nos prodiere. *Semina* ampliora, lævia, & obtuſiora, profunde ſtriata, guſtu fervido & acri, amaritudine permixta, donantur.

Cuminum *dulce Melitenſibus, Cuminum ſemine rotundiore & minore, C. B. P. Cuminagero dulce incolis; non aliud eſt quam Aniſum*, & ſuo loco inter *umbelliferas foliis plurifariam diviſis, ſemine ſtriato minore* tractandum.

Cuminum *ſylveſtre capitulis globoſis, C. B. P. Sylveſtre, Dod.* quia ſemina ſingulatim producit, ad finem ſectionis præcedentis quærendum eſt.

Cuminum *bulboſum Plinii, & Nucula terreſtris ſeu Bulbocaſtanum*, in Cap. ſequens rejicienda.

Cumini Temperamentum & Vires.

Semina *in officinis habentur; calidæ & ſiccæ ſunt temperiei; flatus diſcutiunt; phlegmata, lentoſque humores, ſtomachique nauſeam tollunt; cum oleo cocta, & Clyſteri infuſa, torminibus flatibuſque corporis amoliendis valde proſunt; cum ficubus in vino cocta & bibita tuſſim ſedant & thoracem expurgant; flatus diſſipant, & concoctionem juvant; ad ventriculi debilitatem & nauſeam continuam tollendam recipe cruſtam panis, eamque aſperſo pulvere* Cumini *calidam ventriculo applica.*

Oleum *è ſeminibus extractum uterinis affectibus, omnibuſque flatulentis paſſionibus leniendis commodiſſimum eſt.*

Sunt qui (haud ſine improbitatis nota) *ſemina Cumini* Columbariis imponunt, quorum odore columbæ delectatæ ab alienis vicinis pelliciuntur.

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine ſtriato minore, foliis fœniculaceis.

Saxifraga, Bulbocaſtanum, Gingidium.

CAPUT VII.

Saxifraga.

SAxifraga & *Saxifragia ab expellendorum calculorum vi qua pollet, & diuretica facultate nomen obtinet.*

Plantæ quædam ſequentes à plurimis titulo *Mei* & *Mei adulterini* inſignitæ ſunt; ſed cum *Mei* characteri prædicto nec ſeminibus nec facie congruant, ad conſortes ejuſdem formæ, viriumque conſimilium, ablegandas eſſe judicavimus. Harum etiam nonnullæ *Dauci* appellantur, qua appellatione quid ſibi velint Auctores, cum in plurimis capitulis hanc materiam ſpectantibus inveniatur, haud colligere poſſumus.

TABULA IV. SECT. IX.

Saxifraga montana minor, nervo medio

folioſo

1. *Italica folio minus rameſo, Nobis. Meum ſpurium Italicum, Lugd. Lob. Latifolium adulterinum, C. B. P.* ☉.
2. *Folio longiore, Nobis. Meum latifol. adulterinum longiore folio, Tournefortii,* ☉.
3. *Glauca rigidior, Nobis. Daucus glauco folio Fœniculo tortuoſo ſimilis, J. B.* ☉.
4. *Multifido folio Pannonica, Nobis. Saxifraga Pannonica, Cluſ. Hiſt. & Pin.* ☉.
5. *Amara Gratianopolitana folio tenuiore, Nobis. Apium montanum folio tenuiore, C. B. P.* ☉.
6. *Parva annua acris Millefolii terreſtris folio tenuiſſimo, Nobis. Meum annuum acre Luſitanicum, Tournefortii,* ☿.
7. *Tenuiſſimis & longiſſimis foliis, Nobis. Saxifraga Matthioli tenuifolia & umbellifera, J. B.* ☉.

non folioſo

8. *Multifido longoque folio, Nobis. Daucus Alpinus multifido longoque folio, C. B. P.* ☉.
9. *Humillima ſeu palmaris, Nobis. Meum Dauci Cretici facie, J. B.* ☉.
10. *Alexiterica, Nobis. Meum Alexitericum, Proſp. Alp. de Exot.* ☉.
11. *Sive fœniculum tortuoſum, J. B.* ☉.
12. *Pyrenaica foliis Citri odore lucidis, Nobis. Daucus Pyrenaicus foliis Citri odore lucidis, Hort. Reg. Par.* ☉.
13. *Odore Petroſelini, Nobis. Saxifragiæ tenuifoliæ affinis, quibuſdam Caucalis, J. B. Caucalis Peucedani folio, C. B. P.* ☉.
14. *Sabauda tenuiſſima, Nobis. Caucalis tenuifolia montana, C. B. P. & Prod.* ☉.
15. *Foliis Peucedani minoris, Nobis. Selinum montanum pumilum, Cluſ. Selinum mont. foliis Fœniculi aut Peucedani, flore albo, Selini ſemine, J. B.*
16. *Petroſelini vel Coriandri folio, Nobis. Bunium, Dal. Lugd. J. B. Daucus Petroſelini vel Coriandri folio, C. B. P.*

1. Saxifraga *montana minor Italica foliis in breviores partes diviſis, Nobis. Meum ſpurium Italicum, Lob. Lugd. Meum latifolium adulterinum, C. B. P. Meum alterum Italicum quibuſdam, J. B. Chab.* 383. *Radix* ei longa, in plures partes diviſa, pilis in ſuperiore parte donata (quod pleriſque umbelliferis vivacibus commune eſt utpote petiolos præcedentis anni retinentibus) unde *folia* digitali longitudine enaſcuntur, ferulacea tenuitate, in partes breves diviſa, cum foliolis rachi ſeu nervo medio cum aliis lateralibus adnatis, *Mei* durioribus, craſſioribus, viridioribus, ſubviroſi odoris, *Rutæ Narbonenſis tenuifoliæ* quodammodo æmulis. *Caules* graciles, pedales, nunc erecti, nunc reclinati, *umbellulas* ex rubris albas ſuſtinent, quæ in *ſemina* minuta, ſtriata, longiuſcula mutantur,

In montoſis collibuſque aridis Italiæ & Galliæ ſponte naſcitur. Menſe Julio floret, & autumno ſemen perficit.

2. Saxifraga *montana minor Italica vel Gallica longiore folio, Nobis. Meum latifolium adulterinum longiore folio*

folio, *Tournefortii*. Planta hæc à præcedente dictincta, eodem modo pene naſcens, *folia* profert duplo longiora, & in omnibus ſubdiviſionibus magis extenſa, ut in planta ſicca videre licet. Hujus varietas *foliis anguſtioribus* in *Horto Pariſienſi* demonſtratur, quæ fortaſſe è *ſeminibus* ſatis orta eſt.

3. Saxifraga *montana minor glauca & rigidior, Nobis. Daucus glauco folio ſimilis Fœniculo tortuoſo, J. B. p.* 16. *part.* 2. *Fœniculum petræum, Tab. Caules* ei bicubitales ſunt & altiores, graciles, ſtriati, ſubrubentes, ramoſi; è quibus ad articulos, ut etiam à radice, *folia Anethi* aut *Peucedani*, habitiora tamen, pediculis longis erumpunt. Particulæ latiores & craſſiores, rigidiores, & breviores quam in præcedentibus, colore glauco, ſapore acri. *Umbellæ* parvæ *floſculorum* primum purpuraſcunt, explicatæ albeſcunt magis, apiculis purpurantibus inter petala interjectis. *Semina* primum purpuraſcentia ubi maturuerint albeſcunt, parva, & ſtriata.

Locis ſaxoſis Montbelgardenſibus, & collibus Burgundiæ ſponte creſcit.

4. Saxifraga *montana minor multifido folio Pannonica, Nobis. Saxifraga Pannonica, Cluſ. Pan. & Hiſt. Saxifraga multifido folio Pannonica, J. B. Saxifraga montana multifido brevique folio, perperam Daucus montanus, C. B. P. Folia* brevia, *Fumariæ* æmula, ſapore & odore acri; inter quæ cauliculi exeunt pedales, graciles, geniculati, aliquot exiguis foliis exornati, ſuprema parte candidorum *floſculorum* umbellam ſuſtinentes.

In montium acclivibus petroſis Hungariæ & Auſtriæ à Doctiſſ. Cluſio *collecta eſt.*

5. Saxifraga *montana Gratianopolitana folio tenuiore, Nobis. Apium montanum folio tenuiore, C. B. P. Apium quod Petroſelini Dal. folio tenui, Apii hortenſis ſemine ſubrubro, amaro, radice nigra, J. B.* 19. *Radix* longiuſcula & craſſa, foris nigricat, intus albet, capite comato, earum more quæ plures annos perdurant; ſapore amaro. *Caules* inde pronaſcuntur plures, fungoſi, ſtriati, pedales, interdum palmares, *foliis* amicti *Dauci glauci folio* ſimilibus. Caulium *ſcapus* tripartitus primum; laterales ſurculi *umbellas* gerunt albas; medius ſurculus rurſum trifariam ſubdividitur, umbellis ſimilibus onuſtus. *Semen* quale eſt Petroſelini vulgaris.

In ſaxoſis tumulis prope Gratianopolim *naſcitur, ut teſtatur* Lugd. *p.* 702.

6. Saxifraga *parva annua acris Millefolii terreſtris folio tenuiſſimo. Meum annuum acre Luſitanicum, Tournefortii.* Nec minus rara & elegans, quam nova hæc planta à *Cl. D. Tournefortio Pariſienſi*, in *Luſitania* detecta, palmaris, aut ad ſummum ſemipedalis eſt. A *radice* tenui *folia* profert per terram ſtrata, biuncialia, recta, à nervo medio, *Millefolii terreſtris* in modum, in partes tenuiſſimas, breves, diviſa, quæ *Mei* tenuitatem obtinent, ſed ejuſdem ſubdiviſiones & ramificationes non patiuntur. *Caulis* aſſurgit rectus, in plures alas ramuloſve diviſus, ſub quarum unaquaque *foliolum* minus adnaſcitur. *Cauliculi* in *umbellulas* exiguas albas terminati in *ſemina* parva, brevia, ſtriata, Apii ſimilia, mutantur.

Hæc à Botanico admodum perito D. Sherard *nobis communicata eſt.*

7. Saxifraga *montana minor tenuiſſimis & longiſſimis foliis, Nobis. Saxifraga Matthioli tenuifolia & umbellifera, J. B.* 18. *Peucedanum Pannonic. Cluſ. Daucus montanus folio Fœniculi longiore, Magnol. Cat. App. Caulis* bicubitalis, rectus, gracilis, rotundus, geniculatus; *folia* capillacea, Fœniculi ſimilia, odorata, quippe odore *Fœniculum* & *Anethum* æmulantia; in caulium cacumine *umbellæ* parvæ, raræ, *floſculis* albis præditæ. Et fere ex ſingulis geniculis exeunt *ramuli*, in ſummitate etiam minutiſſimas *umbellas* ferentes, in quibus defloreſcentibus apparent *ſemina* nigra, admodum exigua, oblonga, odorata, & ſubamareſcentia.

In monte Capouladou, haud longe à Monſpelio D. Magnol. *legit.*

Saxifragæ hæ ſuccedentes foliola ad nervum medium hærentia non habent, ſed pediculis adnaſcentia.

8. Saxifraga *multifido longoque folio, Nobis. Daucus Alpinus multifido longoque folio, ſive montanus umbella candida, C. B. P. Daucus Creticus vulgo Fende ſaxum, Cæſ.* 286. Qui his verbis deſcribit: Hoc genus in ſaxoſis meridianis, apud nos in collibus ſaxoſis naſcitur, herba Fœniculo ſimillima, brevior, candida; ramis in latera tendentibus, *flore* candido; *ſemine* farcto brevi; vulgo *Fende ſaxum* vocant. *Folium* ſingulo pediculo longo, à radice naſcens plurifariam à nervo medio, in ſex ſeptemve partes, pro totidem loborum conjugationibus, diviſum eſt. Hæ in aliis tenuibus, brevibus particulis, ferulacea pene tenuitate, ſectæ ſunt; & *folium* integrum in palmæ latitudinem & longitudinem extenſum eſt.

9. Saxifraga *montana minor humillima ſeu palmaris, Nobis. Meum Dauci Cretici facie, J. B.* 15. *C. B. P.* 2. *Meum aliud, Lugd.* In *Allobrogum* & *Sequanorum* montibus frigidiſſimis & altiſſimis naſcitur, *radice* longa, odorata; *cauliculis* multis nervoſis, tres aut ad ſummum quatuor digitos altis; *foliis* brevibus capillaceis; *flore* candido; *umbellis* denſis; *ſemine* minutiſſimo, amaro, & ſuaviter olente.

10. Saxifraga *montana minor Alexiterica. Meum Alexitericum, Proſp. Alp. de Exot.* 329. *Park.* 888. *Caule* aſſurgit cubitali & ampliore, rotundo, geniculato, viridi, ut *Anethum*. Fert *umbellas* parvas candidas; quibus ſuccedunt *ſemina* minutiſſima oblonga, odorata, & linguam excalefacientia. E nodis porro ſingulis exeunt *cauliculi* parvi cum umbellis. *Radice* nititur longa, gracili, alba, in extremitate diviſa, odorata atque acri.

Raguſa *hanc plantam accepit* Alpinus, *ubi & vulgo* Herba ſerpentum *vocatur.*

11. Saxifraga *montana minor Fœniculum tortuoſum dicta, J. B.* 16. *Seſeli Maſſilienſe folio Fœniculi craſſiore, Lob. Seſeli Maſſilienſe Dioſc. Cluſ. Hiſt.* 199. Conſtat *foliis* fere *Anethi*, exilibus & minutim inciſis, *Rutæ* propemodum colore. *Caulem* habet in varios contortos ramos firmos diviſum, cubitalem, & ſæpiſſime minorem. Rami umbellas *florum* candidorum aut purpuraſcentium ſuſtinent. His autem ſuccedit *ſemen* quale eſt *Apii*. *Radix* longa, alba, ſatis odorata.

Monſpelii *copioſe provenit. Auguſto menſe in marginibus ſatorum, tum floribus albis tum purpureis reperitur.* D. Magnol.

12. Saxifraga *montana minor Pyrenaica foliis Citri odore lucidis, & Daucus Pyrenaicus tenuifolius foliis Citri odore lucidis, Schol. Bot. Par.* Huic *folia* tenuia & ferulacea, plurifariam diviſa, *pediculis* longis donata, triplicem diviſionem obtinent. Longi rurſus petioli nudi (*Cumini Carmaniæ* antedicti in modum) alios geſtant

ſtant breviores, qui *foliolis* plurimis, brevibus, tenuibus terminantur. Inter hæc *cauliculi* aſſurgunt graciles, pedales, geniculis paucis intercepti, quorum ſingulo geniculo foliolum quoque adhæret. Summus caulis *flores* albos, cæteris conſimiles, parvos, & *ſemina* parva, ſtriata ſuſtinet.

In Horto Pariſienſi adſervatur, à montibus Pyrenaicis comparata.

13. Saxifraga *Montana minor odore Petroſelini, Nobis. Saxifragiæ tenuifoliæ affinis, quibuſdam Caucalis, J. B.* 19. *Chab.* 384. *Caucalis Peucedani folio, Ger. Caucalis Peucedani folio, C. B. P.* Hanc *Anguillara Caucalin* vocat, ac naſci in *Peloponneſo* multiſque aliis locis, in ſaxoſis, prodit; *foliis Fœniculi; caule* cubitali; *umbella* alba; *ſemine Ammi*; comedi, odoremque habere *Petroſelini*, & ab incolis ἄγριον σέλινον, i. e. *Apium ſylveſtre*, vocari.

14. Saxifaga *montana minor Sabauda tenuiſſima, Nobis. Caucalis tenuifolia montana, C. B. P. & Prod.* 80. *Park. Radice* eſt craſſa, ex qua caulis exſurgit pedalis qui ſtatim ad radicem, in cauliculos palmares, rotundos, læves, dividitur, hique in minores ſubdividuntur, horumque minutiſſimis alis ad radicem exiguæ *umbellæ floſculorum* alborum minutiſſimorum inſident. *Folia* ad radicem in tenuiſſima ſegmenta, & quæ in caule ſunt in capillacea dividuntur. *Semen* parvum eſt oblongum, ſtriatum.

Julio menſe florens, in Sabaudia, *inter Taretefiam & Monaſterium collecta, C. B.*

15. Saxifraga *montana minor foliis Peucedani, Nobis. Selinum montanum pumilum, Cluſ. Selinum montanum foliis Fœniculi aut Peucedani, flore albo, Selini ſemine, J. B. Chab.* 383. *Peucedanum minus, C. B. P. Park. Peucedani facie puſilla planta, Lob.* A *radice* aliquot ſpargit folia *Fœniculi* aut *Peucedani* ſimilia, ſed longe minora, & raro pluribus quam quindenis foliolis conſtantia. *Caules* aſſurgunt dodrantales, *Paſtinacæ* aut *Staphylini* guſtu & odore. *Flores* candidi in *umbellulis* apparent, quibus ſuccedit *ſemen* Selini fere.

In montoſis gramineis Vngariæ & Auſtriæ, Galliæ, & in rupe Sancti Vincentii *prope Briſtoliam, ſponte provenit.*

16. Saxifraga *montana minor Petroſelini vel Coriandri folio, Nobis. Daucus Petroſelini vel Coriandri folio, C. B. P. Bunium Dalechampii, J. B.* 29. Hujus *folia* inferiora latiuſcula ſunt, & *Coriandri* modo, in *Caulem* aſſurgentia, tenuia, & comata. *Caulis* procerus, minimi digiti craſſitudine. *Flores* Anethini feruntur, quibus *ſemina* parva, ſtriata ſuccedunt.

Locis ſaxoſis & aſperis gaudet, teſte Dal. *in Hiſt. Lugd.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine ſtriato minore, foliis Fœniculaceis.

CAPUT VIII.

SECTIONIS NONÆ.

Bulbocaſtanum.

BUlbocaſtanum βολβοκάστανον, *dicitur à radicis figura bulboſa, & ſapore Caſtaneas exprimente.*

1. Bulbocaſtanum *majus foliis Apii, C. B. P. Bulbocaſtanum grandius, Lugd. Joannes Bauhinus varietatem non agnoſcit.* In Horto ſicco, in *Bibliotheca Bodleiana* ſervato, olim collecto, exemplar eſt *Bulbocaſtani majoris*, cujus folia *Crithmi marini* ſunt diviſura, ampliora vero, & in longiora ſegmenta diviſa. *Caulis* & umbella plantam vulgari longe majorem demonſtrant. *D. Magnol.* utrumque in Horto plantavit, ad certitudinem probandam, an à ſolo & cœlo orta eſſet differentia, & ſpecierum diverſarum eſſe concludit.

2. Bulbocaſtanum *minus, C. B. P. Bulbocaſtanum, J. B. Nucula terreſtris ſeptentrionalium, Lob. Caulis* pedalis, gracilis, teres, à *radice* tuberoſa, *Juglandis* magnitudinis, aſſurgens, unicum vulgo duntaxat habet *folium* (antequam ſe dividit) quod tenue, molle, & ferulaceum eſt. *Flores* in umbellis naſcuntur albi; & *ſemina* tenuia, ſubfuſca, ſtriata, ſequuntur. *Radice* tuberoſa, *nodulis* quibuſdam extuberantibus, facile ab aliis Plantis *umbelliferis* dignoſcitur.

Solo arenoſo & glareoſo, locis montoſis, gaudet. Menſe Junio floret, & Julio exeunte aut Auguſto ſemen perficit.

Bulbocaſtani Vires.

Radix *moderate adſtringit, calidæ & ſiccæ eſt temperiei; dulcis & grata eſt, & cocta & cruda eſitatur, additis ſale & pipere. Eadem in cibo uſurpata, aut etiam medicamentis addita, urinam cruore mixtam ejicientibus ut & ſpuentibus auxiliatur; convenit etiam purulenta exſcreantibus,* Tralliano *teſte.*

PLANTÆ

PLANTA UMBELLIFERA

Semine ſtriato minore, foliis fœniculaceis.

CAPUT IX.

SECTIONIS NONÆ.

Gingidium ſive Viſnaga.

GIngidium (Γιγγίδιον, οἱ δὲ λεπίδιον, *inquit Dioſc.*) *à* γῆ *terra ſeu* γιγίδιον *agello, fundo exiguo; quod tam in terra culta quam inculta creſcat. Viſnaga & Biſnaga in Syria æque ac Hiſpania dicitur.*

Gingidium *umbella oblonga, C. B. P. Viſnaga Matthioli, J. B.* 31. *Cumini ſativi alterum genus, Cæſ.* Annua hæc planta ſeſquicubitalis eſt; *caule Anethi* glabro, geniculato. *Folia* ſunt *Anethi*, plura vero & habitiora, pallide viridia, graveolentia. Summi ramuli *umbellis* ornantur albis, cum *foliolis* ad radiorum exortum ſubjectis; quæ umbellæ primo planam conſtituunt ſuperficiem, maturæ & arefactæ concavæ apparent, aviculæ nidum æmulantes, cum *radiis* petioliſve rigidis & contractis. *Semen* eſt *Apii* ſimile exiguum & ſtriatum.

In agris incultis & inter ſegetes Hiſpaniæ, Galliæ Narbonenſis, Siciliæ, aliiſque calidioribus à ſemine deciduo ſponte oritur.

Hiſpani radiis vel petiolis umbellarum pro dentiſcalpiis utuntur. Et quidem cum ſint rigidi & nitidi huic uſui optime inſerviunt.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine ſtriato majore, foliis lobatis majoribus, ſeu per lobos nervo medio extremum claudenti adnexis.

Leviſticum, Silor montanum, Smyrnium, Imperatoria, Aſtrantia, & Angelica.

De Umbelliferis *deinceps agemus quæ lobatim, conjugatim, ſeu pinnatim folia ſua coſtæ mediæ ſeu rachi, nunc e regione, aliquando alternatim appoſita, & eidem adnaſcentia gerunt, uno ſemper extremum claudente; eæque ſunt duplices, vel majores, majoreque ſemine donatæ; vel minores, minoreque ſemine præditæ; de illis prius, de his poſterius.*

CAPUT X.

SECTIONIS NONÆ.

Leviſticum.

LEviſticum & *Liguſticum* Λιγυστικὸν *Dioſc. quod naſcitur plurimum in Liguria.*

Leviſticum *vulgare. An Libanotis fertilis Theophraſti, C. B. P?* 157. *Leviſticum vulgare foliis Apii, J. B.* 122. *Leviſticum vulgare, Ger. Park. Laſerpitium Germanicum vulgare, Matth. Dod.* E *radice* perenni, magna, craſſa, varie brachiata, germinationes atrorubentes vernali tempore apparent, & in *folia* pedalia & ampliora excreſcunt, longis pediculis erecta, in alis lobatim diviſa, earumque extremæ diviſiones ad folia *Apii paluſtris* aliquatenus accedunt, ſed longe majores & acutiores, marginibus dentatæ, obſcuro virore ſplendentes, *odore* valido & medicato. *Caules* ex eadem radice plures, digitali craſſitudine, ſtriati, cavi, geniculati, ad humanam altitudinem aſſurgunt, è geniculis in alios diviſi. *Rami umbellas* gerunt modice amplas, ex *floſculis* pallide ſeu ex viridi

viridi colore luteis compoſitas; quibus fatiſcentibus, binatim ſuccedunt *ſemina* longa, ſtriata, *Fœniculi* ſeminibus ſimilia, coloris fuſci, quaſi reſinaceum odorem redolentia.

In Hortis frequenter alitur. In Alpibus Liguriæ & Apenninis montibus naſci dicitur. Maio & Junio menſibus floret; Julio & Auguſto ſemen matureſcit.

Pariſienſium opera aliæ *Leviſtici* ſpecies detectæ ſunt, quæ nominatæ primo viſu dignoſcantur, nimirum
Leviſticum *Alpinum rotundioribus & brevioribus foliis.*
Leviſticum *Alpinum longioribus & nigrioribus foliis.*

Leviſtici Vires & uſus.

Leviſticum *dulci & aromatico odore ſe prodit. Alexipharmacum eſt in exſiccantium & excalefacientium cenſu; ad venena propulſanda non minus utile quam* Angelica. *Uſus ejus in ſpecie eſt carminativus, ad deſtruendum acidum, ſive* radix *uſurpetur ſive* ſemen. *Cliſmata propterea anticolica inde parantur. Quin & in ſuffocatione hyſterica & partu difficili magnopere commendatur.*

Radix *in pulverem redacta ſtomacho frigido utilis eſt; concoctionem adjuvat; omnes ſuperfluas humiditates conſumit; internos ſedat dolores, in vino pota, pondere dimidiæ drachmæ; venenum educit; urinam & menſes trahit & calculos expellit; & ad omnia ad quæ Angelica facit uſurpari poteſt.*

Aqua deſtillata *diſcutit, & anginam ſanat, & pleuritidem.*

In balneis ubi motui non eſt locus Leviſticum *utile eſt ad ciendam urinam, calculos ac menſes ducendos, nervos ad excalefacienda omnia interna membra.*

In ſecundinis retentis ſuccus foliorum aſſumptus optimi eſt uſus. Foreſtus.

Et inter obſtetrices tanquam arcanum inſignis uſus habetur.

Brevi, tenuium eſt partium: unde fit ut aperire, incidere, digerere, & provocare valenter poſſit.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine ſtriato majore lobatæ majores.

CAPUT XI.

SECTIONIS NONÆ.

Siler montanum.

Siler *à Sile dictum Seſelis (quod apud Antiquos audiit Sili & Seli) vicem olim præſtitit, utpote cujus vel radicibus vel ſemine vinum ante meridiem condiretur: Hinc ſilatum jentaculum.*

1. Siler *montanum, Trag. Lob. Dod. Cluſ. Siler mont. officinarum, Ger. Siler montanum vulgo Seſelios, Park. Liguſticum quod Seſeli officinarum, C. B. Seſeli ſive Siler montanum vulgare, J. B. Sermontanum, Cæſ. Radix* craſſa eſt, alba, & reſinacea, ſuperiore parte comata. *Folia* pediculis longis inſidentia, in alas oppoſitas diviſa ſunt, ſegmentis ternis vel trifoliatis terminatas. Alarum quælibet lævis, non dentata, obtuſa ovali fere figura, ſubglauco ex viridi colore donata eſt. *Caulis* aſſurgit *Leviſtici* ſimilis, *umbellas* albas ampliores geſtans, ex *floſculis* pentapetalis compoſitas. *Semen* oblongum, fulvum, ſtriatum, *Fœniculi* majus, ſapore gravi & ingrato, excalefaciente, ad Cuminum valde accedente.

In montoſis aſperis haud procul à Genua; *in rupibus ſub monte* Capouladou *prope* Monſpelium; *in monte* Thermis Badenſibus *imminente; & per totam* Auſtriam *ſponte creſcit. Floret menſe Junio, & ſemen perficit Julio & Auguſto.*

2. Siler *montanum anguſtifolium, Park. Liguſticum ſive Siler montanum anguſtifolium, C. B. P. & Prod.* Caule eſt tenui, cubitali, in alas brachiato, quæ *umbellam* albam parvam ſuſtinent; *foliis* paucis, in ſegmenta anguſta, oblonga, Peucedani inſtar, (ſed breviora) diviſis, quæ in alis fere capillacea ſunt.

Prope oppidum Stain Auſtriæ D. Burſerus *legit, C. B.*

3. Siler *montanum Aquilegiæ foliis, Nobis. Libanotis latifolia Aquilegiæ folio, C. B. P. & Prod. Liguſticum Rawolfii foliis Aquilegiæ, J. B.* 148. Hujus *folia* (quibus cognitu facile) ſunt craſſa, rigida, glabra, viridia, & ſplendentia deſuper, ſubtus candicantia aut cæſio colore obducta, atque inſtar Aquilegiæ foliorum dividuntur; inferiora in vegetiori planta plerumque quinos habent *lobos*, ex triplici pediculi diviſura, alias ternos tribus pediculis inſidentes. *Caulis* ei eſt unicus, cubitos binos, raro ternos ſuperans, in plura brachia diſtributus, *umbellam* magnam è longioribus radiis, & *floribus* albis parvis compoſitam ſuſtinens. *Semina* bina, ſtriata, longitudinem Hordei granorum æquantia, guſtu ſubamara, *Cumini* ſaporem imitantia, aromaticum quid aut *Ariſtolochiam* redolentia, profert, quæ ſi maſticentur modice excalefaciunt & ſalivam cient.

In Gargano *monte* Apuliæ *naſci dicitur. Junio menſe floret.*

4. Siler *montanum Hippoſelini foliis humilius, Nobis. Imperatoriæ affinis umbelliſera maritima Scotica, Sibbaldi. Siler maritimum Scoticum Imperatoriæ facie, Breyn. Prod. 2. Seſeli maritimum Scoticum, H. L. Bat. Flor.* Hæc planta aliis hujus familiæ multo minor & humilior *folia* è *radice* fibroſa, nigricante producit ſatis ampla, virentia pediculis palmaribus, & in ter ternos *lobos* unciales, in ambitu dentatos, petiolis binis cialibus diſtinctos (quibus ab Imperatoria dignoſcatur) diviſis inſidentia, *Apii hortenſis* ſapore, magiſque aromatico & fervido, ſaliyam potenter ciente. *Caulis* ſe erigit ſtriatus, pedalem altitudinem raro ſuperans, &

& in brachia parva diviſus; ad quorum cujuſlibet appoſitionem *folium* conſimile enaſcitur; quæ & in ſummitatibus *umbellas* albas ſuſtinent. Delapſis umbellis ſuccedunt *ſemina* longa, ſtriata, fuſca, hujus familiæ ſimilia. Folia in Autumno pereunt, & vernali tempore ex eadem radice reſurgunt.

In montoſis Scotiæ *haud procul à mari reperitur. In hortos tranſlatum ſatis copioſe luxuriat.*

Sileris montani Vires.

Semen vim habet excalefactoriam & reſiccantem; urinas & menſes potum ducit; inteſtinorum dolores ex cruditate ortos ſummovet; concoctionem promovet; flatus diſcutit. Denique iiſdem pollet viribus quibus & Seſeli.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine ſtriato majore, foliis lobatis majoribus.

CAPUT XII.

SECTIONIS NONÆ.

Smyrnium ſeu Hippoſelinum.

SMyrnium Σμύρνιον *à Smyrna urbe ubi copioſe creſcit, ut quidam volunt; alii quod Myrrhæ odorem referat. Hippoſelinum, quaſi Apium grande.*

1. Hippoſelinum *ſive Smyrnium vulgare, Park. Hippoſelinum Theophraſti vel Smyrnium Dioſc. C. B. P. Smyrnium ſemine magno nigro, ſeu Macerone, J. B.* 126. *Olus atrum, Cord. Smyrnium, Matth. Lugd.* *Radici* innititur pollicari, rectæ, foris nigreſcenti, intus albæ, odoratæ, acri, cum quadam amaritudine. *Caules* producit farctos, pluſquam cubitales. *Folia Apii paluſtris* foliis ampliora, virentia, ſupra terram ſub exortum ſparſa, tripartita, pediculis ſeu petiolis ſuis innaſcuntur, antequam cauleſcere incipiat planta ipſa. *Flores* caulium ſummis faſtigiis, ex petalis quinque ex viridi colore luteolis conflati inſiſtunt. *Semina* craſſa, nigra, ſtriata, ſeu anguloſa, ſolida, majora, binatim ſibi invicem adhærent, parte qua junguntur curva, altera convexa. Atque his matureſcentibus radix perit. Flores uſque ad ſecundum annum à ſeminibus ſatis non producuntur.

In montoſis & rupibus maritimis variis Britanniæ *ſponte naſcitur. In hortis culinariis vulgo alitur. Menſibus Aprili & Maio floret; Junio & Julio ſemen ei matureſcit, & à ſatione ſpontanea frequenter renovatur.*

2. Smyrnium *Creticum perfoliatum, J. B.* 125. *Smyrnium peregrinum folio rotundo, C. B. P. Petroſelinum Cilicium, Tab.* Quædam in hac planta præ aliis notabilia ſunt. *Radix* præcedentis ſpeciei radice brevior, & Napi in modum rotundior eſt. *Folia* prima, terræ incumbentia, Apii hortenſis ritu, plurifariam ſunt diviſa, atrovirentia; ſuccedentia latiora fiunt, in ambitu dentata. *Caulis* aſſurgit ſeſquipedalis, cujus pars ſuperior compreſſus, & quaſi lineis membranaceis alatus videtur, ubi ad alas folia integra ſubrotunda, & ſubflaveſcentia caulem amplectuntur, ut quaſi caule ipſo perforata videantur. *Umbellæ* tenues ſunt luteolæ. *Semina* turgida, nigra ſunt, & ſtriata.

Biennalis aut trima eſt hæc planta. Inſulæ Cretenſis necnon Siciliæ alumna eſt.

Smyrnii Vires & Uſus.

Tota planta naturam habet calidam & acrem; urinam, renum calculum, menſes, emortuos fœtus, ſecundinas trahit.

Mitigat iſchiadicos ac frigidos dolores; ſudorem elicit; hydropiſin educit, & emortuam genituram reſuſcitat. Aqua deſtillata eaſdem facultates obtinet, & gratiore eſt uſu. Omnes tumores & collectiones ac duritiæ poſſunt hac radice aut ſucco ejus incidi, deprimi, & ſanari.

In cibum venit tempore vernali; egerminationes cauleſque ſub terra dealbati cocti, cum butyro & pipere ad menſas allati, tanquam ſaluberrimi ad ſanguinem depurgandum habentur.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Lobatæ majores ſemine ſtriato majore.

CAPUT XIII.

Imperatoria.

IMperatoria *raras quaſdam & præſtantes obtinet vires. Hinc nomen ei ab* Auguſto Cæſ. *Imperatoria inditum.*

1. Imperatoria *ſeu Aſtrantia vulgaris, Park. Imperatoria major, C. B. P. Imperatoria, J. B. Magiſtrantia, Cam. Obſtruthium, Dod. Gall. Lon.* Ad *Angelicam* multis accedit *Imperatoria*, abunde tamen propriis ſibi notis diſtinguitur. *Radices* rugoſæ ſunt & nodoſæ, quaſi geniculatæ, lateralibus fibris ſtolonibuſve repentibus ſe propagantes, unde *folia* terna ut plurimum aut ter terna, juncta, rugoſa, atroviridia, palmum fere lata, pediculis caulibuſve pedalibus, gracilibus, teretibus inſident, qui nec cavitatem nec ramoſitatem *Angelicæ* obtinent. *Caulis* aſſurgit bipedalis umbellam latam, albam geſtans. *Semen* eſt ſtriatum, latum, fere rotundum, medio turgidiuſculum, frequenter aceroſum & non bene nutritum; quod ſæpe in plantis plurimis radicibus repenti facultate præditis obſervatur. Tota planta, præſertim radix, guſtus eſt fervidiſſimi.

In montibus Italiæ, Galliæ, Germaniæ, & præſertim Auſtriacæ Provinciæ ſponte provenit.

2. Imperatoria *Alpina maxima latiſſimo folio, Schol. Bot. Par.* Ad vulgarem antedictam accedit, magnitudine præſertim dignoſcitur, qua hæc illam longe ſuperat.

3. Imperatoria *Alpina rotundifolia, Schol. Bot. Par.* Hæc facie vulgari quoque convenit, major tamen evadit, *foliis* latis, pene rotundis, in acutiores mucrones terminatis.

Duæ hæ ſpecies, à Pariſienſibus *detectæ, in collectione præclara* D. D. Sherard *obſervatæ ſunt.*

4. Imperatoria *Alpina anguſtifolia. Imperatoria Alpina, J. B. Cam.* Minor quam vulgaris eſt omnibus ſuis partibus; nam & anguſtiora *folia* & *pedicellos* tenuiores profert, ex *radice* non abſimili & æquali, guſtu acriori & magis urenti. An non hæc Imperatoria dicta ad *Aſtrantiam* attineat dubitamus; florem ſi cui videre dabitur, hic ſcrupulum eximere potuerit.

Imperatoriæ Vires & Uſus.

Radix *guſtu eſt acri; mordax, ſubamara, & odorata eſt; excalefacientis & exſiccantis facultatis eſt. Attenuat; digerit; ſudores movet; craſſos frigidoſque humores concoquit. Humor in ea excalefaciens, cæterarum* umbelliferarum (*Pyrethro unice excepto*) *humori præcellit, unde à quibuſdam inepte* Pyrethrum Hiſpanicum *appellatur; ob iſtam autem facultatem colicæ cruciatibus ac ventriculi torminibus ſubmovendis maxime utilis eſt.* Uteri *ſtrangulationibus aperiendis prodeſt; urinam & menſes ciet; concoctionem roborat; commanducata eſt veluti præſtantiſſimus apophlegmatiſmus, ut quæ efficaciter cerebri pituitam expurget; unde & odontalgiam ejuſque dolores in ore detenta ſedat; frigidis omnibus occurrit morbis; reſolutis comitialibus, convulſis, paralyſi & apoplexia laborantibus, auxilio eſt.*

Pulveris cochleare dimidium cum mero ſumptum in quaterna ſananda eximii uſus eſt, ſi hora una antequam paroxyſmus occæperit adhibeatur.

Oris halitum commendat, & omnes corroborat ſenſus; morbis venenoſis fere omnibus adverſatur; aſthmaticis & anhelos adjuvat; obſtructiones aperit; aqua intercute laborantes ſanat; hypochondriorum vitiis amovendis eſt utilis; & omnia quæ Angelica, & majori efficacia, poteſt præſtare.

Denique excalefacit omnes corporis partes, quas frigus occuparit, ut hinc palam fiat herbam hanc non immerito ſibi Imperatoriæ *nomen aſciviſſe, cum tot tantiſque viribus polleat, auctore* Matthiolo.

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Lobatæ majores ſemine ſtriato majore.

CAPUT XIV.

SECTIONIS NONÆ.

Aſtrantia.

ASTrantia *eſt umbelliſera proprie dicta, umbellulis parvis foliolis quaſi pro perianthio ſubjectis donatis, ſemine ſtriato majore, prædita.*

1. Aſtrantia *nigra major, Nobis. Aſtrantia nigra, Lob. Helleborus niger ſaniculæ folio major, C. B. P. Sanicula ſemina quibuſdam, aliis Elleborus niger, J. B. 638. Imperatoria nigra, Tab. Veratrum nigrum Dioſc. Dod. Eyſt. Oſtertitium montanum, Trag. Radix* ex nigris fibris compoſita (unde nigra à pluribus dicitur) *folia* plurima emittit palmaria, *Pentaphylli* aut *Saniculæ* in modum in 5. lobos parteſve in fundo junctas diviſa, atrovirentia, textura & vultu *Imperatoriæ vulgaris*, in ambitu dentata, pediculis longis ad eundem modum inſidentia. Ex horum medietate *caules* teretes, graciles, cubitales oriuntur, in alas interdum ſeſe dividentes; quarum ſummitates *umbellis* parvis, rotundis ornantur, iiſque *floribus* pentapetalis, colore ex albo virente tantilla purpura permixto donatis; cum foliolis concoloribus 10. 12. pluribuſve, oblongis, acutis, ad originem umbellulæ ſubjectis, quæ ipſius longitudini adæquantur. Floribus ſuccedunt *ſemina* longiuſcula, ſtriata, binatim juncta, ut in cæteris.

Planta hæc vivax in Alpibus, & in montoſis haud procul à Geneva, *aliiſque ſponte naſcitur.*

2. Aſtrantia *nigra minor, Nobis. Elleborus niger ſaniculæ folio minor, C. B. P. & Prod.* 97. Antecedenti convenit. Minor eſt planta, *foliis* pentaphyllis, ut plurimum ſimul junctis, minoribus vero & anguſtioribus, quibus præſertim dignoſcitur. *Flores* & *ſemina* conſimilia profert; & iiſdem locis reperitur.

3. Aſtrantia *nigra minima, Nobis. Helleborus minimus Alpinus aſtrantiæ flore, Boccon.* Præcedenti ſimilis eſthæc, niſi quod *folia* in quinque partes longiores & anguſtiores, ad centrum ſive exortum uſque diviſa ſint. Et *radicibus* & *floribus* prioribus congruit.

In vertice Paniæ *montis in* Hetruria *Cl.* Boccon. *detexit.*

4. Aſtrantia *Africana Laſerpitii foliis latioribus rigidis & ſpinoſis, Nobis. Imperatoria ranunculoides Africana enneaphyllos, Laſerpitii lobatis foliis rigidis margine ſpinoſis, D. Pl. Phyt. T.* 95. *Ranunculus perelegans D. Franqueville, foliis aculeatis, Lob. Illuſt. p.* 135. *Sphondylii ſive Panacis rigido hirtoque folio, Planta Africana cauſtica, Par. Bat. Prod. Umbellifera urens vulgo.* Plantæ huic rariori *folia* ſunt ampla, lobata, glabra, plurima, *Angelicæ* in modum naſcentia, pediculis longis innixa, in varios lobos brachiata, (qui nunc binatim, nunc ternatim naſcuntur) uncialis latitudinis, primum oblongos, deinde obtuſos, rigidos, in margine dentatos, *guſtu* acri, ferventi & cauſtico. Horum autem denticulatio quælibet in acutum aculeum terminatur. Huc uſque productam hanc plantam in *Horto Regio Hamptonienſi* obſervavi, *flores* tamen videre non licuit. Sed cum foliola ad exortum umbellulæ adnaſcentia, ad eundem modum quo & *Aſtrantiæ* prædictæ, proferre mihi ſignificatum eſt, monente tum Philalethe teſte oculato, tum *Lobelio* (qui umbellas parvas, foliolis duodecim, & *floribus* ex albo colore ſubviridibus, onuſtas, *Aſtrantiæ nigræ* inſtar radiatim producere aſſerit) hanc ei ſedem aſſignandam eſſe judicavimus.

Huc forte *Eryngium* non inepte reduci queat, utpote cujus capiti *foliola* quoque ſint ſubjecta, *binaque* ſemina lata, ſtriata, compreſſa, poſt ſingulum florem evanidum, ſimul juncta, ad modum aliarum *Umbelliferarum* inhæreant. *Vid. Eryngii characterem cap.* 39. *Sectionis ſeptimæ.*

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Lobatæ majores ſemine ſtriato majore, & quædam minore.

CAPUT XV.

Angelica.

ANgelica *ob angelicas vires adverſus venena & graviſſimos morbos nuncupatur.*

Angelica eſt Planta Umbellifera, foliis latioribus lobatis, ſerratis, & acutis, grati & medicati odoris; cujus ſpeciei quædam ſunt ſemine ſtriato, majore & breviore, aliæ ſemine ſtriato minore, quæ etiam foliis conſimilibus præditæ ſunt.

TABULA V. SECT. IX.

Angelica ſemine ſtriato

majore
1. *Sativa, C. B. P. J. B. Major, Dod. Odorata, Geſn.* ♃.
2. *Sylveſtris major, C. B. P. Sylveſtris magna vulgatior, J. B.* ♃.
3. *Sylveſtris Danica major.* ♃. *An Angelica Scandiaca?*
4. *Alpina ſemine Fœniculi, Nobis. Liguſticum quorundam foliis Angelicæ, J. B.*
5. *Sylveſtris montana, C. B. P. Archangelica, Cluſ. Pan. J. B.* 143. ♃.
6. *Sive Archangelica multiplicata latiore umbella, Lob. Illuſt. Stirp.* ♃.
7. *Montana maxima floſculis candicantibus, ad caulium nodos umbellifera, D. Pluk. Phyt.* ♃.
8. *Lucida Canadenſis, Cornuti,* ♃,

minore
9. *Canadenſis tenuifolia caulibus purpuraſcent. Schol. Bot. Par.* ☉.
10. *Sylveſtris Alpina Podagrariæ folio, Schol. Bot. Par.* ♃.
11. *Sylveſtris repens, J. B. Minor ſive erratica, C. B. P. Herba Girardi, Dod. Podagraria, Adv. Lob.* ☉.
12. *Sylveſtris hirſuta inodora, J. B. Podagraria hirſuta, Park.* ☉.
13. *Acadienſis flore luteo, Hort. Reg. Par.* ☉.
14. *Sicula acutis foliis major, Nobis. Daucus Siculus Paſtinaca folio, Zanon.* ☉.

1. Angelica *ſativa, C. B. P. J. B. Ger. Park. Angelica major, Dod. Angelica odorata, Geſn.* Angelica hæc præſtantiſſima *folia* habet magna, lobata, ſub exortum ter tripartita, nunc plus nunc minus diviſa, & ramuſculis annexa, uno ſemper extremitatem claudente. Si pediculi (qui in hac maximi & concavi ſunt) aut folia rumpantur, gratum naribus ſuffundunt odorem, ſucco quodam croceo emanante. *Caulis* aſſurgit brachialis, geniculatus, humanam altitudinem acquirens, in brachia diviſus, *umbellas* amplas, ſphæricas pallide luteas, gerentia, quæ in *ſemina* præcedentium *Umbelliferarum* ſeminibus breviora, lata, margine quaſi membranacea, ſtriis & ſulcis altioribus in medio donata abeunt. His autem decidentibus, *radix* perit; & à ſemine ſato, (quod ante hyemem, ut in pleriſque aliis *umbelliferis*, perfici debet) non ante ſecundum vel tertium annum *caules* vel *ſemina* profert.

Hæc Angelica ſativa dicta, quia in hortis plurimis ob uſum ſervatur, in Scandinavia, Norvegia, *& Alpibus excelſis, perpetua nive tectis, ſponte oritur. Præcox eſt planta menſibus Aprili & Maio florens, Junio & Julio ſemen perficiens.*

2. Angelica *ſylveſtris major, C. B. P. Sylveſtris magna vulgatior, J. B. Sylveſtris, Matth. Dod.* *Foliis* quoad formam antecedenti convenit, viridiora tamen & acutiora cernuntur; *odore* etiam & *ſapore* multum cedunt. *Caulis* conſimilis proceritatis attollitur, qui *umbellas* ex purpureis albas, planas profert, cum tamen in *ſativa* rotundæ ſint & ad luteum colorem tendant. *Semina* ſunt lata, ſtriata, brevia, & pene rotunda, præcedentis ſeminibus minora.

Locis uliginoſis, ſylvis udis, & fluviorum ripis gaudet. Planta huic reſpondens, ſed major, lobis acutis, non adeo alte dentatis nomine *Angelicæ Pyrenaicæ maximæ* in collectione ampliſſima *D. D. Sherardi* obſervata eſt.

3. Angelica *ſylveſtris major Danica.* Hæc in *Horto Chelſeiano* obſervata, vultu ſylveſtris prædita eſt; *folia* vero ſylveſtris latiora, ipſius quoque ſativæ foliis profundius ſunt dentata ſeu inciſa. *Flores* videre non licuit. Ad ſylveſtrem quidem attinere ſuſpicamur.

An Angelica Scandiaca ſive Archangelica, Tab?

4. Angelica *Alpina ſemine Fœniculi. Liguſticum quorundam foliis Angelicæ, J. B.* 147. *Liguſticum alterum, Matthioli. Liguſticum, quod in Alpibus Liguriæ vulgo Imperatoria vocatur, Cæſ.* 306. *Folia* à radice, rotundo pediculo, & fere lignoſo, ac tripartito prædita gerit, figura *herbæ Sanctæ Mariæ*, ſeu *Balſamitæ majoris*, ſed magis in acutum deſinentia, magiſque ſerrata, terna in ſingulis pediculi ramulis, odorata, prædura; *caulem* cubitalem, altioremque, paucis *foliis*; *ſemina* in umbellis figura & magnitudine *Fœniculi*, nigra, odorata, & acria.

acria. *Radix* candida eſt, pollicis craſſitudine, in duas aut tres prælongas apophyſes deſinens, odore jucundo, ſapore acri.

Oritur in Alpibus prope rivulos.

5. Angelica *Sylveſtris montana, C. B. P. Archangelica, Cluſ. Pan. J. B. Lob.* Foliorum amplitudine & ſingularium frequenti numero *ſativam* ſuperat, *lobi* tamen hujus obtuſiores & viridiores ſunt quam illius. *Caules* ut plurimum ex fulvo colore purpuraſcunt, & recti aſſurgentes frequenter altius aſcendunt, *umbellaſque* plurimas, planas, ex viridibus luteas, brevioribus pediculis ramuſculiſve inſidentes gerunt. *Semen ſativæ* feminis magnitudinem vix attingit; & ſylveſtris ſemen huic cedit. Hoc autem matureſcente *radix* perit, ut in aliis hujus familiæ videre eſt.

In Alpinis aliiſque montibus reperitur; quam diſtinctam eſſe ſpeciem peritiores judicant, quanquam nonnulli contrarium ſentiunt. Planta in Horto culta evicerit quam potius ſententiam amplecti oporteat.

6. In *Lobelii Illuſtrationibus p.* 744. memorata eſt *Archangelica multiplicata latiore umbella*, quæ in Horto ditiſſimo *D. à Reynoutre Flandrici* umbellam oſtentavit duplicem, & multiplicem, & ſemen *Cicutariæ fœtidæ latifoliæ*; quæ quidem an à præcedenti differat necne nobis non eſt compertum.

7. Angelica *montana maxima floſculis candicantibus ad caulium nodos umbellifera, D. Pluk. Phyt. T.* 134. Angelicæ montanæ jam ante explicatæ ſimilis eſt hæc, niſi quod *folia* latiuſcula magis ſint acuminata, floreſque magis candicantes. *Umbella* alia ex alia enaſcitur, uti ſæpenumero videre licet. Natale ſolum nondum comperimus.

8. Angelica *lucida Canadenſis, Cornuti. Pinax alterum Americanum ſplendenti folio, laſerpitium creditum quibuſdam, Park.* Hujus *folia* lata ſunt lobata, atrovirentia, lucida, quaſi oleo aut liquore quodam viſcoſo obducta forent ſplendentia. *Caulis* vix cubitum implens, erectam latam planam ſuſtinet *umbellam* ſeminibus vulgaris ſativæ craſſioribus, latis, ſtriatis, & luteolis præditam. Atque his facile dignoſcitur.

§. 4. *Sequuntur Plantæ Umbelliferæ lobatæ majores ſeminibus ſtriatis minoribus. Angelicæ quædam ſpecies.*

9. Angelica *Virginiana foliis acutioribus, ſemine ſtriato minore, Cumini ſapore & odore, Nobis. Angelica Charibbearum Inſularum. Olus atrifolia flore albo, ſeminibus ſtriatis Cumini odore & ſapore, D. Pluk. Phyt. T.* 76. Procerus huic attollitur *caulis*, *umbellas* albas, planas, ſuſtinens. *Folia* pro more aliarum plurifariam ſunt diviſa lobis quam in cæteris anguſtioribus, & acutioribus, dentatis, inſidentibus pediculis caulibuſve ex fuſco colore purpuraſcentibus. *Semina* parva, brevia, turgidula, ſtriata, abſque aliqua materia membranacea, odore ferme & ſapore *Cumini* ſativi ſemen referentia *floribus* albis ſuccedunt. *Radix* ſtolonibus ſuis lateraliter ſe propagat.

Forte Angelica Canadenſis tenuifolia caulibus purpuraſcentibus, Schol. Bot. Par. & Canadenſis atropurpurea, Cornuti.

Natale ſolum in titulo memoratur.

10. Angelica *ſylveſtris Alpina Podograriæ folio, Schol. Bot. Par.* Hujus *folia* Angelicæ diviſura, in ambitu elegantius ſunt ſerrata, latiuſcula, præcedentis foliis ampliora. *Caulis* frequenter purpuraſcit.

11. Angelica *Sylveſtris repens, J. B.* 145. *Minor ſive erratica, C. B. P. Herba Gerardi, Dod. Ger. Podagraria, Adv. Lob. Park. Radix* hinc inde plurimum vagatur, & repente ſua facultate longe lateque ſe propagat, unde *Peſtis hortorum* à *Camerario* appellatur. Exinde *folia* pallide viridia, triplici diviſura donata, foliis *Angelicæ* ſimilia, minutim ſerrata, pediculis triangularibus, gracilibus, innitentia, producit. *Caulis* tenuis, ſtriatus, bipedalis, *umbellas* albas, planas ſuſtinet; quibus fatiſcentibus *ſemina* longa tenuia, nigricantia, & ſtriata, ſuccedunt. Hæc autem præ facultate repente raro admodum conſpiciuntur.

Ad ſepes & in montium lateribus & pomariis frequens occurrit.

12. Angelica *ſylveſtris hirſuta inodora, C. B. P. J. B. Podagraria hirſuta, Park.* *Caulem* habet cubitalem, è *radice* craſſa & fibroſa, rediviva aſſurgentem, inferna parte pauciſſimis pilis cinctum, nigrum; *folia Podagrariæ*, in alas modo binas, modo ternas, diviſa, in ambitu profunde inciſa, atrovirentia, hirſuta; *umbellam* albam, cui *ſemen* oblongum nigricans ſuccedit.

Ex Luſatia D. Francus *ad* Jo. Bauhinum *tranſmiſit.*

13. Angelica *humilior & minor flore luteo, Nobis. Angelica Acadienſis flore luteo, Hort. Reg. Par. Dodart. Mem.* 55. *Schol. Bot. Par.* In horto Hanc plantam aluimus. Humilis eſt, cubitalem aut bipedalem altitudinem raro ſuperans. *Folia Podagrariæ* ſimillima ſunt foliis, trifariam diviſa, acuta, in ambitu æqualiter & non alte ſerrata. *Umbellæ* planæ, ex *floſculis* pentapetalis aureis, ſeu omnino luteis conflatæ ſunt, & *ſemina* parva, oblonga, ſtriata, ad Podagrariæ proxime accedentia ſuccedunt.

Ex Horto Pariſienſi D. D. Sherard *nobis acquiſivit.*

14. Angelica *Sicula acutis foliis major, Nobis. Daucus Siculus Paſtinacæ folio, Zanon.* Huic *radix* ſemipedalis alba, acris & aromatica, guſtui non ingrata; unde *folia* plurima è rotunditate triangularia *pediculis* innixa, modo ſimpliciter lobata, modoque plurifariam, pinnis viridibus, inferne albicantibus glabris, craſſiuſculis, per ambitum dentata, diviſa. *Caulis* cubitum altus, teres, ſolidus, à nodo ad nodum huc illuc undatim flexuoſus, non fragilis, medulla argentea repletus. Summos caules & ramulos terminant *umbellæ* aureæ, vividæ, florum & ſtaminum. Flores delapſi *ſemina* relinquunt oblonga, octangula, lævia, colore ſtramineo obſcuro.

Hujus ſemina à D. P. Boccone Panormitano *è* Sicilia *tranſmiſſa ſunt.* Et quia (foliorum & forma & ſapore congruentibus) ad *Angelicarum* ſemina proxime accedant, proinde hanc plantam hujus ſeriei eſſe voluimus.

Angelicæ Temperamentum & Vires.

Angelica *temperamento calido & ſicco eſt, ſale volatili & oleoſo abundans, ſaporis blandi, aromatici & odoris grati.* Radices, folia, & ſemina *in uſum veniunt, & inter alexipharmaca & cordialia gratiſſima cenſentur.*

In affectibus mulierum hyſtericis, ut & menſtruis tam ſuppreſſis reſtituendis, quam nimiis ſiſtendis, commendatur. Remedium optimum eſt ad partum promovendum & dolores poſt partum leniendos. Reſiſtit colicæ & aliis affectibus flatulentis. Omnibus internis paſſionibus prodeſt aqua deſtillata, & radix *in pulverem redacta, nempe pleuritico morbo incipienti; nam collectiones ejuſmodi diſcutit, & pulmonis vitiis corrigendis, unde tuſſes plerumque graviſſimæ oriuntur, utilis eſt: torminibus, ſtillicidio urinæ, & ſtranguriæ, menſibus & fœtibus movendis & trahendis, internis denique quibuſvis tumoribus & flatibus diſcutiendis idonea eſt.*

Aqua deſtillata *podagricis, Iſchiadicis illitu prodeſt; dolorem enim ſedat, & collectos ac lentos humores diſſolvit.*

Radices Angelicæ aceto maceratæ ad aeris putridi & peſtilentialis intemperiem corrigendam vim habent inſignem, præcipue ſi camphora in maceratione acceſſerit,

Herba ipſa *in vino & aqua cocta concretum ſanguinem reſolvit; ſtomachum corroborat, cor recreat, pituitam ventriculi dejicit, faſtidia ciborum diſcutit, & elangueſcentem invitat appetentiam.*

Radix *percoraria nuncupatur, difficili reſpirationi medetur; cor confortat, ex frigida cauſa laborans, maximeque conducit in vertigine & animi deliquiis quoviſmodo uſurpata.*

Caules & *radices teneræ coctæ, cum ſaccharo paratæ, & conditæ & incruſtatæ, hiſce uſibus bene inſerviunt.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ.

Lobatæ minores ſemine ſtriato minore.

Sium, Siſon, Siſarum, Pimpinella ſaxifraga.

Harum folia a rachi ſeu nervo medio ſimpliciter ſunt lobata, & non ad inſtar plantarum hactenus explicatarum in ramuſculos brachiata.

CAPUT XVI.

Sium ſeu *Paſtinaca aquatica.*

Siſon *ſeu* Amomum Germanicum, & Siſarum

Σιον *Dioſc. l. 2. c. 154.* ἀπὸ τῦ σείεν, *quod in fluentis vacillans ab aquis præterlabentibus ſuccutiatur: vel potius ab excutiendis calculis, auctore* Plinio, *denominationem ſortitur.*

Sium eſt planta umbellifera ſimpliciter lobata, ſemine ſtriato minore, radice fibroſa, guſtu & odore ſuavi, Paſtinacæ guſtum odoremque æmulante.

TABULA VI. SECT. IX.

Sium
- *aquaticum*
  1. *Majus latifolium, Ger. Sium latifolium, C. B. P. Maximum latifolium. J. B.* ☉.
  2. *Humilius erectum foliis profundius ſerratis, Nobis. Sium minus alterum, Park. An Medium, J. B.?* ☉.
  3. *Procumbens ad alas floridum, Nobis. Sium umbellatum repens, Ger. emac.* ☉.
  4. *Foliis multifidis longis ſerratis, Nobis. Sium alterum Oluſatri facie, Lob. Ger. Cicuta aquatica Geſneri, J. B.* ♃.
  5. *Minimum foliis imis ferulaceis, Nobis. Sium minimum foliis ferulaceis, Hort. Reg. Bleſ.* ☉.
- 6. *Terreſtre umbellis rarioribus, Nobis. Selinum ſii foliis, Ger. Selinum ſegetale, Park.* ♃.
- 7. *Siſon Dioſc. quod Amomum officinis noſtris, C. B. P.*
- 8. *Siſarum, Ger. Trag. Lob. Germanicum, C. B. P.*
- 9. *Mexicanum, Recchi,* 187.

1. Sium *majus latifolium, Ger. Sium latifolium, C. B. P. Sium maximum latifolium, J. B.* 175. *Sium Dioſc. ſive Paſtinaca aquatica major, Park.* 1240. *Radix* in fimo naſcens, è geniculis fibrata eſt. *Caulis* craſſus, ſtriatus & ſulcatus, concavus, geniculatus, humanam proceritatem erecte implet in ramulos quoſdam diviſus. *Folia* cubitum longa è radice & geniculis naſcentia, à nervo medio utrinque ſunt alata, pinnis longis & Paſtinacæ

ſtinacæ ſativæ in modum ſatis latis, margine dentatis donata. *Umbellæ* amplæ, planæ, albæ ſunt; quibus evanidis, *ſemina* longiuſcula ſtriata, haud magna ſuccedunt.

Ad fluviorum margines, & aquis ſtagnantibus menſe Junio florens invenitur.

Tempore vernali ſub aquis fluitantia quædam hujuſce plantæ *folia* reperiuntur quæ *Cicutariæ* tenuitate comata ſunt, à foliis poſtea naſcentibus longe diverſa.

2. Sium *erectum humilius & ramoſius foliis profundius ſerratis, Nobis. Sium minus alterum, Park.* 1240. *An ſium medium, J. B.* 174? Cubitalem aut ſeſquicubitalem altitudinem aſſequitur caulis geniculatus, in plures ramulos brachiatus; ad cujus genicula *folia* vix palmum longa, alata, profunde dentata, & pene laciniata, prodeunt. E ramulorum *alis* oriuntur *cauliculi*, qui in *umbellas* albas minores definunt. *Umbellæ* autem in *ſemina* parva, ſtriata tranſmutantur.

Ad fluviorum margines & pratorum foſſas reperitur, ſed non ita frequens.

3. Sium *aquaticum procumbens ad alas floridum, Nobis. Sium umbellatum repens, Ger. emac.* Hujus *caules* calami ſcriptorii craſſitudine aut ampliores, ramoſi, geniculis crebris intercepti, humum petunt, & ſe non ſuſtinentes, reptanti facultate è geniculis fibras agunt. *Folia* prima è geniculis inferioribus naſcentia, palmum longa aut dodrantalia ſunt, *lobis* uncialibus & latiuſculis, in ambitu ſerratis, donata; reliqua cauliculis appoſita breviora ſunt. Ex horum autem alis, & non è caulium ſummitatibus, ut in aliis, proveniunt *umbellæ* albæ, ſeſſiles, vel pediculis perbrevibus inſidentes. *Semina*, ut in cæteris, parva ſunt & ſtriata. *Guſtus* qualis Paſtinacæ ſuavis eſt.

In rivulis, foſſis, & aquoſis, quibus Naſturtium aquaticum gaudet, pro quo fere ab imperitis legitur, per totam Angliam *frequens occurrit.*

4. Sium *aquaticum foliis multifidis longis ſerratis, Nobis. Sium alterum Oluſatri facie, Lob. Ger. Sium majus alterum anguſtifolium, Park.* 1241. *Cicuta aquatica Geſneri, J. B.* 175. *Foliis* præſertim dignoſcitur ut quæ caulibus pollicaris aut digitalis craſſitiei, cubitum longis, nervi medii vicem præſtantibus, adhæreant, & quæ loborum loco è regione proveniunt, in ſeptem, novem vel plures partes anguſtas, longas, diviſa, & dentata ſint. Medius *caulis* bipedalis, *umbellas* albas gerit; quibus fatiſcentibus *ſemina* ſuccedunt parva & ſtriata, ut in cæteris. Poſt horum autem maturitatem *radix* perit. *Angelica aquatica anguſtifolia Pyrenaica foliis Cannabinæ Creticæ, C. B. P. eadem eſſe videtur,* D. D. Sherardo *monente.*

In aquis ſtagnatis & circa paludes, & non in rivulis (uti alia) oritur.

5. Sium *minimum foliis imis ferulaceis, Nobis. Sium minimum foliis ferulaceis, Hort. Reg. Bleſ. Cauliculi* huic ſunt procumbentes, reptantes, palmares & dodrantales, è geniculis fibras emittentes, è quorum partibus inferioribus proveniunt *folia*, alia quidem parva, uncialia, ferulacea tenuitate diviſa alternatim, cauliculis adhærentia; alia vero parva & *lobata*, pinnulis latiuſculis exiguis tamen è regione rachi adnexis inſignia. Ex horum porro alis *umbellulæ* ex duobus, tribus, & rarius quatuor radiis compoſitæ, *floſculis* albis donatæ, petiolis uncialibus inſidentes, naſcuntur, altitudinem binarum unciarum non ſuperantes. *Semina* ſunt ſtriata, pro plantulæ modulo ſatis magna.

Locis ſqualidis, quibus aquæ per hyemem ſtagnarunt, foſſis, & paluſtribus variis in plagis reperitur.

6. Sium *terreſtre umbellis rarioribus, Nobis. Selinum ſii foliis, Ger. Selinum ſegetale, Park.* Annua hæc planta *folia* habet primo per terram ſtrata, ex pluribus pinnarum breviorum conjugationibus compoſita, coloris atrovirentis, & glabra, eleganter in ambitu ſerrata. *Caules* è centro aſſurgunt bipedales, quidam erecti, quidem reclinati, in plures graciles ramuſculos brachiati, ad quorum ſingula genicula *folia* apponuntur minora, *Pimpinellæ vulgaris* foliis pene ſimilia. Summi *cauliculi* plurimum ſparſi & tenues *umbellas* ſuſtinent tenuiſſimas, ex *floſculis* minimis albis, compoſitas; quibus marceſcentibus, ſemina ſequuntur exigua ſtriata. Atque his deciduis planta quotannis renovatur.

Ad agrorum margines; inter ſegetes & ad ſepes, ſolo præſertim luteſo naſcitur. Folia *per totam hyemem vigent. Junio & Julio menſibus floret; Auguſto & Septembri* ſemen *perficit.*

7. Siſon Σίσων *Dioſc. Siſon quod Amomum officinis noſtris, C. B. P. J. B.* 107. *Amomum Germanicum, Trag. Petroſelinum Macedonicum, Fuchſii. Folia* tempore vernali terræ incumbentia, palmaris longitudinis, alata ſunt pinnis ſeptem vel novem, ex oblonga figura obtuſis, dentatis, & modo laciniatis, conjugatim poſitis, pallide virentibus, una extremitatem claudente, notata. *Caulis* è medietate aſſurgit erectus, teres, geniculatus, bipedalis & tripedalis, ad cujus ſingula genicula *folia* naſcuntur conſimilia. E geniculis inferioribus raro, ſed ſuperioribus plerumque, in ramuſculos plures ſe dividit, ubi *foliola* multum tenniora profert. Caulium ſummitates erectæ, *umbellis* parvis candidis ornatæ, in *ſemina* exigua, ſtriata, guſtu ſervidiſſimo, commutantur.

Solo gaudet præſertim ſabuloſo; & in aggeribus foſſarum recentiorum, ut & ad ſepes reperitur.

Siſarum Σίσαρον *Dioſc. à σῦς Porcus, & ἀρόω aro, quia Porci roſtro terram arando, illius radices in pabulum quærit ant.*

8. Siſarum, *Ger. Trag. Lob. Siſarum Germanicum, C. B. P. Siſarum multis, J. B. Radices* habet carnoſas, ex uno capite plures, pendulas, teneras, fragiles, cortice tenui pallidoque obductas, pulpa candida, digitali craſſitudine, pedales, ſubinde & breviores, *ſapore* dulci, aromatico, & ſatis grato. *Folia Sii* foliis ſimilia, ſed acutiora, conjugatim poſita, minutim ſunt ſerrata. *Caules* bipedales eriguntur ramoſi, *umbellas* albas ferentes; & *ſemina* longiuſcula, ſtriata, fuſca, ſuccedunt. E *ſemine ſato* in Hortis culinariis naſcitur. Sed & *ſtolones* (ſeu germinationes) menſe *Martio* à radicis capite, cum fibris adnexis, decerpti, & ad pedalem diſtantiam, ſolo recenti, ſabuloſo & humido depacti *radices* agunt, & ſuccedente hyeme inter edulia præſtantiora habentur.

9. Siſarum *Mexicanum, olus Colubri, Coalquiltic ab indigenis dictum, Recchi*, 187. Herba eſt *folia* ferens longa, crenataque, aut ſinuoſa, & Syſimbrii alterius quadantenus ſimilia; caules cavos purpuraſcentes ex albo; ac fœniculorum *ſemen* in muſcariis; *radicem* vero magnam & ſurculoſam, candentem, & craſſo cortice veſtitam, quæ ſucco madet.

Paſtinacæ aquaticæ ſpeciem eſſe aſſerit ipſe Auctor, aut potius ſiſarum; unde vires quoque conſimiles ei adſcribuntur.

Plantarum in hoc capite contentarum Vires & Uſus.

Sium *ſana & ſalutifera eſt planta; quantum autem guſtu ſuave & odoratum eſt, tantum calefacientis facultatis particeps eſt; digerit; urinam movet & calculos, menſeſque evocat; comeſtum etiam dyſentericis utiliſſimum eſt.*

Ad tumores molliendos & tollendos herba (vel aquatici vel terreſtris generis) tuſa & applicata, vel ſuccus epotus, optimi eſt uſus.

Siſon ſemina *habet calida, & acria, & odorata, qualia ex oriente nomine Amomi allata ſunt, & apud* Germanos *in uſum veniunt. Lienis iſta obſtructiones tollunt; menſes provocant; urinam cient; digeſtionem adjuvant; & omnes circa viſcera obturationes reſerant. Quin & aromatis vice in eduliis à pluribus uſurpantur.*

Siſarum *in culinis adhibetur.* Cordus *omnium radicum quæ edules ſunt ſaluberrimas ſiſeris radices affirmat. Moderate calidæ ſunt ac humidæ; facile concoquuntur; non tarde deſcendunt; mediocriter nutriunt; nec parum habent ſucci; flatulenti autem quiddam produnt. Et coctæ & crudæ eduntur. In artocreis cum carnibus piſte menſis apparantur.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Lobatæ minores ſemine ſtriato minore.

CAPUT XVII.

Pimpinella Saxifraga.

ABſoluta *Saxifragarum Cap. 6. foliis fæniculaceis præditarum doctrina; deinceps erit dicendum de Saxifragis quæ Pimpinellæ in modum, lobos rachi ſeu nervo medio adhærentes habent, quæque vel majores ſunt, vel minores.*

TABULA VII. SECT. IX.

Pimpinella ſaxifraga

major
1. *Umbella candida, C. B. P. Saxifragia major, Dod. Saxifragia bircina major, J. B.* ⊙.
2. *Umbella rubente, C. B. P.* ⊙.
3. *Degener, ſeu foliis longiùs diſſectis.* ⊙.
4. *Seu media, J. B. Daucus campeſtris Apii folio, C. B. P.* ⊙.
5. *Maxima Africana, Magnol. App.* ⊙.

minor
6. *Vulgaris Pimpinellæ vulgaris facie, Nobis. Pimpinella ſaxifraga major altera, C. B. P. Tragoſelinum minus, Tab.* ⊙.
7. *Foliis diſſectis ſive degener, Nobis. Pimpinella ſaxifraga minor, C. B. P. Tragoſelinum petræum, Tab.* ⊙.
8. *Tenuifolia, C. B. P. & Prod. J. B.* ⊙.
9. *Annua Galloprovincialis, Schol. Bot. Par.*
10. *Daucoides ſeu ſemine lanuginoſo, Nobis. Daucus montanus Apii folio minor, C. B. P. & Prod.* ⊙.

1. Pimpinella *ſaxifraga major umbella candida, C. B. P. Saxifragia major, Dod. Saxifragia bircina major, J. B.* 109. *Tragoſelinum majus, Tab. Radix* ei eſt alba, digiti craſſitudine, in plures *radiculas* fibraſve brachiata, ſapore fervido. *Caules* aſſurgunt ramoſi, ſtriati, ſeſquicubitales, è centro *foliorum* dodrantalium, quibus hinc inde è regione adnectuntur *lobi* atrovirentes, ſplendentes, ſeptem, novemve, (uno extremitatem claudente) & *Sii majoris lobos* æmulantes, profunde dentati, ſapore ignaviori multo quam radix eſt. *Umbellæ floſculos* candidos, quinis petalis conſtantes oſtentant. *Semen* pullum, ſtriatum, oblongum, acre & aromaticum eſt.

In ſylvoſis & montoſis humidis, & ad ſepes, non ſolum Angliæ *ſed &* Germaniæ, Pannoniæ, Galliæ, & Italiæ, *provenit.*

2. Pimpinella *ſaxifraga major umbella rubente, C. B. P. Saxifraga major in Alpibus, flore rubente, Geſneri. Cluſius in Hiſtoria, p.* 196. hujus mentionem fecit. Quoad omnia præter colorem floris antecedenti convenire videtur.

3. Pimpinella *Saxifraga major degener, ſeu foliis longiùs diſſectis. Semen* vulgaris majoris in horto ſatum hanc variationem elegantem protulit. *Pinnæ* lobive *foliorum* qui in iſta integri ſunt & unciales, in hac laciniati, & in tenues longas partes diviſi. Perinde autem hæc ab illa diſtinguitur ac *Sambucus laciniata* à vulgari. *Flores* & *ſemina* quod ſpectat, præcedentibus non abſimilis eſt.

4. Pimpinella *ſaxifraga media, J. B.* 1. *Daucus campeſtris Apii folio, C. B. P. Dauci* 2. *genus Dal. Lugd.* Duorum generum *folia* habet: inferiora quidem ad minoris *ſaxifragiæ folia* accedentia, ſuperiora vero majoris ſimiliora, oblonga, in acumen deſinentia, profunde crenata. *Radix* prolixa, mediocriter craſſa; caulis ſtriatus, cubitalis, alis aliquot brachiatus; umbellæ albæ majuſculæ ſunt, *J. B.*

5. Pimpinella

5. Pimpinella *ſaxifraga maxima Africana.* Hanc plantam *Cl. D. Magnol.* in Catalogo ſuo *Monſpelienſi* hiſce verbis exprimit: Cum noſtris plantis, quas ex Inſula *Tabarco* nacti ſumus, iſta elegans *Pimpinella* crevit, quæ *radicem* habet craſſam, in plurima capita diviſam; *folia* Pimpinellæ, lobata, ſed latiora, & obtuſa ad *Paſtinacam ſylveſtrem latifoliam* accedentia, ſerrata, ſupra glauca, ſubtus leviter piloſa. *Caulem* erigit cubitalem, quaſi junceum, in multos *ramulos* diviſum; ad quorum articulos oritur *folium* parvum, longum. *Umbellæ* conſpiciuntur plurimæ, parvæ, pro plantæ magnitudine, quas componunt capitula lutea, cum ſtaminibus albis. Hæc *capitula* ſunt rudimenta ſeminum quæ ſuccedunt bina ſimul juncta, ut in *Pimpinella Saxifraga*, ſed majora.

6. Pimpinella *ſaxifraga vulgaris Pimpinellæ minoris folio, Nobis. Saxigragia hircina minor foliis Sanguiſorbæ, J. B. 111. & forte ſaxifragia hircina media, J. B. Ib. Pimpinella ſaxifraga major altera, C. B. P. Tragoſelinum minus, Tab.* *Folia* ima & per terram ſtrata, parva ſunt, *lobis* rotundis, *Pimpinellæ minoris* ritu, margine crenatis, conjugatim diſpoſitis, uno extremitatem claudente. *Caulis* teres aſſurgit, gracilis, pedalis, & ſeſquipedalis, articulis paucis donatus, quibus adnaſcuntur *folia* tenuiora. *Flores* umbellati, candidi ſunt, & minores; *ſemina* ſtriata, exigua, fuſca; *radix* longa, alba, vivax.

In collibus & montoſis aridis & ſaxoſis frequens occurrit,

7. Pimpinella *ſaxifraga minor foliis diſſectis, Nobis. Pimpinella ſaxifraga minor, C. B. P. Saxifragia hircina minima, Pimpinella criſpa Tragi, J. B. Tragoſelinum petræum, Tab.* *Radice*, caule, flore, ſemine, odore, & ſapore, plane ſimilis eſt proxime ſuperius explicatæ, iiſdemque locis provenit; uno ſolum hoc nomine ab ea differt, quod *lobi foliorum* tenuius ſunt diſſecti & à coſta media laciniati. An è *ſemine* degeneratio provenerit, quærendum.

8. Pimpinella *ſaxifraga tenuifolia, C. B. P. & Prod. 84. J. B. 112.* Ad proxime antecedentem accedere videtur. *Folia* habet in tenues primum, dein pene capillaceas partes diviſa. *Foſculi* ſunt exigui, pauci, albicantes, in parva umbella. *Semen* non vidit Auctor *Caſp. Bauh.* qui copioſe ad *lacum Genevenſem* provenire ſcribit.

Hujus familiæ Plantarum folia, uti in aliis quibuſdam umbelliferis videre licet, vel magis vel minus laciniata, quæ ſemine ſato ludunt: unde Pimpinella hircina minima, J. B. Criſpa Tragi, & Saxifraga parva Dod.

9. Pimpinella *ſaxifraga annua Galloprovincialis, Schol. Bot. Par.* Quoad modum creſcendi hæc aliis convenit. *Folia* tenuia ſunt, & in exiguas partes diviſa. Hac nota facile dignoſcitur, quod annua ſit; cum omnes aliæ ex eadem radice per plurimos annos reviviſcunt.

10. Pimpinella *ſaxifraga minor daucoides ſeu ſemine lanuginoſo, Nobis. Apium petræum ſive montanum album, J. B. Daucus montanus Apii folio minor, C. B. P. & Prod. 77. Daucus montanus Pimpinellæ ſaxifragæ hircinæ foliis noſtras Dubrienſis, D. Pluk. Phyt. T. 173.* qui & icone fœliciter plantam exprimit. *Folia* huic dodrantalia, pulchre in alas appoſitas diviſa, quæ rurſus in oppoſita ſegmenta brevia, non admodum tenuia, ſubdividuntur. Inter hæc autem *caulis* aſſurgit cubitalis, medulla plenus, in ramulis brachiatus; quibus umbellæ *floribus* albis, denſe contextæ inſident. *Semina* Apii hortenſis ſeminibus ſimilia, longiuſcula, ſtriata, lanugine alba pubeſcentia, cum amarore aromatica. *Radix* craſſiuſcula, longa, alba, ſuperiore parte comata, ut in aliis.

In petrarum rimis Badæ Helvetiorum, *& circa* Baſileam *obſervavit* Caſp. Bauh. *In rupibus* Dubrienſibus, *aliiſque in ſeptentrionali parte* Angliæ, *unde habemus, oritur.*

Temperamentum & Vires.

Sapor *manifeſte arguit acriorem & validiorem omnibus* Apii *ſpeciebus habere efficaciam; magiſque calefacit & ſiccat; aperit; incidit; urinas movet; calculos diſſolvit; menſes provocat; jecinoris & lienis obſtructiones ſolvit; tormina ventris ſedat; ictericis, hydropicis, & iis qui anguſtiam præcordiorum ex ſcabie repercuſſa ſentiunt, eximium præſidium eſt, regioque morbo laborantibus auxiliatur.*

Radix & ſemina *ejuſdem tuſa exſiccataque* Piperis *vices præſtant, & fortaſſe ſalubriora & utiliora ſunt. His qui craſſis & viſcoſis humoribus vexantur efficaciſſimum eſt remedium.*

Ad ſudores provocandos & eliciendos radix *optime conducit; unde in morbis peſtilentialibus & contagioſis antevertendis admodum prodeſt.*

Folia *tuſa & applicata ad tumores, bubones, &c. molliendos & maturandos optimi ſunt uſus.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam diviſis, ſemine ſtriato majore.

Seſeli, Oenanthe, Crithmum marinum, & Cicuta.

CAPUT XVIII.

SEſeli Σέσελι, Arabibus *Siſalios, inde nomen ſortitum videtur quod à Cochleis (τοῖς σαύλοις) in cibum ſummopere expetatur. Cervas ante partum purgari herba quadam quæ* Seſelis *dicitur* Ariſtot. *Auctor eſt.*
Seſeli eſt Planta *umbellifera*, foliis plurifariam diviſis, odore reſinaceo; ſemine ſtriato majore; floribus albis, vel ad luteum tendentibus.

TABULA VIII. SECT. IX.

Seſeli flore
- *albo, folio*
  - *latiore*
    1. *Montanum Cicutæ folio glabrum, C. B. P. Primum vel Alpinum, Cluſ. Pan. & Hiſt.*
    2. *Montanum Cicutæ folio ſubhirſutum, C. B. P. & Prod.*
    3. *Pannonicum foliis majoribus, Nobis. Seſeli Æthiop. Matth. genus aliud Cluſio, J. B.*
    4. *Montanum latifolium 2. Cluſ. Daucus montanus Apii folio major, C.B.P.*
    5. *Pyrenaicum Thapſiæ folio, Schol. Bat. Par.*
    6. *Cretenſe nodoſum, Park.*
  - *tenuiore*
    7. *Montanum Fœniculi folio, C. B. P. & J. B. Montanum 3. Cluſ.*
    8. *Pratenſe tenuifolium, ſive Daucus petræus tenuifolius, C. B. P. & Prod.*
- *ſubluteo folio*
  - *latiore*
    9. *Cretenſe nodoſum, Nobis. Daucus Cret. nodoſus umbella lutea, C. B. P.*
  - *tenuiore*
    10. *Pratenſe noſtras, Park. Saxifraga Anglica facie Seſeli pratenſis, &c.*
    11. *Pratenſe Monſpelienſium, Park. An Silaum quibuſdam flore luteolo, J. B?*
    12. *Pratenſe foliis denſius pilis pubeſcentibus, D. Pluk. Phyt.*
- 13. *Humile Alpinum umbella purpuraſcente, Nobis. Mutellina, J. B. Meum Alpinum umbella purpuraſcente, C. B. P.*

1. Seſeli *montanum Cicutæ folio glabrum, C. B. P. Seſeli montanum vel primum, Cluſ. Pan. & Hiſt. Seſeli Alpinum ſive montanum 1. Cluſ. folio ſplendente, floſculis albis, I. B. 868. An Liguſticum alterum Belgicum foliis fere Abſinthii, ejuſdem, 147? Liguſticum alterum Belgarum, Lob.* Ampla habet *folia* per terram ſparſa, & in multas alas diviſa, ſuperne virentia, & ſplendentia prona parte minime, *Ferulæ odore*, acri ſapore & non admodum grato; *caulem* deinde ſeſquicubitalem, aut ampliorem, craſſum, ſtriatum, intus fungoſum, nodoſum, & multos ramos in circuitu ex ſingulis nodis ſive geniculis ferentem, per quem ſparſa ſunt *folia* ſuperioribus reſpondentia, ſed minora. Extremi rami in magnas *umbellas* deſinunt, *floſculorum* quinque petalis candidis conſtantium, odore fere *Sambuci. Flori* ſuccedit *ſemen* gemellum, ſtriatum, flaveſcens, aromatico & fervido guſtu. *Radix* craſſa & foris nigra eſt, quæ ut in pleriſque ferulaceis, poſtquam planta ſemen tulit, perit, nec niſi altero aut tertio à ſatione anno flores pròducere ſolet.

Creſcit in Sneberg *& aliarum vicinarum Alpium jugis, ubi lætiora ſunt paſcua; floretque ſub Junii menſis finem aut Julio; ſemen vero Auguſto, & ſerius interdum matureſcit.*

2. Seſeli *montanum Cicutæ folio ſubhirſutum, C. B. P. & Prod. Folia* huic ſunt lata, *Cicutariæ* inſtar diviſa, leviſſimis pilis, præſertim ipſis pediculis aſperſis, ſubaſpera. *Caulibus, floribus, & ſeminibus* præcedenti convenit.
In altiſſimo monte Waſſerfall *prope* Scaphuſiam, *æſtate florens, inter ſaxa reperit Cl.* Caſp. Bauh.

3. Seſeli *Pannonicum foliis amplioribus, Nobis. Seſeli Æthiopicum Matth. genus aliud Cluſio, J. B.* 168. Majores habet foliorum *alas*, hoc eſt in plura *folia*, nempe bina & vicena plerumque ſuperioribus magnitudine longe cedentia, diviſas, quæ ſuperne ſplendentia minus virent, & prona parte cinerei plane ſunt coloris, omnia in ambitu non modo ut ſuperiora ſerrata, ſed etiam laciniis diſſecta. Quod cætera ſpectat ſimile eſt.
In Hungaria, Auſtria & Stiria, *præſertim in* Calenburgh, *naſcitur.*

4. Seſeli *montanum latifolium 2. Cluſ. 18. Daucus montanus Apii folio albicans, C. B. P. Daucus ſecundus ſeliſnoides, Lob. Obſ.* E *radice* brachiali amplæ naſcuntur foliorum *alæ*, aliquot *foliis* per ambitum ſerratis & nonnihil inciſis, uni coſtæ inhærentibus & inter ſe oppoſitis, colore ſupina parte dilutius virente & aliquantulum ſplendente, prona ſubcinereo præditis conſtantes. Inter hæc autem *caulis* ſtriatus, pollicaris, ſeſquicubitalis, *umbellas florum* palleſcentium gerit, quibus *ſemen* Sileris montani ſimile, oblongum ſtriatum ſuccedit.
In omnibus Pannoniæ & Auſtriæ *inferioris montibus invenitur.*

5. Seſeli *Pyrenaicum Thapſiæ folio, D. Fagon. Schol. Bot. Par.* Planta hæc humilior & minor *folia* profert dodrantalia, *Carui* modo alata, & cum *foliolis* nervo medio conſimiliter adnexis, ampliora vero, & in latiores partes diviſa, non *petiolis* ramuliſve brachiata, ut in præcedentibus; quibus præcipue dignoſcitur.

6. Seſeli

6. Seſeli *Cretenſe nodoſum, Park.* 907. *Caulis* aſſurgit cubitalis aut bipedalis, ſtriatus, ſcabritie aſper, *geniculis* protuberantibus nodoſus; quibus *folia* plurifariam diviſa, atrovirentia naſcuntur, quæ præ maturitate rubeſcunt. *Umbellæ* haud magnæ, albæ, in *ſemina* turgidula, aſpera, ſtriata, ſatis longa tranſmutantur; quibus perfectis *radix* perit.

7. Seſeli *montanum tenuiore folio, Nobis. Seſeli montanum Fœniculi folio, C. B. P. Montanum anguſtifolium* 3. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Seſeli mont. anguſtifolium* 3. *Cluſ. folio Seſeli Maſſilienſis Matthioli, ſemine Angelicæ, J. B.* 34. Multæ ſunt foliorum *alæ* tenues, *Fœniculi* diviſura, craſſiores tamen & compreſſæ, breviores, virides admodum, mucrone omnium foliorum candido & duro, *guſtu* calido. *Caules* cubitales, minimi digiti craſſitie, geniculati, in aliquot ramos diviſi, quos ſecundum nodos aliæ minores amplectuntur foliorum alæ. *Flores* umbellatim naſcuntur albi; deinde *ſemina* gemina conjuncta, ut in omnibus umbelliferis, ſtriata, *Angelicæ* ſemini haud multum abſimilia, guſtu fervido. *Radix* multis craſſis & oblongis *fibris*, oblique & late ſparſis conſtat, & ſingulis annis ſummo capite novas propagines ad latera facit.

Naſcitur in pleriſque Pannoniæ & Auſtriæ *montanis pratis. Julio menſe floret, teſte* Cluſio.

8. Seſeli *Pratenſe tenuifolium, ſive Daucus pratenſis tenuifolius, C. B. P. & Prod.* 85. *Caule* eſt cubitos duos ſuperante, rotundo, ſtriato, nodoſo, ſuperne in ramos brachiato; *foliis* inſtar *Paſtinacæ tenuifoliæ ſylveſtris*, diviſis. *Umbellam* habet ex parvis albis floribus compoſitam; quibus ſuccedit *ſemen* aromaticum, & tota planta *Paſtinacæ* odorem refert.

In pratis udis Michelfeldæ *provenire docet* Caſp. Bauh.

9. Seſeli *Cretenſe nodoſum umbella lutea, Nobis. Daucus Creticus nodoſus umbella lutea, C. B. P. Daucus* 3. *folio Coriandri, flore luteo, J. B.* 57. *Daucus* 3. *Dioſc. Bello, Park. Rawolf. Daucus Creticus, Ponæ. Folia* plurifariam diviſa, *Coriandri* pene æmula; ſed minora, aliquantulum craſſa profert; *caulem* ſeſquicubitalis longitudinis; *flores* luteos in umbellis, pro morte *Anethi*; *ſemenque Cumini.* Vere manduntur radices & folia, & aromaticum guſtum habent. Vulgo appellant κορωνόποδα, quod cornicis pedem ſignificat, ut *Bellus* ex *Creta* ad *Cluſium* in epiſtola ſcripſit.

10. Seſeli *pratenſe noſtras, Park. Saxifraga Anglica facie Seſeli pratenſis, Ger. Lob. Saxifragia Anglorum foliis Fœniculi latioribus, radice nigra, flore candido, ſemine Fœniculi, ſimilis Silao, J. B.* In pratis & paſcuis udis frequens occurrit hæc planta; cujus *radices* longæ foris nigricantes, *folia* emittunt tenuia, glabra obſcure viridia, alis oblongis & acutis, *Cicutæ* alis anguſtioribus, non ſerratis, plurifariam rarius diviſa. *Caules* inter ea aſſurgunt cubitales & ſeſquicubitales, graciles, ſtriati, ramulis per intervalla alternatim exeuntibus, cum foliis ad eorum exortum ad *genicula* adnatis. *Umbellæ* tenues ſummis caulibus inſident, colore luteoviridi; quibus delapſis *ſemina* ſtriata, *Fœniculi* ſeminibus turgidiora, fuſca, binatim ſuccreſcunt.

11. Seſeli *pratenſe Monſpelienſium, Park. Silaum quibuſdam flore luteolo, J. B.* 170. Præcedenti convenit, & forte idem eſt. *Jo. Bauhinus flores* proferre albos, *foliaque* latiora eſſe aſſerit. Plantam in *Horto ſicco* habemus, ſed diviſæ à ſuperiore ſpeciei eſſe haud confirmaverim.

12. Seſeli *pratenſe foliis denſius pilis pubeſcentibus, D. Pluk. Phyt. T.* 70. Titulo diſcriminatur à ſuperius explicatis. *Caules* & *folia* pilis brevibus denſe ſunt obducta; quoad cætera ab iis non differt.

13. Seſeli *humile Alpinum umbella purpuraſcente, Nobis. Mutellina, J. B.* 67. *Meum Alpinum umbella purpuraſcente, C. B. P. Meum Alpinum Germanicum, illis Mutellina dictum, Park.* Ex *radice* ſimplici, oblonga, nigra, parum fibroſa, aliquando minimi digiti craſſitiem æquante, circa caput barbata, *Mei* fere figura, ſed infirmiore, odorata & acri, *folia* prodeunt *Mei* foliis latiora; *cauliſque* unus vel alter lævis, ſtriatus, *umbellam* ſuſtinens *florum* purpureorum, vel etiam ex albo purpuraſcentium; quibus ſuccedunt *ſemina* oblonga, ſatis magna.

In monte Rhetio *prope* Burmium *à* Jo. Bauhino, *menſe Junio florens collectum eſt.*

Annotatio.

Seſeli Creticum majus, C. B. P. Cam. Tab.
Seſeli Creticum minus, C. B. P. Cam.
Seſeli Creticum fructu majore, C. B. P.
Seſeli Creticum minimum, C. B. P.
Seſeli Maſſilienſe Fœniculi folio, C. B. P.
Seſeli paluſtre lacteſcens, C. B. P. Paluſtre, Cam.

Cum hæ Plantæ jam nominatæ ſemina non proferant ſtriata, huic ſeriei requiſita, ſed membranacea, compreſſa, ſubortunda; ad umbelliferas congeneres, membro ſeptimo tractatas, remittendæ ſunt.

Seſeli Æthiopicum (frutex) inter umbellas foliis integris inferius quærendum eſt.

Temperamentum & Vires.

Semina Seſelios *in officinis in uſum veniunt. Theriacam ingrediuntur; ad omnia interanea, pulmones inquam, ſtomachum, hepar & matricem, utilia ſunt, & frigidos & aqueſos humores. Obſtructiones jecinoris ſolvunt; orthopnoicis proſunt; ſtranguriæ quæ à frigore profecta eſt tollendæ conducunt apprime; ad uteri ſtrangulationes & ad morbum comitialem curandum, torminaque ventris ſedando optime conveniunt.* Seſeli *pratenſe à pluribus ab inſigni vi diuretica, præcipue quod calculoſis auxilio ſit,* Saxifragiæ *titulum obtinuit.*

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam divisis, semine striato majore,

CAPUT XIX.

Oenanthe.

OEnanthe, οἰνάνθη & οἰνάνθης, ἀπὸ τοῦ οἴνου, *id est vino & ἄνθος flore, quasi flos vinosus, ab odore nuncupata est.* Oenanthe est planta umbellifera foliis plurifariam divisis, in humidis nascens, semine striato majore, in apice aculeato, radicibus è pluribus glandulis tuberosis, oblongis, Asphodeli in modum uni capiti adhærentibus, compositis, donata.

TABULA IX. SECT. IX.

Oenanthe folio
- *latiore*
  1. *Maxima Virginiana Pæoniæ fœminæ foliis.*
  2. *Maxima succo viroso, Cicutæ facie, Lob. J. B. Oenanthe Chærophylli foliis, C. B. P.*
  3. *Apii folio minor, caule firmiore, Nobis. Oenanthe sive Filipendula Monspeliaca foliis Apii, J. B. Apii folio, C. B. P.*
  4. *Stellata Cretica, Prosp. Alp. Park.*
  5. *Prolifera Apula, C. B. P. Oenanthe Cretica, Ponæ Ital.*
  6. *Aquatica, Pimpinellæ Saxifragiæ divisura, D. Pluk. Phyt. Oenanthe Staphylini folio aliquatenus accedens, J. B.*
- *tenuiore*
  7. *Aquatica recta vulgaris, Nobis. Oenanthe aquatica, Lob. C. B. P. Oenanthe, sive Filipendula aquatica, J. B.*
  8. *Aquatica trifiora caulibus fistulosis, Nobis. Juncus odoratus, Dod.*
  9. *Altera minor Africana, Park.*
  10. *Millefolii palustris facie, Nobis. Daucus pratensis, Dal. Lugd. Daucus pratensis Millefolii palustris folio, C. B. P.*

1. Oenanthe *maxima Virginiana Pæoniæ fœminæ foliis.* Nova hæc *Oenanthes* species, cum maxima sit, locum primarium sibi vendicat. A *Cl. V. D. Jo. Banister,* Botanico admodum perito, transmissa est. *Radix* è pluribus *tuberculis* oblongis, carnosis, digitalis crassitudinis, fusiformibus, utrinque acuminatis, *Sisari* aut *Asphodeli* in modum, in unum caput coeuntibus, composita est. Inde *caulis* assurgit bicubitalis & tricubitalis, striatus, in *alas* plures è geniculis brachiatus, quibus *folia* ampla lobata, *Pæoniæ fœminæ* aut *Sii* majoris latitudine nascuntur. Foliorum alæ digiti longitudinem, unciæque latitudinem æquantes, frequenter marginibus rectis & integris, interdum vero una vel altera denticulatione donatæ, mucronem versus, observantur. *Umbellis* candidis, amplis, planis, summi caules terminantur, quæ in *semina* striata, oblonga, bina simul juncta, transmutantur. Semen quodlibet *apiculo* donatur, ita ut conjuncta & immatura bifurcata appareant, quod & aliis hujus familiæ proprium est.

2. Oenanthe *maxima succo viroso, Cicutæ facie Lob. J. B.* 193. *Oenanthe Chærophylli foliis, C. B. P. Sisar palustre, Lugd. Filipendula* 3. *Oenanthe Selinophyllos, Tab.* E tuberculis fusiformibus, *Asphodeli* ritu conjunctis, albis, succo viroso & pene exulcerante, sapore ingrato caputque perturbante donatis, proveniunt *folia* plurifariam *Cicutæ* in modum divisa, humumque occupantia, alis vero rotundioribus & amplioribus, *Apii hortensis latioris* similibus, glabris, viridibus insignia. *Caules* striati, fistulosi, geniculati, bicubitalem, interdum humanam altitudinem assequuntur, quorum geniculis assurgentibus, folia angustiora *Cicutam* æmulantia, nascuntur. In summitatibus *umbellæ* sunt amplæ, albæ, è *floribus* pentapetaloidibus compositæ; quibus latiscentibus succedunt *semina* longa, striata, fusca, spinulis in apice donata. *Radix Pæoniæ* similis, per multos annos durat; & ex hac resurgit planta.

In aquosis & fossis non solum borealibus Angliæ, *sed & in salicetis circa* Windsoriam, Bathoniam, *aliisque meridionalibus, copiose provenit. Mense Junio floret, Augusto semen perficit.*

3. Oenanthe *Apii folio minor, caule firmiore, Nobis. Oenanthe sive Filipendula Monspeliaca folio Apii, J. B.* 191. *Chab.* 407. *Oenanthe Apii folio, C. B. P. Radices* glanduloſæ, longis filis pendulæ, sapore antecedentis gratiore, *folia* emittunt, primo latiuscula, mox *Petroselini vulgaris* similia, demum *Peucedani* angustiam & faciem induentia. *Caules* eriguntur anguloſi, striati, cubitum & sesquicubitum alti, concavi, præcedentis vero caulibus minores & firmiores. *Flores* in *umbellis* parvi, muscosi, ex albo colore frequenter purpurascunt. *Semina* sunt cæterarum similia, sed minora.

Haud longe à Monspelio *inter* Perauls *& lacum, & prope pontem* Cellæ novæ & Magalonæ, *inter narissum oriri dicit D. Magnol.*

4. Oenanthe *stellata Cretica, Prosp. Alp. Park.* Huic *folia* præcedentis similia sunt. *Caulem* promit unicum, rectum, teretem, dodrantalem, qui in summitate in quinque ramulos dividitur, graciles, rectos, rectoque actos. Caules *umbellas albas, Oenanthes* modo, producunt. Istæ autem *umbellæ* post flores mutantur veluti in quinque stellas, habentes octo & quandoque plures radios longos, latos, in acumen definentes; inque horum medietate *flores* sunt parvuli, in orbem comprehensi, qui postea in *semina* oblonga, durissima, simul compacta, mutantur. *Radix* aliarum similis.

5. Oenanthe

5. Oenanthe *prolifera Apula, C. B. P. Park. Oenanthe Cretica, Ponæ Ital.* *Radix* ex fibris compacta, glandulis deſtituta, *folia* protrudit plurifariam diviſa, latiora. *Caulis* aſſurgit rectus, pedalis, radiatim *petiolos* in ſummo emittens, qui in *flores* albos, glomeratim naſcentes, abeunt. Ex glomeraminibus, ut in *Caltha Bellideve prolifera* videre licet, alii *petioli* floſculos gerentes exeunt. *Semen* oblongum, ſtriatum, ut in aliis.

6. Oenanthe *aquatica Pimpinellæ Saxifragiæ diviſura, D. Pluk.* Phyt. Tab. 49. An Oenanthe *Staphylini folio aliquatenus accedens, J. B.*? *& Oenanthe Paſtinacæ ſylveſtris folio, ſemine Atriplicis*, C. B. P.? *Foliis* præſertim dignoſcitur hæc *Oenanthes* ſpecies, quæ plurifariam vix diviſa, ſed *Pimpinellæ ſaxifragiæ* in modum, alata ſunt. Quælibet *ala* è regione poſita, profunde diſſecta eſt & acuminata. *Flores* candidi, muſcoſi, in *umbellis* parvis compacti, ſummo caule erecto naſcuntur.

In Anglia *ſponte naſcens reperitur.*

7. Oenanthe *anguſtifolia aquatica recta vulgaris, Nobis. Oenanthe aquatica Lob. C. B. P. Oenanthe ſive Filipendula aquatica, J. B.* 191. *Oenanthe paluſtris ſive aquatica, Park. Bulbuli* olivares ex tenuibus pendent filis plures, quos non niſi caute evulſeris; abrumpuntur quippe facile ſequentibus caulem duntaxat fibris; (unde forſitan varietatem abſque glandulis nominare *Caſp. Baubino* in *Pinace* viſum eſt.) *Caulis* cubiti & ſeſquicubiti altitudine, ſtriatus, concavus, ramoſus, geniculatus eſt. *Folia* inferiora parcius ſecta, reliqua longioribus & tenuioribus ſegmentis cæſa. *Umbellæ* parvæ, albæ. *Semen* oblongum in duas veluti cuſpides deſinens.

In aquoſis & pratis humidioribus frequens occurrit.

8. Oenanthe *aquatica triflora caulibus fiſtuloſis, Nobis. Juncus odoratus aquatilis, Dod. Pempt.* 590. *Oenanthe aquatica minor, Park. & juncoides minima ejuſdem. Radix* oblique acta, geniculis fibris adnexis, cum glandulis quibuſdam donata facile ſe propagat; *folia* ima, & quaſi primi anni, *Chærophylli* ſimilia humi ſparguntur. *Caulis* aſſurgit geniculatus, pedalis & cubitalis, cavus; è cujus geniculis *folia* proveniunt anguſtiſſima, *alis* pene deſtituta. *Umbella* ſimplex in ſummitate naſcitur, ex tribus frequenter radiis petioliſve compoſita, cum *floſculis* albis muſcoſis ipſis inſidentibus; quibus dehiſcentibus, *ſemina* ſuccedunt ut in aliis congeneribus ſtriata, *apiculis* in apice donata.

In paluſtribus & rivulis, & juxta foſſas, aliiſque locis humidioribus naſcitur.

9. Oenanthe *altera minor Africana, Park.* Ex oris *Barbarienſibus* hanc *Oenanthen* attulit *Boelius.* Hujus *folia* è caulium geniculis naſcentia, *Anethi* aut *Mei* tenuitatem obtinent. *Flores* umbellatim naſcuntur candidi, & *ſemina* ſtriata ſequuntur.

10. Oenanthe *Millefolii paluſtris folio, Nobis. Daucus pratenſis, Dal. Lugd. Park Daucus pratenſis Millefolii paluſtris folio, C. B. P.* Naſcitur *radicibus* multis, candidis, rotundis, ab ima caulis parte varie ſparſis, brevibus, dulcibus, odoratis; *foliis* proxime radicem ſex aut ſeptem, totidem digitos longis, *foliolis* quoad ordinem multis, orbiculatim cauliculos totos ambientibus, *Myriophylli* ſimilibus, mollibus, læte virentibus; *caule* medio *Fœniculum* æmulante, cubitali, in ramos duos vel tres divaricato, foliis paucis veſtito, interdum nudo; *umbella* ab initio nonnihil rubeſcente, poſtea alba, amara, ſubacri, odorata.

In montoſis pratis naſcitur, ut refert Auctor Hiſt. Lugd. florens menſe Maio.

Vires & Uſus.

Oenanthe *calida & ſicca eſt.* Folia *cum* ſemine *ejuſdem, vino & melle decocta & pota ſecundas ejiciunt; obſtructiones aperiunt, & meatus urinarios expurgant; ſtranguriæ & ſtillicidio urinæ, ut & morbo regio medentur.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam diviſis, ſemine ſtriato majore.

CAPUT XX.

SECTIONIS NONÆ.

Crithmum marinum.

Κρίθμον *ſive* Κρίθμον *Dioſc.* ἀπὸ τῆς Κριθῆς, i. e. *Hordeo, quia habet ſemina ad inſtar Hordei ſeminum efformata.*

Crithmum eſt planta umbellifera maritima, foliis plurifariam diviſis, ſpiſſis, longis & acutis; floribus ſubluteis; ſemine ſtriato majore, brevi.

1. Crithmum *multis ſive Fœniculum marinum, J. B.* 194. *Crithmum marinum, Dod. Crithmum maritimum vulgatius, Park. Baticula quaſi parva batis, Cæſ. Critbum & herba Sancti Petri, Dod. Gall. unde & Sampire Anglice, Jerain Albulaic, Arab. Radix* ei inferius fibroſa, ſuperius geniculata eſt, unde folia trifariam fere partita, ſpiſſa, craſſa, & acuta, & modo pungentia, ſalſo guſtu, pediculis adhærentia, proveniunt. *Caules* pedales & cubitales, geniculati, ſolidi, procumbentes, *umbellas* ſubluteas, aut ex viridi colore luteas, in ſummitatibus gerunt. *Semina* ſunt latiuſcula, brevia, ſtriata, ſatis ampla.

In oris maritimis, rupium fiſſuris, cliviſque mari expoſitis, copioſe provenit.

2. Crithmum *ſive Fœniculum marinum majus odore Apii, C. B. P. Grandius cui ſuccus luteus, J. B.* 195. *Baticulæ alterum genus, Cæſ. Crithmum Siculum baticulæ alterum genus, Cæſ. Boccon.* Præcedenti convenit hoc. *Folia* plurifariam in latioribus ſegmentis diviſa ſunt, *odore* non adeo falſo, ſed ad Apii odorem magis accedenti. *Floribus* & *ſeminibus* vulgari ſimile eſt.

Aſperis & ſaxoſis locis prope Panormum Siciliæ *gaudet.*

De aliis Crithmis dictis Annotatio.

Crithmum *maritimum flore Aſteris Attici, C. B. P. Crithmum chryſanthemum, Dod.* Cum *ſemina* proferat pappoſa, *ad Aſteres* luteos, ante explicatos *pag.* 119. *plant.* 16. *retulimus.*

Crithmum *maritimum ſpinoſum, C. B. P. Semen* habet fungoſo pericarpio involutum; idcirco *Cap.* 2. *hujus Sectionis* inter conſortes quærendum.

Crithmum *quartum Matthioli umbelliferum, J. B. Semina* profert parva, ſtriata, ad *Ameos* ſemina proxime accedentia. Quare *Ammi perenne* nominare placuit, de quo poſtea ſuo loco.

Crithmi Uſus.

Crithmum *calidum & ſiccum cum ſit inſigniter abſterget: muria conditum grato & aromatico eſt ſapore; cum capparibus menſis adportatur, ſtomacho & ventriculo commodum eſt, appetitumque excitat.*

Folia *in vino cocta & aſſumpta urinæ difficultati & morbo regio auxiliantur, imo & diabeti laborantibus apprime commoda ſunt, ut* Amatus *Luſit. Cent.* 2. *Curat.* 94. *p.* 233. *perhibet.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam diviſis, ſemine ſtriato majore.

CAPUT XXI.

Cicuta.

Cicuta Arabibus Sucarum *dicitur;* Κώνειον *Græcis, à* Κονάω *circumago, & quaſi cæcum reddo, eo quod homines veluti cæcos reddat, ſi illam comederint, & epota refrigerato cerebro ſtultitiam pariat. Quidam à caulis cavitate, culmiferarum inſtar, fiſtulis apti, dictam putarunt; ut* Servius *in* Eclog. 2. Virgil. *docet.*

Cicuta ab aliis umbelliferis foliis plurifariam diviſis odore ingrato & viroſo facile dignoſcitur.

TABULA X. SECT. IX.

Cicuta
- *annua*
  1. *Major, C. B. P. Cord. Cam. Major vulgaris, Cluſ. Park.*
  2. *Minor Petroſelino ſimilis, C. B. P. Cicutaria fatua, Lob.*
  3. *Hiſpanica ſemine majore, odore Apii, Nobis. Caucalis Hiſpanica ſemine rugoſo, J. B.*
  4. *Caſſubica Thyſſelini foliis, Breyn. Prod.*
- *perennis*
  5. *Latifolia fœtidiſſima, Lob. Latifolia fœtida, C. B. P.*
  6. *Latifolia fœtida ſerotina foliis obſcure virentibus, Schol. Bot. Par.*
  7. *Paluſtris tenuifolia, C. B. P. Phellandrium, Dod. Lugd.*

1. Cicuta *major vulgaris, Cluſ. Park. Major, C. B. P. Cord. Cam. Cicuta veteribus & neotericis, J. B.* 175. *Folia* longis, craſſis, cavis pediculis appenſa, plurifariam *Myrrhidis* modo, in alas plurimas tenues, atrovirentes, diviſa ſunt. *Culmus* procerus, ferulaceus, glaber, lævis, craſſus, intus inanis, dilute virens, nonnullis tamen ſubrubentibus veluti ſerpentum maculis reſperſus, ſupra tres non raro cubitos aſſurgit. *Umbellæ* haſtigia occupant. Candidi in his ſunt *floſculi. Semina* poſtea *Aniſi* æmula, aliquanto candidiora. *Radix* dodrantalis, craſſitudinis digiti, candida, & quando caulem facit, interius cava, prius ſolida. *Odorem* ingratum, gravem, fœtidumque tota ſpirat herba.

Circa oppida & pagos abundat locis umbroſis & pinguibus, prope foſſas, aggereſque agrorum, pratorumque ſepimenta. Menſe Julio floret.

2. Cicuta *minor Petroſelino ſimilis, C. B. P. Cicutaria folio Apii, J. B.* 179. *Cicutaria fatua, Lob. Petroſelini vitium, Trag. Petroſelinum tenuum, Tab.* Pro plantæ ratione exigua eſt *radix*, alba; *caulis* bicubitalis, fere minimi digiti craſſitudine, ſubcæruleo ex viridi cortice tectus, longis internodiis diſtinctus, inanis, ſtriatus, non, ut antecedentis, maculoſus; *folia Cicutæ* aut *Petroſelini*, atrovirentia, acuta, odore vel ſapore nullo excellente. *Umbellæ florum* candidorum, minores ſunt; ſub floſculis, de umbellulis *foliola* tenuia & acuta dependent. *Semen* gemellum, *Cicutæ* ſeminis ad inſtar ſtriatum.

Pinguiore ſolo & Hortis oleraceis, maxime cum Petroſelino, & in arvis etiam reperitur.

3. Cicuta

3. Cicuta *Hiſpanica annua ſemine majore, odore Apii, Nobis. Caucalis Hiſpanica ſemine rugoſo, J. B.* 83. *Caucalis peregrina ſemine rugoſo, C. B. P. Caucalis Hiſpanica, Cluſ. Hiſt.* 201. *Folia* plurifariam ſunt diviſa. *Cauliculos* habet ſtriatos & aſperos; *umbellas* candidorum floſculorum parvas, & quaſi in orbiculare caput coactos; *ſemen* etiam ſtriatum, non hiſpidum; quo maturo *radix* perit, ut in præcedentibus.

4. Cicutaria *Caſſubica Thyſſelini folio, Breyn. Prod.* Planta eſt cubitalis, *caule* recto, ſtriato; *foliis Thyſſelini*, ſed minoribus minutiuſque diſſectis; *umbella* alba & denſa; *ſemine* ſtriato, *Cicutariæ fatuæ Lobelii* ſimili.

In Caſſubiæ *montibus atque dametis, ſylvarumque marginibus naſcitur.*

5. Cicutaria *latifolia fœtidiſſima, Lob. Hiſt. Lugd. Cicutaria latifolia fœtida, C. B. P. Seſeli Peloponnenſe, Matth. vel Cicutaria quorundam, J. B.* 184. E *radice* craſſa, candida, ſuccum fœtidiſſimum manante, proveniunt *folia* vulgaris *Cicutæ* latiora, plurifariam diſſecta, & ſerrata, in margine pinnatim adhærentia *pediculis* longioribus; atque alii petioli minores cum lobis, alternatim pediculis ſeu petiolis brevioribus apponuntur. *Caules* edit tres pedes altos, fiſtuloſos, nodis ſeu geniculis diſtinctos. In horum autem ſummitatibus *umbellæ* ſunt luteis *floribus* oneratæ; quorum ſingulis deciduis ſuccedunt bina *ſemina* curva, ſtriata, duplo reliquarum ſuæ ſortis ſeminibus majora, inque horum ſingulis conſpiciuntur *ſtriæ* altiores & ſulci profundiores.

In montibus Peloponneſiacis & Rhæticis *naſcitur. Tota planta graviſſimum odorem ſpirat.*

6. Cicutaria *latifolia fœtida ſerotina foliis obſcure virentibus, D. Fagon. Schol. Bot. Par.* Præcedentibus convenit hæc varietas, & *Peloponneſiaca* procerior eſt, *folia* ampla obſcure virentia proferens. *Semina* ei longa ſunt ſtriata, & nigriora, præcedentis ſeminibus tenuiora.

7. Cicutaria *paluſtris tenuifolia, C. B. P. Park. Phellandrium, Dod. Lugd. Phellandrium vel Cicutaria aquatica quorundam, J. B.* 183. In rivulis & aquis cænoſis, qualibus gaudet *Sium* de quo ſupra egimus, frequens naſcitur hæc *Cicuta. Folia* tenuia plurifariam diviſa aquis innatant, & non ſemper cauleſcere planta obſervatur. *Caulis* pollicaris & brachialis craſſitudinis, geniculatus, ſupra aquam ad cubitalem & bicubitalem altitudinem ſe erigit; ad nodos *folia Cicutæ*, jam ante explicatarum foliis breviora, alternatim naſcuntur, glabra & viridia. *Umbellæ* in caulium cimis, ex plurimis *floſculis* albis, compoſitæ ſunt; quibus fatiſcentibus ſuccedunt *ſemina* oblonga, ſtriata, tenuiora, arcte binatim adhærentia, ut in cæteris.

Annotatio.

Cicuta paluſtris latifolia alba & rubra, *C. B. P. Cicuta latifolia hirſuta, J. B.* & Cicutaria Bulboſa, *C. B. P. Park. Odorata bulboſa, J. B.* Semina *ex iſtis oriuntur longa, roſtrata; qua de re cum* Cerefolio & Myrrhide *poſthac aſſociantur.*

Cicuta *aquatica Geſneri, J. B. Sium majus anguſtifolium, Tab. Lege quæ de* Sio *ſupra expoſuimus*, Sio, *inquam*, foliis multifidis longis ſerratis, *Cap.* 15.

Cicutæ Vires & Uſus.

Cicuta *ob inſignem quam obtinet frigiditatem, in ſtomachum recipi non debet, & lethale venenum ineſſe perhibent antiqui, viz.* Dioſc. Plutarch. Plato, Cornel. Tacit. &c. *Moderni tamen periti in illorum ſententiam pedibus non eunt; certe ſemina arefacta calorem poſſident manifeſtum: noxiam attamen ineſſe facultatem facile concedimus, quemadmodum confirmat* Kircherus *in tractatu de peſte, &* Sim. Paul. quadripartit. Botan. *p.* 263. *aliique fuſe demonſtrarunt.* Wepferus Germanus *integrum* de viribus Cicutæ *conſcripſit librum; præcipue aquaticæ. Omneſque intro ſumptam odioſam & perniciоſam eſſe aſſerunt.*

Extrinſecus utilis eſt ejus uſus; ad omnes inflammationes & tumores molliendos ac diſſipandos qui aliis remediis curari renuunt, Cicutæ *vel herba vel ſuccus unice facit, calorem repellit, doloremque capitis, aliorumque morborum ſedat. Ad Eryſipelata, ignes ſacros, ulceraque ſerpentia, caſtiganda* Cicutæ herba ſuccus & aqua deſtillata *eligi debent.*

Breviter, quibuſcunque affectionibus calidis Cicuta *medetur; eſt enim nulli horum medicamentorum ſecundum quæ vocant repercuſſiva, anodyna, dolorem ſedantia, & ſomnum inducentia ſeu narcotica.*

Ad nimium lactis proventum inhibendum ea utimur; ut & ad mammas induratas ex lacte coagulato ſuccus *aceto tantillo temperatus applicetur.*

Ad maculas ſugillationeſque tollendas Cicuta tenuifolia *ſeu* fatua *inſignis eſt, unde Anglice à quibuſdam* Squatwort *appellatur, ut à* D. Aubrey *edocti ſumus. Ad tumores & ſtrumas emolliendas & maturandas, (quod calorem demonſtrat) & oculorum deſtillationes oppilandas, herba cataplaſmatice applicata optime prodeſt.*

Pulvis radicum *ad gr. viginti in febribus malignis vel quartana ante paroxyſmum exhibitus, omnibus quæ ego unquam expertus ſum diaphoreticis antecellit. Ita* D. Boyle.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam divisis, semine striato minore & breviore donatæ.

Apium, Ammi, Pyrethrum umbelliferum, Carum & Anisum.

CAPUT XXII.

APium, Græcis Σέλινον. *Petroselinum* τὸ Σέλινον ἢ πετροσέλινον, Dioſc. *Arab.* Chariſſ, Charfi, *ſeu* Chares. Apium *dictum putant, quod eo* apex, *id eſt caput triumphantium antiquitus coronabatur. Vel* Apium *dicitur ab* apice, *quod nimia quantitate comeſtum caput dolore afficiat;* apex *autem pro ſumma verticis* (*id eſt capitis*) *parte accipitur. Forte ab* ἧπιον Dor. ἄπιον, *quod herba* mitis *ſit.*

SECTIONIS XI. TABULA. IX.

Apium flore
- *ſubluteo*
  1. *Hortenſe maximum, C. B. P. & Prod. Apium majus Virginianum, Park.*
  2. *Hortenſe vulgare ſive Petroſelinum vulgo, C. B. P.*
  3. *Sive Petroſelinum criſpum, C. B. P.*
  4. *Degener foliis longis & anguſtis.*
  5. *Umbella lutea, Moriſon.*
  6. *Syriacum radice ampliore eduli, Nobis. Siſarum Syriacum, C. B. P. Paſtinaca Syriaca & Secacul Arabum quibuſdam, J. B.*
  7. *Montanum Germanicum flore luteo, Nobis. Daucus montanus Apii folio, flore luteo, C. B. Prod.*
- *albo ſemine*
  - *Lævi*
    8. *Paluſtre ſeu officinarum, C. B. P. Apium vulg. ingratius, J. B. Paludapium, Tab.*
    9. *Sive Petroſelinum Creticum, Nobis. Agriopaſtinaca Cretenſium J. B.*
    10. *Pratenſe odore Paſtinacæ, Nobis. Daucus pratenſis Apii folio, C. B. P. & Prod.*
  - *villoſo*
    11. *Siculum tenuifol. glaucum floribus odore Roſæ moſchatæ redolentibus, Nobis. Daucus Siculus Sophiæ folio, Zanon.*
    12. *Macedonicum, C. B. P. Apium ſive Petroſelinum Macedonicum multis, J. B.*
    13. *Peregrinum foliis ſubrotundis, C. B. P.*
- 14. *Carneo montanum Cluſii, Nobis. Daucus montanus Cluſii flore carneo, ſemine Selino hortenſi æquali, J. B.*

1. Apium *hortenſe maximum, C. B. P. & Prod. Apium majus Virginianum, Park. Apium hortenſe vulgare* adeo lippis & tonſoribus notum eſt, ut de eo prolixius differere ſupervacaneum fuerit. Quatuor autem ſeu ſpecies ſeu varietates oſtentat. Hoc de quo jam ſermo eſt *folia* ampliora, *caules* humiliores, craſſiores, rigidiores, in *ramulos* magis extenſos, *ſemina* brevia ſtriata, quibus facile à reliquis dignoſcitur, profert.

2. Apium *hortenſe vulgare ſive Petroſelinum vulgo, C. B. P. Apium hortenſe multis, quod vulgo Petroſelinum polato gratum, J. B. 97. Apium hortenſe, Ger. Petroſelinum vulgare, Park. Radix* alba digitalis craſſitudinis; *folia* ternam diviſionem obſervant. *Caulis* humanam proceritatem aſſequitur. *Flores* in *umbellis* pallidi, aut ex viridi colore lutei ſemina parva, brevia, ſtriata, præcedunt.

3. Apium *vel Petroſelinum criſpum, C. B. P. Cam. Apium ſativum Sardum, Col. Petroſelinum criſpum, J. B. 97.* Hujus *folia* plurifariam expanſa, *alis* amplis rotundioribus donata, in ambitu ſerrata, & crebris denticulationibus eleganter ſunt criſpata. Quoad cætera vulgari convenit.

4. Apium *hortenſe degener foliis longis & anguſtis.* A vulgari, ad quod fere accedit, quodammodo degeneraſſe videtur; quæ quidem variatio in *Saxifragis*, de quibus ante ſermonem fecimus, aliiſque plantis *umbelliferis* interdum accidit.

Omnes hæ Apii *ſpecies, ob uſum quotidianum in hortis ſeruntur. Apium autem biennalis eſt planta, quæ primo* folia *duntaxat per terram ſtrata, profert; altero anno caules*, flores, & ſemina *prodit, quibus maturis,* radix *perit. Sed de natali ſolo idem dicendum eſt quod de* Tritici, Hordei, *aliarumque adeo frequentis uſus & culturæ plantarum; locos ſcilicet in quibus ſponte proveniunt haud memorari.*

5. Apium *umbella lutea, Moriſon.* Præcedentibus etiam addetur hoc, quod *folia* profert ampla, conſimilia; *floreſque* pulchre luteos, cum in iſtis pallidi, aut ex viridi colore luteſcentes conſpiciantur.

6. Apium *Syriacum radice ampla eduli, Nobis. Siſarum Syriacum, C. B. P. Paſtinaca Syriaca & ſecacul Arabum quibuſdam, J. B. 66. Secacul Arabum & Mauritanorum, ſive Paſtinaca Syriaca, Rawolf. Lugd. App. Folia* ampla *Apii vulgaris* diviſura, petiolis vero brevioribus, è radice longa, exterius cinerea, intus candida, lævi, tenera, digitum

digitum craſſa, ex qua fibrarum loco noduli ſeu verrucæ prominentes exeunt, per terram ſtrata ſunt. Inter hæc autem *caules* aſſurgunt craſſiores, geniculati, in alios minores divaricati, foliolis lata baſi eoſdem amplexantibus. In ſummitate *umbellæ* ſunt ampliores, ex floribus flavis conſtructæ; quibus ſuccedunt *ſemina* parva, ſtriata, *Apii* ſeminibus longiora & tenuiora, fuſca.

Juxta ſepes & Hortos urbis Halepi, *locis præſertim apricis, & ſub arboribus obſervavit* Rawolfius; *ut & inter ſegetes.*

Exinde & aliud exemplar, cui nomen Secacul rotundo, *accepimus, cujus* folia *plurifariam diviſa, in* lacinias *plurimas tenuiores ſecantur.*

7. Apium *montanum Germanicum flore luteo, Nobis. Daucus montanus Apii folio, flore luteo, C.B.P. & Prod.* *Caule* eſt cubitali, anguloſo, glabro, in breves alas brachiato; *foliis Apii* forma, ſed brevioribus, per ambitum minime ſerratis, quorum pediculus ſtriatus eſt. *Umbellas* parvas habet; *flores Elaphoboſci* ſimiles, luteos.

In Callenberg, *& prope oppidum* Baden Auſtriæ, D. Burſerus *legit. C. B.*

8. Apium *paluſtre ſeu officinarum, C.B.P. Apium vulgare ingratius, J.B. Paludapium, Tab. Apium officinarum ſive Paludapium, Park. Eleoſelinum Dod. Lob.* *Radix* huic alba, dodrantalis, multis cohærentibus *fibris.* *Folia Apii hortenſis* latiora, alis paribus nervo medio naſcentibus, una extremitatem claudente, petiolis brevibus inſidentibus, ut vix plurifariam diviſa ſint, atrovirentia, odorem validum, medicatum, ſed non ingratum, ſpirantia. *Caules* oriuntur profunde ſtriati, geniculati, bipedales & tripedales, concavi, in alas diffuſi. Summis virguſis & ad angulos pediculis breviſſimis adhærentes proveniunt *umbellæ* parvæ, albæ, quæ in *ſemina* exigua, ſtriata, *Apii hortenſis* ſeminibus minora, tranſmutantur.

Foſſis & humectis, variis in locis, præſertim maritimis gaudet; unde in Hortos transfertur, & mangonio & cultura amplius & dulcius redditur, præcipue in *Italia*, unde *Galli* & *Angli* ejuſdem ſub terra dealbati, quo mitius & gratius ſit, uſum in acetariis jucundiſſimis & ſaluberrimis habent, jam *Seleri* ſeu *Celeri* nomine notum (corrupte haud dubio à *Seleni*, ſecundum Italorum dialectum) *Parkinſonus*, qui *Apium dulce appellat*, ſpeciem diſtinctam à præcedenti, ſed perperam, conſtituit.

9. Apium *ſive Petroſelinum Creticum radice ampliore, Nobis. Agriopaſtinaca Cretenſium, J. B. Petroſelinum Creticum, C.B.P. Agriopaſtinaca vulgo in Creta, Belli Epiſt. 5. ad Cluſ. cui & Buſelinon Plinii videtur.* Hoc *Petroſelino vulgari* ſimillimum, niſi quod minus eſt, *foliaque* eiſdem etiam inciſuris utcunque prædita, minora tamen & aliquantulum craſſiora profert. *Caulis Petroſelini* eſt, *flores* in *umbella* albos ſuſtinens; quibus ſuccedunt *ſemina* Petroſelini, ſed minora, colore ad atrum accedenti. *Radice* firmatur unica, pollicis magnitudine longa, cortice tenui tecta, qui digiti attritu facillime à radice ſeparatur. Eſt autem radix candida, eduliſque, *Bulbocaſtani* guſtu. Tota hyeme viret, ſemenque menſe Maio profert, poſtea tota areſcit præter radicem, quæ terra latet, & primis Autumni imbribus germina protrudere incipit.

Hujus ſtripis duo reperiuntur genera, colore corticis radicum tantum differentia; nam unius *niger*, alterius *rufus* conſpicitur. *Nigrum genus in montibus quibuſque* Cretæ, *& in* Dalmatia *provenit*; *at rufum abundantiſſime tantum in ſcopulis* Cretæ *propinquis inter ſaxa.*

10. Apium *pratenſe odore Paſtinacæ, Nobis. Daucus pratenſis Apii folio, C.B.P. & Prod.* *Radice* eſt oblonga, pallide rufeſcente cortice tecta, ſapore & *odore Paſtinacæ*, ſive *Dauci officinarum*, ſuperne hirſuta & villoſa; ex qua alæ prodeunt, *foliis* pluribus uni coſtæ inhærentibus, per ambitum inciſis & ſerratis, pallide virentibus. Inter folia *caulis* pedalis, rarius cubitalis, tenuis, ſtriatus, paucis geniculis diſtinctus, in ramulos aliquot diviſus, exſurgit. Ramorum autem extremitatibus *umbellæ* candidæ floſculorum exiguorum inſident; quibus *ſemen* oblongiuſculum, nigricans, aromaticum ſuccedit.

Hoc in pratis humidis Michelfeldæ *provenit. C. B.*

11. Apium *Siculum tenuifolium glaucum floribus odore Roſæ moſchatæ redolentibus, Nobis. Daucus Siculus Sophiæ foliis, Zanon.* *Folia* promit è radicis vivacis capite, plurifariam diviſa, minuta, criſpa, lanugine obſita, inferius magis quam ſuperius albicantia, tenera, ſucculenta, in ambitu dentata, humi expanſa, *Sophiæ latifoliæ*, aut *Paſtinacæ tenuifoliæ* ſimilia. *Caulis* enaſcitur ſeſquicubitalis, ſtriatus, lanuginoſus, crebris nodis, (ima maxime parte) interceptus, minoribus & albidioribus foliis obſitus, in ramulos diviſus. Faſtigia *umbellas* ſuſtinent albas, *Roſæ moſchatæ* odore ſed remiſſiore redolentibus. Flore delapſo, reſtat *ſemen* oblongum, ſtriatum, lanuginoſum.

Semen à D. P. Boccone Panormitano *ad* D. Zanonem *tranſmiſſum eſt.*

12. Apium *Macedonicum, C. B. P. Petroſelinum Macedonicum, Dioſc. Matth. Apium ſive Petroſelinum Macedonicum multis, J. B. Petroſelinum Macedonicum verum, Ger.* *Radix* alba, rugoſa, pedalis, lignoſa, ſapore acri, *folia* emittit *Apii hortenſis* pene ſimilia, tenui lanugine pubeſcentia, petiolis brevioribus, hirtis, lobis copioſioribus, rotundioribus, magiſque ſerratis, inſidentia. *Caulem* poſt multos annos à ſatione promit pedalem & cubitalem, candida lanugine obſitum, alis diviſum frequentibus, rotundam effigiantem comam, *umbellis* candidis refertam, *ſemine* vero parvo, hirſutie alba quoque tecto, oblongo, odorato, aromatico, ſapore acri, fervido, & *Cuminum* fere reſipiente donatum.

Frequens in calidioribus regionibus ſeritur, noſtra vero frigoris eſt impatiens.

13. Apium *peregrinum foliis ſubrotundis, C.B.P. Selinum peregrinum 1. Cluſ. Hiſt. 199. Viſnaga minor quorundam, ſelinum peregrinum Cluſio, ſemine hirſuto, J.B. Daucus 3. Dioſc. Col.* Hujus *folia* prima apparent ſingularia, ſubrotunda, crenata, pediculis inſidentia, tunc terna, dein conjugationibus, Paſtinacæ ſylveſtris latifoliæ in modum ſunt lobata, terræ incumbentia. *Caulibus* tripedalibus, geniculatis, figuntur folia tenuiora magiſque inciſa, è geniculis naſcentia. *Umbellæ* caules terminant, quæ dum teneræ ſponte deflexæ & nutantes ſunt, floreſcentes vero eriguntur, & planitiem albam demonſtrant. *Semina* ſuccedunt parva, oblonga, ſubhirſuta, quibus decidentibus radix perit.

In agro Salamanticenſi *in vinetorum marginibus, & in* Sicilia *circa* Meſſanam, *ſponte oritur.*

14. Apium *montanum flore carneo, Nobis. Daucus montanus Cluſii flore carneo, ſemine Selino hortenſi æquali, J. B. 67.* Huic ex *radice* prodeunt quinæ aut ſenæ tenuiorum foliorum *alæ*, *Seſeli pratenſis* alatis foliis pene ſimiles, ſed longe minores, neque palmi amplitudinem excedentes, ſed proxime ad *Acus paſtoris vulgaris* folia accedentes, admodum virides; inter quas *caulis* prodit pedalis, nudus, ſtriatus, ſatis gracilis, qui ſummo faſtigio binas aut ternas ſuſtinet parvas & bene confertas *umbellas* floſculorum è rubro colore dilute purpu-

rantium five carnei coloris, quinque petalis conſtantium. Hos autem excipiunt *ſemina Selini hortenſis* æqualia. *Radix* digitalis eſt longitudinis, cortice foris nigricante, rugoſo, & multis tenuibus fibris prædito.

In Alpium Auſtriæ & Stiriæ *ſublimibus pratis naſcitur. Floret menſe Junio. Cluſ.*

De aliis ab Auctoribus *Apiis* dictis.

Apium *montanum folio ampliore, C. B. P. Oreoſelinum, Tab.* Et Apium *montanum nigrum, ejuſdem.* Quæ una *eſt ſpecies, diverſo tantum natali ſolo.*

Apium *ſylveſtre lacteo ſucco turgens, C. B. P.* Apium *ſylveſtre Dod. Thyſſelinum* Plinii, *Lob.*

Apium *peregrinum Cicutæ folio, C. B. P. Selinum peregrinum 2. Cluſ. Hiſt.*

Cum hæ tres Plantæ Umbelliferæ ſeminibus *membranaceis, compreſſis, donatæ ſint, ad ſeptimum genus ſubalternum inter conſortes ablegandæ ſunt.*

Apium *cicutarium* Thalii. *Eſt Cicuta fatua Lob. de qua cap. præcedenti diſſeruimus.*

Apium *aquaticum Trag.* Apium *raninum, Schwenkf.* Apium *riſus, Fuchſii. Eſt Ranunculus paluſtris Apii folio lævis, C. B. P.* Qui & Vol. prioris Sect. 4. pag. 341. deſcripſit.

Apii Vires & Uſus.

Apium *hortenſe & paluſtre potiſſimum in officinis recipiuntur.* Radices *utriuſque inter aperientes ſunt.*

Apii *hortenſis* radix *& herba ad culinas ſpectant. Stomacho gratæ ſunt; inflationes deprimunt; urinas & menſes cient; jecur & lienem obſtructionibus liberant; hydropicis & ictericis auxilio ſunt. Contra aquam intercutem, morbum regium, & calculum renum, decoctum paratur cum ſemine* Apii, Fœniculi, Aniſi, Cami *& radice* Apii, *in vino macerata: hac decoctione obſtructiones jocinoris ac lienis tolluntur; & aqua intercus per urinam expellitur.*

Herba tuſa & impoſita oculorum inflammationibus auxiliatur, illorumque tumores detumeſcere facit.

Apium paluſtre *in morbis Chronicis commendatiſſimum eſt: in ſpecie adhibetur in redundantia lactis; acrius & ferventius eſt quam hortenſe. Folia cauleſque in hortis oletariis, pinguiſſimo ſolo dealbata, quo teneriora & gratiora fiant inter acetaria ſaluberrima (hyemali tempore edenda) habentur. Herba tuſa ad tumores molliendos, colliſiones, & contuſiones livorem afferentes, & maculas tollendas, nervoſque liberandos & calefaciendos, efficaciſſima eſſe perhibetur.*

Galli *unguentum habent de* Apio, *quo omnia ulcera ſanari & mundificari ſolere contendunt. Vide* Parænum.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam diviſis, ſemine ſtriato minore.

CAPUT XXIII.

Ammi.

Ammi *Dioſc. Officinis corrupte Ameos.* Arab. Nanochach, Anazue *ſeu* Nanachue. *Ammi quaſi* Ἀμμώδη *arenula, quoniam ſemen hujus plantæ ſit ad inſtar arenæ parvulæ efformatum.* Ambroſin.

Ammeos folia plurifariam diviſa, marginibus minutim ſunt dentata, quibus & ſeminibus exiguis dignoſcitur.

TABULA XII. SECT. IX.

- *Ammi*
  - *perenne*
    1. *Repens foliis longioribus ſerratis, Nobis. Eryngium arvenſe foliis terræ ſimilibus, C. B. P. Ammi quorundam, Dal.*
    2. *Petræum glaucifolium, Nobis. Daucus petræus glaucifolius, J. B.*
    3. *Puſillum, Cæſalp. Ammiodes, C. B. P.*
  - *annuum*
    - *album*
      4. *Vulgare majus latioribus foliis, ſemine minus odorato, J. B. Ammi vulgatius, Lob. Park.*
      5. *Majus anguſtiore folio, Schol. Bot. Par.*
      6. *Odore Origani, J. B. Ammi alterum ſemine Apii, C. B. P.*
      7. *Parvum foliis Fœniculi, C. B. P. Ammi perpuſillum, Lob.*
    - *luteum*
      8. *Sylveſtre majus foliis Anethi, Nobis. Anethum ſylveſtre ſemine exiguo Ameos, J. B.*
      9. *Tenuifolium minus, Nobis. Anethum ſylveſtre minus, C. B. P. & Prod.*

1. Ammi *perenne repens foliis longioribus ſerratis, Nobis. Ammi quorundam, Dal. Lugd. Eryngium arvenſe foliis ſerræ ſimilibus, C. B. P. Crithmum* 4. *Matth. Umbelliferum, J. B.* 195. *Chab.* 408. Odioſum reptatu *radicum* eſt; ſunt enim eæ longiſſimæ, & vel minima fibra relicta redivivæ, ſatis craſſæ, albæ, *Eryngii* & guſtu & ſimilitudine. *Folia* in tria, quatuor, plura, pauciorave ſegmenta oblonga dividuntur, ſemiunciali latitudine & ampliore, longa, circumquaque ſerrata, ſapore cum radicibus communi. *Caulis* fœniculaceus, ſtriatus, farctus, nodoſus, valde ramoſus eſt. *Umbellæ* ſatis magnæ minimis contextæ ſunt floſculis, colore albido. *Semen* gracile, ſublongum, acre, & odoratum eſt.

In

In agris & inter ſegetes prope Baſileam, *aliiſque* Germaniæ *locis ſponte provenit. Junio & Julio menſibus florit.*

2. Ammi *petræum glaucifolium perenne*, *Nobis. Daucus Petræus glaucifolius*, *J. B.* 58. *Folia* profert tenuiter diviſa, ſed rarius glabra, colore glauco, è mediocriter brevibus pediculis pendentia. *Caulis* unicus ut plurimum eſt, pedalis ac etiam cubitalis, tenuis, per quem plerumque tria parva *folia*, pediculo caulem amplectentia, ramoſus interdum, in tres ramulos diviſus, in quorum extremitatibus *umbellæ* parvæ floſculorum alborum, quos ſubſequitur *ſemen* parvum, per maturitatem rubrum, ad *Ammi vulgare* accedens, aromaticum cum aliqua acrimonia, *J. B.*

Provenit locis ſiccis & petroſis in comitatu Montbelgardenſi.

3. Ammi *perenne puſillum*, *Cæſ.* 286. *Ammioides*, *C. B. P.* Puſilla eſt planta quæ inter ſaxa, in apricis & aſperis locis naſcitur, paucis *foliolis*, rarioribus capillis ſubcandidis; *cauliculo* exili, non ultra duos dodrantes, ramis tenuiſſimis inſtar filamenti; quibus *floſculi* candidi ſeu flocci areſcentes, in ſparſis *umbellis*. *Semen* in Autumno figura *Apii*, exilius, nigrum, & aromaticum, acre. *Radix* ſubrotunda, in tres aut quatuor ramulos diviſa; ſapore acri & amaro. *Cæſ.*

4. Ammi *vulgare majus latioribus foliis, ſemine minus odorato*, *J. B. Ammi majus*, *C. B. P. Ammi vulgatius*, *Lob. Ger. Park. Folia* inferiora lobis uncialibus plurifariam ſunt diviſa, in oris crenata; *caules* bicubitales, ramoſi, geniculati, è ſingulis quorum nodis folia naſcuntur tenniora. *Ramuli* teretes, graciles, in *umbellas* amplas, planas, ex nitidis tenuibuſque radiis, *floſculos* candidos gerentes terminantur; ad quorum centrum ſubjecta ſunt *foliola* tenuius diſſecta. *Semina* ſunt exigua, ſtriata, fuſca; quibus maturis, *radix* perit.

In vinetis & arvis Italicis & Siculis *ſponte provenit.*

5. Ammi *majus anguſtiore folio*, *Schol. Bot. Par.*. E præcedentis ſeminibus ſatis oritur hæc potius varietas quam ſpecies diſtincta, ut in *Apio*, *Pimpinella ſaxifraga*, aliiſque umbellis accidit. *Folia Bulbocaſtani* foliis ſimilia, tenuiter ſunt diſſecta. Quoad cætera non differt.

6. Ammi *odore Origani*, *J. B.* 25. *Creticum ſeu Candiacum*, *Chab. Ammi alterum ſemine Apii*, *C. B. P. Ammi Creticum*, *Park. Caules* huic ramoſi, ſtriati, geniculati; folia infima quidem latiuſcula & multifida, ſuperiora vero multo tenuius diſſecta; odore ſi terantur admodum aromatico *Origani*, ac ſapore non diſſimili. *Umbellæ* frequentes floſculorum minutiſſimorum, albicantium; *ſemen* parvum, inſigniter aromaticum.

Ex Syria & Creta *adfertur.*

7. Ammi *parvum foliis Fœniculi*, *C. B. P. Ammi ſemine tenuiſſimo & odoratiſſimo*, *J. B.* 25. *Chab.* 385. *Ammi perpuſillum*, *Lob. Lugd. Ger.* Herba eſt pedalis & interdum bipedalis, *caule* tenui, fragili, fœniculaceo, medulla alba pleno. *Folia* primum longa, profunde undique inciſa; & ſuperiora quidem fœniculaceis aut Anethinis ſimilia, paullo tamen ſunt tenuiora. Extremitatibus ramulorum hærent *umbellæ* parvæ, inæquales, *floſculis* albis contextæ. *Semen* minimum odoratiſſimum, calidi & acris guſtus eſt; *radix* parva, gracilis & lignoſa. Hoc *Cretico* multo eſt minus, ac *odore* quoque paullo infirmiori.

8. Ammi *luteum ſylveſtre majus foliis Anethi*, *Nobis. Anethum ſylveſtre ſemine exiguo Ameos*, *J. B.* 7. *Anethum ſylveſtre in Sicilia grandius ſativo*, *Cæſ. Anethum ſylveſtre majus*, *C. B. P. Park.* Hoc in *Sicilia* natum, *Anetho ſativo* grandius eſt, *caule* craſſo; *foliis* amplis, ut Fœniculum, ſed odore *Anethi*, quanquam infirmo umbellis amplioribus; *flore* luteo; *ſemine* exiguo, quale ferme eſt Ameos, ſubacri. *Radix* parva & lignoſa eſt, annua.

9. Ammi *luteum minus foliis Anethi*, *Nobis. Anethum ſylveſtre minus*, *C. B. P. & Prod.* 76. *Radice* eſt albicante, uncias tres longa, tenui, quemadmodum & *caulis*, qui pedalis, albus, rotundus; *foliis* eſt uncias quatuor longis, tenuiſſime, ut in *Anetho vulgari*, diviſis; *umbella* parva, ex feſtucis octo vel novem uncialibus compoſita; *floſculis* luteis; *ſemine* parvo, oblongo.

In Horto C. Bauh. *ex ſemine à doctiſſimo* Columna *tranſmiſſo, crevit.* Jo. Bauh. *tanquam aliam ab antecedenti ducit: an recta ſit ſententia, judicent iſti quibus videre datum eſt.*

Temperamentum & Vires.

Semen *temperie calidum, fervens & exſiccans, tertii ordinis intenſi, tenuium inſuper partium, ex quatuor ſeminum calidorum minorum dictorum numero eſt. In theriaca recipitur; inflationes ventris diſcutere, menſes revocare, & ſugillationes tollere ſolet. Quin & ad Mulierum ſterilitatem ſubmovendam in vino potum mirifice confert. Vide* Sim. Paul *p.* 195.

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam diviſis, ſemine ſtriato minore.

CAPUT XXIV.

SECTIONIS NONÆ.

Pyrethrum umbelliferum.

PYrethrum πύρεθρον, *ob radicis fervorem igneum; radix enim comeſa linguam & os vellicat & quaſi urit.* Arab. Macharcaraha *ſeu* Hacharcharha.

1. Pyrethrum *umbelliferum latiore folio, Nobis. Pyrethrum umbelliferum, C. B. P. Pyrethrum* 1. *Dioſc. Pyrethrum umbelliferum, Matthioli, J. B.* 20. *Radicem* habet pollicarem, in plurimas fibras terminatam; *folia* plurifariam diviſa *Cerefolii ſylveſtris* ad inſtar, fervidæ & quaſi urentis facultatis. *Flores* gerit in *umbella* albos, in muſcariis, ad inſtar *Cicutæ*; *ſemenque Aniſi* pene ſimile.

In Appenninis *montibus copioſe reperitur. Floret verſus finem æſtatis, & paullo poſt ſemen ſuum perficit.*

2. Pyrethrum *foliis Anethi, C. B. P. Pyrethrum Geſneri, J. B.* 21. *Radice* nititur longa, ſimplici, modice fibrata, pallente, digiti craſſitudine, fervidi & urentis guſtus. *Folia Anethi* ſimilia prodeunt; *caulis* fœniculaceus; *umbella* circinatæ rotunditatis. Quare nullam prorſus notam deeſſe ad veram *Pyrethri* delineationem putat *Geſnerus*, qui plantam appictam *Pyrethri veri* nomine ad *Dalechampium* ex Horto ſuo *Tigurenſi* tranſmiſit.

De Pyrethro flore Bellidis, C. B. P. cum planta ſit ſtellata, ſolida producens ſemina, inter *Corymbiferas ſtellatas*, p. 33. mentio incidit.

Pyrethri Vires & Uſus.

Pyrethrum *acerrimo eſt ſapore & linguam fortiter ſtimulanti. Hinc in lethargicis affectibus uſurpatur. Cataplaſmata & Clyſteria fortiter ſtimulantia inde parantur, ut acrimonia ſua inteſtina vellicante & irritante ægri excitentur. Imo & inter ſudorifera non ultimum locum habet. Cum aceto in odontalgia & aliis oris affectibus adhibetur; imprimis autem* radix, *ut incidat & reſolvat lympham acidiorem juſto; & quidem maſticata copioſiſſimum phlegma elicere ſolet. Quin &* pulvis Pyrethri *ad paralyſin, membrorum ſtuporem, epilepſiam, apoplexiam, & omnes inveteratos & frigidos cerebri morbos amoliendos mire valet.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam diviſis, ſemine ſtriato minore.

CAPUT XXV.

SECTIONIS NONÆ.

Carum.

CArum κάρφι & κάρον. *Arab. Carvia & Karavia, à Caria regione in qua laudatiſſimum naſcitur.*

1. Carum *Dioſc. Matth. Dod. Lugd. Tab. Ger. Caros, J. B. Cuminum pratenſe Carui officinarum, C. B. P. Carui, Adv. Lob. Cæſ. Radicem* profert ſingularem, longam, albam, craſſitudine pollicari, ſapore aromatico. *Caules* profert multos, cubitales, ſtriatos, & geniculatos, in ramuſculos diviſos. *Folia* pediculis longis innitentia, *ſtaphylini* anguſtiora gerit, lobis tenuibus nervo medio cruciatim diſpoſitis. *Umbellæ* floribus albis, ex quinis petalis cordiformibus conflatis, conſtant, non ingratò odore. Unicuique flori ſuccedunt bina *ſemina* oblonga, tenuia, ſtriata; quæ maſticata ſapore acri & aromatico ſunt.

In pratis & paſcuis Germaniæ, *in paluſtribus & pinguioribus* Lincolnienſibus, *aliiſque ad orientalem partem* Angliæ *ſpectantibus, ſponte provenit. Maio & Junio menſibus floret, & paullo poſt ſemen perficit.*

2. Carui

2. Carui *Alpinum perenne Peucedani foliis, Schol. Bot. Par.* Planta hæc nova à V. Clariſſ. *D. D. Sherard Pariſiis* delata, pedalis & cubitalis eſt, & *folia* palmum longa, à præcedentibus longe diſtantia prodit; in tribus enim & ad ſummum quinque longis ſegmentis aliſve gramineis, *Peucedani* latioris inſtar diviſa, pediculis biuncialibus inſident. *Caulis* gracilis, geniculis paucis interceptus, *folia* longa, trifoliata, emittit, latis & membranaceis pediculis adnexa. Flores in ſummitatibus exigui, ex viridi colore lutei ſunt; quibus *ſemina* ſtriata, latiuſcula, & *Angelicæ ſativæ* in modum, quaſi alis donata, ſuccedunt.

3. Carui *Alpinum radice nigricante, C. B. P. & Prod.* Planta palmaris eſt & glabra, ex *radice* oblongiuſcula nigricante, aromatica, *folia* emittens oblongis pediculis donata, foliorum *Carui* ad inſtar in paullo tamen majora ſegmenta diviſa, pallide virentia. *Caulis* modo unus, modo duo, tenuis, ad uncias ſex exſurgens, ſupra medium nudus, in quinas ſenaſve feſtucas inſtar *umbellæ* abiens; quarum ſingulæ floſculos aliquot quaſi in capitulum junctos, ex flavo rubeſcentes ſuſtinent.

In Pyrenæis *montibus* D. Burſerus *legit*. C. B. *Prod.* 84.

Carui Vires & Uſus.

Semen *inter quinque calida majora refertur, quæ vim carminatricem plane ſingularem obtinent. Hinc in affectibus inteſtinorum, & imprimis in colica commendatur.* Oleum Carui *deſtillatum in iiſdem affectibus & cardialgia proficuum eſt. Urinam item promovet, eamque ſuavis odoris reddit. Quin & tragemata poſt paſtum ſumenda ingreditur.*

Semen *palato gratum & ſtomachicum eſt, diureticum etiam, cerebrumque corroborat: in juſculis & tragematis frequens in uſum venit ſaccharo paratum; flatus diſcutit, & concoctionem promovet.*

Radices *etiam dum teneræ, coctæ inter delicias ſaluberrimas habentur.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis plurifariam diviſis, ſemine ſtriato minore.

CAPUT XXVI.

SECTIONIS NONÆ.

Aniſum.

ANiſum ἄνισον *Dioſc.* Ανισον *quidam Auctore* Plinio, *quaſi* ἀνίκητον *vocavere, quia appetentiam cibi præſtat. Vel ab* α *priv. &* ἰσος *æqualis dicitur, quod folia proferat minime æqualia.* Herman.

Aniſum guſtu & odore ſuaviore & gratiore, præſertim ſeminum, ab aliis umbelliferis dignoſcitur.

1. Aniſum *vulgatius minus annuum, Nobis. Aniſum, Tab. Ger. Dod. Park. J. B. Aniſum Herbariis, C. B. P. & Cuminum dulce Melitenſe, ejuſdem.* E *radice* annua inutili, fibroſa, oriuntur *folia Apii hortenſis* latioris amplitudine, binatim ut plurimum lobata, in oris dentata, molli lanugine pnbeſcentia, pediculis longis inhærentia, odorata. *Caulis* pedalis, varie brachiatus, *folia* gerit ad genicula tenuiora, in lacinias ferulaceas diviſa. Caulium ſummitatibus inſidet *umbellarum* copia, ex *floribus* candidis, exiguis, bifidis, conflatarum, quibus delapſis, ſuccedunt *ſemina* parva, ſtriata, cinerea, odore & ſapore grato, & palato dulci.

In Creta, Syria, & Ægypto *aliiſque orientis regionibus naſcitur. In* Sicilia, Melita, & Italia *ſeritur: ſed ubinam ſponte naſcatur, incertum manet. In regionibus borealibus ſemen raro ad maturitatem pervenit.*

2. Aniſum *dulce Melitenſibus, Nobis. Cuminum ſemine rotundiore & minore, C. B. P. Cuminum dulce Melitenſibus.* Eſt perfecta & omnibus numeris abſoluta *Aniſi* ſpecies, uti ex *ſeminis* forma, ejuſdemque *odore* & *ſapore* colligere licet. Quin & *folia* habet *Aniſi* æmula. Semine autem conſtat *Aniſi vulgaris ſem. craſſiore & breviore*, cum dulcedine quadam etiam *Aniſi* ſi maſticetur.

3. Aniſum *fruticoſum Africanum Galbaniferum, Nobis. Ferula fruticoſa ſemper virens foliis Aniſi galbanifera, ex qua Galbanum officinarum, Par. Bat. Prod. Aniſum Africanum fruticeſcens folio & caule rore cæruleo tinctis, D. Pluk. Phyt.* Inter plurimas rariores, quas *Hortus Regius* celeberrimus *Hamptonienſis* alit, inſignis hæc planta obſervata eſt; cujus *caules* pollicares, geniculati, cortice fuſco tecti, flexiles, humanam proceritatem, lignique pene duritiem acquirunt. *Folia* è ſuperioribus geniculis, *Apii hortenſis* diviſura, at ampliore latitudine alis rigidioribus, dentatis & acuminatis, & pediculis longis obrigeſcentibus donata proveniunt. Summos caules occupant *umbellæ* planæ, palmares, ex luteo colore albeſcentes; quæ in *ſemina* turgidiuſcula, ſtriata, *Aniſi vulgaris* ſeminibus paululum majora, tranſmutantur. Planta hæc in conſervatoriis & æſtuariis ſervata perpetuam retinet frondem. Guſtus odorque totius ſuavis, Aniſo primo ſervidior eſt.

Temperamentum & Vires.

Semen Aniſi *temperamentum obtinet calidum & ſiccum, omnibuſque corporis partibus accommodatum. Aromaticum, cephalicum, & pneumaticum eſt, & inter quatuor calida majora refertur; digerit; urinam ciet; hydropicis prodeſt; venerem ſtimulat; tuſſim ſedat; orthopnoicis auxiliatur; oris halitum jucundiorem facit; mala in ſtomacho ex vitiata ſeu deficiente vi fermentativa ſtomachi ſeu digeſtione orta corrigit.*

Lac nutricibus auget. Lactis certe maximum vitium eſt coagulatio, cui occurrit Aniſum, *corrigendo acidum, tam in mammis matrum quam in ſtomachis infantum.*

Pulveris *ſcrupulum unum infantibus torminibus affectis in pulte datum feliciter purgat, doloreſque ſedat. Tormina inteſtinorum & colicam apprime ſiſtit; ideoque apud* Helmontium *ſolamen inteſtinorum audit.*

Pulvis, decoctum, *ut &* oleum & ſpiritus Aniſi, *variæque confectiones Aniſatæ, nunc laxativæ, nunc alterativæ, in uſu ſunt.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis integris, ſemine ſtriato majore; Seſeli Æthiopicum frutex: & minore; Perfoliata & Bupleurum.

CAPUT XXVII.

SECTIONIS NONÆ.

Seſeli Æthiopicum frutex.

Seſelios foliis plurifariam diviſis hiſtoria in genere Cap. 17. hujus ſectionis traditur: Plantam de qua impræſentiarum agendum folia gerentem integra & indiviſa, ad ordinem conſervandum, huc ad conſortes ſuas referri oportere judicavimus; odorque reſinaceus quem ſpirat ut nomine Seſelios inſigniremus permovit.

Seſeli *Æthiopicum frutex, Dod. Ger. Park. Seſeli Æthiopicum ſalicis folio, C. B. P. Seſeli Æthiopicum fruticoſum folio Periclymeni, J. B.* 197. Κυνὸς Φρίκη, *id eſt Canis horror, Ægyptiis.* In hac claſſe *umbelliferarum* perpaucæ perpetua fronde virent, multo minus fruteſcentes ſunt, præterquam hæc & planta præcedens; ne nunc quidem tertia lignoſa ſubſtantia prædita deprehenſa eſt. Hæc lignoſis fruticat *cauliculis*, ſubnigricantibus, lentis, bicubitalibus & tricubitalibus. *Folia* profert alternatim poſita, tres uncias longa, unam lata, obtuſa, lævia, dilute virentia, odore gravi & medicato. *Flores* ſummis cauliculis erectis, nudis inſident, in *umbellis* fœniculaceis diſpoſiti, pentapetali, lutei; quibus dehiſcentibus, *ſemina* apparent, ſingulo ſuccedenti, gemina, ſtriata, utrinque acuminata, *Fœniculi* ſeminibus longiora & acutiora, fuſca, quæ ab odore reſinaceo, guſtuque forti, cæteras *Seſelios* ſpecies viribus gradum excellentiorem ſortitis ſuperare exiſtimata ſunt, & ad theriacam efficaciora eſſe auctor eſt *Lobelius*.

In ſaxoſis maritimis haud procul à Maſſilia; *in monte* Cetio, *aliiſque* Galliæ Narbonenſis *locis ſponte, Julio & Auguſto menſibus florens, reperitur.*

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis integris, ſemine ſtriato minore.

CAPUT XXVIII.

Perfoliata.

PErfoliata *dicitur quod caulis ejus ſingula folia perforet, diſſecet atque penetret, & per ipſa tranſeat.*

TABULA XIII. SECT. IX.

- Perfoliata
  - annua
    1. *Vulgaris, Ger. Perfoliata vulgatiſſima ſeu arvenſis, C. B. P. Perfoliata ſimpliciter dicta vulgaris annua, J. B.*
    2. *Longioribus foliis, J. B. Minor ramis reflexis, C. B. P.*
    3. *Minima Bupleuri folio, Col. Minor anguſto Bupleuri folio, C. B. P.*
  - perennis
    4. *Alpina magna longifolia, J. B. Alpina anguſtifolia major ſive folio anguloſo, C. B. P. & Prod.*
    5. *Alpina latifolia minor, C. B. P. & Prod. Park.*
    6. *Alpina anguſtifolia minor, C. B. P. & Prod. Alpina minor foliis gramineis, J. B.*
    7. *Alpina gramineo folio ſive Bupleurum anguſtifolium Alpinum, C. B. P. Bupleurum anguſtifolium Alpinum, Park.*
    8. *Alpina anguſtifolia minima, C. B. P. & Prod.*

1. Perfoliata *vulgaris, Ger. Vulgatiſſima ſive arvenſis, C. B. P. Perfoliata, Dod. Perfoliata ſimpliciter dicta vulgaris annua, J. B. Cauliculus* huic aſſurgit gracilis, teres & glaber, bipedalis, in ramulos diſtributus; quos *folia* ſic ambiunt, ut medios amplectantur ac circumdent, lata, ſubrotunda, lævia, glabra, venoſa, dilute virentia. Umbellæ in faſtigiis, quibus *foliola* myrtina ſubjiciuntur, planæ ſunt, *petiolis* brevibus, & floſculis luteis donatæ, ſuccedente *ſemine* ſtriato, ſubnigricante, gemino; quibus deciduis, quotannis renaſcitur.

In arvis montoſis & inter ſegetes, variis locis, ſponte oritur.

2. Perfoliata *annua longioribus foliis, J. B. Minor ramis inflexis, C. B. P. & Prod.* Hiſce notis à præcedente diſtinguitur: *Folia* lata in mucronem terminantur; Planta humilior eſt; *ramuli* frequenter reflexi; *flores* & *ſemina* nigricantia duplo ſunt majora.

3. Perfoliata *minima Bupleuri folio, Col. deſcript. p.* 85. à quo *Perfoliati anguſtifolii montani titulo* pingitur, *p.* 247. *Perfoliata minor anguſtifolia, C. B. P. Auriculæ leporis affinis Odontitis lutea Valerandi & Dalechampii, J. B.* 201. Planta hæc annua, dodrantalis, è *cauliculo* gracili in ramuſculos diviſa eſt. *Folia* geniculis appoſita, uncialia, anguſta, *Polygoni* ſimilia, tenuia ſunt, & acuta. *Umbellulæ* in ſummitatibus naſcuntur ſubluteæ, *foliolis* oblongis & acutis circumvallatæ. *Semina* ſuccedunt bina ſimul juncta, *Ammeos* magnitudine, parva, ex nigro colore rubeſcentia.

In agris humidioribus Siciliæ *oritur, ut* J. Bauh. *perhibet; at in locis ſiccis circa* Monſpelium D. Magnol. *legit.*

4. Perfoliata *Alpina magna longifolia, J. B.* 199. *Alpina anguſtifolia major, ſive folio anguloſo, C. B. P. & Prod. Folia* ei inferiora oblonga, palmaria & ampliora ſunt, unciam lata, in acumen deſinentia, pediculis longis inſidentia; ſuperiora quæ in caule naſcuntur propius ad *Perfoliatæ vulgaris* folia accedunt, ex oblongis nonnihil rotunda. *Flores* umbellati parvi, lutei, *foliolis* parvis, obtuſis ſeu rotundis obvallati ſunt. *Semen* oblongum, ſtriatum, majus quam vulgaris. *Radices craſſæ*, perennes.

In Pyrenæis *montibus non longe à* Narbona *reperitur.*

5. Perfoliata *Alpina latifolia minor, C. B. P. & Prod. Park. Radice* eſt unica, rufeſcente, pauciſſimis *fibris* capillata. *Caulis* gracilis, teres, glaber, cavus, cubito altior, in ramulos quaſi in *umbella* diſpoſitos diſtribuitur, quem *folia* glabra, venoſa, ſeſquiunciam lata, *Vaccanæ* foliis ſimilia, baſi lata ſecundum medietatem amplectuntur. In cauliculorum faſtigiis *umbellæ* ſunt, una cum *foliis* exiguis, *floſculis* tenuibus donatis, ſubluteis, quibus *ſemen* oblongiuſculum, nigricans, anguloſum ſuccedit.

Hæc in Helvetiorum *Alpibus reperitur.* C. B.

6. Perfoliata *Alpina anguſtifolia minor, C. B. P. & Prod. Perfoliata minor foliis gramineis, J. B.* 199. Craſſiuſculam habet *radicem*, & verſus terram comoſam; ex qua *caules* pullulant plures, palmares, pedales, teretes, ſtriati, perque hos *folia* acuta, baſi paululum latiori, caulem complexa, unciam unam aut alteram longa, ſemunciam circiter lata, alia vero graminea, palmo etiam longiora, culmum lata enaſcuntur. *Umbellæ* æqualibus conſtant muſcariis *floſculorum* luteorum, foliorum rotundorum vallo munitorum.

In Sumano monte, & Valeſianorum Alpibus collecta eſt.

7. Perfoliata *Alpina gramineo folio ſive Bupleurum anguſtifolium Alpinum, C. B. P. Bupleurum anguſtifolium Alpinum, Park. Radix* huic longa eſt, craſſa, *tuberculis* quaſi hinc inde erumpentibus. *Folia* anguſtifolii *Bupleuri* foliis ſimilia ex protuberantibus partitionibus copioſe emanant, & in circuitum ſeſe expandunt.

Flores autem ex ſeptem *foliolis* aliquantulum mucronatis è luteo colore palleſcentibus in ſummitate *caulis* teretis, nudi & dodrantalis exſeruntur. Horum autem in medio *ſemina* umbellæ in modum graviter ſpirantia exiſtunt. Guſtu refert *Cinaræ* ſaporem.

8. Perfoliata *Alpina anguſtifolia minima, C. B. P. & Prod.* Plantula eſt ſemipalmaris, *radice* tenui rufeſcente & ſerpente, *fibris* capillaceis terræ affixa; ex qua *folia* oblonga, anguſtiſſima, pluribus locis progerminant. Inter iſthæc *cauliculi* efferuntur tenuiſſimi, glabri, uncias quatuor alti, in ramulos binos (& hi in minores) quaſi ex *umbella* minima prodeuntes, diviſi, quos folium unum vel alterum baſi latiore cingit, & *floſculi* exigui flavi inſident.

In ſummis montium Pyrenæorum *jugis reperitur.* C. Bauh.

Perfoliatæ Vires & Uſus.

Planta eſt vulneraria, & in curandis herniis frequens adhibetur, imprimis enterocelis, ſive in ſcroto, ſive in umbilico. In herniis autem interne miſceatur potibus vulnerariis, & ſimul externe per modum cataplaſmatis imponatur.

Semen *eſitandum exhibetur pueris & infantibus ramice laborantibus. Brevi: modice calida, paullo vero magis ſicca eſt, utpote nonnihil amaricans, & adſtringens.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Foliis integris, ſemine ſtriato minore.

CAPUT XXIX.

Bupleurum.

BUpleurum *Gr.* Βύπλευρον *id eſt coſta bovis, à* Βοῦς *i. e. bos &* πλεῦρον, *i. e. latus à foliorum* coſtam bovinam *referentium forma dictum eſt; vel ut aliis videtur quoniam hæc verba ſtrumis in* lateribus boum *quandoque excreſcentibus medetur.*

Perfoliatis anguſtifoliis, de quibus capite præcedenti diſſeruimus, ſimile eſt *Bupleurum*; *folia* vero frequenter longiora, caulem non ambiunt, neque *foliola* latiuſcula *umbellis* tenuioribus obvallantur.

TABULA XIV. SECT. IX.

Bupleurum
- *perenne*
  1. *Longis & anguſtis foliis incurvis, Nobis. Bupleurum folio ſubrotundo ſive vulgatiſſimum, C. B. P. Auricula leporis umbella lutea, J. B.*
  2. *Latifolium, Park. Bupleurum folio rigido, C. B. P. Auricula leporis altera ſive rigidior, J. B.*
- *annuum*
  3. *Longis & anguſtioribus foliis, Nobis. Bupleurum anguſtifolium, Dod.*
  4. *Minimum, Col. Bupleurum anguſtiſſimo folio, C. B. P. Auricula leporis minima, J. B.*

1. Bupleurum *perenne longis & anguſtis foliis incurvis, Nobis. Bupleurum folio ſubrotundo ſive vulgatiſſimum, C. B. P. Auricula leporis umbella lutea, J. B. Radix* ei parva eſt, rugoſa, ſubviridis, fibrata, ſapore acri; *caulis* tenuis, teres, lævis, ſtriatus, crebris geniculis donatus, intus inanis, altitudine cubiti unius aut duorum, ramis multis concavus, colore ſubrubente interdum, viridi; *folia* præſertim quæ in caulibus exiſtunt, longiuſcula, ſtriata, nervis ſecundum longitudinem pluribus donata, inferiora autem latiora ſunt; *flores Feniculi* lutei, in *umbella* minus patula, quibus *ſemen* ſuccedit *Petroſelini*, acre.

In montoſis & collibus variis Germaniæ, *lociſque nemoroſis ſponte provenit.*

2. Bupleurum *perenne latifolium, Park. Bupleurum folio rigido, C. B. P. Auricula leporis altera ſive rigidior, J. B.* 200. *Bupleurum latifolium Monſpelienſium, Ger.* E *radice* vivaci oriuntur huic *folia*, ex anguſto principio, pediculis longis adhærentia, nervoſa, rigida, biuncialis longitudinis, ad uncialem latitudinem ſeſe dilatantia. Inter hæc autem *caulis* aſſurgit pedalis & cubitalis, in cujus inferioribus *geniculis folia* naſcuntur anguſtiora. Summæ cauliculorum ramificationes *umbellas* ſuſtinent tenuiſſimas, ad imum tres radios raro ſuperantes; *floſculis* luteis, & *ſeminibus* longiuſculis, parvis, ſtriatis, & incurvis, *Carui* pene ſimilibus, ſuccedentibus.

In rupetis circa Gramuntium *nemus*, La Valette, *& in aliis ſterilioribus haud longe à* Monſpelio *paſſim reperitur, necnon in Charibbæis Inſulis naſcitur. Julio & Auguſto menſibus floret.*

3. Bupleurum *annuum longis & anguſtioribus foliis, Nobis. Bupleurum anguſtiſolium, Dod. Folia* prima terræ incumbentia, palmaria, graminea anguſtia donata ſunt. *Caulis* erigitur teres, gracilis, bipedalis & bicubitalis, geniculatus, à dimidio in ramulos brachiatus, foliis etiam anguſtis, alternatim ſitis, & aſſurgentibus tenuioribus, præditus. *Umbella* in ſummitatibus exiguæ *flores* oſtendunt luteos, quibus *ſemina* oblonga, ſtriata, *Carui* ſeminibus obtuſiora, ſuccedunt. His autem matureſcentibus, radix perit.

In lapidoſis circa Mommau, la Columbiere, & la Valette, *Julio & Auguſto menſibus florens, copioſe reperitur.* D. Magnol.

4. Bupleurum *annuum minimum, Col. Bupleurum anguſtiſſimo folio, C. B. P. Auricula leporis minima, J. B.* 201. Annua tenuiſque hæc planta pedalem altitudinem raro ſuperans, dodrantalem modo attingit. *Folia* ei uncialia,

uncialia, tenuia, acuta, *Polygoni* ad inſtar, inordinatim diſpoſita ſunt. *Cauliculi* graciles, geniculati, ſtatim è *radice* tenui, dura, procumbentes ſunt, unico in medietate erecto; interdum vero ſimplici tantum caulículo aſſurgit. E foliorum ſinubus cauliculi etiam naſcuntur minores, *umbellas* minimas gerentes flavas; ad quarum exortum foliola quinque pertenuia, calycis vicem præſtantia, ſubjiciuntur. E ſuperioribus umbellis, quandoque *umbella* petiolo unciali ſuſtenta aſſurgit, ut prolifera quaſi videatur. *Semen* ſtriatum fuſcum, *Apii* ſimile, pro plantulæ modulo ſatis magnum eſt. Atque hoc quotannis renovatur.

Variis in locis, ad vias, ubi per hyemem aquæ ſtagnarunt, præſertim ſolo ſigulari & argilloſo, Auguſto menſe florens, reperitur. In Inſula Madera, *aliiſque Charibbæis ſponte provenit.*

SECTIONIS NONÆ.

Diſtributio Quarta.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Seminibus longioribus roſtratis, quarum bina ſemina avicularum roſtri ad inſtar conjuncta ſunt.

Myrrhis, Cerefolium, & Scandix.

CAPUT XXX.

MYrrhis, Μύῤῥις *vel* μύῤῥα, *ab odore Myrrhæ dicta; nam tota planta ſuavem ſpirat odorem.*

Myrrhis eſt planta umbellifera odorata, foliis plurifariam diviſis, ſeminibus binis, ſtriatis & ſulcatis, oblongis, ſimul junctis, inferius craſſiuſculis, ſuperius in mucronem deſinentibus, avicularum roſtris ſimilibus.

TABULA XV. SECT. IX.

Myrrhis
- *perennis*
  1. *Magno ſemine longo ſulcato, J. B. Myrrhis major vel Cicutaria odorata, C. B. P.*
  2. *Altera minor, Park. Myrrhis minor, C. B. P.*
  3. *Minor foliis*
     - *hirſutis, ſemine ſtriato aureo, D. Moriſ.*
     - *hirſutioribus.*
     - *hirſutiſſimis.*
  4. *Canadenſis trilobata.*
  5. *Sicula elatior tenuioribus foliis, Nobis. Daucus Siculus Sophiæ foliis, Zan.*
  6. *Lutea Dauceides, Moriſ. Prælud. Bot.*
- *annua*
  7. *Vulgaris caule fuſco, Nobis. Chærophyllum ſylveſtre, C. B. P. Anthriſcus Plinii, Lugd.*
  8. *Tuberoſa, nodoſa,* Καυκοφυλλον, *Nobis. Cicutaria bulboſa, C. B. P. Cicutaria Pannonica, Cluſ.*
  9. *Semine lanugine alba pubeſcente, Nobis. Daucus Creticus verus Dioſc. Lob. Daucus foliis Fœniculi tenuiſſimis, C. B. P.*

1. Myrrhis *magno ſemine longo ſulcato, J. B. Myrrhis, Dod. Matth. Lugd. Sativa, Cam. Myrrhis major vel Cicutaria odorata, C. B. P. Myrrhis major vulgaris, vel Cerefolium majus, Park.* Hæc *radicem* habet albam, craſſam, molli carnoſoque cortice, in fiſſuras cito ab aere laceratam, ſuavi, jucundo aromatico & quaſi aniſato ſapore donatam. *Folia* ſunt magna, plurifariam diviſa, & *Cicutæ* majoris in modum pediculis alata & pinnatim pendentia, pallide viridia, mollia & hirſuta. *Caules* ſurrigit bipedales & bicubitales, brachiatos, hirſutos, inanes, geniculatos. *Umbellas* haud magnas gerit *florum* alborum, ex quinque petalis cordiformibus conflatorum. Floribus deciduis ſuccedunt *ſemina* magna, longa, ſulcata, nigricantia, ſulcis profundius ductis prædita, quæ maſticata, præſertim dum viridia, guſtum *Aniſi* jucundum referunt.

In pratis Haſſiæ *ſponte oriri auctor eſt* Gillenius; *in pluribus hortis* Europeis *alitur.*

Datur hujus varietas *Foliis ſaturatius virentibus, & caulibus foliis filicinis, & pediculis multo hirſutioribus.*

2. Myrrhis *altera minor, Park. Myrrhis minor, C. B. P. Altera parva, Ger. Lob. Montana, Cam.* Antecedenti convenit hæc, minor vero in omnibus partibus eſt. *Semen* præ maturitate non nigricat, ut in ea.

A monte Salevæ *ſibi allatam hanc plantam confirmat* Lobelius.

3. Myrrhis *perennis alba minor foliis hirſutis, foliis hirſutioribus, & foliis hirſutiſſimis, D. Moriſoni.* Prima eſt *Cicutæ* foliis, cujus *caulis* ſtriatus aſſurgit ad binos ternoſve pedes. *Flores* albos & *ſemina* roſtrata, ſtriata, ſemiuncialia, in cymis gerit, exterius lutea, cava parte qua junguntur ſubcærulea. *Foliis* eſt hirſutis, *pinnis* latioribus, plurifariam diviſis. *Secunda* hujus datur varietas, cujus *folia* ſunt hirſutiora, medio modo ſecta, pinnis anguſtioribus, quam primæ ſunt folia. *Tertiæ* folia adhuc ſunt tenuius diſſecta, & *ſemen* tenuius, longum, ſubfuſcum.

Ex Alpibus aliiſque Galliæ, *puta* Alverniæ, *montibus celſis leguntur.*

4. Myrrhis *Canadenſis trilobata. Radix* ei perennis, alba, fibrata eſt. Ex hac *folia* protruduntur plurima, latiuſcula, pediculis palmaribus innitentia, glabra, trifariam diviſa, in ambitu ſerrata; quorum bini lobi inferiores *laciniam* profundam patiuntur, ut *Sanículæ vulgaris* folia quodammodo imitentur. Inter hæc oriuntur

untur *caules* tenues, ſtriati, læves, ſolidi, cubitales, in genicula pauca diviſi. Iſtorum cuilibet *folium* tripartitum pediculo breviori & latiori adhæret, cujus ſingula pars, utrinque mucronata, latitudinem uncialem & duplam longitudinem acquirit. Ex alis foliorum enaſcitur *ramuſculus* tenuis, ſummitatem adæquans, *umbellas* rariſſimas, ex radiis paucis, ternis ſcilicet & quaternis, (quorum unus aut alter alios ut plurimum ſuperat) *floſculis* albis ornatis, compoſitas oſtentans. *Semina* ſuccedunt acuta, tenuia, *Carui* ſimilia, duplo tamen longiora, *Myrrhidis* ritu ſulcata.

E ſeminibus à D. D. Sherard *Cerefolii Canadenſis trilobati nomine inſignitis orta eſt.*

5. Myrrhis *Sicula elatior tenuioribus foliis, Nobis. Daucus Siculus Sophiæ foliis, Zanoni.* Multa è *radicis* capite *folia* promit, quorum pediculi lata, nervoſa cartilagine radici adnexi, rotundi ſunt, ſuperne ſulcati & cavi, tenues, ſuccoſi, & ſublucidi, in ramulos eodem modo diviſi & ſubdiviſi quo & aliæ umbelliferæ. *Folia* ipſa minuta ſunt, criſpa, lanugine obſita, inferius magis quam ſuperne albicantia, tenera, ſucculenta, in ambitu dentata, humi expanſa, quam late occupant. *Sophiæ latifoliæ* aut *Paſtinacæ tenuifoliæ* foliis ſimilia, nonnihil odorata. *Caulis* ſeſquicubitalis, canaliculatus, lanuginoſus, rufeſcens, digitum minimum craſſus, medulla viridi repletus, crebris nodis, ima maxime parte interceptus, foliis ſupra dictis ſimilibus obſitus, verum albidioribus & minoribus, ad nodos cauli adnexis, pediculis membranea origine eum amplectentibus. Ex horum autem cavitatibus exeunt rami, ſupra medium caulem aſſurgentes; quorum unuſquiſque faſtigio ſuo *umbellam* ſuſtinet, è *floſculis* minimis albis compoſitam, *Roſæ moſchatæ* odore ſed remiſſiore. Flore delapſo reſtat *ſemen* oblongum, ſtriatum, lanugine alba obſitum. *Radix* flavicans, *Fæniculi* ſapore, in multos annos vivax eſt.

A Panormo Siciliæ *metropoli ad Auctorem tranſmiſit inſignis Botanicus* D. Paulus Boccone.

6. Myrrhis *lutea daucoides, D. Moriſ. Prælud. Bot. Folia* quam proxime *Carotæ* ſeu *Dauco* accedunt, unde nomen ſortita eſt. *Flores* habet luteos; quibus *ſemina* roſtrata, ſtriata, *Myrrhidis montanæ* ſeminibus longiora, & minus tumida ſuccedunt.

7. Myrrhis *annua vulgaris caule fuſco, Nobis. Anthriſcus Plinii, Lugd. Chærophyllum ſylveſtre, C. B. P. Anthriſcus Plinii quibuſdam ſemine longo Cicutariæ vel Chærophylli, J. B. 70.* E *radice* annua recta & fibroſa proveniunt *folia Petroſelini* plurifaria diviſura, hirſuta, maculis cyaneis, ſubfuſcis conſperſa. *Caulis* aſſurgit bipedalis, ad cujus genicula aliquantulum tumeſcit, totuſque ex fuſco colore purpuraſcit. Singuli *ramuſculi umbellas* albas gerunt, quæ in *ſemina* longa tenuiora, ſtriata, lævia, binatim ſibi invicem juncta, tranſmutantur. Iſtis autem deciduis ſponte quotannis renovatur, radice pereunte.

Ad radices ſepium & foſſarum aggeres frequenter occurrit.

8. Myrrhis *annua tuberoſa, nodoſa,* Κωνειόφυλλον, *Nobis. Cicutaria bulboſa, C. B. P. Cicutaria Pannonica, Cluſ. Cicutaria odorata bulboſa, J. B.* 183. *Bulbocaſtanum coniophyllon, Cam.* Biennis eſt planta, & à *radice* turgida, *nucis moſchatæ* magnitudinem æquante, fibra exinde deſcendente, *folia* primo anno emittit *Cicutæ* tenuiora, per terram ſtrata; ſecundo anno caulis inanis aſſurgit bicubitalis & tricubitalis, rectus, *Cicutæ vulgaris* æmulus, cujus bina inferiora genicula, eorumque internodia hirſutie denſa ſcatent, dum ſuperiora lævia obſervantur. His *folia Cicutariæ*, acutiora vero, pilis quibuſdam in dorſo aſperſis, adnaſcuntur. *Umbellas* haud magnas, albas in ſummitatibus profert, quibus *ſemina* longa, tenuia, & acuta, ſtriata, ſuccedunt; iiſque maturis *radix* perit.

In Viennenſis *agri locis herbidis, & ſimilibus itidem* Hungariæ *ſponte provenit.*

9. Myrrhis *tenuifolia annua Cretica, ſemine lanugine alba pubeſcente, Nobis. Daucus Creticus verus Dioſc. Lob. Daucus foliis Fæniculi tenuiſſimis, C. B. P. Daucus Alpinus multifido longoque folio, ſive montanus umbella candida, ejuſdem. Daucus Creticus ſemine hirſuto, J. B. Et forte Daucus Tiburtinus quibuſdam, J. B.* eadem eſt planta. *Folia* à radice annua oriuntur *Dauci vulgaris* diviſura, alis vero brevibus, multo tenuioribus, tenuique lanugine obſita; uti ſunt *caules* graciles, pedales, qui *umbellas* florum candidorum ſuſtinent, nullis foliolis ad radiorum exortum donatas, ut in *Dauco vulgari* videre licet. *Semina* ſequuntur *Myrrhidum* ritu longa, & acuta, villo pubeve candida omnino amicta, adeo brevi, ut vix hirſuta ab eo denominari poſſe videantur, apice bifurcato, tenui, in ſummitate donata. *Semina* acria ſunt & aromatica, & in officinis in uſum veniunt.

Cretenſis *Inſula non ſola hanc plantam alit. Nam & in Alpibus* Germanicis, *collibus montis* Juræ & Genevenſibus *reperitur.*

Myrrhidis Vires & Uſus.

Myrrhis ſapore grato prædita, 2^do^ gradu calida partium ſubtilium & tenuium eſt; blandaque & temperata, quaſi aroma. Affectibus igitur capitis, ſtomacho grata, imprimis vertigini, præſentaneum eſt remedium: hinc qui ex vertigine apoplexiam metuunt, uti ſenes, ea tuto uti poterunt.

Interne pariter ſanguini congrumato reſolvendo conducit: & propterea ab alto lapſis propinanda.

Itidem in exulcerationibus partium in uſum venit. Quin & vis diuretica, quia eſt herba vulneraria, in ea prædicatur: hinc qui patiuntur exulcerationes renum, eandem adhibeant; ut & mulieres quibus ex vitio lactis mammarum abſceſſus oriuntur. Foreſt. lib. de Puerp. *ſcribit ſe ſæpius uſurpaſſe in iis mulieribus, quibus lac in mammis fuerat coagulatum.*

Uſus etiam in juſculis in quæ hæc herba minutim inciſa conjici debet. Brevi, iis quibus ſtomachus ſanguiſve edulcandus eſt, uſus vel radicis *vel herbæ, vel etiam* aquæ deſtillatæ, *à plurimis commendatur.*

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine roſtrato non ſulcato donatæ.

CAPUT XXXI.

Cerefolium.

CErefolium & *Chærefolium*, à χαίρω lætor & delector: *grata quippe eſt planta, præcipue in condiendis herbis, gaudium hilaritatemque excitans.*

Cerefolium eſt planta umbellifera Myrrhidi proxima; ſed pro nota generica & interſtinguente hanc habeto; quod ſemina roſtrata in dorſo lævia ſint & plana, cum in altera ſtriata & ſulcata appareant. Diviſio prima eſt à duratione; annuum utpote melius notum præponemus.

TABULA XVI. SECT. IX.

Cerefolium
- *annuum*
  1. *Sativum, Trag. Chærophyllum ſativum, C.B.P. Chærophyllon, J. B.*
  2. *Sylveſtre ſeminibus brevioribus villoſis, Nobis. Myrrhis nova Æquicolorum, Col.*
  3. *Virginianum minus procumbens Fumariæ foliis.*
  4. *Nodoſum ſemine aſpero majore, Nobis. Myrrhis nodoſa ſemine aſpero, Hort. Reg. Bleſ.*
- *perenne*
  5. *Sylveſtre ſeminibus lævibus nigris, Nobis. Myrrhis ſylveſtris ſeminibus lævibus, C.B.P. Cicutaria vulgaris, J. B..*
  6. *Latifolium hirſutum album & rubrum, Nobis. Cicutaria latifolia hirſuta alba & rubra, C.B.P.*
  7. *Latifolium Canadenſe, Cornuti.*

1. Cerefolium *ſativum, Trag. Chærophyllum ſativum, C.B.P. Chærophyllon, J. B. 75. Cerefolium ſativum, Park. Vulgare ſativum, Ger.* *Radice* eſt nitente, alba, minimi digiti craſſitudine, plurimis fibris exeuntibus; è qua *caules* plures exſurgunt cubitales & bicubitales, ramoſi, ſtriati, concavi, geniculis pauliſper protuberantibus. *Folia Apii hortenſis* foliis ſimilia, ſed argutius diviſa, nec ita longa, pallide virentia, in averſa parte tantilla hirſutie donata. *Flores* in umbellis raris parvi ſunt & albi, quinque petalis cordiformibus, totidemque ſtaminibus albidis, conſtantes. *Semen* gemellum, oblongum, tenue, in acutum definens, læve eſt & nigricans. Tota planta dulcis & aromatici eſt ſaporis.

Paſſim in hortis colitur, & vere ſatum celeriter in caulem aſſurgit. Autumno ſatum per totam hyemem viret.

2. Cerefolium *ſylveſtre annuum ſeminibus brevioribus villoſis, Nobis. Myrrhis nova Æquicolorum, Col. Myrrhis ſylveſtris ſeminibus aſperis, C.B.P. Cicutariæ quodammodo ſimilis & Chærophyllo accedens, J. B. Chærophyllo accedens planta*; ita ſatis apte expreſſit *Jo. Bauhinus; folia* enim concoloria in crebrioribus *alis* diviſa ſunt, mollia, tenuia, *pilis* frequentioribus, præſertim ex adverſo ſcatentibus qui hyemali tempore humi procumbunt, menſibus *Martio* & *Aprili* lætiora ſunt & ampliora, ad *Cicutam* accedentia, verum pallidiora. *Caules* ſtatim ramoſi, cubitalem & bicubitalem altitudinem aſſequuntur, foliis conſimilibus ornati. *Umbellæ* albæ non tantum in ſummitatibus, ſed frequenter è caulium ſingulis proveniunt; quibus fatiſcentibus, *ſemina* parva, roſtrata, cæterorum ſeminibus breviora, externe hiſpiditate donata, veſtibus prætereuntium adhærentia ſuccedunt. Ex his autem deciduis mature in autumno novæ plantæ emergunt.

In ſuburbiis ad foſſarum aggeres, murorum radices, & agrorum margines, paſſim reperitur.

3. Cerefolium *Virginianum procumbens Fumariæ foliis.* Nova hæc planta à Rev^o^ D. *Jo. Baniſter* tranſmiſſa, *caules* prodit graciles, aliorum tenuiores, pedales, à *radice* procumbentes; atque ad horum genicula, *folia* ex alis tenuibus, oblongiuſculis, plurifariam diviſa, & *Fumariam* (colore viridi excepto) ſatis æmulantia proveniunt. *Umbellæ* rariores, ex tribus radiis raro pluribus compoſitæ, albæ ſunt, ut in aliis. Has autem ſemina longa, tenuia, nigricantia, *Chærefolii ſativi* ſimilia ſequuntur.

4. Cerefolium *annuum nodoſum ſemine aſpero majore, Nobis. Myrrhis nodoſa ſemine aſpero, Hort. Reg. Bleſ.* Huic *folia* ſunt ex alis latioribus compoſita, hirſutie ſubaſpera prædita. *Caules* cubitales, nodoſi, inanes, erecti, ramoſi, craſſiuſculi, quaſi ſpinulis aſperis aſperſi, ad geniculà in nodos pollicaris craſſitudinis intumeſcunt. *Flores* albi, in umbellis ex paucis radiis compoſitis, naſcuntur. *Semina* ſuccedunt longa, rigida, aſpera, utrinque acuminata, aliorum majora; quibus exſiccatis & per multos annos ſervatis, ſtriæ ut in *Myrrhidum ſeminibus* prominentes non cernuntur.

In Creta & Sicilia *ſponte oriri creditur.*

5. Cerefolium *ſylveſtre perenne ſeminibus lævibus nigris, Nobis. Myrrhis ſylveſtris ſeminibus lævibus, C.B.P. Cicutaria vulgaris, J. B. Myrrhis ſylveſtris, Park.* Late expanſa ſunt hujus *folia* viridia, alis *Cicutæ* latioribus, acuminatis, prædita, pediculo longo, ſuperius ſulcato innixa. *Caulis* aſſurgit bipedalis & tripedalis, alte ſulcatus, ramoſus & geniculatus; *flores* albi in umbellis; ſemina longa, acuta, lævia, nigricantia ſunt; *radices* fibris craſſiuſculis terram prehendentes, per multos annos durant.

In pomariis, ſylvoſis, & ad ſepes, frequens occurrit. Primo vere folia copioſe emittit; menſe Maio floret; Junio & Julio ſemen perficit.

6. Cerefolium

6. Cerefolium *latifolium hirſutum album & rubrum, Nobis. Cicutaria latifolia alba & rubra, C. B. P. J. B.* Duorum cubitorum & altior eſt *caulis*, ſtriatus, concavus, pilis obſitus, ad genicula ſingulari *folio* donatus quoquoverſus ſeſquipalmari, trifariam primo diviſo, ejuſque diviſiones ad *Myrrhidis* diviſiones deinceps accedunt, ſed latiores, rariores, hirſutie ſupra ſubtuſque, potiſſimum per nervos venulaſque aſperſæ, ut & per pediculos. *Umbellæ* magnæ ſunt *floſculorum* candidorum, aliquando ſuave purpureorum, aut potius amethyſtinorum; ſub quorum pedicellis foliola acuta quaquaverſum ſunt radiata. *Semina* bina juncta, bicornia, longa, quæ relicto ſtylo medio facile diſſiliunt deciduntque. *Radices* craſſæ, obliquæ, perpetuæ ſunt & aromaticæ.

In paſcuis montoſis Juræ & Salevæ *montium prope* Genevam, *præſertim ad rivulos oritur.*

7. Cerefolium *latifolium Canadenſe, Cornuti.* Omnes noſtratis *Cerefolii ſylveſtris* particulas ad unguem refert; folia vero plurifariam diviſa, latitudine & longitudine quadruplo ſuperant noſtras, & plenioris incrementi *cauliculum* facit & *cyma*. *Flos* albidus, *muſcarii* effigie, ſummum caulem occupat. Hunc ſequuntur *ſemina* longiuſcula, ex uno pediculo plura.

E Canada *recepit* Ja. Cornutus; *è* Virginia *quoque habemus.*

Cerefolii Vires & Uſus.

Temperate excaleſacit & modice reſiccat; dulcis & odorati eſt ſaporis. Quare non ſolum in medicina, ſed & in culinis & acetariis commodum eſt.

Ad diſcutiendos intra corpus concretos ſanguinis grumos, ſanguinemque extravaſatum, ſive intus vel extra congelatum diſpellendum, efficaciſſimum eſſe experientia comprobatur. Urinam promovet, & obſtructiones ſolvit.

Extrinſecus inſignis eſt uſus: ſi butyro frigatur herba & abdomini imponatur, certum eſt contra tormina remedium; ad quod mulierculæ ceu ad ſacram anchoram confugiunt.

In dolore colico, & urina retenta (impoſitum in cataplaſmate) optimi & mirandi eſt uſus. Plura de hac re vide apud Sim. Paul.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine roſtrato longiſſimo.

CAPUT XXXII.

Scandix ſive Pecten Veneris.

SCandix Σκάνδιξ *Dioſc. forte à σκαίρω ſalio, ſaltito, quoniam hæc herba per arva ubique paſſim inter ſegetes luxuriat: & à ſeminibus longis roſtratis, confertis, pectinis dentium ad inſtar,* Pecten Veneris *nominatur.*

1. Scandix *vulgaris ſemine roſtrato, C. B. P. Pecten Veneris, J. B. Scandix vulgaris ſeu Pecten Veneris, Park. Acus paſtoris* etiam à quibuſdam appellatur. Ex *radice* exigua, annua, *caules* producit tenues, dodrantales, leviter hirſutos, juxta terram rubentes, ſuperius virentes, ſtriatos, in ramos diviſos; *folia Chærophylli Caruive* foliis tenuiora, viridia, longis pediculis appenſa. *Flores* ad *Myrrhidis* flores quam proxime accedunt, umbellatimque ſunt diſpoſiti, albi. Iſtis ſuccedunt biuncialia *roſtra*, in *umbel*lam conferta, quorum ſingulum petiolo ſingulari adhærens *Geranii* ad inſtar in fundo craſſius & in acumen longum extenuatur; illudque maturum binatim concreſcit. Ad baſin roſtri bina *ſemina* à *fibrilla* media hinc inde in duas partes diſſiliunt, manente in medio fibrilla membranacea, tenui, alba, ſimili quodammodo aceri *Tritici* aut *Hordei.*

Inter ſegetes paſſim provenit; floret ſub exitum veris & per totam æſtatem; ſemina verſus finem æſtatis perficit.

2. Scandix *Cretica major, C. B. P. & Prod. Pecten Veneris Creticum, J. B. Folia* hujus ſuperiora *Scandicis* vulgaris modo ſunt diſſecta; inferiora vero nigriora, leviter hirſuta, & minus profunde inciſa. *Caulis* cubitalis, anguloſus, ſtriatus, ſubhirſutus; umbella parva; flores albi, & ſemen roſtratum, 10. 12. & pluribus roſtris ſimul junctis. Cuilibet vero roſtro apicis duo quaſi aculei rigidi præfiguntur.

3. Pecten Veneris *folio tenuiore & paucioribus roſtris, J. B. Chab. Scandix Italica ſemine roſtrato, C. B. P. & Prod.* Hæc palmaris, raro dodrantalis eſt planta. *Cauliculi* terni & quaterni, nunc erecti nunc procumbentes prodeunt; circa quos *folia Scandicis vulgaris* ſimilia ſed tenuiora ſunt. *Umbellæ* etiam minores cernuntur. *Floribus* ſuccedunt *ſemina* oblonga, acubus ſimilia, non tot quot in vulgari, ubi communiter octo obſervantur, ſed bina, terna, quaternave, eaque illis minora.

4. Scandix *Cretica minor, C. B. P. & Prod. Pecten Veneris tenuiſſime diſſectis foliis, Anthriſcus Caſſabona, J. B.* 73. *Chab. Anthriſcus Plinii, Cluſ. Aniſomaratbrum Apulum, Col. Anthriſcus, Belli Epiſt. ad Cluſ. p.* 300. Ex hujus *radice caules* tenuiores exeunt; folia ad radicem ex longiſſimo pediculo tenuiſſima, *Mei* fere diviſura. Extremis caulibus hærent in minima *umbella floſculi*, qui poſt ſe radiata relinquunt *Cornicula Pectinis Veneris*, unciam circiter longa, at breviora & tenuiora, quam quæ in *Pectine Veneris* obſervantur, quina plerumque ubi parvæ plantæ; ubi vero majores, plura.

Natale ſolum titulus indicat.

5. Scandix *altera capite glomerato, Park. Scandix umbella ex plurimis apicibus coagmentata, J. B.* Hæc planta

planta in *Hiſtoria Lugdunenſi* edita, p. 712. *folia* edere dicitur quam aliæ hujus familiæ latiora, *Petroſelini* ad inſtar; *caulemque* cubitalem, in cujus ſummo *capitulum* rotundum, ex pluribus apicibus ex candido colore herbaceis, coagmentatum. Sed an quid abortum ſit & monſtroſum, cum nec *flores* nec *ſemina* memorata ſint, an vero ad hanc familiam attineat necne, pro certo affirmare non poſſum.

SECTIONIS NONÆ

Diſtributio Quinta.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine villoſo ſeu hiſpido donatæ.

CAPUT XXXIII.

Paſtinaca tenuifolia, Daucus ſeu Carota.

PAſtinaca *à paſcendo dicta videtur, quod radix jucunda in humanum alimentum cedit,* & Carota *quod facultatem alimentalem carnis habeat,* Σταφυλῖνος ἄγριος Dioſc. *Daucus* Δαῦκος ἀπὸ τῦ δάκνειν, *i. e. dormiendo quod termina ſedet, quietemque inducat, flatus diſcutiendo.*

Paſtinaca duplex eſt, *tenuifolia* & *latifolia*; de *tenuifolia* tam *ſativa* quam *ſylveſtri* impræſentiarum; de *latifolia* ſub genere ſeptimo ſubalterno, poſtea dicemus. *Paſtinaca tenuifolia foliis* longis tenuiter inciſis, & *alis* brevioribus, *ſeminibuſque* villoſis ſeu hiſpidis, ab aliis dignoſcitur.

TABULA XVII. SECT. IX.

- *Paſtinaca tenuifolia*
  - 1. *Sativa radice* { *alba*, *lutea*, *rubra*, *purpurea* } *C. B. P. & J. B.*
  - *ſylveſtris*
    - 2. *Dioſcoridis vel Daucus officinarum, C. B. P. Daucus vulgaris, Cluſ. Hiſt.*
    - 3. *Sicula hirſuta criſpa, Bocc.*
    - 4. *Radiis umbellæ Gingidii longioribus, D. Moriſ. Prælud. Bot.*
    - 5. *Radice & umbella lutea, D. Moriſ. Prælud. Bot.*
    - 6. *Daucoides Apula, Col.*
    - 7. *Marina foliis obſcure virentibus & quaſi lucidis, Magnol. Bot. Monſp.*
    - 8. *Sive Daucus cicutariæ folio, Schol. Bot. Par.*
    - 9. *Americana lucida.*
    - 10. *Oenanthes folio, Bocc.*

1. Paſtinaca *tenuifolia ſativa, C. B. P. Dod. Ger. Sativa ſive Carota, rubra, lutea, & alba, J. B. Radix* ei oblonga, pyramidalis, adeo omnibus nota, ut prolixius de ea differere non ſit neceſſe. *Folia* habet dodrantalia & pedalia, hirta, in longitudinem potius quam latitudinem protracta, plurifariam in tenues partes diviſa, veluti in alas. *Caules* emittit ſtatim à radice diviſos, binos cubitos altos, hirſutos, ſtriatos, concavos, ramoſos, in quorum cimis *flores* proveniunt puſilli, albi, denſe ſtipati, convexam ſuperficiem conſtituentes; & ad baſin umbellarum naſcuntur *foliola* tenuia ambientia. Floribus fatiſcentibus, *umbella* ſe contrahit & concava nidi avis inſtar fit, ſeminibus oblongis villoſis ſeu hiſpidis prægnans. Secundo anno cauleſcit, & *flores* & *ſemina* profert. *Color* radicis variat; nunc *albus*, nunc *luteus*, nunc *ruber*, (cujus umbellæ meditullio macula purpurea frequenter conſpicitur) & quandoque *purpureus* eſt.

In hortis oleraceis ſeritur, & forte à ſylveſtri per culturam educatur.

2. Paſtinaca *tenuifolia ſylveſtris Dioſcoridis, vel Daucus officinarum, C. B. P. Daucus vulgaris, Cluſ. Hiſt. Paſtinaca ſylveſtris tenuifolia, Ger. Park. Paſtinaca ſylveſtris ſive ſtaphylinus Græcorum, J. B.* An ſpecifice à ſativa differat, parum conſtat: in omnibus ſativæ ſimilis eſt, magnitudine excepta. Expetitur propter *ſemen* jucundum & gratum admodum naribus odorem ſuffundens, & in medicina variis uſibus adaptatur.

Ad viarum margines & in paſcuis frequenter occurrit, & à contractione umbellarum nidus avis *vulgo & non improprie appellatur.*

3. Paſtinaca *tenuifolia Sicula hirſuta criſpa, Bocc. Tab.* 14. Pedalis eſt hæc planta, ſubinde majoris altitudinis; *caulis* illi rotundus, hirſutus; *folia* craſſa, criſpa, & non leviter piloſa; *umbella* latior; at *ſemina* aſperiora quam *ſylveſtris* antedictæ.

Inter Leocatam & Agrigentum *naſcitur in ſcopulo dicto* San Nicolo, Bocc.

4. Paſtinaca *tenuifolia radiis umbellæ Gingidii longioribus, Moriſoni.* Hæc quoad amplitudinem & formam *ſativam*

ſativam æmulatur; *radios* vero *umbellarum* producit quinas uncias longos, craſſiores, rigidiores quam ſunt *Viſnagæ* radii; atque hi concavam quoque conſtituunt ſuperficiem. *Semina* majora & longiora *floribus* albis ſuccedunt.

Ex Creta *ſemina allata ſunt: necnon è* Mauritania Tingitana.

5. Paſtinaca *tenuifolia radice & umbella lutea, D. Moriſon. Prælud. Bot.* In aliis *Dauci* ſpeciébus *flores* cernuntur albi; in hac *flores* æque ac *radix* dilute lutei ſunt coloris, quibus facile dignoſcitur.

In agris Patavinis *à* D. Alexand. Balaam *detecta eſt.*

6. Paſtinaca *ſylveſtris daucoides Apula, Col. Sylveſtris Apula, Col. Park. Paſtinaca ſylveſtris tenuifolia umbella majore, C. B. P.* Hæc *folia* habet majora *Paſtinacæ ſylveſtris* foliis, paucioribus, longioribus, atque aduncis lobis diviſa. *Umbellas* etiam gerit ex baſi foliorum laciniis interſectas, ut in vulgari, rotundas in circuitu, planas in ſuperficie, magnas, floribus ex albo colore purpuraſcentibus, medietatem croceam habentibus. *Semine* eſt oblongo, anguſto, non echinato, ſed hirſutie quadam aſpera, minuta, albicante obſito. Ita clauditur ut quaſi avis nidum repræſentet; quod utique ex Latina tranſlatione metrica *Nicandri* apparet. ——

Et ſimulans nidum Daucus. ——

Julio menſe floret Cirinolæ *cum congeneribus. Auguſto menſe ſemen perficit, nec frequens admodum invenitur.*

Hujus *ſemina* cæteris hujus familiæ aliquantulum ſunt longiora, aſt non roſtrata; quibus utpote villoſis, *umbellaque* in nidum contracta, totoque plantæ habitu obſervatis & perſpectis: huc ad *Daucos* potius, quam ad *Myrrhides* referre æquum judicavimus, quanquam non deſint qui diverſum ſentiant.

7. Paſtinaca *tenuifolia maritima, foliis obſcure virentibus & quaſi lucidis, D. Magnol.* à quo *ſemina* recepimus, quæ produxere folia vulgaris longiora, multo paucioribus rariuſque diſpoſitis alis nervo medio adnatis, latiuſculis, viridioribus, glabrioribus, & quaſi lucidis. *Caulis* quoque rarius diviſus conſimiles *flores*, ſed *ſemina* minora, breviora, pilis etiam brevioribus, ſuſtinet.

In maritimis haud procul à Monſpelio *clariſſimus Auctor detexit.*

8. Paſtinaca *tenuifolia ſive Daucus ſylveſtris cicutariæ folio, Schol. Bot. Par.* Hujus *folia* omnium ſunt tenuiſſima, imo *Scandicis* tenuitatem obtinent, glabra & lucentia, & contrita odorem *Citri* ſuaviter ſpirantia. *Caules* oriuntur quam qui ſunt in vulgari altiores, paucioribus geniculis intercepti, graciles, *umbellas* minores, & *ſemina* etiam minora, breviora, vix hirſuta, gerentes.

9. Daucus *Americanus lucidus, Hort. Reg. Par. App. Paſtinaca tenuifolia lucida, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Foliorum glabritie lucentique facultate quam poſſidet, plantam hanc ab aliis differe liquido conſtat. *Semina* profert parva, non tanta hirſutie donata.

10. Paſtinaca *Oenanthes folio, Boccon. Folia* illi *Pimpinellæ Saxifragæ* ſive *Oenanthes* non abſimilia, lobata; *caules* pedales, recti, ramoſi; *umbellæ* magnæ, aliarum *Paſtinacarum tenuifoliarum* hujus claſſis more prognatæ; *flores* albi; quibus ſuccedunt *ſemina* exigua aſpera, ſeu potius villoſa ſive hiſpida.

Supra muros Leocatæ *Civitatis in* Sicilia *invenit Auctor.*

De aliis Daucis dictis Annotatio.

Nulla omnium Umbelliferarum charactere inaccuratius diſtincto venit quam Daucus. Siquid enim invenerant auctores cujus notam genericam teſſeramque genuinam, nempe ſeminum formam, minime deprehenderent, adeoque neſcirent quem in locum conjicerent, huic Dauci *nomen placuit imponere. Quod utique ex typo ſubſequenti liquido patebit.*

Daucus *glauco folio ſimilis Fœniculo tortuoſo, J. B. Fœniculum petræum, Tab.*

Daucus *Alpinus multifido longoque folio, C. B. P. Daucus Creticus, vulgo Fende ſaxum, Cæſ.*

Daucus *montanus multifido brevique folio, C. B. P. Saxifraga Pannonica, Cluſ.*

Daucus *montanus folio Fœniculi longiore, Magnol. Cat. App. Peucedanum Pannonicum, Cluſii.*

Daucus *Pyrenaicus tenuifolius foliis Citri odore lucidis, Schol. Bot. Pariſ.*

Cum hæ plantæ folia proferant fœniculacea, ſeminaque ſtriata minora, ad ſecundam hujus ſectionis diſtributionem reducuntur, inter *Saxifragas* quærendæ.

Daucus *Siculus Paſtinacæ folio, Zan.* Angelicis *accenſetur.*

Daucus *campeſtris Apii folio, C. B. P. Dauci 2. genus, Dal. Lugd.*

Daucus *montanus Apii folio minor, C. B. P. & Prod.*

Hæ ſpecies folia gerunt lobata, ſeminaque ſtriata minora; ideo ad *Pimpinellas Saxifragas* ablegandæ ſunt.

Daucus *montanus Apii folio albicans, C. B. P. Daucus ſecundus ſelinoides, Lob. Obſ.*

Daucus *Creticus nodoſus umbella lutea, C. B. P. Daucus tertius Coriandri folio, flore luteo, J. B. Daucus Creticus, Pona.*

Folia producunt plurifariam diviſa; flores luteos, ſeminaque ſtriata majora: idcirco ad *Seſelios* familiam referuntur.

Daucus *pratenſis Millefolii paluſtris folio, C. B. P. Eſt* Oenanthe.

Daucus *montanus Apii folio, flore luteo, C. B. P. & Prod.*

Daucus *pratenſis Apii folio, C. B. P. & Prod.*

Daucus *Siculus Sophiæ foliis, Zan.*

Daucus 3. *Dioſcoridis, Col.*

Daucus *montanus Cluſii flore carneo, ſemine Selino hortenſi æquali, J. B.*

Hæ ſex plantæ umbelliferæ folia edunt plurifariam diviſa, ſeminaque ſtriata minora; quæ ſunt conditiones ad *Apia* conſtituenda requiſitæ; eaque propter iis adnumerantur.

Daucus *montanus Apii folio major, C. B. P. Saxifraga Venetorum, Adv. Lob. Et Apii folio minor, C. B. P. Oreoſelinum nigrum, Geſn.*

Daucus *Alſaticus, C. B. P.*

Umbelliferæ plantæ ſunt ſemina foliacea compreſſa producentes; itaque ad ſeptimum genus ſubalternum inter conſortes retulimus.

Daucus *foliis Fœniculi tenuiſſimis, C. B. P. Daucus Cretenſis verus, Adv. Lob.*
Daucus *Alpinus multifido longoque folio, ſive montanus umbella candida, C. B. P.* Daucus *Creticus, Cam. Epit. Cluſ.*
Daucus *montanus ſemine Cret. ſimili non lanuginoſo, valde odorato, ſpecie Staphylini umbella clauſa, J. B.*
Hiſce ſemina ſunt roſtrata, cæterorum longiora; proinde ad diſtributionem octavam, quibus plantis hæc nota eſt eſſentialis, reduci debent.

Carotæ ſeu Dauci Vires & Uſus.

Paſtinaca tenuifolia ſativa radicem *habet calidam & humidam; frequentiſſime cum carnibus, aut carnium jure cocta editur; dulcis eſt cum aromatica quadam facultate; inflat pauliſper & ventrem replet. Hodie in culinis magis eſt nota quam ſeplaſiis.*
Semen *etiam in uſum venit, ſed* ſylveſtris Dauci *potius eligitur, magiſque calefacit, aperit, & attenuat. Potum & appoſitum ſimiliter menſes ducit; urinæ difficultati ſuccurrit; flatus diſcutit; hydropicis prodeſt, & quibus venter tumidus eſt. Adverſus colicos ac nephriticos dolores, cum vino ſumptum aut decoctum, plurimum confert; muliebres ſuffocationes & hoc modo aſſumptum lenit, & conceptus adjuvat.*

SECTIONIS NONÆ.

Diſtributio Sexta.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine echinato ſeu aculeato donatæ.

CAPUT XXXIV.

Caucalis.

Καύκαλις *Dioſcoridis, quaſi* καυκαυλὸς, διὸτὸ τῦ κείμενον ἔχειν τ καυλὸν, *quia ob ramulorum copiam humi procumbit. Aut à ſeminum effigie, quæ vaſcula oblonga & ſemiſphærica imitantur:* καυκάλιον *autem vaſis genus eſt ita dictum à ſono quem edit dum aqua confertim ingreditur, aere exeunte, & è contra.*

Caucalis eſt planta umbellifera Dauco ſimilis, radice vero annua non carnoſa, quali eſt ille; ſeminibus rigidioribus & pungentibus aculeis donata.

TABULA. XVIII. SECT. IX.

Caucalis ſemine
- *majore*
  1. *Lato, Apii folio, C. B. P. Flore rubro, folio latiore, Adv. Lob.* πλατύφυλλος *purpurea, Col.*
  2. *Monſpeliaca magno fructu, C. B. P. Echinophora aſperior altera* πλατύκαρπος, *Col.*
  3. *Arvenſis echinato magno flore, C. B. P. Echinophora* πυκνόκαρπος, *Col.*
  4. *Daucoides Tingitana.*
  5. *Procerior Chalepenſis foliis ferulaceis, flore albo.*
  6. *Arvenſis echinata parvo flore, C. B. Pbyt. Echinophora tertia* λεπτόφυλλος, *Col.*
  7. *Pumila maritima, C. B. P. Lappula canaria ſive Caucalis maritima, J. B.*
- *minore*
  8. *Minor flore rubente, Park. Caucalis ſemine aſpero, floſculis rubentibus, C. B. P.*
  9. *Arvenſis humilior & ramoſior, Nobis. Pumila ſegetum, Goodyer.*
  10. *Nodoſa echinato ſemine, C. B. P. Ger. Park.*

11. *Pſeudo-caucalis ſive Echinophora Aſphodeli nigricante radice, & anguſtiore lucido Angelicæ folio, Lelii Triumfetti. An Caucalis Hiſpanica ſemine rugoſo, J. B. p. 83. Peregrina ſemine rugoſo, C. B. P?*

Explicatio Tabulæ.

1. Caucalis *lato Apii folio, C. B. P. Et Caucalis arvenſis echinata latifolia, ejuſdem. Caucalis apii folio, flore rubro, Ger. Echinophora major* πλατύφυλλος *purpurea, Col. Lappa canaria latifolia ſive Caucalis, J. B.* Radix ei fibroſa, dura, & pene lignoſa, annua eſt, unde *caulis* calami ſcriptorii craſſitudine, geniculis quibuſdam interceptus, hirſutie aſper, bipedalis, in ramulos diviſus, aſſurgit. E ſingulo geniculo enaſcitur *folium*, (nervo medio baſi latiore caulem amplectens, uti in pleriſque umbelliferis) ex ſex ſeptemve alarum biuncialium conjugationibus, una extremitatem claudente, profunde inciſuris dentatis, arcte rachi adhærentibus, compoſitum. Summi caules occupant *umbellas* paucis, nempe quatuor aut quinque radiis uncialibus & ſeſcunciabus, rigidiuſculis conſtantes; quibus *umbellulæ* partiales, abſque petiolis arcte adnatæ, *floſculos* rubeſcentes aut purpuraſcentes oſtendunt. Iſtis autem *ſemina Hordei* granis longiora, turgidiuſcula, ſtriata, mucronata, binatim juncta, ſecundum dorſum aculeis rigidis armata, ſuccedunt.

Inter ſegetes in Comitatu Oxon. Bercheriæ *aliiſque invenitur. Junio & Julio menſibus floret, & Autumno ſemina perficit; quibus deciduis, renovatur.*

2. Caucalis *Monſpeliaca echinata magno fructu, C. B. P. Echinophora aſperior altera πλατύκαρπος, Col. Caucalis magno fructu echinato, Park. Lappula canaria flore minore ſive tenuifolia, J. B. Folia* ei plurifariam diſſecta, *Dauci vulgaris* latitudine, breviora tamen, triplici diviſione ſeu alis è regione ſitis, donata ſunt, in dorſo parum hirſuta. Caulis lævis, anguloſus, ſolidus, cubitalis, in ramulos pedales diviſus, (quorum ſecundus primum altitudine ſuperat) & hi umbellas ex tribus *florum* alborum *corymbis*, tribus petiolis inſidentium conſtructas ſuſtinent. Ex quolibet *florum* corymbo bini tantum *fructus* ad frugem perveniunt, ita ut ſex tantum in tota *umbella* inſint. *Semina* ſunt omnium hujus generis latiſſima, ovalia, compreſſa, una parte cava, altera convexa, *aculeis* rigentibus, ordine diſpoſitis prædita.

In Campoclarenſium *locis incultis naſcitur; Junio & Julio menſibus floret. Col.*

3. Caucalis *arvenſis echinata magno flore, C. B. P. Echinophora πυκνόκαρπος, Col. Lappula canaria flore pulchro magno albo, J. B.* Huic è *radice* duriuſcula, annua, fibroſa ſunt *folia* daucoidea, glabra, tenuiora tamen, pallide virentia; inter quæ *cauliculi* aſſurgunt, ſtatim à radice ramoſi, pedales, tribus quatuorve nodis geniculati. Ad genicula ſuperiora *foliolum* ſingulare gramineum frequenter enaſcitur, interdum etiam *foliolum* diviſum. *Flores* ſummis caulibus inſident albi, reliquarum floribus ampliores; quorum tria *petala* externa, bifida alia longitudine multum excedunt, & *umbellam* amplam, albam, ex quinque aut ſex radiis compoſitam demonſtrant. Ad umbellæ exortum, ut etiam ad ſecundarias umbellas parvas quinque *foliola* acuta ſtellatim naſcuntur. *Semina Tritici* majora, ſtriata, ſpinis tenuioribus in externa parte adnata, reliquis elegantiora ſunt.

In Germaniæ *arvis inter ſegetes; in vinearum ſepibus* Galloprovinciæ *Maio menſe florens paſſim reperitur.*

4. Caucalis *major daucoides Tingitana. Folia* ampla, per terram ſtrata, *Carotæ vulgaris* folia verſus ſummitatem æmulantur, quadam hirſutie prædita. *Caules* aſſurgunt cubitales, ſatis craſſi, ſtriati, & hirſuti, in ramulos quoſdam brachiati, foliis conſimilibus ad genicula adnatis. Summi caules *umbellis* ornantur albis, amplis; ad quarum radiorum exitum *folia* tenuius diviſa, ut in *Carota* ſubjiciuntur. *Floribus* deciduis, umbella *Dauci* in modum, in nidum ſe contrahit, & *ſeminibus* amplioribus, ovalibus, ſtriatis, aculeis pyramidalibus, fortioribus armatis, referta eſt; quibus matureſcentibus, *radix* perit.

E Mauritania Tingitana *ſemina accepta ſunt.*

5. Caucalis *procerior Chalepenſis ferulaceis foliis, flore albo.* E ſeminibus à viro Reverendo *D. D. Huntington* tranſmiſſis nata eſt. *Radice* nititur alba, digiti craſſitudine, fibris terminantibus; è qua *folia* palmari & dodrantali amplitudine, ferulacea tenuitate plurifariam diviſa, pediculis longis, ſuperne ſulcatis, lata nervoſa cartilagine radici adnexis, proveniunt. *Caulis* bicubitalis, aliarum *umbelliferarum* inſtar brachiatus, pollicaris craſſitudinis, ad genicula folia conſimilia emittit, petiolo lata baſi eundem amplectente. *Umbellæ* in ſummitate rotundæ, ſatis amplæ, *floribus* ex quinis petalis æqualibus cordiformibus conflatis, radiiſque pluribus uncialibus inſidentibus, compoſitæ ſunt. Floribus marceſcentibus, ſuccedunt *ſemina* pallida, ovalia, *Hordei* grani longitudine, *Caucalidum* ritu, dorſo ſpinoſo donata.

Eadem in Petri Bellonii *obſervationibus orientalibus, cap. 49. forte memorata eſt, cum icone addita; & ab indigenis cruda comeditur in acetariis.*

6. Caucalis *arvenſis echinata parvo flore, C. B. Phyt. Caucalis tenuifolia purpurea, Park. Echinophora* 3. *λεπτόφυλλος, purpurea, Col. Lappula canaria flore minore ſeu tenuifolia, J. B.* Hæc *caule* aſſurgit pedali, geniculato, ſubhirſuto, in ramulos paucos in ſuperiore parte diviſo. *Folia* è ſingulis geniculis brevia *Chærefolii ſativi* diviſura, concinnioribus vero ſegmentis diſſecta, pediculis hirtis adhærentibus, enaſcuntur. *Umbellæ* in ſummitatibus frequenter trifidæ, ex floribus exiguis, purpurorubentibus conſtant. *Semina* pro proportione plantæ magna ſunt & ſpinoſa, qualia & aliarum Caucalidum eſſe obſervantur.

In arvis & inter ſegetes variis locis invenitur. Junio & Julio menſibus floret, & Auguſto ſemina ei perficiuntur.

7. Caucalis *pumila maritima, C. B. P. Lappula canaria ſive Caucalis maritima, J. B. Caucalis pumila, Cluſ. Cur. poſt. Caucalis pumila Hiſpanica, Boelii, Park. Caules* ei palmares nunc ſimplices, nunc ampliores & diviſi, hirſuti, *umbellulas* gerunt ex minutiſſimis *floribus* pallide purpureis compoſitas; & *ſemina* pro plantæ modulo magna & echinata. *Folia* daucoidea hirſuta, ſtatim è radice longa per terram ſtrata ſunt.

In ora maritima Narbonenſi, *& in toto tractu maritimo, uſque ad montem* Cetium *occurrit.*

8. Caucalis *minor flore rubente, Park. Caucalis ſemine aſpero, floſculis rubentibus, C. B. P. & Caucalis arvenſis echinata parva flore & fructu, ejuſdem. Anthriſcus quorundam ſemine aſpero hiſpido, J. B. Caulis* aſſurgit gracilis, cubitalis, hirſutie rugoſus, geniculis paucis interceptus, in alas quaſdam rectas diviſus. *Folia* ſunt inferius plus diviſa, poſtea pinnis conjugatim poſitis, & ad margines inciſis, atrovirentibus, una longiore extremitatem claudente, formam pyramidalem efficientibus obſervantur. *Umbellæ* parvæ in ſummitatibus naſcuntur *floſculorum* exiguorum, è purpureo colore in album vergentium, qui quidem floſculi in *ſemina* parva, brevia, hiſpida, denſius conferta, matura veſtibus adhærentia, tranſmutantur.

In dumetis & ad ſepes frequens occurrit.

9. Caucalis *arvenſis humilior & ramoſior, Nobis. Caucalis pumila ſegetum, Goodyero.* Hæc *foliis, floribus, & ſeminibus* antecedenti convenit, vultumque ejuſdem poſſidet: planta vero ſemipedalis & vix pedalem altitudinem acquirens, è pluribus *cauliculis* brevibus, ſtatim è radice divaricatis, & ſibi invicem complicatis, cirrum quaſi conficientibus, enaſcitur.

Poſt meſſes in ſtipula ſatis frequens invenitur, & per culturam diverſitatem ab aliis nacta eſſe comperitur.

10. Caucalis *nodoſa echinato ſemine, C. B. P. Ger. Park. Caucalis nodoſa echinato ſemine, Anthriſco hiſpido affinis, ſi non ejus varietas, J. B. Radix* ei longa & fibrata, *cauliculos* tenues, palmares, dodrantales, & aliquando pedales frequenter procumbentes, emittit, qui interdum bifurcatim ſe dividunt. In cauliculorum angulis & ad genicula folia proveniunt *Dauci* diviſura, atrovirentia & acutiora. *Umbellæ* quoque in iiſdem geniculis, pediculis breviſſimis inſidentes, *floſculos* exiguos, albos demonſtrant. *Semina* parva, hiſpida, ſequuntur.

In arvis & foſſarum aggeribus frequens occurrit.

11. Pſeudo-caucalis *ſive Echinophora Aſphodeli nigricante radice & anguſtiore lucido Angelica folio, Lilii Triumfetti. An caucalis Hiſpanica ſemine rugoſo J. B. 83. Caucalis peregrina ſemine rugoſo, C. B. P.? Gingidio congener,*

congener, Cæſ. Camerarius hanc plantam depinxit & ſic deſcripſit: ſuperioribus *(Caucalidi flore minuto & alteri coronata umbella;* eſt hæc nobis *Lappula canaria flore majore & minore)* fere ſimilis, non tamen ſpinoſo *ſemine*, ſed rugoſo nonnihil, eoque elegantiſſimo, ſed puſillo *flore* in *umbella* incondita. Tota planta lac habet dulce in modum *Chærefolii*, ſed copioſius, quod etiam ex immaturo ſemine confracto permanat: *radix* tamen eo caret, niſi forte initio antequam cauleſcat, planta etiam lacteſcat, quod tamen nondum obſervavi. Sapor eſt *Apii. Cam.*

Caucalis minor pulchro ſemine Bellonii, J. B.
Caucalis major ſemine minus pulchro hirſuto, J. B.
Caucalis major Cluſio, J. B. Semina producunt compreſſa, ſubrotunda. Vide *Tordylia* membro ſuccedente.

SECTIONIS NONÆ.

Diſtributio Septima.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine foliaceo ſeu membranaceo, compreſſo, ſubrotundo, donatæ.

Iſtæ autem vel foliis fœniculaceis, latioribus lobatis, vel foliis plurifariam diviſis, præditæ ſunt: & primo de fœniculaceis.

Ferula, Libanotis, Panax Aſclepium, Anethum, & Peucedanum.

CAPUT XXXV.

Ferula, Libanotis Ferulæ folio, & Panax Aſclepium.

FErula Νάρθηξ *Dioſc. Baculus, à feriendo, eo quod Ludimagiſtri uterentur caule hujus plantæ in verberandis pueris: vel à ferendo propterea quod ſenes caule, utpote qui levis ſit, tanquam ſcipione uterentur.*

Ferula foliis in tenuiſſimis & brevioribus ſegmentis capillatis, & ſeminibus latis, compreſſis, nigricantibus, ſtriatis, præditis dignoſcitur.

TABULA XIX. SECT. IX.

Ferula folio
- *latiore*
  1. *C. B. P. Ferula folio glauco, ſemine lato oblongo, J. B. Ferula galbanifera, Lob.*
  2. *Tingitana lucida foliis laſerpitii.*
- *tenuiore*
  3. *Fœmina Plinii, C. B. P. Ferula folio Fœniculi, ſemine latiore & rotundiore, J. B.*
  4. *Humilior & tenuior, Nobis. Ferulago tenuiore folio, C. B. P. Narthecium Theoph. Ferulago Gazæ, J. B.*

1. Ferula *latiore folio, C. B. P. Ferula folio glauco, ſemine lato oblongo, J. B. Ferula Galbanifera, Lob. Lugd. Tab. Ferulago, Dod.* *Radix* ei longa, alba, brachialem craſſitiem obtinet, ex qua vulnerata *lac* pingue & coagulatum copioſe manat. *Radicis* caput filamentis, ut in aliis plantis umbelliferis reſiniferis, comatum eſt. *Folia* pediculis longis, cavis, digitali craſſitudine, adnexis, omnium ampliſſima, ex quamplurimis ſegmentis *Fœniculi* more diviſis, ſed brevioribus & latioribus, ad glaucum colorem argenteumve, præſertim in adverſa parte, tendentibus, aliquantulum in latitudinem compreſſis, gaudent. *Caulis* erigitur altiſſimus, imo quinos aut ſenos cubitos altus, craſſus, geniculatus, ſubſtantia fungoſa farctus, in ſuperiore parte diviſus. *Umbellæ* ſunt rotundæ, ex *floſculis* luteis reflexis compoſitæ; quibus delapſis ſuccedunt *ſemina* lata, foliacea, compreſſa, ſubrotunda, ſubnigra, exterius triplici linea ſtriata, interius duplici fibrilla donata qua junguntur, quaque adhuc viridia nutriuntur; ut in omnibus aliis umbelliferis cujuſcunque generis notare eſt.

Radix eſt diutius vivax. Gaudet regione calida, & læto ſolo. Frequens in Sicilia, *& monte argentario in* Italia, *copioſe provenit.*

2. Ferula *Tingitana lucida foliis laſerpitii. Ferula Tingit. lucido folio ſegmentis Apii, Breyn. Prod. 2. Ferula* hæc ſpecioſiſſima è *regione* Tingitana, primo à *D. Alex. Balaam* noſtrate tranſmiſſa *radicibus, caulibus, floribus, ſeminibus*, modoque creſcendi, cum antecedenti convenit; *folia* vero ampliſſima, plurifariam diviſa, pediculis craſſis, ramoſis inſidentia, alis aliarum multo latioribus, *Cicutæ majoris* aut *Laſerpitii* latitudine & diviſura, oleo quaſi aſperſis & illitis, ſplendide lucentibus, exornantur. Atque his à cæteris facile dignoſcitur.

Variat foliis anguſtioribus quæ Ferula Tingit. folio anguſto lucido, H. L. B. Ferula lucida Hiſpanica, H. R. P.

3. Ferula *tenuiore folio ſeu Fœmina Plinii, C. B. P. Ferula folio Fœniculi, ſemine latiore & rotundiore, J. B. Ferula, Matth. Dod. Lob. Lugd. Cam.* Planta hæc excelſa *folia* emittit plurifariam diviſa, ſegmentis, *Fœniculi* pene tenuitate donatis, teretibus, & tamen brevioribus, foliiſque *Cachryos* de quibus primo capite hujus Sect. egimus, ſimillima. *Flores* in umbellis rotundis, ex petalis parvis, luteis, reflexis, compoſiti ſunt. *Semina* ovalia, compreſſa, lineis tribus in dorſo inſignita, ut & in aliis, ſunt.

In rupibus præruptiſque ſaxis prope cryptas ſubterraneas, via qua Frontignanum à Monſpelio *itur*, *aliiſque* Galliæ Narbonenſis, Siciliæ, & Italiæ *locis, ſponte provenit.*

4. Ferula *tenuiore folio humilior & tenuior, Nobis. Ferulago tenuiore folio, C. B. P. Narthecium Theophraſti, Ferulago Gazæ, Lugd. J. B. Ferulago, ſive Ferula minor, Park.* Hæc ante explicatis humilior eſt, *radice* graciliore. *Caulis* ei inanis intus; *folia Fœniculi* ad inſtar, ad ramorum exortus prodeuntia, tenuiora ſunt; *flores* in *umbellis* lutei; *ſemina* compreſſa nigricantia, ut in *Ferulis*.

Ferulæ Vires & Uſus.

Ferula *calida & ſicca eſt, ejuſque gummi* Galbanum, Sagapenum, & Ammoniacum, *è radice deſtillantia, tertio gradu qualitatem calefacientem & exſiccantem obtinent.* Semina *in vino decocta urinas & menſes cient, fœtuſque mortuos educunt.*

Galbanum *ſuccus eſt è* radice *vulnerata in* Syria *naſcente exſudans & exſiccatus.* Sagapenum *in* Media *è* radice Ferulæ *etiam extractum eſt.* Ammoniacum *quoque in* Cyrene *legitur; ex eadem enim radice, variis regionibus, his variis nominibus colliguntur, ut &* Dioſc. *perhibet.*

Succus *mediæ cujuſdam naturæ eſt inter* gummi & reſinam; *in liquido ſolvitur ut gummi, at non ſine vino ſeu aceto, ut quidam volunt; & in igne flammas concipit ad inſtar reſinæ. Uſus autem eſt in emolliendo & digerendo; unde in tuſſi & orthopnœa efficax eſt; humores viſcoſos expurgat; tumores lenit & emollit; membra & nervos extenſos corroborat; denique in partu & uteri ſuffocatione optime prodeſt.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine membranaceo compreſſo, foliis fœniculaceis.

CAPUT XXXVI.

SECTIONIS NONÆ.

Libanotis & Panax Aſclepium.

Λιβανωτὶς *quod radix ὄζει λίβανον, thus redoleat.* Arabice Elkialgebar. πάναξ *quaſi* πᾶσιν ἄκος, i. e. *omnibus remedium adferens: πάναξ ἀσκληπιὸν, Dioſc.* Arab. Steufir, Jeufir *ſive* Giaufir.

Libanotis Ferulæ folio & Panax Aſclepium reſiniferæ etiam ſunt, ut proinde ſi quis Ferulas appellare velit, ipſe non repugnaverim.

1. Libanotis *Ferulæ folio & ſemine, C. B. P. Libanotis quibuſdam flore luteo, ſemine Ferulæ, J. B. Panax Aſclepium ferulæ facie, Adv. Lob. Ger. Panax Aſclepium, Dod. Cæſ.* Folio eſt *Ferulæ* pene ſimili, minutius diviſo, rigidiore, odoris non ingrati, pediculis ſolidis minimeque fungoſis nixo; *caule* procero, ramoſo, ſtriato; *flore* umbellato, luteo, parvo; *ſemine* raro per ſparſam umbellam, foliaceo, *Ferulæ*, longo, duplici, albicante (potiſſimum quod foliaceum eſt) ſtriato, inſigniter amaro, & veluti reſinoſo.

Ex Iſtria *aſportavit* Valerandus Dourez *Inſulanus* Lugdunenſis *Pharmacopœus.*

2. Libanotis *Maſſilienſis Ferulæ folio, Nobis. Seſeli Maſſilienſe Ferulæ folio, C. B. Seſeli Maſſilienſe nuperorum folio aliquatenus ſimili Viſnagæ, J. B.* Male *Seſeli* dictum cum *ſemina* proferat lata, compreſſa. Hujus *folium* dodrantali circiter longitudine & latitudine, tenuiter diſſectum, cæſuris *Viſnagæ*, utcunque latioribus, legit *J. B. Foliis* majoribus, craſſioribus, latioribus, latiuſque ſparſis *Fœniculi foliis, Lob. caule* cubitali & proceriore; *ſemine* in umbellis *Mei* compreſſo, carnoſiore; guſtu *Seſeli Æthiop.* aut *Peloponnenſis*, valde aromatico. *Semen* longius & latius quam *Fœniculi* ſemen perhibet *Camerarius.*

3. Libanotis *Americana folio ſpiſſiore & breviore, Nobis. Teel Acocotli, Indigenis. Roſmarinum ferulaceum, Hernand.* 232. *Folia* fundit *Fœniculi*, craſſiora tamen & latiora, jucunde olentia; *caules* cubitales, multis concavos alis, & in cacumine *umbellas*, in quibus eſt *ſemen* copioſum, candidum, *Sphondylii* ſimile, rotundum, anguloſum, ac reſinaceum, quod inter mandendum linguam exurit; *radicem* craſſam, longam, & *Thus* olentem.

Apud Cullulenſes *juxta montium fauces naſcitur.*

4. Libanotis *ſeu Seſeli paluſtre lactescens, acris foliis ferulaceis, flore albo, ſemine lato, J. B.* 188. *Seſeli paluſtre lactescens, C. B. P. Seſeli paluſtre, Cam. Seſelis paluſtris* nomine gaudentem unicam plantam reperit *Camerarius* (ut videre licet in ejus *Horto*) in quadam palude ſylvæ urbi *Norimbergæ* vicinæ, prope piſcinas ampliſſimas, juxta putridos arborum truncos, *foliis* ferulaceis, *radice* longa, ſubfuſca, & ingrato admodum guſtu, cum fervore non exiguo, fauces tentante. In Hortum vero tranſlata minus urens evaſit, & ſaporis fœtiditatem depoſuit, & *caulem* protulit ramoſum, tricubitalem; *flores* candidos in *umbellis*; & *ſemen* latum, foliaceum. Planta eſt lactescens, ut quædam aliæ umbelliferæ, quales ſunt *Thyſſelinum Dod. Chærefolium*, &c, J. B.

5. Panax *Aſclepium umbella lutea, C. B. P. Panaces Aſclepium alterum Dal. J. B.* 67. *Radice* eſt *Apii*, candida, tenui, acri, odorata; *folio* etiam *Apii* aut *Coriandri* potius quam *Fœniculi*, hirſuto; *flore* luteo in *umbellis* circinatæ rotunditatis.

In aſperis locis & tumulis prope Monſpelium *provenire teſtatur Auctor* Lugdunenſis. D. Magnol. *ſcrutator impigerrimus*

impigerrimus nihil quicquam de iſthoc prodidit, ut proinde Auctoris Lugdunenſis *mentem non ſatis exploratam habeamus.*

6. Panaces *Aſclepium Guillandino flore albo, folio aliquatenus Carotæ ſed tenuiore, J. B. 67. Chab.* 382. *Folia* habet diviſura fere *Carotæ vulgaris*, quorum tamen ſegmenta tenuiora, delicatioraque ſunt, & rariora, nequaquam (ut illa) hirſuta. *Caules* canaliculati ſunt, tenues *umbellæ Ameos vulgaris* ſimiles, in quibus *floſculi* minuti albi; *ſemen* foliaceum geminum, oblongum, aromaticum, amarum, tres quatuorve coſtas exterius, interius quoque lineas, ſed pauciores nigricanteſque habens. *J. B.*

Libanotidis *nomen variis plantis, præcipue* Dauco *attribuitur. Quin & omnia* Laſerpitii *genera apud* Jo. & Caſp. Bauhinum, Theophraſt. & Dod. *ipſum* Libanotides *audiunt.*

Libanotis *latifolia Aquilegiæ fol. C. B. Eſt Siler, à ſemine denominatum.*

Libanotis *ferulæ folio ſemine anguloſo, C. B.* 1. *Dod. Eſt* Cachrys.

Libanotis *nigra Dod. Libanotis altera quorundam aliis dicta* Cervaria *nigra, J. B. Daucus montanus Apii folio major, C. B. P. Saxifraga Venetorum, Lob. Cum* folia *proferat plurifariam diviſa, huc referenda; & pariter ſe habet in aliis nonnullis.*

Panax *etiam varie accipitur, ut infra demonſtrabimus.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine membranaceo compreſſo, foliis fœniculaceis.

CAPUT XXXVII.

SECTIONIS NONÆ.

Anethum.

ANethum ἄνηθον *Dioſc. Mauritanis Xebet, Jebet ſive Sebet.* Ανηθον *ab* ἀνωθέω, *ſurſum impello, quod cito creſcat & ſurſum impellatur.*

1. Anethum *hortenſe, C. B. P. Anethum, J. B. Matth. Dod. Lugd. Tab. Ger. Anethum* ſola eſt planta annua ſemine foliaceo, *foliis* fœniculaceis donata. Ad bipedalem aut tricubitalem altitudinem aſcendit, in ramulos paucos diviſum. Folia ad *fœniculi* folia proxime accedentia, minora tamen & paucioribus alis ramificata, ſubcærulei coloris aut ad glaucum tendentis, (quem quidem colorem & *caulis* refert) *odoris* ſubcalidi. *Umbellæ* in ſummitatibus amplæ ſunt & planæ, luteæ, *ſemina* minora, compreſſa ſubrotunda, in dorſo ſtriata, gerentes, quibus matureſcentibus, radix perit, & à ſemine deciduo in oleraceis, & Hortorum pinguiore ſolo quotannis renovatur.

2. Anethum *ſylveſtre minus, C. B. Prod. Radice* eſt alba tenui, uncias tres longa, quemadmodum & *caulis*, qui pedalis & rotundus exiſtit; *foliis* eſt uncias quatuor longis, antecedentis tenuioribus & viridioribus. *Umbellæ* ei plures & minores, luteæ ſunt, quibus ſuccedunt *ſemina* compreſſa, vulgaris longiora. Brevi, in omnibus planta eſt vulgari tenuior.

Ex Aleppo habemus. Utrum Anethum Pernambuccenſe, Hort. Lugd. Et Anethum ſegetum viride Luſitanicum, Tournefortii idem cum proxime ſuperius memorato ſit, nos penitus latet. Cæſalpinus *Anethum ſylveſtre in* Sicilia *naſci, grandius ſativo, umbellis amplioribus, flore luteo, ſemine exiguo, ferme* Ammeos, *auctor eſt.*

Temperamentum & Vires.

Planta ſuaviter aromatica eſt, adeoque in receſſu habet ſalis violatilis oleoſi temperamentum, proindeque contra affectus inteſtinorum flatulentos uſurpatur, ut quæ tam comeſta quam clyſteribus incocta deſtruat acidum flatulentum. Quin & urinam promovet; tormina ſedat; alvum vomitioneſque leves ſiſtit.

Semen Anethi *naturam habet calidiorem ipſa herba; lac nutricibus auget, vel ſolum vel cum ſemine* Cardui Mariæ.

Oleum *tam deſtillatum quam infuſum ſuavem ſomnum conciliat, illitum temporibus, & in cephalagia conducit ad temperandum æſtum capitis & leniendum dolorem; ad articulorum dolores apprime commodum; crudos & incoctos humores concoquit. Ad ſingultum contumacem ſiſtendum, à frigida cauſa,* Oleum Anethinum *remedium eſt nulli ſecundum.*

Anethum *& medicinæ & cibo accommodatur; & proinde in muria & condimentis parandis culinis non incognitum eſt.*

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine membranaceo compreſſo, foliis fœniculaceis.

CAPUT XXXVIII.

Peucedanum.

PEucedanum πεύκη *à* πίνη *Picea dicitur, ſiquidem folia cum Piceæ vel Pini foliis quandam habeant ſimilitudinem.*

Peucedanum eſt Planta umbellifera tenuifolia, foliorum ſegmentis tripartitis & ſubdiviſis, compreſſis & quaſi gramineis; ſemine membranaceo, compreſſo, donata.

TABULA XX. SECT. IX.

Peucedanum
1. *Majus Italicum, C. B. P. J. B. Lob. Peucedanum foliis longioribus, Dod.*
2. *Germanicum, C. B. P. Minus Germanicum, J. B. Peucedanum, Dod.*
3. *Gallicum rarioribus & brevioribus foliis, Schol. Bot. Par.*
4. *Siciliæ floribus luteis, J. B.*
5. *Caule tortuoſo Fœniculi foliis, umbella globoſa, Schol. Bot. Par.*
6. *Minus foliis lobatis anguſtis, Moriſ. Prælud. Bot.*

1. Peucedanum *majus Italicum, C. B. P. J. B. Lob. Peucedanum, Matth. Peucedanum foliis longioribus, Dod. Radix* ex deciduis *foliis* comoſa, craſſa, alte depacta eſt, cortice nigro obducta, ſubſtantia ſubvireſcente, *ſuccum* ſi vulneretur emittens fulvum, odore piceo viroſo. *Folia* pediculis longis inſidentia, ampla, trifariam dividuntur, ſingulaque eorum ſegmenta trifariam deinceps diſſecantur, diviſionum partibus aliſve *Linariæ* folia latitudine, tres uncias frequenter longitudine, ſuperantibus. *Caules* teretes, tripedales, in aliquot ramos brachiati, *umbellas* inſigniter latas ſuſtinent, tanta luxurie, ut interdum minutiores earum partes ſobolem pariant. *Flores* lutei *radiolis* longis, tenuibus, inſiſtentes, ex quinis petalis reflexis conflati (quod contingit in maxima ferulacearum parte luteis floribus præditarum) Hiſce ſingulis evaneſcentibus, ſuccedunt bina *ſemina* foliacea, compreſſa, ſubrotunda, lævia, & aceroſa, *Ferulæ* aut etiam *Paſtinacæ* ſeminibus minora, ſtriis depreſſis ovatim in dorſo rotata.

In Italia & Sicilia *ſponte provenit. Radix per multos annos durat. Æſtate floret, & Autumno ſemen perficit.*

2. Peucedanum *majus brevioribus foliis Germanicum, Nobis. Peucedanum Germanicum, C. B. P. Minus Germanicum, J. B.* 36. *Fœniculum porcinum, Lon. Tab.* Hoc priori ſimile, magnitudine tamen cedit. *Folia* conſimili diviſura donata, nec longitudinem nec latitudinem ſuperius deſcripti obtinent. *Umbellæ* Anethinæ amplæ ſunt; *ſeminaque* membranacea, ut in aliis.

In pratis pinguioribus & in foſſis, ad Thameſin *fluvium, in* Suſſexia, *in* Germania & Gallia *non infrequens invenitur.*

3. Peucedanum *Gallicum rarioribus & brevioribus foliis, Schol. Bot. Pariſ. Comæ* hujus ſpeciei, quam Hortus *Pariſienſis* alit, ex paucioribus *foliis aliſque* magis ſparſis, ab antedicto diſtinguitur; quoad cætera ſimile ei eſt.

4. Peucedanum *Siciliæ foliis hirſutis, floribus luteis, J. B. Cæſ.* Aſpectu ſimile eſt *Panaci Aſclepio*, ſeu *Ferulagini foliis Fœniculi floribus luteis*; longioribus tamen *foliis*, erectis, hirſutis, pediculis denſis, ac brevibus capillamentis. *Caulem* lævem ac tenuem fert, cubitalem; *flores* luteos; *ſemina* oblonga, ſtriata, in foliaceam latitudinem deſinentia, ſapore reſinaceo. *Radix Paſtinacæ* figura, ſed cortice atro, madet ſucco qui concreſcit in lachrymam thuri ſimilem, non ſolum colore, ſed & odore; & ſapor ei acris amaruſque eſt. *Caulem* gignit cum *folia* dimiſerit prope finem æſtatis, perficit adventante hyeme. *Cæſ.*

5. Peucedanum *caule tortuoſo, Fœniculi foliis, umbella globoſa, Schol. Bot. Par.* Huic *folia* petiolis ſuis brevioribus, *foliolis* tripartitis, cæteris hujus familiæ concinnioribus, tenuioribus, brevioribus, & crebrius diſpoſitis, *Libanotidis Ferulæ foliis* ſunt ſimilia. *Caulis* quaſi intortus aſſurgit, qui *umbellas* non in tantam latitudinem expanſas, rotundas & globulares ſuſtinet.

In Horto Pariſienſi *ſervatur.*

6. Peucedanum *minus foliis lobatis anguſtis, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Hæc planta *folia* producit quina, ſena, nunc plura, nunc pauciora, è regione rachi ſeu nervo medio adnaſcentia, uno extremum claudente, è quorum medio ſeſe erigit *caulis* bipedalis, ſuſtinens *flores* luteos, *umbellæ* in modum. *Semina* fert membranacea, rotunda, *Peucedani vulgaris* inſtar.

In montibus Alverniæ *invenitur.*

Peucedani Vires & Uſus.

Calidæ & admodum ſiccæ eſt qualitatis; aperit, attenuat, ducit mucilaginem, tartaream, &c. in pectoris affectibus, tuſſi, inflationibus, obſtructionibus hepatis, lienis, renum, urinæ, calculi, prodeſt. Radix & ſuccus *ejus in medicina apud veteres valde commendantur; viſcoſos & lentos humores, necnon bilem educendi facultate polleri veteres prodiderunt; ſed cum ob fœtorem nauſeam pene creent minus nobis in uſum veniunt.*

Extrinſecus in hemicrania, cephalalgia, tumoribus, ulceribus, &c. confert.

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine membranaceo compreſſo, foliis latioribus lobatis, quarum folia per lobos uni coſtæ hinc inde adhærent.

Sphondylium, Paſtinaca latifolia, Panax, & Tordylium.

CAPUT XXXIX.

Sphondylium.

Sphondylium Σφονδύλιον *Dioſc. fortaſſe ab odoris gravitate, à* Sphondyle *Inſecti genere, odoris gravis; vel* Spondylo *piſce, ut* Pena *tradit; vel quia contra virus lethiferum perniciosiſſimi ſerpentis* Spondylis *nuncupati plurimum valeat.*

Sphondylii notæ ſunt, folia lobata latiſſima; petala florum bifida ſeu cordiformia, alba; ſemina membranacea, compreſſa, albicantia.

TABULA XXI. SECT. IX.

- *Sphondylium*
  - *latifolium*
    1. *Vulgare hirſutum, C. B. P. Sphondylium, Adv. Lob. Branca urſina, Brunf.*
    2. *Criſpum, J. B.*
    3. *Humilius latioribus foliis, ampla umbella, Nobis. Panax Sphondylii folio ſive Heracleum, C. B. P.*
    4. *Alpinum glabrum, C. B. P. & Prod. J. B.*
  - *anguſtifolium*
    5. *Hirſutum, C. B. P. & Prod. deſc. Majus aliud laciniatis foliis, Park.*
    6. *Alpinum parvum, C. B. P. & Prod.*

1. Sphondylium *vulgare hirſutum, C. B. P. Sphondylium, Adv. Lob. Branca urſina, Brunfelſ. Sphondylium quibuſdam ſive Branca urſina Germanica, J. B.* E *radice* craſſa, alba, rugoſa, & fibroſa, guſtu ſuavi & non injucundo, calefaciente, alte in terram demiſſa, proveniunt *folia* pediculis longis, hirſutis, & ſtriatis innixa, ampliſſima, lobata; quorum quælibet *ala* palmarem latitudinem occupat, in ambitu ſerrata, & utrinque molli lanugine pubeſcit. *Caules* aſſurgunt pollicares, ſtriati, bicubitales & tricubitales, hirſutie aſperi, in ramulos quoſdam diſtributi; ad quorum genicula *folia* quoque petiolo lata ſede donato adnaſcuntur. *Flores* umbellæ latioris orbem ſuggerunt & circinant candidi; quorum ſinguli flores quinque petalis cordiformibus, ad medium bifidis, conſtant. Cuilibet flori ſuccedunt bina *ſemina* lata, membranacea, compreſſa, ſubrotunda, tribus ſtriis uniuſcujuſque in dorſo inſignita.

In pratis & paſcuis humidioribus, ad ſepes & foſſas frequens occurrit. Junio & Julio menſibus floret, ac Septembri ſemina perficiuntur.

2. Sphondylium *criſpum, J. B.* 163. Antecedenti convenit. *Folia* ei in ambitu magis dentata & criſpa ſunt; cætera ſimile eſt.

In Horto Pariſienſi *reperitur.* D. Sherard. *Pro naturæ luſu habetur.*

3. Sphondylium *humilius latioribus foliis & umbella ampliore, Nobis. Sphondylium majus ſive Panax Heracleum quibuſdam, J. B.* 160. *Panax Sphondylii folio ſive Heracleum, C. B. P.* Planta hæc ſpecioſior & major eſt, ut *Jo. Bauh.* recte notat. *Folia* eadem diviſione naſcuntur, latiora tamen & minus aſpera, pallidiora, interdum pene integra. *Caules* erecti craſſiores, & fortiores, vix eandem acquirunt altitudinem. *Umbellæ* albæ ſunt, & *ſemina* latitudine ſuperant.

In Nurſiæ *montibus provenit, & in* Alpibus Appenninis *legitur.*

4. Sphondylium *Alpinum glabrum, C. B. P. & Prod. J. B. Radice* eſt craſſa, alba; *caule* bicubitali, geniculato; *foliis* ficulneis, glabris, (quæ abſque pediculo palmum longa, duos lata ſunt) ut plurimum tripartitis, ſed non uſque ad pediculum diviſis, per marginem crenatis. Ex his autem inferiora pediculis palmaribus, hiſpidis, & ſubaſperis donantur. Caulis ſummitati *umbella* floſculorum candidorum, ſed quam in reliquis ſpeciebus minorum, inſidet. *Semen* ſuccedit ſubrotundum, planum, cujus ſummitati *apex* infigitur.

In monte Waſſerfall Caſp. Bauh. *per multos annos obſervavit.*

5. Sphondylium *hirſutum foliis anguſtioribus, C. B. P. & Prod. Sphondylium majus aliud laciniatis foliis, Park.* Huic *folia* ſunt ampla, plerumque ex quinque partibus longis compoſita, & in lacinias longas, anguſtas, acuminatas, haſque in alias, inordinate tamen diviſas, & per marginem crenatas abeuntia. *Flores* albi frequenter tenuiores apparent. *Caules* ut plurimum purpuraſcunt; in quibuſdam tamen, cum foliis, vireſcunt. *Alæ* foliorum longæ & acutæ ſunt, interdum etiam breviores & minus acutæ ludente ſic natura cernuntur.

In pratis Cornburienſibus *Agri* Oxonienſis, *aliiſque in* Anglia, *ut &* Germania, *cum vulgari naſcitur. Semen ſatum & hoc & vulgare, aliaſque medias varietates produxit; ut ſpeciem eſſe diſtinctam vix conceſſerimus.*

6. Sphondylium *Alpinum parvum, C. B. P. & Prod. J. B. Caulis* ei exſurgit pedalis, in ſummitate in alterum ramulum triuncialem diviſus. Hunc *folia* cingunt pallide virentia, longis pediculis donata, quæ in

partes tres, vel etiam quinque, alias ſubrotundas, alias acutas, per marginem crenatas & hirſutas, dividuntur. *Umbella* floſculis candidis, latis donata, quibus *ſemen* plenum, latum, ac tenue ſuccedit, ſummo cauli inſidet. Tota planta læviſſimis pilis pubeſcit.

Ex Auſtriæ *Alpibus* D. Burſerus *ad* Caſp. Bauh. *miſit.*

Sphondylii Vires & Uſus.

Cum Sphondylium *guſtu ſubacri cum dulcedine & calore ſit, neceſſe eſt ut exſiccet, incidat, & tenuium ſit partium, & ad aſthma, epilepſiam, & Regium morbum aptum medicamentum, uti* Galenus *confirmat. Pituitam per alvum detrahere* Dioſcorides *auctor eſt, & jecinoris vitiis, hepaticis, ictericis, orthopnœa laborantibus, comitiali morbo obnoxiis, ac uteri ſtrangulationi præterea mederi, perhibetur.*

Inter emollientes & folia *tenera &* radices *recipiuntur, & ad deprimendos tumores, ob digerentem & aperientem facultatem, à Chirurgis uſurpantur.*

Poloni & Lithuani *ex* Sphondylii foliis *ac* ſemine *cum aqua, addito fermento, potionem coquere feruntur, quæ pauperibus ſit loco cereviſiæ.* Dod.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine membranaceo, compreſſo, foliis latioribus lobatis.

CAPUT XL.

SECTIONIS NONÆ.

Paſtinaca latifolia.

PAſtinaca *a paſcendo dicta videtur; plebs enim infima eandem ſæpiſſime depaſcitur. Paſtinaca ſylveſtris, Elaphaboſcum,* ἐλαφόβοσκον *Dioſc. quia cervi pabulum eſt.*

Paſtinaca latifolia *radice* magna, longa, carnoſa, pyramidali, alba, & eduli, facile dignoſcitur.

1. Paſtinaca *ſativa latifolia, C. B. P. Ger. Park. Sativa latifolia Germanica luteo flore, J. B. Caulis* humanam altitudinem attingit, ſtriatus, & profundis *ſulcis* canaliculatus, à medio ad ſummum in *ramuſculos* divaricatus; qui quidem ramuſculi *umbellis* aureis, amplis, planis terminantur. Iſtis autem deciduis ſuccedunt *ſemina* aceroſa, ſubrotunda, compreſſa, *Sphondylii* ſeminibus minora, ſecundo quoque anno producta; primo enim folia ampla, lobata, pedalia & longiora emittit, quibus è regione adhærent *alæ* triunciales & ſeſquiunciam latæ, ſerratæ, virides, impari extremum claudente, ut in omnibus plantis *umbelliferis foliis lobatis* præditis.

In Hortis oleraceis radicum gratia frequens colitur. Biennis eſt planta, ejuſque radices prima hyeme, antequam dureſcant, carnoſæ ſunt & eſui aptæ.

2. Paſtinaca *latifolia ſylveſtris, C. B. P. Park. Ger. Paſtinaca latifolia ſylveſtris, quibuſdam Elaphoboſcum, J. B. Baucia Paſtinaca ſylveſtris, Adv. Lob. Radix* pollicaris, alba, fibris adnexis, *folia* protrudit alata, dodrantalia, antecedentis minora, viridia & hirſuta. *Caulis* ſecundo anno aſſurgit bicubitalis, ſtriatus, geniculatus, molli lanugine hirſutus, intus inanis; ad cujus genicula & ex alis foliorum oriuntur alii *cauliculi, folia* anguſtiora proferentes. *Flores* & *ſemina* cum ſativæ adeo congruunt ut illam hac eſſe natam & mangonio & cultura melioreſcere (quod & de *Carotis* creditur) plurimi opinentur.

In arvis, per vias & foſſas frequens occurrit

Paſtinacæ Uſus.

Radix *præcipue culinis expetitur, & in foro olitorio publice venum proſtat; calidæ & humidæ eſt temperiei, dulcis, ſalubris, & carnis vicem præſtans. Multum nutrit; corpus pinguefacit; flatus generat; venerem ſtimulat; & urinas provocat.*

Semen *magis excalefacit, & ad obſtructiones aperiendas in vino potum efficaciſſimum eſt; & ad urinas movendas, flatuſque diſcutiendos, cum ſucceſſu uſurpari poteſt. Hodie vero magis culinis nota eſt quam ſepluſiis.*

PLANTÆ

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine membranaceo compreſſo, foliis latioribus lobatis.

CAPUT XLI.

SECTIONIS NONÆ.

Panax Heracleum.

1. PAnax Heracleum, *Ger. Panax Paſtinacæ folio. An Syriacum Theoph. C. B. P. Et Panax coſtinum ejuſdem? Panaces peregrinum, Dod. Panax Chironium, Lugd. Sphondylio vel potius Paſtinacæ Germanicæ affinis. Panax vel Pſeudo-coſtus flore luteo, J. B. Panax alterum recentiorum Oluſatri aut Paſtinacæ folio, Adv. Lob.* *Radix* craſſa, alba, rugoſa, alte deſcendens & diutius durans, ſuperius comoſa, *folia* emittit ſeſquicubitalia, alata, pediculis longis, craſſis, canaliculatis, hirſutie aſperis, infidentia, eaque rurſus pinnatim ſubdiviſa & ramoſa, ut cubitalem latitudinem æquent pinnis aliſve oblongis, ſubrotundis & obtuſis, tres quatuorve uncias longis, binas latis, in ambitu crenatis donata, frequenter irregularia, uno latere à nervo medio repleto, altero oppoſito dimidio plus minus deficiente. *Caulis* aſſurgit ſex ſeptemve cubitos implens, pollicaris & pene brachialis craſſitudinis, geniculis interceptus, in ſuperiore parte in ramulos brachiatus, qui *umbellas* globulares, aureas ſuſtinent. Iſtis autem ſuccedunt *ſemina* binatim juncta ſubrotunda, compreſſa, *Paſtinacæ latifoliæ* longiora, externe ſtriata, quæ autumno ſata, vere ſuccedente germinant, quod utique in pluribus plantis umbelliferis obſervatu dignum eſt.

In Italia & Sicilia, *necnon* Galloprovincia *ſponte creſcit. Floret æſtate, & Autumno ſemen perficit.* Ex hujus radice vulnerata *ſuccus* ſubflavus æſtivis menſibus manat, ſponte concreſcens, odoris exigui, ſed guſtus excalefacientis; & pro *Opopanace* à pluribus; pro *Sagapeno* etiam à quibuſdam habetur.

2. Herbatum *Canadenſium ſive Panaces moſchatum, Cornuti.* Planta eſt bicubitalis, *radice* alba, longa, carnoſa; *foliis*, quæ primo prodeunt, longis & latis, *Coſti hortenſis* aut *Lepidii* ſimilibus, in ambitu leviter dentatis; his vero quæ poſtea producuntur in profundas adeo lacinias diſſectis, ut illæ folii coſtam fere pertingant. Pedalis *folia* longitudinis eſſe ſolent, & orbiculariter *caulem* juxta terram cingunt; nec enim ulla per caulem diſtribuuntur, niſi forte ubi caulis in *ramulos* diducitur; qua quidem in parte breve *foliolum* naſcitur, ſed mutilum nihilque debitæ formæ retinens, ibique eſt vinculi potius loco quam folii caulem nodo velut geniculo roborans, munienſque tuberculo adnati ramuli extremitatem, & utrumque velut membrana latius extenſa obducens, quo validius obfirmet. *Cymæ* ſingulorum caulium in *umbellam* ſe ſpargunt, adeo gravem ut antequam *floſculi* hient, deorſum nutet. *Flos* albus eſt, odore præcellens, à longinquo quemque invitans habitu moſchi gratiore. *Semina* ſuccedunt minus lata quam vulgarium. Tota planta ſubalbido & aſperiore *tomento* obducta eſt. *Sapor* foliorum acer eſt, odoratus, aliquantulum amarus.

Floret menſibus Septembri & Octobri.

Valde bonæ *nomine miſſa Libanotidis 2. quorundam ſive Cervariæ nigræ ſpecies, J. B. 167.* Tota planta ad *Laſerpitium* accedit, *folia* vero magis virent, paucioribus conjugationibus donata, ſed majoribus, amara & acria. *Flos* luteus ex *umbellis* minoribus, guſtu vinoſo & aromatico. *Semina* ad *Paſtinacæ Germanicæ* ſive *latifoliæ* vel *Anethi* accedentia, duplicia, fimbria albicante, ſapore aromatico.

In radicibus Appenninorum *montium colligitur.* J. B.

Vires & Uſus.

De Sagapeno & Opopanace *multum controverſiæ eſt. Sunt qui putant* Sagapenum *in* Media *ex* Ferula *naſci*; *alii ex radice* Panacis Heraclei *extrahi arbitrantur.* Opopanax *vero* (*quod gummi eſt*) *eſt ſubflavus, & ex ſucco concolore concretus à plurimis exiſtimatur.*

Opopanacem *officinarum ad plurimos uſus aptiſſimum docet* Galenus; *utpote qui ſit excalefaciens, emolliens, & digerens.*

Auxiliatur, inquit Dioſc. *adverſus febrium circuitus & horrores, convulſa, rupta, lateris dolores, tuſſes, tormina, urinæ ſtillicidium; contra veſicæ ſcabiem, & melicrato vel vino bibitur; menſes ducit; fœtus excutit; uteri flatus ac duritiem digerit, cum melle dilutus. Eſt vero Iſchiadicis, ſi eo inungantur, utilis. Acopis & capitalibus medicamentis admiſcetur. Carbunculos rumpit; cum uva paſſa podagricis impoſitus prodeſt; cavis dentibus inditus dolorem tollit; cum pice mixtus emplaſtrum utile eſt contra morſus animantium rabidorum.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine membranaceo compreſſo, foliis latioribus lobatis.

CAPUT XLII.

Tordylium.

TOrdylium Τορδύλιον *Dioſc. eſt planta umbellifera annua, foliis latioribus lobatis, ſeminis compreſſi, cartilaginei, limbo tumeſcente vel plano, vel granulato & quaſi criſpo donata; cum tamen ſemina lata plantarum præcedentium ad margines attenuantur.*

TABULA XXII. SECT. IX.

Tordylium ſeminis limbo

plano
1. *Vulgatius flore ex rubente albo, Nobis. Caucalis major ſemine minus pulchro hirſuto, J. B. Seſeli Creticum majus, C. B. P.*
2. *Helveticum elatius flore albo.*
3. *Majus foliis acutioribus viridibus, Nobis. Caucalis major Cluſ. J. B.*
4. *Majus alterum luteum λευκάρμη, Col. Seſeli Creticum fructu majore, C. B. P.*

granulato
5. *Minore erectum hirſutius, Nobis. Caucalis minor pulchro ſemine ſive Bellonii, J. B.*
6. *Minimum Apulum, Col. Seſeli Creticum minimum, C. B. P.*
7. *Majore Syriacum humilius, Nobis. Gingidium foliis Paſtinacæ latifoliæ, C. B. P.*

1. Tordylium *vulgatius ſemine plano, flore ex rubente albo, Nobis. Caucalis major ſemine minus pulchro, hirſuto, J. B. Seſeli Creticum majus, C. B. P.* Duorum cubitorum altitudinem fere *caulis* aſſequitur, hirſutus, ſtriatus, inanis, in ramos diviſus. *Folia* prima ſubrotunda, ſimilia quodammodo *Elaphoboſci*, ſed minora, ſerrata, hirſuta, alia longiora, breviora alia. *Umbellæ* parvæ, *flores* parvi, primo rubentes, deinde albi, eorumque *floſculi* externi quædam habent petala majora, bipartita. *Semina* peltata, & compreſſa, cartilaginea, pallida, limbo tumidiore plano & non granulato cincta.

In Agro Oxonienſi *in aggeribus foſſarum, aliiſque* Angliæ *naſcitur.* Jo. Bauh. *in* Sabaudia *ſponte naſcens inveniſſe tradit* D. Raius. *Tordylium ſive Seſeli Creticum minus Park. Caucalidem Bellonii, J. B.* D. Doody *in Agro* Middleſex. *detectum eſſe aſſerit; cujus ſemina granulata ſunt. Fortaſſe planta immature collecta, non adhuc ſemina demonſtrans, hallucinationi illi leviculæ anſam præbuit.*

2. Tordylium *Helveticum elatius flore albo.* Inter *ſemina* à *Cl. Viro D. Zolicofero Helveto*, aliquot abhinc annis recepta, orta eſt hæc planta, quæ antecedenti convenit; niſi quod in omnibus major ſit, humanam altitudinem attingens. *Umbellæ* majores prima facie *flores* oſtendunt lacteos petalis exterioribus quoque amplioribus donatos. *Semina* limbis ſuis tumidis, planis, paululum ſunt majora.

3. Tordylium *majus foliis acutioribus viridibus, Nobis. Caucalis major Cluſ. J. B. Caucalis maxima Sphondylii aculeato ſemine, C. B. P.* Huic *caules* ſunt recti, trium quatuorve cubitorum altitudinem attingentes, ſtriati, in ramos diviſi; ſub quibus lata ſede adnaſcuntur magna alataque *folia*, in ambitu inciſa & ſerrata, inſtar foliorum *Angelicæ*, atrovirentia. Summis ramis innaſcuntur *umbellæ* candicantium *florum* ſubtus nonnihil purpuraſcentium, & ad carneum colorem accedentium; quibus ſuccedunt *ſemina* lata, qualia fere in *Sphondylio vulgari*, ſubhirſuta, & ſummo mucrone bifida, aculeataque inſtar ſpinarum.

4. Tordylium *majus alterum luteum λευκάρμη, Col. Seſeli Creticum fructu majore, C. B. P. Folia* congenerum foliis affinia, alata ſunt, ut plurimum ex quinque alis ſubrotundis, crenatis compoſita. *Caulem* habet conſimilem, parum hirſutum. Flores ſunt lutei, *Anethi* (in magna *umbella*, nullas habentes barbulas) magnitudine dependentes, ut in aliis. *Fructus* edit cartilagineos, latos, magnos, compreſſos, aliorum majores, virentes; at ubi perficiantur limbus externus & umbilicus candicant, nec hirſuti ſed læves, parum vel nihil extuberante limbo, ruffaque linea umbilicum dividente, ad cordis formam accedentes apparent.

5. Tordylium *erectum hirſutius ſeminis limbo granulato minore, Nobis. Caucalis minor pulchro ſemine ſive Bellonii, J. B. Seſeli Creticum minus, C. B. P. Caulem* habet pedalem aut majorem, ſtriatum, hirſutum; *folia* per conjugationes longo pediculo adnexa, ſubrotunda, ſerrata, aſpera & piloſa, minora quam in vulgari primo, quæ ramorum divarications adnaſcuntur, utcunque minora. *Flores* in umbellam digeſti, ſimiles, candidi, quorum etiam *floſculi* exteriores majora habent bipartita *folia*. Peltata *ſemina* pulchriora, non ita hirſuta, fimbria candida criſpa vel granulata ambiente.

In vinearum marginibus circa pontem Caſtri novi, *haud longe à* Monſpelio, *ut & in* Sicilia, *ſponte provenit.*

6. Tordylium *minimum Apulum, Col. Seſeli Creticum minimum, C. B. P. Folia* habet lobata, coriandrina, alis minoribus ſubrotundis donata. *Caulis* cubitalis & bipedalis, gracilis, *umbellas* ſuſtinet albas; quibus ſuccedunt *ſemina* ſubrotunda, membranacea, intus aureo colore prædita, limbo exteriori granulis plurimis albis, profundius criſpatis, cincta.

In Italia & Apulia, *teſte* Columna, *provenit.*

7. Tordylium *Syriacum humilius ſemine granulato majore, Nobis. Gingidium foliis Paſtinacæ latifoliæ, C. B. P. Caucalis Syriaca cum maximo ſemine, J. B. Gingidium foliis Bauciæ Syriacum, Adv. Lob. Cauliculos* profert dodrantales, hirtos, ſtriatos, tortuoſos; *folia* nunc ſimplicia, nunc alata, rotundiora, crenata, & ampla. *Floſculi* in *umbellis* candidis diſpoſiti, longis foliorum ſegmentis protenſis obvallantur; quibus etiam nondum delapſis, præcoci ortu ſuccreſcunt *ſemina* ſimul juncta, multa, incana, villoſa, compreſſa, pulchre peltata, ampliora, limbo granulato cincta.

In Syria Rawolfius *legit, & ad haſce regiones ſemina tranſmiſit.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine membranaceo compreſſo, foliis plurifariam diviſis ſeu Cicutariis.

Plantas *huic paragrapho aſſignatas, cum variis nominibus inſigniantur, ſuas quaſque appellationes retinere voluimus, quo facilius lectori innoteſcerent ac deprehenderentur.*

Oreoſelinum, Cluſ. Thyſſelinum, Dod. Seſeli paluſtre lacteſcens, C. B. Apium peregrinum Cicutæ folio, C. B. Daucus Alſaticus, C. B. Libanotis nigra, Theoph. & Libanotis minor Apii folio, C. B.

CAPUT XLIII.

SECTIONIS NONÆ.

1. OReoſelinum *majus, Cluſ. Apium montanum folio ampliore, C. B. P. & Apium mont. nigrum ejuſdem, & J. B. Daucus montanus Apii folio minor, C. B. P. Parkinſonus* pariter ter quaterve plantæ hujuſce meminit, & *Apium montanum vulgatius*, & *Apium montanum Pariſienſium* nominavit. *Apium montanum Dalechampii, Lugd. Oreoſelinum ſive Veelgutta, Dod.* Huic *folia* veluti hortenſis *Apii* aut *Chærefolii* diviſura, ampliora, & ex multis alis obtuſis, atrovirentibus tenuibuſque pediculis hærentibus, compoſita. *Caulis* frequenter purpuraſcens ad humanam altitudinem attollitur, geniculatus, ſolidus, ſtriatus, *foliis* conſimilibus pediculis etiam purpuraſcentibus inſidentibus, amictus. *Umbellæ* in ſummo ex floribus albis componuntur; quibus ſuccedunt *ſemina* foliacea ſubrotunda, compreſſa, inter *Anethi*, & *Paſtinacæ latifoliæ* ſemina mediæ cujuſdam naturæ. *Radix* ſatis craſſa, ſuperius comoſa, vulnerata ſuccum effundit lacteum; reſinoſa, & per multos annos durans.

Montoſos arenoſoſque locos Germaniæ & Galliæ *amat, utpote naſcens in monticulo dicto* Mont-Valerian, *quarto ab urbe* Lutetia *lapide; ad latera montis* Juræ *haud procul à* Geneva; *in ſylvis ſabuloſis intra ſepta Regia* Chambort, *aliiſque ſponte provenit. Floret citius; ſemina ſub exitum æſtatis perficit.*

2. Thyſſelinum *Plinii, Dod. Lob. Apium ſylveſtre lacteo ſucco turgens, C. B. P. Thyſſelinum ſive Apium paluſtre, Park. Apium ſylveſtre Dodonæi, Thyſſelinum quorundam, planta lacteo ſucco turgens, locis humidis proveniens, J. B.* 188. *Olſenichium Cordi in Hiſt. Radices* habet varie furcatas, (quod paucis aliis umbelliferis convenit) è quibus *folia* modo explicatarum plantarum foliis tenuius inciſa, longa, *Carotæ vulgaris* ritu, glabra. Horum autem è qualibet parte rupta ſuccus effunditur lacteus. *Caules* ſtriati, concavi, geniculati, binos cubitos alti, *umbellas* gerunt albeſcentes, quæ in *ſemina* ſubrotunda, compreſſa, membranacea, tranſmutantur.

In alnetis humidis paſſim circa Bleſas, *& juxta lacus in uliginoſis & humidis locis, & ſcrobibus aquas reſides habentibus, provenit. Junio & Julio menſibus flores profert; paulo poſt ſemina matura producit.*

3. Seſeli *paluſtre lacteſcens, C. B. P. & Prod. Park. Cam. Seſeli paluſtre lacteſcens acre foliis ferulaceis, flore albo, ſemine lato, J. B. Radice* provenit ſingulari, longa, ſubfuſca, ingrato admodum guſtu, fervore non exiguo, fauces vellicante. *Caulem* profert ramoſum, cubitalem; *flores* candidos in umbellis; & *ſemen* foliaceum, oblongum, compreſſum. *Folia* habet antecedentis multo tenuius inciſa; quibus & *radicum* diſſimilitudine facile dignoſcitur.

In humectis locis haud longe à Norimberga *reperit* Camerarius. *In omnibus pratis humidis circumjacentibus* Bleſas *provenire auctor eſt doctiſſimus* D. D. Moriſonus.

4. Apium *peregrinum Cicutæ folio, C. B. P. Apium Cicutæ foliis, Selinum alterum Cluſii, ſemine lato, J. B.* Multa habet ab una *radice* prodeuntia *folia, Cicutæ* foliis non diſſimilia, ſed quæ caulem ambiunt minora ſunt; *caulem* cubito majorem, ſæpe unicum, nonnunquam plures, & in his *umbellas* candidorum florum, quibus ſuccedit *ſemen* latum, minus tamen quam *Ferulæ*; radicem digitalis etiam craſſitudinis, albam, odoratam, utcunque acrem.

Provenit apricis & à ſole illuſtratis locis, in agro Salmanticenſi, *ut* Cluſius *perhibet. Junio menſe floret; Auguſto ſemen profert.*

5. Daucus *Alſaticus, C. B. Prod. Umbellifera Alſatica magna umbella parva ſublutea, J. B. Chab.* 393. Proceritatem hominis æquat, *caule* rubente, ſtriato, geniculato, inani, firmo ſatis, & in ramos diviſo; ad cujus ſingulos nodos pediculi caulem ceu vagina amplectentes oriuntur longi cubitum unum. Ex horum porro lateribus alii breviores prodeunt, *folia* ſuſtinentes *Apii petræi* foliorum ad inſtar diſſecta, ſapore amaricante

& aromatico prædita. *Umbellæ* pro plantæ ratione parvæ, *Apii* umbellis pares, ex *floribus* conflantur luteolis. *Semen* gemellum Anethino ſimile, foliaceum, latum, ſtriatum, ſaporis aromatici, acris & amari eſt. Radix lignoſa, rugis arata & aromatica.

In Alſatia *inter* Ruffack & Colmar *reperit* Jo. Bauhinus.

6. Libanotis *nigra Theophraſti, Ger. Daucus montanus Apii folio major, C. B. P. Saxifragia Venetorum, Adv. Lob. Libanotis Theophraſti quorundam folio minus rotundo, J. B. 165.* E *radice* craſſa, ſuperius capillata, proveniunt *folia Angelicæ ſylveſtris* in modum plurifariam diviſa, aliſque *Apii hortenſis* latioris amplitudinem æquantibus, pediculis longis appenſis, donata, rigida, glabra, mucronata, in ambitu dentata. *Caules* eriguntur ſtriati, binos aut ternos cubitos alti, in alas diviſi, *umbellas* ampliſſimas floſculorum albicantium ſuſtinentes; quibus delapſis *ſemina* apparent foliacea, compreſſa, ad *Paſtinacæ latifoliæ* ſemina accedentia.

In montibus Helveticis Sabaudiciſque, *necnon in deſcenſu montis* Capouladou, *aliiſque* Galloprovinciæ, *inter rupes occurrit.*

7. Libanotis *minor Apii folio, C. B. P. Libanotis Theophraſti minor Lobelii, J. B. Libanotis alba minor, Thal. Daucus anguloſo caule, Cordi.* Hæc præcedenti ſimilis, *foliis eſt Ammeos* vel *Apii* diviſura donatis, exilioribus tamen, oris tantillum crenatis & laciniatis. *Caulis* ei bicubitalis & procerior eſt; *flores* in *umbellis* albi; *ſemen* quale eſt *Anethi* candidum; *radix* aromatica, grati & jucundi odoris.

SECTIONIS NONÆ.

Diſtributio Octava.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine ala foliacea cincto donatæ.

CAPUT XLIV.

Thapſia.

THapſia Θαψία, *Arabibus Jantum & Hiantum, ut & Driz, dicta quod in* Thapſo *Inſula primum inventa ſit. Dioſc.* Turbith *etiam radix appellatur; vox Arabica eſt, ab Avicenna & aliis uſurpata; quamvis aliqui à turbando deducant, quod propter magnam violentiam purgando corpus turbet. Et hinc quidem* Aſam fœtidam *productam fuiſſe veriſimile eſt.*

Thapſia eſt planta umbellifera floribus luteis donata, ſemine oblongo, circulariter ala foliacea ſumma parte bifida cincto; & eo nomine à *Laſerpitio* dignoſcitur, cujus ſemina alis pluribus foliaceis cinguntur. Folia vel latioribus ſegmentis, vel anguſtioribus *Carotam* æmulantibus, vel fœniculacea tenuitate diviſa ſunt.

TABULA XXIII. SECT. IX.

Thapſia
- *latifolia*
  1. *Sive maxima latiſſimo folio, C. B. P. 3. Cluſ. Hiſt. Thapſia magna flo. luteo, ſemine lato, J. B.*
  2. *Glutinoſa ſegmentis denſioribus ſubhirſutis alterno ſitu poſitis, D. Pluk. Phyt.*
  3. *Quorundam hirſuta & aſpera Cicutæ folio, flore luteo, ſemine lato, aliis Seſeli Peloponneſiacum, J. B. Thapſia montis Cetii vulgo.*
  4. *Thalictri folio, Bot. Monſp. Thapſia ſeu Turbith Garganicum ſemine latiſſimo, J. B.*
  5. *Cæſalpini ſemine candido craſſo, J. B. Tom. 3. p. 187.*
- *tenuifolia*
  6. *Carotæ foliis latioribus, Nobis. Thapſia latifolia villoſa, C. B. P. 1. Cluſii.*
  7. *Carotæ effigie, C. B. P. Adv. Lob. Vulgaris, Ger.*
  8. *Libanotidis folio fœtidiſſimæ, C. B. P. 4. Cluſ. Hiſt.*
  9. *Petiolis foliorum radiatis, Nobis. Panax Aſclepium Apulum, Col.*
- *ferulacea*
  10. *Semine plano folioſo, Nobis. Thapſia Fœniculi folio, C. B. P. 2. Cluſ.*
  11. *Seminis margine inciſo, Nobis. Gingidium foliis Fœniculi, C. B. P. Verum Dioſcoridis, Rawolfii.*

1. Thapſia *maxima latiſſimo folio, C. B. P. 3. Cluſ. Hiſt. Thapſia magna flore luteo, ſemine lato, J. B. Maxima Hiſpanica, Park.* *Radix* longa, craſſa, foris ex fuſco colore nigricans, intus candicans, materia corticoſa & carnoſa denſa, lacteo *ſucco* ad minimam inciſionem fractumve manante, amaro, nauſeam creante, & ingrato. *Caput* ejus piloſum villis foliorum marcidorum, ut in aliis fit, veſtitur. Hinc *folia* proveniunt pedalia ampla, molli lanugine pubeſcentia, pediculis longis inſidentia (qui quidem in nervum medium villoſum continuantur) *lobis* hinc inde è regione ſitis lata & quercina diviſione ſinuatis, in orbem ſparſa. Inter folia *caulis* ferulaceus, humanam proceritatem æquans, in ramulos quoſdam brachiatus, aſſurgit, *umbellas* geſtans amplas, rotundas, ex *floribus* luteis, pentapetaloidibus conſtantes. His autem defloreſcentibus, ſuccedunt *ſemina* ampliſſima, ovalia, unciam longa, germine in medio prorumpente oblongo, ſtriato, ala membranacea, & foliacea, in ſuperiore parte inciſa, pellucida, ſubfuſca, cincto.

Non ſolum Salmanticenſi *agro, ſed etiam circa* Pintiam *vulgo* Valladolid *dictam, & tota veteri* Caſtella *ad* Pyrenæos *uſque montes provenit. Cluſ.*

2. Thapſia

2. Thapſia *latifolia glutinoſa ſegmentis denſioribus ſubhirſutis, alterno ſitu poſitis, D. Pluk. Phyt.* cui ejuſdem iconem edere placuit. *Folia* lata ſunt, lobis etiam quercinis, ſubhirſutis, alternatim rachi inſidentibus; qua poſitione ab aliis facile dignoſcitur. *An Seſeli Peloponnenſe folio Cicutæ, Adv. & icon. Lob?*

3. Thapſia *quorundam hirſuta & aſpera, Cicutæ folio, flore luteo, ſemine lato, aliis Seſeli Peloponneſiacum, J. B.* 158. *Thapſia latifolia villoſa, C. B. P. Seſeli Peloponnenſe Cicutæ folio, Adv. Lob. Thapſia montis Cetii vulgo.* Herba eſt cubitali & altiore, ferulaceo, tereti, intuſque fungoſo *caule*, ramis multis brachiato. *Folia Cicutæ* foliis quodammodo ſimilia, craſſiuſcula, hirſuta multum & aſpera, alis oppoſitis ſubjecta, quarum ſegmenta ſingularia, ſemuncia longiora, ſerrata ſunt. *Umbella* lata, lutea; *ſemen* magnum, per extremitates bifidum, ex rotundo oblongum, labiis foliaceis cinctum eſt.

In monte Cetio, *monteque* Lupo, *haud longe à* Monſpelio, *aliiſque declivibus in* Gallia Narbonenſi, *copioſe provenit.*

4. Thapſia *Thalictri folio, Magnol. Bot. Monſp. Thapſia ſeu Turbith Garganicum ſemine latiſſimo, J. B.* 50. Rara admodum eſt hæc *Thapſia*, ex *Africæ* littoribus delata. *Radicem* habet craſſam, quæ *folia* plurima producit plurifariam diviſa, ſicut in *Thalictro pratenſi Monſpelienſium*, latiora, craſſiora, rugoſiora, & ſplendentiora. Inter hæc autem *caulis* oritur cubitalis, *umbellas* habens floſculorum luteorum; quibus ſuccedunt *ſemina* oblonga, ala foliacea cincta. *D. Magnol.*

5. Thapſia *Cæſalpini ſemine candido craſſo, J. B. Tom.* 3. *p.* 187. *Caulem* fert non excedentem binos cubitos, candicantem, veluti cinere aſperſo; folia proportione minora, ſed latioribus ſegmentis, & ſubcandida; florem luteum in umbellis; ſemen autem candidum, ſtriatum, craſſius & longius, in foliacea quædam labra deſinens. *Radix* ſubeſt candida, craſſo capite, in ramos diviſo, ſucco lacteo valde acri, ut tractantium & manus & facies intumeſcant. *J. B.*

Cæſalpinus deſcriptionis auctor vocat *Thapſiam Piſis in Ilva naſcentem, Ferulæ fœminæ ſimilem, ſed minorem & candidiorem.*

6. Thapſia *Carotæ foliis latioribus, Nobis. Thapſia latifolia Hiſpanica, Park. Thapſia latifolia flore luteo, ſemine lato, ſimilis Seſeli Peloponnenſi Lobelii, J. B.* Hujus *folia* villo ſeu lanugine obducta, humi in orbem diffuſa, *Paſtinacam ſativam tenuifoliam* ſeu *Carotam* bene referunt, petiolis tamen longioribus latius expanduntur. *Floribus, ſeminibus,* æque ac *radicibus,* cum aliis convenit.

7. Thapſia *tenuifolia Carotæ effigie, C. B. P. Adv. Lob. Thapſia vulgaris, Ger. Carotæ facie, J. B.* 187. Et lata & longa ſunt *Thapſiæ* hujus *folia*, pediculo tam primario, quam aliis minoribus ſegmentorum, hirſuto, aſpero, rubente. Segmenta in alis *foliorum* ſingularia, non ex adverſo naſcuntur, alioqui tota facie *Carotæ vulgaris tenuioris* folia ſatis referunt, hirſuta, venoſa. *Flores* & *ſemina* eodem modo quo & cæteræ profert.

8. Thapſia *Libanotidis folio fœtidiſſima, C. B. P.* 4ª. *Cluſ. Hiſt. Thapſia fœtidiſſima, Park. Thapſia* Tuero *vocata, foliis glutinoſis, radice nigra foris, J. B. Folia Libanotidis* ſimilia, per terram expanſa, lento quodam & glutinoſo rore ſemper aſperſa, ſatura viriditate ſplendentia. *Caulis* rectus, tenuis, *umbellam* florum pene in globum coactam, ſuſtinet. Tota planta teterrimi odoris eſt.

In Agro Salmanticenſi *cum aliis* Cluſius *invenit*

9. Thapſia *tenuifolia petiolis foliorum radiatis, Nobis. Panax Aſclepium Apulum, Col. Panax Aſclepium ſemine foliaceo, C. B. P. Radix* pollicaris craſſitudinis, ex alba ſubflava, rugoſa, lacte viſcoſo turgida (ut gummi) ſtatim concreſcente, amaro, ingrato, ſed aromatico vel medicato acri guſtu. *Folia* in orbem ſparſa, minutis lobulis denſis diviſa *Millefolii vulgaris* modo, atque hirſuta, *petiolis* quinque vel ſex è prima diviſione radiatim adnatis, cum coſta media cæteris longiore, lobulis minutis πολυτριχοφύλλοις ex adverſo veſtitis. *Caulis* bipedalis aut tripedalis, nodis diſtinctus, *umbellam* unam vel alteram, raro tertiam ſuſtinet, amplam, dodrantali diametro, planam, *floſculis* luteis onuſtam. *Semina* ſunt foliacea, duplicia, utrinque binis cartilaginibus alata; in quorum medio ſemen ipſum oblongum, ut in aliis, acre eſt.

In Apulia *detexit* Cl. Fab. Col.

10. Thapſia *ferulacea ſemine folioſo plano, Nobis. Thapſia Fœniculi folio, C. B. P. 2. vel tenuifolia, Cluſ. Thapſia flore luteo, foliis tenuioribus Fœniculi pene inſtar, J. B.* 186. Agro etiam *Salmanticenſi* hoc *Thapſiæ* genus obſervatum eſt à celeberrimo *Cluſio. Caulis* ei cubitalis gracilior aſſurgit; *umbella* aliis ſimili quoad flores & ſemen, ſed minore eſt. Folia illi multo tenuiora, *Fœniculi* pene foliorum inſtar, nullam inſignem qualitatem habentia. *Radix* longa, digitalis craſſitudinis, foris nigra, intus candida & fungoſa, acris, ſummo capite villoſo.

11. Thapſia *ferulacea ſeminis margine inciſo, Nobis. Gingidium foliis Fœniculi, C. B. P. Gingidium verum Dioſcoridis, Rawolfii. Verum ſive Syriacum, Park. Anetho ſimilis planta ſemine lato laciniato, J. B.* 7. Hujus *radix* tenuis, annua videtur; è qua *folia* proveniunt *Viſnagæ* aut *Scandicis* in modum tenuiſſime diviſa. Inter hæc *caulis* aſſurgit pedalis, geniculis quibuſdam interceptus, in *alas* paucas ſe dividens, quarum ſummitates *umbellis* albis ornantur. Iſtis autem ſubſunt *foliola* viridia, ut in *Melanthio*, aut *Carota. Flores* pentapetali albi; quorum extrema petala cætera magnitudine multum ſuperant, ut in flore *Sphondylii* videre licet. His porro evanidis, *ſemina* ſuccedunt oblonga vel ovalia, folioſa, binatim juncta, ut in aliis; quorum margines non plani ut in cæteris hujus familiæ, ſed in decem partes materia quadam membranacea rotundis inciſuris eleganti ſpectaculo dividuntur.

In monte Libano Syriæ Rawolf. *legit, & in Horto ſuo ficco eleganter expanſam & reſervatam obſervare licet.*

Thapſiæ Vires.

Thapſia *calida eſt & ſicca. Perperam ab impoſtoribus in* Hiſpania *pro* Turbith *vendebatur ejus radix, magno Reipublicæ detrimento. Vetulæ* Salmanticenſes *hujus* radice *utebantur ad provocandos menſes, aliaſque dejectiones molliendas, teſte* Cluſio; *ſed tanta vi ἄνω & κάτω purgat, ut ſumentes in maximum periculum conjiciat.* Meſues Turbith nigrum *appellat, & ab eo ad humores tenues evacuandos uſurpabatur. Et quidem ſi addatur* Zinziber, *educit humores craſſos & viſcoſos à partibus longinquis, & articulis, & locis profundis.*

PLANTÆ

SECTIONIS NONÆ.

Distributio Nona.

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Semine alis foliaceis cincto donatæ.

CAPUT XLV.

Laserpitium.

LAserpitium σίλφιον, *Planta laserifera*, Avicen. *Dulce hoc* Sirpe *seu* Serpe *dicitur, unde* Laserpitium *quasi* lac serpitium, *seu* Silphii *succus albus, quod Laserpitium dulce audit* Benzoim, *& in concretam materiam gummive per exsiccationem mutatur*; Asa dulcis, Hiltit & Altiht *Arabice nuncupatur; quod inter incidendum radicem & caulem plantæ, lac egrediatur, & ὁμῶς id est succus collectus & exsiccatus in usum asservetur. De hac autem re* Plempium *consule, & Doctiss.* D. D. Hyde *in libello suo cui titulum fecit* Itinera mundi, *p.* 163. & 164.

Hiltit fœtens, Engjudan *seu* Laser fœtens & *nigrum, vulgo* Asa fœtida, & Diabolicum stercus Germanis *appellatum, ex* Thapsiæ *radicibus, maxime fœtentibus, extractum esse videtur.*

Laserpitium sola est nota umbellifera planta seminibus alis foliaceis, rotæ molendinæ fluviatilis pinnarum instar, cinctis, prædita. *Folia* vel latiora vel angustiora sunt, *seminaque* alis crispis vel planis ornata.

TABULA. XXIV. SECT. IX.

- *Laserpitium foliis*
  - *latioribus, semine*
    - *crispo*
      1. *Et verrucoso majus, Nobis. Libanotis latifolia major. C.B.P.*
      2. *Foliis minus rotundis, Nobis. Libanotis Theoph. quorundam folio minus rotundo, J. B.*
      3. *Foliis rotundioribus, Nobis. Libanotis Alpina rotundifolia, Schol. Bot. Par.*
      4. *Minus, Nobis. Libanotis latifolia minor semine crispo, C.B.P.*
      5. *Apii folio, semine aspero, Nobis. Libanotis apii folio, semine aspero, C. B. P.*
    - *plano*
      6. *Vulgatius, Nobis. Libanotis latifolia altera sive vulgatior, C. B. P.*
      7. *Non sinuatum, Hort. Reg. Par.*
      8. *Alpinum foliis Angelicæ, Nob. Alpinum exot. Prosp. Alp.*
  - *angustioribus, semine*
    - *crispo*
      9. *Majus segmentis longioribus & indivisis. Laserpitium angustifolium non sinuatum, C. B. P.*
      10. *Foliis dilute virentibus conjugatim positis.*
      11. *Foliis conjugatim positis quinquifidis, Nobis. Laserpitium Gallicum, C.B.P.*
      12. *Umbella concava & contracta, Schol. Bot. Par.*
    - *plano*
      13. *Foliis tenuissimis obscure virentibus, D. Pluk. Phyt.*
      14. *Foliis conjugatim positis trifidis lucentibus, Nobis. Laserpitio similis angustifolia, Lob. J. B.*
      15. *Daucoides Prutenicum viscoso semine, Breynei.*

1. Laserpitium *foliis latioribus, semine crispo & verrucoso majus, Nobis. Libanotis latifolia major, C. B. P. Libanotidi Theophrasti quorundam valde similis, Costus amara dicta semine crispo, J. B.* 165. *Libanotis Theophrasti major, Lob. Seseli Æthiopicum* 2. *Clus. Pan. & Hist. Radix* pollicari, interdum brachiali crassitie, in aliquot crassiores fibras divisa, crasso *cortice* albicante tecta, gustu initio dulci, deinde cum calore amaricante, supremo capite hirsuta (veterum foliorum, quæ à precedenti anno perierunt, fibris eam hirsutiem facientibus, ut in plurimis resinacearum plantarum umbelliferarum radicibus solet contingere) perennis. *Folia* ei oriuntur, *Hipposelini* in modum, plurifariam divisa & lobata, pluribus majoribusque alis, nempe vicenis, quarum binæ plerumque superiores magnitudine longe cedunt reliquis, superne virentes & splendentes, & prona parte cinerei glaucive coloris, in ambitu serratæ, sed lacinia una vel altera dissectæ. *Caulis* assurgit teres, geniculatus, bicubitalis, & superiore parte in aliquot ramulos divisus, *umbellas* ampliffimas, planas, ex albescentibus *flosculis* compositas, sustinentes. *Semina* succedunt pallida, striata, binatim juncta, alis foliaceis, crispis, cincta, quæ dum viridia numerantur 6. binis alis ad basin arcte sibi conjunctis, quæ hinc inde numerari possunt duæ tantum, cum tamen in seminibus singulis exsiccatis & deciduis appareant quatuor.

In sylvis Austriæ & Stiriæ *copiose provenit. Mensibus Junio & Julio floret; Augusto semen perficit.*

2. Laserpitium *latifolium semine crispo, foliis minus rotundis, Nobis. Libanotis Theophrasti quorundam folio minus rotundo, J. B.* 165. *Libanotis Theophrasti major, Lob.* Antecedenti convenit & simile est; nisi quod *folia*

folia lata in acutiorem mucronem terminentur, cum in altero illo ſubrotunda & obtuſa ſint, inferneque magis candicent.

3. Laſerpitium *latifolium ſemine criſpo, alis foliorum rotundioribus, Nobis. Libanotis Alpina rotundifolia, Schol. Bot. Par.* Hujus *folia* plurifariam diviſa, pediculis longis inſidentia, jam dictorum foliis minora ſunt. Horum quælibet *ala* ſubrotunda in ambitu ſerrata, uncialem latitudinem non ſuperat.

4. Laſerpitium *latifolium minus ſemine criſpo, Nobis. Libanotis latifolia minor ſemine criſpo, C. B. P. & Prod.* 2. Hoc foliorum magnitudine aliis cedit; diviſio prima tres alas duntaxat obtinet; tres, quinqueve aliæ, per ambitum ſerratæ, magnitudine unciam vix excedentes, oblongiuſculæ, totum componunt. Quoad *flores* & *ſemina* aliis criſpis ſimile eſt.

5. Laſerpitium *apii folio, ſemine criſpo aſpero, Nobis. Libanotis apii folio, ſemine aſpero, C. B. P. Et Liguſticum foliis Cicutæ, ejuſdem. Libanotis Theophraſti minor, Lob. Cretica, Park. Roſmarinus foliis Selini ſimilibus, Belli.* Hujus *folia Selini* ſimilia ſunt, ſerrata; *floreſque* in *umbellis* albi, quibus ſuccedunt *ſemina* oblonga, aſpera. Radice nititur craſſa, foris nigro cortice eoque tenui veſtita, intus alba, *thus* maxime olente. Qua de cauſa *Libanotis legitima Bello* videtur, quam *Theophraſt. lib. 9. c. 12.* deſcripſit. *Planta hæc* Cretica *nos impræſentiarum penes non eſt. Si* ſemina *oblonga* alis *ſint deſtituta, ad* Seſelios *familiam ablegetur. Quibus videre contigit, hi certius quiddam hac in re conſtituerint.*

6. Laſerpitium *latifolium vulgatius ſeminis alis planis, Nobis. Libanotis latifolia altera ſive vulgatior, C. B. P. Libanotis Theophraſti quorundam, ſive Seſeli Æthiopicum Matthiolo, Cervaria alba, J. B.* 164. *Seſeli Æthiopicum herba, Cod. Seſeli Æthiopicum, Matth. Cluſ. Folia* huic ampla ſunt, ad eundem modum quo & præcedentium diviſa & ramoſa, *lobis* latiuſculis donata. *Caulis* cubitalis & amplior, geniculis interceptus, *umbellas* albas, *ſeminaque* ſtriata oblonga, octo *alas* conſtituentia, planas & rectas ſuſtinens, cum aliorum umbellæ marginibus criſpis donatæ ſint.

In Auſtriæ & Stiriæ *ſylvis ſponte naſcitur.*

7. Laſerpitium *latiore folio non ſinuatum, Schol. Bot. Par.* An hoc *Pariſienſium* induſtria & indagatione, ex ſpontaneo proveniens, detectum ſit, vel ex ſeminibus ſatis variatio orta, nos latet. Ejus *folia* latiuſcula longa mucronata & lobata, minus ſunt ſerrata; *ſeminaque* nullo modo criſpa.

8. Laſerpitium *foliis Angelicæ, ſemine plano, Nobis. Laſerpitium Alpinum, P. A. Exot. Park. Radix* & *caulis* procerus brachialis ſunt craſſitudinis; *folia Selini* aut *Angelicæ ſylveſtris* folia æmulantur, licet majora ſint & ſplendentia; *floſculi* in *umbella* luteoli; *ſemina* lata, foliacea ſeu alata *Laſerpitii.*

E Thracia *delata ſunt ſemina, quæ alata eſſe dicuntur; & ſi ſimplici tantum ala ſint, ad* Thapſias *Cap. ſuccedente planta referri debet: quam ſententiam ut amplectamur floris color ſuadere videtur. De hoc plura apud* Bodæum *à* Stapel *Comment. in* Theophraſt. *Hiſt. lib. 6. p. 588. legere eſt.*

9. Laſerpitium *anguſtifolium majus ſegmentis longioribus & indiviſis, Nobis. Laſerpitium anguſtifolium non ſinuatum, Schol. Bot. Par.* Species hæ *Laſerpitii* ſuccedentes anguſtiora *folia* proferentes, plantæ ſunt multo hactenus explicatis humiliores, nempe cubitales & bipedales; petiolique hirſutie quadam aſperſi ſunt. Hæc *folia* emittit plurifariam diviſa, ex alis uncialibus & biuncialibus, culmum latis, & acutis, non ſerratis, ex oppoſito ut plurimum ſitis, compoſita. *Umbellæ* albæ radiis longioribus conſtant; *ſeminaque* alata, criſpata ſunt.

10. Laſerpitium *anguſtifolium foliis dilute virentibus conjugatim poſitis. Folia* antecedentis ſunt minora, breviora, & anguſtiora, integra tamen, *lobis* anguſtis ex adverſo diſpoſitis, & rachi adhærentibus, dilute virentibus; cum in aliis ſaturate ſplendent.

11. Laſerpitium *anguſtifolium foliis conjugatim poſitis quinquifidis, Nobis. Laſerpitium Gallicum, C. B.* 1. *Laſerpitium Maſſilioticum, Tab. è Regione Maſſiliæ allatum, J. B.* Huic *folia* ampla ſunt, dodrantem longa, ramoſa, petiolis oppoſitis diviſa; quibus abſque pediculis adhærent alæ quinquifidæ aut ſeptifidæ, *Spinæ albæ* ſeu *Oxyacanthæ* alarum ſatis æmulæ. Atque his ab aliis dignoſcitur. *Umbellæ* ſunt amplæ, albæ, & *ſemina* oblonga, membranacea, criſpa.

12. Laſerpitium *anguſtifolium umbella concava & contracta, Schol. Bot. Par.* Hujus *folium* integrum brevius apparet, petiolis ex adverſo aliorum more poſitis, qui plurifariam conſtituunt diviſionem. Singula *ala* è regione petiolo quoque ſita, non ſingulis ſegmentis contenta, ſubdiviſionem ceratoidem ut plurimum triplici terminatione obtinet. *Umbella* radiis longis externis conſtans, in medio brevioribus, *Dauci* in modum ſe contrahit. Atque iſtis dignoſcitur.

13. Laſerpitium *lobis tenuiſſimis integris obſcure virentibus, D. Pluk. Phyt. Tab.* 198. Folium integrum in latum extenſum, ut in aliis eſt; cujus ſingulus *lobus* vix unciam longus, tenuis eſt, & acutus. *Semina* è *Gallia* recepta alata ſunt, marginibus planis donata.

14. Laſerpitium *foliis conjugatim poſitis trifidis lucentibus, Nobis. Laſerpitio ſimilis anguſtifolia, Lob. J. B.* 137. *Foliis* præſertim dignoſcuntur hæ variæ ſpecies: hujus autem ampla ſunt, & plurifariam pediculis è regione diviſa; quibus *alæ* plures trifidæ, in inferiore parte ter trifidæ, naſcuntur. *Semina* quoque ſunt plana.

15. Laſerpitium *daucoides Prutenicum viſcoſo ſemine, Breynei. Radix Dauci vulgaris* radici ſimilis; unde *folia* humi ſparguntur in orbem, dodrantalia, hirſuta, *Dauci hortenſis* aliquatenus ſimilia, in lacinias vero pauciores, majores, latiores, & obſcurius virentes diſſecta. Inter iſthæc *caulis* erigitur cubitalis, vel altior, in ramulos divaricatus, qui in ſummitatibus *umbellis* amplis, niveis, ornati ſunt. His autem *ſemina* bina ſimul juncta, tenuia, oblonga inſunt; in quorum ſingulis *alæ* membranaceæ ac pellucidæ, ad ſpadiceum colorem præ maturitate vergentes, ſemper quatuor, utpote convexa parte ſeu dorſo duæ, & totidem in marginibus obſervantur. Cæterum *ſemen* viſcoſa quadam materia odorata, manus quaſi inficiente dum viret obſitum, contritumque gratiſſimum ex *Citro, Benzonio* & *ſemine Dauci* mixtum, aromaticum odorem ſpirat. *Ericetis & fruticoſis nonnullis* Boruſſiæ & Caſſubiæ *collibus gaudet. Menſibus Auguſto & Septembri floribus & ſeminibus onuſtum obſervavit Clariſſimus Auctor.*

Temperamentum & Vires.

Laſerpitium *calidum & ſiccum eſt, proinde urinas movet, ut & mulierum menſtrua. Colicos ſedat dolores, ſi cum* myrrha & pipere *comedatur. De* Laſere *ex* Laſerpitio *extracto conſule* Jo. Bauhinum *Tom.* 3. *part.* 2. *p.* 136. *ubi prolixe de viribus & uſu ejuſdem agit pro more ſuo.*

Hactenus plantas Umbelliferas *proprie dictas, omneſque conditiones requiſitas poſſidentes, inveſtigavimus; quas quidem* folia *vel* tripliciter *diviſa, vel* ferulacea, lobata, *vel* plurifariam diviſa *habere, demonſtravimus: reſtant quædam Plantæ tribus capitulis ſuccedentibus contentæ, omnibus conditionibus ad genuinas Umbelliferas conſtituendas requiſitis non gaudentes. Duo quidem priora capita eas continent, quæ* folia, Umbelliferarum *ritu,* lobata *ſeu* alata, floreſque *non diſſimiles proferunt,* Filipendulam *ſcil.* & Ulmariam; *alterum, Plantas* foliis, *multarum* Umbelliferarum *more,* plurifariam diviſis, *comprehendit, puta* Thalictrum. *Iſtæ autem omnes* Umbelliferæ *improprie dictæ nominentur, cum* ſemina *gemella aut ſimul juncta non gerant.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Improprie dictæ.

CAPUT XLVI.

SECTIONIS NONÆ

Filipendula.

FIlipendula *à torulis illis qui à radice tanquam à filo dependent nomen accepit.*

Filipendula *vulgaris, C. B. P. An Molon Plinii? Filipendula, J. B. Ger. Eyſt. Matth. Dod. Radices* ſpadiceo colore ſeu obſoleto rubore nigricant, è craſſo capite diffuſæ in oblongas tenues fibrarum appendices, funiculorum ritu, tam globulis olivaribus quàm tuberculis oblongis adnexas. *Folia* ſuper terram ſternit, ſaturate virentia, plurima, *Agrimoniæ* foliis tenuiora, aut *Potentillæ* vice ab uno medio nervo alata ſerie conjugatim diſpoſita, de intermediis tamen appendiculis intermixtis ſubinde dependentia, & ambitu denticulata. Hæc altero demum anno diverſo ordine ambiunt *caulem* brachiatum, cacuminibus umbellatim aut potius corymbatim diſpoſitis, nunc altiore, nunc profundiore ſitu, ferentem *flores* albos, odoratos, ſenis petalis ſtaminula concoloria radiatim circumdantes. His autem delapſis ſuccedunt *ſemina* parva, oblonga, compreſſa, rhombi irregularis figura, circulariter ſummis cauliculis inſidentia.

In paſcuis montoſis gramineis, & ad ſylvarum margines, arenoſo ſolo, ad humiditatem tendente, naſcitur. Æſtivalibus menſibus floret.

Filipendula minor, C. B. P. & Prod. deſcrip. Park. Quæ variatio tantum à loco dependet; ut arbitratur etiam *Cl. Magnol.*

Filipendulæ Vires & Uſus.

Radix *manifeſte calida & ſicca eſt, aperiens & abſtergens, cum nonnulla tamen adſtrictione.* Decoctum *radicis urinam & calculos pellit; dyſuria & urinæ ſtillicidio laborantibus prodeſt.*

Pulvis *radicis adverſus morbum comitialem commendatur; contra tormina inteſtinorumque flatus optimi eſt uſus.*

Suſpirioſis & anhelantibus & omnibus morbis à cauſa frigida concitatis, medetur.

Secundarias pellit, & in profluvio albo mulierum nihil efficacius.

Radicis *contra epilepſiam, alioſque hujuſmodi affectus, tanta vis eſt ut* Pæoniæ *anteferenda ſit.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Improprie dictæ.

CAPUT XLVII.

SECTIONIS NONÆ.

Ulmaria ſeu Barba capræ.

ULmaria *dicitur à foliorum forma, nempe à foliis Ulmi ſimilibus.* Barba capræ *à ſecundæ ſpeciei floribus nuncupatur, eorumque figura quæ Barbam caprinam referre videtur, propter ramulos florum in prælongas barbulas effigiatos. Et quibuſdam Regina prati ab odore fragranti dicitur.*

1. Ulmaria *vulgaris, Park. Barba capræ floribus compactis, C. B. P. Ulmaria, Adv. & Icon. Lob. J. B. Regina prati, Dod. Ger. Folia* ex pluribus collecta, alata ſunt, *Agrimoniæ* latiora, breviora, acutiora, venoſa, & rugoſa, *Ulmi vulgaris* ſimilia, uno trifido extremum claudente, & parvulis alis intermediis, ut in *Filipendula*, donata, in oris crenata, inferius inalbicantia. *Caulis* erigitur anguloſus, tripedalis, inanis, colore è rubicundo purpuraſcenti; in cujus faſtigio complures *floſculi* pentapetali, albi, corymbatim & racematim cohærentes inſident. Hiſce delapſis, *ſemina* parva, recurva, in capitulum congeſta, implicantur. *Radix* ſubeſt quaſi lignoſa, dura, fibris longiuſculis in diverſa tendentibus, foris nigricans, interius obſcure rubens.

In pratis ſylviſque humectis & aquoſis frequens reperitur.

2. Ulmaria *major ſive altera, Park. Barba capræ floribus oblongis, C. B. P. Barba capri, Lugd. Eyſt. Radix* nigricante cortice tecta, intrinſecus rubeſcit, craſſa, multum fibrata. Hinc oritur *caulis* bicubitalis, anguloſus, rubeſcens, & ramoſis oblongis pediculis alternatim ſeptus, qui in oblonga *folia* ſparguntur, ſuperius rugoſa, *Caſtaneæ* foliis ſimilia, circa latera inæqualiter ſerrata, *Angelicæ* diviſura. Verticibus caulium racemoſi *floſculi* dependent, amenti inſtar conglomerati, albidi, odorati, & per vetuſtatem tandem incanas barbulas ſeu aruncos caprorum imitantes. Succedunt parva tortuoſa verrucoſa *ſemina* terna aut plura ſimul conjuncta.

In ſylvis montanis Hungariæ, Auſtriæ, Stiriæ, *necnon in montibus* Alverniæ, *aliiſque* Galliæ *tractibus altis, naſcitur.*

3. Ulmaria *Virginiana trifolia floribus candidis amplis longis & acutis.* Fruticoſa hæc herba elegans ab eximio Viro *D. Jo. Baniſter* è Virginia delata eſt. *Radix* dura & lignoſa, multis dependentibus fibris, ſuperius nodoſa, ſupra terram ſæpius nuda. Ex hac autem plures oriuntur *caules* lignoſi, ſtriati, ſubfuſci, quibus ſine ordine adnaſcuntur folia trifoliata, utrinque viridia, biuncialis longitudinis, at in medietate in uncialem latitudinem expanſa, ſenſim in mucronem gracileſcentia, & in ambitu concinnioribus denticulationibus, *Carpini* æmulis, ſerrata. Interdum etiam bina alia adnectuntur *foliola* minora, ut quinquefoliata appareat planta, ſingulo folio proprio petiolo brevi inſidente. Ex horum alis alii etiam *ramuſculi* graciles proveniunt, quorum cacuminibus non adeo ac in prioribus luxuriat *florum* copia, ſed proprio petiolo unciali & biunciali inſidet *flos* unicus, calyce integro, quaſi unedonis, exiens; qui quidem non expanſus, petalis ſuis quinis acutis, externe quadam rubedine tinctis, & convolutis, caput aviculæ cum roſtro æmulatur; apertus vero candidus, *Borraginis* amplitudinem acquirit. Petalis marceſcentibus, *calyx* aridus fuſcus manet, quo *ſemina* plura, oblonga, acuta, *Filipendulæ* non diſſimilia, & *Ulmariæ* ritu congeſta, quaſi ſub cucullo, qualis in *Sedo Umbilico Veneris* dicto cernitur, velata ſunt.

4. Ulmaria *pentacarpos integris ſerratis foliis parvis ſubtus incanis Virginiana, D. Pluk. Almageſt. Bot.* 393. *Tab.* 321. *fig.* 5. Ramulus ejuſdem exſiccatus *è Virginia* tranſmiſſus eſt, dodrantem longus. *Folia* unciam longa, dimidiam plus minus lata, integra, ſimplicia, ſubtus incana, cæſiove colore obducta, utrinque mucronata, ambitu dentata, rugoſa; (ut ſingulum alam ſingularem *Ulmariæ vulgaris* quodammodo repræſentet) & crebrius diſpoſita *cauli* adnaſcuntur. *Flores* plurimi exigui, racematim naſcentes, *ſpicam* erectam conſtituunt; quibus ſingulis quinque ſuccedunt *ſemina* exigua, oblonga, nuda.

Ulmariæ Vires & Uſus.

Adſtringit, ſudorifica & alexipharmaca eſt; in diarrhœa, dyſenteria, hæmoptyſi, menſium profluviis, & ad ſanguinem vel interius vel exterius ſiſtendum & fiſtulas ſanandas, herba eſt commodiſſima; hinc ad Pimpinellam viribus accedit. Succus foliorum *oculis lachrymantibus apprime confert.* Ephem. Germ. curioſ. *T.* 2.

Radices Felix Wurtz Germanorum *Chirurgorum primipilus ſuo emplaſtro catagmatico adhæſu contumaciſſimo, atque adeo ad hos uſus optimo remiſcet, & miris laudibus effert, imo omnibus aliis vulnerariis herbis, aut adverſus fracturas oſſium commendabilibus præponere videtur. Ipſus vidi* (*inquit* Sim. Paul. quadripartit. Bot.) *& ſancte teſtari poſſim, in vulnere veſicæ lethali alicujus puellæ, itemque brachii fractura propemodum immedicabili, præclaros edidiſſe effectus; unde merito ingreditur emplaſtrum* Felicis Wurtz *toto orbe celebratiſſimum.*

Flores *quoque grati ſunt odoris, nec caput perturbantis.* Renatus Rupellenſis, *teſte* Jo. Bauhino, *dicit hydromeliti ex ejus flore conciliari gratum odorem, & ita parari ut æmuletur* vinum Creticum *quod* Malvaticum *vocant.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Improprie dictæ foliis plurifariam divisis.

CAPUT XLVIII.

Thalictrum.

THalictrum & Thalietrum *dicitur, forte à* θάλλω *vireo, eo quod dum germina protrudit eleganter viret. Vel* Thalictrum *dictum ab effectu, quia valeat ad tali ictum, nam rustici in* Saxonia *hac planta maxima curant vulnera & ulcera, sine aliquo adjutore medico, & præcipue in talo pedis existentia; nimirum folia trita & imposita id præstant.*

*Radicis decoctum (*si nonnullis credamus) *Rhabarbari* vices eximie præstat.

TABULA XXV. SECT. IX.

Thalictrum semine

- *striato*
  - *majus*
    1. *Vulgare, Park. Majus siliqua anguloſa aut ſtriata, C. B. P.*
    2. *Pratenſe elatius longioribus magis atris foliis & quodammodo ſplendentibus, Cluſ.*
    3. *Minor varietas ejuſdem.*
    4. *Flavum ſtaminulis luteis vel glauco folio, C. B. P. 1. Hiſpan. Cluſ. Pan. & Hiſt.*
    5. *Montanum album, C. B. P. 2. Cluſ. datur majus & minus.*
    6. *Virginianum elatius glaucum florum ſtaminulis purpuraſcentibus.*
    7. *Lucidum Libanotidis coronariæ foliis, D. Pl. Phyt.*
    8. *Pratenſe anguſtiſſimo folio, C. B. P. & Prod.*
  - *minus*
    9. *Mexicanum foliis hederaceis trifidis, Recchi.*
    10. *Montanum foliis latioribus.*
    11. *Canadenſe minus, D. Fagon.*
    12. *Sive Rutæ pratenſis genus ſemine ſtriato, J. B. Minus, C. B. P.*
    13. *Fœtidiſſimum, C. B. P. & Prod.*
    14. *Montanum minimum præcox foliis lucentibus.*
- *folliculo triquetro incluſo*
  15. *Foliis Aquilegiæ, flore albo, Nobis. Thalictrum Canadenſe Cornuti. Idem floſculis dilute purpuraſcentibus.*
  16. *Florum ſtaminulis purpuraſcentibus, C. B. P.*
  17. *Majus radice amethyſtini coloris, fibris luteis, Recchi.*

1. Thalictrum *majus vulgare, Park. Thalictrum majus ſiliqua anguloſa aut ſtriata, C. B. P. Thalictrum nigrius caule & ſemine ſtriato, J. B. Ruta ſylveſtris, Cæſ. Thalictrum ſive Thalietrum majus, Ger. Radicibus* conſtat repentibus, geniculatis, fibroſis, buxei coloris. *Caules* inde oriuntur bicubitales & altiores, ſtriati, & *foliis* hinc inde ter ternis, quandoque pluribus alis donatis, nunc integris, nunc una vel altera lacinia inciſis, aliarum *umbelliferarum* more plurifariam diviſis, glabris, viridibus, & unguis humani latitudinem æquantibus, anguloſis, ornantur. *Floſculi* in ſummitatibus exigui, racematim ſeu corymbatim congeſti, ex luteo colore herbidi, pentapetali, calycum expertes, numeroſis intus ſtaminulis, prælongis, concoloribus, referti. Singulis autem floſculis ſuccedunt plurima *ſemina* oblonga, ſtriata, parva, utrinque acuta, ſimulque congeſta.

In pratis & ſylvoſis humidioribus frequens occurrit.

2. Thalictrum *pratenſe elatius longioribus magis atris foliis & quodammodo ſplendentibus, Cluſ. Pratenſe majus Monſpelienſium aſperioribus foliis ſeu rugoſis, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Huic *caulis* altius aſſurgit, cui *folia* dodrantalia & longiora, conſimili diviſione prædita, ex alis vero longis anguſtis, plerumque integris, quandoque in ternas diviſis, compoſita, ſine ordine adnaſcuntur. *Flores* ad eundem modum ſummis ramulis naſcuntur, ſublutei.

3. Hujus plantæ minor datur ſpecies *foliis multo anguſtioribus, pariter aſperis, rugoſis, & trifidis*, & in multo tenuiores mucrones deſinentibus.

4. Thalictrum *majus flavum ſtaminulis luteis vel glauco folio, C. B. P. Primum vel Hiſpanicum, Cluſ. Pan. & Hiſt. Thalictrum ſpecioſiſſimum glaucum ſemine & caule ſtriato, J. B. Majus tertium, Dod.* Hominis ſtaturam adæquat. Ejus *folia*, licet in modum aliorum diviſa & inciſa, *Aquilegiæ* foliis adeo ſimilia ſunt, ut ab imperitis plantæ diſcerni nequeant, antequam caules erecti, ſtriati, purpuraſcentes, in flores abeant. *Flores* vero muſcoſi ut reliquorum, ſed coloris lutei ſunt.

In Pannonia & Auſtria *reperitur. In Horto noſtro ſeminibus è* Batavia *miſſis creſcit.*

5. Thalictrum *montanum album, C. B. P. Sextum flore albo, Cam. Thalictrum 2. Cluſ. Pan. & Hiſt.* Binas varietates *Cluſ.* edidit, foliis inter ſe convenientes; ſed una altius creſcit, floreque candido eſt, admodum gravis odoris. Altera paulo humilior, *flore* etiam albo, minus tamen ingrati odoris.

6. Thalictrum *Virginianum elatius glaucum florum ſtaminulis purpuroſcentibus.* E ſeminibus longis, acutis, & ſtriatis, *è Virginia* à *D. J. Baniſter* tranſmiſſis, provenit hæc nobis nova planta. E *radice* fibroſa, fuſca, non

non repente, *caules* protrudit tricubitales, erectos, teretes, glabros & politos, elegantèr purpuraſcentes; quibus *folia* dilute viridia, ad glaucum colorem tendentia, plurifariam etiam diviſa, longioribus petiolis extenſa, ad genicula adnectuntur. *Flores* in ſummis caulibus erectis, rarius ſunt diſpoſiti, atque ad horum rotundam germinationem exterius purpuraſcunt. In quinis petalis ſubrotundis, parvis, albentibus, cito pro aliorum more decidentibus expanduntur, & *ſtamina* plurima, tenuia, tremula, purpuraſcentia, cum ſuis apicibus ſubluteis, dependentibus, relinquunt.

7. Thalictrum *medium Rutæ ſylveſtris minoris foliis, Nobis. Thalictrum minus lucidum Libanotidis coronariæ foliis, D. Pluk. Phyt. An Thalictrum foliis lucidis Roriſmarini inſtar quorundam?* *Foliis* dignoſcitur hæc ſpecies, quæ antecedentium multo ſunt minora, & anguſtiora, plurifariam quoque diviſa, *alis* ſuis parvis, oblongis, plerumque integris. *Flores* ſtaminei, parvi, ſublutei, ut in cæteris.

8. Thalictrum *pratenſe anguſtiſſimo folio, C. B. P. & Prod. Park.* *Radice* eſt flaveſcente, ex aliquot fibris oblongis, craſſiuſculis, compoſita; *caule* bicubitali, lævi, rotundo, profunde canaliculato & geniculato. Ex quolibet geniculo *folia* plura prodeunt, in plures oblongas, & pleraſque anguſtiſſimas, tandem & ternas lacinias, ſecta. *Caulis* ſecundum faſtigium in ramulos dividitur, in quibus *flores* plures muſcoſi, pallidi, ad luteum vergentes, velut in oblonga ſpica collocantur. Hos autem *valvulæ* tenues, parvæ, minutiſſimum *ſemen* continentes ſequuntur.

Hoc in pratis Michelfeldenſibus *æſtivis menſibus floret.*

9. Thalictrum *Mexicanum foliis hederaceis trifidis. Coztipatli Indigenis, Recchi, Hiſt. Mex. 235. Thalictrum Canadenſe minus, D. Fagon.* Hujus *folia* aliorum ritu diſponuntur. *Alæ* ſingulæ tripliciter diviſæ, hederaceæ apparent, *Adiantis* ſimiles, inquit Auctor. Nempe *Adianthum verum* alis ſubrotundis donatum intelligit. *Caules* tenues; *flores* piloſi, parvi, exiles; *radiceſque* fibris ſimiles ſunt.

10. Thalictrum *montanum minus foliis latioribus & rotundioribus.* Nova hæc *Thalictri* ſpecies Viro indefeſſo, & non ſolum Botanices ſed & Rerum naturalium notitia inſtructiſſimo *D. Llhwyd, Muſei Aſhmoleani* Cuſtodi digniſſimo, debita eſt; qui in rariorum plantarum inveſtigatione, in declivibus montis Cambro-Britannici *Caderidris* dicti, ex ipſis rupium fiſſuris, hanc eruit. *Radix* ei reſtibilis, fibroſa, *caules* emittit ſtriatos, pedales & cubitales, & aliorum *Thalictrorum* minorum in modum ſtatim in ramuſculos brachiatos; ad quorum exortum *folia* ſatis ampla, atroviridia, plurifariam diviſa, longiſque petiolis extenſa, proveniunt. Iſtis ternatim *alæ* latiuſculæ, ſubrotundæ, in ambitu ſegmentis rotundioribus crenatæ inſident. *Flores* longis ramuſculis petioliſque ſparſi, parvi ſunt, muſcoſi, ſublutei. Atque his *ſemina* parva, oblonga, ſtriata, in capitulum congeſta, ſuccedunt.

11. Thalictrum *Canadenſe minus, H. R. P. D. Fagon.* Hoc *Thalictrum* humile inter minora recenſetur, quanquam *foliola* rotunda in latum ſunt diffuſa, quæ ſubrotunda, noſtrarum minorum ſpecierum ampliora, obtuſa ſunt & glauca. Planta cubitalis eſt; *caules* ſtriati & anguloſi; *flores* exigui, luteovirides.

12. Thalictrum *minus, C. B. P. Ger. Park. Thalictrum minus ſive Rutæ pratenſis genus minus ſemine ſtriato, J. B. Ruta pratenſis tenuifolia, Adv. Lob. Ruta pratenſis minor, Tab.* Hujus *radix* tenuis, fibrata, luteis viticulis geniculatis, ſub terra repente facultate ſe ſpargit; unde *cauliculi* graciles, ſtriati pedalem & cubitalem altitudinem acquirunt. *Folia* antedictorum minora ſunt, conjugatim ut plurimum petiolis appoſita, ſubrotunda, tribus denticulis, & interdum pluribus, crenata. *Ramuli* tenues, non ex inferiore parte, ut in planta ſuccedente, ſed in ſupremis caulibus proveniunt, qui ſparſim *floſculis* luteolis, muſcoſis ornantur. Iſtis *ſemina* parva, oblonga, ſtriata, ſuccedunt.

In Agro Cantabrigienſi *& montoſis borealibus* Angliæ, *variis in locis, tenuis hæc planta reperitur.*

13. Thalictrum *minus fœtidiſſimum, C. B. P. & Prod.* *Radix* tenuibus fibris quamplurimis capillata non repit; & ad ejus caput *folia* numeroſa minora congeſta ſunt; quorum ſingula *ala* ſeu foliolum ſubrotundum crenis plurimis in ſuperiore parte dentatum eſt. *Caules* pedales in varias ramificationes diviſi, *flores* conſimiles, ſed majori copia, petiolis brevioribus inſidentes, geſtant; qui in *ſemina* quoque parva, ſtriata, ſimul congeſta, tranſmutantur. Tota planta trita quaſi hircinum & fœtidiſſimum ſpirat odorem.

In herbidis circa Monſpelium; *in* Valleſia *etiam ſponte naſcitur.*

14. Thalictrum *montanum minimum præcox foliis ſplendentibus.* Inter rariores inveſtigandas, feliciter plantam hanc elegantem, in udis ſcopulis & ad rivulos in Alpibus *Arvoniæ*, copioſe provenientem, detexit *D. Llhwyd*, à quo (pro ſua humanitate) communicata in Horto noſtro jam viget. *Radix* tenuiſſima reptatu ſe propagat, è qua *folia* inter *Thalictra* omnium minima, ex *alis* rotundioribus, ſuperius viridibus, & quaſi oleo aſperſo ſplendentibus, inferius ex cinereo colore albicantibus, uncialem & biuncialem altitudinem non ſuperantibus, compoſita ſunt. Inter iſthæc *cauliculi* erecti, graciles, non ramoſi, palmares, oriuntur; in quorum ſuperiore parte *floſculi* alternatim, & rarius ſpicatim, diſpoſiti ſunt, coloris atrorubentis aut purpuraſcentis, *ſtaminulis* paucis, reliquorum brevioribus, ornati.

Foliola rigidiuſcula per totum hyemem virent. Aprili & Maio menſibus floret.

15. Thalictrum *majus foliis Aquilegiæ, flore albo, Nobis. Thalictrum Canadenſe, Cornuti, Park.* E *radice* fibroſa, per ſtolones, facile ſe propagat hæc *Thalictri* inſignis ſpecies. *Folia* ampliora, *Aquilegiæ* non diſſimilia, glauca, copioſe emittit. *Caulis* ei lævis, teres, eleganter purpuraſcit, & ad bicubitalem altitudinem attollitur. Summis faſtigiis in *ramuſculos* ſe dividit, qui numeroſis & copioſiſſimis *floſculis* albis, pentapetalis, cum mediis ſuis uberrimis *ſtaminibus* albis, apicibus luteis donatis, onerati, *Horto* egregium præbent ornamentum. His marceſcentibus, *ſemina* longa, reliquorum majora, in vaſculis membranaceis, viridibus, triquetris, ſingulatim contentis, ſuccedunt.

Menſibus Junio & Julio floret.

Hujus datur varietas, quam humanitati nunquam ſatis laudati D. D. Sherard *debemus acceptam, in omnibus conſimilis*, florum *ſtaminum colore duntaxat excepto; in hoc enim dilute purpuraſcunt, &, ut teſtatur* Parkinſonus, *planta aliquantulum minor evadit.*

16. Thalictrum *majus florum ſtaminulis purpuraſcentibus, C. B. P. Thalictrum montanum flore purpureo, Park. Thalictrum majus folliculis anguloſis, caule lævi, J. B. Montanum 3. Cluſ.* Hujus *folia* Aquilino vultu donata ſunt. *Flores* ſeu muſcaria conferta ex radiatis ſtaminulis, in orbem actis, dilutam *Violæ nigræ* purpuram referentibus, apicibus tamen obſoleto colore luteove præditis, compacti. *Semen* in folliculis anguloſis, tenue, longum, fuſcum.

17. Thalictrum *majus radice amethyſtini coloris, fibris luteis, Coztipatli* 2. *Recchi. Radices* ſunt craſſæ, amethyſti colore, ex quibus multæ fibræ luteæ exoriuntur; *caulis* luteus. *Ramis* enaſcuntur bina oppoſita *folia* viridilutea, rubris venis pererrantibus. Fructum non appinxit Auctor.

De Thalictri viribus vide quæ in hujus Capitis præloquio diſſeruimus.

Ranunculus nemoroſus Thalictri folio major & minor. Horum icones Tab. 28. *& deſcript.* 437. *&* 438. *priore volumine exhibentur. Quum nec acrimoniam, nec Ranunculorum calorem poſſideant; fortaſſe ad hanc familiam non inepte reducantur.*

Superſunt quædam Plantæ (quarum ſpontanea forma hunc locum ſibi vindicabit) quæ ſtellatæ nominantur. Folia *ipſæ poſſident* caulem *per intervalla, ad ſingulos nodos radiatim, ſtellatim & decuſſatim cingentia, ſuntque* ſeminibus *ſub ſingulo* flore *tetrapetaloide, ſive quatuor ſegmentis diviſo, binis, ut in aliis hujus Sectionis fieri amat, donatæ.*

Rubia, Rubeola, Gallium, Cruciata, Mollugo, Aſperula, Aparine, & Pſeudo-rubia.

Hæ ſunt vel floribus luteis, majores & minores; *floribus* albis majores & minores; vel floribus cæruleis purpureiſve.

CAPUT XLIX.

PLANTÆ STELLATÆ

Floribus luteis, pilulas binas ferentes.

Rubia lutea.

RUbia *dicitur à radicis rubore, quo lanæ & coria tinguntur.* Ερυθρόδανον *ſimiliter Græcis appellatur.*

TABULA XXVI. SECT. IX.

Rubia lutea
- *major*
  1. *Tinctorum ſativa, C. B. P. Rubia ſativa, J. B.*
  2. *Sylveſtris aſpera, C. B. P. Sylveſtris Monſpeſs. major, J. B.*
  3. *Sylveſtris aſpera Ravennenſis, Zanoni.*
- *minor*
  4. *Sive Rubeola maritima lutea, D. Moriſ. Prælud. Bot.*
  5. *Sive Rubeola ſaxatilis, C. B. Prod. J. B.*

1. Rubia *tinctorum ſativa, C. B. P. Rubia ſativa, J. B. Rubia, Dod. Cæſ. Cord. Rubia major, Adv. Lob. Rubia tinctorum, Ger. Radices* longæ ſunt & rubentes, vermibus fere ſimiles, exteriore cortice carnoſiore, nervo tenui in medietate tenaci, ſtolonibus luteis & quaſi comoſis in ſuperiore parte donatæ. Ex his *ſarmenta* aſpera, longa, & quadrangularia, parvi digiti craſſitudinem æquantia proveniunt; ad quorum genicula *folia* biuncialis longitudinis, in medio latiuſcula, mucronata, numero quinque vel ſex, hiſpida, & præſertim in dorſo quaſi ſpinulis aſpera, radiatim ſeu verticillatim caulem ambiunt. *Flores* in ſummis ramulis, modo erectis, modoque reclinatis, naſcuntur parvi, in fundo integri, margine quadripartiti, viridilutei, cum apicibus in medio extantibus flavis. Iſtis ſubſunt *fructus* rotundi, initio virentes, inde rubentes, poſtea nigri coloris, cum binis officulis concavis, acetabuli figura, incluſis. *Folia & caules* appropinquante hyeme tota pereunt, & ex eadem *radice* anno ſequente reſurgunt.

Ob radicis uſum in lanis tingendis & Hortis & arvis copioſe ſeritur.

2. Rubia *ſylveſtris aſpera, C. B. P. Rubia ſylveſtris Monſpeſſulana major, J. B. Rubia maxima, Lob. Obſ. Rubia ſylveſtris, Park.* Præcedenti ſimilis eſt hæc; *folia* vero minora, rigidiora, atrovirentia, eorumque frequenter quatuor cruciatim per intervalla geniculis apponuntur, interdum etiam plura. *Flores & baccas* ad eundem modum quo & proxime ſuperius explicata racematim profert, ſed hac nota præcipue dignoſcitur, quod *ſurculi* cum *foliis* perennent, & perpetuo vireant.

In Angliæ *Occidentalis locis variis, in ſepibus quas ſuperſcandit, æque ac circa* Monſpelium, *ſatis frequens occurrit.*

3. Rubia *ſylveſtris aſpera Ravennenſis, Zanoni. Radicibus,* modoque creſcendi, ad priores accedit. *Folia* ad genicula in orbem diſpoſita, ſolida, ſicca & anguſtiora ſunt & aſpera, nervis elevatis, pediculis craſſis, albis, inferne paululum rubentibus, fragilibus. *Flores* pentapetaloides, virides ſunt.

In ſylva pinuum prope Ravennam *invenitur.*

4. Rubeola *maritima lutea*, *D. Moriſ. Prælud. Bot.* Hanc *Rubeolæ* ſpeciem in ora maritima *Aremoricæ*, *radice* longe lateque repente, reperire eſt paſſim. *Flore* donatur luteo, minimo, quatuor petalis conflato. Flori unicuique ſuccedunt bina *ſemina* teſticulata, *Rubeolæ* ad inſtar.

5. Rubeola *ſaxatilis*, *C. B. P. & Prod. J. B.* Plantula eſt tota incana, ſemipalmaris, cauliculo tenui, quadrato, geniculato, in unciales ramulos brachiato; *folia* parva, aſpera, anguſta, acuminata, fere octo, rotæ modo diſpoſita habet. Ramulorum ſummitatibus *floſculi* plures, exigui, quadrifolii, apicibus & minimis pedicellis donati, luteoli, inſident.
In ſaxoſis Galloprovinciæ *naſcitur*. C. B.

Rubiæ Vires & Uſus.

Radices *in officinis proſtant. Aperiendi, diſcutiendi, & diſſolvendi facultatem obtinent; idcirco ad obſtructiones removendas proſunt, & ad obſtructiones lienis, hepatis, uteri, reſerandas & icterum adhibentur. Ad hydropem, urinæ ſuppreſſionem, menſtrua ducenda, ſanguinemque coagulatum removendum, utiles; collectioneſque viſcerum diſcutiunt.*

Ad lanas inficiendas & ad rubrum colorem floridum recipiendum præparatoria aptiſſima eſt radix Rubiæ, *unde nomen. Huic* Cl. Hoffmannus lib. 2. *de Medicam. officinal.* cap. 196. *ſuffragatur, ita diſſerens: Mihi vero infallibile argumentum eſt id, quod omnes videmus, quotidie tingit pannos florido colore rubro, eoque conſtanti; quod fieri non poſſet, niſi tenues & calidas haberet partes, quibus in ima penetrat, quas ſubſecutæ frigidæ firmant. Non deſunt tamen qui aſtringentem facultatem huic tribuerunt; cui ſententiæ pauci jam aſſentiuntur.*

PLANTÆ UMBELLIFERÆ

Minores floribus luteis.

CAPUT L.

SECTIONIS NONÆ.

Gallium.

GAllium *dicitur eo quod coaguli vice lac τὸ γάλα cogat & coagulet. Planta eſt ſtellata, foliis plurimis, parvis, comaque lutea, denſiſſima, donata.*

1. Gallium *luteum*, *C. B. P. Gallium Matth. Fuchſ. Dod. Gallium verum*, *J. B.* *Radicula* dura, tenui & tenaci donatur. *Cauliculi* inde graciles, ex rotundis quadrati, pedales ſunt & interdum cubitales; quibus *foliola* exigua, atroviridia, plerumque novena, per intervalla, ſtellatim radiata naſcuntur. *Flores* parvuli ſunt, frequentes denſique in ſummis virgulis, luteo ſplendentes colore, odore ſuavi. *Semina* ſuccedunt bina, nigricantia, teſticulata, parva.
In apricis locis, collibus, juxta vias in paſcuis & agrorum marginibus, frequens occurrit.

2. Gallium *flore pallido*, *J. B.* *Folia* ejus *caulem* radiatim ambiunt, majora & latiora. *Flores* pallide luteos profert, minimos, in racemulum digeſtos, non tamen ita copioſos ac prioris ſunt, nec ita odoros.
Maio menſe floret, locis humentibus, circa pratorum foſſas & rivulorum margines. J. B.

3. Gallium *montanum Creticum*, *Proſp. Alp. exot. Park.* E *radice* craſſa, tres vel quatuor ramos producit, digiti minoris craſſitie, & tenuiores etiam, teretes, duros, lignoſos, albicantes; ex quibus ſingulis complures *ſurculi* tenuiſſimi, in terram provoluti, *foliis* veluti *Thymi* veſtiti exeunt, in *floſculos* parvos definentes, racematim cohærentes. Atque ex his pronaſcuntur minutiſſima *ſemina* nigra. Nititur vero hæc planta *radice* longa, craſſa, lignoſa, in tres alias diviſa. *Vulgari Gallio* longe minus eſt & gracilius, & quaſi circulis ſupra terram ſerpentibus; ramis vero ac radicibus majoribus durioribuſque quam illud.
In montanis Cretæ *abundat*. A.

Gallii Vires & Uſus.

Facultatem exſiccatoriam & ſubacrem obtinet. Flos *ejus ambuſtis illinitur, & ſanguinis profluvia ſiſtit.* Pulvis *quoque adverſus hæmorragiam valet.*
Florem *tuſum & impoſitum tanquam efficacem contra cancrum & cancroſa ulcera, morſumque canis rabidi, commendare ſolent.* Decoctum *herbæ acopa eſt laſſitudinibus utilis.*
Florum comæ *in lacte maceratæ illud coaguli modo, præ earum aciditate, condenſant; quod quotidiana experientia, præſertim in agro* Ceſtrienſi, *ubi frequens in uſum venit, comprobatur.*

PLANTÆ

PLANTÆ STELLATÆ

Minores floribus luteis.

CAPUT LI.

SECTIONIS NONÆ.

Cruciata.

CRuciata & Crucialis *à foliis* cruciatim *naſcentibus dicitur.*

1. Cruciata *hirſuta, C. B. P. Vulgaris, Park. Crutiata, Dod. Ger. Crucialis, Hermol. Cæſ. Gallium latifolium Cruciata quibuſdam flore luteo, J. B.* Mollis hæc herba hirſuta *cauliculos* tenellos, pedales, quadrangulares profert, geniculis articulatos; è quibus *folia* è ſingulis nodis quaterna, brevia, latiuſcula & obtuſa, decuſſatim proveniunt. *Flores* exigui, lutei, cruciformes, cum foliis exeunt, & verticillatim naſcentes apparent. *Semina* ſuccedunt parva, binatim juncta. *Radix* tenuis, è geniculis reptatricibus fibrata eſt.

Juxta foſſas, ad ſepes & fruteta per totam æſtatem florens paſſim reperitur.

2. Cruciata *nova Romana muralis minima, Col. Park. Rubia quadrifolia verticillato ſemine, J. B. Viticulis,* præcedentis inſtar, *foliolis* minoribus, & *floſculis* luteolis cruciatim naſcentibus, donatis aſſurgit, His *fructus* ſuccreſcunt, primum hirſuti, curvi, florem in imo demittentes, mox ubi perfecti fuerint velut flores galericulati cernuntur, & duriores cum ſiccari incipiunt, quaſi echinati conſpiciuntur, ſed non pungunt quanquam aſperi tactu videantur. *Caput* quatuor aculeis diviſum, in barbulas ſive brachia utrinque in aculeos deſinentia, in medio pectus aculeatum, ſubtus ventrem habentes extuberantem, in quo *ſemen* luteum, rotundum, parvum, *Panici* ſemini non abſimile. Ab imo florere incipit, & *fructus* habere in ſingulis geniculis & foliorum interſtitiis.

In arenoſis aſperis & ſaxoſis juxta mare, prope Liburnum *portum & alibi in* Italia *primus detexit* Fab. Col. *Circa* Monſpelium *collegit* D. Magnol.

3. Cruciata *latifolia glabra, Nobis. Gallium latifolium glabrum, C. B. P. & Prod. J. B. Radice* eſt tenui, repente, geniculata; *cauliculis* tenellis, quadrangulis, geniculatis, palmo minoribus; *foliis* è ſingulis internodiis quaternis, decuſſatis, glabris, inſtar foliorum *Plantaginis* nervoſis, pallide virentibus, & ſeſcuncialibus. *Flores* habet parvos, cauliculos verticillatim coronæ in modum ambientes, luteos, brevibus pediculis donatos.

Hæc circa Bononiam *inter ſentes tota æſtate reperitur.*

4. Cruciata *glabra anguſtifolia, Nobis. Cruciata glabra, C. B. P. Rubia quadrifolia glabra anguſtifolia, J. B.* Hæc quam *vulgaris Cruciata* gracilior & delicatior eſſe videtur, *foliorum* cæteroquì ordine & poſitu haud abſimilis; verum anguſtiora ſunt acutioraque: glabra omnino dici poſſent, niſi per ambitum tantum exigua quadam hirſutie fimbriarentur. *Cauliculi* toti glabri ſunt.

Prope Patavium *collecta ad* Jo. Bauhinum *delata eſt.*

5. Cruciata *Cretica argentea, Nobis. Rubia argentea Cretica, Proſp. Alp. Exot. 266.* E *radice* parva, longa, tenui, exili, multos ſurculos rectos, graciles, ſemidodrantalis altitudinis producit, *foliis Rubiæ ſylveſtris* æmulis, mollibus, parvis, oblongis, argenteis, lenibus, ſimul ab eodem exortu quatuor ex oppoſito, æqualibus intervallis denſe ſtellarum modo ſurculos conveſtientibus; inter quæ *Clinopodii Cretici* ad modum pauci, exileſque *floſculi* flaveſcentes cernuntur. Tota planta eſt inodora, guſtuque adſtringenti.

6. Cruciatæ *affinis verticillata lutea, Nobis. Aſperula verticillata luteola, C. B. P. Aſperula muralis minima, Park. Aſperula muralis verticillata minima, Col.* *Radice* nititur exigua, capillari, plures viticulos proferenti, anguloſos, quadratos & aſperos, ab imo fruticanti; *foliis* per genicula ſenis, aliquando vero quaternis & quinis hærentibus, quemadmodum in *Gallio* fieri amat; ſupra quæ ex caulis geniculis in rotæ ſpeciem, ut in Verticillatis plantis, fructus prodeunt duplices *Aniſi* effigie, parvi, hirſuti. Atque his *flores* inſident, admodum exigui, luteſcentes, è quatuor foliis conſtructi. *Caulis* aſper eſt, denticulis perquam exiguis, & niſi lumini appoſitis, haud propter tenuitatem & diaphanëitatem conſpicuis. *Folia* etiam hirſutie tenuiſſima aſperiuſcula ſentiuntur.

Vetuſtis muris innaſcitur frequens in caſtro Villa *dicto in* Valvenſium *montibus hæc dodrantalis herbula. Oritur in ſaxoſis circa locis, ac aliis ubi Parietaria & Sempervivum vermiculatum. Maio menſe floribus & fructu onuſta reperitur. Æſtate finitur & ſiccatur tota.*

Cruciatæ Vires & Uſus.

Adſtrictoriæ & reſiccatoriæ eſt facultatis. Recentiores inter vulnerarias præſtantiores, ad uſus internos & externos, numerant; & ramices hac curari poſſe aiunt, decocto ejus aliquot diebus apoto, herba vero ipſa parti affectæ impoſita.

PLANTÆ

PLANTÆ STELLATÆ

Floribus albis, majores & minores.

CAPUT LII.

Rubia alba.

TABULA XXVII. SECT. IX.

Rubia alba
- *major*
  1. *Latifolia vel quadrifolia lævis, C. B. P. Rubia lævis Taurinenſium, Park.*
  2. *Quadrifolia aſperrima lucida peregrina, H. L. B.*
  3. *Quadrifolia rotunda lævis, C. B. Prod. J. B.*
  4. *Quadrifolia ſemine duplici hiſpido, J. B.*
  5. *Semine duplici hiſpido, latis & hirſutis foliis, Bocc.*
  6. *Arboreſcens Cretica, Proſp. Alp. Exot.*
- *minor*
  7. *Erecta quadrifolia, J. B.*
  8. *Anguſtifolia ramoſiſſima montana.*
  9. *Cynanchica, C. B. P. J. B.*
  10. *Cynanchica ſaxatilis, C. B. P. & Prod.*
  11. *Sive minima, Prælud. Bot.*

1. Rubia *latifolia vel quadrifolia lævis, C. B. P. Rubia lævis Taurinenſium, Park. Rubia quadrifolia Italica hirſuta, J. B. Cruciata lævis, Ger.* Pulchra eſt hæc *Rubiæ* ſpecies *caulibus* cubitalibus & majoribus, quorum geniculis quaterna decuſſatim *folia* circulariter poſita, forma plantaginea, nervoſa, acuminata, mollia, ſubhirſuta, duas fere uncias longa, unciam circiter lata ſunt. *Flores* nodis verticillatim circumquaque innaſcuntur circa baſin decuſſatis foliis ſuffulti, candidi.

In collibus Pedemontanis *circa* Taurinum *& alibi in* Italia *naſcitur.*

2. Rubia *quadrifolia aſperrima lucida peregrina, Harmanni, Hort. Lugd. Bat. Folia* ex nigro virore lucent. *Flores* albicant; quos ſingulos excipiunt *baccæ* gemellæ nigræ. Quoad cætera non differt à vulgari.

3. Rubia *quadrifolia rotunda lævis, C. B. P. & Prod. J. B.* Ex *radice* capillacea rufeſcente *cauliculi* tenues quadrati, geniculati, palmo altiores, (quorum nonnulli in ramos brachiati) exſurgunt. Ad ſingula genicula *folia* quatuor rotunda, nervoſa, tantillum aſpera, in orbem diſponuntur. Extremitatibus cauliculorum *floſculi* albidi, quadrifolii, pedicellis capillaceis inſident, quibus *capitulum* parvum, geminum, aſperiuſculum, ſuccedit.

In montibus Helvetiorum, *puta* Gothardo, *& ad* Eremitanos *provenit. Quin & circa* Argentinam *creſcere dicitur.*

4. Rubia *quadrifolia ſemine duplici hiſpido, J. B. Tom. 3. p. 718. Caliculos* habet dodrante minores, multos ex tenuibus, reptantibus, inutilibus *radiculis* ſurgentes, quadratos, foliis quaternis circum nodos decuſſatim poſitis, ad *Alſinem vulgarem* accedentibus, minoribus quam *Rubiæ quadrifoliæ Italicæ*, ſubrotundis, uncia minoribus, venoſis, nonnihil piloſis, cum dulcedine quadam amaricantibus, ornatos. Cauliculi *ſcapus* in ramos binos, hi rurſum in ternos, foliis viduos ſubdividuntur; in quorum ſummitatibus *ſemina* bina, hiſpida, multo minora quam *Stellariæ*, nigricantia.

In monte Rosberg *prope* Maſocovium (Maſzmunſter Germani *vocant*) *menſe Octobri, inter ſaxa, locis umbroſis & frigidis*, Jo. Bauhinus *detexit.*

5. Rubia *ſemine duplici hiſpido, latis & hirſutis foliis, Bocconi. Caules* quadrati, cubito ſunt altiores; *folia* circum genicula quaterna, decuſſata, magnitudine, forma, & hirſutie, *Cruciatæ vulgaris.* Faſtigia cauliculorum in ramulos tenues diviſa decuſſatis etiam *floribus*, geminum *ſemen* & illud hirſutum, parvum ſuſtinent. Sola foliorum hirſutie & magnitudine à præcedenti diſtinguitur.

6. Rubia *arboreſcens Cretica, Proſp. Alp. Exot.* 110. *Rubia* ad arboream altitudinem accedens naſcitur in *Creta*, non aſpera, ſed lævis, *caudice* conſtans brevi, digitum craſſo, à quo multi exeunt rami recti, rotundi, lenes, per æqualia intervalla *foliis* brevibus *Rubiæ* minoribus, quinque vel ſex numero ſtellarum modo circumpoſitis, lenibus veſtiti. Ad horum porro cacumen, à *foliis* exeunt duo vel tres *ſurculi* graciles, in alios quoque diviſi, in quibus utrinque ex oppoſito *floſculi* parvi, albicantes cernuntur, *Rubiæ* non diſſimiles. Iſtis ſuccedunt *ſemina* minutiſſima, nigricantia. *Radix* parva, oblonga, craſſa, in *radiculas* alias diviſa, rubei coloris. Tota planta nihil aſperitatis habet.

7. Rubia *erecta quadrifolia, J. B.* E *radicis* fibroſæ capite plurimi exeunt *ſurculi* tenues, quadranguli, virides, lenes, pedales, in ramuſculos divaricati; ad quorum ſingula genicula *folia* quaterna, viridia, anguſta, *Hyſſopi vulgaris* æmula, paullulum vero breviora, glabra, decuſſatim proveniunt. *Flores* in ſummis cauliculis naſcuntur, plurimi, albi, in racemulos longos digeſti; quorum ſinguli è quatuor petalis conſtructi ſunt. Iſtis *ſemina* parva, bina & teſticulata, hiſpida ſuccedunt. *Radix* eſt vivax.

In locis ſeptentrionalibus montoſis variis Angliæ, *& tranſmarinis circa* Genevam, *ſponte naſcens, reperitur.*

8. Rubia *minor alba anguſtifolia ramoſiſſima montana. Cauliculis* crebris, gracilibus, quamplurimis, pedalibus & procumbentibus ſe ſpargit hæc nova ſpecies; è ſingulo enim nodo, *foliis* anguſtis, uncialibus, aſperiuſculis,

riuſculis, è viridi ad glaucum colorem tendentibus, numero ut plurimum ſex, cincto, ad pollicarem intercapedinem ſito, *ramuſculus* unus aut alter, & ex eo rurſus alii enaſcuntur. *Flores* ſummos ramuſculos occupant monopetali, quemadmodum alii hujus ſeriei in quatuor partes mucronatas diviſi, albi. His *ſemina* exigua nigricantia, bina ſimul juncta, ſuccedunt.

Hanc cum aliis à Botanico haud minus amiciſſimo quam ſagaciſſimo D. D. Sherard *receptam colimus; ſolum vero natale, aut ubi collegerit, nos latet.*

9. Rubia *Cynanchica, C. B. P. J. B. Gallium album minus, Tab. Gallium montanum tetraphyllum, Col. Aſperula repens Geſneri ſive Saxifraga altera, Cæſalp.* Huic *radix* dura & lignoſa, capitellis plurimis diviſa; è qua oriuntur *viticuli* plurimi tenuiores, palmares & dodrantales. Iſtis autem inferioribus & brevioribus apponuntur ad genicula crebrius naſcentia *folia* quaterna, brevia & latiuſcula, cruciatim diſpoſita. Longiores cauliculi procumbentes internodia ſuſtinent longiora, quibus *foliola* ut plurimum numero quatuor, ſuperius vero bina, longiora & tenuiora, acuta, adnaſcuntur. *Flores* ex rubicunda tinctura albi ſunt, tubuloſi, quaternis inciſuris ad marginem diviſi, aliis hujus familiæ longiores, & floribus *Valerianæ* non diſſimiles, corymbatim quoque ad eundem modum in ſummitatibus digeſti, *umbellam* mentiuntur. *Semina* ſuccedunt coacervata, bina ſimul juncta, ſatis magna, rugoſa, aſpera & nigricantia.

In collibus, glabretis & aſperis ſterilibus ſoli expoſitis paſſim reperitur.

10. Rubia *Cynanchica ſaxatilis, C. B. P. & Prod.* Ex *radice* alba, oblonga, tenui & fibroſa, *cauliculi* plurimi, tres quatuorve uncias longi, *foliolis* plurimis, oblongis, anguſtiſſimis, & viridibus veſtiti, exſurgunt; & inter hos pediculi bini, terni, palmares, graciles, in ramulos diviſi, & pauciſſimis foliolis veſtiti, quibus *flores* ut in *Cynanchica vulgari*, pallide rubeſcentes, ſinguli ſingulis pedicellis donati, inſident.

Hæc in ſaxoſis udis circa Valentiam Delphinatus *collecta eſt.*

11. Rubeola *minima alba, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Plantula eſt in viis aridis conſpectui ſatis obvia, *flore* minimo albo, tetrapetalo, aliarum floris ſatis æmulo. *Foliis* ſpinoſis donatur. Florum ſingulis ſuccedunt bina *ſemina* teſticulata, prout in cæteris conſpiciuntur.

PLANTÆ STELLATÆ

Molliores floribus albis.

CAPUT LIII.

Mollugo.

MOllugo *à ſui totius mollitie & foliorum lævitate dicitur.*

TABULA XXVIII. SECT. IX.

- *Mollugo montana*
  - *major*
    1. *Vulgatior, Park. Mollugo prima, Dod.*
    2. *Latifolia erectior, Nobis. Mollugo latifolia montana, ramoſa, C.B.P.*
    3. *Pyrenaica anguſtifolia, Nobis. Rubia Pyrenaica lævis anguſtifolia, Tournefort.*
  - *minor*
    4. *Montana anguſtifolia, C. B. P. & Prod.*
    5. *Pratenſis acuto folio, Nob. Rubia pratenſis lævis acuto folio, C.B.P. & Prod.*
    6. *Paluſtris, Nobis. Gallium album paluſtre, C. B. P. Gallium paluſtre, Dod.*
    7. *Gallio albo ſimilis, Raii.*
    8. *Pumila Alſinis mollioris folio.*

1. Mollugo *vulgatior, Park. Mollugo prima, Dod. Mollugo montana anguſtifolia, vel Gallium album latifolium, C. B. P. Mollugo vulgatior herbariorum, Lob. Rubia anguloſa aſpera, J. B.* E *radice* dura (fibris longis affixis) proveniunt *caules* imbecilles, longis internodiis geniculati, quadrati, læves, tricubitales & longiores, humi procumbentes, niſi arbuſculis adnaſcantur, in quas ſcanſiles eriguntur. Iſtorum nodos *folia* obtuſa, latiuſcula, viridia, vix uncialia, glabra, octo plus minus numero, rotatim ambiunt. E geniculis quoque alii cauliculi minora folia gerentes ramificantur; in quorum ſummitatibus quamplurimi *floſculi* candidi, tetrapetali, ut frutices vicinos albedine tegant, copioſiſſime & racematim naſcuntur. His autem deciduis, *ſemina* parva, binatim juncta, ut in aliis hujus familiæ ſuccedunt.

In montoſis ſaxoſis, & ad ſepes paſſim provenit, & æſtivis menſibus floret.

2. Mollugo *montana latifolia erectior, Nobis. Mollugo latifolia montana, ramoſa, C. B. P. Gallium montanum ſive Mollugo latifolia, Ger. Mollugo 2. Dod. Gallium flore albo majus ſive Mollugo montana, Park. Rubia ſylvatica lævis, J. B.* Præcedenti ſimilis eſt, erectior vero eſt planta hæc, valde ramoſa & procerior, caulium geniculis protuberantibus donata, omnino glabra, & *floſculis* numeroſiſſimis, candidis, ornata.

Montium incola eſt, & in dumetis non raro abſcondita. In ſylvis montoſis, agro Lucembergenſi & Aquiſgranenſi D. Raius *collegit.*

3. Mollugo *Pyrenaica major anguſtifolia, Nobis. Rubia Pyrenaica lævis anguſtifolia, Tournefortii Hort. Reg. Pariſ.* Huic *cauliculi* tenuiores, imbelles, pene rotundi, glabri, longioribus inter genicula interſtitiis donati, bicubitales & tricubitales ſunt. His *folia* non minus longa quam præcedentium, ſed vix dimidiam latitudinem

latitudinem attingentia, viridia & acuminata, lævia, decuſſatim naſcuntur. *Flores* itidem copioſi in ſummis ramuſculis racematim congeſti ſunt, candidi; quibus ſemina parva, nigricantia, teſticulata, ſuccedunt.
Humanitati D. D. Sherard *è ſemine natam debemus acceptam.*

4. Mollugo *montana minor anguſtifolia, Nobis. Rubia montana anguſtifolia, C. B. P. & Prod. Forte Rubia ſylvatica longioribus & anguſtioribus foliis, Geſneri. Caules* cubito altiores, læves, rotundos, ſtriatos, geniculatos habet. *Folia* ad quodlibet internodium oblonga, anguſta, *Gallii* forma, ſena, ſeptena, in orbem diſpoſita, & rigidiuſcula *caulem* ambiunt. Ad internodia breviſſimi ramuli exſurgunt, ipſe vero *caulis* in ramulos plures brachiatur, quorum ſummitatibus *floſculi* frequentes, albi, quadrifolii inſident. Atque his *ſemina* minuta, rotunda, quodlibet ſuo pedicello donatum, ſuccedunt.
In aſperis collibus C. Bauh. *legit. Præcedenti valde affinis eſſe videtur.*

5. Mollugo *pratenſis minor acuto folio, C. B. P. & Prod.* Ex *radice caulis* cubitalis, lævis, quadratus, ruſeſcens, geniculatus, cavus, & fere non niſi unus exſurgit. Ex hujus porro nodis rami ſemipalmares prodeunt, quorum ſummitatibus *floſculi* plures quadrifolii, pallidi, inſident. *Folia* lævia quaterna, uncialia, in acumen abeuntia, ad quemlibet nodum in orbem diſponuntur.
Hæc apud Valleſianos *in pratis ad thermas* Leucenſes *nata eſt.* C. B.

6. Mollugo *minor paluſtris, Nobis. Gallium album paluſtre, C. B. P. Gallium paluſtre, Dod. Gallium album, J. B. Tab. Ger. Gallium flore candido in paluſtribus, Cæſ.* Hæc in pratis humidioribus, rivulorum & foſſarum marginibus, & interdum ipſis aquis naſcens, reptante facultate prædita eſt. *Viticuli* ei aſſurgunt tenues, quadrati, virides, pedales, & cubitales, rarioribus geniculis intercepti, ramuliſque gracilibus aliquot diviſi. Ex his *foliola* brevia & tenuia, quaterna & quina, ſtellatim diſpoſita, proveniunt. *Flores* ſummis ramuſculis umbellulas mentientes ſparguntur, candidi; qui in *ſemina* parva, ſubrotunda, binatim juncta tranſmutantur.

7. Mollugo *montana minor Gallio albo ſimilis, Raii.* Hæc in montoſis paſſim, atque in humidis interdum proveniens, *foliolis* brevioribus & rotundioribus, *cauliculis* gracilibus, brevioribus, denſius confertis, *floribuſque* minoribus, cognitu facilis eſt.

8. Mollugo *pumila Alſinis mollioris folio.* Planta hæc nobis nova *D. D. Sherardi*, Viri Cl. & ſcientiæ Botanicæ peritiſſimi auſpiciis è *Gallia* delata eſt. *Viticuli* palmares & dodrantales, quadrangulares, graciles, modo erecti, modoque procumbentes ei ſunt, internodiis uncialibus & geniculis diviſi. Iſtis *foliola* quinque, ſena & ſeptena, *Alſinis fontanæ* ſimilia, mollia, & tenuia, pallide virentia, rotatim adnaſcuntur; è quibus etiam nodis *petioli* cauliculive alii minores ramificantur. *Flores* in cymis exigui, conferti ſunt, & (quantum è plantæ ſiccæ facie colligere licet) candidi. Tota planta *Alſinis* mollitie donatur.

PLANTÆ STELLATÆ

Aſperiores floribus albis.

CAPUT LIV.

SECTIONIS NONÆ.

Aſperula & Aparine.

ASperula *odorata alba, Dod. Aſperula ſive Rubeola montana odora, C. B. P. Aſperula odorata noſtras, Adv. Lob. Aſperula aut Aſpergula odorata, Park. Rubiis accedens Aſperula quibuſdam ſive Hepatica ſtellaris, J. B. Cauliculi* huic tenues, quadrati, dodrantales, è *radice* repente, geniculata, vivaci, fibris exinde demiſſis, aſſurgunt. Ex horum ſingulis geniculis *folia* ſena ſeptenave, uncialia, latiuſcula, pallide virentia, hirſutie ſcabra, ſtellatim ſunt radiata. E ſuperioribus nodis in ramuſculos parvos frequenter ſe dividit, & erecte in ſummitatibus, corymbatim naſcuntur plurimi *floſculi* candidi, tetrapetali, gratum odorem ſpirantes. *Semina Aparines* ſeminibus minora, hirſutie aſpera obſita, teſticulata, ſuccedunt.
In ſylvis opacis, lociſque umbroſis montoſis, provenit. Menſibus Maio & Junio floret.

Temperamentum & Vires.

Temperatæ modiceque exſiccantis qualitatis eſt, utpote cephalica & vulneraria. Hepaticis quoque herbis adnumeratur, & in potionibus vulnerariis eligitur. Ad obſtructiones removendas, hilaritatemque conciliandam commendatur. Mulierculæ etiam utuntur in decoctis contra ſcabiem.

Aparine & Aperina Latinis, quaſi Aſperina, ab aſpero herbæ habitu. Græcis ἀπαρίνη, *ἀπὸ τῦ ἀπαίρειν, i. e. auferendo, quod ſua aſperitate prætereuntium veſtes auferat.*

1. Aparine *vulgaris, C. B. P. Aparine, Dod. Ger. J. B. Matth. Lob. Lugd. Philanthropon Dioſc. & Plin. & Lappago etiam Plinii.* Planta hæc, in ſepibus frequentiſſima, *viticulis* quadrangularibus, aſperis, vix ſe ſuſtentantibus, tricubitalibus aſſurgit. Ad genicula *folia* oblonga ſeptena aut octona, aſpera, orbiculatim

radiata ſunt. Ex horum alis alii ramificantur cauliculi, in quibus tetrapetali, minimi, albi, cruciatim naſcentes ſparguntur *flores*. *Semina* bina ſimul juncta ſingulis floſculis ſuccedunt, cortice aſpero tecta, cum ſemine duro & cartilagineo, albo, & medio effigiem aliquantulum concavam oſtendente. Hiſce deciduis, novæ plantæ quotannis exſurgunt. Aſpera tota eſt herba, prætereuntium veſtibus ac laciniis præ ſcabritie ſua adhærens, & linguæ admota ſanguinem elicit.

2. Aparine *ſemine verrucoſo, Nobis. Aparine ſemine Coriandri ſaccharati, Park.* Humilior hæc planta *foliis* donatur lævioribus & brevioribus; *ſemina* non præ aſperitate veſtibus adhærent, ſed exterius rugoſa & tuberculis verrucoſa ſunt. Atque his facile dignoſcitur.

In ſatis circa Boutonetum, *haud longe à* Monſpelio, *ſæpius occurrit.*

3. Aparine *foliis brevioribus & ſemine læviore. Aparine ſemine lævi, Park. Cauliculi* pedales *folia* rotatim ambientia habent, vulgaris breviora, latiuſcula, rigidiora, & læviora. *Semina* teſticulata, copioſiora, quaſi nuda, ſed vix glabra, dependent.

Inter ſegetes & fabas variis locis agri Oxonienſis *reperitur.*

4. Aparine *minima ramoſior. Aparine minima, Magnol. Bot. Monſp.* Plantula hæc *viticulis* ſuis gracilibus copioſis ramoſiſſima, dodrantalis & pedalis eſt, modice aſpera. Ad genicula *foliola* ſex ſeptemve parvula radiatim diſponuntur. Pedicellis inſident *floſculi* herbacei, quibus ſuccedunt bina *ſemina* ſimul juncta, exigua, nigricantia, oblonga, ex una parte concava. Figura prima *Rubiæ anguloſæ aſperæ, J. B.* proxime repræſentat; planta vero tenerior crebrius ramificatur.

In aſperis circa La Valette *&* La Columbiere *prope* Monſpelium *provenit.* D. Magnol. D. D. Sherard *quoque in muris* Hackney *pagi haud longe à* Londino *collegit.*

Temperamentum & Vires.

Extergit modiceque exſiccat; nonnihil ſubtilium eſt partium, & aperiendi vim habet inſignem. Aqua deſtillata *contra tum pectoris tum hypochondriorum moleſtos dolores in uſum quotidianum venit.* Sim. Paul.

Eandem bis in die ſumptam menſura trium ligularum cochleariumve aiunt alvum cohibere, efficaciſſimamque eſſe adverſus morbum regium. Trag.

Succus herbæ *potus adverſus tertianas & tetartaas efficaciſſimum eſt remedium. Calculoſis & arenuloſis mire prodeſt, uti etiam* aqua deſtillata.

Herba pulveriſata, *aut ejuſdem* decoctum, *gonorrhœa laborantibus mire auxiliatur.* D. Palmer.

Herba recens cum axungia trita ſtrumas diſcutit. Sanguinis etiam abundantiam ex vulneribus reprimere folia impoſita Plinius *auctor eſt.*

PLANTÆ STELLATÆ

Floribus purpurocæruleis.

CAPUT LV.

SECTIONIS NONÆ.

1. RUbeola *arvenſis repens cærulea, C. B. P. & Prod. Rubia parva flore cæruleo ſe ſpargens, J. B. Rubeola arvenſis, Cam.* Palmum non temere excedit pumila hæc *Rubia, coliculos* per terram ſpargens plures, quadratos, rubentes, hirſutos, & interdum ramoſos. *Folia* radiata pro plantulæ proportione ſatis lata, quina aut ſena, aſperiuſcula, ad ſingula genicula caulem ambiunt. *Flores* in medio aliquot foliorum, exigui, tetrapetali, dilute ceu ex cæruleo colore purpuraſcunt. Vaſcula exigua ſingulis floribus ſuccedunt gemina, cohærentia, nonnihil oblonga, & in ſummo digitata, in quibus *ſemen* fulvum, altera parte gibbum, altera planum. *Radix* tenuis, fibroſa, annua.

In arvis reſtibilibus & inter ſegetes, ſolo præſertim glareoſo, provenit.

2. Aſperula *cærulea arvenſis, C. B. P. Rubia cærulea erectior elatiorve, J. B. Aſperula cærulea, Dod. Lob. Cauliculis* è *radice* annua, fibrata, aſſurgit anguloſis, erectis, pedalibus, geniculis brachiatis; quibus *folia Molluginis* æmula, radiatim circumpoſita ſunt. Extremitatibus hærent ex longo pediculo *flores* multi ſimul juncti, oblongi, cærulei, circa imum hirſuti, quibus ſubpoſita radiata ſunt *foliola* aliquammulta, piloſa, flores ſuperantia, eoſque veluti occultantia. Iſtis evaneſcentibus ſuccedunt *ſemina* ſubfuſca, rotunda, dura, ſatis magna. Variat *flore albo*; ut in aliis cæruleis & rubris videre licet.

In ſatis circa Monſpelium, *Maio menſe florens; in* Flandriæ *etiam agris, paſſim reperitur; & ex ſemine deciduo renovatur.*

3. Gallium *rubrum, C. B. P. Gallium flore rubro Sprengerianum, J. B. Gallium rubro flore, Cluſ. Hiſt. Park. Gallium nigropurpureum montanum tenuifolium, Col.* Magna ſegete ramulorum terram operit hoc *Rubrum Gallium*, magis patulum, quam procerum, *caulibus* anguloſis, tenuibus, ex ſaturato virore rubentibus, admodum ramoſis & rigidiuſculis. Geniculis *folia* accreſcunt radiata in ſtellæ morem, tenuia, octona, Gallii æmula ſed minora, ſatis rigida, & veluti pungentia. *Flores* inter folia crebri, *Gallii albi* aut *Molluginis* aquaticæ floribus ſimiles, ſed colore coccineo ſaturatiore tincti, quadripartiti. *Semina* ſunt rotunda, parva, præ maturitate nigricantia. *Radix* tenuis ſed vivax.

In Italia *obſervavit* D. Sprengerus, *& in* Germaniam *attulit, unde nomen. Menſe Julio florens* in Æquicolorum *via ad* Flamminianum *vel* Capucinorum *ædem invenit* Fab. Col.

4. Rubia *quadrifolia lævis Cretica flore purpureo Patavinorum, D. Pluk. Phyt. T.* 248. Hactenus explicatis planta hæc plurimis *cauliculis* quadrangularibus, rigidiuſculis ramoſa, addatur; cujus *folia* cruciatim ad genicula naſcentia, *Molluginis Galliive* albi paluſtris æmula, rigidiora tamen, haud admodum acuta ſunt. *Floſculi* pluſculi in ſummis ramulis ſunt exigui, purpuraſcentes, quibus *ſemina* parva, oblonagrotunda, hiſpida, & rugoſa, ſuccedunt.

Ubinam ſpontanea ſit nos latet. Ex Horto Patavino *olim collectam recepimus.*

PLANTÆ STELLATÆ

Spicatæ.

CAPUT LVI.

SECTIONIS NONÆ.

Pſeudo-rubia.

1. PSeudo-rubia *procumbens maritima, Nobis. Rubia maritima, C. B. P. Rubia marina Narbonenſis, Cluſ. Dod. Adv. Lob. J. B.* E *radice* craſſa, dura, foris intenſius rubente, intus rufeſcente, proveniunt *caules* quadranguli, duri & lignoſi, geniculati, palmares & pedales, humi ut plurimum diffuſi. Ad horum autem ſingula genicula quaterna *folia*, inferne qua cauli adhærent latiuſcula, extrema parte mucronata, rigidiuſcula, candicantia, ſtellæ inſtar in orbem adnaſcuntur; & ſubinde in alis *ramuli* numeroſis foliis brevioribus & valde confertim naſcentibus ornati. In iis, ut & in ſummis caulibus velut in *ſpicas* terminatis, oblongi *floſculi*, in quatuor ſegmenta expanſi & velut radiati, pallidi exiſtunt. *Semen* in utriculis tenue, oblongum, fuſcum, ſimpliciter continetur; quo à *Rubiis* genuinis, cum reliquis ſuccedentibus, diſcriminatur.

Ad maris mediterranei littora variis locis frequens invenitur.

2. Pſeudo-rubia *latifolia ſpicata, Nobis. Rubia ſpicata, J. B. Rubia ſpicata Cretica latiore folio, Park. Spicata Cretica, Ger. emac.* E *radice* annua multi exeunt *cauliculi* nodoſi, quadranguli, aſperiuſculi, ſtatim ab infima parte frequentibus ramulis ad ſingulos nodos ex adverſo naſcentibus prædiți. Hos etiam in orbem una cum geniculis ambiunt quaterna, quina, interdum ſena *folia* brevia, & obtuſa, unciæ quadrantem lata, nonnihil aſpera, coloris cinerei. Summi caules & ramuli deſinunt in *ſpicam* longam ſemipalmarem, atque etiam palmo longiorem, virentem, tenuem, ſpecie quadrangulam, atque *floſculi* exiles & vix conſpicui, coloreque ſubvireſcentes, alternatim contrario inter ſe ſitu naſcuntur è ſinubus glumarum longa ſerie caulibus appreſſarum. *Semen* tenue eſt, longiuſculum, pullum.

In deſcenſu montis Capouladou, *in locis quæ vulgo vocant* Las rompudes, *haud longe à* Monſpelio, *Maio & Junio menſibus cum ſpica naſci perhibet* D. Magnol.

3. Pſeudo-rubia *ſpicata anguſtifolia, Nobis. Rubia ſpicata anguſtifolia, C. B. P. Park.* Planta hæc dodrantalis præcedenti erectior eſt, *foliis* tenuibus, acutis, genicula cingentibus. *Spicæ* craſſiores ſunt & habitiores, vix tantam longitudinem attingentes, erectæ, cum in altera curvitate nutantes ſint. *Semina* quoque longa, tenuia, nigricantia. Tota planta ex viridi cinereo vultu donata eſt, & annua.

Circa Monſpelium *variis in locis reperitur.*

4. Pſeudo-rubia *ſpicata repens, Nobis. Rubia ſpicata repens, Magnol.* qui in ſatis cis patibulum viæ *Caſtrinovi* menſe Auguſto invenit. A duabus præcedentibus in eo differt, quod repat, cum aliæ rectæ ſint; & quod *ſpicæ* in iſta multo majores, longiores, & frequentiores exiſtant. *Folia* examinare non multum auctori licuit, quia jam ficca erant; in poſterum melius ſe indagaturum recepit.

5. Gallium *alterum montanum, Proſp. Alp. de Exot. Park.* *Surculos* plures, longos, tenues, quadrangulos, ex intervallis geniculatos, ab una *radice* tenui, longa, dura, lignoſa, profert. Surculi vero ex multis intervallis in geniculis habent duo aut tria *foliola* parva, oblonga, tenuia, in extremis latiuſcula, colore viridi nigreſcente. In ſummitatibus ſurculorum *floſculi* cernuntur albicantes, cymam circuli ſpicæ modo conveſtientes, non odorati, ſapore ſubaſtringente & ſiccante. P. A.

Finis Sectionis nonæ Partis tertiæ.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis

PARTIS III. SECTIO X.

De Plantis tricoccis purgatricibus.

QUum Plantarum, quibus ſub ſingulis floribus *ſingularia ſint* ſemina, *Sect.* VI. VII. & VIII. naturas Vires & Uſus *jam explicuerimus*; & *Sect.* IX. *de Plantis bina* ſemina *poſt quemlibet* florem *invariato naturæ ordine proferentibus, fuſe diſſeruerimus: ſupereſt ut* Tricoccarum, *h. e. quæ ſub unico* flore, *conceptaculoque triquetro, terna producunt* ſemina (*ſingulo vaſculo ſingulare ſemen continente*) *explicationem deinceps aggrediamur. Iſtæ autem ut plurimum purgatrices ſunt,* lacteſcentes, *vel* non lacteſcentes. Lacteſcentes *pleræque tetrapetalæ* Lactariæ *dicuntur, ut* Tithymali *omnes,* Cataputiæ, Eſulæ, Pityuſæ, *&c. quæ* Tithymalis *adnumerantur,* & Euphorbium. *Aut* non lacteſcentes *ſunt, falſos inanes* flores *edentes, ut* Ricini *omne genus.*

Tithymalorum vaſcula ſeminalia vel cortice lævi, vel aſperitudine rugoſa & verrucoſa conteguntur. Quoad durationem vel perennes vel annui ſunt Tithymali.

PLANTÆ TRICOCCÆ

Purgatrices.

CAPUT I.

Tithymalus capſula ſeminali lævi, perennis.

TIthymalus *dicitur à vocabulo Græco* τιτθος *mamma, mamilla, &* μαλος *exitioſus, viroſus, quia effundit lac ſicuti mamma, ſed exitioſum & viroſum. Ex Tithymalis quidam* Characiæ *vocitantur, à* χαραξ, *ſulcus terræ, foſſa, item vallis; hinc characias, id eſt vallaris, vallibus proveniens.*

Cataputiæ *quædam dicuntur ſpecies, à ſeminibus rotundis, in pilulis ſeu catapotiis purgatricibus ſumendis adhiberi ſolitis.* Pityuſa *quoque à* πιτυς, Pinus, *cujus folia anguſta repræſentat.* Peplis *à foliis ſuperioribus rotundis,* Peplum *imitantibus, cum ſeminibus rotundis fibulas mentientibus, dicta.* Eſula *forte appellatur quaſi* edula, *nempe dulcis; eo quia inter omnes* Tithymalorum *ſpecies una à* Trago *edita ſit placidiſſima; vel ab origine* Arabica, *ut aiunt,* Eſula *vel* Ezula *deducta.* Chamæſyce *à lacteo* Fici *ſucco &* humilitate *nomen accepit.*

Hæ variæ denominationes non ſatis idoneam à ſe invicem diſtinctionem efficiunt, & proinde omnes haſce ſpecies Tithymalis accenſere placuit.

TABULA I. SECT. X.

Tithymalus capſula ſeminali lævi, perennis,
- *perpetua fronde*
  1. *Characias vulgaris, Park. Characias amygdaloides, C. B. P.*
  2. *Characias folio lanuginoſo, C.B.P.*
  3. *Sylvaticus lunato flore, C. B. P. Lunato flore, Col.*
  4. *Characias rubens peregrinus, C.B.P. Characias Monſpelienſium, Lob.*
  5. *Characias rubens Germanicus, C. B. P. Auſtriacus, Cluſ. Hiſt.*
  6. *Characias folio ſerrato, C. B. P. Tithym. Valentinus, Cluſ.*
  7. *Characias anguſtifolius, C. B. P. Ger.*
  8. *Characias Salicis minoris folio, H. Bleſ. Auct.*
  9. *Characias radice pyriformi, Moriſ. Prælud.*
  10. *Amygdaloides*

- 10. *Amygdaloides ſive characias arboreſcens floribus atropuniceis major, Hort. Lugd. Bat.*
- 11. *Arboreus ſive dendroides ex Codice Cæſareo, Dod. Lugd.*
- 12. *Aphyllos, J. B. Myrtifolius arboreus, C. B.*
- 13. *Indicus geniculatus foliis ſubrotundis, Ben-pala, Hort. Mal. Part. 10. p. 115.*
- 14. *Arboreus Æthiopicus Mezerei Germanici foliis, flore pallido, D. Pluk. Phyt. Hort. Amſt. 351.*
- 15. *Americanus arboreſcens Mali Medicæ foliis, D. Pluk. Phyt.*
- 16. *Curaſſavicus Salicis & Atriplicis foliis, hirſutis caulibus ſubrubentibus, Par. Bat. Pr. Idem glaber caulibus viridantibus.*
- 17. *Portoricenſis folio craſſo haſtæ cuſpidi ſimili, Par. Bat. Prod.*
- 18. *Ramoſiſſimus fruteſcens pene aphyllos, Par. Bat. Prod. Tirco-Calli, Hort. Mal. Part. 2.*
- 19. *Surinamenſis arboreſcens Cotini ſive Coccygriæ foliis & facie, Breyn. Prod. 2.*
- 20. *Curaſſavicus myrtyfolius flo. papilionaceo coccineo parvo, P. B. P.*
- 21. *Myrſinites latifolius, C. B. P. Ger.*
- 22. *Myrſinites anguſtifolius, C. B. P. Ger.*
- 23. *Maritimus minor Americanus ramoſiſſimus.*
- 24. *Maritimus, C. B. P. Paralius, Matth. Dod.*
- 25. *Maritimus Juniperi folio, Boccon.*

foliis deciduis

- 26. *Lithoſpermi majoris folio, Magnol.*
- 27. *Foliis Pini forte Dioſc. Pityuſa, C. B. P. Eſula minor, Dod.*
- 28. *Foliis brevioribus denſius confertis, Nobis. Pityuſa, J. B.*
- 29. *Cypariſſias, C. B. P. J. B. Cupreſſinus, Ger.*
- 30. *Foliis inferioribus capillaceis, ſuperioribus Myrto ſimilibus, Nobis. Cypariſſias Creticus, Proſp. Alp. de Exot.*

1. Tithymalus *characias ſive ſylvaticus toto anno folia retinens, J. B. Tithymalus characias amygdaloides, C. B. P. Lob. Tithymalus characias vulgaris, Park.* E *radice* lignoſa, dura, fibris tenacibus varie diffuſis, proveniunt *caules* lignoſi, lenti, rubentes, cubitales, non ramoſi, molli hirſutie pubeſcentes; qui à medietate crebris *foliis*, digiti humani longitudinis & latitudinis, in ſummo in roſam quaſi expanſis, mollibus, viridibus, & quadam rubedine tinctis (nervo medio rubente per ſinguli medium decurrente) inordinatim veſtiuntur. E ſummis ramulis & foliorum alis *petioli* umbellatim naſcentes oriuntur, biunciales & triunciales, tenues, qui binatim ſe dividunt. Ad exortum & ubi ſectio eſt apponuntur bina *folia* ſubrotunda, unguis humani latitudine, è regione naſcentia, & lata baſi, geniculum amplectentia. Ex angulo *flos* apparet, ex quatuor petalis, lunæ creſcentis figura, viridiluteolis, & ad rubedinem tendentibus, conſtructus; ipſique petioli ſecundarii unciales folia gerunt conformia, minora tamen, adeo juncta, ut integra & rotunda videantur. Horum autem medietati duo aut tres alii *flores* inſident, quibus evanidis, quaſi *bacca* triquetra & tricocca ſuccedit, inque hujus ſingulo loculo *ſemen* latet ſingulare. Ex plantæ qualibet parte rupta *ſuccus* copioſe manat lacteus, viroſus, cutique applicatus exulcerans.

In ſylvis præſertim montoſis & dumetis, & ad earum ſepimenta & foſſas, frequens reperitur. Idem foliis albo & viridi colore variegatis, cum rubedinis mixtura, eleganti ſpectaculo, in Hortis alitur.

2. Tithymalus *characias folio lanuginoſo, C. B. P. Lob. Alter, Cluſ. Hiſt.* Antecedenti affinis eſt hic. *Folia* ei longa, molli lanugine pubeſcunt, & ad cæſium colorem inclinant; *caules* è radice plures; *floreſque* ex luteo palleſcunt.

In Germania, Hiſpania, & Gallia *oritur. An à vulgari diſtinctus ſit quidam dubitant.*

3. Tithymalus *ſylvaticus lunato flore, C. B. P. Tithymalus lunato flore, Col. Park. Foliis, caulibus*, modoque creſcendi ad vulgarem accedit. *Flores* ex herbaceo colore lutei, petalis lunulatis, amplioribus, magis ſunt conſpicui. Ex horum medio *ſtylus* erigitur, fructum trigonum glabrum deorſum nutantem ſuſtinens.

In valle ſupra D. Mariæ ſanitatis Neapoli *reperit* Columna. *V. icon. Tab. an. 1.*

4. Tithymalus *characias rubens peregrinus, C. B. P. Characias Monſpelienſium, Lob. Characias primus, Cluſ. Secundus, Dod. Amygdaloides ſive Characias, J. B. Caules* huic frequenter plures ſunt & craſſiores, digiti craſſitudinem æquantes, foliorum veſtigiis inſigniti. *Folia* ſummis ramulis crebrius naſcuntur viridiora & anguſtiora. *Petioli* flores ſuſtinentes copioſiores *ſunt* & breviores; *foliola* ſubrotunda, acetabulis ſimilia, minora ſunt. *Flores* non ſublutei, ut in præcedenti, ſed ex atropurpureo colore nigreſcunt; *ſemina* triquetra, lævia, prioris ſimilia.

In montoſis & Galloprovinciæ & Hiſpaniæ *locis ſponte provenit.*

5. Tithymalus *characias rubens Germanicus, C. B. P. Characias Pannonicus, Cluſ. Pan. Tertius Auſtriacus, Hiſt. Quartus Dod. Tithymalus forte dictus Lucæ Ghino Pityuſa, quibuſdam characias Pannonicus, J. B. Caules* pedales, modoque procumbentes, ad eundem modum quo & præcedentium, partim nudi, *foliis* in ſuperiore parte biuncialibus, pallidioribus & ad cæſium colorem tendentibus magiſque mucronatis, ſine ordine appoſitis, ornati ſunt, quibus præcipue dignoſcitur. *Flores* & *ſemina* cæterorum ritu profert.

In pleriſque Pannoniæ *locis; in agro* Viennenſi, *necnon* Gallia Narbonenſi *copioſe naſcitur.*

6. Tithymalus *characias folio ſerrato, C. B. P. Serratus Monſpelienſium, Ad. Lob. Valentinus, Cluſ. Hiſt. Serratus Dalechampii, J. B.* Cubitali *caule* præditus eſt, per quem *folia* uncialia, alia culmo latiora, alia etiam minus lata, pleraque non acuminata, ſed ſubrotunda, denticulis per ambitum crenata, glabra diſtribuuntur. At vero quæ umbellæ pediculis ad coitum ſubjiciuntur *folia*, multo magis lata quam longa, nonnulla quoque orbiculata, nihiloque ſecius in ambitu ſerrata ſunt. *Flores* acetabulorum cavitati inſidentes, muſcoſi, lutei. *Capitula* majuſcula, triquetra, ex tenui pediculo *Myrſinitis* fere ſimilia exiſtunt.

In Gallia Narbonenſi *paſſim provenit, & copioſe circa* Nemauſum, Monſpelium, *&c. V. Icon. Tab. an. 1.*

7. Tithymalus

7. Tithymalus *characias anguſtifolius, C. B. P. Ger. Tithymalus amygdaloides anguſtifolius, Tab.* Hujus figura folia demonſtrans aliorum foliis multum anguſtiora, bene placet. His autem præcipue dignoſcitur. *V. icon. Tab. æn.* 1.

8. Tithymalus *characias Salicis minoris folio, D. Moriſoni Prælud. Bot.* Hic quia folia habet Salicis longi-ſoliæ vimineæ foliorum æmula, eaque glabra, facile dignoſci poterit.

9. Tithymalus *characias radice pyriformi.* Sola *radicum* tuberoſitate pyriformi dignoſcitur inter omnes Tithymalos characias dictos, quemadmodum aſſerit *Cl. D. Moriſon.* in *Prælud.* ſuis *Botanicis* curioſiſſimis.

10. Tithymalus *amygdaloides ſive characias arboreſcens floribus atropurpureis major. Hort. Lugd. Bat.* Hæc Tithymali ſpecies in Horto ditiſſimo *Lugd. Bat.* aliiſque jam nutrita, antecedentibus affinis, per omnia tamen amplior eſt, *floribuſque* atropurpureis ornata, cum pleræque aliæ pallidiores ſint.

Idem etiam habetur floribus flaveſcentibus minor.

11. Tithymalus *arboreus ſive dendroides ex radice Cæſareo, Dod. Lugd. C. B. P. Tithymalus arboreus, Proſp. Alp. Tithymalus dendroides, J. B.* 675. Tithymalorum antedictorum caules nullam oſtendunt divaricationem, ſed ſinguli ramulis deſtituti enaſcuntur; hic vero arboris in modum fruticat, ſuperne amplus & multum comoſus. *Ramuli* ejus ſubrubent, plurimiſque *foliis* longis, ſatiſque latis, ſine ordine copioſe veſtiuntur. *Fructus* ad eundem modum quo & cæterorum naſcitur. *Bellonius* ad duorum hominum altitudinem creſcere, & caudicem habere craſſitudine cruris humani, memoriæ prodidit. *V. icon. Tab. æn.* 1.

12. Tithymalus *aphyllos, J. B.* 676. *Tithymalus myrtifolius arboreus, C. B. P. Myrſinites arboreſcens, Ger.* Ad bicubitalem altitudinem, *caudice* pollicari, in ramulos ſubfuſcos, læves, plures, ut plurimum foliis denudatos, diviſo hic aſſurgit. *Folia* præſertim vernali & autumnali tempore biuncialia, culmumque lata, modice obtuſa, glabra, *Mezerei Germanici* ſimilibus ſummis virgulis, conſpiciuntur. *Flores* ſublutei alveolis aliorum more inſidentes *ſemina* aliis hujus familiæ ſimilia relinquunt.

In Africæ *oris naſcitur; in montoſis* Neapolitanis, & Siculis, *ut* & Italicis *ſponte provenit. V. icon. Tab. æn.* 1.

13. Tithymalus *Indicus geniculatus foliis ſubrotundis, Ben-pala, Hort. Mal. Part.* 10. *p.* 115. *Tithymalus Africanus platyphyllos, Breyn. Cent.* 1. 180. *Radix* fibroſa; *rami* rotundi, geniculati, viride diluti; *folia* geminata proveniunt, oblongorotunda, craſſa, carnoſa, plana, viride diluta, quorum coſta in adverſa parte eminet, rectam ſtrians. *Flores* umbellati ſimul cum fructu proveniunt, ſtellularum forma, pentapetali, rotundi, albicantes; quorum corculum viride dilutum. *Fructus* baccæ ſunt trilateræ, in vertice umbilicum gerentes, viride albicantes; tria autem in illis *ſemina*, interſepimentis diſtincta, parum oblonga, abicantia ſunt.

In ſculptis quatuor tantum petala delineantur; Auctor quinque dicit. Quid verum quid falſum non exquiſite auſim affirmare, ait *Annotator.*

14. Tithymalus *arboreus Æthiopicus, Mezerei Germanici foliis, flore pallido, D. Pluk. Phyt.* 23. *Hort. Amſt.* 351. *An Tithym. Monomotapenſis myrtifoliis anguſtioribus floribus ſubpurpuraſcentibus, Hort. Beaumont? Caulibus* aſſurgit præcedentis multo tenuioribus, duriuſculis, bicubitalibus; quos *folia* anguſta, mollia, uncialia & biuncialia ex anguſto principio in latius expanſa, & in mucronem deſinentia, *Mezerei Germanici* foliorum ſatis æmula, inordinatim cingunt.

Hortus Regius Hamptonienſis *hunc alit.*

15. Tithymalus *arboreſcens Americanus Mali Medicæ foliis amplioribus, tenuiſſime crenatis, ſucco maxime venenoſo, D. Pluk. Alm.* 369. *Tab.* 229. *Terlatia arbor urens, & Haitinis Guao dicta, Hernand. apud Recch.* 98. *Poiſon tree Barbadienſibus vulgo nominata.* In arborem triginta aut quadraginta pedes altam, binos treſve in diametro, aſſurgit, in ramulos ſe dividens. *Folia* alternatim naſcuntur *Mali Medicæ* ſimilia aut laurina, dodrantem longa, palmum fere lata, fulva, pinguia, mollia, è viridi in ſqualidum colorem tendentia, ambitu minutim dentata, inſignibus venis luteis aut flammeis à nervo medio decurrentibus, & (*D. Plukenetio* recte annotante) ſub foliorum baſi, ad pediculos unciales binæ (ſpinarum inſtar) naſcuntur appendices ſurſum flectentes; quod huic peculiare videtur. *Fructus Tithymalorum* ritu ſubrotundos, in tres partes diviſos, *ſemina* continentes, cum ramulis, ex Inſula *Barbadienſi* recepimus. Ex quavis parte rupta ſuccus lacteus urentis facultatis copioſe effluit; quo fit ut jumentis ad eam arborem ſeſe confricantibus atque ſcalpentibus fluant pili, aut ſi eidem accubant. Quin & homines aliave animalia ſub illius umbra ſomnum captantia incidunt in pilorum defluvium. Lac attacta membra exulcerat. Plura de viribus lege apud *Hernand.* loco citato.

16. Tithymalus *Curaſſavicus Salicis & Atriplicis foliis hirſutis, caulibus ſubrubentibus, Par. Bat. Prod. Tithymalus Indicus Salicis & Atriplicis foliis brevioribus, Breyn. Prod.* 2. *p.* 100. Varietas in Regno Vegetabili inſignis hiſce ſpeciebus apprime & venuſte demonſtratur. Itinerantes, præſertim nautas, Creatoris opera perſcrutari & memoria collocare omnino decet. Hanc ſibi gloriam & *Angli* & *Batavi*, qui aſſidue Plantas exoticas ab ambabus *Indiis* copioſe tranſtulerunt, non immerito vendicant; quod utique ex Hortis collectionibuſque facile conſtat. Monſtra in Animalibus videre licet; commixtionem vero præternaturalem in Vegetabilibus rariſſime. Hoc de quo jam agimus exemplar eſt egregium; Quod enim uni eidemque plantæ folia heterogenea tribuantur mirum quiddam præ ſe fert. *Tithymalus* hic altitudinem humanam apud nos cultus attingit, (nativo ſolo proculdubio multo ampliorem) caudice pollicari & craſſiori, in ramulos rectos, longos, lentos diffuſus; & interdum foliis herbaceis, tres aut quatuor uncias longis, culmum latis, *Salicum longiorum* folia æmulantibus, inferius inordinatim, veſtitur. Statim in eundem ramulum *folia* mollia, *Atriplicis* ritu, ad glaucum colorem tendentia, ſinuata, in Atriplicis formam, unciam unam aut altera lata tranſmutari videntur; tunc quandoque alia anguſta & longa inſolita apparent. E tota planta vulnerata manat lac, ut in aliis hujus familiæ. *Flores* & *ſemina* in ſummis caulibus inter folia anguſta naſcentia nondum obſervavimus, ſed inter conſortes & arboreſcentes plantam collocare cum aliis ſuccedentibus non dubitavimus.

Varietas etiam in hoc amæne obſervatur: quidam enim *cortice ſubrubente, & quodammodo rugoſo*; alii *cortice viridi, glabro*,, tecti ſunt. Quidam etiam *folia* proferunt *latiora* & *longiora*, cum in aliis ſemper *minora* cernuntur; ut in Horto Regio *Hamptonienſi* plantis rariſſimis locupletato obſervare licet.

17. Tithymalus *Portoricenſis folio craſſo haſtæ cuſpidi ſimili, Par. Bat. Prod. à quo plurimæ plantæ aliæ enumerantur rariſſimæ.* In fruticem etiam longis virgulis viridibus, molliuſculis, & vix ligni duritiem aſſequentibus,

quentibus, adoleſcit; quibus *folia* viridia, cinereo colore quodammodo aſperſa, in baſi latiora, haſtamque cuſpidis referentia, inordinatim ad biuncialem intercapedinem adnaſcuntur.

18. Tithymalus *ramoſiſſimus fruteſcens pene aphyllos, Par. Bat. Prod. Tirco-calli, Hort. Mal. Tom.* 2. 85. *Planta lactaria Xabra & Camorronum Rhaſis, C. B. P.* 293. In fruticem mediocrem aſſurgit, omnino cortice polito, viridi donatus. *Ramuli* varie lateque, angulis brevibus, frequentibus, & interdum rectis & quadratis, cruciatim naſcentes, complicati & divaricati ſunt; quibus *folia* myrtina aut ſimilia, parva, raro ſparguntur; ramuli enim ut plurimum nudi conſpiciuntur. *Flores* in ſummis virgulis apparent ſublutei, petalis ſubrotundis donati; *fructuſque* trigonus, ut in aliis, glaber ſuccedit.

19. Tithymalus *Surinamenſis arboreſcens Cotini ſive Coccygriæ foliis & facie, Breyn. Prod.* 2. *Tithymalus Cotini folio, Maſſinilia ſylveſtris Curaſſavica, Par. Bat. Prod.* Rara hæc Tithymali legitimi ſpecies, caudice ſubalbicante cortice tecto, ad bicubitalem & tricubitalem altitudinem, ramulis concoloribus aſſurgit, ad quorum extremitates aut circiter *folia* unciam unam aut alteram lata, rotunda, pediculis tenuibus, biuncialibus appendentia, & *Coccygriæ Theoph.* ſatis ſimilibus, oppoſita, & frequenter terna, proveniunt. *Flores* ex petalis ſubrotundis conſtructi, ſubflavi, *ſemina Tithymalorum* ritu, triquetra è ſtylo medio propendentia, glabra, præcedunt. Ex qualibet parte rupta lac effunditur ut in aliis.

20. Tithymalus *Curaßavicus myrtifolius flore papilionaceo coccineo parvo, Par. Bat. Prod.* Fruteſcit quoque hæc rara *Tithymali* ſpecies, ejuſque *ramuli* recti, virides, glabri, cæterorum ramulis craſſiores, imo digiti craſſitiem obtinentes, conſpiciuntur; quibus alternatim apponuntur *folia* pro totius magnitudine parva, myrtina, viridia. *Flores* in apicibus naſcuntur reliquorum floribus longiores elegantis rubicundi & pene coccinei coloris; unumque ex petalis reliqua magnitudine ſuperat, ut quaſi papilionaceum appareat quodlibet.
In Horto Regio Hamptonienſi *celeberrimo rara hæc planta alitur.*

21. Tithymalus *myrſinites latifolius, C. B. P. Ger. Tithymalus myrſinites, J. B. Park.* Ramis dodrantalibus craſſiuſculis, per terram maxima ex parte funditur, & quaſi *Craſſulæ Telephiive* ſpecies apparet. Ramos porro iſtos ſerie quadam conferta ambiunt *folia Myrti*, pinguiuſcula, colore glauco prædita, in acumen deſinentia. Ramorum extremitates in ſurculos abeunt indidem ortos, pyxidata folia rotunda tranſadigentes, umbellatim diſpoſitos. His autem inter folia inſident *flores* colore ex luteo herbido, quorum ſingularia *foliola* pulvilli inſtar ſe habentia, anſulis croceis donata ſunt. *Pericarpia* triquetra, oblonga, glabra, totidem grana continent.
Juxta arcem Rhegii *in* Calabria *ſponte naſcens detexit* D. Raius. *Etiam in* Sicilia *invenit* D. Bocconi. *V. icon. tab. æn.* 1.

22. Tithymalus *myrſinites anguſtifolius, C. B. P. Ger. Myrſinites alter, Tab.* Anguſtia foliorum, ſeminumque parvitate, à præcedenti dignoſcitur. Sed diſtinctam ſpeciem quidam eſſe non concedunt. Sane exemplaribus in collectione ditiſſima *D. Sherard* obſervatis diverſam eſſe ipſi arbitramur.

23. Tithymalus *maritimus ſive paralius minor Americanus ramoſiſſimus, Milkwood Barbadienſibus & Bermudenſibus vulgo.* Caulibus duris, & pene lignoſis, in ramulos diviſis, *folia* parva, myrtiformia, id eſt è lata baſi in mucronem deſinentia, & arcte adhærentia, innaſcuntur. *Flores* in ſummis virgulis, petiolis brevibus inſidentes, lutei, *ſemina* pericarpiis trigonis, parvis contenta, præcedunt.
Hujus quoque D. Pluknetius *iconem exhibuit, Tab.* 229. *Fig.* 7.

24. Tithymalus *maritimus C. B. P. Paralius, Matth. Dod. Cluſ. Cam. Tab. J. B. Paralius ſive maritimus, Park.* Cauliculi quini ſenive erecti aſſurgunt, cubitales, tenues, dilute rubentes, quos multa parva, anguſta, aſt medietate latiora, ad inſtar *Lini*, craſſiuſcula, crebrius conferta, conveſtiunt *folia* coloris cæſii & ad plumbeum inclinantia. In cacuminibus umbellatim naſcuntur *flores* luteoli, foliolis rotundis inſidentes, ut in aliis; *ſeminaque* trigona, glabra, minora ſuccedunt.
Ad maris litora, præſertim arenoſo ſolo, copioſe provenit; & per multos annos durat. V. icon. tab. æn. 1.

25. Tithymalus *maritimus Juniperi foliis, Boccon.* Hic Tithymali arboreſcentis facie fruticat. Pedali & altiori quandoque eſt caule, ſuperne variis ac multiplicibus ramis diſtincto, valde comoſo, tenuibus *foliis* copioſiſſimis, acutis, *Juniperi* formam poſſidentibus, ſed mollioribus & minoribus conveſtito, ad Tithymali leptophylli figuram accedentibus. *Flores & capſulas ſeminales* aliorum *Tithymalorum* more (id eſt *fructum tricoccum*) profert.
In maritimis Maſſiliæ *arenoſis invenit Auctor noſter. V. icon. tab. æn.* 1.

Tithymali capſula ſeminali lævi, perennes, foliis deciduis.

26. Tithymalus *Lithoſpermi majoris folio, Magnol. Cat. Monſp. App. Forte Tithymalus characias radice repente, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Oritur in pratis *Salenovæ* & *Laterenſibus*. *Radix* quæ repit plurimos producit *caules* cubitales, in quibus *folia* ſeſcunciam longa *Lithoſpermi majoris*, ſed anguſtiora, confertim naſcuntur. Atque hæc videntur glabra, quamvis breviſſimis pilis donata. *Flores* & *ſemina* perinde ſe habent ut in aliis ſpeciebus.

27. Tithymalus *foliis Pini forte Dioſc. Pityuſa, C. B. P. Exula minor, Dod. Tithymalus pineus, Ger. Pityuſa, Tithymalus pinea ſive Eſula minor, Park. Tithymalus Cypariſſiæ ſimilis, Pityuſa multis, J. B. De hac Tithymali ſpecie admodum confuſe ab auctoribus diſſeritur. Radix* ei longe lateque ſerpit, & è radicum nodis novos ſtolones copioſe emittit. *Caules* ad cubiti altitudinem aſſurgunt, recti, *foliis* plurimis, viridibus, *Linariæ vulgaris* latitudine, & longitudine haud inæquali, obtuſioribus tamen, inordinatim veſtiti. Caules qui *flores* in ſummitatibus producunt, frequenter in ramulos rectos, laterales, à medietate, diducuntur, conſimilibus foliis viridibus ornati. Pars media altitudine aliorum *Tithymalorum* medietates ſuperat, & *flores* tetrapetalos, è *calycibus* alveoliſve ſubrotundis erumpentes, corymbatim gerit; quibus *ſemen* læve, trigonum ut in aliis ſuccedit.
In ſatis & vervactis circa Monſpelium *paſſim oriri perhibet Cl.* Magnol. *Crepidineſque ſabuloſæ fluminum & collis* Germaniæ *vicini frequentius hunc alunt. V. icon. tab. æn.* 1.

28. Tithymalus *foliis brevioribus denſius confertis, Nobis. Forte Pityuſa, Matth. J. B. A quo non abludit deſcri-*

ptio, Park. p. 193. *iconem ejus pro Cypariſſia vulgaris icone edidit. Tithymalus foliis brevibus aculeatis, C. B. P.* In Horto ſicco peritiſſimi Botanici *D. D. Sherard* obſervatur Tithymali ſpecies, præcedenti quodammodo ſimilis, quoad omnes vero partes minor. *Caulis* ei pedalis, maculis à foliis deciduis inſignitur, & ſummitatem erga in ramuſculos dividitur, qui *foliis* multis, brevibus & anguſtis, crebrius confertis, glabris, ſemuncialem longitudinem vix ſuperantibus, onuſtus eſt. Inter præcedentem Tithymalumque cypariſſinum ſuccedentem mediæ cujuſdam naturæ eſſe videtur. *V. icon. tab. æn. 2.*

29. Tithymalus *cypariſſias, C. B. P. J. B. Cupreſſinus, Ger. Matth. Dod. Adv. Lob.* *Radice* nititur perenni, fibroſa, lignoſa, & nonnunquam repente. *Caules* promit dodrantales & pedales, primo ſimplices, poſtea ramoſos, in quibus quamplurima *folia Linariæ* minora, mollia, creberrime naſcuntur. *Flores* in umbellæ quaſi formam diſpoſiti, longis pediculis folia quibus donantur perforantibus, lutei, ex quatuor quaſi ſemilunulis conjunctis, extrorſum vergentibus corniculis apicibus item luteis conflantur. His porro triquetri ſuccedunt *loculi*, quibus *ſemen* parvum ſubrotundum includitur.

In variis herbidis ſatorum & pratorum marginibus, haud longe à Monſpelio, *reperitur. V. icon. tab. æn. 2.*

Folia habet aliquando punctis croceis notata, unde *C. B. Tithymalum cypariſſiam punctis croceis notatum* diſtinguit, ſed morbus potius eſt iſtius Tithymali quam ejus varietas, uti ſuſpicatur *D. Magnol.*

30. Tithymalus *foliis inferioribus capillaceis, ſuperioribus Myrto ſimilibus, Nobis. Tithymalus cypariſſias, Alpin. de Exot.* Humilis vel ſemipedalis hæc planta in *cauliculos* plures ex eadem *radice* divaricatur. Atque his *folia* tenuiſſima, mollia, ſemunciam longa, denſiſſime ſtipata, quamplurima, adnaſcuntur. Superius & ubi *flores* lutei inſident, folia latiora & mucronata, *Myrti* ſimilia proveniunt. *Semina* parva, triquetra, *piperis* ſemina magnitudine non excedunt.

In Creta *naſci* Proſp. Alp. *aſſerit. Ex* Aleppo *quoque accepimus.*

PLANTÆ TRICOCCÆ

Lacteſcentes purgatrices.

CAPUT II.

Tithymali capſula ſeminali lævi, annui.

TABULA II. SECT. X.

Tithymalus capſula ſeminali lævi, annuus, foliis

- *alternis*
  - *longioribus*
    1. *Major glaucifolius, Nobis. Lathyris major, C. B. P. Cataputia minor, Trag.*
    2. *Lunato flore, Linariæ folio obtuſiore.*
    3. *Lunato flore, Linariæ folio longiore, Nobis. Marino affinis Linariæ folio, , C. B. P.*
    4. *Lini folio acuto, Bot. Monſp.*
    5. *Sive Eſula exigua, C. B. P. Trag. Ger.*
    6. *Exiguus ſaxatilis, C. B. P. & Prod.*
    7. *Sive Eſula exigua Chalepenſis rameſior foliis latioribus lintriformibus.*
    8. *Sive Eſula exigua foliis obtuſis, C. B. P. & Prod.*
  - *rotundioribus*
    9. *Helioſcopius, C. B. P. Matth. Dod.*
    10. *Chalepenſis folio ex ovali mucronato.*
    11. *Sive Eſula rotunda, C. B. P. Peplis, Ger.*
    12. *Siculus polycoccos Portulacæ folio, Bocc.*
    13. *Sive Peplis minor, Jo. Bauh. Tab.*
- *oppoſitis*
  - *elatior*
    14. *Malabaricus Androſæmi folio, flore rubro, Hort. Mal.*
    15. *Indicus dulcis cauliculis viridantibus, Par. Bat. Prod.*
        Idem cauliculis rubentibus.
    16. *Indicus dulcis botryoides geniculatus, Par. Bat. Prod.*
    17. *Orientalis hirſutus, Peplis, D. Rawolfii.*
  - *procumbens*
    18. *Sive Peplis maritima folio obtuſo, C. B. P.*
    19. *Minimus ruber rotundifolius, Nobis. Chameſyce, Matth. Dod. Cluſ.*
    20. *Sive Chameſyce villoſa major cauliculis viridibus, Schol. Bot. Par.*
    21. *Sive Chameſyce Americana minor Paronychia Hiſpanicæ Cluſii facie, foliis Serpylli ſerratis, Breyn. Prod. 2.*

1. Tithymalus

1. Tithymalus *major annuus glaucifolius, Nobis. Lathyris major, C. B. P. Lathyris, Matth. Dod. Lon. Lugd. Cam. Cataputia minor, Lob. Tab. Trag.* Planta hæc in Hortis à ſemine ſuo deciduo frequens nata biennis videtur; primo enim anno ſingularis *caulis* erectus, raro diviſus, cubito altior, digitalis craſſitudinis, *foliis* digiti humani longitudinis æque ac latitudinis, ordine cruciatim naſcentibus, quatuorque ſeries retinentibus, glaucis, ſeu ex plumbeo colore viridibus, expanſis veſtitur. Hanc autem formam per totam hyemem retinet. Anno ſuccedente arboreſcere videtur, & in' *ramuſculos* ſe dividit, dichotomam diviſionem obſervantes, *foliiſque* ad baſin latioribus, mucronatis, pallidioribus è regione ornatos. In ſupremis angulis & in extremis caulibus *flores* enaſcuntur parvi, lutei, cum ſtaminibus concoloribus, & *ſtylo* è medio eminente, cui *capſula* trigona ſeminalis, aliorum pericarpiis major, inſidet; qua matureſcente, in tres partes ſponte finditur, & in unaquaque *ſemen* ſingulare apparet ſubrotundum; *radixque* perit. *V. icon. tab. æn.* 2.

2. Tithymalus *annuus Linariæ folio obtuſiore, lunato flore, Nobis. Tithymalus minor Creticus lunatus* in libro *D. Ed. Morgan* nominatus. *Tythymalus* hic dodrantalem aut pedalem altitudinem vix ſuperat, & in *ramuſculos* ſe dividit; quos *folia* unciam longa, *Linariæ* æmula, ſed obtuſiora, & in terminatione rotunda, inordinatim conveſtiunt. *Flores* umbellatim in cymis, inter *foliola* rotunda ex quatuor lunulis luteis conſtructi, naſcuntur. Atque his *ſemina* triquetra, lævia, parva, ſuccedunt.

3. Tithymalus *annuus lunato flore, Linariæ folio longiore, Nobis. Tithymalus maritimo affinis Linariæ folio, C. B. P. Tithymalus linifolius, Cam.* Pedalis & cubitalis aſſurgit hæc Tithymali ſpecies; ejuſque *caules folia* biuncialia aut longiora, glauca, anguſta, & *Linariæ vulgaris* quoad acutiem ſimillima, ſine ordine conveſtiunt. *Flores* lunulati, lutei, cum *foliolis* rotundis, *comas* ornant; *ſeminaque* parva, tricocca ſequuntur. Omnes hæ ſpecies lacteo ſucco prægnant.

E Regione Tingitana *accepimus. V. icon. tab. æn.* 1.

4. Tithymalus *annuus Lini folio acuto, Magnol. Bot. Monſp. An annuus Pityuſæ facie, Lob. Obſ? Tithym. foliis brevibus aculeatis, C. B. P. Et forte Tithymalus longifolius, Raii.* Pedalem ut plurimum acquirit magnitudinem, quamvis modo minor, modo major conſpiciatur. Secundum caulem plurima oriuntur *folia* longa, *Lini* folia æmulantia, in aculeatum quaſi apicem deſinentia. *Flores* pariter ſe habent ut in aliis ſpeciebus. *Folia* circa flores diſpoſita, latiora ſunt, & ſimilibus apiculis donata. *Radix* fibroſa eſt, & ſingulis annis perit.

In marginibus ſatorum circa Salenovam, la Columbiere, *& alibi, invenit Auctor.*

5. Tithymalus *ſive Eſula exigua, C. B. P. Tithymalus minimus anguſtifolius annuus, J. B. Eſula exigua, Trag. Ger.* Palmaris eſt plantula, *radicula* nitens tenui. *Caules* tenues & ramuli *foliolis* ſemunciam, unciæve trientem longis, ſemiculmum latis, crebris, ſurſum ſpectantibus, lacte turgidis ſtipantur. *Floſculi* herbidi lunulati & *pericarpium* triquetrum, aliorum ſimile, glabrum, ſed multis numeris minus eſt.

Inter ſegetes & poſt meſſes, paſſim reperitur. V. icon. tab. æn. 2.

6. Tithymalus *exiguus ſaxatilis, C. B. P. & Prod. J. B.* 664. *Magnol. Radiculam* habet capilli modo tenuem, longiuſculam; *cauliculos* tenues, unciales & biunciales, anguſtiſſimis & brevibus foliolis cinctos; *floſculos* exiguos, rubentes. Antecedenti ſimilis eſt, at minor plantula; & rubentibus floribus dignoſcitur.

Circa Monſpelium, *locis aſperis & ſterilibus, præſertim ultra pontem* Salenovæ, *copioſe provenit.*

Caſp. Bauh. in Prod. alium *foliis obtuſis* deſcripſit. *Cl. Magnol.* folia acuta & folia obtuſa in eadem planta naſci aſſerit; & non ſpecifice differre opinatur.

7. Tithymalus *ſive Eſula exigua Chalepenſis ramoſior foliis latioribus lintriformibus.* Tithymalus hic nobis novus, quem ex *Aleppo* habemus, cum prædictis humilitate convenit; robuſtior vero planta & in ramuſculos plures divaricata & comata eſt, in quibus (ut in aliis) ut plurimum diviſio obſervatur dichotoma. *Folia* parva quadrantem & vix ſemunciam longa, in *caule* aſcendenti ſita, inordinatim naſcuntur; ſed ſub angulis, binatim, forma peculiari, adhærent; latus enim cujuſque ſuperius linea recta aut ad curvitatem inclinante diducitur, cum tamen adverſum gibbum & convexum eſt; ut lintriculi, ſcaphulæ, & pene ſemicircularem formam, unumquodque repræſentet. *Flores & ſemina* eodem quo & reliqui exigui modo profert.

8. Tithymalus *ſive Eſula exigua foliis obtuſis, C. B. P. & Prod. Radice* eſt exili, oblongiuſcula, capillata, cauliculis pluribus ad terram reſupinatis, aliquantulum repentibus, biuncialibus, triuncialibus, aliorum cauliculis palmo minoribus, rotundis, lacteo ſucco turgentibus, qui *foliolis* oblongis anguſtis, ſed ſemper in ſummo obtuſis & velut abſectis, inordinate veſtiuntur.

Hic in agris Patavinis & Maſſilienſibus *reperitur.* C. B.

Tithymali annui foliis rotundioribus.

9. Tithymalus *helioſcopius, C. B. P. Matth. Dod. Ger. Park. Tithymalus ſolſequius, J. B. Tithym. ſubrotundis fol. majoribus crenatis, H. Lugd. Bat.* Tereti, dodrantali & pedali (nonnihil rubens) aſſurgit *cauliculo*, frequenter ſimplici, interdum vero duobus aut tribus ex eadem radice annua ortis; quos *folia* pauca latiuſcula, *Portulacæ* minora tenuioraque, ſubrotunda, crenata, ſparſim conveſtiunt. E ſummo caule quinque *radii* petiolive biunciales umbellatim oriuntur, totidem foliis latioribus ſubnaſcentibus. Hique radii ſinguli in ternos *petiolos* dividuntur, foliis minoribus donatos, inter quæ *flores* pentapetali, ex foliolis ſubluteis, rotundis compoſiti apparent. Atque his *ſemina* triquetra, lævia, parva, ſuccedunt.

In campis incultis, ad oppidorum mœnia, & in Hortis oleraceis, frequens occurrit. V. icon. tab. æn. 2.

10. Tithymalus *Chalepenſis folio ex ovali mucronato.* Vultum præcedentis obtinet; caule pinguiore aſſurgit; cui folia unguis humani latitudinem aſſequentia, argutis denticulationibus in ambitu crenatis, ex ovali forma in mucronem deſinentia, petiolis breviuſculis donata, inſident. In ramuſculos paucos, ſine ordine ſe dividit, quorum ſummitatibus inter *folia* conformia, ſed minora, *flores & ſemina* præcedentis ſimilia naſcuntur.

11. Tithymalus *annuus erectus rotundifolius non crenatus, Nobis. Peplis ſive Eſula rotunda, C. B. P. J. B. Ger. Peplus Matth. Dod. Tab. Lugd.* In tres *cauliculos*, quorum medjus reliquos altitudine ſuperat, dodrantalis hæc planta frequenter diviſa, aſſurgit; *helioſcopio* minor, foliis rotundis, & non crenatis donata, & hac

nota diſtinguenda, quod in ſummitate in tres petiolos radioſve ſe dividit, & deinde in binos; cum tamen in *helioſcopio* quinque in prima diviſione, & tres *ſurculi* appareant in ſecunda.

In agris, & locis incultis, & in hortis, paſſim reperitur. V. icon. tab. æn. 2.

12. Tithymalus *Siculus polycoccos Portulacæ folio, Bocc. Tithymalus baccifer, Hyacinth. Ambroſin.* Caule pedali aut altiore aſſurgit, ſuperne amplo & valde ramoſo, *foliis* ad *Portulacæ* aut *Peplios* præcedentis modum circumveſtito. *Flores* & *ſemina*, ut in cæteris ſuæ claſſis, alarum ſinubus atque ipſis ramis inſident, & ordine diſtribuuntur; rotundis ſubſequentibus capitulis, binis tenuibus apicibus donatis, in quibus *ſemen Cannabis* figura atque colore concluditur. Ea eſt plantæ ejuſque alarum durities & contumacia, ut media hyeme arida & foliis ſpoliata perduret adhuc, & *capſulas* ſeminum (quod notatu dignum) unguibus frangere, aut evellere (adeo pertinaciter hærent) ſine rami particula non poſſis.

Ex ſemine deciduo quotannis renaſcitur. Bocc. *V. icon. tab. æn. 2.*

13. Peplus *minor, J. B. Tab.* Patulis in orbem ramis varieque divaricatis terram ſubjectam inumbrat, *foliis Pepli majoris*, rotundis fere, in modicum acumen leviter deſinentibus, dimidio minoribus. *Pericarpia* puſilla majoris ſimilia, ut *Chamæſyces*, triquetra, lævia, tribus locellis totidem claudunt *ſemina*.

In vervactis arviſque reſtibilibus circa Monſpelium *frequens reperitur.*

Tithymali annui foliis e regione caulium adnatis.

14. Tithymalus *Malabaricus Androſæmi folio, flore rubro, Nir-cottam pala, Hort. Mal. Tom.* 10. *p.* 101. *Radix* albicans fibroſa; caules lignoſi, intus lactei, geniculati, rotundi, virides & rubeſcentes, qui è geniculis ſemper novos emittunt ſurculos; *folia* in geniculis geminata videntur, oblongorotunda, tenuia, lenia, ſuperiore parte aliquantulum glabra, viroris ſaturi, in adverſa dilutioris, ac pilis ſubtiliſſimis obſita, lactea. Coſta in adverſa parte eminet. *Flores* umbellati ſunt parvi, tetrapetali, in interiori orificio rubro ſaturi, in ſuperiori parte albicantes. *Stylus* oblongus theciformis, tenuis, filamentum tranſmittens tenue, albicans, gemmula nodulatum. *Capſula* ſeminalis ex flore emicat, trilateralis, ſtaminibus brevibus, rubris, in vertice dotata, in medio laterum venula viridifuſco colore ſtriata, in ſingulis lateribus unum continens *ſemen.*

15. Tithymalus *Indicus annuus dulcis, cauliculis viridantibus, Par. Bat. Prod. Chamæſyce Americana floribus glomeratis Cynocrambes folio glabro, Breyn. Prod.* 2. 31. *Cauliculis* gracilibus, lævibus, vix ſe ſuſtinentibus, cubitalibus, & bipedalibus, aſſurgit, in tenues imbecilleſque ſurculos longos geniculatos, divaricatis. *Folia* ad ſingulos nodos exeunt, glabra, uncialia & ampliora, ſemunciam lata, in ambitu crenata è regione poſita. Ex horum alis ramuſculos protrudit tenuiores, & exinde in petiolos gracillimos, *flores* ex herbidis albidi, exigui, plurimi, racematim ſparſi abeunt; & *ſemina* parva in *pericarpiis* triquetris ſequuntur. Tota planta lac præbet, ut & aliæ hujus familiæ, ſed minime urenti vel cauſtica facultate donatum.

Variis in Inſulis Indiæ Occidentalis *naſcitur. Et à* D. Ed. Morgan *Tithymalus repens Virginiana ſive Chamæſyce Virginiana nominatur.*

Hujus varietas in *Horto Regio* Hamptonienſi obſervatur caulibus rubentibus donata, & apud *Par. Bat. Prod.* memoratur. Et altera *majoribus foliis ſerratis.*

16. Tithymalus *Indicus annuus dulcis botryoides geniculatus, Par. Bat. Prod. Chamæſyce Amer. major floribus glomeratis, Cynocrambes fol. hirſuto, Breyn. Prod.* 2. 31. *Erva de Cobra Luſit. Marcgr. Cajatia, Cadtica Erva de Cobres, Piſ.* E *radice* filamentoſa multi proveniunt *caules* nunc erecti, nunc reclinati, ſemipedem aut etiam pedem longi, ex viridi colore rufeſcentes, paullulum hirſuti, & ad unius digiti intervallum habentes nodos, & ad ſingulos nodos duo *folia* ſubtiliter ſerrata appoſita, *Menthæ* foliis non diſſimilia, ſed longiora, & paullo anguſtiora. Inter folia ad nodos multi prodeunt *floſculi*, racematim denſe compacti, petiolo brevi inſidentes, & in *umbellulam* compoſiti, viridis coloris, cum aliquantillo rubore mixti. *Succum* è qualibet parte rupta effundit lacteum eumque dulcem, ſicut & præcedens. *Mahapitawaku* Indis *appellatur*, D. Herman.

17. Tithymalus *Orientalis hirſutus, Peplis D. Rawolfii*, in cujus Horto ſicco in *Perſia* collecto obſervatur hæc Tithymali diſtincta ſpecies. *Caulis* pedalis erecte aſſurgit, & *foliis* pene rotundis vel ovalibus, è regione ſitis, binatim naſcentibus, ornatur. Tota planta & *caulibus, foliis*, & *ſeminibus*, hirſutie obducitur.

18. Tithymalus *ſive Peplis maritima folio obtuſo, C. B. P. Peplis Dod. Cluſ. Park. Ger. J. B.* Terræ faciem ceu muliebre flammeum patulis ramis, varie divaricatis, palmaribus & ſeſquipalmaribus, rubentibus, craſſiuſculis operit, per quos veluti ad articellos *folia* ex adverſo naſcuntur, rubentia, duplo triplove *Chamæſyces* foliis majora, craſſiora paullo, longiora, ad extremitates rotunda. Iſtorum autem pars ea quæ ſub nervo (qui ſolus folium per longitudinem medium dividit) productior eſt quam quæ ſupra nervum, & veluti pinnata. *Floſculi* luteoli proxime ramos oriuntur. *Capitula* tricocca, lævia, duplo majora ſunt quam *Chamæſyces*. *Radix* longiuſcula craſſiuſcula, ſimplex exiſtit.

Abunde in omnibus mediterranei maris littoribus, tum Hiſpaniæ, *tum* Narbonenſi Galliæ *vicinis, & in* Cornubiæ *locis arenoſis apud* Anglos *naſcitur. V. icon. tab. æn. 2.*

19. Tithymalus *minimus ruber rotundifolius procumbens, Nobis. Chamæſyce, C. B. P. J. B. Dod. Lob. Ger. Park. Cluſ.* Humi procumbentes ſunt ramuli tenues geniculati, diffuſi, dodrantem longi, in minores diviſi, frequenter rubeſcentes. Iſtis ad genicula adnaſcuntur *foliola* conjugatim diſpoſita, ſubrotunda, qua terram ſpectant rubentia, ſuperne viridantia; quædam tamen in extremis ramulis ſupra infraque omnino ſatura rubedine tincta ſunt. *Floſculi* ad ramulorum divaricationes inter folia emicant purpurei. *Pericarpia* tricocca exigua ſub foliis latitant. Ex qualibet parte rupta *lac* pro aliorum Tithymalorum more manat.

In agris & vinetis tam Siciliæ & Italiæ *quam* Galliæ Narbonenſis *frequens oritur. V. icon. tab. æn. 2.*

20. Tithymalus *ſive Chamæſyce villoſa major cauliculis viridibus, Schol. Bot. Par.* In orbem huic ſparguntur ramuli longiores, geniculati, villoſi, virides, intercapedinibus longioribus diſtincti. Ad genicula quoque

quoque bina naſcuntur *folia* ſubrotunda, viridia, in ambitu modice crenata, & præcedentis ampliora. *Flores & ſemina* ad eundem modum quo & ſuperius explicatus profert.

Novam hanc ſpeciem munificentiæ eruditiſſimi D. Sherard *debemus acceptam. Datur hujus varietas minor.*

21. Tithymalus *ſive Chamæſyce altera Virginiana foliis crenatis & macula fuſca eleganter notatis, D. Pluk. Phyt. Tab. 65. Chamæſyce Americana minor Paronychiæ Hiſpanicæ* Cluſii *facie, foliis Serpylli ſerratis, Breyn. Prod.* 2. Plantula hæc *cauliculis* palmaribus, pluribus, è *radicula* exeuntibus, donatur, ad quorum ſemunciale diſtantiam binatim *foliola* oblonga & ovalia, unciæ quadrantem longa, margine crenata, & macula longa, fuſca, ad nervum medium inſignita, adnaſcuntur. Ex foliorum *alis* & in ſummitatibus proveniunt *floſculi, ſeminaque* tricocca, exigua, ut in aliis.

In Virginia *ſponte naſcitur.*

PLANTÆ TRICOCCÆ

Lacteſcentes purgatrices.

CAPUT III.

Tithymali capſula verrucoſa perennes.

TABULA. III. SECT. X.

Tithymalus capſula verrucoſa perennis, radice

fibroſa
1. *Paluſtris fruticoſus, C. B. P. Eſula major, Dod.*
2. *Latifolius Hiſpanicus, C. B. P. Platyphyllos, Cluſ.*
3. *Myrſinites fructu verrucæ ſimili, C. B. P. Tithymalus verrucoſus, J. B.*
4. *Epithymi fructu, Col. Peplios altera ſpecies, C. B. P.*
5. *Amygdaloides repens lunato flore luteo.*
6. *Folio longo glauco, caule rubro, elatior Siculus, Raii.*
7. *Incanus hirſutus, C. B. Prod. Characias pratenſis incanus, Magnol.*
8. *Spinoſus Creticus maritimus, Park. Maritimus ſpinoſus, C. B. P.*
9. *Raguſinus flore luteo pentapetalo, H. Lugd. Bat.*

tuberoſa
10. *Montanus non acris, C. B. P. Eſula dulcis, Trag.*
11. *Sive Iſchas Ranunculi radice, capſula molliter echinata, Schol. Bot. Par.*
12. *Pyriformi, C. B. P. Apios vera, Ger.*
13. *Oblonga, C. B. P. Apios ſive Iſchas altera, J. B.*

1. Tithymalus *paluſtris fruticoſus, C. B. P. Eſula major, Dod. Dal. Hiſt. Lugd. Eſula major Germanica, Ger. Tithymalus magnus multicaulis, ſive Eſula major, J. B. 671. Eſula major, Cluſ.* Rarius competit Tithymalis amygdaloidibus foliis donatis in ramificationes conſimilia folia gerentes, pronaſci; quibus tamen hæc ſpecies, *caulibus* ex digitali craſſitudine tripedalibus & bicubitalibus (poſt medium) ex *radice* craſſiuſcula, alte deſcendente, exterius carnoſa, in fibras definente, prædita eſt, & fruteſcit. Caulis erecti ſuperior pars umbellatim *foliolis* rotundioribus ornata *flores* protrudit luteos, tetrapetalos, ſubrotundos. Atque his *pericarpia* triquetra, exterius rugoſa & verrucoſa, *ſeminibus* ſingulis in ſingulo vaſculo contentis, ſuccedunt, ut in aliis.

In apricis circa Baſileam Germaniæ, *& in* Apuliæ *monte* Gargano, *æque ac ad* Sileſiæ *foſſas & aquas, ſponte naſcens reperitur.* Caules *in autumno penitus evaneſcunt, & ex eadem radice anno ſuccedente fortiter reger-minant. V. icon. tab. æn.* 2.

2. Tithymalus *latifolius Hiſpanicus, C. B. P. Tithymalus platyphyllus, Cluſ. Dod. Ger.* Pedalem præterpropter altitudinem aſſequitur, in aliquot à *radice* diviſus ramos, nonnunquam ſimplici caule præditus; quem ambiunt ampla *folia*, rotundiore & quaſi orbiculato mucrone prædita, ad *Iſatidis* novellæ foliorum formam accedentia, viridia, craſſiuſcula, & aliquantulum carnoſa, palleſcente & acri ſucco turgentia, *Flos* ramulis inſidet ex flavo colore purpuraſcens, ac veluti acetabulis comprehenſus, ut in aliis.

Uno Valentino *regno inter* Biar & Huentiniente, *via ſalebroſa, inter medios frutices, Martio menſe florentem ſolus* Cluſius *obſervavit. V. icon. tab. æn.* 2.

3. Tithymalus *myrſinites fructu verrucæ ſimili, C. B. P. Tithymalus verrucoſus, J. B. Verrucoſus, Dal. Park.* Plures hujus *radices* tenues in unam tandem coeunt, minimi digiti craſſitudine, ac etiam majore gaudentem, lignoſam, cubitalem fere, *cortice* externe nigro, interne albo, lacte viſcido prægnante. *Virgæ* multæ lentæ & fractu contumaces, tenues, ſubrubentes, pedales ac cubitales, alternatim adnata *folia* ſuſtinent, deorſum fere ſecundum caulem reflexa, uncia longiora, ſemunciam fere lata, tenui lanugine obtecta, magis tamen infra quam ſupra quadam rubedine tincta. *Flores* in *umbella* flaveſcunt *foliolis* peltatis inſidentes, quibus ſuccedunt *capitula* rotunda, criſpo ceu arenularum minutiſſimarum congeſtu, aut verrucarum inſtar aſperata.

In ardis & ſabuloſis gignitur prope Lugdunum *ad* Rhodani *fluenta, haud longe à* Geneva. *In* Germania *quoque reperitur. V. icon. tab. æn.* 3.

4. Tithymalus *Epithymi fructu, Col. Peplios altera ſpecies, C. B. P.* Saxorum rimas montium & vallium incolit hæc planta, perenni fruticans *radice*, pluribus tenuibus ramulis pedalibus, ad imum lignoſis, rubentibus, amplam comam efformans. *Folia* exigua, *Lini* æmula, ad imum minora alternatim hærent, & circa

ſummum ſemper majora latioraque, ut prope *capitula* ſint fere rotunda, *Helioſcopii* in modum, ſed minora. *Comam* profert ex baſi quinquefoliata *Tithymalorum* ritu, & *flores* non ex pelviculis cavis, ſed ex binis oppoſitis foliolis diſtinctis, brevi petiolo producuntur, è quinis rufeſcentibus foliolis compoſiti. Ex his longo petiolo fructus eriguntur, criniti, orbiculati, *Ciceris* vegetioris magnitudine, aut etiam magis craſſi, hirſutie obducti, pilulis *Cynorrhodi*, aut potius *Cuſcutæ* pares; quibus ob ſiccitatem hiantibus, terna *ſemina* inveniuntur, cellulis diſtincta, ut in congeneribus. *Ramuli* à medio ad ſummum vireſcunt tennioreſque ſunt; & *folia* mollia ex cinereo colore virentia. Tota planta acri lacte turget. *V. icon. tab. æn.* 3.

5. Tithymalus *amygdaloides repens lunato flore.* Hæc Tithymali ſpecies, quam à *D. Jo. Sutherland Horti Edinburgenſis* Præfecto recepimus, radice reptatu quodam importuno ſe propagante, filamentis pluribus, tenuibus donata, exſurgit. Ex filamentorum geniculis plurimi oriuntur *cauliculi* pedales, frequenter incurvati, & raro erecti; quos ambiunt *folia* uncialia & biuncialia, amygdaloidea, mollia, copioſe ſe exſerentia. *Flores* in ſummitatibus ex quatuor *petalis* lunulatis, flavis, compoſiti, naſcuntur; & *ſemina* triquetra, externe ſcabritie verrucoſa prædita, ſuccedunt. Sed (prout in aliis reptatricibus fieri amat) ſemina parce proveniunt.

Tithymalum lunato flore Fab. Col. *hunc eſſe aliquoties ſuſpicati fueramus; ſed* ſeminibus *glabris* radicibuſque *non repentibus conſideratis, ſententiam mutavimus.*

6. Tithymalus *folio longo glauco, caule rubro, capſulis verrucoſis elatior Siculus, Raii.* Elatior & major eſt multo Tithymalo verrucoſo vulgari, *foliis* longis, dimidam plus unciam latis, in mucronem acutum ſenſim deſinentibus, in caule crebris, alternatim poſitis, colore glauco. *Caules* cubitales & altiores, teretes, rubentes, minores ſeu graciliores multo quam *Tithym. Characiæ Monſpelienſis*, foliis minus crebris obſiti, nec ut in illo abſcedentibus & veſtigia ſui relinquentibus. Prope ſummum caulem *ramuli* aliquot è foliorum ſinubus exeunt, in quibus ut & faſtigio caulis florum *coma* eſt qualis & in aliis ſui generis. *Flores* eorumque pediculos & acetabula non deſcripſit auctor; in ſicca autem planta oculorum fugit aciem eorum tenuitas. *Fructus* verrucoſus eſt.

Prope Meſſanam *invenit prædictus auctor.*

7. Tithymalus *incanus hirſutus, C. B. P. & Prod. Tithymalus characias pratenſis incanus, Magnol.* *Caules* pedales, rotundos, rufeſcentes, profert, foliis incanis & hirſutis, Amygdalinorum forma, confuſo ordine veſtitos, in ſummitate in virgulas umbellatim diviſos, quibus (ut in aliis) *flores* & *capitula* triangularia, verrucoſa, *ſemina* continentia inſident. Tota planta, in caulibus, foliis, & ſeminibus, villoſa hirſutie obducta eſt. Atque his dignoſcitur.

Hunc ex Italia D. Neudorfferus Caſp. Bauh. *attulit. Ab inſigni Botanico* D. D. Sherard *ipſi accepimus.*

8. Tithymalus *maritimus ſpinoſus Creticus, Park. Maritimus ſpinoſus, C. B. P. Glaſtivida alt. Belli epiſt. 4. ad Cluſ.* Planta hæc humilis, elegans, palmaris & dodrantalis, in ramuſculos frequentes, duros, graciles, divaricata eſt; quibus *foliola* anguſta, glabra, *Lini* ſimilia, ſed obtuſiora, ſemuncialia, ſine ordine naſcuntur. *Flores* in ſummis virgulis apparent flavi, ex quatuor *petalis* ſubrotundis conſtructi, cum apicibus & ſtylo in medio eminenti, cui *capſula ſeminalis* parva, triquetra, nutans, appenditur. Ramuſculi ſeminiferi ab anno præterito foliis ſpoliati & ſicci, tenues & rigidi, pro ſpinis habentur. Idem etiam *Thlaſpi Creticum Spinoſum* dictum demonſtrat. *V. icon. tab. æn.* 1.

9. Tithymalus *Raguſinus flore luteo pentapetalo, Cl. Hermanni, H. L. Bat.* Perrarum & venuſtum hoc Tithymali genus ſeminibus ex *Raguſa* miſſis natum promit radicem lignoſam, tenuem, pallidam; *cauliculos* dodrantales, ramoſos, quaſi fruticoſos, graciles tamen, glabros, ſubrubentes, aliquando exiguis ferrugineis punctis & tuberculis adſperſos. His adſtant folia rara, *Linariæ* æmula, ſed triplo breviora, inſigni per longitudem nervo inſcripta. Ramorum cymis inſident *flores* exigui, ex quinque orbiculatis flaveſcentibus *petalis*, totidemque concoloribus *ſtaminulis*, ſingulis duobus apicibus donatis, conſtructi. Ex horum autem medio prominet *vaſculum* parvum, trigonum, tricapſulare, ceu arenularum minutiſſimarum congeſtu, aut verrucarum inſtar aſperatum, tribus è ſummitate exeuntibus ſtaminulis bifidis. In ſingulis capſulis continetur *ſemen* rotundum fuſcum.

10. Tithymalus *montanus non acris, C. B. P. Eſula dulcis, Tragi. Tithymalus non acris flore rubro, J. B.* Inæqualem habet radicem longiuſculam, tuberculis fibratam; *caules* pedales, primo purpuraſcentes, non ſine adnatis ramulis foliis amictis, modice in acumen rotundum deſinentibus, glabris. *Pediculi* e caulis faſtigio aliquot exeunt (ſubjecta foliorum oblongorum roſula) umbellæ forma, in ſurculos ſubdiviſi. Singuli quidem *floſculi* in medio foliorum duorum ſimilium acetabulis poſiti, parvi, quadripartiti, rubentes cernuntur. E medii floſculi rubri brevi pediculo exoritur *fructus* parvus, triqueter, tuberculis exaſperatus; & ex ejus medietate *ſtylus* enaſcitur. Cæterum emanat è vulnere lacteus liquor, ut in reliquis *Tithymalis*, verum nequaquam acer aut fervidus, ſed aſtringens, unde *Tithymali* aut *Eſulæ dulcis* nomen ei inditum.

In montibus circa Genevam *naſci obſervatur. V. icon. tab. æn.* 3.

11. Tithymalus *ſive Iſchas Ranunculi radice, capſula molliter echinata, Schol. Bot. Par.* E nodoſa ſeu tuberculis donata radice proveniunt *caules* procumbentes, pedales, *foliis* pluribus, uncialibus aut amplioribus, culmum latis, modice acutis, inordinatim amicti. Iſtorum ſummitates *flores* lutei ornant, qui in *capſulas* ſeminiferas triquetras, modice rugoſas, tranſmutantur.

In Horto Pariſienſi *adſervatur.*

12. Tithymalus *tuberoſa pyriformi radice, C. B. P. Apios vera, Adv. Lob. Apios, Matth. Dod. Lugd. Apios ſive Iſchas, J. B. Chab.* Facilis è *radice* hauritur Apii notitia; hæc enim utpote oblonga, turgida, inque *Pyri* modum *Napive* turbinata, plantæ nomen fecit. Ex illius capite *ramuli* aliquot exeunt palmo breviores, foliis ſatis frequentibus amicti, *Eſulæ rotundæ* ſeu *Peplios*, at minoribus, ex anguſto principio ſenſim dilatatis, perque extremitatem rotundis.

Ex Creta *adfertur, utut* Apuliæ *peculiarem eſſe aſſerat* Imperatus. *V. icon. tab. æn.* 3.

13. Tithymalus *tuberoſa oblonga radice, C. B. P. Apios ſive Iſchas altera, J. B. Apios ſive Iſchas, Cluſ. Hiſt. Apios radice oblonga, Ger. emac.* *Radice* conſtat tuberoſa, non in *Pyri* formam turbinata inſtar prioris, ſed æquali propemodum ubique craſſitudine, unciam, interdum etiam binas uncias longa; ejuſque extrema pars in quatuor alias radices ſive craſſas fibras, ſenſim gracileſcentes definit, & paucis fibris prædita eſt, lacteo ſucco turgens. Ex ſummo ejus capite exeunt quini aut ſeni *ramuli*, in terram procumbentes, palmares aut ampliores,

ampliores, ſecundum imum nonnihil purpuraſcentes, *foliis* viridibus non magnis, ſed prioris foliorum ad inſtar ſe habentibus, & incondito ordine ambientibus præditi. Illi deinde in minores & graciliores dividuntur, bina folia paulo rotundiora, & contrario ſitu naſcentia ſuſtinentes; in quorum medio exoritur *flos* ex flavo colore rubeſcens. Atque huic ſuccedit *capitulum* trigonum, rugoſum & tuberculis obſitum, in quo *ſemen*.

Semine peregre accepto Jacobo Plateau *nata eſt hæc planta. V. icon. tab. æn.* 3.

PLANTÆ TRICOCCÆ

Lacteſcentes purgatrices.

CAPUT IV.

Tithymali capſula verrucoſa, annui.

TABULA IV. SECT. X.

Tithymalus capſula verrucoſa, annuus
- *major*
  1. *Arvenſis latifolius Germanicus, C. B. P. Tithymalus platyphyllos Fuchſii, J. B.*
  2. *Foliis ſubrotundis, ramulis tuberoſis, H. Ambroſin.*
- *minor*
  3. *Sive Peplis foliis acutis, flore muſcoſo, Bocc.*

1. Tithymalus *arvenſis latifolius Germanicus, C. B. P. Tithymalus platyphyllos Fuchſii, J. B. Caulis* è *radice* annua aſſurgit cubitalis, rectus, teres, glaber, rubeſcens, modo ſingularis, modo plures. Hunc *folia* ampla, mollia, binas uncias longa, unam lata, in mucronem definentia, fortuito poſitu ambiunt; & ex eorum alis *cauliculi* petiolive laterales frequenter proveniunt, in quibus *flores* æque ac in ſummitate prodeunt; ubi cauliculos flores luteos, exiguos, ſubrotundis *petalis* donatos, gerentes, radiatim emittit, una cum totidem *foliis* conſimilibus ac radiis *umbellam* conſtituentibus ad baſin ſubactis. Floſculis in angulis & apicibus marceſcentibus, *vaſcula ſeminalia* triquetra, rugoſa, ſuccedunt. Porro his deciduis quotannis renovatur; novellæ vero plantæ hyemem frequenter tolerant.

In agris quibuſdam Angliæ, *ſed rarius; & in* Germania *magis frequens reperitur. V. icon. tab. æn.* 3.

2. Tithymalus *foliis ſubrotundis, ramulis prope ſummitatem tuberoſis, Ambroſini.* Sine glandulosis *cauliculis*, nimirum ramulis, & in *internodiis* & inter *genicula* in craſſitudinem extuberant *excreſcentiæ* quædam, & *tubercula* rotunda, magnitudinem & ſimilitudinem *baccarum Hederæ* æmulantia; quibus nonnullæ prælongæ appendices adnaſcuntur, *verrucarum* inſtar, cum rudimentis *foliorum*. Erecte aſſurgit planta, in ramulos diviſa, *foliis* ovalibus non crenatis, alternatim poſitis, veſtita.

3. Tithymalus *ſive Peplis annua foliis acutis, flore muſcoſo, Boccon.* Dodrantalis eſt huic *caulis* ſubrubens. Ubi hic hortis colitur, ampla laxaque *umbella*, & quaſi comoſa, alioquin contractiori donatur, ubi natali loco fruitur. *Folia* exigua, è rotunda figura acuminata ſunt, *Herbæ terribilis* foliis minora. *Flores* muſcoſos gerit. *Semina* vero in capſulis ad *echini* formam præ involucris ſuis aliquatenus accedunt. *V. icon. tab. æn.* 2.

In agro Lugdunenſi *frequens inter ſegetes reperitur.* Bocc.

Tithymalorum Vires & Uſus.

Folia, radices & ſemina *acrem & urentem facultatem obtinent. Succus lacteus viroſus vehementior eſt, & adurendi vi præditus pro cauſtico adhibetur; quare in ſuperfluis carnibus, verrucis, & ſerpigine exterendis, maximus illius uſus eſſe debet; intro enim ſumptus magis nocet quam* grana; *quamobrem ſibi quiſque ab illo caveat.*

Succus *vel* lac *dentium præcipue cavorum dolorem mitigat, ſed præmuniendæ eſt cera vicinæ.*

Cataputiæ *vulgaris* (*quæ facultate proxime ad* Ricinum *ſive* Cataputiam majorem *accedit unde etiam* Cataputia minor *vulgo appellitatur*) XII. *aut* XIV. *grana tuſa vinoque pota totum corpus commovent; alvum purgant; pituitam & bilem ducunt; vomitiones potenter provocant; phlegma, choleram & melancholiam educunt.* Pilulas *ex iiſdem lacte confectas, & aceto & aromatis paratas, hydropicis utiles eſſe confirmat* Tragus. *De harum præparatione requiſita conſule* C. Hoffmannum, & Caſp. Dornavium, *qui correctionem dirigunt.*

E radicibus, herbis & lacteo Eſularum ſucco, *unguentum efficatiſſimum adverſus ſcabiem capitis contagioſam confici poteſt; eſtque hoc ſingulare quoddam experimentum.*

Sequuntur aliæ plantæ lacteſcentes, *quarum* ſeminum *incerta duntaxat ab Auctoribus data eſt deſcriptio.*

Tithymalo *affinis Alypum Matthioli, Chab. J. B.* 676. *Tithymalus corniculatus ex Lio Veneto, aliis Alypum forte Anguillare, Pityuſæ ſpecies Venetis. Turbith nigrum nonnullis. Alypum*, auctore *Dioſcoride*, ſurculoſa herba eſt, ſubrubra, gracilibus *ramulis*, tenuibus *foliis*; *flore* molli, lævi & copioſo; *radice Betæ* tenui, referta acri ſucco. Gignitur in maritimis, ac copioſiſſime in Libya. *Semen* bilem dejicit; verum interanea exulcerat. *Sic ille. Jo. Bauh.* ſe ramulum à *D. Schwarzio Sturgardienſi* recepiſſe confirmat dodrantalis longitudinis,

tudinis, *foliis* onuſtum alternatim poſitis, unciam plus minus longis, vix culmum latis, in acumen definentibus, ſecundum longitudinem decurrente *nervo*. Quam vero vehementer hallucinatus ſit *Coldenbergius* in eo quod in Diſpenſ. *Cordi* ſupra diacaſt. herbam quæ *Alypi* nomine hodie cognoſcatur, affabre depictam *Matthiolum* exhibere dicat, oſtendit *Dalechampius*. *V. icon. tab. æn.* 1.

Hippophaes *quibuſdam ἄκανθα ναναδαφίη, id eſt Spina purgans, Anguil. C. B. P. Hippophaes ex Codice Cæſareo, Dod. Hiſt. Lugd.* 1705. *J. B.* 410. *Etiam Rhamnus catharticus Oleæ folio, C. B. P. Hippophaes Anguill. Hippogloſſum, vulgo ſpina purgatoria, Adv. Lob. Hippophaes*, inquit *Anguillara epiſt.* 8. ſabulosis *Peloponneſi* quæ nunc *Morea* dicitur, maritimis oritur, cujus *radix* ob vehementem vim purgandi quibuſdam ſpinæ purgantis radix nominatur. Suffrutex eſt *ſpinis* duriſſimis ſpargens ſe in *comam* rotundam, albam. *Folia Oleæ* longiora, anguſtiora, & teneriora ſunt; nec florem, nec fructus vidi (forte quod tum quæſiverit cum offendendi non erat tempus) *Radices* palmo longiores lacteum *ſuccum* frangendo fundunt amariſſimum, odore gravi. Similem plantam in *Italia* non reperi. *V. icon. tab. æn.* 3.

PLANTÆ TRICOCCÆ

Lacteſcentes purgatrices.

CAPUT V.

Tithymalus craſſus ſpinoſus folioſus, & non folioſus Euphorbium dictus.

Cum conditionibus ad Tithymalos *conſtituendos requiſitis*, capſulis *nempe* ſeminalibus triquetris, & lacteſcente & urente facultate *hæ plantæ exoticæ gaudeant: iis haud improprie adnumeraverit. Quum vero* Euphorbii *ſpecies caulium caudicumve anguloſorum & ſpinoſorum craſſitudine, ab aliis adeo diſtinctæ ſint, floribuſque non admodum conveniant, nomen* Euphorbii *bene notum retineri oportere judicavimus*; *& ſi cui cum* Doct. D. Hermanno Tithymalos *appellare placebit, lites huic non movebimus. Qua vero ratione ducti auctores Plantæ huic acerrimæ* Euphorbii (ἀπὸ τῦ εὖ φορβεῖν, h. e. *bene paſcendo*) *nomen indiderint, conjectura aſſequi non poſſumus, niſi ſi κατ' ἀντίφρασιν ita dictam interpretemur.* Juba *in* Libya *regnante primo inventum eſt*; *unde* Plinius *lib.* 25. *c.* 7. Invenit (inquit) Rex Juba quam appellavit Euphorbiam, medici ſui nomine & fratris Muſæ, à quo Divus Auguſtus conſervatus fuit.

TABULA V. SECT. X.

Tithymalis affinis ſpinoſus
- *folioſus*
  1. *Sive Tithymalus Africanus arboreſcens ſquamato caule ſpinoſo, è Cod. Compt.*
  2. *Aizoides Indica arboreſcens ſpinoſa Nerii folio, Breyn. Prod. Ela-calli, Hort. Mal.*
  3. *Eſula Indica, Bontii.*
  4. *Cacavitzpatli, ſeu Medicina pabuli ſpinoſa, Recchi.*
  5. *Anteuphorbium, Dod. Ger.*
- *non folioſus*
  6. *Euphorbium Cerei effigie, caulibus craſſioribus, ſpinis validioribus armatum, Br. pr.* 2. *Euphorbium, Dod.*
  7. *Tithymalus Africanus ſpinoſus Cerei effigie, Cod. Compt.*
  8. *Euphorbium Indicum Opuntiæ facie, caule geniculato triangulari, Breyn. Prod.* 2. *Schadida-calli, Hort. Mal.*
  9. *Euphorbii facie erecta Americana flore cæruleo, Quauhcuetz placuitlapilli, Recchi.*

Euphorbio vel Eſulæ Indicæ Bontianæ cognata planta, Breynei Prod. 1. *p.* 34. *De hac nihil ſtatuo. Toracal Euphorbii ſpecies in Horto Amſtel. D. Comelyn. Pariter & hic inſcio.*

1. Tithymalus *Africanus arboreſcens ſquamato caule ſpinoſo. Tithymali forte genus Planta lactaria Africana Pini fructuum facie, Breyn. Prod.* 2. In Codice Reverendi in Chriſto Patris *D. H. Compton* Fautoris digniſſimi, in rariſſimarum Plantarum collectione, optime delineatarum & vivis coloribus ornatarum, obſervatur hæc *Tithymali* ſpecies monſtroſa, aut fruſtum ejuſdem abſciſſum, pedalis longitudinis, brachialemque craſſitudinem exprimens, ex rotunda figura anguloſum, & brachia bina, craſſa, emittere videtur; *cortice* ſquamis amplis oblongis donato omnino obſitum. E medio harum inferiorum cujuſque ſpina rigida & acuta, uncialis aut amplioris longitudinis, enaſcitur; reliquæ ſquamæ ſuperiores ſolum punctatæ, ſpiniſque deſtitutæ ſunt. Summum erga, & ramulis lateralibus & medio altiori, inter ſquamas, *folia* anguſta, biuncialia, ſaliginea, pauca, proveniunt; & in ſummitate *flores* cum *vaſculis ſeminiferis* triquetris, *petiolis* tenuibus, uncialibus & biuncialibus, nutantibus, inſident. *Cl. D. Plukenet in Phytographiæ Tab.* 230. *figuram ejuſdem contractam ſculpendam curavit. E ſeminibus duobus abhinc annis receptis Plantæ optimæ ſpei nobis natæ ſunt.*

2. Euphorbio *aut Tithymalo medio affinis. Aizoides Indica arboreſcens ſpinoſa Nerii folio, Breyn. Prod.* 2. *Ela-calli, Hort. Mal. part.* 2. *Tithymalus Zeylanicus ſpinoſus arboreſcens, Par. Bat. Prod.* Ad duorum hominum altitudinem aut ampliorem fruteſcit, in arenoſis naſcens. *Stipes* qui ex radice unus aſſurgit, rotundus ac ambitu amplexum unius brachii implens. *Rami* quos hinc rectos, hinc tortuoſos emittit, cortice

valde

valde lacteo, ac in ſuperficie binis hinc inde, tranſverſis, duris, & aculeatis ſpinis, ac in ſpiralibus tractibus ordine ſitis, undique muniuntur. *Folia* tranſverſim vel etiam ſurrectim prodeuntia, petiolis rigidis, craſſis, brevibus, lacteis, proxime ſupra ſpinas ſtipiti vel ramis coronatim circumdata, ſunt oblonga, linguiformia, craſſa, denſa, anterius rotunda, nullis venis ſeu nervis niſi qui aciem oculorum fugiunt, pertexta. Iſta autem inferius decidunt, ſemperque in ramulorum ſummitate conſpiciuntur. *Flores* qui inter ſpinas, & in angulis proveniunt, ex quinque petalis, craſſiuſculis, ex viridi colore flavis, petiolis brevibus inſidentes, compoſiti ſunt. *Semina* terna in vaſculis tribus angulis donatis, lacteis, colore viridi, continentur.

Hoc hortus Regius Hamptonienſis *ornatur.*

3. Eſula *Indica, Bontii, ſive Euphorbio affinis Indica ſedi folio.* In tantam altitudinem aſſurgit ut ingentes arbores ſcandat, craſſitudine ſæpe brachiali & ampliore. Plena eſt ſpinoſis extuberantiis, quæ tamen utpote molles pungentes non ſunt, *foliolis* hinc inde excreſcentibus quæ admodum ſimilia ſunt foliis *Sedi majoris vulgaris. Caule* eſt trigono, quo vulnerato, *ſuccus lacteus*, qualis ex *Eſula*, deſultim exit; ut niſi tibi caveas facile veſtem, & (quod magis metuendum) faciem & oculos commaculet, quibus propter vim cauſticam admodum inimicus eſt.

Ab hac planta neque forma, neque figura, neque creſcendi modo differt ea, quæ lachrymam iſtam flavam à ſe emittit, quæ officinis noſtris Gutta Gemou *corrupte,* Indis Lonan Cambodia *vocitatur, eo quod in* Cambodia *vicina* Sinæ *regno Provincia proveniat.*

4. Cacavitzpatli, *ſeu medicina pabuli ſpinoſa, Recchi,* 198. Herba eſt caules breves ferens, & in ſtellæ modum per terram ſparſos, ac refertos *foliis* parvis, exilibus, & in ſphærulas aggregatis; ut & toto caulium diſcurſu longiuſcula & candentia juxta herbæ umbilicum *filamenta; radicem* vero parvam & fibratam. *Radices* tuſæ devoratæque ex vino *Metl* aut aqua trium drachmarum pondere, bilem & pituitam per inferna atque ſuperna dicuntur evacuare. Amaro ſapore conſtat planta, guttur urit, & gradu fere quarto exſiccat atque calefacit.

5. Anteuphorbium, *Dod. C. B. P. Ger. Park. Lob. Caſt. Tab.* Adverſus Euphorbii acrimoniam remedio indigenis fertur eſſe herba quæ ab effectu & contrariis facultatibus *Anteuphorbii* nomen accepit. *Cauliculos* hæc emittit complures, rotundos, virentes, atque circa eos *folia* qualia *Portulacæ. Radix* multas quoque habet propagines. Succo & hæc abundat, nequaquam acri, ſed lento & refrigerante, ardorem ac acrimoniam *Euphorbii* retundente. *Dod. V. icon. tab. æn. 37. Sectionis 7.*

6. Euphorbium *Cerei effigie caulibus craſſioribus, ſpinis validioribus armatum, Breyn. Prod. 2. Euphorbium, Dod. Lob. Lugd. C. B. P.* Ex *Inſulis Canarienſibus* anno 1695. plurimæ plantæ hujus ſpecei nobis importatæ ſunt; cum *ſeminibus* copioſis, rotundis, cannabina vix æquantibus, cinerei coloris. Horum tria in ſingulari *vaſculo triquetro*, cum angulis ex rotundis acutis, & quaſi compreſſis, aliorum hujus familiæ in modum, continentur. Ex his autem ſatis plantarum pullulavere cum binis foliolis ſeminalibus, cordiformibus, craſſiuſculis, è regione petiolis brevibus, cauliculo ſucculento adnatis. Atque ex horum medio (*plumæ* vice in aliis plantis) erigitur *ſtipes* quaſi novellus, quadratus, unciæ quadrantem latus, pollicem altus, qui craſſus apparet, fuſci coloris, cum ſpinulis ad angulos bifurcatis, & trifurcatis, concoloribus, ordine naſcentibus. Iſtam autem formam quadrangularem, per aliquot annos, haud dubio retinent; plantas enim dodrantales & pedales, conformes, in proportione craſſiores, & tunc viridiores, recepimus. Poſtea ſex angulos oſtendunt, ſpinulis ad angulos ejuſmodi armatæ; tunc aſſurgentes in octo angulos accreſcunt, & in ramuſculos craſſos, ex rotundis anguloſos, longos quaſi *Cucumeres* referentes, ſe dividunt, ſpinis albicantibus, pluribus, ſtellatim naſcentibus duplici fere ordine armatos. Verum ad quam altitudinem ſponte aſſurgant, ipſi non novimus; apud nos ſolum bipedales ſunt & tripedales, & in juventute forte allatæ ſunt. *E cortice quomodolibet fracto lac viroſum copioſe effluit. V. icon. tab. æn. 37. Sectionis 7.*

D. Pomet Pariſienſis in Aromatum Hiſtoria, pag. 268. *caules* floreſcentes è medio pedeque foliorum aſſurgentes, non ramoſos, graciles, longitudinem foliorum ſuperantes, *floribus* parvis onuſtos, ſculpſit: ſed cum inibi imperfecte ſunt flores delineati, nec literis expreſſi, ſilentio præterimus.

Africana *terra gaudet, è qua ſuccus concretus pro mercimonio importatur.*

7. Tithymalus *Africanus ſpinoſus Cerei effigie, è Cod. Compt.* Nobilis hujus Plantæ effigies in collectione *Comptoniana*, ex *Africa* recepta, depicta eſt. E *radice* fibrata, *ramulis* geniculiſve deſtituta, ſimplex, ſemipedali aut dodrantali altitudine aſſurgit, & craſſitudinem *Cucumeris* ejuſdem longitudinis æquat, carnoſa ſubſtantia referta, profundis ſulcis, angulos circiter duodecim conſtituentibus, donata. Angulorum autem oræ pluſquam dimidio planæ ſunt & nudæ. Summitatem erga, & ubi ſe contrahere incipiunt ſpinis tripartitis ordine armatæ ſunt; inter quas in ſuperiore parte *fructus* virides, ſubrotundi, apicibus coccineis eleganter ornati, petiolis erectis, ſemuncialibus inſidentes proveniunt.

8. Euphorbium *Indicum Opuntiæ facie, caule geniculato triangulari, Breyn. Prod. 2. Schadida-calli, Hort. Mal. part. 2. pag.* 81. Frutex eſt altitudine duorum hominum, naſcens in arenoſis. *Stipes*, qui ex *radice* craſſa ſimplex exoritur, diverſis nodis diſtinctus; inter nodos in tres oras anguſtas eminentes, quæ planis lateribus terminantur, extenuatur; in oris angulis extuberat, inter angulos ſinuatus, & in angulis ſpinis rigidis, acutis, & rectis, fuſcis & nitentibus, quæ binatim ac cuſpidibus à ſe mutuo averſis prodeunt, munitus, cortice craſſo, exterius viridifuſco, intus ſub cortice *pulpa* humida & albicante, nullo ligno; ex qua, ut & è *cortice* inciſo, *lac* copioſius emanat. *Folia* in oris extuberantibus angulis, ſupra ex ſpinis ſurrecta prodeunt, & quidem rara in ſingulis angulis, unum numero in uno parvo, craſſo, plano, viridi ac lacteo pediculo, ſuntque minuta, rotunda, craſſa, lactea. *Flores* in oris prodeunt, maxime ex ſinubus cavis inter angulos extuberantes, terni ſimul in uno pediculo parvo, lacteo, craſſo, ex ſinubus recta exſurgente; conſtant autem *foliis* quinque curtis, craſſis, rigidis, planis in ſuperiore parte, medio corculo rotundoplano, piloſo, exterius ex viridi flavo colore. *Floribus* prodeuntibus *folia* mox decidunt. *Fructus* ſunt plani, ac tribus eminentibus rotundiolis ungulis conſtantes, lactei, & colore viridi; continentque in unoquoque angulo tanquam propria capſula *ſemen*, quod rotundum eſt ac cinereum.

Euphorbium *verum hoc eſſe* Jo. Comelinus Amſtelodamenſis, *& in Horti Mal. 2. part. Commentator, credit.* Plinius *herbam fœminino genere appellat; ſuccus enim* Euphorbion, *& quidem officinis quoque eſt, quod forte ex aliis etiam ſpeciebus extrahi poſſit.*

9. Euphorbii *facie erecta planta Americana flore cæruleo, Quauhcuitz placuitlapilli, Recchi.* 402. *Radix*

ex nigro colore pallida. Reliquum totum ex hac emergens unum corpus eſt, ex compactis quaſi *foliis* conſtans, fiſſuris ſtriiſque in longum diductis diſtinctum, quæ ſtriæ viridis ſaturati ſunt coloris; dilutioris vero foliorum dorſum, quod undique tuberculis ſpinoſis horret. *Flos* ex conglobatis tuberculis (ex quibus ſpinæ lenes exeunt ejuſdem coloris) qualis & in *Cinaræ* flore conſpicitur, conſtat. *Calyces* ſunt virides; aculei fuſci. *V. icon. tab. æn.* 37. *Sectionis* 7.

Euphorbii Vires & Uſus.

Succus *lacteus quoad vires & facultates cum* Tithymalis *convenit, & concretus acerrimum dicitur* Euphorbium; *candidum autem, flaveſcens, pellucidum, purum & acre genus eligendum eſt.*

Vehementer calidæ aut cauſticæ facultatis, & tenuium partium eſt; intro aſſumptum parva licet quantitate aquas, pituitam, & bilem, craſſos lentoſque humores, per inferna ducit. Sed non modo fauces ac os, ſed ventriculum, jecur, reliquaque viſcera accendit, exurit atque erodit, univerſumque corpus inflammat.

Externis uſibus adhibendum eſt, ſed caute ut ex verbis S. Pauli *facile conjici poſſit: Hoc (inquit) ingenue fateor, nunquam ægris ad internos morbos commendavi, ſed eo Chirurgos in fracturis oſſium corruptorum, ad ea mundanda ſemel atque iterum ex ſententia fuiſſe uſos vidi & obſervavi: quo quidem* Fallopius *nullum præſtantius eſſe aſſerit, quod citius corruptum os tollat. Sed cavendum eſt ne inſpergatur ulceribus faucium, narium, palati & linguæ, aut iis locis ubi tendines aut nervi patent & denudantur, ne mordicando & vellicando ſymptomata periculoſa excitet, ut* D. Tanc. Robinſon *ingenue monet.*

Bontius *in Indica ſua Hiſtoria lachrymam flavam (ut de* Eſula *ſua ante dictum)* Guttæ Gemou *corrupte in officinis, ut &* Guttæ Gamandra & Cambugio *(forte à* Cambodia *regno ubi naſcitur) aliiſque nominibus gaudere perhibet. Ad cachexiam, hydropem, paralyſin, & reliquos ſtuporem inducentes & frigidos affectus, qui levi pharmaco non moventur, utilis ea eſt; fortiter enim purgat, exigua vero quantitate à peritis uſurpatur. Quod ſi aceto aliiſque temperetur, magis proficua evadit.*

PLANTÆ TRICOCCÆ

Purgatrices non Lacteſcentes.

CAPUT VI.

Ricinus.

RIcinus, *Ægyptiis κίκι, Græcis κρότων dicitur, ab animali cujus formam fructus ejus refert. Sunt autem κρότωνες inſecta quædam nullis membris diſcreta, Ricini dicta.*

Ricinus eſt planta non lacteſcens, *floribus* falſis & inutilibus, & *fructu* triquetro donata, in cujus quolibet conceptaculo *ſemen* continetur ſingulare, ut in *Tithymalo* fieri amat.

TABULA VI. SECT. X.

Ricinus foliis
- *diviſis*
  - *major*
    1. *Vulgaris, C. B. P. J. B. Cam. Eyſt. Palma Chriſti, Tab. Caſ.*
    2. *Africanus maximus caule geniculato rutilante, Hort. Reg. Par. & Hort. Lugd. Bat.*
       Idem totus ruber Indicus.
    3. *Americanus minor, C. B. P. Minor, Eyſt.*
    4. *Minimus dictus, Prælud, Bot.*
    5. *Madraſpatanus quinquifidis durioribus foliis in margine ſpinoſis, D. Pl. Phyt.*
    6. *Americanus folio Staphis agriæ, C. B. P. App.*
    7. *Mexicanus trifoliatus foliis non dentatis, Nobis. Ricinus Nova Hiſpaniæ, Recchi.*
    8. *Madraſpatenſis flore purpureo, trilobato folio mitibus denticellis crenato, D. Pluk. Phyt.*
    9. *Lacteſcens Fici foliis, ſpinulis mordacibus armatus, Cat. D. Baniſter.*
    10. *Surinamenſis foliis radiatis amplis ad centrum pene diviſis, fructu ficiformi.*
    11. *Americanus tenuiter diviſo folio, Breynei.*
    12. *Americanus pentaphyllos foliis ſubtus glaucis, Caſſava Barbadienſibus dictus, Manihot Indorum ſive Yucca foliis cannabinis, C. B. P.*
  - *minor*
    13. *Urens cannabinis foliis triphyllos è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt.*
    14. *Aſperior Alceæ Venetæ foliis aliquatenus accedens, è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt.*

15. *Americanus*

- *indiviſis*
  - *major*
    15. *Americanus major ſemine nigro, C. B. P.*
    16. *Indicus Solani foliis, Breyn.*
    17. *Indicus Perſicifolius, fructu rotundo glabro, Nobis. Bengieri, Hort. Mal.*
    18. *Indicus foliis ſubrotundis mucronatis, glabris pediculis longis inſidentibus, fructu oblongo glabro. Cadel-avanacu, Hort. Mal.*
    19. *Arbor Indica aromatica ſubhirſuta, laccam in granis fundens.*
    20. *Indicus ſemine ſpadiceo rubro minore, Naga-dante, Hort. Mal. Part. 10. pag. 151.*
    21. *Dulcis arboreſcens Americanus populea fronde argentea, D. Pluk. Phyt.*
  - *minor*
    22. *Parvus urens foliis querçinis Virginianus.*
    23. *Indicus foliis ſaligineis ſerratis, Nobis. Codi-avanacu, Hort. Mal.*
    24. *Althæa folio molli & incano acutiore, D. Pl. Phyt.*
    25. *Humilis Althæ folio, fructu verruceſo rotundo, Nobis. Heliotropium tricoccum, C. B. P.*
    26. *Fructu parvo fruticeſa Curaſſavica, folio phylli, Par. Bat. Prod.*

1. Ricinus *vulgaris, C. B. P. J. B. Cam. Ricinus major, Eyſt. Palma Chriſti, Tab. Cæſ. Nhambu Guacu, ſive Ricinus Americana, Piſ. Ricinus ſive Cataputia major vulgaris, Park. Ger. Dod. Tab.* Altitudinem novem decemve pedum acquirit. *Stipites* qui à *radice* fibroſa aſſurgunt geniculati ſunt, cavi, ac fungoſo, albo, ſubflavo, molli, ſiccoque corculo intus obducti, in geniculis fungolo, albicante, molli interſepimento clauſi, raro ligno, (ut & ſurculi quos è geniculis ejiciunt) *cortice* amaro, & maxime pungente ſeu lancinante linguam. *Folia* pediculis longis inſidentia ad dimidium diviſa, ſtelliformia ſunt, ſeptem aut etiam octo cuſpidum, quæ verſus partem anteriorem longius excurrunt in margine acutis dentibus inciſa, viridia, mollia, glabra, & petaſum amplitudine æquantia, umbilicata, & non ad centrum diviſa. Foliorum coſtæ pro numero cuſpidum ex ſummitate petioli velut radii è ſuo centro exeunt, & ſingulæ in cuſpidem deſinunt. In ſummitatibus erecte racematim congeſtæ ſunt *gemmæ* virides, gemmas *Capparis* æmulantes, quarum ſingulæ in quinque aut ſex petalis ex viridi flavis ſe laxant, aperiunt & *flores* demonſtrant, numeroſis ſtaminulis ſeu apicibus ſubflavis refertos. Hi *flores* falſi, inanes & ſteriles ſunt; inferiore vero parte ejuſdem racemi *fructus* de petiolis biuncialibus & nonnihil incurvis dependent, ſuntque capitula rotunda, parum oblonga, pollicaris craſſitudinis, & trium oblongorotundorum laterum, quæ ſingula in medio in longum una ſutura ſtriata, exterius viridis coloris ac cæruleo rore conſperſa, aculeis viridibus, foliaceis obſita, florum rationem nonnullis habere videntur. Oſtendunt autem in vertice umbilicum rubrum ex tribus petalis quaſi conſtantem (qualia in *Juglande* bina) qui poſtmodum fuſceſcens decidit. In fructibus tria continentur *ſemina*, intra unumquodque latus; tanquam in propria capſula unum numero, membranis lignoſis ſeu corneis, (quæ ſtylo medio & angulis laterum adſtrictæ ſunt) à reliquis ſejunctum. Sunt autem *ſemina* forma rotundo-oblonga, & figura pineis ſimilia, lævia, ſpadiceofuſci coloris, ac cinereis undulis variegata, *Ricinique* animalculi æmula.

In omnibus fere calidioribus regionibus, & Orientali & Occidentali India, *ſponte provenit, & in arborem pene adoleſcit & per multos annos durat; in biſce vero Borealibus quotannis è ſemine ortum habet. V. icon. tab. æn. 3.*

Hujus generis aliæ quædam ſuccedentes, variis regionibus naſcentes, varietates quaſi apparent, quales ſunt

2. Ricinus *Africanus maximus caule geniculato rutilante, Hort. Reg. Par. & Hort. Lugd. Bat. Forte Pandi-avanacu, Hort. Mal. Part. 2. p. 60.* In totum differt quod altius aſſurgat, quodque *ſtipitibus* & *ramis* ſit valde rubris ſeu miniatis & nitentibus; *foliis, floribus,* & *fructibus* paulo majoribus.

Idem totus ruber Indicus, Hermanni. Et Ricinus Amer. major caule vireſcenti, H. R. Par. 156. Avanacu S. Citavanacu, H. Mal. Tom. 2. fig. 32.

3. Ricinus *Americanus minor, C. B. P. Minor, Eyſt. Eraway, Cluſ. Exot.* Altitudinem tripedalem raro ſuperat, & quoad omnes ſuas partes minor præcedenti evadit.

Hujus alteram varietatem ex *Java* accepimus, *foliis quoque umbilicatis, in longiores & anguſtiores cuſpides diviſis.*

4. Ricinus *Americanus minimus, Moriſ. Prælud. Bot.* Omnibus ſuis partibus antecedentibus cedit, quoad *folia, ſemina, cauliumque* altitudinem.

5. Ricinus *Madraſpatanus quinquifidis durioribuſque foliis in margine ſpinoſis, D. Pluk. Phyt. T. 108. Hujus exemplar, quod humanitati Cl. D. Gyfford amici ſingularis acceptum debemus,* ſtipitem monſtrat aliorum conſimilem, cujus ſummitas *pilis* longis foliaceis, imo uncialibus, veſtita eſt. Inter hos *pediculi* exeunt palmares, quibus *folia* glabra, rigidiuſcula, palmum lata, in quinque partes unciales diviſa, in ambitu ſpinulis innocentibus crenata, inſident. Laciniæ vero ad centrum uſque non deſcendunt; una ſolum ad pediculum (ut in *Vitis* folio res habet) ſecta eſt.

6. Ricinus *Americanus folio Staphis agriæ, C. B. P. App. Ricinus Indicus piloſus trifidus vel quinquifidus floſculis atropurpureis in umbella aggregatis, D. Pluk. Phyt. Tab. 56. 2. Ricinus Braſilienſis perennis flore purpureo, folio Staphidis agriæ nonnihil ſimilibus, Par. Bat. Prod. Stipes* lignoſus craſſus rufeſcens, & circa foliorum exortum hirſutus; quem *folia* pallide virentia, pediculis oblongis & hirſutie aſperis donata, ambiunt. Folia inferiora ad foliorum *Ficus* formam nonnihil accedunt, & in lacinias quinque diviſa ſunt; ſuperiora vero quæ *Staphidis agriæ* foliis ſimiliora, in ternas lacinias ſecta ſunt. Omnia vero per circumferentiam crenis acutis exaſperantur, & nonnihil pubeſcunt, ita ut attactu mollia ſint. Caulis ſummitas in ramulos aliquot villoſos dividitur, quibus *flores* quinquefolii, ex intenſa purpura rubentes inſident. *C. B.*

7. Ricinus *Mexicanus trifoliatus glaber, foliis non dentatis, Nobis. Ricinus Novæ Hiſpaniæ, Hucipochotl Huaxacenſi, Recchi,* 60. Arbuſcula eſt vitium modo ſerpens, ſinuoſis ac tricuſpidis foliis, floribus coc-

cineis, parvis, & aggregatis in comam; unde generantur *fructus Nucis* pene *Pontica* forma, ac magnitudine, & ternos includentes, aliorum *Ricinorum* more, candicantes nucleos.

Toto anno folia, flores & fructus fert.

8. Ricinus *Madraſpatanus flore purpureo, trilobato folio mitibus denticellis crenato, D. Pluk. Phyt. Tab.* 220. 4. *An Ricinus Americanus lacteſcens trilobato folio perennis, flore nigricante, Hort. Beaumont?* Huic *caulis* in ſuperiore parte, ad pediculorum triuncialium alas, pilos longos, confertos, emittit. *Folia* trifariam partita, glabra, integra in fundo, in margine denticulis muricata ſunt. *Flores* in ſummitate ex quinque petalis purpureis conſtructi, non racematim, ut in vulgari, ſed variis petiolis corymbatim ſparſi ſunt; quibus *vaſcula* ſeminalia (uti in aliis) triquetra, glabra ſuccedunt.

9. Ricinus *Virginianus lacteſcens Fici foliis ſpinulis mordacibus armatis, D. Pluk. Alm.* 320. *Phyt. Tab.* 220. *Ricinus humilis lacteſcens Fici foliis, flore lacteo pentapetalo, caule, foliis & capſulis ſeminalibus ſpinulis Urticarum more pungentibus armatis. Cat. D. Baniſter. Ricinus Tithymaloides Americanus lacteſcens & urens floribus albis, Par. Bat. Prod. Brancamos Luſitanis, Marcgrav.* Ricinus hic ad bipedalem aut tripedalem altitudinem aſſurgit, caulibus viridibus, & foliis palmo amplioribus, foliaque Peponum æmulantibus, in ambitu diviſis, aſperitatemque Peponum (præ longis ſuis pilis albis ſcatentibus) ſuperantibus donatus. *Flores* in ſummis caulibus corymbatim ſunt diſpoſiti, pentapetali, albi, petiolis etiam pilis mordacibus & urentibus, ſpinuliſve confertis, armatis. *Fructus* ut in aliis triqueter, parvus, rotundus, ſpinulis conſimilibus penitus obducitur.

10. Ricinus *Surinamenſis foliis radiatis amplis ad centrum pene diviſis, fructu ficiformi. Inter majores haud dubio numeretur hic Ricinus, ex Inſula Barbadienſi nobis allatus.* Ejus *folia* in pedalem latitudinem extenſa, ſuperius viridia, glabra, inferius ad cinereum glaucumve colorem tendentia, pediculis pedalibus inſidentia, ex decem duodecimve radiis, ad medietatem pene diviſis, uncialis plus minus latitudinis compoſita ſunt; qui quidem radii frequenter uno margine plano donati, cum alter oppoſitus in dentem longum & acutum, imo uncialem, unum aut alterum laciniatus eſt; interdum etiam utrinque ad eundem modum diviſi ſunt, in longam cuſpidem deſinentes. *Fructus* nobis tranſmiſſus eſt, glaber, ficiformis, ſeu ex anguſto principio in pollicarem latitudinem intumeſcens, in tres cellulas, ut in aliis fit, diviſus; quarum quælibet *ſemen* ſingulare, ſatis magnum, ſubnigrum, continet.

11. Ricinus *Americanus tenuiter diviſo folio, Breyn. Cent.* 1. 116. *French Phyſick-nut Barbadienſibus Incolis dictus.* An Avellana purgatrix *Lugd. p.* 1789. *Park. p.* 1621. *C. B. P.* 418? Huic *caulis* rectus, pollicaris, lævis, ex viridi purpuraſcens & poſtea maculatus, erigitur, in faſtigio *foliis* ornatus, inferius glaucis, ſuperius atrovirentibus, magnitudine & diviſura *Aconiti* ſeu *Geranii batrachoidis*, ſubſtantia tamen *Ricini*. Folia autem in ſeptem, octo, novem imo decem acuminata, aſt *Coronopi* foliorum inſtar laciniata, antecedentis multo anguſtiora ſunt. *Fructus Juglandis minoris* fere facie & magnitudine, cordiformis, in duas aut tres concamerationes intus diviſus; in quarum quavis *ſemen Avellanæ* magnitudine continetur. *V. icon. tab. æn.* 3.

12. Ricinus *Americanus pentaphyllos, radiis foliorum integris, ſubtus glaucis, Caſſava Barbadienſibus dictus, Manihot Indorum ſive Yucca foliis cannabinis, C. B. P. Yucca & Caſſavi, J. B. Manuba & Manduba Braſilienſibus, cujus radix Mandihoca, Piſ. & Marcgr. Hiuca ſive Mizmaitl, Terent. apud Hernand. Yucca Braſiliana & Americana ſtellato folio mucronato, Montingii.* Ex hujus Ricini caudice molli oriuntur petioli dodrantales, qui *folia* pentaphyllea, ſuperius viridia, glabra, è contra glauco albenteve colore obducta, ſuſtinent. Foliorum radii ad centrum non omnino diviſi, tres quatuorve uncias longi, unam aut alteram in medio lati, in mucronem deſinunt, marginibus integris, & nullo modo ut in duobus proxime ſuperius explicatis diviſi. *Fructus* apparent ſubrotundi, exterius carnoſa pelle rugoſa tecti, qui in tres cellulas è duriore, cartilaginea ſeu lignoſa materia confectas, ſe dividunt. In cellularum qualibet *ſemen* unicum, *Ricini minoris* æmulum maculatum, includitur. Datur & hujus varietas *foliis anguſtioribus mucronatis.*

13. Ricinus *minor urens Cannabinis foliis triphyllos è Madraſpatan, D. Pluk. Phyt. T.* 120. *An Urtica Indica pentaphyllea Claſſi? Mich. Nutii Catal.* Hæc Ricini ſpecies *caule* erigitur erecto, tenuiore, molli lanugine pubeſcente, qui *folia* alternatim pediculis uncialibus inſidentia, anguſta, trifida, & cannabina, acuta hirſutie piloſa, in ambitu dentata, emittit. E foliorum alis in petiolis biuncialibus proveniunt *flores* cum *fructibus* trifidis, parvis, rotundis, piloſis, qui calyci quinquepartito & ſtellato piloſoque inſidentes, petiolo arcte adhærent.

14. Ricinus *minor aſperior Alceæ Venetæ foliis aliquatenus accedens, Madraſpatanus, D. Pluk. Phyt. T.* 220. Elegans hæc planta in collectione *D. du Bois* obſervata, in *cauliculo* pilis exaſperato *folia* habet è pediculis brevibus provenientia, in tres lobos inſeparatos diviſa, margine crenatos & obtuſos, quorum medius, ut in brevibus provenientia, in tres lobos inſeparatos diviſa, margine crenatos & obtuſos, quorum medius, ut in *Alcea Veneta* videre licet, in inſignem longitudinem porrectus eſt. Ad petioli exortum binæ prodeunt auriculæ foliaceæ, & ex earum alis *petioli* nudi, unciales & biunciales, & in iis *fructus* unus vel alter, parvus, ex tribus *ſeminibus* rotundis, conjunctis, conſtructus, ſuſtinetur.

15. Ricinus *Americanus major ſemine nigro, C. B. P. Mundui Guacu Braſilienſibus, Marcgr. & Piſ. Ricinus Americanus, Curcas Incolis, Cluſ. in Monard. Ricinus major Amer. Curcus dictus & Faba purgatrix India Occiduæ, J. B. Quauhayo huatlis Recchi. p.* 87. Ligno molli & fragili *Ficus* modo arboreſcit. *Folia* inordinate poſita, viridia, palmaria, plerumque integra, quinis angulis donata, ſeptem nervis à ſummitate pediculi dodrantalis decurrentibus inſignita, viridia & mollia ſunt; quædam enim ad foliorum *Ficus* formam accedentia, in quinque lacinias diviſa ſunt. *Floſculos* fert copioſos racematim, parvos, pentapetalos, ſubvirides, in medio flavis ſtaminibus, quæ decangularem ſtellam referunt, inſignes. *Fructus* inſtar *Juglandis* mediocris, maturus ſubfuſcus nigerve, in tres partes ſponte finditur; & in quolibet fructu tres nuces, pineis ſimiles, oblongæ, nigricantes, includuntur. Nucleus in quavis nuce pellicula alba, laxa tegitur, qua adempta, ſuaves & edules redduntur nuces, relicta vero & comeſta, valide purgant.

In pluribus Americæ *Inſulis regionibuſque Occidentalibus provenit; & fructus à noſtratibus* Phyſick-nuts *appellantur. V. icon. tab. æn.* 3.

16. Ricinus *minor Indicus Solani foliis, Breyn. Cent.* 1. *Rami*, qui duo Auctori fuere hujus plantæ, ſeſquipedalis erant longitudinis, teretes, glabri, inanes, diluto virore tincti, ac enodes. Hos è contrario *folia* laxis dentibus circumſerrata, pediculis pene uncialibus inſidentia ambiunt, *Solani* non admodum diſſimilia, longiora

longiora vero, magisque venosa, ac teneriora, & substantia *Ricini*, eodemque ferme colore, utpote superius saturate, inferius dilute virentia, ac ibidem nervum, venas, fibrasque magis conspicuas habentia. E singulis horum alis singuli surculi *flosculos* longa serie muscosos racematim sustinentes, unciales prominent; in quorum nonnullis *fructus* modo unus, in aliis duo, pedunculis teneris dependentes visuntur triquetri, quoad magnitudinem, formam, & colorem à *Lathyridis* fructibus nihil discrepantes, nisi quod brevi quadam incana lanugine, instar caulium *Tuliparum*, gaudeant. Hi maturitatem adepti dissiliunt in tres capsulas, quarum quælibet in partes duas cum impetu se aperit, & semine coloris lividi, *Lathyridis* non majore aut magis splendente, maculisque nigris, (*Ricini* majoris è *Guinea* in modum) eleganter variegato se exonerat. *V. icon. tab. an.* 3.

17. Ricinus *Indicus lactescens Persicifolius, foliis longè dentatis, fructu rotundo glabro, Nobis. Bengieri, Hort. Mal. Part.* 4. *p.* 105. Arbor est mediæ magnitudinis, ramulis cinereis, intus fungosis. *Folia* alternatim brevibus petiolis circa ramulos proveniunt, oblonga, acuminata, in ambitu serrata, glabra. *Flosculi* exigui in surculorum extremitatibus racematim proveniunt, è tribus staminulis luteis apicibus ornatis constantes. At vero hi flosculi *Juli* potius dicendi sunt, cum ex iis fructus non enascuntur; sed infra flosculorum analogice dictorum racemos seu potius spicas, *gemma* observatur oblongorotunda, tria emittens reflexa, albicantia, flavescentibus apicibus ornata *filamenta*. *Gemma* autem isthæc inodora, insipida, ipsius fructus rudimentum est. *Fructus* rotundi, virides, crasso cortice tecti, bina ternave *semina* includentes.

Crescit locis arenosis & humidis in Malabar, *præsertim circa* Cochin; *semper viret; quotannis maturos fert fructus, mense viz. Decembri.*

18. Ricinus *Indicus foliis subrotundis mucronatis glabris, pediculis longis insidentibus, fructu oblongo glabro. Cadel-avanacu, Hort. Mal. Part.* 4. *p.* 61. *Ricinus Orientalis cujus fructus sunt Pinei nuclei Maluccani à nobis putati, & Grana-Tilli officinarum, D. Pluk. Almagest.* 320. Frutex est in arenosis nascens, cujus stipites ac surculi solidi sunt. *Folia* quæ ex pediculis tenuibus quatuor pollices longis proveniunt, oblongorotunda sunt, anterius in cuspidem stricta, ad petiolum lata curvitate, rotundis oris tenuibus, & raris in margine denticulis, maxima ad petiolum latitudine, superficie plana, glabra, & textura tenui ac subtili. *Flores* proveniunt in summitate surculorum coloris albicantis. *Fructus* plures pedunculis brevibus tenuibus appendent oblongi, glabri. *Semina* intus tria continentur, coloris in totum nigricantis & parum nitentis.

19. Ricinus *arbor Indica aromatica, subhirsuta, laccam in granis fundens, fructibus subhirsutis minimis, Kappathia dicta, Hermanni.* Ramusculum floribus ornatum, & semina ejusdem, humanitati *Cl. Hermanni* debemus accepta. Ramusculus autem molli lanugine pubescit, ostenditque *folia* ad uncialem & biuncialem intercapedinem, alterno ordine, petiolis uncialibus & biuncialibus insidentia, ad petiolum subrotunda, binas aut ternas uncias lata, in mucronem exporrecta, in ambitu leviter dentata, brevique lanugine obsita, emergentia. *Flores* spicatim & racematim in summo proveniunt, parvuli, quorum color in planta ficca haud facile percipitur. *Fructus* parvi, rotundi, exterius villosi sunt, & *Ricinorum* ritu, in tres partes, per maturitatem, se aperiunt, & tria *semina* inclusa, cannabinis æqualia demonstrant.

20. Ricinus *Indicus semine spadiceo rubro minore, Nagadante, Hort. Mal. Part.* 10. *pag.* 151. *Stipes* crassus est; *rami* virides intus medulla instructi. *Folia* in petiolis proveniunt oblongis, rotundis, pilosis, oblonga, in cuspidem oblongam definentia, in oris dentibus eminentia, pilis hirsutis utrinque obsita, aspera. *Flores* plures congregati proveniunt, gemmarum ad instar parvarum, quarum petala surrecta & superiori parte ex viridi colore flavescentia. *Stylus* trifurcatus est & è viridi colore dilutus, ejusque *furculæ* superne latiores & in medio bifidæ. *Fructus* trilaterales sunt, eorumque singula latera rotunda, in medio satura, striata, *cuticulam* habent tenuem ac viridifuscam, cartilagineum, crassum ac durum corticem involventem; intra quem tria in distinctis loculis continentur *semina* oblonga, exterius convexa, coloris spadiceorubri, capitulo candido ornata.

Folia radix *atque* fructus *tanta purgandi pollent vi & efficacia, ut solus odor catharsin excitet.*

21. Ricinus *dulcis fruteſcens Americanus Populea fronde argentea, sive foliis Populi nigræ argenteis, Breyn. Prod.* 20. *Ricini fructu arbor Curassavica foliis Ziziphi argenteæ Zeylanicæ, Par. Bat. Prod.* 370. *Cinnamomum sylvestre vulgo. Forte etiam Quauhayobuatli Mexicensibus* 3. *sive semine Arboris Cucurbinæ, nuclei pinus forma purgante, Recch. p.* 87. De *foliis* duntaxat verba faciemus, quæ à caule pediculis insidentia, inordinatim posita, subrotunda aut cordiformia, in mucronem acutiorem extenuata, marginibus æqualibus & non dentatis donata sunt, foliaque *Syringæ Arabicæ*, quoad formam, referentia, supina parte viridia, argenteo vero nitore ex aversa obsita.

22. Ricinus *parvus urens foliis quercinis Virginianus.* Planta hæc dodrantalis & pedalis à *D. Jo. Banister* accepta, erecta, *cauliculo* diviso rarius assurgit, villo urenti obducto. *Folia* huic sine ordine, pediculisque destituta, uncialia & biuncialia, latiuscula, quercina, quibusdam laciniis denticulationibusve sinuata, apponuntur; & ad foliorum exortum auriculæ binæ acutæ adnascuntur. E foliorum supremorum alis *petioli* rariores, *flores* & *capsulas seminales* parvas, triquetras, rotundiusculas, gerentes, proveniunt.

23. Ricinus *Indicus minor foliis saligneis serratis. Codi-avanacu, Hort. Mal. Part.* 2. 63. Ad altitudinem duum triumve pedum, *ramis* in latum diffusis, assurgit. *Stipites* viridiclari, tenues & solidi sunt. *Folia* quæ hinc inde in surculis, breviſſimis petiolis proveniunt, valde parva sunt, ac forma angusta oblonga, ad tactum plana, lenia, mollia, in margine minutissimis, condensis ac viridiluteis denticulis seu crenulis incisa. *Flores* è foliorum alis proveniunt, suntque gemmulæ ex viridiflavo colore dilutæ, petiolis circumpositæ. *Fructus* succedit, unus numero in quolibet breviore petiolo, aculeis foliaceis, ut in vulgari obsitus, sed in omnibus minor evadit. *Semina* quoque minora sunt.

24. Ricinus *Althææ folio molli & incano longiore & acutiore, Madrasspatanus, D. Pluk. Phyt. Tab.* 120. Ricinus hic minor *caule* erecto glabro assurgit; cui hinc inde nascuntur *folia* biuncialis longitudinis & *Menthæ hortensis* foliorum latitudinem æquantia, & crenis donata, in mucronem acutum definentia, mollia, & ex viridi colore albicantia, pediculis curtis adhærentia. Ex istorum sinubus exeunt petioli semunciales & unciales, *flores* arcte adhærentes, ut in aliis hujus familiæ, sustinentes, & *pericarpia seminalia* parva, trifida, ex rotundis simul junctis *seminibus* confecta.

25. Ricinus *humilis Althææ folio, fructu verrucoso rotundo, Nobis. Heliotropium tricoccum, C. B. P. J. B. Cæs. Tab. Ger. Heliotropium minus tricoccum, Clus. Heliotropium vulgare Tornesol Gallorum sive Plinii tricoccon,*

Adv. *Radix* ei ſubeſt lignoſa, ſimplex, paucis apophyſibus fibrata, annua. Caulis pedalis, rectus, ramoſus, incano tomento obſitus, ſicuti & folia, *Heliotropii majoris* ſimilia, majora, ſinnata, nervoſa, mollia. *Flores* racematim in privatis pedicellis cohærent, exigui, luteoli, nullum poſt ſe *ſemen* relinquentes (quod *Ricinis* proprium eſt) ſiliquæ enim nullo præcedente flore ex alarum cavitatibus exeunt, & longis petiolis dependentes, ſub foliis quaſi occultatæ, tricoccæ, cinerei coloris, aſpera ſuperficie & verrucoſa ſunt. His autem dehiſcentibus *ſemen* exilit cinereum.

Paſſim circa Monſpelium *æſtate & autumno, aliiſque* Galliæ Narbonenſis *locis in ſatis reperitur.*

26. Ricinus *fruticoſus Curaſſavicus fructu parvo, folio Phylli, Nobis.* *Ricini fructu parvo fruticoſa Curaſſavica, folio phylli, Par. Bat. Prod.* Huic novæ plantæ *cauliculi* pedales, lignoſi, tenues, nunc erecti, nunc humi procumbentes, *Halimi vulgaris* ſimiles ſunt, tomentoſa, candida lanugine, uti & folia, obſiti; quæ quidem *folia* uncialia, ovalia, pediculis ſemuncialibus & uncialibus inſidentia, inordinatim (interdum enim è regione, interdum etiam alternatim) cauliculis modo diviſis, modoque indiviſis, ſparguntur. *Flores* exigui raro niſi in caulium ſummitatibus naſcuntur, quibus *capſulæ ſeminales* parvæ, rotundæ, tomento albicantes, ſuccedunt.

In Horto Regio celebertimo Hamptonienſi *inter quamplurimas alias plantas rariſſimas adſervatur.*

Ricini Vires & Uſus.

Decoctum foliorum *ſumptum juvat in tympanide, aſthmate, & igne ſacro, uti & in podagra.*

Folia *trita & capiti appoſita ejus dolorem ſedant; eadem igne toſta, in podagra ſedanda (parti effectæ applicata) uſum habent.*

Fructus *purgativi ſunt, ſi in pulverem frixi cum ſaccharo dentur.* Oleum *quoque ex ſeminibus expreſſum, purgativum eſt; quod etiam cum lacte dulci epotum purgat, ac doloribus ventris ſiſtendis confert; juvat etiam in doloribus corporis olei perunctio.*

Brevi, ſemina *valde ſunt purgativa; ſed* nuclei *in officulis incluſi, cuticula alba, laxa, involvente deraſa, tuto comeduntur; hac vero relicta vehementer purgant, atque hoc in fraudem vertit advenis quos, ſeminibus cuticula non deraſa abſorptis, alvum exonerantes ludificantur naſuti (ſi diis placet) Indigenæ.*

Ricini minoris, Heliotropii tricocci *dicti capita ſive capſulæ ſeminales pannis affricatæ, florido viridi colore eos inficiunt, qui temporis momento in caruleum, eumque elegantem mutatur.* Cluſ. *Panni bi aquæ intincti & expreſſi eam purpureo eleganti colore imbuunt, vini rubri æmulo, eorumque uſus eſt ad gelatinas, ſtriblitas, aliaquè hujuſmodi ſcitamenta coloranda.*

Finis Sectionis decimæ Partis tertiæ.

PLANTA-

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis
PARTIS III. SECTIO XI.

De monopetalis tetracarpis.

Quandoquidem in Plantarum diſpoſitione memoriæ adjuvandæ & doctrinæ Botanicæ illuſtrandæ ergo, illas primo quibus ſemina ſolitaria, *deinde* bina, *poſtremo* terna, *poſt flores evanidos ſuccedunt, in præcedentibus Sectionibus ſigillatim inveſtigavimus: nobis nunc viſum eſt ad monopetalas progredi, quibus* quaterna ſemina *calyculorum in fundo naſcuntur, quæque* Verticillatæ Galeatæ *appellantur. Harum pars maxima odorem ſpirat aromaticum; quædam ſunt graveolentes; paucæ admodum languente aut nullo odore præditæ.*

Planta Verticillata *& galeata eſt, cujus* flores *caſſidiformes, cum ſuis calyculis, in modum verticilli, caulem ad genicula circulariter ambiunt. Hujus* caulis *quadratus ut plurimum, ſemper foliis ex adverſo binis donatus, ſitum alternatim mutantibus, hoc eſt, ſi primum par ſeu jugum prorſum verſum ſpectet, ſecundum dextrorſum & ſiniſtrorſum exſtat; & ſic deinceps a tertio ad ſummum par.*

Flores *autem* galeati *ſunt in fundo integri, infundibuli inſtar, in margine irregulari modo quadrifariam diviſi; quorum partes ſeu ſegmenta ita efformantur, ut ſi totum florem attente inſpexeris, militis galeam apte ſatis exprimere pronunciaris. Pars floris ſuperior* galea *ſimpliciter dicta eſt; ſubtus in ipſo rictu ſunt binæ aliæ particulæ laterales utrinque flori connatæ. Has (ſi lubet)* bucculas *appellaveris. Inferius dependet* mentum, *communius* labium *dictum. In aliquibus* mentum, *in aliis* galea *eſt major; & interdum* flos *æqualibus ſegmentis æqualiter quadrifidus apparet, ſed ſemper* quadrifidus.

Harum ex triplici diſpoſitione verticillorum triplex oritur diviſio ſecundum quam in paginis ſequentibus triplici modo diſponuntur. Et primo quidem occurrunt Galeatæ ſpicatæ ſeu verticillis ſpicatis. 2^do. Galeatæ verticillis denſius per intervalla diſpoſitis. 3^o. Galeatæ verticillis rarius per intervalla diſpoſitis. Galeatæ ſpicatæ *ſunt quæ* verticillos *habent (ſaltem ſuperiores) ſibi invicem incumbentes, ſeu nullo interpoſito ſpatio ſe mutuo tangentes, & in* ſpicam *aſſurgentes.*

Galeatæ *quæ* verticillos habent per intervalla diſpoſitos, *ſeu a ſe invicem intercapedine diſtantes, ſunt* 1^mo. *Quorum verticilli nullis innixi pediculis, caulem arcte cingunt, & circa quem denſo ordine conglomerantur.* 2^do. *Quorum verticilli pediculis longiuſculis donati ſunt, & rariore ordine cauli laxius circumfunduntur; ac non eodem modo & eadem forma ſemper provenientes, nec in omnibus quidem caulem ad omne latus cingentes.*

Hiſce adjicientur aliæ quædam Plantæ, hunc locum non incongrue occupaturæ: v.g. Galeatæ non verticillatæ; tetracarpæ floribus galea carentibus; *& aliæ* poſt ſingulos flores ſemina plurima proferentes; *quibus etiam adnectuntur paucæ* Verticillatæ non galeatæ.

Hoc

Hoc ſuperato clivo, recta via deſcendimus ad Monopetalas tetracarpas Aſperifolias *dictas. His pleriſque omnibus* folia *rigidiuſcula, pilis exaſperata, per caulem inordinatim diſpoſita*; flores *tubuloſi & in fundo integri, in margine quinquifidi; quinquepartitis itidem calycibus utriculiſve enaſcentibus, quibus ſubſunt* ſemina quaterna; *idque ſecundum ordinem naturæ invariabilem obſervatur, modo cæli malevolentia, ſoli ſterilitas, aut alimenti defectus, ordinem iſtum non perturbet.*

SECTIONIS UNDECIMÆ

Diſtributio Prima.

DE PLANTIS VERTICILLATIS

Galeatis ſpicatis.

Lavendula, Stœchas, Polium, Dictamnus, Majorana, & Origanum, Hyſſopus, Coris, Prunella, Betonica, & Mentha ſpicata.

CAPUT I.

Lavendula.

LAvendula & Lavandula *dicitur, quod in balneis & lavacris expetatur; omnibuſque rebus lotis ſi permiſceatur, ſuavem conciliet odorem.*

Lavendula foliis ſuis incanis & odore inter cæteras odoriferas, ſpiciſque in ſummitatibus, notu perquam facilis eſt.

TABULA I. SECT. XI.

Lavendula folio
- *integro*
  1. *Major vulgaris, Nobis. Lavandula latifolia, C. B. P. Pſeudonardus quæ Spica vulgo, J. B.*
  2. *Latiore ſterilis.*
  3. *Minor ſpica breviore, Nobis. Lavandula anguſtifolia, C. B. P. Pſeudonardus quæ vulgo Lavendula, J. B.*
- *multifido*
  4. *Hiſpanica, Nobis. Lavandula folio diſſecto, C. B. P. Stœchas multifida, Ger.*
  5. *Canarica foliis tenuius diviſis.*

1. Lavendula *major ſive vulgaris, Park. Lavandula latifolia, C. B. P. Lavandula altera longiore folio & ſpica, C. B. P. Nardus Italica, Lob. Pſeudonardus quæ Spica vulgo, J. B.* *Radicibus* firmatur fibroſis & lignoſis; è quibus ramuli fruticoſi, angulares, ſeſquicubitales & bicubitales, enaſcuntur. Circa ramuſculorum genicula *folia* biuncialia & longiora, quadrantem lata, ſubalbidi viroris, & odoris aliquantum acuti, binatim è regione, emittit; æque tamen numeroſa ſerie digeſta, in virgis plurimis lignoſis, quadrangulis, quæ longe ab illis in *ſpicas* oblongiuſculas faſtigiatim farciuntur. Spicæ iſtæ acutæ digiti humani longitudinis, ex cæruleis calyculis arcte ſibi adhærentibus, & verticillis contiguis appoſitis, componuntur; ex hiſce enim calyculis conceptaculiſve *flores* cærulei, galeati, ſubtus tubuloſi, emicant; atque his marcidis, poſtmodum in iiſdem conceptaculis calyculatis *ſemina* quaterna, exigua fuſca, lævia, ſuccedunt.

Eadem *albis floribus quandoque reperitur. V. icon. tab. an.* 1.

In montoſis Galloprovinciæ & Hiſpaniæ *apricis & petroſis locis ſponte provenit. Junio & Julio menſibus floret.*

2. Lavendula *latifolia ſterilis.* In Hortis noſtris ſatis familiaris fruteſcit hæc Lavendula, cujus *folia* latiora, breviora, obtuſiora, & quaſi concava, viridiora, crebriuſque conferta ſunt; grati etiam odoris. Dum hanc formam retinet, omnino ſterilis, floribuſque deſtituta eſt; plantis vero vetuſtioribus protruditur ramulus, unus vel alter præcedentis *vulgaris* ramulo tum albedine tum foliorum longitudine conſimilis, & in ſpicam ad eundem modum aſſurgens. Hoc autem raro obſervatur. Annon à vulgari degeneraverit in medio relinquimus; vultu certe plurimum abludit. *V. icon. tab. an.* 1.

3. Lavendula *minor ſive ſpica, Ger. Lavandula anguſtifolia, C. B. P. Spica Lavandula, Lob. Nardus vulgo, Geſn. Spica Nardi, Cam. Pſeudonardus quæ vulgo Lavendula, J. B. Lavendulæ vulgaris* facie aſſurgit, in omnibus vero minor & humilior eſt, *foliiſque* minoribus crebrius obſita. *Spicæ* habitiores, breviores, *flores* emittunt cæruleos, majores potius quam quæ in vulgari cernuntur.

In aridis & petroſis montoſis locis Italiæ & Hiſpaniæ *provenit. V. icon. tab. an.* 1.

Rarius *floribus albis* invenitur, unde *Spica vulgaris flore cæruleo & albo.* Eyſt.

4. Lavendula *multifido folio Hiſpanica, Nobis. Lavendula multifido folio, Cluſ. Hiſt. Lob. Lavendula folio diſſecto,*

diſſecto, C. B. P. Stœchas multifida, Ger. *Ramulis* aſſurgit cubitalibus, hirſutis, quadrangularibus; ad quorum geniculà *folia* è regione naſcentia, bina, lanuginoſa, uncialis latitudinis, *Abſinthii* fere in modum, tenuiter & multifariam diſſecta. In ſummis caulibus nudis aſſurgunt *ſpicæ*, Lavendulæ ſpicis craſſiores, ex pluribus *floſculis* galeatis, cæruleis, ex angulis præſertim provenientibus, & ſpicam quaſi quadratam efformantibus, compoſitæ.

In Hortis noſtris frigoris impatiens eſt, renovationemque quotannis poſtulat; ſed circa Malacam Bæticæ *urbem, ubi illam colle quodam vicino, & circa* Murciam, Cluſius *Februario & Martio menſibus florentem inveniebat, fortaſſe perennis ſit.*

5. Lavendula *Canarica foliis tenuius diviſis.* Nova hæc ſpecies, inter alias rariores è ſeminibus à *D. G. Londini* Hortulano Regio peritiſſimo ex Inſulis *Canaricis* comparatis, nobiſque humaniſſime communicatis, orta eſt. Quoad modum creſcendi cum priore convenit; *foliis* vero ampliora, *Abrotoni maris* forma tenuius ſunt inciſa. *Spicæ* etiam in longis *virgulis* nudis naſcentes, tenuiores, raro cernuntur ſimplices, ſed ex una aliæ minores laterales, tres, quatuor, & ſubinde plures, cæruleis floribus onuſtæ, conſpiciuntur.

Lavendulæ Temperamentum & Vires.

Excalefacit & ſiccat; partium eſt tenuium & penetrantium; aperit, reſolvit, & concoquit. Præcipuè in frigidis nervorum affectibus uſurpatur, necnon in capitis morbis à frigida intemperie ortum ducentibus. Quamobrem remedia ex hac (maxime in floribus *ac* ſpicis) *parata in Catarrhis, Paralyſi, Spaſmo, vertigine, lethargia, &c. ſunt efficacia. Menſes & urinas ciet; tum odore tum oleo pediculos capitis & inguinales enecat. Item oleo è regione pubis illita fœtum pellit.*

Stillatitia florum aqua pota amiſſam reddit loquelam; Eandem vim habet contra animi deliquia, cum pota, tum naribus & arteriis admota.

In balneis, ob qualitatem excalefacientem, corroborantem, & odorem reficientem, à pluribus uſurpatur.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ ſpicatæ.

CAPUT II.

Stœchas.

STœchas *quaſi* στοιχὰς, *id eſt ſpica dici exiſtimatur; vel ab Inſulis ejuſdem nominis (vulgo* Hyeres) *ubi copioſe naſcitur, nomen accepit.*

Stœchas Lavendulæ affinis eſt, ſed ab ea foliolis in ſpicarum ſummitate naſcentibus facile cernitur.

TABULA II. SECT. XI.

- *Stœchas folio*
  - *integro*
    1. *Brevioribus ligulis, Cluſ. Hiſt. Stœchas purpurea, C. B. P. Stœchas Arabica vulgo dicta, J. B.*
    2. *Longioribus ligulis, Cluſ. Hiſt. Stœchas cauliculis non foliatis, C. B. P.*
    3. *Arabica cum ligulis albis, Magnol. Bot. Monſp.*
    4. *Turcica tenerior odoratiſſima.*
    5. *Viridis capitulo oblongo, C. B. P. Viridis Dalechamp. Park.*
  - 6. *Serrato, C. B. P. Folio ſerrato & criſpo, Lob. Criſpo, Cluſ. Hiſt.*
- 7. *Stœchadi ſerratæ affinis, C. B. P. Secudus & Sucudus Avicennæ, Rauolfii.*

1. Stœchas *brevioribus ligulis, Cluſ. Hiſt. Stœchas purpurea, C. B. P. Stœchas Arabica vulgo dicta, J. B. Caudice* eſt (uti *Lavendula*) brevi & lignoſo, ſed tenuiore; ramulis ſive virgulis multis ac tenuibus *foliis* veſtitis, oblongis, anguſtis, candicantibus, minoribus quam Lavendulæ; comantibus in ſummo capitulis ſive *ſpicis* denſis, *Lavendulæ* brevioribus & craſſioribus, multis veluti ſquamis compactis, quibus minuti prominent *flores* purpurei, Lavendulæ minores, è ſpicæ angulis ut quadrata appareat. Summis capitellis eminent foliaceæ ligulæ purpureæ, quibus à *Lavendulis* diſtinguitur. *Semen* in capitellis latet, per maturitatem læve, exiguum, fuſcum, quale fere *Lavendulæ. V. icon. tab. an.* 1.

Pluribus Hiſpaniæ, Luſitaniæ, & Galliæ Narbonenſis *locis montoſis naſcitur.*

2. Stœchas *longioribus ligulis, Cluſ. Hiſt. Park. Stœchas cauliculis non foliatis, C. B. P. Stœchas capitulis foliatis, Lugd.* Præcedenti ita ſimilis eſt hæc, ut non deſint qui pro eadem habeant: *ſpicæ* longiores, *ligulæ* etiam in ſpicarum ſummitate eminentes, longiores & ampliores eſſe obſervantur. Is forte effectus luxuriæ acceptus eſt referendus. *V. icon. tab. an.* 1.

3. Stœchas *Arabica cum ligulis albis, Magnol. Bot. Monſp. An Stœchas latifolia flore albo, C. B. P.*? Pulchram hanc varietatem Maio menſe florentem invenit Auctor circa pagum dictum *Pignan*, qua inde redeundo itur verſus pagum *Sant Jordi*, in ſterilibus locis, & lapidoſis vinearum marginibus. Tota planta vulgari albidior eſt; capitulum fert ejuſdem magnitudinis & figuræ, ſed viride, cum quadruplici florum purpuraſcentium ordine; ligulæ autem quæ è capitulis oriuntur, niveæ ſunt. Tale quid in aliis cæruleis accidere reperitur: elegans vero & obſervatu digna eſt.

4. Stœchas *Turcica tenerior odoratiſſima.* Rara hæc Stœchadis ſpecies quæ è *ſeminibus Turcicis* orta eſt, *folia* habet recta, *Arabicæ* ſimilia, molliora tamen & teneriora, tanta fragrantia prædita, ut manibus tantum ipſis affrictis, (ut in *Maro Syriaco*) odor gratiſſimus accedat. Hanc per aliquot annos in Horti ornamentum retinuimus; tandem præ hyemis rigore periit.

5. Stœchas *viridis capitulo oblongo, C. B. P. Stœchas viridis, J. B. Viridis Dalechampii, Park.* Tota jucunda viriditate nitet, *foliis* per intervalla in *caule* multis, duobus longis, aliquot aliis multo brevioribus; *capitulo* in caulis ſummitate longo, rotundo, cum duobus in ſummo foliolis, ex quo lutei flores exeunt. *J. B.*

6. Stœchas *folio ſerrato, C. B. P. Folio criſpo, Cluſ. Hiſt. Folio ſerrato & criſpo, Lob. J. B. Secudi Avicennæ Myconi titulo pingitur & deſcribitur. Tab. Stœchadis* genus hoc valde rarum, *Cluſio* obſervatum, ejuſdem cum *Stœchade Arabica* altitudinis, lignoſis, fragilibus, tenuibus, quadrangulis ramis; *foliis* etiam oblongis, anguſtis, omnino ſerratis & criſpis, parte ſuperna virentibus, inferna candidis, calidi & amari guſtus. Ejus extremi quoque ramuli deſinunt in dodrantales *virgulas* nudas, quadrangulas, incanas, quæ *ſpicam* ſuſtinent Stœchadis ſpica longiorem & rariorem, ad *Lavendulæ minoris* prope accedentem, è multis ſimiliter veluti membranaceis *ſquamis* congeſtam, cum eminentibus in ſummo quibuſdam latiuſculis foliolis purpurocæruleis, quales *Arabicæ* ſunt. *Flores* ex ſingularum ſquamularum ſinu copioſi, purpurei; *ſemen* etiam ſimile, quemadmodum & *radix. V. icon. tab. æn.* 1.

Hanc non niſi in ſumma Calpe *ſponte naſcentem, & ſuis floribus onuſtam, Februario menſe invenit* Cluſius.

7. Stœchadi *ſerratæ affinis, C. B. P. Secudus & Sucudus Avicennæ, Rawolfii. Tragium alterum Dioſcoridis, folio Trichomanis, J. B. Radice* eſt albicante, longiuſcula, gracili, ex qua *ſurculi* emergunt lignoſi, vix minimum digitum longi. Iſtis *foliola* adhærent longiuſcula, pulchra ſerie diſpoſita, adverſa, haud ſecus ac in *Trichomane* digeſta, & tamen longiora, ut in *Aſplenio*, quibus & colore ſimilia; nam ſuperne pulchre virent, inferne vero cinereo tomento obſita, minora præſertim & ab imo primum pullulantia. Inter ſurculos alii prodeunt *coliculi* nudi, purpureos *flores* ſpicatos ſuſtinentes. *V. icon. tab. æn.* 1.

In agris circa Alepum *& montibus vicinis, udis præſertim locis, ut & ad fontium rivulos ex alto ſcaturientium, copioſe obſervata eſt.* Rawolf.

Temperamentum & Vires.

Tenuat, terget, purgat, reſolvit, aperit; hepatis & lienis & aliorum viſcerum obſtructorum putredinem prohibet. Cognata eſt Lavendulæ *planta, ejuſdem fere temperiei ac virtutis, & iiſdem uſibus accommodata. Ergo (ne ſim prolixus) capiti & nervis prodeſt, quorum affectibus interne ſumpta, & externe adhibita, medetur. Diuretica eſt & emmenagoga.*

In tuſſi & aſthmate ſimiles effectus habet ac Hyſſopus; *nec attenuat & aperit ſolum, ſed & viſcus affectum roborat.*

Dicitur venenis reſiſtere, atque inde antidotis miſcendis aptum eſt. Siquis plura deſideret, adeat virtutum iſtam farraginem quam ei accumulavit Meſues; *& quam vide ſis apud* Jo. Bauhin. *lib.* 28. *Tom.* 3. *pag.* 278. *Et* Sim. Paul. *pag.* 492.

PLANTÆ VERTICILLATÆ

Spicatæ.

CAPUT III.

Polium.

Πολιὸν ὀρεινὸν, *id eſt Polium montanum.* Πολιὸν *à canitie qua obductum eſt, quod canis hominis capillis ſimile appareat: quicquid autem incaneſcit albidum eſt.*

Polium humilitate, foliis oblongiuſculis caneſcentibus, floribuſque ſimul compactis galea carentibus, ab omnibus aliis plantis dignoſcitur.

TABULA. III. SECT. XI.

Polium folio
- *crenato*
  - *luteum*
    1. *Montanum, C. B. P. Tab. Ger. Tertium ſive flavo flore, Cluſ. Polium montanum vulgare, Park.*
    2. *Tomentoſum daſyphyllum ſerratum, H. R. Par.*
  - *album*
    3. *Montanum, C. B. P. Montanum* 1. *Cluſ. Hiſt.*
    4. *Cauliculis erectis, foliis anguſtioribus, capitulis longioribus, C. B. P.* 2. *Flore albo, Cluſ. Hiſt.*
    5. *Maritimum erectum Monſpeliacum, C. B. P. Monſpeliacum, J. B.*
    6. *Montanum erectum anguſtifolium flore albo, Icon. Par.*
    7. *Latifolium flore ex albo palleſcente* 4. *Cluſ. H.*
    8. *Tenerius odoratius floribus albis* 6. *Cluſ. Hiſt.*
    9. *Marinum daſyphyllum gnaphaloides, Icon. Par.*
    10. *Latifolium ſupinum majus, Icon. Par.*
    11. *Anguſtifolium ſupinum minus, Icon. Par.*

12. *Maritimum*

- non crenato
  - purpureum
    - 12. *Maritimum ſupinum Venetum, C.B.P. Polium 5. purpureum, Cluſ. Hiſt.*
    - 13. *Latifolium incanum Creticum, C. B. P. & Prod. Polium ſaxatile Chamædryoides rotundifol. ſupinum rubrum, Icon. Par.*
    - 14. *Saxatile chamædryoides oblongo folio, Icon. Par. Forte Polium majus flore dilutiore, Prælud. Bot.*
  - luteum
    - 15. *Anguſtifolium Creticum, C. B. P. Park.*
    - 16. *Montanum pumilum tenuifol. Africum, Park.*
  - album
    - 17. *Lavendulæ folio, C. B. P. Polium Pannonicum 1. vel majus Cluſ. Pan. 7. Hiſt.*
    - 18. *Secundum, Matth. Lugd.*
    - 19. *Montanum Hiſpanicum, Icon. Par.*
    - 20. *Valentinum fruticoſum anguſtifolium, Icon. Par.*
    - 21. *Minimum ſupinum, Lob. Lugd. Repens, C. B. P. 8. Cluſ. Hiſt.*
  - rubrum
    - 22. *Montanum majus erectum Roriſmarini folio, Icon. Par.*
    - 23. *Montanum pumilum viridi Stœchadis folio, caule tomentoſo, Icon. Par.*
    - 24. *Montanum pumilum anguſto viridique folio, caule incano. Icon. Par.*

1. Polium *montanum luteum, C.B.P. Tab. Ger. Polium montanum 3. ſive flavo flore, Cluſ. Hiſt. Polium montanum vulgare, Park.* Cauliculi è *radice* fibroſa protruduntur tenues, palmares & dodrantales, tomento candido omnino obducti, geniculati, infirmi, nunc erecti, nunc procumbentes. His *folia* vix pollicem longa, & quadrantem lata, in ambitu crenata, tomentoſa, binatim ad genicula naſcuntur; tenelli tamen ramuli *capitella* ſua jam protrudere incipientes, cum ipſis foliis flaveſcente lanugine obducuntur, perinde ac ipſa integra oblonga capitella, ex multis *calyculis* caneſcentibus conjuncte in ſummitatibus naſcentibus congeſta, quæ tandem luteos galea carentes *flores* oſtendunt. In fundo calycis quatuor per maturitatem *ſemina* parva, ex rotundis oblonga, fuſca, reperiuntur. *V. icon. tab.æn. 2.*

Regno Granatenſi & Valentino *Martio menſe florens invenit* Cluſius. *Circa* Monſpelium *etiam detexit* D. Magnol. *Apud nos ſerius floret.*

2. Polium *montanum luteum tomentoſum daſyphyllum ſerratum.* Tota planta denſo tomento obſita *folia* emittit è ſingulis geniculis plura, *v. g.* duodena & interdum vicena, oblonga, obtuſa, frequenter concava, minuſque crenata, crebrius verticillata.

Hoc cum pluribus aliis à Pariſienſibus *detectis iconibus ſuis apte exprimitur.*

3. Polium *montanum album, C. B. P. Ger. Polium mont. 1. Cluſ. Hiſt. Polium montanum Monſpeliacum, Park.* Palmares aut ampliores ex eadem radice lignoſa & dura producit *cauliculos*, in multas *alas* diviſos, humi ſparſos, quos diſpoſito ordine, & ex adverſo ſemper tenera ambiunt *folia* longiuſcula, anguſta, oris in externam partem reflexis & leviter denticulatis, adeo ut vix niſi diligenter obſervantibus denticuli appareant, incanis. Ex horum exortu alia numeroſa prodeunt *foliola* magis tenella & incana. Summis ramulis *capitella* fert, calyculis quaſi ſquamata, unde *flores* emergunt albi; & poſtea *ſemina* ſubrotunda, nigricantia ſuccedunt. Tota planta ſuaviter olet, cum gravitate quadam non injucunda. *V. icon. tab. æn. 2.*

Vernalibus menſibus florens in Hiſpania *obſervavit* Cluſius.

4. Polium *montanum 2. flore albo, Cluſ. Hiſt.* Hoc *cauliculis* erectis, incanis, *foliis* anguſtioribus, & *capitulis* ſuis longioribus, ut *C. Bauh.* notat, à præcedenti dignoſcitur. *V. icon. tab. æn. 2.*

5. Polium *maritimum erectum Monſpeliacum, C.B.P. Polium Monſpeliacum, J. B.* Erectis aſſurgit cauliculis longioribus, quibus *folia* ex certis intervallis, primo bina, dein alia minora, anguſta, oblonga, denticulata, è viridibus candicantia, ſaporis acris & amari, ex oppoſito naſcuntur. *Capitula* glomerata alba, tomentoſa, *calyculis* conſtant oblongis, è quibus *flores* emicant hiantes, candidi. *V. icon. tab. æn. 2.*

In ſterilibus circa Salenovam, Caſtrumque *novum, &* La Columbiere, *haud longe à* Monſpelio *provenit; & ut notat Cl.* Magnol. *multo minus nec tam grati odoris eſt, quam* Polium montanum album primum.

6. Polium *montanum erectum anguſtifolium flore albo, Icon. Pariſ.* Ramulis quoque aſſurgit erectis, lanuginoſis, quibus ex adverſo poſita innaſcuntur *folia* anguſta, inviſibilibus pene denticulationibus crenata. *Flores* albi in capitulis brevioribus, ſubrotundis, ſatis ampli, conglomerantur.

7. Polium *latifolium flore ex albo palleſcente, 4. Cluſ. Hiſt. Foliis* latioribus & in ambitu criſpis & incanis, & candida lanugine pubeſcentibus virgulis procumbentibus, donatur. *Flores* in ſummis ſpicis oblongis candicantes, modo interius palleſcentes & foris exalbidos, profert.

E Polii lutei ſeminibus ſatis ortum eſt, teſte Cluſio.

8. Polium *tenerius & odoratius floribus albis 6. Cluſ. Hiſt.* Hujus *ramuli* dodrantales humi fuſi, *foliis* brevibus & anguſtis tomentoſis adeo denſe obducuntur, ut nihil præter tomentum appareat. Præ mollitie teneritateque totius ab aliis diſtinguitur.

Menſe Martio florens in Hiſpania *legit* C. Cluſius.

9. Polium *marinum daſyphyllum gnaphaloides flore albo, Icon. Pariſ.* Hujus *folia* modice lata, mucronata, in ambitu crenata, *cauliculis* rectis, per intervalla, frequentia ſunt diſpoſita, primoque aſpectu, tomento ſuo denſo, *Gnaphalii vulgaris* folia referentia. *Flores* albi, aliorum floribus minores, in ſummis capitulis rotundis compacti propriis ſuis calycibus inſident.

10. Polium *montanum latifolium ſerratum ſupinum majus, Icon. Pariſ. Cauliculi* primo procumbentes, *radiculas* agunt; tunc palmares eriguntur, graciles, quibus *folia* è regione naſcentia, latiuſcula, lanuginoſa, ut plurimum reflexa, modiceque crenata, per intervalla longiora, ad genicula apponuntur. *Flores* in rotundis capitulis conglomerati, albi ſunt.

11. Polium *montanum album anguſtifolium ſerratum ſupinum minus, Icon. Pariſ.* Hoc *cauliculos* plures palmares, graciles, tomentoſos profert; ad quorum genicula ſpatio disjuncta, *folia* binatim naſcentia, auguſtiora, & omnino minora, proveniunt. Ex horum vero ſinubus alia etiam exigua, minora tamen protruduntur, quæ poſt prima frequenter decidentia manent. *Flores* in glomerulis rotundis, ut plurimum in ſummis ramuſculis trifidis parvi ſunt, albi.

12. Polium *maritimum ſupinum Venetum, C. B. P. Polium montanum purpureum, Lob. Polium montanum 5. purpureum, Cluſ. Hiſt.* Hoc prorſus tenellum eſt exilibus & dodrantalibus *ramulis*, humi fuſis, multa lanugine candida tectis, qui ſubinde ad nodos *radices* agunt. *Folia* illi ſunt mediæ magnitudinis, denticulata, valdeque tomentoſa, quæ adeo cauſa eſt cur in tenellis foliis nulla dentium veſtigia conſpiciantur, niſi diligenter obſervantibus. *Capitella* parva, inter *foliola* florida, tomentoſa, è quibus *flores* emicant purpurei. *V. icon. tab. æn. 2.*

Menſe Martio floribus onuſtum reperit Cluſius.

Jo. Bauhinus *alterius* Polii Veneti *mentionem facit his verbis:* Polium è Lio Venetorum *per Fratrem* Caſp. Bauh. allatum, quod ſi conferatur cum eo quod *Monſpelii* provenit, diverſum videtur. Tota namque planta minus candida, *folia* latiora, paulo & plus crenata; *coma* etiam magis divulſa. Fortaſſe diſtincta eſt ſpecies.

13. Polium *latifolium incanum Creticum, C. B. P. & Prod. Polium platyphyllum Cydonienſe, Belli. An Polium ſaxatile chamædryoides rotundifolium ſupinum rubrum, Icon. Pariſ.*? Planta tota *tomento* albo, molli, tegitur habens caules pedales, rotundos, in ramos palmares, hoſque in breviores ſubdiviſos; quos *folia* ſubrotunda, crenata, inſtar *Veroniæ hederulæ folio*, vel *Chamædryos*, craſſa, rugoſa, bina ex adverſo naſcentia, inferne candida, ſuperne ex viridi colore flaveſcentia, quæ maſticata pene inſipida (in ſicca planta) & non ſecus quam ſi tomentum dentibus contererereretur ſenſum afficiunt. *C. B. V. icon. tab. æn. 4.*

Ab Honor. Bell. *è* Creta *miſſum eſt.*

14. Polium *ſaxatile chamædryoides oblongo folio, flore rubello, Icon. Pariſ. Forte Polium majus rubrum flore dilutiore, D. Moriſ. Prælud. Bot. Folia ad Polii lutei vulgaris* folia quam proxime accedunt quoad magnitudinem, ſerraturam, & canitiem. *Florem* fert majorem, dilutius rubrum quam quintum *Cluſii.*

15. Polium *anguſtifolium Creticum, C. B. P. Park. Polium erectum Creticum & forte fruteſcens Dioſc. Ponæ Ital.* In bipedalem fere altitudinem aſſurgit, *caulibus* rectis, duris, teretibus, lignoſis, *foliis* obſitis, parvis, anguſtis, oblongis apicibus ſubrotundis, *Polii vulgaris* ſimilibus, ſed minoribus multo, ad margines minime dentatis. *Flores* (qui lutei ſunt) & ſemina *vulgaris Polii* in hoc deprehenduntur. Tota planta valde odorata eſt. *V. icon. tab. æn. 2.*

In Creta *ad maris litora frequens reperitur.*

16. Polium *montanum pumilum tenuifolium Africum, Park. Cauliculis* plurimis procumbentibus & quaſi reptantibus donatur; quibus etiam *foliola* multa, integra, tenuiſſima, ad genicula naſcuntur, odorata. *Flores* parvi, luteoli, in ſummis cauliculis proveniunt. *Radix* tenuis, dura & lignoſa eſt. *V. icon. tab. æn. 2.*

Circa Tuniſium *urbem* Barbariæ Boelius *legit, & in* Angliam *tranſmiſit.*

17. Polium *Lavendulæ folio, C. B. P. Park. Polium Pannonicum primum vel majus, Cluſ. Pan. 7. Hiſt. Polium foliis & facie Lavendulæ, Eyſt. Radiculis* eſt lignoſis, tenuibus, ſurculoſis, ac modice fibratis; virgulis frequentibus, dodrante altioribus, infirmis, duris, obſequioſis; quas crebra *folia* ſibi geminatim appoſita, ab imo uſque ad ſummum veſtiunt, *Lavendulæ* anguſtifoliæ æmula, ſuperius viridia, ſubtus incana, & *odorem Cyperi* accurate referentia. *Flores* multi extremis cacuminibus confertim inſident, *Thymbræ* ſeu *Satureiæ* conformes & majores, ex albo palleſcentes; quibus evaneſcentibus, *ſemina* in vaſculis ſubtractis oriuntur rotunda, nigricantia, parva. *V. icon. tab. æn. 2.*

In montoſis & declivibus circa Monſpelium, Genevam, Baſileam, *aliiſque, Junio & Julio menſibus florens, copioſe reperitur.*

18. Polium *album ſecundum, Matth. Lugd. Polium Lavendulæ folio latiore, Ger.* Provenit in collibus, arduiſque locis. Folioſa eſt herba humi procumbens, *foliis Roriſmarini coronatii* minoribus, duriuſculis, averſa parte incanis; cauliculis tenuibus, rotundis, ſubalbicantibus, flexilibus; *capitulis* in cacumine albicantibus, alterius Polii capitulis haud multum diſſimilibus; radice ſimili. Tota planta ſuaviter olet & minus quam alterum Polium nares ferit. *Hiſt. Lugd.*

19. Polium *montanum Hiſpanicum non crenatum flore albo, Icon. Par.* Ramulis aſſurgit rigidiuſculis, gracilibus; quos *folia* oblonga, ex anguſto principio in medietate ſeſe dilatantia, non crenata, oppoſita, ad genicula conveſtiunt. *Flores* in ſummis virgulis corymbatim diviſis, in variis glomerulis, plurimi, exigui, albi naſcuntur.

20. Polium *Valentinum fruticoſum anguſtifolium flore albo, Icon. Pariſ.* Viticulis tenuibus lignoſis fruteſcit hoc *Polii* genus, & ad ſingula genicula *folia* parva tenuia, vix unciæ quadrantem longitudine ſuperantia, emittit. *Flores* parvi, tubuloſi, albi, non ſolum in ſummitatibus uti in pluribus aliis hujus familiæ, naſcuntur, ſed ſecundum caulem, è variis geniculis, petioli proveniunt, qui glomerulis rotundis, *floſculos* multos continentibus, terminantur.

21. Polium *minimum ſupinum, Lob. Lugd. Polium montanum repens, C. B. P. Octavum, Cluſ. Hiſt.* Hoc *Polii* genus duarum unciarum longitudinem vix ſuperat, exilibus ramuſculis, in quibus, non minus quam in ſuperioribus, ordine & ex adverſo oppoſita naſcuntur *foliola* duriora, breviora & anguſtiora, non denticulata. Ramulis inſident terni & quaterni *flores* albi, ſuperioribus forma ſimiles, ſed minores. *Radix* etiam vivax eſt natali ſolo. Nulla odoris gratia commendabilis eſt hæc planta. *V. icon. tab. æn. 2.*

Publica via in agro Viennenſi *invenit* Cluſius. *Junio menſe floret.*

22. Polium *montanum erectum Roriſmarini folio, flore rubro, Icon. Par. Stipitibus* duris, lignoſis, craſſioribus, crebrius geniculatis adoleſcit; quorum parte infima foliis denudata, *genicula* turgidiora clarius eminent. Superius *folia* è regione naſcentia, unciam plus minus longa, anguſta & obtuſa, ſuperne viridia, inferne candore donata, Roriſmarini folia ſatis æmulantia, nodis adhærent. Summi cauliculi erecti, raro ramoſi, capitula *floribus* rubicundis coagmentata ſuſtinent. Huic ſimile, ſi non idem, in monte Parnaſſo, obſervavit Reverend. *D. G. Wheeler Eques aurat.* quod *Polium Gnaphaloides vel Holoſteum montanum Roriſmarini foliis* nominavit.

23. Polium *montanum pumilum viridi Stœchadis folio, caule tomentoſo, Icon. Pariſ.* Elegans hæc *Polii* ſpecies lignoſis ramuſculis, humilioribus aſſurgit, ad cujus genicula folia longa tenuiora, integra, *Stœchadis citrinæ* pene ſimilia proveniunt. *Flores* ſimiliter in ſummis caulibus rubri glomerantur. *V. icon. tab. æn. 4.*

24. Polium *montanum pumilum rubrum anguſtifolium viridique folio, caule incano, Icon. Pariſ.* Hoc palmarem altitudinem raro ſuperans, ramulis tenuibus incanis ſe ſpargit, quibus etiam oppoſito ordine *foliola* quædam

quædam minora, anguſta, integra, viridiora, adnaſcuntur. *Flores* pro plantæ modulo ſatis ampli, galeati, rubri, ſummis ramuſculis in capitula rotunda congregati ſunt. *V. icon. tab. æn.* 4.

Aliæ ſuperſunt Polii *variæ ſpecies, a Botanologis* Pariſienſibus *detectæ, quibus nomina ſequentia tributa ſunt; quarumque temporis progreſſu notitiam uberiorem acquiremus.*

Polium *montanum album non ſerratum, longis anguſtiſque foliis caneſcentibus.*
Polium *mont. album ſerratum latifolium ſupinum minus.*
Polium *montanum luteum ſerratum Amaraci folio, coma ſublutea.*
Polium *montanum luteum ſerratum anguſtifolium incanis foliis.*
Polium *montanum luteum ſupinum capite oblongo.*
Polium *montanum Gnaphalii folio, flore rubro, ſupinum.*
Polium *ſaxatile purpureum ſerrato Serpylli folio.*
Polium *ſaxatile minimum Thymi folio, carneo flore.*
Polium *ſaxatile purpureum chamædryoides ampla coma.*
Polium *ſaxatile purpureum non ſerratum Serpylli folio, preſſa coma.*
Polium *ſaxatile pumilum ſerratum ſupinum incanum flore rubro.*
Polium *minus erectum anguſtifolium crebris brevibus foliis, flore rubro.*
Polium *ſurrectum majus anguſtifolium ſerratum incanum tomentoſum.*
Polium *ſurrectum minus anguſtifolium è viridi caneſcens.*

Polii Vires & Uſus.

Polio *multi antiquorum veſtigiis inſiſtentes multum tribuere. Quodnamcunque fuerat antiquorum genuinum, ſaltem* Dioſc. & Galeni; *eorum auctoritate ſcimus id viſcera obſtructionibus liberare; lienoſis & ictericis auxiliari; urinas & menſes ciere; vulnera glutinare; morſibus venenatis medendis prodeſſe; quin & ſubſtratum ac ſuffitum ſerpentes abigere.*

Hodie quidem Polium *montanum officinas ingreditur, & in componendis* Theriaca Andromachi & Mithridatio *numerum ſimplicium adauget; cæteroquin in medicina (quantum ſcio) rarioris eſt uſus. Quoad qualitates acre eſt & amarum; calefaciendi, reſiccandi, item extenuandi vim habet; ac proinde non omnibus ſupra citatis virtutibus deſtituitur.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ ſpicatæ.

CAPUT IV.

Dictamnus.

Dictamnus *forte à* Dite *parte montis* Idæ *in* Creta, *ubi ſponte copioſiſſime creſcit. Alii* δίκταμνον ἀπὸ τῆς θήκης *deduci volunt, cum non modo potus, ſed appoſitus quoque partus defunctos ejiciat.* Dorcadium *vero appellarunt, quoniam cervæ (αἱ δορκάδες Græcis) vulneratæ* Dictamno *paſtæ, decidentibus telis, ſanitati reſtituuntur.*

Dictamnus *Majoranæ* proximus eſt, & inter omnes *Galeatas* ſquamas è quibus ſpica compoſita eſt profert latiſſimas purpuraſcentes.

1. Dictamnus *Creticus, C. B. P. Creticus ſeu verus, J. B. Dictamnum Creticum, Ger. Cæſ.* Caules è *radice* fibroſa, geniculatos, duros, pedales & ampliores protrudit; ad quorum ſingulos nodos bina è regione *folia* ſubrotunda, unguis humani latitudinis, denſo tomento laxe obducta, proveniunt. In caulis ſummitate ramatim pronaſcuntur *ſpicæ* unciales, ſquamatim ex folliculis latiuſculis, ſubrotundis, purpuraſcentibus compactæ; inter quas *flores* galeati, tubuloſi, purpurei, cum ſtaminulis ſuis in medio exeuntibus, emicant. Semen inter ſquamulas reconditur. *V. icon. tab. æn.* 2.

Hujuſce plantæ meminit Virgilius *Æneid.* 12.

Dictamnum genitrix Cretæa carpit ab Ida,
Puberibus caulem foliis, & flore comantem
purpureo.

2. Dictamnus *Sipyleus Majoranæ foliis, Nobis. Origanum montis Sipyli, Wheeleri. Dictamnus montis Sipyli folio glabro glauco, Breyn. Prod.* 2. Rara & elegans hæc planta quæ munere admodum *Reverend. & Honorat. D. G. Wheeleri Eq. aurat.* recepta & nobis orta eſt, primo aſpectu *Majoranam* cum viridibus ſuis foliis ſubrotundis, cauliculiſque piloſis refert; qui in pedalem & ſeſquipedalem altitudinem aſſurgentes, pilis amiſſis, glabri & duriuſculi apparent. Ad horum autem genicula, per intervalla, *folia* ex adverſo ſita, ad exortum ſubrotunda, mucronata, minora, lævia, ad cæſium colorem tendentia, adnaſcuntur; è quorum alis, non ſolum ex ſupremis geniculis, ſed per caulis longitudinem, ramuſculi parvi, folia minora gerentes proveniunt.

Iſti *ſpicis* uncialibus, *lupulinis*, ſeu è ſquamis foliaceis & nitidis, purpuraſcentibus, compactilibus, frequenter dependentibus, terminantur. Inter ſquamas *flores* eleganter purpurei, oblongi, galeati, cum ſtaminulis longis in medio, *Dictamni Cretici* in modum protruduntur. *V. icon. tab. an.* 4.

In monte Sipylo Phrygiæ *ab auctore dignissimo collecta est.*

Dictamni Temperamentum & Vires.

Temperamento paulo calidiore quam ſicco eſt, attenuandi, abſtergendi & aperiendi facultate pollens. Ad uteri affectus quoſcunque ſanandos magnopere laudatur: valet enim ad fœtus mortuos expellendos; partum ipſum facilem reddit, partum ſubſequentes dolores mitigat. In uteri ſuffocationis paroxyſmos levat ac repellit; in menſium ſuppreſſione humorem retentum prolicit. Ea omnia præſtare aſſerit Dioſc. *quæ* ſativum Pulegium, *ſed efficacius multo.*

Ad hæc vi alexiterica præditus eſt, ac proinde Theriacis & ejuſmodi medicamentis admiſcetur.

Ad aculeos carni infixos refigendos extrahendoſque commendarunt veteres, foliis vel parti impoſitis, vel etiam intro ſumptis; cujus quidem rei argumento eſſe voluerunt, quod capræ vulneratæ, poſt devoratum Dictamnum *ſagittas venatorum, quibus ictæ ſunt, ejiciant.*

Dictamnus albus officinarum *eſt* Fraxinella, *cujus ſolæ* radices *in uſum ſervantur: at nec* radices *nec* ſemina Cretici, *ſed* folia *tantum, in uſum veniunt.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ ſpicatæ.

CAPUT V.

Majorana & Origanum.

MAjorana *dicitur quod majores habeat vires & facultates, quam quis facile crediderit. Amaracus etiam ab* Amaraco *puero quodam regio* (*notante* Servio *ad Æneid.* 1.) *appellitatur: Græc.* ἀμάρακον, *eo quod odore hujus plantæ deliquium animi* (τῆς ψυχῆς) *paſſi reſtituantur.*

Origanum nulla definita nota à *Majorana* dignoſcitur: forte à loco natali dicatur; nam *Græcis* ὄρος eſt mons, & χάρος gaudium, quia montibus gaudet. Alii quod viſum exacuet nomen obtinuiſſe teſtantur: Etenim *Græcis* ὁράω eſt video, cerno, & χαρόω clarifico, quaſi aciem oculorum illuſtret; nam (uti tradunt) præſtat, ut oculi clarius cernant.

Quidam *Majoranam* plantam delicatiorem, præſtantiorem & gratiorem eſſe volunt, & ſpicis compactioribus donatam; *Origanum* vero ſylveſtre eſſe genus, rigidius, vilius, & fragrantia cedens; ſpiciſque minus compactis.

Majorana foliis integris, parvis, ſubrotundis, ſpiciſque ſquamatis ſimul compactis, facile à reliquis plantis cernitur.

TABULA IV. SECT. XI.

Majorana
1. *Vulgaris æſtiva, Park. Vulgaris, C. B. P. Majorana majori folio ex ſemine nata, J. B.*
2. *Rotundifolia ſcutellata exotica, Hort. Reg. Par.*
3. *Hortenſis odorata perennis, Nobis. Majorana tenuior & lignoſior, J. B. Majorana tenuifolia, C. B. P.*
4. *Eadem major & fruticoſior floribus albis. Forte Origanum Onites floribus albicantibus, Matth. C. B. P.*
5. *Sylveſtris perennis, C. B. P. Majorana ſylveſtris, Trag.*
6. *Smyrnæa minor capitulis ſquamoſis, Wheeleri.*
7. *Hortenſis viridis tenuior, Nobis. An Origanum, Matth. C. B. P? Eadem foliis niveis ſeu ex albo variegatis.*
8. *Sive Origanum humilius latifolium glabrum, Hort. Reg. Par.*
9. *Sylveſtris latifolia, C. B. P. Latifolia, Eyſt.*
10. *Foliis ex viridi luteolis. Foliis ſubluteis, C. B. P.*
11. *Latifolia aurea, Park.*

Origanum
12. *Sylveſtre vulgare, Trag. Matth. Origanum ſylveſtre, Cunila bubula Plinii, C. B. P. Idem flore albo, Origanum ſylveſtre album, C. B. P.*
13. *Sylveſtre humile, C. B. P. & Prod.*
14. *Heracleoticum, Cunila gallinacea, Plinii, C. B. P. Origanum Heracleoticum, Matth.*
15. *Creticum, C. B. P. Geſn. Hort.*
16. *Folio ſubrotundo, C. B. P. Origanum onites Galloprovinciæ minus, Adv. Lob.*
17. *Origano cognata, Zatarendi, C. B. P.*

1. Majorana *vulgaris æſtiva, Park. Majorana vulgaris, C. B. P. Majorana majori folio ex ſemine nata, J. B. Amaracus, Matth. Lugd. Sampſuchus ſive Amaracus, Latinis majorana, Cord. in Dioſc.* E *radice* fibroſa in caulibus

caulibus lignoſis, à principio divaricatis, geniculatis, dodrantalibus, fruteſcit. *Folia* ad ſingulos nodos binatim naſcuntur, ovalia, mollia, viridia, tantilla canitie obducta, unguis humani latitudine, odorem gratiſſimum ſpirantia. Circa caulis ramorumque faſtigium ex foliorum alis, adeoque in ramulorum extremis imbricatæ *ſpicæ* oriuntur, quarum hirſuta, ſquamatim compacta *foliola* è ſinu promunt *floſculos* puſillos albicantes, hiulcos, labello quadrifido demiſſo (cui *folium* ſurrectum imminet) bifidum è rictu *ſtylum* albidum proferentes. *Semen* minutum rotundum, ex luteo colore ruſſum inter ſquamulas latitat. *V. icon. tab. æn.* 3.

Ex Hiſpania *ubi forſitan vivax ſit ſemen quotannis in* Angliam *importatur. Noſtris vero utpote frigidioribus plagis hyemem raro tolerat, ſed renovationem ſingulis annis poſtulat.*

2. Majorana *rotundifolia ſcutellata exotica, Schol. Bot. Pariſ.* Ramulis erectis, ex rotundis quadrangularibus, dodrantalibus & pedalibus aſſurgit. Ad horum porro genicula *folia* minora, ſubrotunda, petiolis brevibus inſidentia, *tomento* candidiore obſita, frequenter reflexa & ſcutellata, parium in modum naſcuntur. Ex horum autem alis *ramuli, foliola* minora rotunda, & candidiora gerentes oriuntur; inque horum extremitatibus *ſpicæ* oblongæ, tomentoſæ, copioſiores, ſquamis imbricatim diſpoſitis compactæ; è quibus *floſculi* tubuloſi albidi emicant.

Tota planta fragrantia inſigni & gratiſſima donatur.

3. Majorana *hortenſis odorata perennis, Nobis. Majorana tenuior & lignoſior, J. B. Majorana tenuifolia, C. B. P. Tab. Ger. Majorana tenuior & minor, Dod. Majorana nobilis, Brunf. Trag. Lon. Amaracus tenuior, Adv. Lob. Amaracus vulgaris, Eyſt. Radix* nigricat & tenuiter fibratur, & ex hac *caules* recti, lignoſi, pedales, multum ramoſi, exſurgunt; quibus adverſo poſitu, *folia* aliquantulum longiora, parum incana, ſuaviter odorata, adnaſcuntur. *Spicæ* in ſummis ramuſculis agminatim è ſquamis compoſitæ. *Flores* pallide purpuraſcunt.

Ramulis *à matre avulſis, ac terræ impactis, æque facile provenit, hyememque tolerat hæc planta. V. icon. tab. æn.* 3.

4. Hujus datur varietas *major & fruticoſior*, quæ forte *Origanum Onites floribus albicantibus, C. B. P. Matth. Lon. Lugd. Hyſſopus genuina Græcorum, Adv. Lob. Majorana major Anglica, Tab. Ger.* Robuſtior videtur planta, altius attollitur, & flores albos profert; quoad cætera præcedenti ſimilis eſt.

5. Majorana *ſylveſtris perennis, C. B. P. Sylveſtris, Trag. Geſn. Origanum Heracleoticum Ruellii, ſive Majorana major, J. B.* Majoranis alii, alii Origanis accenſent plantam hanc quadratis, hirſutis, ſubrubentibus, cubitalibus, ramoſis *caulibus* fruticantem. *Folia* ex adverſo poſita, bina, plurave, *Majoranæ* foliis majora, *Origani* vulgaris fere ſimilia, cinerea, hirſuta, venoſa. Extremi ramuli in *ſpicas* duorum verſuum ſquamatas ſemunciam aut unciam longas, abeunt; è quarum imbricatis foliolis *floſculi* emicant. *V. icon. tab. æn.* 3.

6. Majorana *Smyrnæa minor capitulis ſquamoſis, Wheeleri.* Planta hæc eſt perennis plures *virgas* lignoſas, longas, ad intervalla *ramulos* emittentes, ſurrigens. *Folia* quam *Majoranæ Creticæ* minora, minus incana, nec adeo rotunda, ſed potius oblonga, acuminata, nervoſa, & aliquantulum lanuginoſa. Summos caules & ramulos terminant capitula ſquamoſa. Odorem ſuavem & fragrantem ſpirat hæc planta.

Smyrnæ *in monte cui arx inædificatur copioſe provenit.*

7. Majorana *hortenſis viridis tenuior, Nobis. Origanum Onites, C. B. P. Majorana major Anglica, Ger. Forte etiam Majorana ſylveſtris perennis, C. B. P. Majorana major Anglica, Park.* Huic *cauliculi* eriguntur pedales & ampliores, ramoſi, ſubrubentes, molli hirſutie pubeſcentes; quibus *folia* proxime ſuperius explicatarum foliis viridiora, & longiora, venoſa, ad eundem modum innaſcuntur. *Spicæ* ſquamatæ in ramulorum ſummitatibus, longæ, *floſculos* proferunt albos. Tota æſtate *foliis* virentibus, tenerioribus, & grate olentibus viget.

In hortis etiam alitur hujus varietas, cujus folia *quandoque viridia, nunc omnino alba, & frequenter depicta & variegata: hinc Majorana foliis niveis ſive ex albo variegatis*, Park.

8. Majorana *ſive Origanum humilius latifolium glabrum, Schol. Bot. Par.* Multos è radice protrudit *cauliculos* palmares, dodrantalem altitudinem raro ſuperantes; *folia* præcedentis ſimilia, viridia, niſi quod in infima parte latiora ſint, crebrioribus *geniculis* adnata. Summitatem enim verſus minora redduntur. *Spicæ* ſquamatæ oblongæ ad eundem modum naſcuntur. *Flores* vero purpuraſcunt.

9. Majorana *ſylveſtris latifolia, C. B. P. Majorana latifolia, Eyſt.* Tantum in latitudine foliorum & ramis vegetioribus; capituliſque florum rotundioribus, diſcrimen à ſuperius explicatis poſitum eſſe videtur. *V. icon. tab. æn.* 3.

10. Hæc *foliis ex viridibus luteis* variat. *Foliis ſubluteis, C. B. P.* Inter majores *Majoranas* numeretur, quæ *foliis* partim viridibus & partim luteis non variegatis, ſed dimidiatim diviſis, apparet. *Flores* ad *Origani vulgaris* flores accedunt.

11. Altera datur variatio, cujus *folia omnino ſunt aurea*; eamque qualitatem ſemper retinent; unde *Majorana latifolia aurea*, Park.

12. Origanum *ſylveſtre vulgare, Trag. Matth. Origanum ſylveſtre Cunila bubula Plinii, C. B. P. Agrioriganum ſive Onites major, Lob. Origanum vulgare ſpontaneum, J. B.* Virgultis eſt multis ab una radicula ſumma tellure vagante, ac filis tenuibus, ſubfuſcis, denſe fibrata, cubito altioribus, leviter piloſis, rectis, in quibus *folia* majora, longiora & hirſutiora, binatim ad genicula, per intervalla proveniunt. *Flores* ſummis *caulibus* inſident, particulatim *corymbos* conſtituentes, dilute purpurei, tubuloſi. Hiſque emarcidis, remanent in parvis utriculis *ſemina* exilia, ſubrufa, rotunda, aliorum congenerum ſeminibus ampliora.

In montoſis & ſaxoſis, necnon in dumetis, frequens reperitur. V. icon. tab. æn. 3.

Invenitur etiam *floribus albis*, cujus folia & caules non adeo pulligine obducuntur, ſed viridiora, clarioraque apparent: unde *Origanum ſylveſtre album, C. B. P. Origanum album, Tab. Ger.*

13. Origanum *ſylveſtre humile, C. B. P. & Prod.* Ex *radice* lignoſa, rufeſcente, fibroſa, *cauliculus* fere unus, rotundus, rufus & aſper, unciarum ſex vel ſeptem, exſurgit, qui in ſummo in ramulos plures dividitur; hique *flores*, umbellæ forma, ex cæruleo purpureoque colore mixtos, ſuſtinent. *Folia* habet parva, oblonga, ſubhirſuta, compacta, & inordinate diſpoſita, potiſſimum cauliculi partem ſummam ambientia, *vulgaris Origani* odore.

Hoc circa Aureliam Gallorum *copioſe reperitur.* C. B.

14. Origanum *Heracleoticum. Cunila gallinacea Plinii, C. B. P. Origanum Heracleoticum, Matth. Adv. Lob. Cam. Ger. Heracleoticum verius, Park. Origanum Heracleoticum Matthioli, aliis forte Creticum, J. B.* Hoc *Origano vulgari* ſimile, in *caules* pedales & cubitales aſſurgit. *Folia* geniculis appoſita, aliquantulum ſunt minora & glabriora, odore vehementiore prædita. Spiculæ floreſcentes, ſquamoſæ, longiores, ſimul in cacuminibus compactæ ſunt. *Flores*, habituſque totius frequens purpuraſcunt: interdum vero, ut in *vulgari*, caules & folia magis vireſcunt, *floreſque* candidi ſunt. *V. icon. tab. æn.* 3.

15. Origanum *Creticum, C. B. P. J. B. Geſn. Hort. Tragoriganum alterum pulcherrimum peregrinum, Adv. Lob.* Pertinaciſſime odoris gratiam retinet. Adferuntur autem nobis potiſſimum cymæ, *Majoranæ* ſimiles *ſpicis*, aliæ breves, longæ aliæ, quadruplici ſerie *ſquamularum* ſtrictarum, denſe compactarum imbricatæ, ſapore acerrimo, odore aromatico, jucundo. *Folia* rarius adferuntur, forte aliquando videre mihi contigit. Sunt autem ea hirſuta, minora quam *vulgaris Majoranæ*, minimeque rotunda. Cum longiuſculis corymbis ſpicas æmulantibus, *flore albo & rubello* obſervatur.

16. Origanum *folio ſubrotundo, C. B. P. Origanum onites Galloprovinciæ minus, Origanum Monſpeliacum, Cam. Ep. Matth. Origanum Monſpelienſe pulchrum, J. B.* Ab *Origano vulgari* non multum differt, niſi quod habeat multas pulchras & oblongas quaſi *ſpicas* purpureas, & quod caulis totus purpuraſcat. *Semen* gignit ruſſum, puſillum, quale & reliqua *Origani* genera. *V. icon. tab. æn.* 3.

In Galloprovinciæ *variis locis, v. g. circa pontem* Caſtri novi, *& alibi in ſatorum & vinearum marginibus oritur.* Magnol.

17. Origano *cognata Zatarendi, C. B. Zatarendi Origanum Indicum Veſlingii. Zatarendi herba, J. B.* Magnitudine pedali adoleſcit, *caulibus* rectis ſatiſque firmis. *Folia Amaraci* habitudine tenella, mollique veluti lanugine aſperſa tactui blandiuntur. Rotunda quidem illa ſunt, in conum tamen leviter coarctata, & excurrentibus in longitudinem fibris cum virore pallidula. *Floſculos* producit quamplurimos, niveo candore lacteſcentes, qui per extremitates caulium inter numeroſa foliorum *capitula* prominuli, *Onitidis Origani* umbellam glomerato ambitu propemodum exprimunt, linguam guſtantium aromatica ingrata acrimonia perſtringentes. *Creticum Origanum* odoris vehementia ſuperat. *V. icon. tab. æn.* 3.

Majoranæ & Origani Vires & Uſus.

Majorana *(quæ &* Sampſucus *&* Amaracus *officinis) intenſi eſt odoris, at ſuaviſſimi, partium volatilium, tenuium, ac penetrantium. Quoad temperamentum calida & ſicca eſt, ſicut reliquæ hujus claſſis aromaticæ. Capitis, nervorum, ſtomachi, & viſcerum affectibus ſuccurrit; at capiti magis dicatur.*

Pulverizata *egregium eſt* Errhinon *per ſe, melius ſi cum aliis cephalicis & ſtimulantibus mixta fuerit. Ex hac quocunque modo parata remedia, ad frigidos capitis affectus, ad olfactum læſum vel abolitum reſtituendum præſertim commendantur. Hinc* oleum *naribus illitum, vel attractum, in Catarrhis & Coryza tum primis valet.*

Conſerva *quotidie manſa Catarrhum ſiſtit, inquit* D. Simon Pauli. *Sed hujus aquam naribus fortiter attractam, ceu compreſſa alterutra narium, altera exhauſtam, è vola manus (ore prius aqua ſimplici vel vino repleto) tanquam ſpecificum proponit. Quantum enim hoc euporiſto præſtitit Socer ejus* Fabricius, *& ob navatam operam hoc ſimplici remedio quam honorifice dimiſſus à Principe* Wallenſteinio *catarrho laborante, refert idem* S. P.

Apoplecticos, Paralyticos, & Colicos juvat; ad viſcerum obſtructiones reſerandas conducit; Diureticum eſt, uterinum, & emmenagogum.

Origanum Majoranæ *ſimilis eſt planta, temperie & virtutibus non multum diſſimilis; uſus tamen frequentior in balneis. Cephalicum eſt, ſtomachicum, & uterinum. Affectibus catarrhalibus medendis convenit. Stomachi vitia corrigit interne ſumptum, menſes potenter expellere dicitur. Hinc apud practicos Medicos (uſurpamus verba* Sim. Pauli) *raro vel nunquam menſes ducens medicamentum præſcribi obſervabitis, quin non illud* Origanum *quacunque forma paratum ingrediatur. Hunc in finem cum aliis uterinis in balneis & inſeſſibus uſurpatur.*

Origanum Heracleoticum *veteres commendarunt in morſibus venenatis, in ſcabie, porrigine, in Ictero, Hydrope, &c. Hujus* oleum deſtillatum *in odontalgia eſt decantatum & notiſſimum remedium.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ ſpicatæ.

CAPUT VI.

Hyſſopus.

HYſſopus *Græcis* ὑσσωπος *dicitur, ἀπὸ τῦ ὑειν τὰς ὄψεις, id eſt ab irrigando oculos, quod in ſacrificiis pulvis hujus herbæ* aſpergeretur *ſupra caput* & oculos; *vel quod ex hac herba* aſpergilla *fierent.*

Hyſſopus foliis longis, anguſtis, viridibus; *ſpicis* longioribus, verticillis non completis, ſed ad unam partem vergentibus, ab aliis plantis *verticillatis* diſcriminatur.

TABULA V. SECT. XI.

Hyſſopus — *ſpicata* — *major*

1. *Vulgaris, Dod. Claſ. Hyſſopus Arabum, Adv. Lob. Ger. Officinarum teruba, C. B. P. Variet.*
2. *Spica brevi lata, J. B. Vulgaris comoſa, Cluſ. Hiſt.*
3. *Hirſuta, C. B. P. & Prod. Variat.*
4. *Folio Origani, Dal. Lugd. J. B.*

5. *Humilior*

- minor
  5. *Humilior Myrtifolia, Hort. Reg. Pariſ.*
  6. *Surculis denſis, Park.*
  7. *Sive parva anguſtifolia, C. B. P. Minor Hiſpanica, Park.*
  8. *Anguſtifolia ſpicata, C. B. P. Cluſ. Hiſt.*
  9. *Goritienſis floribus verticillatim ambientibus, J. B.*
  10. *Anguſtifolia montana aſpera, C. B. P.*
- capitata
  11. *Syriaca Satureiæ rigido hirſuto folio, Nobis. Hyſſopum montanum Macedonicum, J. B.*
  12. *Anguſtifolia hirſuta magno capite purpuraſcente, Nobis.*
  13. *Capillaceo folio hirſuto, capite magno vireſcente, Nobis.*
  14. *Cretica minor Thymi odore, Nobis. Thymus capitatus ſeu Dioſcoridis, C. B. P. Thymum cephaliton, Dod.*
  15. *E Cithæra foliis minimis confertis, Nobis. Thymus capitatus è Cithæra foliis minimis confertis, D. Pluk.*

1. Hyſſopus *vulgaris, Dod. Cluſ. Hiſt. Hyſſopus Arabum, Adv. Lob. Ger. Hyſſopus officin. cærulea ſive ſpicata, C. B. P. Hyſſopus vulgaris ſpicatus anguſtifolius, J. B. Caules* erigit dodrantales & pedales, lignoſos, in virgulas aliquot diviſos, ab imo ad faſtigium uſque *foliis* circumveſtitos oblongis, *Lavendulæ* ſimilibus, ſaturatius vero virentibus ac odoratis, amaro guſtu, quæ ſurſum verſus ſenſim minora fiunt. *Floſculi* galeati è ſuis conceptaculis, quinis, ſenis, ſepteniſque juxta folia conjunctis, *ſpicam* componunt, cauliculos tamen non orbiculariter ambiunt, ſed plerumque ad unum tantum latus exeunt, colore eleganter cæruleo, de quibus minutiſſima *ſtamina* dependent. *Semina* quaterna in ſingulo conceptaculo, oblonga, fuſca, ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 1.

Collibus aſperis Romaniæ, & Veronenſi *tractu, ſponte oriri dicitur. In hortis plurimis ſeritur, unde varietates ſuccedentes provenerunt:*

1. Hyſſopus *flore rubro, C. B. P. Hyſſopus Arabum flore rubro, Eyſt.*
2. Hyſſopus *vulgaris alba, C. B. P. Flore albo, Eyſt.*
3. Hyſſopus *Anglica foliis niveis, Park. Hyſſopus ab una parte alba, altera viridis, Lob.*
4. Hyſſopus *foliis aureis, Park.*
5. Hyſſopus *foliis latioribus criſpis, C. B. P. Foliis criſpis, Park.*
6. Hyſſopus *foliis atroviridibus, C. B. P.*
7. Hyſſopus *foliis latioribus, C. B. P. & Prod.*
8. Hyſſopus *foliis crenatis, Park.*

2. Hyſſopus *brevi ſpica lata, J. B. Hyſſopus comoſus, Cluſ. Hiſt. Hyſſopus umbellata, C. B. P. Cauliculis* eſt brevioribus, & ut plurimum humum verſus reclinatis; *foliis* paulo nigrioribus ac craſſioribus; *floſculis* vero in cacumine in brevis ſpicæ modum digeſtis, colore quoque pulchre cæruleo præditis, & vulgaris floſculis ſimilibus. *V. icon, tab. æn.* 1.

3. Hyſſopus *hirſuta, C. B. P. & Prod.* Hujus *folia* frequentius latiora ſunt & breviora, & cum caulibus ipſis molli hirſutie pubeſcunt. Floret ad eundem modum quo & vulgaris.

Varietas ejuſdem in Hortis reperitur, cujus *folia partim candida* & *partim viridia* cernuntur; *hirſuta* quoque ſunt

4. Hyſſopus *folio Origani, Dal. J. B. Hyſſopus rotundifolia ſpicata, forte Dioſcoridis, C. B. P.* Hyſſopi hoc genus nihil odore, ſapore, floris ſpica cærulea, diverſum eſt à vulgari, ſed ea re tantum, quod *folium Majoranæ Pulegiive* ſimile ac rotundum, in longum non porrigitur *vulgaris* modo. *V. icon. tab. æn.* 1.

5. Hyſſopus *humilior Myrtifolia, Hort. Reg. Pariſ.* A vulgari *foliis* præſertim dignoſcitur hæc ſpecies, quæ multo ſunt breviora, latiuſcula, mucronata. Humilior quoque eſt planta.

6. Hyſſopus *ſurculis denſis, Park.* Ramuſculis ſuis crebrioribus, tenuioribus, minus lignoſis, reclinatis, humilior apparet; inque his *folia* anguſta denſius ſtipantur. Quoad cætera cum vulgari convenit.

7. Hyſſopus *minor anguſtifolia, C. B. P. Hyſſopus parva anguſtis foliis, J. B. Lob. icon. An Hiſpanicus minor, Cluſ. Hiſt.*? Tenuis hæc planta *folia* profert penè capillacea, admodum tenuia, glabra. *Spicæ* in ſummitatibus cæruleis floribus minoribus onuſtæ ſunt. *Ex horto* Patavino *olim collectam habemus.*

8. Hyſſopus *anguſtifolia ſpicata, C. B. P. Anguſtifolia ſpicato flore, Cluſ. Hiſt.* Valde fruticat hoc genus, nec minus quam vulgare ſuis *virgis* ſe propagat, quæ ſeſquipedales interdum ſunt, duræ, lignoſæ, in multos virides, tenueſque ramos diviſæ. Hos obſident anguſtiora quam in vulgari *folia* viridia, calidi guſtus, alternis & ex adverſo inter ſe naſcentia. Summi rami deſinunt in *ſpicam florum* illos verticillatim ambientium, vulgaris ſimilium, minorum tamen, coloris cærulei. *Radix* dura, lignoſa, multifida, plurimiſque capillamentis firmata, ex qua etiam plures naſcentes *virgæ* humi interdum procumbentes, fibras agunt. *V. icon. tab. æn.* 1.

9. Hyſſopum *Goritienſe floribus verticillatim ambientibus, J. B.* Rectum, firmiuſculum eſt, *folia* producens glabra, per geniculos bina, unciam circiter longa, culmum lata, *Satureiæ* durioris ſimilia, & alia inter illa multa, ſed minora, odoris grati & ſuavis, ſapore nonnihil acri, cum leviſſima amaritudine; *ſpicam* unciis duabus longiorem, anguſtam ſive tenuem, tenuiorem multo quam in vulgari, multis parvis conſtantem verticillis, & ſecundum unumquodque verticillum foliola duo floribus longiora; *flores* non vergentes in unam partem, ut in vulgari, ſed ambientes, parvos, multis apicibus donatos, qui cærulei fuiſſe conjiciuntur. *J. B.*

10. Hyſſopus *anguſtifolia montana aſpera, C. B. P. Hyſſopum montanum Cilicium quibuſdam, J. B. Hyſſopus montana, Park.* Hæc à *vulgari Hyſſopo hortenſi* in paucis differt, foliorum nimirum anguſtia, duritie, aſperitate & hirſutie, ſapore amariore, minus acri.

11. Hyſſopus *capitata Syriaca Satureiæ rigido hirſuto folio, Nobis. Hyſſopum montanum Macedonicum, J. B. Forte Satureia hirſuta purpurea Libani, Dod. Mem.* E *radice* dura, lignoſa, fibris plurimis adnexis, *cauliculi* dodrantales, lignoſi, incana lanugine veſtiti, geniculati, proveniunt; quibus *folia* ex adverſo poſita, *Hyſſopi vulgaris* ſimilia, atrovirentia & rigidiora naſcuntur. Ex horum *alis* alia minora quoque regerminant. Summos caules occupant *foliola* crebriora, rigidiora, aſpera, acuminata, lanugine candida ciliari per margines ornata,

ornata, ſapore acri, aromatico, ad *Satureiæ* ſaporem accedente. Inter iſthæc *flores* hiantes, tubuloſi, coloris ruberrimi protruduntur; quibus *ſemina* quaterna, propriis ſuis calyculis contenta, ſubrotunda, fuſca, ſuccedunt.

Hujus ſemina à Reverendo Viro D. D. Huntington *ex* Aleppo *recepimus.*

12. Hyſſopus *anguſtifolia hirſuta Luſitanica magno capite purpuraſcente, Nobis. Thymum capillaceo folio hirſuto, magno capite purpuraſcente, Tournefortii.* Rara hæc planta, ſi longitudinem foliorum floreſque ſpicatos conſideremus, *Hyſſopo* potius quam *Thymo* accedens, à Botanico celeberrimo *D. D. Tournefortio Pariſienſi*, in perambulationibus ſuis *Luſitanicis* detecta, & à Cl. *D. D. Sherard* humaniter communicata eſt. A *radice* craſſa, lignoſa, plurimiſque capillamentis tenacibus firmata, *cauliculi* multi, imo viginti & plures, quaſi ceſpitem conſtituentes, geniculati, rigidi, palmares tantum, indiviſi, oriuntur. Hiſce ex ſemuncialibus intervallis, ad nodos naſcuntur *foliola* longa, anguſta, oppoſita, *Satureiæ hortenſis* ſimilia, rigida, pilis longiuſculis, albis, per margines præſertim, obſita; è quorum *alis* alia exigua, hirſuta proveniunt. *Folia* ad ſummum vergentia, ſeſe dilatant, & ex iſtis latis & mucronatis, in ambitu piloſis, purpuraſcentibus foliolis quaſi ſquamatum *caput* lagopoides, craſſiuſculum, unciale & ſeſcunciale componitur. Inter *ſquamas* haſce foliaceas, *flores* parvi, galeati, rubicundi emicant. *Odor* totius gratus ad *Stœchadis* odorem accedit.

13. Hyſſopus *capillaceo folio hirſuto, capite magno vireſcente, Nobis. Thymum capillaceo folio hirſuto, capite magno vireſcente, Tournefortii.* Viris prædictis, digniſſimis, debetur, quod hujuſce plantulæ elegantis notitiam acquiſierimus; cujus *radicula*, tenuis, dura & lignoſa eſt. Ex hujus autem ſummitate *cauliculi* geniculis intercepti, biuncialem & triuncialem longitudinem non ſuperantes, graciles, rotundi, exſurgunt; quibus *folia* anguſtiſſima & capillacea, longa, pilis in ambitu rarius diſpoſitis ex ornata, binatim prodeunt. In cauliculorum ſummitatibus *capitula* rotunda, ex foliis latis, trifariam diviſis, & mucronatis, piloſis, exterius vireſcentibus, interius purpuraſcentibus compoſita viſuntur. *Flores* ex his pro plantulæ modulo ſatis ampli, hiantes, tubuloſi, purpurei, cum apicibus in medio eminentibus, protruduntur.

14. Hyſſopus *capitata minor Thymi odore, Nobis. Thymus capitatus ſive Dioſcoridis, C. B. P. Thymum Creticum ſive Antiquorum, J. B. Thymum cephaliton, Dod. Thymus verus capitatus ſive Creticus, Cam. Thymum legitimum, Cluſ. Hiſt. Virgulis* lignoſis & ramoſis, pedalibus, crebrius geniculatis fruticat; quibus *folia* parva, oblonga, è regione ſita (cum aliis minoribus ex eorum *alis* emergentibus) naſcuntur. Ramuli foliis ſpoliati (præſertim in inferiore parte) frequenter nudi ſunt; cacuminibus vero *folia* fiunt latiora, denſius & ſquamatim compacta, quæ *capitula* uncialia, *Stœchadis* æmulantia, conſtituant. Inter hæc autem folia ſquamaſve *flores* galeati, purpurei, cum apicibus, prout in aliis fieri amat, proveniunt.

In Creta *Inſula copioſe, & in ſaxoſis prope* Syracuſas Siciliæ *urbem, & circa* Hiſpalin, *reperitur.*

15. Hyſſopus *capitata è Cithæra foliis minimis confertis, Nobis. Thymus capitatus è Cithæra foliis minimis confertis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 116. *Fig.* 4. Nova hæc ſpecies à Reverendo *D. D. Wheeler*, in ſuis peregrinationibus collecta, allata eſt. *Cauliculi* ei lignoſi, erecti, frequentius geniculati. *Foliola* plurima tenuiſſima, brevia, unciæ quadrantem ad ſummum longitudine vix excedentia, *Laricis* fere in modum confertim naſcentia, è ſingulis nodis emittit. *Flores* in ſummitatibus, glomeratam *ſpicam* ſubrotundam efficiunt. Tota planta pergrati eſt odoris.

Temperamentum & Vires.

Hyſſopus vulgaris *officinarum, & vulgo* Dioſcoridis *legitima putata, calida eſt & evidenti acrimonia prædita, ſicut omnes hujus claſſis lignoſæ & ſuave olentes. Potenter attenuandi & incidendi facultates obtinet: hinc in tuſſi, aſthmate, & ſimilibus pulmonum affectibus præcipue commendatur; utpote quæ lentam & craſſam materiam bronchias obſtruentem reſolvat, & expectoratu facilem reddat.*

Tam abſtergendi quam incidendi vim habet; ideoque tam ſtomachi quam pectoris vitiis corrigendis adhibetur. Porro ad urinam & calculos pellendos non inutilis habetur. Hiſce uſibus Syrupus adhibetur: cavere ſibi ab ejus calore oportet febricitantes.

Externè in contuſionibus, præſertim in oculorum ſugillatione multum valere dicitur, idque ex auctoritate Galeni: *nam ſummitates tuſæ & in nodulo ligatæ, poſtquam in aqua fervente (vel vino) aliquandiu bulliverint, ſi ſugillatis oculis tepidæ applicentur, ipſum livorem tollunt; ſi non & ipſum ſanguinem congrumatum extra cutem educant. Sed de hac re vid.* Sim. Pauli *Claſſ.* 3. *p.* 351.

PLANTA GALEATA

Verticillata ſpicata.

CAPUT VII.

Coris.

Coris *dicitur quaſi* Κόρη, *id eſt puella, nempe hilaris & pulchra; & quoniam hæc herba ſuo aſpectu pulchritudinem quandam præ ſe fert, ideo* Coris *appellatur.* Κόρη Græcis *exponitur etiam illud nigrum quod eſt in medio Oculi, cui ſemen ſimile producit hæc planta.*

Coris *cærulea maritima, C. B. P. Coris Monſpeliaca, Adv. Lob. Cam. Tab. Coris Monſpeſſulana purpurea, J. B. Monſpeſſulanis Coris* appellatur hæc concinna planta, quæ ex *radice* craſſa, lignoſa, nigricante, quamplurimas per terram ſparſas emittit virgulas, ut vix utraque manu coactas omnes poſſis interdum complecti, palmares

mares aut bipalmares, tenues, rubentes; per quas *folia* denſiſſima, *Thymi* foliis quodammodo ſimilia, ſed longiora, æquabili uſque latitudine & *Thymi* foliis minus nigra. Summæ virgulæ *ſpicas* ſuſtinent, uncias circiter duas longas, *Thymi vulgaris* craſſiores, confertiſſimis *floribus* ſtipatas immortali purpura cæruleove colore arridentibus, hiantibus, è quatuor partibus compoſitis bifidis. His ſuccedunt *calyces* parvi, in quinque aculeos exeuntes, *ſemen* continentes parvum, nigrum, rotundum; nullus in ulla parte plantæ ſive odor, ſive ſapor manifeſtus ſentitur. *J. B.*

Ad radices montis Cetii, *& in ſterilibus* Garrigues *dictis*, Salenovæ, lou Tarrall, *alibique haud longe à* Monſpelio *copioſe reperitur. Menſibus primis æſtivalibus floret.*

Hanc plantam floribus albis donatam in maritimis prope Magalonam *collegit* D. Magnol.

Coris lutea, C. B. P. Coris Matth. Lob. Lugd. Vid. Euphraſia lutea.

Coris legitima Bellonii non eſt alia quam Hypericum.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ ſpicatæ.

CAPUT VIII.

Prunella vel Brunella.

PRunella *à foliorum forma, Pruni folia referentium à quibuſdam nuncupatur. Brunella ab effectu dicitur; eo quod faucium & linguæ ardentibus affectibus,* Cauſo Ungarico, *maloque caſtrenſi* Die Braun & Brune *dictis, medeatur.*

Prunella *ſpicis* oblongis, craſſiuſculis, ſingularibus, erectis, & *floribus* decidentibus, imbricatim compactis, facili negotio ab aliis dignoſcitur.

TABULA VI. SECT. XI.

Prunella
- *latifolia*
  - *parvo flore*
    1. *Vulgaris, Trag. Park. Prunella major folio non diſſecto, C. B. P. Flore minore vulgaris, J. B. Flore albo & rubro variat. Folio laciniato, C. B. P. 2. Cluſ. Pan. & Hiſt.*
    2. *Minor alba laciniata, C. B. P. Prunella flore albo parvo, folio laciniato, J. B.*
    3. *Luſitanica capite reticulato, fol. Pedicularis, Tournefort.*
  - *magno flore*
    4. *Cærulea, C. B. P. Grandiflora, Cam.*
    5. *Laciniata purpureo flore, J. B.*
    6. *Folio integro glabriore & longiore.*
- *anguſtifolia*
  7. *Integra hirſuta, Nobis. Prunella anguſtifolia, J. B. Brunella Hyſſopi folio, C. B. P.*
  8. *Glabra integrifolia Alpina, Hort. Reg. Bleſ.*
  9. *Sive Hyſſopi folio viridi, magno flore, Nobis. Chamæpitys cærulea Auſtriaca, C. B. P. Chamæpitys Auſt. Cluſ. Pan. & Hiſt.*

1. Prunella *vulgaris, Trag. Park. Brunella flore minore vulgaris, J. B. Brunella major folio non diſſecto, C. B. P. Prunella vel potius Brunella officin. Eyſt.* Dodrantales & quadrangulares illi *caules* ſunt, parum villoſi, per intervalla quaſi geniculati. E ſingulis nodis rarioribus, contrario ſitu, bina emittuntur *folia*, tam ſuperne quam inferne parum villoſa, guſtus adſtringentis, *Origani* fere æmula, ſed majora & longiora, quorum inferiora quædam pediculis longis inſident. *Flores* ſummis cauliculis ſe exhibent galeati, ſaturate purpurei, in calycibus foliaceis imbricatim diſpoſitis, qui ſpicam craſſiuſculam, uncialem & ſeſcuncialem conſtituunt. *Semina* in utriculis minuta, pallidiuſcula ſuccedunt. *V. icon. tab. æn. 5.*

In paſcuis & pratis ſiccioribus frequens occurrit. Junio & Julio menſibus floret.

Flore eſt frequentius *purpurocæruleo*; rarius *albo; cinereo,* & interdum *carneo.* Foliis etiam variat, quæ *laciniata*, præſertim cauleſcentia, quandoque reperiuntur; varioſque florum colores produnt.

2. Brunella *minor alba laciniata, C. B. P. Prunella flore albo, parvo folio laciniato, J. B. Prunella* 2. *non vulgaris albo flore, Cluſ. Hiſt. Forte Brunella Bætica annua fol. laciniatis, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Huic *folia ad radicem* per terram ſtrata, vulgaris foliis longiora ſunt & integra, petiolis inſidentia. Quæ caulium palmarium geniculis adnaſcuntur, in aliquot profundas lacinias diviſa ſunt. Floret ad eundem modum quo & vulgaris, frequentius vero *flores* albi ſunt, aut ochroleuci, paſſim purpureis & ſubcinereis permiſti. *V. icon. tab. æn. 5.*

Circa Monſpelium, *in variis herboſis & gramineis locis reperitur, quæ ſæpe biuncialem altitudinem non ſuperare invenitur; & in ſterilioribus, tomento candido obducta eſſe obſervatur.*

3. Prunella *Luſitanica capite reticulato, folio Pedicularis, Tournefortii. Cauliculis* quadrangularibus, palmaribus & dodrantalibus, longis internodiis donatis, aſſurgit; quibus *folia* uncialia, anguſta, ſinuata & laciniata, *Pedicularis* pene ſimilia foliis, hirſuta, è regione adnaſcuntur. *Capitula* è foliolis longioribus & acutioribus laciniis donatis, ſquamatim compacta ſunt; quorum margines pilis candidis adeo ſunt obducti, ut reticulatum totum caput appareat. *Flores* huic cum aliis *Brunellis* communes ſunt.

4. Prunella *cærulea magno flore, Eyſt. Brunella, C. B. P. J. B. Prunella grandiflora, Cam. Prunella* 1. *vel major,*

jor, Cluſ. Pan. & Hiſt. Caulis quadrangularis eſt, pedem quandoque altus, molliter hirſutus, rectus, binis geniculatim poſitis ſubhirſutis, oblongis *foliis*, & leviter crenatis, æquali ortu, ornatus. Prunellæ vulgatioris modo, quam etiam cacuminis *flores* referunt, è cæruleo colore ſaturate purpurei, niſi quod *ventre* laxiore & *galea* grandiore illam ſuperent. Sequuntur *flores* oblongi, ſeminum utriculis ſummo tenus nonnihil denticulati, in quibus ſingulis quaterna latent *ſemina* puſilla, palleſcentia, *Ocimi* minora, lævia. *Radix* ſubnigricat, plurima fibrata ſobole annuatim ſe multiplicans. *Variat etiam flore albo. V. icon. tab. æn. 5.*

5. Prunella *laciniata flore magno purpureo, J. B.* Caule eſt palmari, hirſuto, cujus ſingulas junctûras ornant bina ex adverſo poſita *folia*, inferiora quidem unciali pediculo nixa, (ſuperiora minori) tandem etiam nullo, unciam & ſeſcunciam fere longa, ſubhirſuta, in adverſas lacinias diſſecta. *Flores* inter ſpicæ uncialis ſquamata folia, ſubrubentia, emicant magni, tres unciæ quadrantes æquantes, hiatu patulo ſtamina emittentes, purpuraſcentes.

Montbelgardi *Julio & Auguſto menſibus florens obſervavit* Jo. Bauh. *Etiam foliis non laciniatis ibidem reperitur. Eſt &* Prunella *flore magno albo, folio laciniato.* J. B.

6. Prunella *magno flore, folio integro glabriore & longiore. Caules* huic eriguntur quadrati, dodrantales & pedales, quibus *folia* biuncialis & triuncialis longitudinis, nulla inſigni hirſutie prædita, abſque petiolo, binatim adhærent. *Spicæ* è foliaceis latis *ſquamis* compactæ, inter quas utriculi, in margine quinquifidi, latitant; & ex his *flores* hiantes, purpurei emicant.

Undenam D. Sherard *attulerit, nos latet.*

7. Prunella *anguſtifolia integra birſutior, Nobis. Prunella anguſtifolia, J. B. Brunella Hyſſopi folio, C. B. P. Cauliculis* aſſurgit dodrantalibus, geniculis crebrioribus interceptis. Ad ſingula genicula bina è regione ſita ſunt *folia* longa, anguſta, *Hyſſopi vulgaris* perſimilia, niſi quod hirſutiora ſint; quibus facile dignoſcitur. *Spicis & floribus* cum vulgari convenit.

8. Brunella *Alpina glabra folio anguſto integro, D. Moriſ. Prælud. Bot. Folia* edit mucronata, glabra, anguſta, rigida, *caulibus* ſemipedalibus è regione adnaſcentia. Horum ſummis apicibus verticillatim, denſe diſpoſiti, innaſcuntur *flores* galeati cærulei, nonnunquam purpurei; qui decidui, capſulas verticillatas, in ſpicam degenerantes, relinquunt, aliarum Prunellarum ad inſtar.

9. Prunella *Hyſſopi folio viridi, amplo flore cæruleo, Nobis. Hyſſopus Auſtriaca magno flore, foliis Chamæpityos, Hermanni. Forte Chamæpitys Auſtriaca, Cluſ. Pan. & Hiſt. Chamæpitys cærulea Auſtriaca, C. B. P.* Plurimos quotannis è *radice* fibroſa *caules* emittit quadratos, geniculis uncialibus interceptos, dodrantem longos. Iſtis utrinque ſibi oppoſita naſcuntur *folia, Hyſſopi vulgaris* aut *Roriſmarini* ſimilia, ſuperne viridia, inferne modice candicantia; è quorum alis, *ramuſculi* conſimilia folia, ſed minora, proferentes proveniunt. Summos ramulos verticillatim ambiunt rigidiuſculi *calyculi*, è quibus exeunt *flores, Prunellæ* amplioris effigie, elegantiſſimi purpurocærulei coloris. His dehiſcentibus *ſemina* in fundo calycis, quaterna, oblonga, anguloſa, ſubnigricantia ſuccedunt. *V. icon. tab. æn. 5.*

Plantam titulo Chamæpityos Auſtriacæ non ſemel recepimus, & per varios annos in Horto aluimus; ſed nunquam folia diviſa obſervare licuit, qualia deſcriptio & ſculptura Cluſii *referre videntur. An eadem ſit planta necne in medio reliquerim.*

Temperamentum & Vires.

Temperie ſicca eſt & moderate calida; abſtergit & conſolidat. Hac *ad varia humani corporis vulnera, ſuperficiaria, profunda, vetera, recentia; & præſertim adverſus ulcera oris & faucium, Medici & Chirurgi in decoctu feliciſſimo ſucceſſu utuntur.* S. Paulli.

Adverſus ulcera faucium, earumque inflammationes in angina, ac porriginem oris & linguæ in febribus acutis, ſumitur in Gargariſmate. In Hæmoptyſi vaſa ſanguinifera ferruminat interne ſumpta. Lapſis ab alto & contuſis auxiliatur in potationibus traumaticis propinata.

Cum axungia contuſa & applicata, ad vulnera recentia exſiccanda, glutinanda & conſolidanda, apprime confert.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ ſpicatæ.

CAPUT IX.

Betonica.

Βετονικὴ Dioſc. *l.* 4. *c.* 1. Betonica Latinis *quaſi* Vettonica, *à* Vettonibus *ſeu* Vectonibus, Hiſpaniæ *populis, qui primi ejus uſum invenere, nomen adepta eſt.* Κλῆρον (*quaſi* ἀπὸ τῆς ἀκέσεως *h. e. à medendo*) *à remediorum copia & varietate, appellatur.*

Betonica eſt Planta galeata verticillata, ſpica habitiore, ſingulari verticillo ſub ſpica, ut plurimum, foliis latioribus, integris, crenatis, donata.

TABULA VII. SECT. XI.

- Betonica
  - minor
    1. *Vulgaris, Cluſ. Hiſt. Dod. Betonica purpurea, C. B. P. Vulgaris purpurea, J. B.*
    2. *Spica longiore & molliore, Cluſ. Hiſt.*
    3. *Foliis rotundis, flore albo, Mentz.*
    4. *Sive minima Alpina Helvetica, Park.*
  - major folio
    - obtuſo
      5. *Daniæ, Park. Theat.*
      6. *Hirſuto, floribus purpureis ampliſſimis, Mentz.*
      7. *Ramoſa Mauritiana dicenda, Floræ Altdorf.*
      8. *Alpina latifolia villoſa flore luteo, H. R. P.*
      9. *Fruteſcens maculato folio, Bontii.*
      10. *Fruteſcens Madraſpatana villoſis foliis, profunde venoſis, D. Pluk. Phyt. Tab. 150.*
    - mucronato
      11. *Virginiana elatior foliis Scrophulariæ glabris, flore ochroleuco.*
      12. *Virginiana elatior foliis Scrophulariæ glabris, flore carneo.*

13. *Betonicæ folio Alopecuros quorundam, J. B. Betonicæ folio, capitulo Alopecuri, C. B. P.*

1. Betonica *vulgaris, Cluſ. Hiſt. Betonica, Dod. Matth. Ger. Betonica purpurea, C. B. P. Betonica vulgaris purpurea, J. B. Vetonica, Cord. in Dioſc.* E *radice* nodoſa craſſiuſcula, fibris longis albis adnexis, proveniunt *folia* humi ſtrata, pediculis longis appenſa, pollicem lata, binos longa, ſubrotunda, obtuſioribus crenis denticulata, ſubhirſuta, atrovirente colore donata. Inter hæc *caules* quadrati pedales, ex longo intervallo nodoſi, protruduntur; quibus bina ex adverſo naſcuntur *folia* anguſtiora, & crenata. Infra ſpicam ad aliquam diſtantiam, unicum florum *verticillum caulem* ambit. *Spica* ex calycibus quinquepartitis verticillatim denſe diſpoſitis conficitur, è quibus *flores* hiantes purpurei, galea reflexa ſubrotunda, labello trifido demiſſo, & è medio rictu *ſtamina* flori concoloria, emicant. Semina parva, anguloſa, fuſca, oblonga, *Hyſſopi* pene ſimilia. *V. icon. tab. æn. 5.*

In ſylvis & dumetis, necnon in pratis & ad ſepes, hæc frequens oritur. Junio & Julio menſibus floret. Invenitur etiam floribus albis, quod & in aliis plantis concolores flores proferentibus videre licet.

2. Betonica *ſpica longiore & molliore 2. Cluſ. Hiſt.* Hanc in montoſis herboſis locis *Pannoniæ* & *Auſtriæ Cluſius* invenit, quæ in majorem altitudinem excreſcit; ſpicaque longiore, molliore & magis fuſca apparet; etiam ſerius flores ſuos explicat. Has ſervat diſtinctiones, quanquam eodem loco naſcatur, vel eodem pulvino excolatur.

3. Betonica *foliis rotundis, flore albo, Mentz.* Nomine ſolo dignoſcitur hæc Betonicæ ſpecies, quam *Cl. Chriſt. Mentzelius* in Alpibus detexit, & in *Pugillo* ſuo *Rariorum Plantarum*, in lucem edidit.

4. Betonica *minima Alpina Helvetica, Park. An Betonica parva foliis anguſtis, floribus exiguis rubris, Mentz?* Hæc *foliis* & *floribus* minoribus, *caulibuſque* humilioribus, à vulgari potiſſimum differt: ſpica quoque brevis, rotunda & glomerata eſt. *Vulgari valde ſimilis eſt. V. icon. tab. æn. 5.*

5. Betonica *major Danica, Park.* Ad vulgarem accedit: *foliis* vero duplo amplioribus, *caulibus* altioribus, imo bipedalibus, firmioribus, *ſpiciſque* majoribus, *flores* purpureos gerentibus, donatur; odoremque ſpirat graviorem.
Datur etiam eadem *floribus albis. V. icon. tab. æn. 5.*

6. Betonica *foliis hirſutis, floribus purpureis ampliſſimis, Mentz. Pugill. Folia* hujus tanquam lanugine obſita ſunt. *Flores* magni floribus *Lamii* ſimiles, ex *ſpica* emicant.
Circa Piſtoiam *in* Appenninis *montibus collegit auctor.*

7. Betonica *major ramoſa Mauritiana dicenda, Floræ Altdorfin.* Cum vulgari naſcens, in adſcenſu ad *Mauritii* montem, verſus meridiem, & in pratis verſus ſeptentrionem, collecta eſt.

8. Betonica *Alpina latifolia villoſa flore luteo, Hort. Reg. Pariſ. Horminum Alpinum luteum Betonicæ ſpica, Raii.* Huic *folia* pediculis longiſſimis, villoſis, infidentia, latiora, ampliora, ſed breviora, utrinque molli tomento pubeſcentia, denticulis majoribus, donantur. *Caules* eriguntur firmi, pedales, hirſuti, binis ut plurimum geniculis intercepti, quibus folia bina, æquali ſitu, ſubrotunda, crenata etiam & piloſa, ad primum geniculum pediculis uncialibus donata, ad alterum iis deſtituta, & minora, adnaſcuntur. *Spica* in ſummitate integra eſt, uncialis & amplior, cui bina ſubjiciuntur *foliola*, vulgari craſſior, è pluribus utriculis quinquifidis, piloſis, compoſita; ex quibus *flores* galeati, pallide lutei, cum apicibus ſuis in medio exeunt.
In montibus max. Carthuſianorum *cœnobio imminentibus raram hanc ſpeciem collegit* D. Raius. *Munificentiæ Cl.* D. D. Sherard *debemus acceptam.*

9. Betonica *fruteſcens maculato folio, Bontii,* qui hiſce verbis deſcribit: maculas fert in foliis ſuis quales in *Pulmonaria* videmus; *flores* tamen ſeu ſpicæ ejus eam de *Betonicæ* genere eſſe arguunt: colore ſunt *floſculi*, qui mille fere in una ſpica exiſtunt, ex pallido cyaneo, quali gaudent flores *Roriſmarini.*

10. Betonica *fruteſcens Madraſpatana villoſis foliis profunde venoſis, D. Pluk. Phyt. Tab. 50. Fig. 5.* Quantum ex exſiccato exemplari, ex *India* Orientali accepto, colligere licet, in lignoſam ſubſtantiam, haud proceræ magnitudinis, ſed in ramulos ſe dividens, adoleſcit; quibus alternatim, ut plurimum, *folia* ovalia, *Betonicæ* formam referentia, parva, unguis humani latitudinem haud ſuperantia, ſinuata & rugoſa, villoſa, profundis lineis venoſa, ambitu dentata, petiolis brevibus infidentia, adhærent. Summi ramuſculi in *verticillum* ſingulare, è florum calycibus parvis, oblongis, margine quinquifidis, quibus quatuor continentur *ſemina* exigua, compoſitum terminantur. *Floris* color nondum compertus eſt.

11. Betonica *Virginiana elatior foliis Scrophulariæ glabris, flore ochroleuco.* Ad bipedalem & tripedalem altitudinem, *caulibus* quadrangularibus, erectis, geniculatis, interdum ramoſis, aſſurgit. *Folia* ad genicula longis intervallis diffita, & petiolis uncialibus & biuncialibus infidentia, palmum fere lata, ad caulem ſubrotunda,

tunda, in mucronem acutum desinentia, in ambitu Betonicæ denticulationibus crenata sunt. *Spicæ* in caulium cacuminibus nascentes, digiti humani longitudinis, & crassitiei, è pluribus minoribus calyculis, verticillatim ambientibus compactæ, *flores* galeatos, parvos, ochroleucos, seu sulphurei coloris protrudunt. *V. icon. tab. an. 4.*

E seminibus parvis subfuscis, è Virginia *receptis, nata est. Schol. Bot. Paris. ejusdem mentionem facit.*

12. Betonica *Virginiana elatior Scrophulariæ foliis glabris, flore carneo.* Huic *caules* digiti parvi crassitudine, quadrati, glabri, longis internodiis distincti, ad tripedalem & tricubitalem altitudinem attolluntur. Ad eundem modum quo & in præcedenti *folia* ampla *Scrophulariæ* aut *Urticæ* majoris forma, in longiorem vero mucronem exporrecta, margine dentata, glabra, ex adverso posita, exeunt. *Spicæ* insignes dodrantalis sunt longitudinis, quas quamplurima vascula, in margine quinquifida, verticillatim ambientia componunt. Ex horum autem medietatibus *flores* quadrifidi, exigui, carnei, protruduntur.

E seminibus oblongis, exiguis, subnigricantibus, à D. D. Sherard *acceptis, orta est.*

13. Betonicæ *folio Alopecuros quorundam, J. B. Betonicæ folio, capitulo Alopecuri, C. B. P. Alopecuros montana, Lugd.* Est *radice* nigra, tuberosa, fibrata; caulibus multis cubitalibus rotundis, ima parte vestitis corticis quibusdam exstantibus veluti laciniis, partim è nigro colore rufis, densius congestis, in cuspidem desinentibus; foliis *Betonicæ* rotundioribus, brevioribus, latioribus, venosis, qua medius nervus protenditur nigris, ad extremum oræ marginem valde crenatis, magnis intervallis per caulem prodeuntibus, geminis ex adverso positis. In caulium vertice ex geminorum foliorum tanquam ala *caput* exoritur, oblongum, metæ figura, innumeris villis hispidum, densissime stipatis, candicantibus, eleganti prorsus hujus congeriei figura, emicanti omni ex parte illa pilorum cæsarie. Ordo, & densitas utcunque *vulpinæ caudæ* speciem æmulatur, unde nomen impositum est. *J. B.*

Cum nec flores *nec* fructus *descripsit auctor, an hanc sibi sedem jure vindicet, incertum est.*

Temperamentum & Vires.

Betonica *subacris est & amariuscula, minus calida, licet non minus sicca quam sunt* Galeatæ & Aromaticæ, *ad quas odore tantum nonnihil accedit. Herba est magnarum virium, præcipue vero in cephalicis quibuscunque affectibus. Vim habet vulnerariam, quæ in capitis vulneribus & contusionibus sanandis efficacior. Tam in potionibus diureticis quam vulnerariis bibitur.*

Ob vim alexipharmacam multum laudatur à Dioscoride. *Vitiis & obstructionibus medetur thoracis, hepatis, lienis: imo ad omnes fere partes affectas sanandas confert; nam ob plurimas & eximias quas possidet virtutes remedium πολύχρηστον habetur.*

Antonius Musa *medicus* Augusti Cæsaris, *de* Betonica *integrum scripsit libellum; opus quidem illi potiore jure quam* Apuleio Madaurensi *adscriptum. Remediorum copiam ac varietatem quam è dicto libello excerpsit* S. Paulli, *vide sis in opere Quadripartito Botanico.*

Radices *quoad effectus plane dissimiles sunt* foliis & floribus; *nam stomacho sunt ingratæ, nauseam & vomitum cientes. Quin & eisdem terra recens erutis vim inebriativam inesse observavit* Bartholinus.

PLANTA GALEATA

Verticillata spicata.

CAPUT X.

Camphorosma.

CAmphorosma *trifoliata flore carneo.* Egregia hæc planta ab odore denominata, ex Insulis *Canariis*, nomine *Permento de Tana*, advecta est, cui alia nulla (quod scimus) affinis est. *Caules* è radice fibris fuscis comata, profert bipedales, quadrangulares, fuscovirides, in quosdam ramusculos brachiatos, geniculatos. Ex horum nodis *petioli* exeunt, è regione siti, unciales & biunciales, trianguli, quorum bini anguli (ut & genicula) modice sunt hirsuti, *folia* mollia fulcientes, *Menthæ* rugositate prædita, venosa, ut plurimum trifoliata, media parte longiore: quædam enim inferiora, quinquepartitam divisionem cannabinam obtinent; singula etiam pars è pollicari latitudine & in biuncialem longitudinem extensa, mucronata, ambitu dentata est. Tota planta *odorem* insignem *Camphoræ*, cum *Aloes* tinctura commixtæ, admodum gratum, primo tactu & compressione spirat. Summi caules in *spicam* latiusculam uncialem & biuncialem, ex floribus calycibusque contiguis compositam, terminantur. Singulus autem *flos* è calyce longo & striato expulsus, in tubulum efformatus, gutture ventricoso & *Dracocephali* in modum pene intumescens, atque aliarum hujus *Sectionis* ritu, in quatuor partes in ore dividitur (cujus *galea* bifida est, mentumque leviter dentatum) totus colore carneo aut ex albo purpurascente infectus, lineis albis, intus præsertim, à dorso quasi costatus; galeaque quaternis staminulis cum apice, subnixa est. Decusso flore, *semina* succedunt quaterna, oblonga, exigua, fusca, *Menthæ* æmula.

PLANTÆ

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ ſpicatæ.

CAPUT XI.

Mentha.

MEntha *dicitur* Latinis, & Menta, *ſine aſpiratione, quia mentem feriat, animum excitet, ſpirituſque oblectet, gratia odoris, inquit* Plin. *lib.* 20. *c.* 14. Græcis ἡδύοσμον, *ab* odoris ſuavitate *dicta eſt.* Μίνθος *à quibuſdam exponitur* lanugo, *muſcidave pubes in humentibus & putreſcentibus rebus nata, quoniam* Mentha *quodammodo piloſa videtur; & hoc maxime intelligendum eſt de* Mentha ſylveſtri *ſive* Mentaſtro.

Mentha duplex eſt, vel ſpicata, vel verticillis per intervalla diſpoſitis donata. Utraque *flores* profert parvos, in quatuor ſegmenta æqualia diviſos; *folia* ſuave olentia. *Radicibus* repentibus geniculatis, ab omnibus plantis hujus ſeriei facile dignoſcitur.

TABULA VIII. SECT. XI.

- *Mentha ſpicata*
  - *viridior folio*
    - *longiore*
      1. *Romana ſive præſtantior, Lob. Mentha anguſtifolia ſpicata, C. B. P.*
      2. *Glabriore, rubra, Nobis. Mentha ſativa rubra, Ger.*
      3. *Nigriore, & minus incanis foliis, C. B. P. Mentaſtrum Campenſe, Lugd.*
    - *rotundiore*
      4. *Criſpa, C. B. P. Mentha ſativa altera, Dod.*
      5. *Criſpa Danica ſive Germanica ſpecioſa, Park.*
  - *caneſcens folio*
    - *longiore*
      6. *Sylveſtris, C. B. P. Mentaſtrum ſylveſtre folio longiore candicante, J. B.*
      7. *Argenteo, raro florens, ex Aleppo.*
    - *rotundiore*
      8. *Sive Mentaſtrum ſpicatum cultum folio rotundiore rugoſo, J. B.*
      9. *Sive mentaſtrum folio rugoſo rotundiore ſpontaneum, flo. ſpicato, odore gravi, J. B. Variat foliis variegatis, unde Mentaſtrum niveum Anglicum, Lob.*
      10. *Nepetæ facie tuberoſa, Nobis. Mentaſtrum tuberoſa radice, Cluſ.*
      11. *Nepetæ facie, Betonicæ folio, Nobis. Stachys Betonicæ folio, Hort. Lugd. Bat.*
      12. *Radice geniculata, quæ* 2. *C. B. in Prod.*

1. Mentha *Romana ſive præſtantior anguſtifolia, Lob. Mentha anguſtifolia ſpicata, C. B. P. Mentha ſpicata folio longiore acuto, glabro, nigriori, J. B. Mentha Romana, Ger. Mentha anguſtifolia ſive Cardiaca, Park.* Non ſecus ac aliæ *Menthæ radicum* longo reptatu, ſubinde fibris demiſſis, ſe promovet, *caulibus* bipedalibus, ſubrubentibus, quadratis. Ex horum porro nodis per certa intervalla gemini adverſi rami exeunt, ita ut inferior ſemper cum ſuperiore in formam crucis committatur; qualis & foliorum eſt alternatio, tam in caulibus quam in ramis. (Qui quidem foliorum ſitus omnibus verticillatis plantis competit, quamvis non ita conſpicuus in pleriſque) Sunt autem *folia* oblonga, acuta, atrovirentia, aliquantulum rugoſa, minimum hirſuta, per ambitum ſerrata, *odore* grato ac reficiente donata. *Florum* puſillorum, quadripartitorum, purpuro-albidorum, punctulis rubentibus guttatorum *verticilli* longiuſcula ſerie ſpicam effigiant. *V. icon. tab. æn.* 6.

2. Mentha *ſpicata longifolia glabra, ſive rubra, Nobis. Mentha ſativa rubra, Ger. emac.* Ad præcedentem accedit. Ramuli pullulantes obtuſis *foliis* rotundioribus, purpuraſcente aut ſubrubente colore infectis, glabris, donantur. *Folia* ſuperius naſcentia, longa ſunt, & acuta, glabriora vero, *odore* ſatis grato, ſed non tanto gradu quanto in præcedenti. *Flores & radices* conſimiles ſunt.

3. Mentha *ſylveſtris longioribus nigrioribus & minus incanis foliis, C. B. P. Mentaſtrum Campenſe, Lugd. Mentaſtrum aliud, Lob.* Inter longifolias numeretur hæc Mentha; *folia* vero præcedentum latiora, mucronata, caulibus binatim adnaſcuntur; odorque gravior eſt. *Fortaſſe ad Calaminthæ ſpecies reducenda eſt.*

4. Mentha *rotundifolia criſpa ſpicata, C. B. P. J. B. Mentha rotundifolia altera flore ſpicato, ſive cruciata Mentha, Lob. Cruciata ſive criſpa, Ger. Sativa altera, Matth. Dod. Caules* quadrati, ſubhirſuti, infima parte ſubrubentes. *Folia* è geniculis ex adverſo, criſpa, rugoſa, vix hirſuta, ſerrata, ſubrotunda, in mucronem deſinentia, odorata pronaſcuntur. *Flores* purpuraſcentes in *ſpicas* unciales & ſextantales digeruntur. *V. icon. tab. æn.* 6.

5. Mentha *criſpa Danica ſive Germanica ſpecioſa, Park.* Communi facultate reptatrice radix donatur. *Caules* quadrati nunc integri, nunc in ramulos diviſi, cubitales ſunt; quibus ex oppoſitu ad ſingula genicula proveniunt *folia* ſubrotunda, ampliſſima, unciam unam aut alteram lata, profundius ſerrata, laciniata, & veluti criſpa. *Flores* in *ſpicis* habitioribus, obtuſioribus, & frequenter brevioribus, purpuraſcentes, tubuloſi, in

in ore quadrifariam diviſi, denſe congeſti ſunt. Hæc *foliis* ſuis latis, viridibus, criſpatis, & *odore* grato validiore, & idcirco ad uſus deſtillatorios magis apta, ab aliis dignoſcitur. *V. icon. tab. æn. 6.*

6. Mentha *ſylveſtris folio longiore, C. B. P. Mentaſtrum ſpicatum folio longiore candicante, J. B. Mentaſtrum vulgare, Lugd. Mentaſtrum ſylveſtre, Eyſt.* *Radix* geniculata fibris demiſſis, ſurculorum regerminantium fœtu, abunde ſe propagat. Hinc *caules* quadrati, cubitum unum aut alterum alti, villoſi, ſuperiore parte ramoſi, oriuntur. *Folia* ut in aliis Menthæ ſpeciebus ſita, longa ſunt, anguſta, acuminata, per ambitum ſerrata, molli lanugine candicantia, præſertim ab inferna parte. *Flores* ramulis ſupremis ſpicatim naſcuntur pallidiores. Odor totius ante explicatarum odore gravior eſt. *V. icon. tab. æn. 6.*

Circa urbem Montbelgard *juxta rivos abundat. Prope rivum* Burwelbeck, *in agro* Lincolnienſi *detexit Cl. D.* Liſter.

7. Mentaſtrum *Chalepenſe elatius argenteum anguſtifolium, raro florens.* Hujus *folia*, præcedentis æmulantia, argenteo tomento utrinque obſita, candidiora ſunt. *Caules* erecti proceriores, adeo tarde *flores* ſuos ſpicatos emittunt, ut niſi autumno favente conſpicere raro liceat.

E ſemine puſillo fuſco ex Aleppo *recepto nobis natum eſt.*

8. Mentaſtrum *ſpicatum cultum folio rotundiore rugoſa, J. B. Mentha rotundifolia ſpicata altera, C. B. P.* In hortis colitur, odioſo reptatu hortulanis parum grata. Caulibus eſt pluribus quam *Mentha criſpa ſpicata*, nigrioribus, hirſutis, & mollioribus quam *Mentha criſpa verticillata.* *Flores* ſpicatim digeſti, minimi. *Odor* gratus. J. B. *V. icon. tab. æn. 6.*

Menthæ ſpeciem hoc nomine recepimus, cujus *folia* ſuccedentis ſimilia ſunt, rotunda; viridiora tamen, rugoſa, & minora.

9. Mentaſtrum *folio rugoſo rotundiore ſpontaneum, flore ſpicato, odore gravi, J. B. Mentha ſylveſtris rotundiore folio, C. B. P. Mentaſtrum foliis orbiculatis, Cæſalp.* Caules erigit cubitales, quadrangulares, & hirſutos, *folia* ex intervallo in contrariis lateribus, alterno ordine & cruciformi proferentes, longitudine beſſis, latitudine autem unciam quartam aut tertiam partem excedentia, rugoſa atque lanuginoſa pube obducta. Ramulos ſupra medium plerumque caulis è foliorum ſinu producit, vere & æſtate numeroſis undique *floribus* in candido colore rubentibus & hiantibus, denticulatis calycibus inſidentibus & poſitu quandam ſpicæ imaginem referentibus circumdatos, quibus exiguum nigrumque *ſemen* ſuccedit. *Radice* nititur multis capillamentis fibrata, laterales viticulas propagationis cauſa in terra ſpargente, & perenni. Saporem habet amarum acrem & adſtringentem; odorem vero gravem & acrem, non injucundum. *J. B.*

Locis aquoſis & pratis variis Angliæ, Germaniæ, & Galliæ *reperitur. Variat foliis partim albis, partim viridibus; interdum omnino albis, unde Mentaſtrum niveum Anglicum, Lob. Mentaſtrum ſpicatum folio variegato, C. B. P.*

10. Mentha *ſpicata caneſcens Nepetæ facie, radice tuberoſa, Nobis. Mentaſtrum tuberoſa radice, Cluſ. Hiſt.* Cubitales habet *caules* quadrangulos, rectos, frequentibus nodis cinctos, ſubhirſutos; *folia* longiuſcula, rugoſa, ſingulos nodos æquali ſed oppoſito ſitu ambientia. Summi rami cum extimo caule, in molles, caneſcentes, exilium foliorum *ſpicas* deſinunt, & inter ea verticillorum ritu, compoſiti naſcuntur *coliculi*; è quibus prodeunt *floſculi* pallide cærulei, *Cattariæ Menthæ* florum æmuli. Iſtis ſuccedunt *ſemina* exilia, nigra. *Radix* craſſa, ſucculenta, *Raphani* fere æqualis radici, foris aliquantulum fuſca, in multos hinc inde ad latera quaſi parvos *napos* extuberans, ac fibris præterea longiuſculis donata, & perennis. *V. icon. tab. æn. 6.*

11. Mentha *Nepetæ facie, Betonicæ folio, Nobis. Stachys Betonicæ folio, D. Hermanni, Hort. Lugd. Bat. Cattaria tuberoſa radice, flore ſpicato, Griſley. Vir. Luſit.* E *radice* pallida, digitum craſſa, carnoſa, multis fibris capillata, *caulibus* tribus quatuorve cubitalibus, ramoſis, rectis, ſolidis, quadrangularibus, rigidis, in *ſpicam* deſinentibus palmarem (quam undique cingunt *flores* galeati, dilute purpuraſcentes) prædita aſſurgit. Singulis vero ſubjecti ſunt *utriculi* oblongi, quinquifidi, nullis vel breviſſimis fulti petiolis, continentes *ſemina* quaterna, fuſca. Inſuper caulibus ac ramis adnaſcuntur *folia* rugoſa, ſerrata, pallide virentia, *Betonicæ* forma, & *Nepetæ* facie, bina adverſo cruciatoque ſitu diſpoſita, ſaporis ſubacris, odoris debilis, aromatici quidpiam redolentis.

Primus auctor D. Hermannus *ex* Italia *ſemina recepit. Nos humanitati D. D.* Richardſon, *non ſolum rei herbariæ, ſed & aliarum naturalium callentiſſimi debemus accepta hujus plantæ ſemina.*

12. Mentha *radice geniculata, C. B. P. 2. Prod.* Ex *radice* modice craſſa, geniculata, fibris diſtincta, *caulis* exſurgit cubitalis, quadratus, tactu aliquantum aſper, quem *folia* oblonga, *Menthæ ſpicatæ* ſimilia, parique modo diſpoſita, mollia, nigricantia, nonnihil rugoſa, in ambitu ſerrata, ambiunt. *Flores* habet in ſpica oblonga, galeritatos, quales in *Mentha Cattaria* cernuntur, dilute purpuraſcentes. His autem *vaſcula* ſuccedunt, *ſemen* rotundum continentia, quod tritum aromatici odoris eſt. Tota planta odorata eſt.

SECTIONIS

SECTIONIS UNDECIMÆ

Distributio Secunda.

DE PLANTIS GALEATIS

Verticillis densius per intervalla disposits.

Menthæ verticillatæ, Pulegium, Marum, Tragoriganum, Clinopodium, Marrubium & Pseudo-marrubium, Pseudo-dictamnus, Melissa annua, Stachys, Lamium, Galeopsis, Sideritis, Bugula, Horminum, & Pseudo-salvia.

CAPUT XII.

Mentha verticillis per intervalla disposits.

TABULA IX. SECT. XI.

Mentha floribus per intervalla dispositis

glabra

1. *Hortensis verticillata Ocimi odore, C. B. P. Sativa 4. Dod.*
2. *Rotundiore folio, Pulegii flore, Nobis. Mentha crispa verticillata, C. B. P.*
3. *Rotundifolia rubra Aurantii odore, Nobis. Sisymbrium hortense, Matth. Mentha rotundifolia spicata altera, C. B. P.*

hirsutior

4. *Palustris folio oblongo, C. B. P.*
5. *Arvensis verticillata hirsuta, J. B. Calamintha arvensis verticillata sive aquatica Belgarum, Lob. Park. Eadem versicolor.*
6. *Rotundifolia palustris sive aquatica major, C. B. P. Mentha aquatica sive Sisymbrium, J. B.*
7. *Aquatica sive Sisymbrium hirsutius, J. B.*

8. *Mentha Americana Melissæ foliis graveolentibus, Par. Bat. Prod.*

1. Mentha *hortensis verticillata Ocimi odore, C. B. P. Mentha sativa 4. Dod. Mentha verticillata minor acuta non crispa odore Ocimi, J. B. Mentha Cardiaca, Cam.* *Radicibus* reptatricibus longe lateque se propagat. *Caulibus* cubitalibus, quadratis, atrorubentibus, geniculatis assurgit, in ramusculos post dimidium divisis; quorum superiores partes tenuiores frequenter nutant & dependent. *Folia* aliarum congenerum ad instar sita, viridia sunt, angusta, & glabriora, *Menthæ vulgaris Romanæ* pene similia, odoris tamen gravioris, ad *Ocimi* odorem accedentis; eaque ad cauliculorum summitates usque ad genicula nascuntur. Ex horum porro *alis* geniculatim & per intervalla proveniunt *florum* exiguorum purpureorum verticilli, quibus ab antedictis spicatis plurimum differt. *V. icon. tab. æn. 7.*

2. Mentha *rotundiore folio glabro, Pulegii flore, Nobis. Mentha verticillata crispa, C. B. P. Eyst. Mentha crispa verticillata folio rotundiore, J. B. Mentha vulgata serpens rotundiore folio, Pulegii flore coronato, Lob.* *Foliis* ornatur saturatæ viriditatis, subrotundis, latis, mucronatis, serratis, & valde odoratis, quæ adverso semper positu emergunt, è *caule* quadrangulo, nigricante, & parum piloso, geniculato. Caulis autem brachia in summo *floribus* purpurascentibus, secundum internodia orbiculatim (*foliolis* binatim subjectis) ambiuntur. *Semina* minutissima & rotunda, ac (ut in plerisque reptatricibus & miro quodam incremento luxuriantibus fieri amat) raro invenienda. *Radix* fibrosa est, & summo cespite longius evagans, perpetua fœcunditate se propagat. *V. icon. tab. æn. 7.*

In aquosis & fonticulorum scaturiginibus è monte Shotover *dicto, binis milliaribus ab* Oxonia *dissito, emanantibus, à charissimo fratre* Tillemano *sponte nascens reperta est.*

3. Mentha *rotundifolia rubra Aurantii odore, Nobis. Sisymbrium hortense, Matth. Mentha rotundifolia spicata altera, C. B. P. Mentha rubro folio & flore nigræ Menthæ, Lob.* *Radicibus* est fibrosis multiplicibus, & summa tellure late vagantibus, geniculatis; unde cauliculi exsurgunt quadrati, geniculati, pedales, & obscurius sæpe rubescentes, *foliis* atrovirentibus, interdum rubentibus, ad singula genicula ordine dispositis, rotundioribus vestiti. *Flores* purpurascentes superiores caulium partes non minus verticillatim per intervalla coronant, quam summitates eorundem in capitula quasi subglobosa collectas decorant. *Semina* pusilla, rotunda, profert. Tota planta vehementi odore caput ferit, quanquam non ingrato.

4. Mentha *palustris folio oblongo, C. B. P. Mentastrifolia aquatica hirsuta, Adv. Lob. Mentastrum aliud hirsuto folio, Cam. An Mentastrum spicatum minus, J. B?* Aquosis viret marginibus satorum aut pratorum. *Caulis* cubitum & sesquicubitum æquat, *foliaque Mentastri* aut *Sisymbrii* edit, incana; *flores Menthæ* spicatos, purpurascentes, odoris gravis *Sisymbrii*, nec gustu minus calefaciente. *V. icon. tab. æn. 7.*

Ex hac Lobelii *descriptione qualisnam sit certo statuere non possumus.*

5. Mentha *arvensis humilior verticillata hirsuta, J. B. Calamintha arvensis verticillata sive aquatica Belgarum, Lob. Park. Calamintha aquatica, Ger. Calamintha arvensis verticillata, C. B. P.* *Radicibus* albis, crassiusculis,

carnosis, sub terra repentibus, copiose propagatur. *Caules* dodrantales & pedales, ab imo ramosi, folia gerunt ad genicula paria, subrotunda, mucronata, & crenata, molli hirsutie pubescentia, unguis humani latitudinem æquantia, quæ minora facta secundum caulis longitudinem ad singula genicula, ad summitatem continuantur. *Flores* pallide cærulei, verticillatim è foliorum sinubus, arcte geniculis adhærentes proveniunt. *V. icon. tab. æn. 7.*

In pratis & pascuis humidioribus, æque ac in arvis madefactis, frequens occurrit, & post meses copiose reperitur. Ejusdem varietas *foliis ex albo & viridi eleganter variegatis* in hortis alitur.

6. Mentha *rotundifolia palustris seu aquatica major, C. B. P. Sisymbrium, Matth. Dod. Mentha aquatica, Lon. Mentha aquatica sive Sisymbrium, J. B.* Mentha hæc major, è *radice* repente *caules* protrudit erectos, crassiores, quadratos, villosos, & frequenter subrubentes, geniculis longiusculis per intervalla interceptos; quibus *folia* quam quæ *Menthis* accidunt, ampliora, subrotunda, crenata, fere ad colorem subfuscum tendentia, interdum etiam viridia, modice villosa, grave sed non injucunde olentia, binatim nascuntur. *Flores* purpurascentes, tubulosi, ore quadripartiti, in duobus tribusve verticillis, (quorum supremum *capitulum* efformat rotundum) digesti sunt. *V. icon. tab. æn. 7.*

In aquosis, fossis, & ad rivulorum margines, passim provenit.

7. Mentha *aquatica sive Sisymbrium hirsutius, J. B.* Non solum *caules* quadrati, & *folia*, sed etiam ipsi florum *calyces* densa lanugine pubescentes canescunt. *Folia* uncialia & sesquuncialia sunt, subrotunda, per ambitum obiter serrata. Ex horum autem sinu prodeunt pediculi, *flores* sustinentes conglomeratos.

8. Hisce addetur nova species, quæ in *Paradisi Batavi Prodromo, Mentha Americana Melissæ folii graveolentibus* nominatur, & quæ cum plurimis aliis raris in horto Regio *Hamptonienſi* adservatur. Hujus *ramuli* lignosi, quadrati, cubitales & bicubitales, geniculis uncialibus & biuncialibus divisi. Ad istorum porro singula bina è regione nascentia proveniunt *folia*, crenata, petiolis uncialibus & biuncialibus, tenuibus, infidentia, *Melissæ vulgaris* pene æmula, ex angusto principio in pollicarem latitudinem sese in medio dilatantia, mucronata, molli hirsutie pubescentia, odorem *Menthæ* graviorem spirantia. Geniculis quibusdam *come* breves, subfuscæ, suggeruntur; quædam vero iis sunt destituta. *Flores* videre non licuit; qua de re an Mentha genuina sit asserere non ausus sum; nec enim ulla nobis nota, quæ ejusmodi petiolis donatur.

Menthæ Vires & Usus.

Præter communes qualitates quas obtinet calefaciendi & siccandi, penetrat, attenuat, & respectu partium affectarum subastringit. Egregium est stomachicum, necnon intestinorum morbis apprime conveniens.

In anorexia appetitum revocat; nauseam vomiturientibus tollit; vomitiones supra modum sævientes compescit; vertiginosis succurrit si malum è ventriculo ascendat; reprimit singultus seu motus convulsivos Diaphragmatis; in lienteria ventriculum roborando crudas rejectiones impedit; in cholera, quæ funestas agit tragœdias, Mentha *singulare est remedium; datur succus ejus, conserva,* &c.

Oleum *colicos dolores sedat; idem multum præstat in dysenteria; efficacissimum est tam in lienteria, quam dysenteria, quemadmodum asserit* Raygerus *in Not. ad Thes. Med.* Ruland. *Et mox subjungit:* sæpe totam herbam cum vino rubro coctam in fluxu dysenterico, toti ventri applicui magno cum effectu.

Mentha *lacti infusa concretionem ejus impedit: hinc in cataplasmate mammis applicatur, nec ut lactis coagulationem inhibeat tantum, sed ut jam coagulatum solvat adhibetur.*

Ex herba sicca *additis æqualibus* Rutæ *partibus & tantillo seminis* Carui, *omnibus convenienter in aceto cerevisiæ coctis, paratur cataplasma quod mirifice lac coagulatum mammarum resolvit primum; deinde omnino generationem lactis prohibet, quo promiscue puerperæ felici successu utuntur.* S. Paulli. *Cui molesta sunt cataplasmata, illa potest recipere decoctum* Menthæ *cum* Fœniculo *vel* Chærefolio, *& cum linteis instar fomenti applicare mammis, pro impedienda & tollenda lactis coagulatione.* Etmull.

Sisymbrii *meminit* Dioscorides, *ususque docet; ideoque officinalibus adscriptum invenies. Verum* Mentha *cum abunde suppetat* (*inquit S.* Paulli) *nulla necessitas nos cogit ut illius loco* Sisymbrio *utamur, quod ideo statuit, quia* Mentha *earundem est virium.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ floribus densius per intervalla dispositis.

CAPUT XIII.

Pulegium.

PUlegium *dicitur quod ejus flos recens incensus pulices odore interficiat: vel ut auctor est* Pena, *quod pulmonibus pituitam crassam farctam extundat.*

Pulegium est vel *rotundifolium* vel *longifolium*: alterum foliis *Menthæ* minoribus & brevioribus; alterum multo angustioribus; & utrumque *floribus parvis per intervalla dispositis*, gustu & odore acrioribus donatum.

TABULA X. SECT. XI.

- *Pulegium*
  - *latifolium*
    1. *Regium, Eyſt. Pulegium latifolium alterum, C. B. P.*
    2. *Hiſpanicum, Flo. Lugd. Bat. Flores.*
    3. *Vulgare, Park. Pulegium latifolium, C. B. P.*
    4. *Foliis Nummulariæ, C. B P. & Prod.*
    5. *Tomentoſum minimum, Bocc.*
    6. *Mexicanum foliis crenatis, Recchi.*
  - *anguſtifolium*
    7. *Sive Cervinum odoratum Monſpelienſe, Lob. icon. Pulegium anguſtifolium, C. B. P.*
    8. *Erectum Virginianum floribus in cymis diſpoſitis.*

1. Pulegium *latifolium regium, Eyſt. Pulegium latifolium alterum, C. B. P. Pulegium mas Plinii, J. B.* E multiplici flexu *radicularum* tranſverſim & ſummo ceſpite reptantium, varieque fibras agentium, ramulis ſupinis, quibuſdam foliaceis, aliis floriferis ſe leviter extollit. *Foliis* eſt *Majoranæ* æmulis, unguis humani latitudinem æquantibus, aliquantulum ſerratis, *odore* grato, acri & fervido. Cauliculos totos, juxta foliorum exortus, verticillatim digeſti *floſculi* minimi, quadrifariam diviſi, è purpureo colore languentes ambiunt. *Semen* minutiſſimum, obſolete ſpadiceum.

In hortis frequens alitur. V. icon. tab. æn. 7.

2. Pulegium *Hiſpanicum maculatum, Flor. Lugd. Bat. Flores.* Hoc *Pulegium* quod à Viro Cl. *D. D. Richardſon* acceptam habemus, cum præcedenti convenit; niſi quod *folia* ejuſdem latitudinis maculis ſubfuſcis aſperſa ſint, & quodammodo magis rugoſa. Genicula *flores* paullulum ampliores gerentia, crebriora ſunt, & conſequenter florum *verticilla* plura, brevioribus intervallis ornantur.

3. Pulegium *vulgare, Park. Pulegium latifolium, C. B. P. Pulegium regium, Adv. Lob. Pulegium aquaticum, Geſn. Hort.* Importuno reptatu quacunque terram attigerit è *caulium* quadratorum, dodrantalium geniculis, demiſſis fibris radicatum luxuriat, longe lateque ſubjectum ſolum opacans. Foliorum ex articulis ſubrotundorum, & præcedentium foliis minorum, odore cum ſuavitate gravi, ſapore fervido exoritur. Quadripartitorum *florum*, (quorum pars ſuperior galeam referens, integra, quæ in *Menthis* diviſa eſt) *verticilli* purpuraſcentes, brevibus intervallis, longa ſpicataque ſerie caules & ramos coronant, ſubjecta utique foliorum conjugatione una. *V. icon. tab. æn. 7.*

In herbidis paluſtribus, incultis, & quæ hybernis menſibus rigantur, ſponte naſcens reperitur. Floribus albis quandoque obſervatur, ſed rarius.

Varietas legitur *foliis denſius & in roſam quaſi diſpoſitis*, unde *Pulegium denſis ſurculis*, Park.

4. Pulegium *foliis Nummulariæ, C. B. P. & Prod.* Ex Horto *Patavino* hujus ramulus tenuis, palmaris, quaſi geniculatus, *C. Bauhino* allatus eſt. Eum *folia*, ſingulis geniculis bina, tenuia, inſtar *Nummulariæ* rotunda, ſed ſextuplo minora, pedicellis donata, & ex adverſo ſibi reſpondentia, cingunt, & *floribus* ex albo cæruleis, caulem verticillatim ambientibus, ſubjiciuntur. Hoc odore vulgari multo eſt gratiore. *C. B.*

5. Pulegium *tomentoſum minimum, Bocc. A vulgari Pulegio* nihil diſcrepat niſi parvitate, & *foliis* longioribus atque lanuginoſis. Plantula hæc dimidii palmi altitudinem non aſſequitur. *V. icon. tab. æn. 7.*

In pratis non procul à Corleone *in* Sicilia *invenit auctor.*

6. Pulegium *Mexicanum foliis crenatis, Recchi. Tlalatochichtl ab incolis dictum. Folia* habet parva, ſerrata, *Origani* ſimilia, binaque per intervalla, & minora; *caules* tenues; *flores* purpuraſcentes ex albis, binos ab ipſo foliorum prodeuntes exortu; *radicem* longam, tenuem, & fibratam. *V. icon. tab. æn. 4.*

Montoſis at planis Xalatlauhii *locis provenit.*

7. Pulegium *anguſtifolium, C. B. P. Anguſtifolium ſive cervinum odoratum Monſpelienſe, Adv. Lob. Park.* Frequentes profert virgas teretes, tenues, ſubrubentes, geniculatas, pedem longas, & majores, modice erectas; *folia Satureiæ*, nonnunquam tantillum dentata, odore efficaci *vulgaris Pulegii*, ſapore fervido & mordaci. *Florum* verticillati globuli cis virgultorum faſtigia, ad nodos oriuntur, colore dilute cæruleo, quadripartiti; è quibus *ſtaminula* exeunt floribus concoloria. *Radix* adultior lignoſa, multis tenuioribus *Gratiolæ* radicum aſparagis aucta, fibras ſummo ceſpite vagantes emittit. *V. icon. tab. æn. 7.*

In luco Gramuntio *pone Cœnobium aliiſque humidis locis circa* Monſpelium, *ſponte naſcitur. Floribus albis etiam invenitur.*

8. Pulegium *erectum Virginianum anguſtifolium floribus in cymis diſpoſitis, Nobis. Pulegio cervino quodammodo accedens capitata, Chamæpityos Auſtriacæ cæruleæ foliis & facie, Breyn. Prod. 2. Pulegium Virginianum nonnullis, aliis Serpentaria aut Colubrina Virginiana, Raii. Radices* habet non ut in aliis reptantes, ſed per ſummam humum nigricantes, duras, & lignoſas, multis fibramentis apricatas; unde *virgulæ* plures pedales & ampliores, erectæ, duræ, ex rotundis quadratæ, ſubfuſcæ, glabræ, geniculis uncialibus & biuncialibus interceptæ eriguntur. Ad ſingula genicula bina e regione naſcuntur *folia*, præcedentis *Pulegii* longiora, tenuia, & acuta, *Herbæ Draconis* anguſtioribus ſimilia. Ex horum autem ſinubus ramuli graciles, conſimilia folia minora tamen, crebrius naſcentia oſtentantes, oriuntur. *Capitula* plurima, parva, ſubrotunda, ſummis caulibus erecte inſidentia, corymbum efficiunt; cujus ſingulum capitulum plurimos *floſculos* parvos, quadrifariam diviſos, ex albo colore cæruleſcentes, continet. Tota planta aromaticum, fervidum, & non injucundum guſtum & odorem fundit. *V. icon. tab. æn. 7.*

Pulegii Vires & Uſus.

Pulegium *è calidis & ſiccis eſt, multam habens cum caliditate acrimoniam; & hoc ſatis manifeſtum, quod extrinſecus impoſitum (ſc. ad podagram & iſchiadicos dolores leniendos) cuticulæ rubedinem adferat, & niſi tempeſtive amoveatur, veſiculas excitet.*

Craſſa & viſcida thoracis incidit; hinc in aſthmate & tuſſi datur cum ſucceſſu.

Unum è primariis uterinis habetur, in menſibus ſuppreſſis frequenter adhibitum, quos ſatis valenter movet.

Lochias etiam educit, necnon fœtum emortuum. Urinam pellit; ventriculo gratum eſt, ſicut Mentha; *appetitum dejectum reſtituens.*

Pulegium anguſtifolium *ſeu* cervinum *multo rarius uſurpatur, quamvis à* Monſpelienſibus (*qui ſpontaneum habent utrumque*) *latifolio ſeu regio præfertur: id annotat* Lob. *in Adverſ. item* J. B. *in Hiſt. Hoc etiamſi ſuperioris* (*latifolii*) *copia ſuppetat, utuntur* Monſpelienſes *Medici, quod viribus ſit, ut putant, efficacioribus & probatioribus. Vide* Hiſt. Lugd. *Idem obſervatur è* Lobel. *à* Petro Magnol, *Botanico & Doctore Medico* Monſpelienſi.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ floribus denſius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XIV.

Marum vulgare.

MArum *dici aiunt à* Marone *Rege* Thraciæ, *qui hanc plantam primus invenit.* Maſtic *à quibuſdam nominatur, eo quod* Maſtichen *ſive reſinam Lentiſcinam redolere videatur.*

Marum *odore* acuto grato, & *verticillis* lanuginoſa pube candida intertextis, ab omnibus diſcrimen facile invenit.

TABULA. XI. SECT. XI.

Marum { *erectum* { 1. *Vulgare, Dod. Sampſuchus ſive Marum Maſtichen redolens, C. B. P. Marum Maſtic Gallorum & Anglorum, Adv. Lob.* 2. *Odore ignavius Promontorii ſacri, Tournefort.* ; 3. *Supinum, Lob. Park. Marum repens verticillatum, C. B. P.*

1. Marum *vulgare, Dod. Marum ſive Sampſuchus Maſtichen redolens, C. B. P. Tragoriganum Hiſpanicum, Cluſ. Hiſt. Marum Maſtic Gallorum & Anglorum, Adv. Lob. Clinopodium quibuſdam Maſtichina Gallorum, J. B. Marum verum vulgo Maſtic, Lugd. Marum peregrinum, Eyſt.* Lignoſis viticulis fruteſcit; cubitalem & bipedalem altitudinem aſſequitur; *ſurculos* habet tenues, ramoſos, erectos, & *foliola* circa eos exilia, durioris *Thymi* aut *Serpylli vulgaris* foliis ſimilia, ſed albicantia, candidiora, & aliquantulum majora. In ſummo lanuginoſa *capitula* ſunt candida, & ambientes ſimiles ſunt verticilli, è quibus *floſculi* exeunt exigui, albidi. *Odor* totius vehemens & ſuavis eſt. *V. icon. tab. æn.* 8.

In Hiſpania *paſſim una cum* Stœchade *locis aridis deſertiſque ſponte naſcitur. Apud nos in hortis ob odoris fragrantiam frequens colitur.*

2. Marum *erectum odore ignavius Promontorii ſacri, Tournefortii.* Hoc quod ab antedicto auctore in peregrinationibus ſuis detectum, & à *Cl. D. D. Sherard* communicatum eſt, cum præcedenti valde convenit, niſi quod *folia* & *capitula* minora evadant; quorum odor (gratus licet) iſtius fragrantiam nullo modo attingit. *Forte Tragoriganum* 1. *Cluſ.*

3. Marum *ſupinum, Lob. Park. Marum repens verticillatum, C. B. P. Marum repens, Tab. Sampſuchus Dioſc. ſive Amaracus ſerpens, Adv.* Cauliculis & ramulis procumbentibus donatur, quibus verticilla è calycibus villoſis & acutis compoſita, & *folia Serpylli* fere æmula conjugatim poſita ſunt. *V. icon. tab. æn.* 8.

Marum *Syriacum, Adv. Lob. Tab. Ger. Marum Cretenſe, Alp. Sed de his poſtea inter Galeatas verticillis rarius diſpoſitis.*

De Viribus Mari.

Verum Dioſcoridis & Galeni Marum *aſſignando parum inter ſe conſentiunt auctores: quidam hoc eſſe legitimum opinantur, quod mihi, ſicut aliis, veriſimile non videtur. Dicit quidem* Parkinſonus *in conficiendis bedycrois, ad Theriacam componendam, Pharmacopœos* Londinenſes (*vero aut meliore non cognito*) Marum vulg. *ſeu* Maſtichinam *recipere; at credibile eſt ejus loco jam pridem ſubſtitutum eſſe* Marum Syriacum; *ipſe enim non multis abhinc annis, faſciculos* Londinum *miſi, rogatu expertiſſimi Pharmacopœi qui ad componendam Theriacam prædictum Marum expetebat. Pharmacopœia* Amſtelodam. *antequam lucubrationes ſuas ediderat* Park. Marum Syriacum *præſcripſit, quod vide infra in ſuo loco.*

Dolæus *inter Emperica menſium fluxus immodicos ſiſtentia, è* Deodato *recitat* corticem Mari. Deodatus, *inquit, in deſperato menſium fluxu ultimum & præſentiſſimum remedium ducit pulverem corticis* Mari, (*neſcio quid lineolas ducendo omiſerit*) *ad drachmam unam cum vino auſtero, ſingulis matutinis horis propinatum. Non dicam hic arcanum fieri Typothetæ incuria, quamvis certum eſt, corticem* Mari *inter valde aſtringentia eſſe, & in hoc caſu cum vino auſtero utiliter propinandum.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillatæ floribus denſius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XV.

Tragoriganum.

TRagoriganum *quaſi dicas hircinum Origanum: ſic dictum videtur quod Capris (τῖς τράγοις) gratum ſit.*

Tragoriganum foliis & odore inter *Thymum* & *Satureiam* mediæ cujuſdam naturæ eſt, verticilla vero non ut in iſtis rarius, ſed denſius ſunt diſpoſita.

TABULA XII. SECT. XI.

Tragoriganum
1. *Latiore folio Creticum, C. B. P. Park. Tragoriganum Hiſpanicum tertium, Cluſ. Hiſt.*
2. *Anguſtifolium, C. B. P. Tragoriganum ſecundum, Cluſ. Hiſt. Anguſtifolium Hiſpanicum, Park.*

1. Tragoriganum *Creticum, C. B. P. Park. Tragoriganum Hiſpanicum tertium, Cluſ. Hiſt. Tragoriganum quibuſdam nigrius folio duro, flore purpureo, J. B. Tragoriganum, Dod.* Virgultis fruticat dodrantalibus, & longioribus, adverſo plerumque ramorum frequentium poſitu brachiatis, lignoſis, rubicundis, quadrangulis, hirſutis. *Folia* ex adverſo naſcuntur per modica intervalla, oblonga, *Satureiæ* foliis quodammodo ſimilia, latiora, magiſque rotunda, ſtigmatis punctata, nigricantia, tactu dura, guſtu acri & aromatico, odore ſuavi; ex quorum ſinu alia minora folia quoque emicant. *Flores* verticillati *Satureiæ* flores æmulantur, ex purpura palleſcentes, rictu hianti apiculos exſerentes, calyculis hirſutis in quinque aculeos deſinentibus. *Radix* lignoſa exterius rubet, intus albet, ac in ſurculos aliquot abit, capillaribus fibris donatos. *J. B. Vid. icon. tab. æn.* 8.

In Inſula Creta *abunde naſcitur; & in* Valentino *Regno copioſe provenire* Cluſius *confirmat.*

2. Tragoriganum *anguſtifolium, C. B. P. Tragoriganum* 2. *Cluſ. Hiſt. Hiſpanicum, Park. Tragoriganum tenuioribus foliis, flore candido, J. B.* Minores ſunt huic ſurculi & candidiores; tenuiora longioraque *folia*, aliquantulum incana, acris guſtus; *odor* minus jucundus quam in *Maro vulgari*, ſeu *Tragorigano* 1. *Cluſ. Flores* etiam verticillatim circa ſummos ramulos naſcuntur ex utriculis ſpinoſis prodeuntes, majores quam præcedentis, & galeati, candidi. *Radix* lignoſa, dura, multifida. *Vid. icon. tab. æn.* 8.

Valentino *agro & eo ſolo ſponte naſcens obſervavit* Cluſius.
Tragoriganum *Serpylli folio, C. B. P. Tragoriganum, Lob. Matth. &*
Tragoriganum *latifolium, C. B. P. Marum Matth. Lugd. Ger. An à primo Cretico diſtinguantur, nobis non eſt compertum, neque ex auctorum deſcriptionibus colligere poßumus.*

De Viribus Tragorigani.

Tragoriganum *arculas officinarum non implet, ne quidem ingreditur. Guſtantibus calidum & acre eſt: attenuat & aperit, ſicut aliæ plantæ aromaticæ, quibuſcum odore & externa facie ſatis convenit.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis denſius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XVI.

Clinopodium.

CLinopodium *dicitur* Dioſc. *l.* 3. *c.* 109. *ὡς κλίνης ποὺν ὅμοιον. Nam κλίνη Græcis exponitur lectus, cubile; πόδιον vero pes; hinc herba ita dicta, quod orbiculato florum ex intervallis per ordinem diſpoſitorum ambitu ſpeciem pedum lecti præbeat.*

Clinopodium eſt humi'is planta, *foliis* latiuſculis, oblongis; *verticillis* paucis grandioribus donata.

TABULA XIII. SECT. XI.

- *Clinopodium flore*
  - *purpureo*
    1. *Origano ſimile, C. B. P. Clinopodium vulgare, Matth. Acinos, Ger.*
    2. *Majus Canadenſe hirſutius floribus fiſtuloſis, Nobis. Origanum fiſtuloſum Canadenſe, Cornuti.*
    3. *Majus Virginienſe foliis minus hirtis acutioribus, floribus fiſtuloſis.*
    4. *Maximum Virginianum non ramoſum, verticillis majoribus, floribus brevioribus carneis.*
    5. *Humile Syriacum breviori folio, Ziziforum dictum.*
  6. *Cæruleo, non ramoſum, labio trifido atropurpureis maculis notato, J. Baniſt.*
  7. *Albo, ramoſius, foliis anguſtioribus glabris, Virginianum.*
  - *luteo*
    8. *Anguſtifolium Virginianum Lamii flore maculato.*
    9. *Hyſſopi latioribus foliis Madraſpatanum, D. Pluk. Phyt.*
    10. *Pulegii, Cervinæ folio Madraſpatenſe, verticillis parvis caulem per intervalla arcte cinctis, D. Pluk. Phyt. T. 163.*

1. Clinopodium *Origano ſimile, C. B. P. Clinopodium vulgare, Matth. Cluſ. Pan. & Hiſt. qui majoris & minoris meminit. Clinopodium quorundam Origani facie, J. B. Acinos, Lob. Ger. Radices* fibroſæ ſtolones plures oblique laterales emittunt, qui fibris exinde radicantur. *Caules* tenues geniculati, quadrati, molli hirſutie pubeſcentes, pedales ſunt & cubitales. *Folia* ad genicula binatim naſcuntur, pediculis brevibus appenſa, oblongorotunda, *Origani vulgaris* ſimilia, ſed majora, in ambitu modice crenata. *Flores* denſo ſtipatu verticillatim bina aut terna ſuperiora genicula ambiunt, cum foliis ex iiſdem etiam provenientibus; qui *flores* longi tubuloſi, purpurei, galeati, è calycibus gracilibus, villoſis, emicant, & ſingulis *ſemina* quatuor, minuta, ſubfuſca, ſuccedunt. *Odor Majoranæ* odore remiſſior eſt. *Vid. icon. tab. æn.* 8.

Ad ſepes & ſylvarum margines, & in ſylvis cæduis frequens occurrit. Invenitur etiam *floribus albis*, ut in aliis etiam purpuraſcentibus ſæpe obſervatur.

2. Clinopodium *Canadenſe majus hirſutius floribus fiſtuloſis, Nobis. Origanum fiſtuloſum Canadenſe, Cornuti. Caulibus* cubitalibus è *radice* fibroſa exit, quadratis, ſubinde anguloſis, ſubhirſutis, & ramoſis, geniculatis; quibus *folia* biuncialis aut triuncialis longitudinis, unciam lata, mucronata, ſubhirſuta, ad margines crenis paucis notata, conjugatim appoſita ſunt. *Flores* in ſummitatibus, in orbem, qui ſeſcuncialem & biuncialem latitudinem æquat, verticillatim congeruntur, tubuloſi, longi, galeati, purpuraſcentes, cum ſtaminulis longis è medio exeuntibus. Sub quolibet *verticillo*, *foliola* nunc plura, nunc pauciora, quaſi calycis vicem præſtantia ſubjiciuntur. Interdum luxuriat, & prolifer eſt alter florum globulus, qui duas aut tres uncias ſupra priores elevatur. Floribus ſuccedunt *ſemina* parva, fuſca, rotunda, in innumeris utriculis in margine quinquepartitis, contenta. *V icon. tab. æn.* 8.

E Canada Pariſienſes *primi in* Europam *tranſtulerunt.*

3. Clinopodium *majus Virginienſe foliis minus hirtis acutioribus, floribus fiſtuloſis.* Præcedenti ſimilis eſt hæc planta. *Folia* glabriora, acutiora, magiſque dentata, è geniculis & ramulis lævioribus proveniunt. Floret ad eundem modum quo & præcedens. *Odor* fervidus, gratus, ad *Satureiæ* aut *Tragorigani* odorem accedit.

Floribus quandoque reperitur albicantibus.

4. Clinopodium *majus Virginianum non ramoſum verticillis majoribus, floribus brevioribus carneis. Caulibus* ex rotundis quadratis, duris, geniculatis, non ramoſis, cubitalibus & ſeſquicubitalibus, aſſurgit. *Folia* ex adverſo bina, petiolis uncialibus adhærentia, biuncialia, ex ovalibus mucronata, denticulata, ad ſingulos nodos naſcuntur. Ex horum ſinubus bini oriuntur *petioli*, (quibus ab aliis diſtinguitur.) Hi rurſus in alios diviſi, cum *foliolis* quibuſdam adnatis, plurimos *utriculos* tenues, *flores* continentes breves, carneos, galeatos, *verticillum* ſatis latum componentes, ſuſtinent. *Vid. icon. tab. æn.* 8.

A Botanico inſigni D. Jo. Baniſter *è* Virginia *accepimus.*

5. Clinopodium *humile Syriacum breviori folio, Ziziforum dictum. Clinopodium fiſtuloſum pumilum Indiæ Occident. ſummo caule floridum, D. Pluk. Phyt.* Plantam hanc humilem, palmarem altitudinem non excedentem, beneficio clariſſ. & doctiſſ. viri D. D. *Huntington* ex *Aleppo* nacti ſumus. E *radice* fibris compacta, unde annuam eſſe plantam ſuſpicari pronum eſt, cauliculos frequenter ternos emittit; quorum ſingulus geniculo duntaxat unico diviſus eſt; huic bina *folia*, *Clinopodii vulgaris* magnitudine, magis vero mucronata, æquali ſitu adnaſcuntur. *Folia* vero majora, quaterna, mucronata, cruciatim poſita, ſummis caulibus decuſſatim adnaſcuntur; in quorum medio quamplurimi utriculi longi, tenues, (è quibus ut in aliis *verticilla* confecta ſunt) in *capitulum* conferti inſident. Ex his *floſculi* parvi, tubuloſi, purpuraſcentes, emicant. Tota planta pilis brevibus, tenuibus, candidis, obſita eſt. *V. icon. tab. æn.* 8.

6. Clinopodium *non ramoſum flore cæruleo, labio trifido atropurpureis maculis notato.* Stolonibus ſuis procumbentibus, geniculatis, *reptatricium* claſſi accenſendum. *Radiculas* oblique agit, fibriſque tenuibus ſubinde rurſum radicatur. *Caulis* exſurgit quadratus, hirtus, craſſiuſculus, pedalis & altior, geniculis paucis interſectus; è quorum inferioribus *folia* ſubrotunda, uncialia, crenata, petiolis inſidentia, adverſa, exeunt; binis ſuperioribus folia longa & anguſtiora, *Betonicæ* aut *Menthæ* ſimilia, in ambitu crenata, petiolis deſtituta, adhærent. Nodi ſuperiores terni & quaterni, florum *verticillis* amplis ornantur, quæ *foliolis* brevibus, latiuſculis, decem circiter numero, ſubjectis, circumcinguntur. *Flores* è *calycibus* propriis, ſatis ampli, cærulei, galeati, cum apiculis ſuis, protruduntur; quorum *labium* atropurpureis maculis eleganter notatur & maculatur.

In Virginia *à D.* Jo. Baniſter *collectum eſt.*

7. Clinopodium *flore albo ramoſius, anguſtioribus foliis glabris Virginianum.* E *radiculis* cum fibris contextis, duris, compoſitis, *caules* erecti, rigidi, glabri, quadrangulares, cubitales oriuntur, qui in *virgulas* varias longas, è ſingulis geniculis ſe dividunt. Ad virgarum appoſitionem *folia* conjugatim poſita, pollicem longa, anguſta,

gusta, non crenata, glabra, petiolis carentia, adhærent. Summi ramuli, cum *foliolis* parvis, anguſtis, acutis ſubjectis, *verticilla* bina aut terna, ad uncialem intercapedinem gerunt è calycibus acutis, & tenuiſſimis oris præditis, confertim digeſtis, compacta. *Flores* è ſingulis utriculis ſinguli, candidi, exigui emicant.
E Virginia *quoque delatum eſt.*

8. Clinopodium *anguſtifolium Virginianum Lamii flore luteo maculato.* Planta hæc rara *Majoranæ* vultu, *cauliculis* lignoſis, ramoſis, pedalibus, donatur. *Folia* anguſta biuncialis longitudinis, ſemunciam lata, mucronata, quorum inferiora denticulationibus crenata, & ſuperiora plana ſunt, petiolis uncialibus appendentia, binatim ſub ramulorum exortu proveniunt. *Verticilla* ſummis geniculis ampla, *foliola* habent oblonga, colore eleganti purpuraſcente tincta. *Utriculi* è quibus componuntur verticilla, *flores* luteos, *Lamii* amplitudine & forma floribus perſimiles, galea ampla prominente, & labio purpureis guttis eleganter notato, emittunt. *V. icon. tab. æn. 2.*
E Virginia *quoque delatum eſt.*

9. Clinopodium *Hyſſopi latioribus foliis Madraſpatan. D. Pluk. Phyt. Foliis Hyſſopi*, in medio latioribus, mucronatis, argute denticulatis, petiolis brevibus, è regione inſidentibus præditum eſt. *Flores* pauci, cum *foliolis* parvis adnatis, è geniculis prodeunt; cujus vero coloris ſit, nobis non eſt compertum.

10. Clinopodium *Pulegii cervinæ folio Madraſpatenſe, verticillis parvis caulem per intervalla arcte cinctis, D. Pluk. Phyt. T.* 163. *Folia* in *caulibus* rectis, per intervalla, uncialia, ex adverſo bina,, anguſtiora, & *Pulegii cervini* pene ſimilia, marginibus modice crenata, adhærent. *Flores* ad genicula in verticillos diſpoſiti, plures ſunt, galeati, quibus & cum florum verticillis *foliola* parva alia anguſta excreſcunt.

De aliis Clinopodiis dictis Annotatio.

Clinopodium *arvenſe Ocimi folio, C. B. P. Clinopodium minus ſive vulgare, Park.*
Clinopodium *Auſtriacum, Cluſii. Clinopodium montanum, C. B. P.*

Cum plantæ ſunt *verticillis* pediculiſve laxius diſpoſitis, ad *Acinorum* familiam membro ſuccedente ablegentur.

Clinopodium *Alpinum, Ponæ. Clinopodium Alpinum birſutum, C. B. P. Planta hæc quia* capſulis *binis loculamentis diviſis,* ſemina *plura continentibus, donatur, atque adeo* pedicularis *notam characteriſticam obtinet: idcirco inter* Pediculares *deputandam eſſe judicavimus.*

De Clinopodii Viribus.

Dioſcorides *ſuum* Clinopodium *ad convulſa, rupta, urinæ ſtillicidia, ad verrucas penſiles, & partus ducendos, commendat. Verum huic ſimile* Clinopodium *nunc officinis ignotum eſt, nec quidpiam datur è prædictis, quod eſt eximii vel communis uſus: ſaltem vires ſiquas habeant inſignes iſtæ plantæ, nondum ſunt experientia confirmatæ.*
Clinopodium *ſeptimum è* Virginia *acceptum odorem* Calaminthæ *ſpirat, ſuperiore vero gradu. Apud indigenas frequens eſt in uſu. Contra Serpentum morſus mire & cito valet. Cordiale putatur inſigne; omniaque venena ſiſtit, & antidoti præſtantiſſimi vice habetur; febribus, aliiſque cujuſcunque generis morbis malignis averruncandis, feliciter adhibetur.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis denſius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XVII.

Marrubium.

MArrubium *dicitur forte à loco natali*: Marrubii *enim fuerant Populi* Italiæ *circa* Fucinum *lacum habitantes, à Rege* Marrubio *denominati, vel quod circa mare habitarent. Alii vero* Marrubium *vocatum, propter amaritudinem. Duplex aſſignat* Dioſcorides; Album *quod πεάσιον, à colore praſino, cujus folia albedine aſperſa ſunt;* & Nigrum βαλλωτὸν ἢ μέλαν πεάσιον, *l.* 3. *c.* 117. *ab* atrovirentibus *foliis dictum.*

Marrubium *folia* habet ſubrotunda, ſerrata & rugoſa; *florumque verticilla* plurima, ad genicula denſius diſpoſita.

TAB.

TABULA XIV. SECT. XI.

- *Marrubium*
  - *album utriculis*
    - *decagonis*
      1. *Vulgare, C. B. P. Præſſium Anguill.*
      2. *Rotundifolium Hiſpanicum maximum, H. R. Par.*
      3. *Criſpum, C. B. P. 3. Prod. Park.*
      4. *Parvum Melitenſe.*
      5. *Villoſum, an Præſſium Dioſc. C. B. P. 2. Prod?*
      6. *Majus foliis tomentoſis latioribus, Nobis. An Marrubium peregrinum brevibus & obtuſis foliis, C. B. P?*
    - *pentagonis*
      7. *Cret. ſupinum odore Allii, Nobis. Scordotis Plinii,* Belli.
      8. *Latifolium peregrinum, C. B. P.*
      9. *Anguſtifolium peregrinum, C. B. P.*
      10. *Hiſpanicum longiore folio, Proſp. Alp. Exot.*
      11. *Hirſutius foliis crenatis, Nobis. Alyſſum foliis crenatis, C. B. P.*
      12. *Foliis profundius inciſis, flore cæruleo, Nobis. Alyſſum Galeni, Cluſio.*
      13. *Braſilienſe, Marcgravii.*
  - 14. *Fœtidum vulgare, Ballote Dioſcoridis, C. B. P.*
  - 15. *Rotundifolium, C. B. P. Ocimaſtrum Valentinum, Cluſ. Hiſt.*
  - 16. *Longifolium, C. B. P. Herba venti Monſpeliaca, Lob.*
  - 17. *Creticum, Proſp. Alp. Exot. Park.*
  - 18. *Cardiaca dictum, C. B. P. Cardiaca, Matth. Dod. Variat foliis elegantius criſpis.*
  - 19. *Seu Cardiaca foliorum apicibus in prælongam barbulam extenuatis, verticillis florum petiolis innitentibus, D. Pluk. Phyt.*
- *Pſeudo-marrubium paluſtre*
  - 20. *Vulgare, Nobis. Marrubium paluſtre glabrum, C. B. P. Marrubium aquaticum quorundam, J. B.*
  - 21. *Foliis diſſectis, Nobis. Marrubium aquaticum quorundam, J. B.*
  - 21. *Foliis diſſectis, Nobis. Marrubium aquaticum foliis tenuius diſſectis, D. Moriſ. Prælud. Bot.*
  - 22. *Virginianum majus.*
  - 23. *Canadenſe tenuius, Nobis. Marrub. aquat. Canad. tenuius, H. R. Par.*
  - 24. *Pſeudo-marrubium Americanum Viburni facie, flore carneo.*

1. Marrubium *album vulgare, C. B. P. Park. Marrubium album, J. B. Præſſium, Anguillar. Marrubium album odorum, Adv.* E duobus Marrubii generibus, *albo* ſcilicet & *nigro*, hoc magis in uſu eſt. *Caule* exſurgit ſeſquipedalis altitudinis, ramoſo, quadrato, cana lanugine pubeſcente, tubulo pervio; cui inhærent *folia*, per intervalla, bina, ſubhirſuta, ſubrotunda, incana, rugoſa, leviter denticulata, ſapore acri & amaro. *Floſculi* albeſcentes, ſecundum foliorum genicula, galeati, è *calycibus* oblongis, ſtriatis, in ore decagonis, ſeu in decem angulos aculeoſve breves diviſis, erumpentes, *caules* verticillatim denſe coronant. *Semina* ſubrotunda, exigua, ſubnigricantia, quaterna in ſingulo utriculo contenta, ſuccedunt. *Radix* dura, fibroſa eſt, & vivax. Hanc plantam hybernis potiſſimum menſibus moſchum redolere *Dodon.* annotatum reliquit. *Vid. icon. tab. æn.* 9.

In ruderibus & areis pagorum, præſertim ficciori ſolo, frequens & ſponte creſcit.

2. Marrubium *album rotundifolium Hiſpanicum maximum, Hort. Reg. Pariſ.* Huic *caules* quadrati, ad eundem modum quo & prioris, tomento candido obſiti ſunt. *Folia* quoque illius foliis aſſimilantur, majora tamen, & viridiora, & ambitu crenata, petiolis uncialibus ſuffulta. Idem, aut perſimile ex Inſulis *Canaricis* anno 1694. recepimus.

3. Marrubium *album criſpum, C. B. P. 3. Prod.* Hoc *cauliculis* eſt lignoſis, ex rotundis quadratis, albis, ſed *foliis* minoribus criſpis, crenatis, utraque parte cinereis, nec ita tomentoſis. *Floſculi* ſubcandidi in pungentibus conceptaculis *caulem* per intervalla verticillatim ambiunt.

A Neudorffero Caſp. Bauhinus *accepit.*

4. Marrubium *album Melitenſe minus.* Inter *Marrubia alba* minimum eſt, caulibus gracilibus, tomentoſis, geniculatis, aſſurgens; quibus *folia* binatim naſcentia, petiolis brevibus inſidentia, parva, crenata, & rugoſa, è rotundis oblonga, & obtuſa, unguis humani latitudinem non excedentia, adhærent. *Floſculi* albi è vaſculis minoribus, decagonis provenientes, *virgultis* tenuibus, ſupremis, verticillatim naſcuntur.

Ex Inſula Melitenſi *recepimus. Idem Reverend.* D. D. Wheeler *attulit.*

5. Marrubium *album villoſum, C. B. P. & Prod. Cauliculos* edit pedales, lignoſos, rotundos, albos, villoſos, in ramulos diviſos. *Folia* ſunt ſubrotunda, parva, craſſa, per ambitum crenata, ob tomentum album inferius adpoſitum, *Gnaphalii* inſtar mollia, ſuperius rugoſa & nigricantia. *Floſculi* ut in vulgari, *caulem* verticillatim ambiunt.

Hoc in agris Lutetianis *collegit* Caſp. Bauh. *& in Inſula* Magalone *D.* Magnol.

6. Marrubium *album majus foliis latioribus tomentoſis. An Marrubium album fatuum, P. Caſtelli, Catalogo plantarum ſpontanearum Horti Medici Meſſanenſis? Forte Marrubium album peregrinum brevibus & obtuſis foliis, C. B. P. qui tanquam ſynonymum ponit Marrubium Creticum anguſtis foliis inodorum, Eyſt. quod noſtræ plantæ parum competere videtur.* Prima & pullulantia *folia* ſubrotunda, tomento quam quod in aliis eſt denſiore & laxiore obſita ſunt. Iſthæc in *caulibus* cubitalibus aſſurgentia, non adeo candida, *tomento* tamen molli pubeſcentia, margine crenata, ampla, ſubrotunda, craſſiuſcula, magiſque mucronata, apparent. *Flores* è *calycibus*

lycibus decagonis erumpentes, tubulosi sunt, *galea* subalbida, longa, villosa, & *labio* maculato, ad purpureum colorem vergenti donati. Atque istis notis à congeneribus facile dignoscitur. *V. icon. tab. æn.* 9.

7. Marrubium *Creticum supinum album odore Allii, Nobis. Scordotis Plinii Honor. Belli, Epist. 5. ad Clus. Ponæ Mont. Bald.* 33. *Scordotis, Prosp. Alp. de Exot.* 284. *Scordium alterum verticillatum lanuginosum, C. B. P.* Hæc planta ab omnibus huc usque de ea scribentibus, ut qui non nisi odorem alliatum quem spirat, consideraverint, ad *Chamædryn Scordium* dictam (quæ planta est *flores* gestans *galea* destitutos, & inferius inter consortes quærenda) adjicitur. *Radix* ei est oblonga, crassiuscula, albicans, ex qua *surculi* tres vel quatuor oriuntur longi, quadranguli, humi fere procumbentes & oblique acti, æqualibus intervallis *foliis* ex opposito binis, *Marrubii* superius explicati æmulis, subrotundis, crenulis consimilibus rotundis, dentatis, tomentosis, albicantibus, *Allii odorem* respirantibus, fervidi gustus, vestiti, in quorum summitatibus *flores* cernuntur galeati, quadantenus albi Marrubii similes, superius in quadam veluti *spica* simul congesti; sed ex aliis etiam geniculis inferioribus flores exeunt, verticillatim dispositi, & *calycibus* tomentosis, margine quinquifidis, insidentes. His autem nigra *semina* rotunda, minuta, succedunt.

Pona Veronensis *in descriptione sua plantarum montis* Baldi *& circiter, ubique inter saxa, secus vias & in marginibus agrorum nasci, confirmat: & quod in tota fere* Creta *seplasiarii pro* Scordio *promiscue hac herba utantur.*

8. Marrubium *album latifolium peregrinum, C. B. P. Marrubium candidum Hispanicum, Park. Alterum Pannonicum, Clus. Pan. & Hist. Marrubium candidum folio subrotundo, J. B. Caules* quos ex radice *vulgaris Marrubii* simili complures profert, cubitales & bicubitales sunt, quadrati, lanugine incana obtecti. Atque ad horum singulos articulos *folia* oriuntur mollicello holoserici tactu, argentea, villosa, intensiusque quam in *vulgari* canescentia, latiusculo pediculo appensa, in ambitu serrata, longa magis quam lata, obtusa, odore nullo excellenti, sapore calidiusculo, non tamen ingrato. *Flores* ad genicula verticillatim *caulem* amplexantur, galeati, candidi, ex oblongis, incanis, mollicellis *calycibus*, quinquefariam in margine divisis conflati. *V. icon. tab. æn.* 9.

In Viennensi *agro, ad vinetorum & agrorum margines, siccis & gramineis campis, & in* Sicilia *sponte nascitur.*

9. Marrubium *album angustifolium peregrinum, C. B. P. Marrubium Creticum angustiore folio, Adv. Lob. Creticum, Dod. Ger. Marrubium album angustiore folio, J. B. Caulibus* cubitalibus, candidioribus, quadratis, multo aliorum ante explicatorum ramosioribus assurgit; quibus *folia* impense candida, angustiora, serrata, nervosa, sed nervis plerisque recta secundum longitudinem decurrentibus, affiguntur. Ea quæ ramulis extensis accrescunt, *Hyssopi* latitudinem non superant, suntque serrata. Foliorum extremorum *alis verticilla* minora, è *calycibus* & *floseulis* albis composita, arcte adhærent. *Odore* est quam quo *vulgare Marrubium* gratiore.

10. Marrubium *Hispanicum longiore folio, Prosp. Alp. Exot.* Herba est fruticosa, tota candida, cum leni lanugine alba. *Caules* aliquot profert quadratos, cubitales & ampliores, oblique actos. *Folia* habet oblonga, alba, lata, in acutum definentia, duplo majora *Cretici Marrubii*, & ex opposito in caulibus æqualibus interstitiis posita, candida, subhirsuta. *Flores* æqualibus spatiis itidem in caulibus & ramulis cernuntur, verticillato ambitu, candidi. *P. Alp.*

11. Marrubium *hirsutum foliis acutioribus crenatis, Nobis. Alyssum foliis crenatis, C. B. P. Park. Alyssum Antonii Coi ex Galeno, Col.* E *radice* tenui, lignosa, fibris aliquot donata, *caules* exeunt plures, pedales aut altiores, terram versus reclinati, *foliis* ad intervalla vestiti, quorum infima amplissima, *Marrubii* nonnihil similia, sed longiora, *Chamædryos* proxima, verum hirsutie aspera, circa margines non profunde dentata, ad modum *Betonicæ.* Ad caulium nodos, quos ornant *folia* inferioribus sensim minora, *flores* emergunt ex albis purpurascentes in verticillos *Marrubii* æmulos, digesti, è *calyculis* aculeatis, *semina* fusca continentibus. Tota herba gustu est adstringenti, non tamen injucundo, cum tantillo amarore, & odoris suavitate. *Vid. icon. tab. æn.* 10.

In collibus petrosis agri Neapolitani *ad semitas provenit.*

12. Marrubium *album foliis profundius incisis, flore cæruleo, Nobis. Alyssum Galeni, Clusio. Alysson verticillatum foliis profunde incisis, C. B. P.* Pedali est altitudine; quadrangulo *caule*, statim à radice in multos ramos diviso, canescentes omnino, & veluti *tomento* obductos. Circa hos ad singula genicula bina *folia Marrubii* similia, sed magis crispata, & incana, inodora, amara (quorum pars extima à caule remota profundius est dentata) & petiolum erga plana sunt. *Calyces* per intervalla verticillatim ramos ambiunt, quinque aculeis horridi, candidi, è quibus *flores* exeunt galeati, colore ex cæruleo purpurascente. *Semen* in aculeatis vasculis subrufum, *Marrubii vulgaris* semini par. *Vid. icon. tab. æn.* 10.

In Hispania *sponte nascens observavit* Car. Clusius.

13. Marrubium *Brasilienſe Marcgrav. pag.* 16. Planta hæc in duorum aut trium pedum altitudinem assurgit, caule striato, nodoso, leniter hirsuto. Ad singulos nodos *ramuli* tres aut quatuor proveniunt, ut & *folia*, quorum antiquiora similia sunt *Marrubii Pannonici Clusii* foliis. Fert *floseulos* verticillatim positos, cæruleos, tribus *foliis* constantes. Tota planta suaviſſimum odorem *Marrubii* spirat, & ad tactum est glutinosa.

14. Marrubium *nigrum fœtidum, Ballote Dioscor. C. B. P. Park. Marrubium nigrum fœtidum, Adv. Lob. Majus vel* 1. *Trag. Marrubium nigrum sive Ballote, J. B.* Sesquicubito altius est, *caulibus* quadratis, hirsutis, nonnihil rubentibus, inanibus; ad quorum genicula, sescuncialibus pediculis oriuntur *folia Melissæ vulgaris*, atrovirentia, rugosa, gravis ac ingrati odoris, in ambitu serrata; ex eorundemque alis surculi alii foliis consimilibus, minoribus, donati. *Floseuli* in *verticillis* subinde rubent, è calycibus striatis, in quinque segmenta in margine divisis, emergentes; in quorum unoquoque, ut in omnibus *galeatis* fieri amat, *semina* quaterna, fusca, è rotundis angulosa, succedunt.

In ruderibus incultis & ad fossas ubique reperitur. Vid. icon. tab. æn. 9.

15. Marrubium *nigrum rotundifolium, C. B. P. Ocimastrum Valentinum, Clusii. Marrubium Hispanicum odore Stœchados, Lob.* Pedali est altitudine; ramis quadrangulis, villo obsitis. *Folia* illi ad singulos nodos ex

adverſo ſita, frequentibus venis prædita, *Marrubii vulgaris* foliis ſunt multo molliora, & minus craſſa, *Ocimi* medii forma & magnitudine, guſtu adſtringente, neque ulla odoris gratia commendabilia. Circa ſummos ramos *flores* proveniunt in orbes diſpoſiti, *Ocimi* floribus ſimiles, in vaſculis pungentibus. *Semen* quale *Marrubio*, nigrum eſt. *V. icon. tab. æn. 9.*

Provenit copioſe circa rivos ex flumine Guadaluvia *vulgo appellato, id eſt albo flumine ductos, ad urbem* Valentiam *in* Hiſpania; *ubi etiam initio Aprilis florentem & ſemine prægnantem, obſervavit doctiſſimus* Cluſius.

16. Marrubium *nigrum longifolium, C. B. P. Herba venti Monſpeliaca, Lob. J. B. Sideritis Monſpelienſium, Lugd.* In aliis *Marrubiis* ante explicatis *folia* per totam hyemem vigent, in hoc vero prorſus pereunt, & è *radice* fibrata *caules* vernali tempore pedales & cubitales, quadrangulares, ſubrubentes, hirſuti, ſatis craſſi, emittuntur; quorum geniculis oppoſito ſitu, *folia* ſuperne viridia, inferius ad albedinem vergentia, latiuſcula, & biuncialis aut triuncialis longitudinis, marginibus ſerratis, inſident. Ex uno aut altero ſupremorum geniculorum *flores* purpurorubentes, *Lamii* magnitudine, *galea* ampla convexa eminente, è *calycibus* longis, hirſutis, quinquepartitis, proveniunt; quibus *verticillorum* in modum *criſtæ* plumatæ, rigidulæ, obvallantes, ſtipantur. *Semina* ſequuntur cannabinæ fere craſſitudinis, oblonga, fuſca. *V. icon. tab. æn. 9.*

In herbidis ſatorum marginibus, & foßarum aggeribus, circa Monſpelium *ſponte provenit.* Invenitur etiam *floribus albis, D.* Magnol. *Sideritis odorata Perſica Zan. cum hac optime convenit.*

Foliorum parenchyma ſeu pars carnoſa erga autumnum emaciata, veniſque & filamentis relictis, vento quaſi pervia eſt, unde Herbæ venti appellationem obtinuit. *Si quis Lamiis adjungere velit, ego ipſi non multum refragabor.*

17. Marrubium *nigrum Creticum, Proſp. Alp. de Exot. Park.* E *radicibus* multis *Primulæ* ſimilibus, *folia* complura profert oblonga, in extremitatibus acuta, parvis pediculis ſurſum in orbem acta, nigra, & nigra lanugine obſita, *Marrubii albi* foliis majora, longiora, & latiora, magnitudine & figura ad *Apiaſtri* fere folia accedentia. E *radicibus* duos vel plures *caules* producit, longos, rectos, quadrangulos, nigros, per intervalla geniculatos, & ex his per ſingula genicula exeunt ex oppoſito *folia* complura, numero fere ſeptem, ac plura, oblonga, prioribus ſimilia, ſed longe minora, multum nigricantia, quæ circa ramum velut in orbem aguntur. In caulium ſummitatibus *flores* utrinque virgas ambiunt, non diſſimiles *Marrubii* floribus, itidem nigricantes. Tota planta colore nigricat, ut de induſtria ab aliquo videatur eo colore infecta. *An Marrubium ſit proprie dictum, incertum eſt. V. icon. tab. æn.* 13.

18. Marrubium *Cardiaca dictum, C. B. P. Cardiaca Matth. Dod. Forte* 1. *Theophraſti Cardiaca, Matth. Dod. Adv. Lob. Cæſ. Tab. Ger. Park J. B. Lycopus Ruellii.* Plurimæ huic radicum loco *fibræ* ab uno veluti capite deſcendunt. *Caules* promit quadrangulares, craſſos, duos vel tres pedes altos, obſcure ac ex nigro colore rubentes, per intervalla geniculatos, non admodum ramoſos; *folia* palmæ latitudinis, venoſa, ſubhirſuta, profunde dentata, & in tres præſertim lacinias diviſa. Ea ſurſum aſſurgentia, minora, anguſtiora, & nigriora ſenſim fiunt. E ramulorum geniculis *calyces* duri ac pungentes orbiculatim proveniunt, è quibus *flores* exeunt purpuraſcentes, *galea* exterius villo candido obſita. Iſtorum ſingulis *ſemina* quaterna, parva, angulosa ſuccedunt. *V. icon. tab. æn. 9.*

Juxta ſepes & veteres muros, ruderibus & incultis locis reperitur.

Elegans ejus *varietas* in horto noſtro è ſemine ſato producta eſt; cujus *folia* lata, profundius laciniata, undatim reflexa, ſinubuſque dentatis & multiplicatis criſpata ſunt. Quoad cætera non differt à ſuperius explicato.

19. Marrubium *Cardiaca dictum foliorum apicibus in prælongam barbulam extenuatis, verticillis florum petiolis innitentibus.* Nova hæc ſpecies à Cl. D. D. *Sherard* allata, & in Phytograph. D. D. *Plukenetii* delineata, *caules* erectos, ex rotundis quadratos, molli hirſutie pubeſcentes, pedales & cubitales protrudit; quibus per intervalla, bina inhærent *folia*; uncialis & biuncialis latitudinis, circumſcriptione propemodum rotunda, ſed in profundas denticulationes ſerrata, nervoque medio in longam acutamque cuſpidem extenuata. *Flores* galeati, pallide purpuraſcentes, ex eodem exortu, petiolis laxis (quibus ab aliis hujus ſeriei differt) *calycibus* propriis, quinis filamentis in apice diviſis, inſidentes, proveniunt; qui quidem petioli *foliolis* conformibus, ſed minoribus, quandoque luxuriant.

20. Pſeudo-marrubium *aquaticum vulgare, Nobis. Marrubium paluſtre glabrum, C. B. P. Marrubium aquaticum, Trag. Lob. Dod. Ger. Sideritis prima, Matth. Lugd. Marrubium aquaticum quorundam, J. B. Lycopus paluſtris glaber, Tournef.* *Radix* ei fibroſa, ſtolonibus albis, craſſiuſculis, oblique actis, & repente facultate ſe propagat. *Caulis* aſſurgit rigidus, ſubhirſutus, quadratus, cubitalis & altior, in ramulos oppoſitos quandoque diviſus. *Folia* ſemper ad genicula ex adverſo ſita, digitum plus minus longa, unciam lata, in mucronem deſinentia, glabra, pallide virentia, ad margines profunde dentata, rugoſa, & venoſa, geniculis per intervalla adhærent, *ſapore* amaricante. Horum ad exortum, verticillati *globuli* ſunt *floſculorum* candidorum, quadripartitorum, ſed non perfecte galeatorum, (qua de re *Pſeudo-marrubium* appellare placuit) punctis rubentibus aſperſorum, ex calyculis aſperiuſculis & veluti ſpinoſis, brevibus, vix tantillum prominentium. *Semina* ſubrotunda, exigua, pallida, compreſſa, quaterna, in ſingularibus *utriculis* ſequuntur. *V. icon. tab. æn. 9.*

In rivulis & ſicus foßas aquoſas paſſim reperitur; & æſtivis menſibus floret.

21. Pſeudo-marrubium *aquaticum glabrum foliis diſſectioribus, Nobis. Marrubium aquaticum foliis tenuius diſſectis, D. Moriſ. Prælud. Bot. Lycopus foliis profunde inciſis Tournefort. El. Bot.* *Radicibus*, caulibus, & floribus, cum præcedenti convenit; *folia* vero duplo aut triplo tenuius & profundius ſunt diſſecta. Forte idem cum *Marrubio paluſtri hirſuto tenuius laciniato, C. B. P. 1. Prod.* quod in locis humidioribus *Auſtriæ* reperitur. Noſtri enim caulis hirſutie præditus quandoque eſt. *V. icon. tab. æn. 9.*

22. Pſeudo-marrubium *paluſtre glabrum Virginianum majus foliis integris.* Ad eundem modum quo & ſuperiorum aſſurgit *caulis* erectus, quadratus, lævis, internodiis diſtinctus; cui *folia* pediculis brevibus inſidentia, fere ſuperius explicatorum foliis conſimilia, glabra, latiora, *Menthæ* facie tantummodo ſunt ſerrata. *Flores* in minoribus globulis ad genicula, ſecundum caulem congregantur. *V. icon. tab. æn. 13.*

23. Pſeudo-marrubium *paluſtre Canadenſe tenuius glabrum, Marrubium, &c. Hort. Reg. Pariſ.* Cæterorum vultu donatum aſſurgit; *caulem* enim humiliorem oſtendit; *folia* etiam tenuius laciniata ſunt & glabra.

24. Pſeudo-marrubium *Americanum viburni facie, flore carneo.* In *Horto Chelſeiano* adſervatur nova hæc planta,

planta, cujus *virgulæ* duræ & lignoſæ, cubitales, lanuginoſæ, quadratæ, geniculis interceptæ, aſſurgunt. Iſtis æquali ſitu, per intervalla binatim adnaſcuntur *folia*, ſubrotunda & mucronata, in ambitu dentata, *Mali hortenſis* aut *Viburni vulgaris* figura & mollitie prædita, ſuperius ſubhirſuta, viridia, inferius tomento obſita, petiolis uncialibus inſidentia. Ad ſingulos nodos, una cum foliis, orbiculariter & arcte adhærentes, proveniunt *flores* exigui (ut in *Pſeudo-marrubiis* antedictis fit) ſimul congeſti, eorumque non diſſimiles, niſi quod colore omnino carneo tincti ſint.

Marrubii Vires & Uſus.

Maſticatum amaritudine quadam linguam afficit; ſiccum magis quam calidum habetur; aperit, attenuat, & abſtergit; & hinc viſcera ab infarctu liberat. Anhelis, aſthmate laborantibus, & ægre tuſſientibus opitulatur. Syrupus, Decoctum, *vel quovis modo ex* foliis *confecta remedia, materiam craſſam & tenacem, tum pulmonibus, tum ventriculo ſtabulantem, diſſecant.*

Conſervam *ex* floribus *cum melle paratam, ad hepar infarctum & ſcirrhoſum, tanquam ſpecificum commendat* Zacutus. *Eſt etiam è ſelectis vegetabilibus ictero flavo medentibus. In doloribus colicis datur; ſecundinas educit; menſes expellit.*

Renes & veſicam lædit, auctoribus Dioſcoride & Plinio: *proinde caute exhibendum admonet* S. Paulli *Quadr. Bot. Claſſ.* 3. *eis minimum quibus male affecti ſunt renes & veſica. Sed in hoc caſu, ne noceat,* Glycyrrhiza *addita corrigitur.*

Externe ad morſus venenatos, tumores, ulcera ſananda, &c. apud veteres commendatur, qui fere ſimilia tradiderunt de Marrubio nigro *ſeu* Ballote.

Marrubium Cardiaca *dictum quoad temperiem haud multum recedit à* Marrubio albo Prafio *dicto. Cordis anxietati & doloribus ventriculi in cardialgia ſublevandis ſuadente nomine, convenire dixeris, id tamen non valde approbat* S. Paulli. *At nihilominus notatu dignum eſt quod tradit* Schroderus, *qui non meticuloſe aſſerit, hanc peculiariter mederi diſtentioni hypochondriorum & Cardiæ infantium, quem affectum* Cardiacam *ſeu* Cardialiam *appellant. Menſes & urinam ciet. Pulverem ex vino hauſtum, ad partum difficilem leniendum commendat* Matthiolus.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis denſius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XVIII.

Pſeudo-dictamnus verticillatus.

Pseudo-dictamnus *à foliorum forma, candore, & mollitie, & cum Dictamno vero, ante explicato, conformitate, nomen accepit: & cum omnibus eo nomine notus ſit, quanquam in multis cum* Marrubii *generibus conveniat, titulum retinere viſum eſt.*

Pſeudo-dictamnus foliis rotundis tomentoſis, *vaſculiſque* floriferis patulis mollibus, acetabula referentibus, à *Marrubiis* dignoſcitur.

TABULA XV. SECTIONIS XI.

Pſeudo-dictamnus foliis
- *non crenatis*
  1. *Verticillatus inodorus, C. B. P. Pſeudo-dictamnum, Matth. Dod.*
  2. *Alpinus verticillatus minor, Hort. Reg. Pariſ.*
- *crenatis*
  3. *Acetabulis Moluccæ, C. B. P. Pſeudo-dictamnus alter Theophraſti, Ponæ, Park.*
  4. *Hiſpanicus folio rugoſiore, Schol. Bot. Par.*

1. Pſeudo-dictamnus *verticillatus inodorus, C. B. P. Pſeudo-dictamnum, Matth. Dod. Cam. Dictamnum adulterinum quibuſdam, verticillatum, vel potius Gnaphalium veterum, J. B. Radices* duræ & lignoſæ, denſe fibratæ, atque ſatis alte depactæ, multiplici *caulicolorum* fœtu emiſſo luxuriant, incanorum ſcilicet & quadrangularium; qui amiciuntur per intervalla *foliis* rotundis, *Dictamni Cretenſis* ſimilibus, multo incano tomento obſitis, inodoris. *Vaſcula* florifera verticillatim ad genicula proveniunt, molli & candida lanugine tecta, oris apertis & patulis quinos angulos conſtituentibus. Ex horum autem medio *flores* galeati dilute purpuraſcentes emergunt; ſub quibus perficiuntur latentia *ſemina* puſilla, *Marrubii* non abſimilia. *V. icon. tab. æn.* 9.

In Creta *ſponte naſci* Cæſalpinus *auctor eſt.* Lobelius *fando audiebat in monte* Nigro *dicto,* Piſis & Liburno *contermino, & aliis locis maritimis, nullo ſatu oriri. In hortis à nobis colitur.*

2. Pſeudo dictamnus *Alpinus verticillatus minor, Hort. Reg. Par.* Planta hæc à Clariſſ. *Tournefortio* detecta, & in hortum tranſlata, ſola parvitate ab antecedenti dignoſcitur.

3. Pſeudo-dictamnus *acetabulis Moluccæ, C. B. P. Pſeudo-dictamnus Cydoniæ ſive Dictamnus* 2. *Theophraſti, Ponæ.* Huic caules ſunt plures, pedales & cubitales; *folia* ſubrotunda, ampla, *Marrubii* ſimilia, ſed molliori & copioſiori tomento candido tecta, crenata, pediculis inſidentia. *Flores* juxta foliorum ſinus ex amplis, latis, patulis, tomentoſis *calyculis* emergunt, verticillato ſtipatu caulibus circumpoſiti, galeati, pallide purpuraſcentes, cum albedinis mixtione. Latis ſuis *calycibus* acetabulis ſimilibus, non adeo anguloſis, notu facilis eſt. *V. icon. tab. æn.* 14.

Rara hæc planta à Cl. D. D. Wheelero *detecta eſt, qui in Inſula* Cithæra *olim, vulgo* Cerigo *dicta, ſemina collegit, & humaniſſime nobiſcum communicavit. Hyemis rigorem egre tolerat.*

4. Pſeudo-dictamnus *Hiſpanicus folio rugoſiore, Schol. Bot. Pariſ.* Inter alias plurimas à Clariſs. & Viro indefeſſo *D. Tournefort*, in Hiſpanicis ſuis itineribus rariorum Plantarum inveſtigandarum conſilio ſuſceptis detecta eſt hæc, cujus *caules* lignoſi, duri, geniculis interſecti, laxiore *tomento*, piloſo, obſiti ſunt. Iſtis cum petiolis ſuis uncialibus, adnaſcuntur *folia* rotunda, rotundis inciſuris crenata, rariore lanugine, præſertim in ſuperiore parte, tecta, ut antecedentium foliis viridiora, rugis & ſulcis profundioribus prædita appareant. *Flores* ad eundem modum verticillatim naſcuntur, quorum acetabula villoſa, patula, in decem angulos in margine aperto dividuntur. Atque his notis ab aliis diſcriminatur.

Hæ Plantæ in officinis non recipiuntur.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis denſius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XIX.

Moluca.

PLantam *hanc* Molucæ *nomine* Mantinellus è Syria *primus tranſmiſit: titulum* Meliſſæ *quidam poſtea ei attribuerunt; nos ſecus ſtatuimus, uti poſtea videbitur. Hæc membranaceis ſuis calycibus lævibus, infundibuli formam referentibus, omnium* Galeatarum *calycum ampliſſimis, facile cernitur.*

1. Moluca *Syriaca lævis, Adv. Lob. Moluca, J. B. Molucca lævis, Dod. Ger. Molucha* 1. *Cæſ. Meliſſa Moluccana odorata, C. B. Meliſſa Conſtantinopolitana, Matth. Cam. Molucca lævis inodora, Eyſt.* E *radice* fibroſa, annua, *caules* profert è rotundis quadratos, craſſos, carnoſos, cubitales, glabros, in ramos multos diffuſos; & in his juxta ſingula ramorum genicula, *folia* æqualiter locata, petiolis longis appendentia, *Marrubii* amplitudine, ſed omnino glabra, in ambitu alte dentata, non ingrati odoris, proveniunt. In *caule* ramiſque à medio ad ſummum uſque ex intervallis, *calyces* magni, patuli, calathoides, cutanei, membranacei, pallide virentes, ac tintinnabulorum in modum patentes, ſeni, verticillatim ponuntur, ad quorum appoſitionem *ſpinulæ* parvæ etiam profiliunt. E fundo horum *florum* emergunt ampli, galeati, pallidi; quibus marceſcentibus, *ſemina* nuda, anguloſa, quaterna, ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 14.

2. Moluca *aſperior Syriaca & Maſeluc Turcarum, Lob. Molucca ſpinoſa, Dod. Lugd. Ger. Moluca aſperior fœtida, J. B. Meliſſa Moluccana fœtida, C. B. P.* Præcedenti ſimilis eſt hæc. *Folia* circumſcriptione fere rotunda, profundius laciniata, pediculis longis appenſa, fœtore ingrato, donantur. Poſt aculeos tenues, oblongos & ſatis firmos, orbiculato etiam ambitu, in amplis & parum anguloſis, membranaceis, herbidi coloris, *acetabulis* ſeu *calathis* nervoſis, ſecundum oras extremas aliquot tenuibus albicantibus ſpinulis rigentibus, infundibuli modo patentibus, *flores* galeati emergunt, cum tantillo rubore candicantes, *galea* ampla integra, & *labro* inferiore bifido, quorundam *Lamiorum* inſtar diſſecto. His evaneſcentibus, ſuccedunt *ſemina* fuſca triangularia, nuda, annuam plantam reparantia. *V. icon. tab. æn.* 14.

3. Meliſſa *fruticoſa Sicula, calyce amplo patulo, Raii*, qui verbis ſequentibus deſcripſit: In longitudinem inſignem excreſcit, *caulibus* infirmis, quadratis, valde ramoſis. *Cortex* ramorum antiquorum cinereus eſt, juniorum rubens; *folia Meliſſæ vulgaris* forma ſimilia, ſed multo minora, circum oras pariter dentata, pediculis ſatis longis nixa; *flores* cucullati, albi, cum levi tamen ruboris tinctura, labellis punctatis; *calyces* florum eidemque ſeminum conceptacula, qualia fere *Moluccæ*, ampla, patula, calathoidea, minora tamen, & in quinque lacinias, (tribus ſuperius, duabus inferius fitis) ad margines ſecta; *ſemina* qualia *Moluccæ*; odor plantæ gravis.

In Sicilia *circa* Meſſanam *in ea præcipue parte qua Promontorium* Pachynum *protenditur, invenit auctor; Caules ejus quantum conjectura aſſequi potuit perennare videbantur.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis denſius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XX.

Stachys.

Στάχυς *Planta eſt Marrubio ſimilis, ſed longior, (id eſt longioribus ramulis) foliis ſubhirſutis, duris, candidis,* Dioſc. *l.* 3. *c.* 120. *verticillis per intervalla denſius diſpoſitis, floribus biantibus, galea pene deſtitutis prædita. Quam appellationem retinemus, quanquam ſpicatam plantam indicat: qualis etiam Antiquis de plantarum ſubdiviſionibus minus ſolicitis fortaſſe videbatur.*

TABULA

TABULA XVI. SECT. XI.

Stachys folio

candicante

1. *Denſiore ſerrato major, Nobis. Stachys Fuchſii. Matth. Dod. Major Germanica, C. B. P.*
2. *Denſiore non ſerrato minor, Nobis. Stachys ſpuria Flandrorum, Adv. Lob. Minor Italica, C. B. P.*
3. *Major Hormini ſativi foliis.*
4. *Sive Pſeudo-ſtachys Alpina, C. B. P. & Prod.*
5. *Cretica* { *latifolia* / *anguſtifolia* } *Pſeudo-ſtachys, C. B. P.*
6. *Canarica fruticoſa ſalviæ folio, flore candido.*
7. *Sive Lychnitis anguſtifolia crenata, Madraſpatan. D. Pluk. Phytograph.*
8. *Luſitanica, C. B. P. Lob. Lugd. Ger. Park.*
9. *Spinoſa Cretica, C. B. P. Sideritis ſpinoſa, J. B.*

virente

Europea

10. *Fœtida ſepium flagellis reptatricibus, Nobis. Lamium max. ſylvaticum fœtidum, C. B. P. Galeopſis legitima, Dioſc. Cluſ.*
11. *Flore ferrugineo.*
12. *Flore partim rubenti, partim albo.*
13. *Elatior longioribus & anguſtioribus foliis, flore purpuraſcente.*
14. *Elatior amplioribus foliis, floribus è carneo colore albeſcentibus.*
15. *Alpina Betonicæ folio, Acad. Reg. Pariſ.*
16. *Paluſtris fœtida, C. B. P. Panax coloni, Ger.*

exotica

17. *Africana fruteſcens longiſſimo flore phœniceo, Leonurus dicta, Nobis. Leonurus Cap. Bon. Spei, Breyn. Cent.*
18. *Fruteſcens Meliſſæ folio, floribus brevioribus phœniceis, Nobis.*
19. *Americana annua Urticæ foliis, floribus brevioribus phœniceis. Leonurus annuus Americanus vulgo.*
20. *Annua Madraſpatana anguſto longoque folio, flore albo.*
21. *Hyſſopi foliis hirſutis Madraſpatan. floribus dilute rubris, unico tantum verticillo in ramulorum cymis.*

1. Stachys *folio denſiore candicante ſerrato & acuto major, Nobis. Stachys Fuchſii, J. B. Dod. Stachys major Germanica, C. B. P. Stachys, Matth. Lac. Lon. Tab. Marrubium agreſte vel* 3. *Tab.* Redivivam *Stœchadis radicem* numeroſæ fibræ ubertim circumquaque productæ coronant. *Caules* autem promit plures (ſæpe unicum) cubitum altos, lanugine incana villoſos, fungoſa medulla farctos; ex quorum geniculis *folia* ex oppoſito ſita prodeunt, *Marrubii* foliis longiora, lanuginoſa, mollicella, per ambitum ſerrata, ſapore citra omnem morſum ficcante. *Flores* ex foliorum alis verticillatim ex longa veluti ſpica caules ſummos ambiunt, foris hirſuti, intus glabri, purpuraſcentes, ad *Lamii* flores quam proxime accedentes, *labello* trifido, ſubinde guttato, *galea* item ſaturatiore, dilutioreque purpura, verſicolore, ex *calycibus* oblongis villoſis. *Semen* quaternum, rotundum, & nigricans. *Odor* totius plantæ gravis. *J. B. V. icon. tab. æn.* 10.

Locis variis montoſis, ſaxoſis aſperis, & arvis reſtibilibus, agri Oxonienſis, *æque ac in* Germania *circa* Baſileam, *ſponte provenit.*

2. Stachys *folio candicante denſiore non ſerrato minor, Nobis. Stachys minor Italica, C. B. P. Stachys ſpuria Flandrorum, Adv. Lob. Stachys, Dod.* Hujus *folia* è ſingulis articulis bina, ſibi mutuo oppoſita, oblonga, molli & candido *tomento* obducta, non ſerrata, exeunt. In ſuperioribus *cauliculis*, *flores* in *calycibus* verticillatim diſpoſitis, minoribus, galeati, purpuraſcentes, cum *foliolis* ſubjectis, proveniunt. *Semina* in *calycibus* acutis, tomentoſis, anguloſa, turgidiuſcula, ſubnigricantia continentur. *Radix* fibroſa, vivax. *Vid. icon. tab. æn.* 10.

Lobelius & Dodonæus *luteos flores proferentem exprimunt; planta quam in horto noſtro aluimus, & primo in horto* Amſtelodamenſi *obſervavimus, purpureos protulit flores.*

3. Stachys *Hormini ſativi folio, flore albo.* Hujus *folia* prima palmum fere lata, ad triangularem formam accedentia, & obtuſa, ambitu crenata, rugoſitatem profundam, colorem candicantem, vultumque *Hormini ſativi* plane obtinent. *Caules* quadrati, candida lanugine tecti, hirſuti, cubitales ſunt. *Flores* denſius per intervalla verticillatim diſpoſiti, albi ſunt, aliarum floribus ampliores, maculis carneis in mento ſtriati. His ſuccedunt *ſemina* ſubrotunda, tumida, *Hormini ſativi* majora, fuſca.

E ſeminibus è Batavia *receptis nobis orta eſt; ubinam ſponte proveniat, nobis non conſtat.*

4. Stachys *ſive Pſeudo-ſtachys Alpina, C. B. P. & Prod.* A *radice* dura, in fibras craſſas & longas diviſa, *folia* plura, hirſuta prodeunt, *Hormini* ſimilia, ſed tenuiora, uncias tres lata, quatuor longa, longis pediculis molli lanugine albicantibus donata, per ambitum nonnihil crenata, odorem gravem ſpirantia. Inter hæc *caules* ſeſquicubitales, quadranguli, canaliculati, geniculis diſtincti, & hirſuti efferuntur; qui *foliis* rugoſis, aſperis, prioribus longioribus circundantur. Porro ad horum exortum ſæpe utrinque ramulus unus ſemipalmaris, ſubinde & palmaris egreditur. *Flores* circa ſumma genicula verticillati, galericulati, ex albis rubeſcentes, ex utriculis aſperiuſculis, in quibus *ſemen* rotundum, nigrum continetur, prodeunt. *V. icon. tab. æn.* 10.

In monte Waſſerfall *Junio menſe florentem obſervavit* Caſp. Bauh.

5. Stachys *ſive Pſeudo-ſtachys Cretica latifolia, C. B. P. Prod. Park.* Huic *folia* ſunt cineracea, molliter hirſuta, crenata, quæ ad *radicem* una cum pediculo oblongo, palmum ſuperant, latitudine unciam non æquantia, obtuſa, inodora, vel ſaltem *odore* aliis ſuaviore; quæ *floribus* ſubjiciuntur & caulem ambiunt, brevia ſunt & anguſta, pediculis carentia, duriuſcula. *Flores* purpurei, ex verticillis aculeatis cingentibus prodeunt.

Semen ſubrotundum, anguloſum, & nigricans. *Stachys anguſtifolia Lychnitis non crenata D. Pluk. Phyt. Tab.* 64. *Synonymum facit, cujus icon alteram plantam exprimere videtur.*

Eadem habetur foliis anguſtioribus, *cum aliis conveniens.*

6. Stachys *Canarica fruteſcens Salviæ folio, flore candido, Arvida ſalva incolis nominata.* E ſeminibus ex Inſula *Canarica* nuper tranſmiſſis, munere *D. G. London* Hortulani Regii peritiſſimi, novam hanc plantam natam habemus; cui à *radice* dura, fibris onuſta, *caulis* eſt erectus, lignoſus, tomentoſus, rotundis angulis quadratus, nodulatus, in cubitalem & bicubitalem altitudinem, ramuliſque oppoſitis, denſo tomento obſitis, fruteſcens. *Folia* bina & bina decuſſato ordine proveniunt, pediculis uncialibus & biuncialibus inſidentia, latitudine triunciali, oblonga, è rotunda baſi in mucronem definentia, ambitu crenata, rugoſa, craſſa, ſuperius viridiora, inferius (coſta veniſque eminentibus) denſa lanugine obſita. Summis ramulis per intervalla denſius verticillatim innaſcuntur *flores* omnino candidi, tubuloſi, breves, oris apertis & in quatuor partes pene æquales diviſi, qui *ſpicam* longam conſtituunt. Poſt horum exanthefin *ſemina* ſubrotunda, fuſca, quaterna, fundo *calycis* brevis, tomentoſi, conduntur. Folia lignoſique caules per totam hyemem in hybernaculo perpetuo virent; an foris perhyemare poſſint, periculum nondum fecimus.

7. Stachys *lychnitis anguſtifolia crenata, Madraſpatana, D. Plukenet. Phyt. Tab.* 64. Hujus *folia* ima binas uncias longa, ſemuncialem latitudinem non excedentia, obtuſa, rugoſa ſunt, & crenata, pediculis longis ſuffulta; cauleſcentia, binatim naſcuntur minora, petiolis brevioribus prædita. *Flores* verticillatim caulem ambientes, galeati, *ſpicam* mentiuntur.

8. Stachys *Luſitanica, C. B. P. Lob. Lugd. Park. Ramulos* & *cauliculos* edit humi, ut plurimum, procumbentes, ſeſquipalmares, candida lanugine tomentoſos. *Folia* tomentoſa, oblonga, & obtuſa, marginibus æqualia, ſuavem odorem ſpirantia, binatim adnaſcuntur. *Flores* exigui verticillis concoloribus cincti & foliolis penitus occultati, verticillatim adhærent. *V. icon. tab. æn.* 10.

9. Stachys *ſpinoſa Cretica, C. B. P. Stachys ſpinoſa, Park. Sideritis ſpinoſa, J. B. Gaidarothymo, i. e. Aſininum Thymum ruſticis Cretenſibus, Honor. Belli ad Cluſium.* Planta eſt pedalis, in orbem per terram diffuſa, multis *ſpinis* ſive aculeis horrida. *Folia* longa digitali magnitudine, aliquantulum anguſta, abſque aculeis profert, quæ *caules* undique ſed inordinatim ambiunt. *Caules* quadranguli ſunt, incani, quemadmodum *folia*, ita ut tota colore cinereo obducatur, ramos utrinque proferens figura quaſi crucis, qui in *ſpinas* definunt, & in alios ramulos omnes dividuntur; ſpina quæ medium locum obtinet, majore aliis ſemper exiſtente. *Flores Salviæ* colore magnitudine & figura ſimiles profert, in hiſpidis quibuſdam *calyculis*, ternos aut quaternos ſimul junctos; quibus ſuccedunt *ſemina* inæqualia, colore nigro. Perpetuo viret, & Julio menſe floret, totaque odore caret. *Radicem* habet magnam pro proportione plantæ & lignoſam. *V. icon. tab. æn.* 10.

Naſcitur in occidentali Inſulæ Cretæ *parte, inter* Thymum & Thymbram, *locis ſicciſſimis, uti perhibet* Bellus.

10. Stachys *fœtida ſepium flagellis reptatricibus, Nobis. Lamium maximum Sylvaticum fœtidum, C. B. P. Galeopſis legitima Dioſc. Cluſ. Hiſt. Park. Galeopſis ſive Urtica iners magna fœtidiſſima, J. B. Radices* fibroſæ, flagella cauleſve quadratos, humi diffuſos, è geniculis radices agentes, diffundunt. *Caules* alii erecti, cubitales & ſeſquicubitales, quadrangulares, hirſuti, nonnihil circa articulos rubentes; ubi & *folia* ſunt bina, adverſa, *Urticæ* ſimilia, perquam acuminata, innoxia lanugine obſita, ambitu ſerrata, admodum fœtida. E geniculis interdum alii ramuli oriuntur. *Flores* in ſpica in verticillis per intervalla digeſti, oblongi, tenues, hiantes, cucullati, colore purpuro-rubenti, *labello* tamen albis lineis picturato, antequam aperiantur, *muſtelæ* faciem & aſpectum aliquatenus repræſentant, unde *Galeopſis* nominatur. γαλῆ enim apud *Græcos* eſt *Muſtela*, & ὄψις *faciem vultumve* ſignificat. *V. icon. tab. æn.* 11.

In ſylvoſis locis & ad ſepes paſſim provenit. Æſtate floret.

11. Stachys *folio obſcure virente, flore ferrugineo.* Radice nititur inſiguiter fibrata, vivaci. *Folia* exinde oriuntur *Galeopſeos veræ Dioſc.* pene ſimilia, longiora tamen & ampliora, lata baſi, atrovirentia, hirſutie pubeſcentia, & in ambitu ſerrata, pediculis longis appenſa. *Caules* inter hæc aſſurgunt quadrati, villoſi, cubitales, geniculati; in quibus *folia* conſimilia, ſed paululum minora, è regione poſita ſunt. *Flores* poſt dimidium, ex vaſculis villoſis, pentagonis, & acutis, verticillata ſerie per intervalla provenientes, galeati, fuſco-rubente quaſi ferrugineo colore tincti ſunt. *Semina* ſubrotunda, ſubnigricantia, ſuccedunt. *Vid. icon. tab. æn.* 10.

12. Stachys *folio virente, flore partim rubente, partim albo.* Proxime ſuccedit hæc *Stachydis* ſpecies, è ſeminibus ex *Aleppo* receptis orta, cujus *folia* humi ſtrata, petiolis longis inſidentia, è lata baſi, in mucronem definentia, ſerrata, colore præcedentis non ſunt abſimilia. *Caules* graciliores pedales & altiores, ad articulos per intervalla longiora, *foliola* longe minora, magiſque acuminata, petiolis deſtituta, binatim emittunt. *Utriculi* hirſuti, aperti, pauciores & majores, nodos ſuperiores cingunt; è quibus *flores* partim rubentes, partim albi, galeati, emergunt, & in *ſemina* ſubrotunda, ſed majora, fuſca, tranſmutantur. *V. icon. tab. æn.* 10.

13. Stachys *viridi elatior longioribus & anguſtioribus foliis, flore purpuraſcente. Folia* habet plurima, humi ſtrata, ſex uncias longa, binas ternaſve lata, ad baſin contracta, & in obtuſum mucronem abeuntia, pediculis longis inſidentia, rotundis crenis dentata, rugoſa, viridia. *Caules* quadrati ad humanam altitudinem aſcendentes, minoribus *foliis*, è regione ſitis, veſtiti, molli lanugine obducti. *Flores* aliarum more, è *calycibus* hirſutis prodeuntes, naſcuntur, galeati, purpuraſcentes, & ex galea elevata, labioque longius dependente, bucculis carentes, hiantem florem conſtituunt. Cuilibet *verticillo* ſubnaſcuntur bina *folia* anguſta, *Sideritidis Panacis coloni* dictæ ſimilia, pariter ſeſſilia, & petiolis deſtituta.

14. Stachys *viridi elatior amplioribus foliis, floribus è carneo colore albeſcentibus.* Cum præcedenti convenit hæc. *Folia* viridia ſunt, & conſimilibus pediculis longis appenſa, eandem longitudinem pene obtinent: hæc enim, non ſolum inferius naſcentia, ſed & alia verticillis adhærentia latiora ſunt, rugoſa, crenata, nerviſque hirtis prædita. *Flores* præcedentium conformes, ex albis pallidiores, ſtaminulis nigricantibus, vexillum hians ſuffulcientibus, donati.

Binæ hæ ſpecies gravem fœtidumque ſpirant odorem, ut & præcedentes. *E ſeminibus* à Cl. D. Sherard *tranſmiſſis natam hanc plantam poſſidemus.*

15. Stachys

15. Stachys *Alpina Betonicæ folio, Acad. Reg. Par. Folia* viridia, ſubhirſuta, oblonga, obtuſa, & *Betonicæ* æmula, crenata, petiolis longis appenſa, à *radice* fibroſa protrudit; quibus ab omnibus congeneribus dignoſcitur. *Flores* ad eundem modum quo & in aliis, in *calycibus* apertis, pentangularibus, minoribus proveniunt.

16. Stachys *paluſtris fœtida, C. B. P. Clymenum minus, Lugd. Panax Coloni, Ger. Galeopſis anguſtifolia fœtida, J. B. Betonica fœtida, Geſn. Sideritis Anglica ſtrumoſa radice, Park. Radice* nititur geniculata, ſub terra repente, tumoribus inæquali & velut ſtrumoſa. *Caules* duorum aut trium cubitorum altitudine, modice rubentes, hirſuti, aſperi, quadrati, inanes; *folia* ex nodis proferunt bina, ex oppoſito ſita, longa, anguſta, acuminata, hirſuta, mollia, excepta averſa folii coſta rubeſcente, nonnihil aſpera, per ambitum ſerrata, odore gravi *Galeopſeos*, ſapore ſubamaro: *flores* per intervalla poſiti in *ſpicam* fere degenerant, ex pluribus *verticillis* conflati, quorum ſinguli cucullati, purpuraſcentes, labello variegato. Floris *calyculo* (qui brevis eſt & in quinque ſegmenta acuta diviſus) quaterna ſubnaſcuntur *ſemina* nigra, nitida, fere triquetra. *V. icon. tab. æn.* 10.

17. Stachys *Africana fruteſcens anguſtifolia, flore longiſſimo phœniceo, Leonurus dicta, Nobis. Leonurus Cap. Bon. Spei. Breyn. Cent.* 1. *Cardiaca Africana perennis, foliis Sideritidis, floribus longiſſimis phœniceis villoſis, Hermanni, Hort. Lugd. Bat. Sideritis Africana flore aureo oblongo, Bartholin. Act. Med. Caulem* obtinet bicubitalem & tricubitalem, lignoſum, ſtriatum, quadratum, ſed obtuſis angulis, brevi ac incana lanugine obductum; binis anguſtis atque incanis *foliis* per ambitum ſerratis, alternatim per longa intervalla hærentibus. Ex horum ſinubus *ramuli* ſimiliter quadranguli, & minoribus foliis amicti, pronaſcuntur, idque ab imo caulis ad ſumma ferme genicula, quæ verticillatim innumeri, teneri, ſtriati, in aculeos aliquot exeuntes utriculi, *Marrubii* more inſidentes ambiunt; è quibus *flores* exeunt galericulati, fiſtuloſi, aliorum hujus familiæ floribus forma non abſimiles, ſed multo longiores, incomparabiliſque elegantiæ ex aureo phœnicei ardentiſſimi coloris, ac molli lanugine hirſuti, *labro* demiſſo parvo, *galea* longiſſima, *pilis* holoſericis ex phœniceo pulchre ſplendentibus fimbriata, quæ prius quam è *calyce* erumpit *Lamii* inſtar reflexa, mox verò *caudæ Leoninæ* inſtar in ſublime erigitur, ſub qua *ſtamina* quædam longiſſima apicibus parvis capitulata deliteſcunt. Elapſo florum tempore, ſuccedunt *ſemina* quatuor in quolibet *utriculo. Breyn.*

18. Stachys *Africana fruteſcens Meliſſæ foliis, floribus brevioribus phœniceis. Stipitibus* lignoſis, pollicaris craſſitiei, *cortice* cinereo tectis, quadratis, & ſulcatis, in ramulos plures divaricatis adoleſcit. Iſtis ex oppoſito ſitu, petiolis uncialibus & biuncialibus donata, naſcuntur *folia Meliſſæ vulgaris* æmula, ſerrata, *odore* herbaceo, non admodum jucundo. Summi ramuli in longum protracti, *verticillis* denſis per longa intervalla interſectis, ornantur, è quamplurimis *calycibus* longis, ad genicula congeſtis, compoſita; è quibus erumpunt *flores* galeati, breves, intus villoſi, elegantiſſimo phœniceo coccineove colore intincti.

E locupletiſſimis Africæ *oris accepta eſt.*

19. Stachys *Americana annua Urticæ foliis, floribus brevioribus phœniceis, Nobis. Cardiaca Americana annua Nepetæ folio, floribus brevibus phœniceis villoſis, Leonurus annuus Americanus vulgo, Hermanni, Hort. Lugd. Bat.* qui hunc in modum deſcripſit: *Caule* adoleſcit tricubitali & altiore, herbaceo, candicante, quadrangulo, ſtriato, ſolido, alba medulla farcto; quem per remotiora intervalla, verticillato ambitu amplectuntur *utriculi* denſa numeroſaque congerie invicem incumbentes, tubuloſi, quinquanguli, ſtriati, longiores, ex brevibus pedunculis deorſum flexi, & quadantenus falcati, orificio ampliore, ſeptem molliculis aculeis, ſex brevioribus, uno in ſummo longiori & robuſtiori, armato. Ex his exeunt *flores* galeati, vix labiati, primo triplo breviores & graciliores, villoſi, phœnicei coloris; ſuccedentibus quaternis *ſeminibus* oblongis, angulosis, ſpadiceis. Ad ſingula genicula ab imo caulis ad ſummum uſque naſcuntur *folia* bina ex oppoſito alternatim, *Nepetæ* haud multum abſimilia, ampliora tamen, nonnihil incana, mollia, & in ambitu magis crenata. *Radix* ſubeſt lignoſa, albicans, fibroſa, pro plantæ ratione ſat parva.

Nata eſt ex ſemine è Surinama *advecto; eo quo floruit anno periit.*

Horti Malabarici *Parte nona, pag.* 175. *memoratur alia conſimilis, floris colore excepto, qui in illa purpureo-rubro-pallidus eſt; ubi Auctor quamplurimas* Indiæ *Orientalis Plantas etiam in* America *reperiri docet.*

20. Stachys *ſive Leonurus annuus Madraſpatenſis anguſto longoque folio, flore albo. Fibris* radicatur numeroſis. *Caules* tollit pedales & altiores, ramoſos, quadrangulos, graciles, geniculatos. *Folia* ad ſingulos nodos bina ex adverſo promit longa, anguſta, ſaliginea, viridia, denticellis rarioribus crenata, quorum inferiora ternas aut quaternas uncias longa ſunt; ſuperiora minora redduntur. Ex horum exortu *flores* galeati, albi, villoſi, ſuis calyculis parvis inſidentes, verticillatim prodeunt. *Semina* anguloſa, pallida, quaterna, in ſingulo *utriculo* contenta, ſequuntur.

Ex India *Orientali delata eſt.* Horti Malabar. *parte* 9. *p.* 181. *nomine* Tumba *pingitur.*

20. Stachys *ſive Leonurus Hyſſopi hirſutis foliis Madraſpatenſis, floribus dilute rubris, uno tantum verticillo in ramulorum cymis. Cardiaca Plukenetii, Tab.* 118. E *radice* tenui fibris conſperſa, annuatim pereunte, provenit humilis hæc planta elegans, palmarem altitudinem vix ſuperans. Medius caulis geniculis ternis aut quaternis dividitur; è quibus *folia Hyſſopi vulgaris* ſimilia, oblonga, piloſa, crenis deſtituta, nunc bina, nunc terna emittit. Ex horum ſinubus *ramuſculi* graciles, reclinati, conſimilia *folia*, ſed minora, articulis paucis binatim adnata proferunt. Summi cauliculi unico *florum* galeatorum, dilute rubrorum, verticillo, cum tribus quatuorve foliis ſubjectis, ornantur.

Stachydis Vires.

Stachydem paluſtrem fœtidam, Panacem Coloni *dictam primus ominum, idque maximopere, laudavit* Gerardus, *à quo, propter excellentem virtutem conſolidantem, & ex eo quod Meſſor quidam vulnus cruri inflictum hac ſanavit,* Panax Coloni *nuncupatur.*

Stachys 10ª Galeopſis legitima Dioſc. *dicta facultatem (cum aliis hujus generis) calidam & ſiccam obtinet, odorem tamen magis graveolentem; ad ſtrumas, panos, & tumores duros quoſcunque, ad carcinomata & quævis ulcera, commendatur.* Dioſcorides.

Decoctum *ejus cum vino internis vulneribus & contuſionibus ex caſu, necnon lienis affectibus mire auxiliari perbibet* Parkinſonus. *Idem* & ſuccum *cum aceto calide illitum dolores hæmorrhoidum ſedare, & ſanguinem ex eiſdem prolicere confirmat.*

PLANTÆ

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis denſius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XXI.

Lamium & Galeopſis.

LAmium *forte appellatur, quia ejus flos guttur* Lamiæ *piſcis repræſentare videtur*; λαμὸς eſt gula & guttur, & Lamia *piſcis inde dicitur quaſi à nimia voracitate.*

Lamium foliis *Urticæ* fœtidis, (unde *Urtica iners* à quibuſdam appellatur) *floribus galeatis*, magis hiantibus; *calyculis* apertis, *ſemina* tumidiuſcula ejicientibus, ab aliis dignoſcitur.

TABULA XVII. SECT. XI.

- *Lamium*
  - *perenne*
    - *repens*
      1. *Album vulgare ſive Archangelica, Park. Lamium purpureum vel album non fœtens folio oblongo, C. B. P.*
      2. *Foliis linea alba notatis, C. B. P. Galeopſis folio maculato, J. B. Milzadella vulgo.*
      3. *Moſchatum foliorum marginibus argentatis, Wheeleri.*
      4. *Album Parietariæ foliis, D. Moriſ. Prælud. Bot.*
      5. *Luteum folio oblongo, C. B. P. Lamium luteum, Ger. Park.*
      6. *Maculatum, C. B. P.*
    - *non repens*
      7. *Pannonicum majus flore variegato, Nobis. Galeopſis maxima Pannonica, Cluſ. Pan. & Hiſt.*
      8. *Montanum Meliſſæ folio, C. B. P. Meliſſophyllum Fuchſii, Lob. Lugd.*
  - *annuum verticillis*
    - *mollioribus*
      9. *Rubrum vulgare, Nobis. Lamium purp. fœtidum folio ſubrotundo, C. B. P.*
      Idem floribus albis.
      10. *Rubrum foliis profundius incifis.*
      11. *Rubrum Parietariæ foliis.*
      12. *Folio caulem ambiente minus, C. B. P. Alſine hederula altera, Ger.*
    - *ſpinoſis*
      13. *Urticæ folio procerius, flore purpureo, Nobis. Urtica aculeata fol. ſerratis, C. B. P. Cannabis ſpuria, Park. Ger.*
      Idem flore albo.
      14. *Urticæ folio procerius, flo. luteo amplo, labro purpureo.*
      15. *Odoratum Perſicum Urticæ folio longiore, Nobis.*
      16. *Medium elatius Urticæ anguſtioris folio, flore albo, Nobis. Urtica aculeata foliis ſerratis altera, C. B. P.*
      17. *Medium elatius foliis non ſerratis, Nobis. Urtica aculeata foliis non ſerratis, C. B. P.*
      18. *Arvenſe anguſtifolium rubrum, Nobis. Sideritis arvenſis anguſtifolia rubra, C. B. P.*

1. Lamium *album vulgare ſive Archangelica, Park. Lamium ſive Archangelica flore albo, Lob. Lamium purpureum vel album non fœtens folio oblongo, C. B. P. Galeopſis ſive Urtica iners floribus albis, J. B. Urtica iners ſive Lamium primum, Dod. Urtica mortua, Cam.* *Radice* nititur geniculata, alba, fibris adnexis, ſub terra undequaque & nimis moleſte repente. *Caules* exinde oriuntur pedales, & cubitales, raro ramoſi, quadrati, concavi, ad radicem graciliores & geniculis crebrioribus donati; qui quidem aſſurgentes per longiora intervalla, geniculis interſecti craſſiores evadunt. Iſtis *folia Urticæ* pene ſimilia, ſed minora, mollia, mucronata, ſerrata, pilis innoxiis villoſa, è regione adnaſcuntur. *Flores* verticillatim cauliculos ſecundum folia ambiunt, cucullos aut caſſides referentes, colore albo, *galea* integra ſatis eminente, & labio bifido, biniſque bucculis, cum ſtaminulis intus, donati. Hi *utriculis* brevibus apertis, quinquifidis inſident; quibus evanidis *ſemina* quaterna in fundo apparent, pallida, oblonga, & anguloſa. *Vid. icon. tab. an.* 11.

Locis incultis & ad ſepes paſſim occurrit. Menſibus Aprili & Maio floret. Floribus purpureis variat; unde *Galeopſis ſive Urtica iners flore purpuraſcente majore, folio non maculato, J. B. Lamium purpureum 2. C. B. P.*

2. Lamium *linea alba notatum, C. B. P. Galeopſis folio maculato, J. B. Urtica lactea, Matth. Milzadella vulgo, Leucas Dioſc. forte, Cæſ. Lamium Plinii montanum Campoclarenſe, Col.* Floribus antecedenti accedit; *folia* vero conformia, duplo tamen minora, lineam albam per medium atque rectum nervum utrinque ambientem habentia, quæ non pro accidentali macula habeatur, ſed eſſentiali nota. *Vid. icon. tab. an.* 11.

Ad ſepes & circa vepres Campoclarenſium, *necnon* Narbonenſis Galliæ *frequens reperitur.*

Aliam hujus detexit varietatem Cl. *Fab. Col. Lamium Æquicolorum* dictam, cujus *folia* breviora, anguſtiora, &

& acutiora, profundis inciſuris per ambitum diviſa, (ut in *Chamædrye*) linea alba per medium decurrente, anguſtiore. Quoad cætera vero minime differt à ſuperius explicato.

3. Lamium *moſchatum foliorum marginibus argenteis, Wheeleri.* Antecedentibus ſimile eſt hoc; *folia* vero rotundioribus crenis, prope pediculum macula nigra notata, in marginibus circumcirca argenteo colore inſignita, odore moſchum redolent.

Ad Pentagi, *forte* Pantheam *olim dictam, ſinus* Corinthiaci *oppidum obſervavit clariſs. auctor.*

4. Lamium *Americanum album Parietariæ foliis.* Lamio albo vulgari ſatis accedit, tenuius tamen. *Foliis* marginibus integris donatis, mucronatis, *Parietariæ* æmulis, perfacile dignoſcitur. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

Virginiæ *incola eſt.*

5. Lamium *luteum folio oblongo, C. B. P. Lamium luteum, Ger. Park. Galeopſis ſive Urtica iners flore luteo, J. B. Urtica iners tertia ſive Lamium flore luteo, Dod. Viticulas* è *radice* fibroſa emittit longas, imbecilles, geniculatas, reptatrices, & *Fragariæ* in modum novas radices ex articulis agentes. *E* medio caules alii aſſurgunt erecti, quadrati, pedales, & cubitales, *foliis* atrovirentibus, longioribus & anguſtioribus, mucronatis, binatim & cruciatim amicti. *Flores* hiantes, galeati, marginibus villoſi, omnino lutei ſunt, conſimilibus ſtaminulis intus prædiți. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

In ſylvis & opacis, Junio & Julio menſibus florens reperitur.

6. Lamium *maculatum, C. B. P. Urtica mortua maculis albis reſperſa, Col. Urtica fatua λαμιον, Thal.* Præcedentis tantum varietas videtur: *folia* vero, non lineis, ſed maculis argenteis, latiuſculis, maculantur; qualia ſemper retinet, & idcirco tanquam diſtincta ſpecies exiſtimetur. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

7. Lamium *Pannonicum majus non repens flore majore ex rubro variegato, Nobis. Lamium maximum ſylvaticum alterum, C. B. P. Galeopſis maxima Pannonica, Cluſ. Pan. & Hiſt. Galeopſis maxima flore magno rubro, J. B.* Cubitali *caule*, quadrangulo, craſſo aſſurgit, ſecundum *radicem* frequentibus geniculis prædito; è quibus *folia* naſcuntur *Urticæ* foliis haud abſimilia, per oras ſimiliter crenata, ſed longe majora, palmaremque amplitudinem ſæpiſſime ſuperantia, hirſuta quidem, ſed non mordacia. A medio caule ſurſum verſus, ad ſingulos nodos, orbiculatim ſeni, octoni, nonnunquam deni naſcuntur *flores*, non ſimul ſed ſucceſſive ſe explicantes, *Lamii* floribus multo majores, ſaturate rubri, & tanquam purpurei, *galeæ* inſtar hiantes, *labro* inferiore (cujus laciniatæ oræ) bifido, & frequentibus ad latera barbulis prædito, in interiore parte purpureis & candidis lineis depicto, quatuor ſtaminibus cum ſtylo ſub galea latentibus, *odore* gravi & ingrato, uti tota planta, ſi teratur, guſtu etiam inſuavi & amaro. In laciniatis vaſculis *ſemina* continentur, *Moluccæ* ſimilia. *Radix* craſſa, fibroſa, perennis, ſingulis annis augeſcens, novoſque ſtolones proferens. *Cluſ. Vid. icon. tab. æn.* 11.

In ſylvoſis Pannoniæ *montibus* Cluſius *invenit. In hortis noſtris Maio menſe floret.*

8. Lamium *montanum Meliſſæ folio, C. B. P. Meliſſophyllum Fuchſii, Lob. Eyſt. Park. Meliſſophyllum verum Cord. Obſ. Meliſſa adulterina quorundam, amplis foliis & floribus non grati odoris, J. B.* Fibroſa *radice* ſubacri & amara nititur. *Caules* pedales & majores quadrati, hirſuti, geniculati, multa medulla farcti. *Folia* Galeopſeos ſimilia, ampliora tamen & obtuſiora, atra viriditate nitentia, guſtu aliquantulum acri. *Flores* ex ſingulis nodis inter folia terni & quaterni prodeunt, in *utriculis* oblongis, laxis, hirſutis, & apertis, non adeo profunde in ore diviſis, longiuſculi, tubuloſi & inodori, in quatuor partes latiuſculas partiti, galea, non ut in aliis convexa, donati, interdum omnino albi, in aliis *labio* amplo, macula non parva purpurea inſignito, prædîti. *Semina* quaterna vaſculi fundo inſident, pulla, ſubrotunda, ſatis ampla. Binæ hæ ſpecies ultimo memoratæ totæ excepta radice per hyemem pereunt. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

In ſylvis meridionalis & occidentalis Angliæ, *& montoſis & ſylvoſis prope* Genevam, *ſponte naſcens reperitur. Aprili & Maio menſibus floret.*

Alteram hujus ſpeciem in *Auſtria* invenit *Cluſius, caulibus* infirmioribus, frequentioribus ex *radice* ſingulis annis repullulantibus; *foliis* autem paullo anguſtioribus.

Lamium fruticoſum non maculatum Creticum, Zanoni. Vide Meliſſa.

Lamia annua.

9. Lamium *annuum vulgare rubrum, Nobis. Lamium purpureum fœtidum folio ſubrotundo, C. B. P. Sive Galeopſis Dioſc. Galeopſis ſive Urtica iners folio & flore minore, J. B. Lamium rubrum, Ger.* E *radice* fibrata, annua, oriuntur *caules* quadrati, inanes, primo reclinati, tunc ſe erigentes, ſtatim ramoſi, dodrantales; ad quorum infimam partem, geniculis paucis donatam, *folia* ſubrotunda, uncialia, in ambitu ſerrata, mollia, petiolis uncialibus & longioribus, appendent. *Caulis* pene ad ſummum uſque nudus eſt, ubi inter alia folia, verticillatim naſcuntur *calyces* breves quinquepartiti, cum *floribus* ſuis longis, tubuloſis, galeatis, tenuioribus, purpurorubentibus. Floribus deciduis, ſuccedunt *ſemina* brevia, anguloſa, fuſca; quibus quotannis ſponte renovatur. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

In locis incultis, & ruderibus, æque ac in arvis frequens occurrit. Aprili menſe, atque ita ſucceſſive per totam æſtatem floret.

Idem rarius reperitur *foliis & caulibus dilute viridantibus & floribus albis; at præcedentis folia ſaturatius virent, caulesque purpuraſcunt.*

10. Lamium *annuum rubrum foliis profundius inciſis.* Hoc primum urbis *Amſtelodamenſis* muris & inter rudera, demum in *Anglia* in incultis inventum, pro varietate antecedentis accepimus. *Semen* vero ſatum idem produxit; & non aliter quam foliis potius amplioribus, in profundiores lacinias diviſis, à proxime ſuperius explicato, differt.

11. Lamium *annuum rubrum Parietariæ foliis. Ubi ſponte naſcitur, nobis non compertum.* Ex horto Dom. *Edw. Morgan*, prope cœnobium *Weſtmonaſterienſe*, plurimis abhinc annis ipſi comparavimus. *Radice, caulibus, floribus, ſeminibus*, modoque creſcendi, à vulgari non dignoſcitur. *Folia* duntaxat diſcrimen faciunt; quæ inferius locata minora ſunt, & paullulum crenata, ſuperiora vero marginibus æqualibus, mucronata & *Parietariæ* æmula apparent; ſemperque eandem facultatem retinent.

12. Lamium *annuum folio caulem ambiente minus, C. B. P. Alsine hederula altera, Ger. Morsus gallinæ folio hederulæ alter, Lob.* E *radice* consimili fibrosa, annua, *caules* proveniunt quadrangulares, graciliores, à primo exortu seu prope terram ramosi, dodrantales & pedales, paucis internodiis distincti; ad quorum articulos binos inferiorès *folia* circumscriptione rotunda, rotundioribus crenis serrata, petiolis longis tenuibus appensa excrescunt. Superiora vero genicula *folia* habent ampliora, sessilia, bina, profundius divisa, quæ petiolis destituta, *caulem* per intervalla amplectuntur. In horum sinubus *utriculi* breves, villosi, verticillatim nascuntur; è quibus *flores* galeati, tubulosi, longi, graciles, purpurascentes, emergunt. *Semina* parva, subfusca, quotannis reparationem efficiunt. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

In satis, solo præsertim arenoso & glareoso, & fossarum aggeribus, passim provenit.

13. Lamium *annuum procerius Urticæ folio, verticillis spinosis, Nobis. Urtica aculeata foliis serratis, C.B.P. Cannabis spuria, Park. Ger. Lob. Cannabis sylvestris quorundam Urticæ inerti affinis, J. B. Urtica iners quarta, Dod. Cannabis sylvestris Trag. propter formam seminis. Radix,* potissimum qua parte cauli commititur, fibris longiusculis donata, annua est. *Caulis* cubitalis, & altior, quadratus, hirsutus, & asper, nodosus, digitum crassus, in ramos plures dividitur; ad cujus articulos singulos crassos, gemina *folia* adversa, pediculis appenduntur, longa, *Urticæ* foliis æqualia, acuminata, per ambitum serrata (in singulares incisuras singulis nervis obliquis à media costa exeuntibus) mollia, pilosa, atrovirentia. *Flores* ex foliorum alis verticillatim per intervalla caulem ambiunt, *Lamiorum* aliorum effigie, hiantes, purpurantes, ex calyce rubente, in quinque spinas abeunte. Calycis fundo *semina* succedunt quaterna, turgida, cannabinis pene similia, quibus deciduis, renovatur. *V. icon. tab. æn.* 12.

In segetibus frequens, & sylvosis locis, & ad fossas, oritur.

Reperitur etiam *caulibus viridioribus, & floribus albis.*

14. Lamium *annuum procerius Urticæ foliis, flore luteo amplo, labro purpureo.* Præcedenti simile est *caulibus, foliis, & verticillis*; à *floribus* vero oritur distinctio, qui galeati sunt, ampliores, ochroleuci, aut ex luteo albidi coloris; horum enim *labrum* macula ampla eleganter purpurea, totum florem fere occupat.

In arvis septentrionalibus Angliæ, *v. g. in Comitatibus* Eboraci, Westmorlandiæ, *aliisque, humidiore solo, occurrit.*

15. Lamium *Persicum annuum procerius, odoratum, Urticæ folio longiore, Nobis. Sideritis odorata Persica, Zan.* Huic *folia* inferiora palmo sunt longiora, binas uncias lata, ambitu modice dentata, & *Balsamitæ* fere forma, in mucronem protracta, hirsuta, petiolis infidentia, humi sparsa. *Caulis* erigitur quadratus, bicubitalis, hirtus etiam, in alas oppositas brachiatus. Summa genicula *floribus* galeatis, *Salviæ* quoad formam non absimilibus, ex rubicundo ad violaceum colorem tendentibus, fundo albo ex utriculis acutis provenientibus verticillatim amiciuntur. His decidentibus, *semina* succedunt oblonga, quaterna, parum angulosa. *V. icon. tab. æn.* 4.

E seminibus Persicis *in Horto* D. Zanoni Bononiensis *ortum est.*

16. Lamium *anuum medium Urticæ angustioris folio, flore ochroleuco, Nobis. Urtica aculeata foliis serratis altera, C.B.P. An Cannabis spuria tertia, Lob. icon? Alyssum arvense album, Tab. Caulibus* ramosis, angulosis, nodosis, & pedalibus assurgit. *Folia* ad singulos nodos bina, præcedentis angustiora, mucronata, serrata, rigidiora, atrovirentia, lanugine pubescentia, petiolis brevioribus adnascuntur. *Flores* è *verticillis* spinosis, sed non in adeo longos aculeos extensis, longiores sunt, tubulosi, *Lamiorum* more hiantes, cum staminulis & apiculis innatis, coloris pallidi, ex albido lutei, & quasi sulphurei, in *calycibus* villosis brevibus contenti. Istis *semina* subrotunda, sed minora succedunt; quibus maturis *radix* fibrosa cito perit.

A Viro Cl. & Botanices admodum perito D. D. Richardson *accepimus.*

17. Lamium *annuum medium elatius foliis non serratis. Urtica aculeata foliis non serratis, C. B. P. Cannabis spuria facie Urticæ, Lob. icon. Urtica fatua sylvestris aculeata, Thal. Foliis* solis debetur distinctio, quæ non serrata esse dicuntur; qualia utique frequens in antecedenti videre licet. Quare an genuina & distincta sit species necne, definire non ausim. *Vid. icon. tab. æn.* 12.

18. Lamium *arvense annuum angustifolium rubrum verticillis spinosis, Nobis. Sideritis arvensis angustifolia rubra, C. B. P. Sideritis arvensis rubra, Park. Ladanum segetum Plin. quorundam flore rubro, J. B. Tetrahit aliis, Lugd.* Ex *radice* consimiliter fibrosa, annua, oritur *caulis* dodrantalis & pedalis, rigidus, gracilior, viridifuscus, geniculatus, erectus, & ramosus. *Folia* ex articulis nascuntur, *Hyssopi* angustia prædita, atrovirentia, dentata, subhirsuta, sapore exsiccante, brevibus inter se contrariis pediculis insidentia. *Flores* longi galeati, *Sideritidum* longiores, elegantis coloris purpurei, è *verticillis* spinosis *caulem* ambientibus, emergunt, & pulchro aspectu inter segetes & post messes copiose proveniunt. *V. icon. tab. æn.* 12.

Lamii Vires & Usus.

Lamium *strumis & tumoribus mederi antiquitus notum est. Vid.* Plin. *l.* 20. *c.* 22. *Etiamnum usus frequentis est in discutiendis & persanandis tumoribus scrophulosis, qui non raro sub faucibus aut collo enascuntur, contusum per se, vel cum axungia, uti admonet* Plinius; *tumori imponitur & bibitur simul in* decocto, *quod sæpius vel largius haustum ventriculum movet, & habetur huic malo conveniens emeticum. Pulvis ejusdem interne etiam assumitur.* Magma *seu* succus fæculentior *post expressionem, hæmorrhoides aperit.* Infusum *vel* decoctum *in vino, vel* conserva *ex* floribus *parata, fluorem album seu gonorrhœam muliebrem sistit: commendatur etiam in Dysenteria.*

Lamium album *seu* flore albo, rubro *præfertur.*

De Lamio flore luteo *hæc habet Jo. Bauhinus.* Non dissimilibus quoque virtutibus illo (*viz. quod est flore albo*) sed multo efficacioribus esse perhibetur ad vulnera, ulcera, tumores. Lamium folio maculato, Italis Milzadella, *Lienis affectibus* dicari volunt.

PLANTÆ

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis per intervalla denſius diſpoſitis.

CAPUT XXXII.

Sideritis.

Sideritis ἀπὸ τοῦ σιδήρου, *i. e. ferro, dicta eſt: quoniam hæc herba vulneribus, ferreis aut aliis inſtrumentis inflictis ſanandis perutilis ſit, ob vim glutinantem.* Herbæ Judaicæ *titulo quædam ſpecies inſigniuntur, quoniam* Judæi *illis utuntur ſimiliter ad vulnera.* Succus vulnera recentia claudit, Plin. *l.* 12. *c.* 9.

Sideritis quoad virorem & fœtorem cum *Lamiis* convenit; *folia* vero exſiccantis facultatis anguſtiora, *floreſque* breviores in *ſpicis* longioribus naſcuntur.

TABULA XVIII. SECT. XI.

- Sideritis
  - *perennis flore*
    - *albo*
      1. *Vulgaris hirſuta, J. B. Hirſuta erecta, C. B. P. Sideritis vulgaris* 1. *Cluſ.*
      2. *Vulgaris humilior, C. B. P. Sideritis* 2. *Cluſ. capitato flore, J. B.*
      3. *Hirſuta procumbens, C. B. P. Sideritis Cluſio Hiſpanica hirſuta, J. B.*
    - *luteo*
      4. *Foliis hirſutis profunde crenatis, C. B. P. Sideritis ſcordioides, Adv. Lob.*
      5. *Romana utriculis ſpinoſis, Hort. Lugd. Bat. Sideritidis genus verticillis ſpinoſis, J. B.*
      6. *Montana, Adv. Lob. Sideritis Valerandi Dourez, J. B.*
      7. *Salviæ folio noſtras Donato, Park. Magnol. Heraclea, Col.*
      8. *Alpina Hyſſopi folio, C. B. P.* 7. *Cluſ. Hiſt.*
      9. *Hiſpanica longifolia fruteſcens ſive lignoſior, Schol. Bot. Par.*
      10. *Humilior Pyrenaica Hyſſopi folio procumbens, Schol. Bot. Par.*
    - *rubro*
      11. *Hirſuto pallido flore, C. B. P.* 6. *Cluſ. Hiſt.*
      12. *Montana parvo varioque flore, C. B. P.*
      13. *Querno folio, Dal. Lugd. C. B. P. Park. An Sideritis* 1. *Dioſc. Col?*
  - *annua flore*
    - *albo*
      14. *Arvenſis latifolia glabra, C. B. P.* 2. *Matth.*
      15. *Glabra oblongo ſplendente folio, C. B. P.* 1. *Prod.*
      16. *Glabra Betonicæ folio, Raii. Horminum minimum ſupinum Creticum, Cluſ. C. B P. Park.*
      17. *Glutinoſa bitumen redolens, Hort. Reg. Bleſ. Cretica viſcoſa bitumen olens, Zan.*
    - *luteo*
      18. *Chalepenſis utriculis & foliis longioribus.*
      19. *Tomentoſa ſcordioides, Hort. Lugd. Bat.*
    - *rubro*
      20. *Hirſuta procumbens altera minimum crenata, C. B. P.* 4. *Cluſ. ramulis procumbentibus, J. B.*
      21. *Folio rotundiore, J. B. Sideritis* 5. *Cluſ.*
      22. *Alſine Triſſaginis folio, C. B. P. Sideritis humilis lato obtuſo folio, Ger.*
      23. *Erecta Teucrii pratenſis folio Æthiopica, D. Pluk. Almageſt. Bot. Tab.* 315.

1. Sideritis *vulgaris hirſuta, J. B. Sideritis erecta, C. B. P. Vulgaris, Cam. in Matth.* 1. *Cluſ. Hiſt. Sideritis Heraclea, Cordi. Herba Judaica, Cæſ.* Ex lignoſa *radice caules* emittit pedales & bipedales, quadratos, hirſutos, ex albido virore flaveſcentes; ad quorum genicula *folia* exeunt adverſa, rugoſa, hirſuta, unciali aut ſextantali longitudine, ſemunciam circiter lata, in ambitu crenata, ſapore exſiccante & adſtringente cum calore aliquo. *Flores* verticillati genicula amplectuntur, galericulati, ex albido lutei, labro ſanguineis punctis guttato, ex *calyculis* hirſutis, in quinque mucronata ſegmenta abeuntibus. Relinquunt poſt ſe ſinguli flores quaterna *ſemina. J. B. V. icon. tab. an.* 12.

In herbidis collibus circa Monſpelium, *& ad agrorum margines* Germaniæ, Italiæ, & Galliæ, *paſſim provenit. Junio & Julio menſibus floret.*

2. Sideritis *hirſuta vulgaris humilior, C. B. P.* 2. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Sideritis* 2. *Cluſio capitato flore, J. B.* Humilior priore neque pedalem excedit altitudinem, in raros diviſa ramulos, *foliis* prioris ſimilibus, molliorибus tamen prædita. *Flores* ampliores, albi, palleſcente *labro*, & paucis rubris punctis aſperſo, verticillatim

tim in utriculis *caulem* ſupremoſque ramulos ambientes, breviorem quam in jam dicta, & quaſi mutilatam *ſpicam* conficiunt.

In multis Pannoniæ & Auſtriæ *locis, in agris & inter ſegetes reperit* Cluſius. *Floret Julio menſe.*

3. Sideritis *hirſuta procumbens, C. B. P. Sideritis 3. Cluſ. Hiſt. Tetrabis Herbariorum, Lob. Sideritis Cluſio Hiſpanica hirſuta, J. B.* Longiore eſt *folio* quam *Marrubium*, ſatis ad *Salviæ* foliam accedente, minore tamen, querni fere folii diviſura, ſcabro, villis quibuſdam prædito, nec injucundi guſtus nec odoris. *Caules* fundit quadrangulos, palmum ut plurimum excedentes, interdum procumbentes, duros, hirſutos, candicantes; quorum ſummitates per intervalla verticillati orbes coronant, ut in *Sideritide vulgari.* Orbes iſti vaſculis conſtant, in quibus *flos* prioris ſimilis ex candido nonnunquam purpuraſcens, quo evaneſcente, *ſemen* in vaſculis nigricans reperitur. *Radix* dura, lignoſa, vivax. Auctore *Cluſio. Vid. icon. tab. æn.* 12.

In petroſo ſolo per Hiſpaniam, Galliam, & Germaniam *occurrit.*

4. Sideritis *foliis hirſutis profunde crenatis, C. B. P. Sideritis Scordioides Monſpeliaca, Adv. Lob. Sideritis floribus luteis, Lugd. Sideritis Monſpeſſulana, J. B. Radix* ſubeſt craſſiuſcula, lignoſa, raris fibris donata. *Caules* à *radice* mox plures, ſubinde ramoſi, dodrantales, valde hirſuti, albicantes. *Folia* breviora, rotundiora, magiſque hirſuta, quam *Sideritidis vulgaris*, ſerrata, amara. *Flores* verticillati, forma quidem & manitudine ejuſdem *Sideritidis* ſimiles, ſed coloris ex luteo albeſcentis, odore gravi. Amaricante, exſiccante guſtu præditi ſunt *floſculi*, ac nonnihil aromatici ſuaviſque halant, quod *Chamædryn* aut *Betonicam* referat. *V. icon. tab. æn.* 12.

Aprili menſe florens, variis in locis circa Monſpelium *obſervatur.*

5. Sideritis *Romana utriculis ſpinoſis, Hort. Lugd. Bat. Sideritidis genus verticillis ſpinoſis, J. B. Caulis* eſt quadratus, hirſutus. Ad ſingulos nodos verticillatim circumnaſcuntur *flores, Sideritidis vulgaris* floribus ſimiles, candidi, hiantes, non ita exſerti, *calycibus* laxis, duris, in quinque lacinias rigidas, ſpinoſas, ſupremam omnium longe maximam, diviſis. Unicuique autem *verticillo*, ab imo ramo ad ſummum uſque faſtigium, duo ſunt ſubjecta ex adverſo orta *folia*, modica hirſutie obſita, ſerrata, ut *Teucrii*, ſed nonnihil oblongiora, anguſtiora. *V. icon. tab. æn.* 12.

Hanc Cherlerus *collegit prope* Romam.

6. Sideritis *montana, Adv. Lob. Sideritis Valerandi Dourez. brevi ſpica, J. B.* Minimum digitum æquat *radix* lignoſa, non ſine adnatis fibris; & ex ſe innumeras promit *virgas* ligneſcentes, dodrantales, oppoſitis ramis paullo ſupra radicem brachiatas, hirſutas, per quas *folia* ad juncturas bina, oblonga, anguſta, per extremum nonnihil ſerrata. Definunt autem ſinguli ramuli in *ſpicas Betonicæ*, unciam aut ſeſcunciam fere longas, pulchris *calycibus* in quinos aculeos terminatis, majoribus quam qui in *Fuchſiana* vel *Monſpeſſulana Sideritide* obſervantur, minuſque hirſutis, denſe ſtipatas, adjacentibus foliis barbatis at fere ſpinoſis. *J. B. V. icon. tab. æn.* 4.

7. Sideritis *marina Salviæ folio noſtras Donato, Park. App. Magnol. Sideritis Salviæ folio, Anguillara. Sideritis Heraclea, Col. Radix* huic minimi digiti eſt craſſitudine, rugoſa, ſublutea. *Caulis* lignoſus, quadratus, ima parte foliis *Salviæ* ſimilibus, ſed nonnihil viridioribus cinctus, ſuperius adnaſcentibus *Marrubii Cretici* ſimilioribus. Summos caules *flores* verticillatim ambiunt, *Salviæ* fere in modum diſpoſiti, calore albicante, aut ex luteo cinereo tincti. Folia commanſa *Maſtichen* reſipiunt. *Vid. icon. tab. æn.* 12.

In maritimis ſabuloſis inter Perauls & Maugio *æſtate florentem obſervavit D.* Magnol.

8. Sideritis *Alpina Hyſſopi folio, C. B. P.* 7. *Cluſ. Hiſt.* Plures ex eadem *radice* promit *caules* pedales, quadrangulares, lignoſos, ſurrectos; in quibus ad ſingulos nodos bina naſcuntur *folia*, ſibi invicem oppoſita, anguſta, *Hyſſopi vulgaris* foliorum quodammodo æmula, ſaturatius virentia. *Flores* parvi, galeati, palleſcentes, in orbem naſcentes, inter latiuſcula, brevia, ſerrataque *folia* ſummos caules ambiunt, extremorum foliorum coma flaveſcente. *Radix* longa eſt, dura, lignoſa, palleſcentis fuſco infecti coloris; aliquot annos perdurat, frigoriſque patiens hyemem in horto ferre poteſt. *V. icon. tab. æn.* 12.

Floret menſibus Julio & Auguſto. D. Raius *in Cat. Exterarum*, Sideritidem *Hyſſopifoliam, ſeu folio anguſtiſſimo, caule rubro, addit.*

9. Sideritis *Hiſpanica longifolia fruteſcens ſive lignoſior, Schol. Bot. Pariſ.* Huic novæ plantæ *caules* ſunt ex quadratis rotundi, frequentioribus (præſertim in inferiore parte) geniculis intercepti, erecti, pedales, & cubitales, lanugine tenui obſiti; quos per intervalla, contrario ſemper ſitu bina cingunt *folia*, latiuſcula baſi eoſdem amplectentia, uncialis aut amplioris longitudinis, *Hyſſopique* latitudinis, rigidiuſcula, ternis denticulationibus eleganter extenſis, & in acumen definentibus donata. *Flores* nondum videre licuit, qui probabiliter aliorum *Hyſſopi foliis* præditorum concolores ſint.

10. Sideritis *humilior Pyrenaica Hyſſopi folio procumbens, Schol. Bot. Pariſ. An Sideritis montana Pena, Hiſt. Lugd. p.* 1122. *ex Sabaudiæ Alpibus collecta?* E *radice* perpetua, dura, & lignoſa, tenui, *caules* palmares & dodrantales, quadrati, graciles, nunc erecti, nunc procumbentes, proveniunt; quibus ad ſingula genicula *folia* integra ſemuncialis & uncialis longitudinis, ſerraturis deſtituta, *Satureiæ hortenſis* aut *Hyſſopi vulgaris* ſimilia, è regione innaſcuntur. *Flores* in capſulis pentangularibus, acutis, producit luteos, ſulphureoſve, galeatos, verticillatim per intervalla cinctos, non ſine binis *foliolis* acutis, ſed antecedentis multo anguſtioribus & minoribus, ſubjectis, & ex eodem articulo adnatis. *Hanc plantam D. D.* Sherard *nobiſcum communicavit.*

11. Sideritis *hirſuta pallido flore, C. B. P. Sideritis Pannonica* 3. *Cluſ. Pan. at* 6. *in Hiſt. Radix* ei longa eſt, fibroſa, & annua. *Caulis* à radice ſtatim ramoſus; *folia* oblonga, venoſa, hirſuta, mollia, non ſerrata; *floſculi* inter folia breviora, in utriculis verticillatim ambientibus, parvi ſunt, galeati, fuſci coloris, *labello* autem parte interiore pallido. *Semen* parvum nigricans ſuccedit. *Vid. icon. tab. æn.* 12.

In arvis & inter ſegetes Pannoniæ & Auſtriæ *inferioris, Junio menſe florens* Cluſius *invenit.*

12. Sideritis *montana parvo variaque flore, C. B. P. Sideritis montana parvo flore nigropurpureo, Col. Caulis* ſeſquipedalis, quadratus, rubeſcens, hirſutus, lignoſus, alis duabus in medio diviſis ornatur. Binis intercipitur *foliis* alternatim ex oppoſito hærentibus, oblongis, ex anguſtia ſeſe dilatantibus, alba, longa hirſutie obductis, ternis circa foliorum extremitates utrinque obſcuris dentium ſerraturis. Ad ſuperiores nodos, *utriculi* quinque vel ſex, nervoſi, in quinos longos aculeos in ore diviſi, *caulem* ambiunt; & ex his *floſculi* galeati

galeati, barbularum oris purpuronigreſcentibus, umbilico luteo, colloque candicante. *Semen* anguloſum quaternum, ex nigro cinereum, ſuccedit. *V. icon. tab. æn.* 4.

In locis ſaxoſis Æquicolorum *ſupra* Capucinorum *ſylvulam collegit Cl.* Fab. Col.

13. Sideritis *querno folio, Dal. Lugd. p.* 1121. *Folia* latiuſcula, ſinuata, quernis ſunt affinia, minora tamen, in ambitu diſſecta, ſubaſpera. *Caules* per interſtitia rotundæ vertebræ quales in *Praſio* obſervantur coronant. *V. icon. tab. æn.* 12.

14. Sideritis *arvenſis latifolia glabra, C. B. P. Sideritis* 2. *Matth.* Annua hæc planta *caules* fundit dodrantales, in ramuſculos varios, quadrangulares, brachiatos. *Folia* ex adverſo ſita, uncialia, obtuſa, & *Betonicæ* fere in modum in ambitu crenata, viridia, penitus glabra, geniculis apponuntur. *Flores* galeati, aliorum more verticillatim caules ſuperiores cingentes, albi ſunt, ſpecie flavedinis donati, *labro* trifido macula luteoviridi tincto. *Semina* ſubrotunda, turgidiora, quaterna, in *vaſculis* quinquifidis continentur. *V. icon. tab. æn.* 12.

In arvis ſeptentrionalibus Angliæ, *v. g. in comitatu* Eboracenſi, *variis in locis reperitur.*

15. Sideritis *glabra oblongo ſplendente folio, C. B. P.* 1. *Prod.* *Caules* habet quadrangulos, cubitales, velut geniculatos, in quorum ſummitate rariſſimi *pili* conſpiciuntur; *folia* tenuia, pallide virentia, penitus glabra, bina ſemper ex adverſo naſcentia, quorum inferiora, tres uncias longa, unam lata, minimeque ſerrata ſunt. *Flores* forma quidem *Sideritidis vulgatiſſimæ* floribus reſpondent, ſed longiores & majores, galeati & albi, è *calycibus* aſperiuſculis prodeuntes, ad foliorum exortum, ab imo fere ad ſummum caulem verticillatim ambiunt; quibus *ſemen* parvum, nigrum, inæquale in vaſculis plantaginis ſuccedit. *C. B.*

16. Sideritis *glabra Betonicæ folio, Raii. Horminum minimum ſupinum Creticum, Cluſ. C. B. P. Park. An Galitrichum flore minimo albo, J. B.*? *Folia* parva, *Betonicæ* fere figura, ſed breviora, pariter crenata, glabra, obſcure viridia, velut *Blattariæ luteæ*, pediculis ſatis longis hærentia. Quæ in caulibus ſunt paullatim minora, anguſtiora, acutiora, brevioribus pediculis, & ſuprema nullis nitentia. *Caules* ſatis firmi, quadrati, hirſuti, ab imo uſque valde ramoſi. *Flores* in *verticillis* ex alis foliorum exeunt, ſinguli ſingulis ſed breviſſimis pediculis donati, albi, *labello* è luteo pallido, in ipſo rictu aliquot rubris punctulis guttato. *Galea* intus utrinque ad latus *lineam* habet albam. *Folia* quæ florum verticillis ſubſunt reliquis in caule ſimilia ſunt. Unum autem *verticillum* ſex flores componunt. D. J. *Raius.*

In Thracia *à D.* Covell *hæc planta obſervata & collecta eſt.*

17. Sideritis *glutinoſa bitumen redolens, Hort. Reg. Bleſ. Cretica viſcoſa bitumen olens, Zan.* Annua hæc *Sideritidis* ſpecies dodrantalis eſt altitudinis, à principio ramoſa, cujus *folia* ex adverſo ſita, viridia, ovalia, crenata, & modice ſunt hirta, binatim adhærentia. Tota planta contacta, glutinoſa eſt, naribuſque admota, bitumen grave redolet. *Flores* albos & *ſemina* reliquarum *Sideritidum* more fert. *V. icon. tab. æn.* 4.

In Creta *naſci perhibet* Jacobus Zanoni.

18. Sideritis *annua flore luteo, utriculis & foliis longioribus.* Novum hoc *Sideritidis* genus, quod munificentiæ prædicti digniſſ. D. D. *Huntington* ex *Aleppo* tranſmiſſum debemus, *caule* aſſurgit erecto, quadrato, pedali & cubitali, paucis ramuſculis brachiato, articulis aliarum in modum diſtincto. *Folia* inferioribus geniculis binatim adnata, unciam aut amplius longa, *Prunellæ vulgaris* fere æmula, in ambitu modice dentata, petiolis uncialibus donata ſunt; at quæ caulibus ramuliſque poſt dimidium naſcuntur, crenis omnino ſunt deſtituta, & ex eis prima longiora, & ſuperiora breviora apparent. Porro ex horum ſinubus *utriculi* aliarum ſpecierum longiores, tenues, tactui mollicelli, numero quinque vel ſex, *verticillum* componunt; è quibus *flores* tubuloſi, galeati, pallide lutei, aliarum more prodeunt. Utriculis autem *foliola* bina ſubrotunda, acuminibus longis, innoxiis dentata, appendicum vices præſtantia, ex eodem exortu proveniunt.

19. Sideritis *tomentoſa Scordioides, Hermanni, H. L. B.* *Caulis* huic eſt dodrante longior, quadrangulus, tomentoſus, incanus, quem ambiunt conjugata ſerie *folia* parva, incana, mollia, graveolentia, rugis & marginalibus crenis ad *Scordii* folia quadantenus accedentia. Ad horum ſinus exeunt *floſculi* galeati & labiati, puſilli, pallidi, caulem per intervalla verticillatim cingentes; quibus ſuccedunt *utriculi* quinquefariam denticulati, nullis aut perquam exiguis pedicellis fulti, claudentes *ſemina* quaterna, rotunda, fuſca. Renovatur ſingulis annis ex *ſeminibus* deciduis.

20. Sideritis *hirſuta procumbens altera minimum crenata, C. B. P.* 4. *Cluſ. Hiſt.* *Ramos* habet procumbentes, quadrangulos, tenues, villis quibuſdam obſitos, quos *folia* per intervalla, parva, brevia, à medio ad extremum ſerrata, nonnihil etiam villoſa cingunt. Summos ramos verticillatim ambiunt *vaſcula*, in quibus *flores* prioribus forma ſimiles.

21. Sideritis *folio rotundiore, J. B. 5. Cluſ. Hiſt. Altera parva Cluſ. Park.* Medium *caulem* habet ſurrectum, quadrangulum, deinde ſtatim à *radice* multos in latere ſpargit ramos humi fuſos, quadrangulares, quibuſdam villis pubeſcentes; quibus *folia*, præcedentis pene ſimilia, minus tamen ſerrata, adnaſcuntur. Floret ad eundem modum quo & proxime ſuperius explicata.

22. Sideritis *Alſine Triſſaginis folio, C. B. P.* 2. *in Prod. Huc ſpectat Sideritis humilis lato obtuſo folio, Ger. Hederulæ folio, Park.* E *radice* parva fibris capillata, *caules* exeunt palmares & dodrantales, ſubtuſci, hirſuti, & quadrati, è quorum geniculis *folia* ſubrotunda, piloſa, crenata, unguis humani latitudinem æquantia, petiolis infidentia, conjugatim enaſcuntur. *Flores* exigui, in vaſculis brevibus, piloſis, apertis, quinquifidis, verticillatim caules ambientes, parvi, galeati, purpuraſcentes ſunt, maculis ex purpureo colore ſaturatioribus notati. *Semina* quaterna, nigricanatia, cito matureſcentia, è vaſculis ſtatim decidunt, quibus quotannis renovatio fit.

In arvis & inter ſegetes, variis circa Oxoniam, *aliiſque pluribus* Angliæ *locis, ſponte naſcens reperitur. Junio & Julio menſibus floret.*

Huic proxime affine, & forte idem eſt *Lamium paludoſum Meliſſæ folio Belgicum, Hort. Lugd. Bat.*

23. Sideritis *erecta Teucrii pratenſis folio Æthiopica, D. Pluk. Almageſt. Bot.* 345. *Tab.* 315. *Fig.* 3. Planta hæc erecta palmaris & dodrantalis, ſtatim à *radice* fibrata, in tres pluresve *caules* non ramoſos aſſurgit; quorum ſingulis geniculis, ad uncialem intercapedinem, *folia* binatim naſcentia, pediculis brevibus adhærentia, *Veronicæ*, *Teucrii pratenſis* vulgo vocatæ, ſimilia, ambitu rotundis crenis dentata inſident. *Flores* galeati ſuprema genicula occupant, ſicut & in aliis. *Videtur annua eſſe planta.*

De Sideritide Annotationes.

Sideritis *exſiccandi vi prædita & ad vulnera ſananda apta, a pluribus exiſtimatur; qua de cauſa nonnulli alias plantas longe diſſidentes conſimili facultate donatas eodem nomine inſignierunt, quales ſunt*

Sideritis 3ª. *Dioſc. Col.* Eſt ea *Sanicula vulgaris.*
Sideritis *pratenſis rubra, Lugd.* Eſt *Euphraſia pratenſis lutea, C. B. P.*
Sideritis *pratenſis lutea.* Eſt *Euphraſia pratenſis lutea, C. B. P.*
Sideritis *Heraclea, Cratevæ.* Eſt *Geranium Robertianum.*
Sideritis 2da. *Dioſcoridis.* Eſt *Sanguiſorba*, &c.

Alii varias galeatas *plantas, alio proprie referendas inter* Sideritides *deputarunt, quo in genere ſunt:*

Sideritis *arvenſis anguſtifolia rubra, C. B. P. Sideritis arvenſis flore rubro, Cam. Ladanum ſegetum* Plinii, & *Tetrahit anguſtifol. Lugd.*
Sideritis 3. *Matth. Urtica aculeata foliis non ſerratis, C. B. P. Cannabis ſpuria, facie Urticæ, Lob.*
Et foliis ſerratis. Urtica aculeata foliis ſerratis, C. B. P. Cannabis ſpuria, Park. Cannabis ſpuria altera, Lob. Floribus *majoribus hiantibus*, galeaque *magis elevata*, foliiſque *non diſſimilibus*, Lamiis *potius reſpondent, & ibidem quærendæ.*
Sideritis *cærulea, Thalii. Lyſimachia cærulea galericulata, C. B. P. Vid.* Scutellaria.
Sideritis *prima Matth. Eſt Marrubium aquaticum, ſeu potius Pſeudo-marrubium.*
Sideritis 2ª. *Matth. Alyſſon verticillat. fol. crenatis, C. B. P. Eſt Marrubium.*
Sideritis *ſtrumoſa radice, Park. Panax Coloni. Ger. Vid.* Stachys paluſtris.

Sideritidis Vires & Uſus.

Sideritis *vulgaris hirſuta, J. B. præſertim intelligitur cum de viribus uſuque Sideritidis fit ſermo; qua adſtringentis habetur facultatis, & ad vulnera glutinanda, ſicut* Sideritides *ſeu* Ferruminatrices *veterum, accomoda. Ad hernias etiam commendatur; & ob vim exſiccantem ad alba menſtrua ſiſtenda. Adhiberi itidem in morbis incantatione introductis, annotavit* Schroderus.

Vulgus ſine cauſa morbos nonnullos faſcinationi attribuit, ut obiter notat Hoeferus *in* Herc. Med. *l. 5. c. 24. Et hinc eſt quod ibidem confirmet* Auſtriacos, *additis nonnullis ſuperſtitionibus, corpus lavare & fricare decocto* Sideritidis; *quod* Germanice, *à morbo quem curat* Fueſsbeer-kraut *dictum. At quamvis vulgi ſuperſtitiones improbat, tamen revera laudat hujus* decoctum, *quod mirum in modum ſordes cutis abſtergit, & poros aperit: propter quam facultatem convenire oportet morbo* Fueſsbeer *dicto, quem ab impedita tranſpiratione provenire arbitratus eſt Auctor. Obſervavit olim* Cluſius *quod* Stiri (*ab indocto aliquo Emperico edocti*) *eodem uſi ſint decocto adverſus capitis dolorem, quem* Fueſpeer *appellant. At morbus hic non ſimplex capitis dolor, ut liquet ex* Hoefero *ſupra citato; nam qui creduntur eo infecti (verbis utor auctoris) in ſtatu neutro ſunt, languent, parum appetunt, aliquando febrificantium inſtar modo frigent, modo calent, capite leviter dolent, inquiete dormiunt*, &c. *omnia morbi gravioris ſigna.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis per intervalla denſius diſpoſitis.

CAPUT XXIII.

Bugula.

BUgula *Latinis, Bugle Gallis, nominatur. Conſolida media etiam a facultate ad ſananda vulnera apta appellatur.*

Bugula eſt verticillata planta, galea quaſi abſciſſa; cauliculis aliis teretibus, reptantibus, ſterilibus; aliis erectis, quadratis, floriferis, donata.

TABULA XIX. SECT. XI.

Bugula
- *glabrior*
  1. *Sylvatica vulgaris cærulea, Nobis. Conſolida media pratenſis cærulea, C. B. P. Bugula, Dod. Cluſ. Ger.*
  2. *Media flore carneo. Conſolida media pratenſis purpurea, C. B. P.*
- *hirſutior*
  3. *Genevenſis, Nobis. Conſolida media Genevenſis, J. B. Bugula cærulea Alpina, Park.*
  4. *Major odorata Luſitanica, Cornuti.*
  5. *Non crenata tomentoſa Suecica ſeminibus albis, D. Pluk. Phyt.*

1. Bugula *ſylvatica vulgaris cærulea, Nobis. Bugula, Dod. Cluſ. Pan. & Hiſt. Ger. Conſolida media pratenſis cærulea, C. B. P. Conſolida media quibuſdam Bugula, J. B. Chamaciſſi alterum genus, Cæſ. Herba ſacra, Cordi. Arthretica Pandectarii, Anguill.* E *radice* fibris compacta, proveniunt *folia* plurima, ex anguſto principio in uncialem aut ampliorem latitudinem, *Bellidis* in modum, ſeſe dilatantia, obtuſa, in ambitu modice crenata, & ſinuata, ex fuſco viridi colore; (præſertim in apricis.) Ab eodem etiam exortu, *clematides* (ſeu flagella) reptantes, & *Fragaria* more *radices* ad genicula agentes, ſparguntur. E centro *caulis* erigitur ſemipedalis, quadratus, foliis binis, uſque ad ſummum, è regione geniculis ſingulis appoſitis; è quorum ſupremorum *alis* per intervalla, *flores* verticillatim emittit cæruleos, ſtriis candidis permixtos. Iſtis *galea* non omnino deeſt, ſed accuratius intuentibus bifida eſt, & aliorum florum verticillatim diſpoſitorum multo brevior & quaſi abſciſſa, cui bina *labia*, barbulaque bifida ſubjiciuntur. *Rarius invenitur floribus albis. V. icon. tab. æn. 5.*

In ſylvoſis, umbroſis, & pratis frequens occurrit. Maio menſe floret.

2. Bugula *media flore carneo. Conſolida media pratenſis purpurea, C. B. P. Conſolida media minor, Thal.* Præcedenti ſimilis eſt hæc; minor quadantenus eſt planta; *floreſque* carnei coloris profert; quoad cætera non abſimilis.

In Agro *Oxonienſi*, in ſylva haud longe à Villa *Stokencburch* dicta nos comitibus uſi D. *Davis* M. D. & D. *Branker* A. M. in Plantarum inquiſitione verſati, triginta abhinc annis, hanc *Bugulam* ſponte naſcentem reperimus, cujus exemplaria in horto ſicco conſervamus: ſed ſcrutinio accuratiſſimo uſi pluribus exinde annis, denuo invenire non potuimus.

3. Bugula *hirſuta Genevenſis, Nobis. Conſolida media Genevenſis, J. B. Conſolida media cærulea Alpina, C. B. P. & Prod.* Præcedenti ſimilis eſt, paucis exceptis. *Folia* ima ſerrata, & quæ *caulibus* adſtant anguſtiora & profundius ſunt dentata; totaque planta hirſutie ſcatet. *Floret* ad eundem modum quo & prius explicatæ, *flores* vero ipſi cæruleo ſaturatiore colore micant; plantaque flagellis ſeu clematibus caret. *V. icon. tab. æn 5.*

4. Bugula *odorata Luſitanica, Cornuti.* *Radicem* habet annuam, capillatam, nequaquam humi repentem. *Folia* longa ſunt, hirſuta, atrovirentia, anguſtiora, laciniis in ambitu dentata, recurvos dentes referentibus, utrinque diviſa. *Flores* longiores, tubuloſi, verticillatim naſcuntur, violacei coloris. Decuſſo flore, *calyculus ſeminibus* turget, quæ novam ſequente anno progeniem ſubminiſtrant. Tota planta odoratiſſima eſt, & proceritate vix pedem implet. *V. icon. tab. æn. 5.*

5. Bugula *non crenata tomentoſa Suecica ſeminibus albis.* A Reverendo viro D. *Stoneſtreet*, Cl. D. *Plukenetius* hanc plantam accepit, & in iconibus edidit. *Folia* ei breviora, ſubrotunda, tomentoſa, nullo modo ſunt dentata, & in *caulem* aliis ſuperius expoſitis crebrius ſtipata; quem quidem caulem in inferiore parte alternatim, & ſuperius è regione ſita, *folia* decuſſatim paribus conveſtiunt. Ex horum alis *flores* tenuiores, tubuloſi, longiores, verticillatim proveniunt.

Vires & Uſus.

Externa facie non multum abludit à Prunella, *quicum quoad internas virtutes omnino convenit. Vulneraria eſt inſignis, plagis & vulneribus quocunque fere modo inflictis ſanandis mirifice conveniens; & tam interne quam externe adhibetur. Vide* Prunella.

Itali *verno tempore* radicem *cum* foliis *tenellis mundificant, & propinant pro acetario, palato gratiſſimo, quia videtur amoliri cachexiam, & mediantibus facultatibus fermentativis, promovere fermentationem in maſſa ſanguinea.* Radix & folia *cient urinam, uti omnia vulneraria, quæ dicuntur diuretica, & quæ diuretica uſitatiſſime vulneraria.* Ettmull. Schrod. dilucidat.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis per intervalla denſius diſpoſitis.

CAPUT XXIV.

Horminum.

HOrminum *Græcis* ὅρμινον *quaſi* ἀπὸ τῦ ὁρμᾶσθαι *quod eſt impetu ferri, concitari, quoniam hæc planta ad venerem ſtimulat.* Horminum Sclarea *dictum, quaſi* Clarea, *à clarificandis oculis: unde* Oculus Chriſti *etiam quandoque nominatur.*

Hormini folia inferiora, *Marrubii* foliis ampliora, *Salviæ* modo rugoſa ſunt; odoramine forti, ſed non ingrato; floribus denſius per intervalla verticillatim diſpoſitis, quibus *foliola* diverſiformia ſubjiciuntur. *Semina* ejus humecta in mucilaginem citius reſolvuntur.

TAB.

TABULA. XX. SECT. XI.

- Horminum
  - annuum flore
    - majore
      1. *Sativum vulgare ſive Sclarea, Park. Galitrichum ſativum, J. B.*
      2. *Syriacum, Eyſt. C. B. P. Galitrichum exoticum flore magno albo, J. B.*
      3. *Album Chalepenſe Salviæ folio lanuginoſo, Nobis. Marum Ægyptiacum, Proſp. Alp.*
      4. *Æthiopicum foliis ſinuatis, C. B. P. Æthiopis, Dod.*
      5. *Æthiop. fol. i profundas lacinias diviſis, Nobis. Æthiopis foliis laciniatis, C. B. P. & Prod.*
      6. *Ceratophyllum rugoſum flo. ſulphureo, Nobis. Horminum rarum fol. laciniatis, Rawolf.*
    - minore
      7. *Coma purpuroviolacea, J. B. Horminum ſativum, C. B. P. Creticum, Proſp. Alp.*
      8. *Coma rubra, J. B. Idem foliis toto viridibus, H. R. Par.*
      9. *Minus ſupinum, C. B. P. Flore minimo albo, J. B.*
  - perenne flore
    - galeato majore
      10. *Pratenſe foliis ſerratis, C. B. P. Horminum ſylveſtre, Dod.*
      11. *Pratenſe niveum foliis incanis, C. B. P. Sylveſtre flore majore albo, J. B.*
      12. *Latifol. Canarienſe piloſum, foliis alterno ſitu poſitis, D. Pluk. Tab. 301.*
      13. *Sylveſtre majus flore carneo, Ger. Sylveſtre majus foliis profunde inciſis, C. B. P.*
      14. *Majus haſtato, ſive Lapathi unctuoſi foliis, H. R. B.*
      15. *Sanguineum Aſphodeli radice, Triumfetti.*
      16. *Lanuginoſum flore violaceo punctis aureis notato.*
      17. *Canarienſe tomentoſum haſtato folio.*
      18. *Luteum glutinoſum, C. B. P. Colus Jovis, Adv. Lob.*
      19. *Alato folio Chalepenſe, flore rubicundo.*
    - galeato minore
      20. *Syriacum longifolium elatius cæruleum & album, ſylveſtre Salvifolium majus vel maculatum, C. B. P.*
      21. *Sylveſtre Salvifolium minus, C. B. P. 3. Cluſ. Pan.*
      22. *Pyrenaicum Anguriæ folio viſcoſum, D. Fagon.*
      23. *Verbenæ laciniis anguſtifolium, Triumfetti.*
      24. *Anguſtifolium laciniatum, C. B. P. & Prod.*
      25. *Sive Galitrichum flore purpuraſcente & rubro, J. B.*
    - tubuloſo
      26. *Folio rotundiore, flore violaceo, J. B.*
      27. *Virginianum caule aphyllo, foliis quercinis.*
      28. *Tenui Coronopi folio Virginianum.*
    - minimo
      29. *Sylveſtre latifolium verticillatum, C. B. P. Sylveſtre 3. Cluſ. Hiſt.*
      30. *Sylveſtre Tingitanum majus alatis foliis.*
      31. *Virginianum erectum Urticæ folio.*
      32. *Sylveſtre vulgare Lavendulæ flore, C. B. P. Horminum ſylveſtre, Ger.*
      33. *Minus ſupinum flore minore dilute cæruleo, Hort. Reg. Bleſ.*
      34. *Minus album Betonicæ folio, C. B. P. 3. Prod.*
      35. *Spicatum Lavendulæ flore & odore, Bocc.*

1. Horminum *ſativum vulgare ſive Sclarea, Park. Horminum Sclarea dictum, C. B. P. Galitrichum ſativum, Trag. J. B. Orvalla, Dod. Caſt. Galitrichum ſive Horminum, Ger.* *Caules* promit craſſos, quadrangulos, binos aut ternos pedes longos, in alas diviſos; *folia* & è radicibus multa, & ſecundum caules ex intervallis bina contra ſe poſita, magna, palmum lata vel ampliora, pediculis longis innixa, rugoſa, inæqualia, albicantia, ac nonnihil (uti caules) hirſuta, ex lata baſi mucronata & in ambitu crenata. *Flores* cucullati, hiantes, ex albis pallide cærulei, è vaſculis ſtriatis, pentagonis, tactu glutinoſis, per intervalla, verticillata ſerie naſcuntur; quibus foliola lata baſi, & in mucronem abeuntia, petiolis carentia, tenuiora, ad purpureum colorem vergentia, ex oppoſito naſcentia ſubjiciuntur. *Semina* in pyxidulis ſtriatis quaterna, perpolita, è luteis rufeſcentia, turgida, & ex anguloſis rotunda, continentur.

In Hortis oleraceis vulgo ſeritur. Primo anno folia *in uſus culinarios colliguntur*; *ſecundo* caules, flores, & ſemina *profert*; *quibus maturis* radix *perit.*

2. Horminum *Syriacum album, C. B. P. Galitrichum exoticum flore magno albo, J. B. Biſermas Hormino vulgari congener, Cam.* Vultum præcedentis poſſidet; *folia* vero duriora, minora, rugoſiora, ad eundem modum naſcuntur. *Caules* minores, cubitales, minus hirſuti, in graciliores ramulos ſe dividunt. *Verticilla* ex minoribus etiam *utriculis* compoſita, *flores* galeatos, hiulcos, albos emittunt; quibus *ſemina* conſimilia, cinerei coloris ſuccedunt.

Ex Aleppo *cum aliis accepimus.*

3. Horminum *Syriacum album Salviæ folio lanuginoſo, Nobis. Ægyptiacum, Proſp. Alp.* Hujus *folia* inter *vulgare ſativum* & *ſylveſtre vulgare* mediæ cujuſdam naturæ eſſe videntur, *Betonicæ* fere figura, profundius aliquantulum erga baſin ſinuata, mollia, & (præſertim cum pullulaſcunt) lanuginoſa. *Caules* quadrati, ramoſi, cubitales, *foliolis* ſubjectis (minoribus tamen) utriculis paucis verticillatim diſpoſitis, *floribuſque* albis, *galea* arcuata donatis, ad *ſativi* prope accedunt.

Ex Aleppo *quoque delatum eſt.*

4. Horminum *Æthiopicum foliis ſinuoſis, C. B. P. Sclarea Æthiopica ſive Æthiopis non laciniatis foliis, Æthiopis, Dod. Ger. Æthiopis multis, J. B.* Lata, mollia, rugoſa, albida, & lanuginoſa ſunt *folia*, *Verbaſci* ſimilia, ſed

ſed tamen candidiora, copioſiore laxioreque lanugine pubeſcentia, palmum lata, per margines ſinuata & profunde dentata, magna ex parte orbiculariter humi decumbentia. *Caulis* craſſus, quadrangularis, geniculatus, tomentoſus, in *alas* plurimas diſtributus; circa quas *flores* per intervalla ordine digeſti, candidi, cucullum referentes, *Lamii* floribus ſimiles, è vaſculis quinquifidis, tomento albo obductis, protruduntur. *Semina* quaterna, ex rotundis triangularia, ſubfuſca, ſatis turgida, in ſingulari capſula aperta continentur ſingula, quibus quotannis renovatio fit. *Odorem* cæteris fortiorem & quaſi hircinum & rancidum ſpirat. *V. icon. tab. æn.* 13.

In Æthiopia *naſcitur, ut & in* Ida *monte, æque ac in* Græcia & Illyria.

5. *Varietas* videtur ejuſdem *foliis profundius laciniatis; unde Æthiopis foliis laciniatis, C. B. P. & Prod. Park.* Quoad cætera à ſuperius poſito non diſtinguitur.

6. Horminum *ceratophyllum rugoſum flore ſulphureo, Nobis. Orminum rarum foliis laciniatis, Rawolfii. Horminum Syriacum tomentoſum foliis Coronopi profunde laciniatis, Breyn. Prod.* 2. Rara hæc planta, in Horto ſicco *D. Rawolfii*, 136. obſervata, & ab eodem in *Perſia* collecta, nobis à D.D. *Huntington* ex *Aleppo* tranſmiſſa eſt. *Folia* profert è radice longa, fibrata, humi procumbentia, palmaria & dodrantalia, anguſta, ſemunciale latitudinem non ſuperantia, in ambitu crenata, mollia, tomentoſa, multumque rugoſa, in quatuor plus minus *lobos* longos, extenſos, laterales, *cervinum cornu* referentes, laciniata & diviſa. Ex horum centro *caulis* aſſurgit quadratus, tomentoſus, pedalis & cubitalis, in alas graciliores diviſus, quibus aliorum more in *utriculis* viſcidis & glutinoſis, *flores* galeati, ampli, ochroleuci ſulphureive colòris, cum *ſtaminulis* in medio exeuntibus, naſcuntur. *Semina* ſatis magna, præcedèntium ſeminibus rotundiora, pulla, ſequuntur; quibus matureſcentibus, *radix* perit. Per varios annos in horto noſtro retinuimus, tandem per aeris autumnalis inclementiam, ſeminumque languidorum & effœtorum immaturitatem, ejuſdem diuturnior fruitio negata eſt. *V. icon. tab. æn.* 13.

7. Horminum *coma purpuroviolacea, J. B. Horminum Creticum, Proſp. Alp. de Exot. Horminum ſativum, C. B. P. Horminum, Dod. Horminum ſativum Dioſc. Park. Horminum ſylveſtre foliis purpureis, Ger. Caules* promit complures, pedem altos, quadratos, ſubhirſutos; *folia Betonicæ* fere paria, pallidiora vero, ſubrotunda, crenata. *Flores* parvi, pallide cærulei, per intervalla ſpicatim prodeunt, quibus (uti in aliis) *foliola* ſubnaſcuntur. Iſthæc ſummis virgulis continuata, floribuſque deſtituta, & aliquantulum amplificata, purpureo *nigræ Violæ* colore eleganter emicant, atque retracta & diſſita, *flores* quodammodo mentiuntur. *Calyculi* ſeminiferi dum recentes ſurſum, ſed per maturitatem deorſum ſpectant; ita benignitate naturæ ad avertendam pluviam formati, ne in mucilaginem tranſmutentur vegetationeque ſpolientur. *Annua eſt planta. V. icon. tab. æn.* 13.

In Creta, Illyria, & Græcia *ſponte naſcitur.*

8. Horminum *coma rubra, J. B.* Præcedenti ſimile eſt hoc; *flores* tamen galeati, minores, purpurorubentes ſunt. *Foliola* in ſummitatibus naſcentia, rubra, cum in proxime ſuperius memorato violaceo colore tincta ſint. Tenerior eſt planta, & ſervatu difficilior.

Ejuſdem Pariſienſes *varietatem obtinuerunt, cujus foliola ſuprema omnino ſunt viridia.*

9. Horminum *minus ſupinum, C. B. P. Horminum flore minimo albo, J. B.* Plura humi ſpargit *folia*, longo pediculo donata, craſſa ſatis, & rigidiuſcula, *Betonicæ* æmula, ſed ad pediculum nullo ſinu prædita, obtuſa, crenata, pilis albis per venas obſita, inodora. *Caules* modo ſingulares, modo plures, quadrangulares, hirſuti, ex longo intervallo in ramulos oppoſitos diviſi, ad quorum exortum *folia* quoque bina oppoſita longo pediculo innaſcuntur, infernis plane ſimilia. *Flores* verticillatim digeſti, per intervalla ſummitates occupant, odorati, exigui, & vix è *calycibus* prominentes, albi; quorum *verticilla* ſingula ſuſtinent *foliola* parva in acutiſſimum apicem terminantia. *J. B.*

Semine ex Italia *allato* J. Bauhino *enatum eſt.*

Hormina perennia ſequuntur.

10. Horminum *pratenſe foliis ſerratis, C. B. P. Orvalla altera, Dod. Galitrichum ſylveſtre vulgo, ſive ſylveſtris Sclarea flore purpureo cæruleove magno, J. B. Salvia agreſtis flore purpureo, Eyſt. Horminum ſylveſtre, Lob. Virgæ* cubitales, quadrangulares, ſubhirſutæ, *foliis* ordinatim veſtiuntur ſcabris, obſcure virentibus, palmum longis, ab inferiore latitudine ſenſim in mucronem deſinentibus, & per ambitum ſerratis, aut ſubinde rarius laciniatis. *Flores* ſuperne verticillato ſitu, in oblongam & deorſum nutantem *ſpicam* congeruntur, falcatis *galeis* ſaturate purpurocæruleis ſplendentes. *Semina* rotunda nigra in *calyculis* florum ſubnaſcuntur. Radix plurimum fibrata, vivax, nigricat. *V. icon. tab. æn.* 13.

In herbidis montoſis Germaniæ, Pannoniæ, & Galliæ, Magnolio *monente, naſcitur. Quin & in Septo* Cobhamiano Eſſexiæ *in* Anglia D. Watſius *detexit.*

11. Horminum *pratenſe niveum foliis incanis, C. B. P. Galitrichum ſylveſtre flore magno albo, J. B. Forte Salvia agreſtis flore albo, Eyſt.* Præcedenti ſimilis quidem eſt planta, ſed *floris colore* variat, qui prorſus niveus eſt. *Folia* etiam incana, & non virentia; quoad cætera convenit.

Variis Germaniæ *locis reperitur. Quod diſtincta ſit ſpecies, aſſerere non auſim.*

12. Horminum *latifolium Canarienſe piloſum, foliis alterno ſitu poſitis, D. Pluk. Almageſt. Bot.* 185. *Tab.* 301. *Fig.* 3. *Caulis* ei aſſurgit rectus, piloſus. *Foliorum pediculi*, æque ac *nervi* ſunt piloſi. *Folia* ipſa, ſatis lata, ſubrotunda, in acutum mucronem deſinentia, alternatim ſita, à cæteris diſcriminationem facile demonſtrant. *Flores* ampli aliorum foliis reſpondent.

13. Horminum *ſylveſtre majus flore carneo, Ger. Sylveſtre majus foliis profunde inciſis, C. B. P. An Horminis ſylveſtris* 4. *ſpecies* 3. *Cluſ. Hiſt.*? Hoc *foliorum* longitudine & forma cum præcedentibus convenit; magis tamen ſunt rugoſa, profundius ſerrata, & in longum mucronem deſinentia. *Flores* galeati, magni, Perſici aut elegantis carnei coloris, ſpicatim per intervalla in *caules* frequenter humiliores digeſti. *Forte etiam à ſemine ſato producta eſt hæc varietas.*

14. Horminum *majus haſtato ſive Lapathi unctuoſi foliis, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Hujus *folia* ſunt viridia, hirſuta, ampla, ad baſin anguloſa, in obtuſum mucronem deſinentia. *Caules* erecti bicubitalem altitudinem

attingunt, *alis* paucis, longis, brachiati, quas *flores* magni galeati, cærulei, verticillatim per intervalla conveſtiunt. *Semina* rotunda, ſubfuſci coloris, in *calycibus* brevibus, apertis, continentur quaterna.

15. Horminum *ſanguineum Aſphodeli radice, Triumfetti. Horminum ſylveſtre maculatum tuberoſum, Franciſ. de Honuphriis. Radix* aliarum fibrarum magnarum loco, & idcirco non ex uno capite ut in *Aſphodelo*, partes habet è prima lateraliter emergentes, in glandulas aſphodelinas, palmares, exeuntes. *Folia* è ſumma radice, pediculis longis, craſſiuſculis appenſa, humi reclinata, palmaria, triangularia, è lata baſi mucronata, rugoſa, lanugine pubeſcentia, viridia, maculis atrorubentibus inordinatim aſperſa, & in ambitu ſerrata, proveniunt. *Caulis* quadratus, ut in antecedenti, in altum aſſurgit, raris & longis ramulis diviſus, *flores* cæruleos, galeatos, hiantes, ampliſſimos, in longioribus ſpicis verticillatim diſpoſitos, gerens. *Semina* haud magna, è rotundis triangularia, æruginei coloris ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 14.

Hanc Hormini *ſpeciem inſignem & vivacem, Cl. D. D.* Sherard *ab auctore, cum* Romæ *forte degeret, accepit, & humaniſſime nobiſcum communicavit, Montis celebris* Circelli *alumna eſt.*

Occurrit etiam foliis non maculatis donatum.

16. Horminum *majus amplo flore violaceo, lobis florum punctis aureis notatis, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Hoc *Horminum folia* profert hirſutiora cæteris ſuæ ſortis (excepto ſolo *Æthiopico*) ad baſin anguloſa; inter quæ exeunt *caules* bipedales & tripedales, quadrati; quos ad genicula amplectuntur bina folia dodrantalia, auriculata. In ſummis caulium verticillatim proveniunt *flores* ampli, violacei, lobis florum lateralibus, punctis aureis & purpureis notatis. *Floribus* ſingulis evanidis, ſuccedunt in capſulis magnis *ſemina* craſſa, nigra, ut plurimum quaterna, cæterorum *Horminorum* majora. *Radix* longa, vivax eſt. *Prælud. Bot. p.* 272. *V. icon. tab. æn.* 13.

17. Horminum *Canarienſe tomentoſum haſtato folio, Muſtazi & Salvia arborea nominata.* E faſciculo ſeminum particularium & ſelectiſſimorum, ex *Inſulis Canaricis* tranſmiſſo, nobis orta eſt hæc *Hormini* elegantiſſima ſpecies. In altum, è *radice* fibrata, aſſurgunt *caules*, longis intervallis geniculati, tomento candido, denſiſſimo, & quaſi manibus lana applicata, laxo (copioſiore quam quod in alia ulla hujus familiæ planta obſervatur) inſigni obſiti. *Folia* ad ſingulos nodos bina, petiolis longis appoſita, rugoſa, cuſpidata, longa, binis auriculis acutis, longoque mucrone prædita, & *Sagittariæ* formam quodammodo æmulantia, *odorem* gravem, ſed non injucundum, *Hormini* & *Salviæ* participem, ſpirant. Summi caules ad humanam altitudinem aſſurgentes, in ramuſculos breves brachiati, *foliolis* parvis, integris, ſalſis, & mucronatis, ad rubedinem purpureumve colorem vergentibus, crebriuſque compactis, *Horminorum* ritu, ornantur. Ex horum ſinubus *calyces* ſatis ampli, aperti, tripliciter ut plurimum in margine diviſi, & purpuraſcente colore quadrantenus tincti, nunc ſimplices, nunc bini, emergunt. *Flores* ex his hiantes, purpurei, ampli, ex falcata *galea*, binis ſtaminibus, cum apice in medio longiore, ſuſtentata, *labro* lato & integro, duobuſque lateralibus compoſiti, emicant; quibus dehiſcentibus, *ſemina* cinerea, ſubrotunda, calycis fundo conſpiciuntur. Per totum annum pene creſcit, hyememque *folia* retinet, ſed frigoris apud nos ſub dio vix patiens.

18. Horminum *luteum glutinoſum, C. B. P. Colus Jovis, Ger. Adv. Lob. Horminum luteum ſive Colus Jovis, Park. Orvalla tertia, Dod. Galeopſis ſpecies lutea, viſcida, odorata nemorenſis, J. B. Chab.* Inſigniter fibroſa *radice* nititur, multos inde *caules* ſurrigens, bicubitales & altiores, quadratos, hirſutos, fungoſa medulla farctos, in alas brachiatos. *Folia* è geniculis exeunt oppoſita, longis pediculis appenſa, anguloſa, & auriculata, rugoſa & hirſuta, in ambitu ſerrata. *Flores* in longis ſpicis verticillatim ramos ambiunt, foris hirſuti, intus glabri, *labello* tripartito, partim ex albo luteo, partim guttato. Inſident autem *calycibus* ſtriatis, viſcidis; in quibus ſuccreſcit *ſemen* rotundum fuſcum; eſtque tota planta viſcida & odorata. *Vid. icon. tab. æn.* 13.

In herbidis ad radices montium, locis lutoſis, ubi aquæ ſcaturiunt, Germaniæ & Italiæ, *ſponte provenit.*

19. Horminum *Chalepenſe alato folio, flore majore rubicundo. Caules* ei ſunt quadrati, nunc erecti, nunc reclinati, geniculis intercepti, pedales & cubitales; ad quorum ſingulos nodos bina è regione oriuntur *folia* pentaphyllea, triphyllea, ſeu interdum binis, interdum etiam quaternis lobis lateralibus, unoque majore extremum claudente, molli lanugine pubeſcentia, in ambitu ſerrata, petiolis longis inſidentia. Poſt dimidium, *caulis* per intervalla, *vaſculis* ſtriatis, verticillatim ambientibus, & *floribus* amplis, galeatis, rubicundi coloris, ornatur. Hos excipiunt *ſemina* rotunda, magna, ſubnigra. *V. icon. tab. æn.* 13.

Ex Aleppo *cum aliis* Hormini *ſpeciebus accepimus.*

20. Horminum *Syriacum longifolium elatius, cæruleum, Nobis. Horminum ſylveſtre Salvifolium majus vel maculatum, C. B. P. Galitrichum ſylveſtre coma vireſcente, J. B. Salvifolium alterum, Park. Folia* è *radice* longa, dura, humi procumbentia, palmum & dodrantem longa, integra, rugoſa, viridia, per margines ſerrata ſunt. Inter hæc *caules* quadrati, hirſuti, ad bicubitalem & tricubitalem altitudinem aſſurgunt, in ramos paucos longos, è regione ex geniculis provenientes, diviſi. Iſtis bina *folia* ſubnaſcuntur. *Flores* galeati, cærulei, mediæ magnitudinis, antedictorum amplitudinem non obtinent & ſylveſtris noſtri vulgaris, aliorumque iſtius ſeriei, longe ſuperant. Per intervalla in *ſpicis* longiſſimis naſcuntur, quibus decidentibus, *ſemina* quaterna, è rotundis oblonga, in *utriculis* brevibus, ſtriatis, continentur. *V. icon. tab. æn.* 14.

Floribus quoque candidis variat.

21. Horminum *ſylveſtre Salvifolium minus, C. B. P.* 3. *Cluſ. Pan.* 5. *Galitrichum glabrum folio Salviæ, flore purpureo, J. B.* Pedali & cubitali eſt altitudine. *Folia* in ſingulis geniculis bina, rugoſa, *Salviæ* ſimilia, non tamen incana, per ambitum nonnihil ſerrata, dura. *Flores* à medio caule ad faſtigium uſque verticillatim ex purpureis *calyculis* exeunt, *Salviæ* ſimiles, ſed minores, eleganti colore cæruleo & quaſi violaceo, interdum vero dilutiore. Foliola brevia, mucronata, ex rubris purpuraſcentia per ſpicæ longitudinem, floribus ſubjiciuntur. *Semen* nigrum minus. *Radix* minimi digiti craſſitudinem æquat. *Vid. icon. tab. æn.* 14.

Ubique circa Viennam *naſcitur, totaque* Pannonia *ſecundum vias, & in agrorum vinetorumque marginibus. Tota adeo æſtate floret, & ſubinde ſemen profert.*

22. Horminum *Pyrenaicum Anguriæ folio viſcoſum, D. Fagon. Hort. Reg. Pariſ.* Plantæ titulus adeo accommodatur, naturamque ejuſdem tam apte indicat, ut prolixe deſcribere ſupervacuum fuerit. *Flores* mediæ ſunt magnitudinis, cærulei.

23. Horminum *Verbenæ laciniis anguſtifolium, Triumfetti. Radix* lignoſa, alba, in fibras definit. Ex hujus capite, *folia* pediculis longis inſidentia, oblonga, unciam circiter lata, ex utroque latere altius inciſa, *vulgaris Verbenæ* frondibus plurimum aſſimilantur, niſi quod in apice magis ſubrotunda exiſtant. *Caules* recti

ſunt,

ſunt, lignoſi, uno aut altero geniculo intercepti. *Flores* in ſummitatibus galeati, ſaturate cærulei; quibus deinde ſpadiceum ſuccedit *ſemen*, minutius reliquis hujuſce generis.

Ad Horminum ſylveſtre vulgare noſtras *accedit*; folia *vero profundius ſunt laciniata*, floreſque *majores*. *In aridioribus ac ſabuloſis* Romanorum *arvorum tractibus detexit auctor.*

24. Horminum *anguſtifolium laciniatum, C. B. P. & Prod.* *Caule* eſt quadrato, pedali, hirſuto, rarius ramoſo; *foliis* paucis, nonnihil hirſutis, pollicem latis, uncias tres longis, aliquando ſinuoſis, aliquando, potiſſimum inferioribus, in profundas lacinias diviſis; *floribus* albis, parvis, verticillatim caulem ambientibus, *ſpicam* oblongam & inflexam efformantibus; quibus decidentibus *ſemen* nigrum ſuccedit. *C. B.*

25. Galitrichum *flore minore purpuraſcente & rubro, J. B. An Verbaſcum purpureum Erucæ folio, Adv. Lob.* Vivaci *radice* multos perdurat annos *ſylveſtri Galitricho* affinis planta, odorata, facie non ita diſſimili, *caule*, *foliis*, creſcendique modo; & *flores* ita parvi ſunt, ut vix extra *calycem* promineant, purpuraſcentes, nonnihil hiantes, cum in vulgari (i. e. *pratenſi foliis ſerratis*) *flores* magni ſunt, *galeaque* magna prominentes apices multos condant. *Calyces* deorſum nonnihil reflectuntur, breviores quam *Hormini* ſuperioris. Idem *Galitrichum floribus purpureis minoribus, foliis profunde ſatis laciniatis, diviſiſque, nonnihil hirſutis. J. B.* Huic *folia* quam duorum præcedentium ſunt latiora.

26. Horminum *folio rotundiore, flore magno violaceo, J. B.* Hoc in variis libris, hortiſve ficcis, *Patavii* olim collectis, *Britannicæ Fracaſtorii* titulo, non ſemel obſervavimus. *Folia* ei ſubrotunda aut ovalia, uncias duas lata, quædam etiam rotundiora, in circuitu ſerrata. *Caulis* inter hæc erecte attollitur, ſecundum quem ad uncialem aut circiter intercapedinem, verticillatim proveniunt *Horminorum utriculi* ſtriati, in ore quinquifidi. Ex his *flores* ampli, longi, tubuloſi, oris apertis, & quaſi campaniformibus, non directe galeatis, ſed in margine in quinque ſegmenta diviſis, cæruleo violaceove colore tincti, donati pronaſcuntur.

27. Horminum *Virginianum caule apbyllo, foliis quercinis, tubuloſo longo flore.* *Folia* è radice dura provenientia, humi ſtrata, petiolis brevibus appenſa, biuncialia & triuncialia ſunt, obtuſa, quercinis laciniis in ambitu ſinuata, molli hirſutie pubeſcentia, ex viridi purpuraſcente colore, præſertim in adverſa parte, infecta. Ex horum centro *caulis* aſſurgit rectus, ex rotundo quadratus, leviter piloſus, pedalis, foliis deſtitutus. Poſt dimidium per longa interſtitia, *verticilla* vaſculorum ſtriatorum emergunt; & ex his *flores* ex anguſto principio in uncialem longitudinem extenſi, buccinum tubamve, ore aperto, exprimentes, purpuro-violacei, exeunt.

E Virginia, *à D. J.* Baniſter *tranſmiſſum, habemus. Vid. icon. tab. æn.* 13.

28. Horminum *tenui Coronopi folio Virginianum.* Inſignis hæc planta *caules* edit erectos pedales, qui *foliis* biuncialem longitudinem non ſuperantibus, vix culmum latis, *Coronopi* in modum, in ſegmenta longa tenuia diviſis, ornantur. *Flores* ampli, coloris rubicundi, in ore aperti, campaniformes, in ſummo ſolum congeſti, naſcuntur.

E Virginia *quoque delatum eſt.*

An huic familiæ propria ſit planta, aſſerere non auſim; *folia* enim alternatim, & non aliorum more, è regione naſcentia, *cauliculo* ſita ſunt; *caulibus* vero quadratis, totius textura, *floribuſque* antedictorum non multum diſſimilibus, quantum ex ſiccata planta conjicere licet, probe perſpectis huc referre non incongruum judicavimus. *Vid. icon. tab. æn.* 13.

Hormina floribus minimis.

29. Horminum *ſylveſtre latifolium verticillatum, C. B. P. Horminum ſylveſtre* 3. *Cluſ. Hiſt. Sylveſtre latifolium, Ger. Germanicum humile, Park. Galitricho affinis planta, Horminum ſylveſtre latifolium Cluſio, J. B.* *Caules* plurimos cubitali interdum longitudine aſſurgentes, quadrangulos, nonnihil villoſos, firmos, geniculatos habet; *folia* ampla, hiſpida, mucronata, in ambitu ſerrata, rugoſa, ſingulis geniculis ex adverſo naſcentia, *Sclareæ* foliis haud multum abſimilia, minus tamen incana, & odore minus gravi, ala una vel altera interdum petiolo adhærenti, donata. Ex alarum cavitatibus oriuntur ramuli, *floribus* purpureis (minoribus quam *Sclareæ*, & *Lavendulæ* vix majoribus) verticillatim uſque ad extremum onuſti, inflexam & procumbentem atque nutantem ſpicam efformantes. *Semen* in vaſculis puſillum, nigricans. *Radix* illi magna, pollicari craſſitudine, dura, vivax, ſingulis annis nova germina producens. *V. icon. tab. æn.* 14.

In Viennenſi *agro, in* Alpinis Auſtriæ & Stiriæ, *aliiſque montanis pratis, ſponte naſcens reperitur.*

30. Horminum *ſylveſtre latifolium Tingitanum majus alatis foliis.* Non alia re ab antecedenti differt, præterquam *foliis*, quæ in hoc conformia ſunt, ſed latiora, binis aut ternis alarum conjugationibus è petiolo ſubnaſcentibus, donata. Totaque planta major apparet.

E ſeminibus à Cl. D. Baalam *acceptis nobis natum eſt.*

31. Horminum *Virginianum erectum Urticæ foliis, flore minore.* *Caule* excurrit in altum ſurgente, erecto, quadrangulari, glabro; cui inhærent *folia* per intervalla bina, *Urticæ* aut potius *Scrophulariæ* vulgaris æmula, lata baſi, in mucronem acutum abeuntia, margine ſerrata. A folii baſi ſeu inferiore parte margo ejuſdem in petiolum uncialem, cui inſidet, ad caulem deſcendens, continuatur. *Flores* per intervalla in verticillis diſpoſiti, in *utriculis*, ut plurimum, numero ſex, contenti, galeati, parvi ſunt. Colorem vero ex ſiccata planta certis indiciis colligere non potuimus. Sane *albus* videtur. *V. icon. tab. æn.* 13.

32. Horminum *ſylveſtre vulgare Lavendulæ flore, C. B. P. Horminum ſylveſtre, Ger. Galitrichis affine Maru, ſi non genus aliquod, Sclarea Hiſpanica, Tab. J. B. Horminum ſylveſtre vulgare, Park. Orvalla ſylveſtris, ſpecies quarta, Dod.* Hæc ſpecies eſt, quæ ob ſeminum uſum in clarificandis oculis inſignis eſt, unde *Oculus Chriſti* frequens appellatur. E *radice* longa, fuſca, dura, in fibras deſinente, proveniunt *folia*, humi in circuitum expanſa, tres quatuorve uncias longa, unam aut alteram lata, rugoſa, petiolis uncialibus & biuncialibus inſidentia, à petiolo ex anguſtia ſeſe dilatantia, in ambitu ſinuata, & dentata. *Caules* inde oriuntur pedales & cubitales, quibus per longa intervalla binatim adhærent *folia*, petiolis carentia, etiam ſerrata. Summis ramis verticillatim & quaſi in ſpicam naſcentes, ex utriculis brevibus conniventes, ſunt *flores* perparvi, galeati,

ati, cærulei, *Lavendulæ* non impares. *Semina* ex rotundis oblonga, ſubnigra, in *vaſculis* continentur quaterna. *Vid. icon. tab. æn.* 14.

In tumulis herbidis, lociſque plurimis glareoſis, frequens occurrit; ad arcis Regiæ hippodromum Greenvici, *haud longe à* Londino Cluſius *ſe inveniſſe confirmat.*

33. Horminum *minus folio ſinuato, flore minimo dilute cæruleo, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Præcedenti ſimile eſt; minor tamen planta & humilior, *foliis* pallidioribus magiſque integris, cum in altera ad fuſcum tendentia, profunde ſunt ſinuata. *Flores* ad eundem modum naſcentes, minimi ſunt, galeati, pallide cærulei, ex *utriculis* vix erumpentes. *Semina* etiam conformia ſunt, ſed minora.

34. Horminum *minus album Betonicæ facie, C. B. P. & Prod.* Ex *radice* lignoſa, fibroſa, nigricante, *caulículus* unus, aliquando geminus, palmo minor, rotundus, villoſus oritur. *Foliis* eſt paucis, ad radicem rorundis, craſſis, lanuginoſis, crenatis, & longis pediculis donatis. In caulis medio bina, *Betonicæ* foliorum æmula, ſed craſſiora & breviora, baſi caulem ambientia, & ipſo capitulo, duo minima folia ſubjiciuntur. *Flores* ſunt albi, *Betonicæ* forma, velut in ſpica congeſti. *C. B.*

In montibus Pyrenæis Hiſpaniam *verſus D.* Burſerus *legit.*

35. Horminum *ſpicatum Lavendulæ flore & odore, Bocc.* Hormini hujus in *Sicilia* nati, *caulis, folia, ſemina, Hormini Sclareæ* dicti non ſunt diſſimilia. *Floſculi* purpurocærulei, *Lavendulæ* florum forma & magnitudine, *caulem* quadratum verticillatim per intervalla ambiunt, in longiſſimæ *ſpicæ* modum digeſti. Hos ſubſequuntur *vaſcula* quinquefariam denticulata in margine ſuperiore, quæ ſurſum verſus erecta, caulique appreſſa, & ſubrubentia, quaſi biſloræ plantæ, peramæna ſpecie, prolixam, & non marceſcentis coloris cærulei ſpicam iterum efficiunt. Tota planta arida ſuavem *Lavendulæ* odorem ſpirat. Ad bicubitalem altitudinem aſcendit. *Vid. icon. tab. æn.* 14.

Prope Agrigentum & Cainatatam *copioſe pronaſcitur.*

Temperamentum & Vires.

Horminum Sclarea (*& interdum* Galitrichum *officinis*) *calidum & ſiccum cenſetur, vique abſtergenti pollens. Opthalmicum eſt & viſum acuere creditur.* Aqua deſtillata, *tum interne hauſta, tum oculis affuſa, commendatur in remediis collectaneis* D. Boyle. Semen *oculis inditum & circumvolutum in mucilaginem abit, unde ſordes, feſtucas, aliave minutula ſibi agglutinat, & ſecum rapit.*

Folia *aceto macerata impoſita, panos per ſe, vel cum melle diſcutere auctor eſt* Matthiolus. *Uterinis affectibus ſuccurrit.*

Crato *inter alia ſua ἐνπρόσωπα commendabat in ſuffocatione uteri, & ſimilibus affectibus, unguentum ex* Sclarea *cum butyro coctum, cui adjicitur aliquid gummi exotici* Takamahacæ, *quod umbilico imponendum,* J. B. *Hujuſmodi unguenti conficiendi modum ac uſus ad fluxum album & dolores poſt partum leniendos ex* Corbeio *deſcribit* Ettmul *in* Schrod *diluc. Item* Sclareæ *magnas vires tribuit in fluore muliebri: ex modernorum, inquit, experientia conſtat, quod* flores *albi (non inde excludit* folia *& ſummitates) ſunt expertiſſimi contra fluorem album mulierum, in quo nihil melius eſt* Sclarea. *In colica, item in ſuffocatione uterina eſt ſingulare medicamentum, &c. ibid.*

Horminum *vino infuſum vel incoctum, odore ſuo narcotico caput tentare & valde noxium eſſe, nonnulli affirmant; id tamen niſi nimia ingurgitatione acciderit, minime concedit* Tragus; *ſed è contra ſtomacho frigido apprime convenire; nam phlegmata incidit & abſumit.*

Inter olera, cum ovis paratum, frequens accipitur.

Summitates Hormini, *floribus onuſtæ, vino albo Gallico communi immerſæ, guſtum nitroſum & quaſi ſulphuratum ei conciliant.*

Hoc norunt Caupones illi nequiſſimi, quibus non eſt religio vinum hoc pacto adulteratum, indito Rhenenſis *nomine venundare.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis per intervalla denſius diſpoſitis.

CAPUT XXV.

Pſeudo-ſalvia.

PSeudo-ſalvia *ſeu Salvia fatua* Verbaſci *foliis, quoad foliorum diſpoſitionem* Salviæ *nonnihil ſimilis eſt; ſed cum nec odore, nec ſapore, nec viribus, nec verticillis pediculis donatis, conveniat; ne interturbetur ordo, disjungere & ad propriam ſibi ſedem referre commodiſſimum nobis videbatur.*

TAB.

TABULA XXI. SECTIONIS XI.

- *Pseudo-salvia*
  - *major lutea*
    1. *Vulgatior latifolia, Nobis. Salvia fruticosa lutea latifolia, Park. Verbascum latis Salviæ foliis, C. B. P.*
    2. *Chalepensis ampliore folio cordiformi. An Verbascum subrotundo Salviæ folio, C. B. P?*
    3. *Persica floribus singularibus, Nobis. Verbascum sylvestre perpulchrum, Rawolf.*
  - *lutea*
    4. *Seu angustifolia, Verbasci foliis incanis, Nobis. Verbascum angustis Salviæ foliis, C. B. P. An Phlomos lychnitis, Clus?*
    5. *Cretica, Nobis. Salvia minor lutea Cretica, Park. Verbascum Salvifolium, Prosp. Alp. Exot.*
  - *purpurea*
    6. *Foliis Verbasci augustioribus rugosis.*

1. Pseudo-salvia *major lutea vulgatior latifolia, Nobis. Salvia fruticosa lutea latifolia, Park. Verbascum latis Salviæ foliis, C. B. P. Verbascum sylvestre, Matth. Clus. Verbascum Salvifolium fruticosum luteo flore, Lob.* Multis *caulibus* duris, lignosis, pollicaribus, ex rotundis quadrangularibus, articulatis, in *alas* distributis, *tomento* albicante circumvestitis, ad tripedalem altitudinem fruticat. *Folia* ex singulis nodis bina sunt, ex adverso posita, scabra, crassiuscula, densa lanugine obducta, & *Verbasci* in modum incana, *Salviæ vulgaris* æmula, majora tamen, & albicantia. *Flores* verticillatim è *calycibus* pentagonis, rigidis, tomentosis erumpentes, superiores articulos ample coronant, patentibus *Lamii* floribus similes, sed majores, & colore omnino luteo. Istis marcescentibus, *semina* succedunt quaterna, quadranguloſa, aliarum congenerum seminibus majora, quæ in fundo singularis conceptaculi conduntur.

In Hispania *variis in locis sponte nascens invenit* Clusius. *Mensibus Junio & Julio floret, & Autumno semina perficit. Vid. icon. tab. æn. 15.*

2. Pseudo-salvia *Chalepensis ampliore folio cordiformi. An Verbascum subrotundo Salviæ folio, C. B. P?* Non minus rara ex *Aleppo* nobis transmissa est hæc Planta, cujus *caules* lignosi, aliarum hujus familiæ in modum, *tomento* candido obducuntur. E singulis geniculis bina è regione proveniunt *folia*, aliis ampliora, rugosa, in ambitu crenata, densiore & molliore lanugine tecta, rotundis auriculis ad basin exstantibus, donata, cordiformia. *Flores* pullulantes verticillatim (more debito) in exemplari nostro, antequam ad maturitatem perducerentur, collecto, colorem nondum explicuerant: sed quantum ex planta ficca conjicere licet, hæc ei sedes assignanda est.

Utrum *Lobelius* in Obs. p. 302. hanc plantam intelligat necne (ubi de *Verbasco salvifolio* monet, quod *Syria* mittit, *folio* utique carnosiore, rigidiore, latiore, & hirsutiore) penes lectorem judicium esto. *V. icon. tab. æn. 16.*

3. Pseudo-salvia *Persica floribus singularibus luteis, Nobis. Verbascum sylvestre perpulchrum, Rawolf.* Primo vulgatiori quodammodo similis observatur hæc Planta elegans in *Persia* collecta, & in hodœporico *D. D. Rawolfii*, pag. 96. servata. *Folia* ejus amplitudinem uncialem attingunt, oblonga. *Flores* tamen galeati, lutei, non in summis *caulibus* verticillatim, sed è singulis geniculis superioribus singulatim nascuntur; quibus præcipue dignoscitur.

4. Pseudo-salvia *fruticosa minor lutea Verbasci foliis incanis, Nobis. Verbascum angustis Salviæ foliis, C. B. P. Verbascum sylvestre Monspelienſe flore luteo hiante, J. B. An Phlomos Lychnitis, Clus. Pan. & Hist?* A specie prima jam descripta haud multum abludit; in teneriores & tenuiores ramulos se erigit. *Folia* minora, lanuginosa quoque, incana, potissimum parte inferiore, binatim nascuntur; superius enim viridiora, & non adeo denso tomento obsita sunt. Floret ad eundem modum, sed minores *flores* in *verticillis* dense dispositis emittit. *V. icon. tab. æn. 15.*

5. Pseudo-salvia *minor lutea Cretica, Park. Verbascum Salvifolium, Prosp. Alp. Exot. p. 109.* Nascitur planta hæc pedalis altitudinis, à *radice* ramosa, quippe ramos quatuor vel plures ferenti quadrangulos, duros, lignosos, rectos, incanos, veluti albo tomento aspero obsitos. Hi utrinque ex opposito ramulos producunt tenues. *Folia* alba sunt, tomentosa, *Salviæ* similia, sed minora, in longum rotunda, magnis intervallis, trina simul ab eodem exortu prodeuntia, sine petiolis. Circa summitatem circumvestiunt *caules* per intervalla *flores* multi in longis thecis tenuibus simul stipati, ut in *Marrubio*, aurei, *Salviæ* floribus figura similes. Istis succedunt *semina* oblonga, nigricantia. *Radicem* habet in plures tenues, longas, & lignosas fibras divisam. Tota planta aspera lanugine candicat; sapore stiptico gustum inficit. *P. A. V. icon. tab. æn. 16.*

6. Pseudo-salvia *fruticosa purpurea Verbasci angustioribus foliis rugosis.* Ad eundem modum quo & cæteræ hujus seriei, lignosis & quadratis ramulis tomentosis fruticat. *Folia* è regione geniculis adnata, angustiora sunt, magisque rugosa, supina parte minore *tomento* obducta. *Flores* in summis geniculis è thecis pentangularibus prodeuntes, verticillatim adnascuntur, ampli, galeati, elegantis & dilute purpurei coloris.

In Horto Plantis rarioribus locupletato D. *Ed. Morgan*, prope cœnobium *Westmonasterienſe*, triginta abhinc annis, observavi. Forte eadem à *D. D. Plukenetio* memorata est, *folia* vero rotundiora explicat. Paucis abhinc annis in *Lusitania* à *D. Tournefortio* fæliciter detecta est. Ex *Aleppo* quoque habemus.

SECTIONIS UNDECIMÆ

Distributio Tertia.

De Galeatis verticillis laxius per intervalla dispositis, seu petiolis donatis.

- *Plantæ*
  - *galeatæ verticillis*
    - *laxius per intervalla dispositis, petiolis plurimis simplicibus donatæ,*
      - *Salvia.*
      - *Thymus.*
      - *Serpyllum.*
      - *Acinos.*
      - *Ocimum.*
      - *Melissa.*
      - *Hedera terrestris.*
    - *rarius per intervalla dispositis, petiolis ramosis seu divisis donatæ,*
      - *Rosmarinus.*
      - *Satureia.*
      - *Calamintha.*
      - *Nepeta.*
  - *galeatæ floribus singulatim per intervalla dispositis,*
    - *Scutellaria.*
    - *Dracocephalus.*
    - *Verbena.*
  - *verticillis rarius per intervalla dispositis, galea carentibus,*
    - *Marum Cortusi.*
    - *Chamædrys.*
    - *Teucrium.*
    - *Chamæpitys.*
  - *galeatæ, semina post singulos flores plurima proferentes,*
    - *Pedicularis.*
    - *Melampyrum.*
    - *Euphrasia.*
    - *Asarina.*
  - *verticillatæ non galeatæ*
    - *Cannabis.*
    - *Urtica.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis laxius per intervalla dispositis, petiolis plurimis simplicibus donatæ.

CAPUT XXVI.

Salvia.

SAlvia *dicitur à* salvando, *quod ad multa sit utilis, præsertim* salvos *homines & incolumes efficiat, & ad* fœcunditatem *salutaris sit: quare* Agrippa sacram herbam *vocavit,* Aetio *auctore.* Ελελίσφακος *Dioscor. l. 3. c. 40. quasi in tabem redacta ac veluti marcescens, cum herba ipsa semper retorrida & excussa videatur, id enim* σφάκος *&* σφάκελος *significat.*

Salvia aromatica est; omnium Plantarum *galeatarum,* lignosa substantia præditarum, latissima *folia* proferens, rugosa, quæ attritis vestibus comparantur; quibusque hiantibus *floribus* additis cognitu facilis est.

TABULA XXII. SECT. XI.

- *Salvia*
  - *major*
    1. *Vulgaris, Park. Latifolia, J. B. Salvia major, an Sphacelus Theophrasti, C. B. P?*
       Variat foliis fuscis sive rubris: hinc Salvia nigra vel rubra, J. B.
       Albis foliis, J. B.
       Versicolor ex albo viridi & rubro mixta, J. B.
       Foliis omnino luteis, &
       Ex luteo variegatis.
    2. *Pinnata major Danica, Lob. Illust.* 112.
    3. *Absinthium redolens, J. B. Absinthites, Ger.*
    4. *Cretica non pomifera, Clus. Hist. Et Pomifera.*
    5. *Folio subrotundo, C. B. P. & Prod.*
    6. *Seu maxima foliis & floribus amplissimis, Hort. Lugd. Bat.*
    7. *Serrata crispa, J. B. Latifolia serrata, C. B. P.*
    8. *Syriaca Cisti fœminæ foliis, acetabulis Moluccæ, Breyn. Salvia peregrina, Rawolf.*
    9. *Americana flore coccineo, Recchi.*
    10. *Indica arborescens, Bontii.*
    11. *Aurita*

minor
11. *Aurita & non aurita, C. B. P. Minor pinnata, Eyſt.*
12. *Lutea, & Minor foliis variegatis, Schol. Bot. Par.*
13. *Sinuata foliis per limbum aureis, Schol. Bot. Par.*
14. *Minor tenuifolia, J. B. Hiſpanica odoratiſſima, Cam.*
15. *Lanuginoſa anguſtifolia, C. B. P. & Prod. Minor tenuifolia, J. B.*
16. *Anguſtifolia ſerrata, C. B. P. Cretica anguſtifolia, Cluſ.*
17. *Trifolia Indica, D. Pluke. Phyt.*
18. *Auriculata mucronatis foliis craſſis lanuginoſa, appendicibus acuta, D. Pluke. Phyt.*
19. *Æthiopica foliis Chamælæagni aſperis, Breyn. Cent. 1.*

1. Salvia *major vulgaris, Park. Salvia major, an Sphacelus Theophraſt. C. B. P.? Salvia latifolia, J. B. Major latifolia cærulea, Eyſt. Major, Matth. Dod. Radix* unica fibroſa, lignoſa, ſubnigricans, fundit *caules* plurimos ſeſquipedales & altiores, ex rotundis quadratos, lignoſos, & ramoſos; per quos temere ſparguntur *folia Verbaſci ſylveſtris* ſeu *Menthæ Græcæ* quadantenus æmula, anguſtiora tamen, oblonga, rugoſa, aliquantum ad cinereum colorem vergentia, ac, ut *Dod.* & *Matthioli* verbis utar, attritorum indumentorum ſcabritiem referentia, odore & ſapore calefaciente, non ingrato. *Flores* ſuperiores ramulos ſpicatim exornant, denticulatis & ſtriatis *calyculis*, falcata Aquilini roſtri ſpecie prodeuntes, *Hormini ſylveſtris* ſimiles, è cæruleis purpuraſcentes. Sub his conduntur *ſemina* rotunda, illis deciduis, per maturitatem nigricantia.
In vineis Galliæ Narbonenſis; *necnon circa pagum* Gabrels, *haud longe à* Monſpelio, *ſponte naſcitur. V. icon. tab. æn. 15.*

Ex hoc Salviæ genere varietates foliis diverſicoloribus in hortis aluntur.
1°. E rubedine ad nigredinem ſunt vergentia: hinc *Salvia nigra vel rubra, J. B. C. B. P.*
2°. Folia ex toto, & interdum ſemialba & variegata; *Salvia major foliis albidis, C. B. P. J. B.*
3°. Salvia verſicolor ex albo viridi & rubro coloribus mixta. *Salvia altera perelegans tricolor argentea Belgarum, H. R. P.*
4°. Folia omnino ſunt aurea. *Salvia latifolia aurea.*
5°. Folia partim viridia, partimque aureo colore ſunt variegata. Interdum etiam, ſed rarius, floribus variat albis.

2. Salvia *pinnata major Danica.* In hortis *Hafniæ* paſſim oritur, & nihil niſi *foliis pinnatis* à noſtra hortenſi *Salvia* vulgari diſcrepat. Folio longiore majore & breviore minore occurrit. *Lob. Stirp. Illuſt.* 112.

3. Salvia *Abſinthium redolens, J. B. cujus icon bene placet. Salvia Abſinthites, Ger.* Hujus *folia* frequenter vulgaris ſunt erectiora & acutiora, viridia, plerumque contracta & concava, interdum binis auriculis pinnata, odore & ſapore *Abſinthium vulgare* fortiter redolentia & referentia, quibus notu facilis eſt. Planta etiam humilior eſt. *V. icon. tab. an. 15.*

4. Salvia *Cretica non pomifera, & pomifera, Cluſ. Hiſt. Salvia baccifera, C. B. P. Salvia gallifera Cretica, J. B.* Altius aſſurgit hæc *Salviæ* ſpecies, in ramos quadrangulos, præſertim ab initio, ſe ſpargens, denſa candidaque lanugine obſitos. *Folia* partim auriculata, partimque mutila, vulgaris latitudinis, magis vero mucronata, inferna potiſſimum parte lanuginoſa, *odorem* ſpirant quam vulgaris graviorem, & ad odorem *Abſinthii* vergentem, ſed quam in antecedenti multo remiſſiore gradu. *Flores* vulgaris in modum hiantes, purpurocæruleos, ſpicatim profert; quibus ſingulis *ſemina* ſuccedunt quaterna, ſubrotunda, majora. *In Creta*, ad foliorum junctūras, *gallæ* ſeu poma, uncialis magnitudinis, multa lanugine obſita, orbiculata, (quæ duntaxat quædam ſunt excreſcentiæ, uti in foliis quercinis videre licet) inſident; quas quidem frigidioribus noſtris regionibus non omnino profert. *V. icon. tab. æn. 15.*
Eandem ex horto Honoratiſſ. *D. Car. Howard floribus albis* ornatam habemus. D. Pluke. *alteram pomiferam foliis rotundioribus in iconibus edidit.*

5. Salvia *folio ſubrotundo, C. B. P. 2. Prod.* Hæc caule eſt etiam quadrato, villoſo, *foliis* rotundis, ad *Violariæ* vel *Ariſtolochiæ rotundæ* folia accedentibus, at in acumen finientibus, ſcabris, vulgaris magis candicantibus.

6. Salvia *maxima foliis & floribus ampliſſimis, Hort. Lugd. Bat.* Forte eadem eſt quæ è ſeminibus à Cl. D. *Sherard* receptis nobis orta eſt; cujus *folia* vulgaris multo ſunt ampliora, & obtuſiora, viridia, & aliarum more albedine & ſcabritie donata. *Flores* etiam purpurocærulei, brevioribus *ſpicis* inſidentes, ampliores ſunt.

7. Salvia *ſerrata & criſpa folio latiore, J. B. Lob. Salvia latifolia ſerrata, C. B. P. 1. Prod.* In hortis noſtris alitur hæc diſtincta ſpecies major, quæ ramulis longioribus, & lentioribus aſſurgit. *Folia* ad tactum lævia, viridia, albedine quadam aſperſa, ſubrotunda ſunt, in ambitu ſerrata & criſpata, aliarum foliis latiora. *Flores* cærulei raro conſpiciuntur. *V. icon. tab. æn. 15.*

8. Salvia *Syriaca Ciſti fœm. foliis, acetabulis Moluccæ, Breyn. Cent. 1. Salvia peregrina, Rawolf. in Horto ſicco*, 142. ubi planta videtur humilis, *radice, Scorodonii* in modum, ſub terra repente donata; ex qua aſſurgunt *caules* quadrati, pedales; atque his *folia* ſcabra, ſubrotunda, ciſtiformia è regione appoſita ſunt. *Flores* in *calycibus* amplis, apertis, *Meliſſæ Moluccæ* æmulantibus, verticillatim diſpoſitis, purpureocærulei ſunt, & pro aliarum *Salviarum* more galeati.

9. Salvia *Americana flore coccineo, Hoitzit Xilxochitl, Recchi*, 103. Frutex eſt ab una *radice* multos proferens *caules* & ramos lignoſos, & in his Origani folia oblonga, acuminata, & potius ad *Salviam* accedentia; *flores* coccineos incurvos, teli quod *Alabardam* vocant perſimiles. *Odor* eſt *Salviæ*; ſaporque amarus; temperies ordine tertio calens, atque ſicca, partiumque tenuium. *V. icon. tab. æn. 16.*

10. Salvia *Indica arboreſcens, Bontii.* Frutex eſt ſurgens ultra duorum hominum altitudinem, & tanta copia creſcit (in *India* Orientali) ut ſylveta integra conficiat; nam longe lateque luxurians radices agit. *Flores* fert ex albis cyaneos, quales & reliquæ Salviæ. *Foliis* admodum longis eſt, quæ præter gratum odorem etiam umbram commodam præſtant. Si autem bene colatur in hortis, plurimum de feritate ſua remittit,

mittit, quod fiet ſi radices & luxuriantes ſtolones ſtatis temporibus commode reſecentur, & tum non minus utilis eſt in cibis quam manſueta pumila apud nos.

11. Salvia *minor aurita & non aurita, C. B. P. Salvia minor auriculata, J. B. Salvia minor pinnata, Eyſt. Park. Salvia nobilis, & Sphacelus Theophraſti. Foliis* eſt anguſtioribus, in inferiore parte auriculis donatis, & frequenter deſtitutis, & *Lavendulæ* concoloribus, ut & ſecundum omnes partes ſuperioribus, minor ac albidior; *floribus* ut plurimum cæruleis, raro candicantibus. Alias cognata genera diffiteri nequit. *V. icon. tab. æn. 15.*

12. & 13. Eadem *foliis luteolis; foliis variegatis*; & *foliis ſinuatis per limbum aureis*, variat. Unde *Salvia minor foliis variegatis, Schol. Bot. Par. Et Salvia minor ſinuata foliis per limbum aureis, eidem.*

14. Salvia *minor tenuifolia, J. B. Folio tenuiore, C. B. P. Salvia Hiſpanica odoratiſſima, Cam. Salvia Indica, Tab. Ger.* Cum præcedentibus convenit hæc *Salviæ* ſpecies; ramulis vero tenuioribus aſſurgit. *Folia* etiam anguſtiora, viridiora, modice ſunt ſerrata & quaſi criſpa, odore gratiore & ſuaviore. *Flores* frequenter purpuraſcentes, & interdum albi ſunt.

Cum tenerior ſit, algoris impatiens eſt, pangendo tamen incrementum ſit. *V. icon. tab. æn. 15.*

15. Salvia *lanuginoſa anguſtifolia, C. B. P. & Prod. Caule* eſt rotundo, craſſo, lignoſo, ob candidam lanuginem molli, cubitali, ramoſo; *foliis* candidis, anguſtis, brevibus, ſemunciam latis, duas longis, denſis, & ſcabris, odore *Tanaceti; floribus* in caulis ſummo quaſi in ſpica, *Lamii* floribus ſimilibus, purpuraſcentibus, è quorum medio *ſtamina* oblonga efferuntur. Hanc *D. Neudorfferus* cum *C. Bauh.* communicavit.

16. Salvia *anguſtifolia ſerrata, C. B. P. Salvia Cretica anguſtifolia, Cluſ. Hiſt. An Salvia Indica, Ger?* Multos ſtatim à *radice* profert ramulos lignoſos, ex fuſcis rubentes, quos alternis bina ſemper ex adverſo ambiunt *folia*, longe anguſtiora, quam in ullo alio *Salviæ* genere, in ambitu nonnihil interdum crenata ſeu criſpa, è quorum ſinu alii puſilli ramuli prodeunt. Medius caulis in ſpicam purpureorum florum definit, nullis intermixtis *foliolis*. An à præcedenti differat, quærendum.

Raram hanc *Salviam* diligentiſſimus & cognitione Plantarum egregie verſatus *Jacobus Plateau* ad *Carolum Cluſium* tranſmiſit.

17. Salvia *trifolia minor Indica, D. Pluke. Phyt. Tab. 57. Salvia* hæc, aliarum rugoſitate prædita, *folia*, petiolis uncialibus è regione naſcentibus, trifoliata prodit; quorum *alæ* ſubrotundæ, binæ, non ſolum auricularum è medio exeuntum, ut in aliis fit, vicem præſtant, ſed in petiolo ſemotæ & diſtinctæ inſidere cernuntur. *Foliolum* tertium medium occupans, oblongius eſt, obtuſum tamen evadit. *Flores* ſpicatim, aliarum *Salviarum* more, galeatos, profert.

18. Salvia *auriculata mucronatis foliis craſſis, lanuginoſa, appendicibus aucta, D. Pluke. Phyt.* Hæc ad præcedentem accedere videtur, alis quaſi conſimilibus ſubrotundis donata, è quarum medio *folium* ex rotunda baſi in mucronem protractum oritur, cum in præcedenti obtuſum cernitur.

19. Salvia *minor Æthiopica foliis Chamælæagni aſperis, Breyn. Cent. 1.* Frutex eſt parvus, caule quadrato, lignoſo, aſpero, quandoque ſpadicei ſeu purpurei obſoleti coloris. Ex hujus geniculis *alæ* utrinque cruciatim alterno verſu oppoſitæ, binæ panduntur, itidem quadratæ, & ramis aliis decuſſatæ; *foliis Chamælæagni Dod.* minoribus, aſperioribus & rugoſioribus, magiſque venoſis, per genicula binis cauli & ramis hærentibus. *Flores* in caulis & ramorum ſummitatibus in *ſpicam* ramoſam abeunt, eadem figura ac colore quibus & Salviæ noſtratis, ex paribus etiam *calyculis*, at hiſpidioribus, aliquando pulchre violaceis, prodeuntes. *Odor* totius hujus plantæ gravis, ad *Hormini* vergens. *Sapor* aromaticus. *V. icon. tab. æn. 16.*

Temperamentum & Vires.

Manifeſte calida & ſicca eſt Salvia; *abſtergit & modice aſtringit; vulneribus impoſita ſanguinem cohibet; ulcera mundat, & reſiccat; apthas oris ſanat; venenis adverſatur, & ictibus dolorificis, ſive dentibus, ſive aculeis animalium inflictis, medetur; ac ſpeciatim apud* Dioſc. *ictibus* Paſtinacæ marinæ *auxiliatur.*

Interne ſumpta cum melle in ſanguinis ſputatione multum confert; nam *(inquit* Ætius) ſucci *Salviæ* cyathos duos, mellis unciam unam, exhibe jejunis in potu, & in veſtigio ſanguinem ſiſtes. *l. 8. c. 63. Ibidem commendatur adverſus ſterilitatem; quibus deficiunt menſes, vel immodice fluunt,* Salviam *prodeſſe volunt.*

In anorexia ventriculo grata eſt, ſicut Mentha, Pulegium, *& ſimiles plantæ odoratæ; verum uſus frequentior eſt in apoplexia, epilepſia, vertigine, paralyſi, tremore, ſtupore, cæteriſque morbis quæ capiti & nervis officiunt.*

Salvia *quamvis planta ſalutaris & magnarum virium, tamen niſi lota ſit, apud Botanicos venenoſa qualitate imbuta eſſe creditur; illotam vix tuto ſumi poſſe admonent, interdum non ſine ſummo vitæ periculo: nam bufones hanc maxime frequentare aiunt, & nonnunquam ſubtus radices cubilia ponere; unde planta non raro veneno inquinatur, aut inquinari creditur. Hinc ex* Jo. Boccatio *narratur lugubris caſus duorum amantium, qui labiis leviter affricta Salvia ſubito occubuerunt.* Paræus *fando audiſſe ſe teſtatur à viro fide digniſſimo duos Mercatores non longe ab urbe* Tholoſana *diverſorii in horto* Salviam *collegiſſe, & prout lectam,* i. e. *illotam vino immerſiſſe, eoque epoto, mox non ſine horrendis ſymptomatibus obiiſſe. De tragico caſu conſultus Medicus aquam tepidam foramine prope radices conſpecto infudit, atque eo bufonibus evocatis, hoſpitii Dominum hoſpiteſque veneficii ſuſpectos liberavit.* Vid. op. Ambr. Par. p. *596. Vix quidem credibile eſt tam præſentaneum virus bufonibus ineſſe; nec cuiquam facile conſtabit, quomodo vim iſtam deleteriam plantarum foliis communicarent, etiamſi inferre poſſent, & tamen tantam vim haberet aquæ ſimplicis affuſio, nempe ad eluendam tam viroſam impuritatem qua folia penitiſſime ſunt imbuta. Utinam hujuſmodi hiſtoriarum auctores* Salviam *ſuam tot dediſſent animalibus, quot data eſt* Cicuca aquatica *eruditiſſimi* Webferi, *tum rem extra dubium poſuiſſent. Interim ſcio bufones in Hortis umbram quærere, ſed non magis* Salviæ *quam alterius cujuſvis plantæ, à qua nemo unquam venenum metuit.*

Athanaſ. Kircherus in Scrut. Peſtis, *bufones abſolvit, & crimen rejicit in vermiculos quos microſcopii beneficio infra plantæ aſperitatem detexit, comparentibus ſimul bullulis, velut ovis (puta animalculorum fœturis)* quæ *virulento ſuo humore ingentem homini noxam adferre poſſunt: quæ tamen vel digito abſterſo folio, aut aqua loto, ſtatim diſparebant; unde (inquit) veram cauſam perniciioſæ qualitatis* Salviæ *non lotæ collegi. At pace tanti*

tanti viri folia decies lota bullulas istas non deponunt, multo minus vermiculos (si qui sint) tela & ipsius plantæ lanugine implicitos: mihi quidem post diutinam & repetitam lotionem folia intuenti eadem bullulæ comparebant. Quid quod aliis quibusdam plantis, eisque semper innoxiis, sunt communes, à quibus tamen non absterguntur digitis, ut opinor, sed atteruntur, nam teneræ sunt, & intus lentore quodam plenæ?

Accuratissimus D. Hooke *bullulas has seu globulos pellucidos nihil aliud esse affirmat quam* succum *quendam gummosum, quem* folia (*ut & caules & flores*) *exsudant; nam per totum anni decursum eos hærentes & fere nihil mutatos observavit.* Vid. Hooke Micograph. p. 142.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis ex pluribus pediculis laxius per intervalla disposítis.

CAPUT XXVII.

Thymus.

THymus *dicitur quia adhibetur iis qui patiuntur animi deliquium, ob crassos humores; Θυμὸς autem Græcis est animus. Alii deducunt à Θύω sacrifico, vel Θῦμα sacrificium, quod uterentur in sacrificiis; vel Θύμος quasi Θύαμος, id est sanguinem impellens, nam concretum sanguinem dissolvit.*

Thymus est planta humilis lignosa, erecta, odorata, foliis exiguis subrotundis, verticillis florum galeatorum in summitatibus, petiolis donatis, seu laxius disposítis.

TABULA XXIII. SECT. XI.

Thymus folio
- *tenuiore*
  1. *Durior vulgaris, Park. Thymus vulgaris folio tenuiore, C. B. P. Thymum durius, Dod. Ger.*
  2. *Moschatus minor, Nobis. Serpyllum moschatum, Park.*
  3. *Moschatus major.*
  4. *Foliis candicantibus & graveolentibus, Hort. Reg. Par.*
  5. *Capitulis minoribus Massilienſis, Hort. Reg. Par.*
  6. *Inodorus, C. B. P. & Prod. Park.*
  7. *Narbonensis Zygis dictus, Nobis. Serpyllum foliis Thymi, C. B. P.*
- *latiore*
  8. *Vulgaris, C. B. P. Thymum latifolium, Park. Variat foliis albidis.*
  9. *Aureus sive versicolor, Nob. Serpyllum aureum sive versicolor, Park.*
  10. *Creticus frutescens, Hort. Reg. Blesi.*

1. Thymum *vulgare durius, Park. Thymus vulgaris folio tenuiore, C. B. P. Thymum vulgare rigidius folio cinereo, J. B. Thymum durius, Dod. Ger. Radice* exigua, lignosa, & tenuiter fibrata; *caulibus* palmaribus & altioribus, erectis, ramosis, gracilibus, quadrangularibus, frequentibus *foliolis* parvis, Serpylli minoribus, ordinate vestitis, subviridibus, odoratis, & sapore acri præditis donatur. *Flores verticillis* è petiolis plurimis laxius è caulium geniculis supremis pendentibus, exigui sunt, galeati, ex albis purpurascentes; in quorum calycibus parvis *semina* pusilla, rotunda, ex fuscis nigricantia conduntur. *Vid. icon. tab. an.* 18.

In montanis saxosis & sterilibus Galloprovinciæ & Italiæ, *passim reperitur, gratoque suo odore viatores recreat. In* Anglia, Germania, *alibique ob usus quotidianos in hortis alitur.*

2. Thymus *moschatus minor seu tenuior, Nobis. Serpyllum moschatum, Park. Thymi* hoc genus tenuius *surculis* assurgit crebrioribus, *foliolis* minoribus onustis, quæ modice trita odorem *moschi* spirant gratissimum. Floret ad eundem modum quo & cæteri congeneres.

3. Thymus *moschatus major. Vulgari Thymo* duriori similis est; nisi quod major sit planta, *foliis* aliquantulum latioribus, *odore* etiam *moschi* præditis.

In hortis ob gratum odorem servantur & hic & superius explicatus.

4. Thymus *foliis candicantibus & graveolentibus, Horti Regii Pariſ.* Primo vulgari similis est hæc species, minor tamen evadit, odorem fortiorem & graveolentem spirans. *Folia* præsertim vernali tempore primo pullulantia candicant, postea vero virescunt, ramulique imbecilliores apparent.

5. Thymus *capitulis minoribus Massilienſis, Hort. Reg. Par.* Planta hæc humilis palmarem altitudinem raro superat, in brachia gracilia, lignosa, divaricata, *foliis* parvis ad angustiam & longitudinem magis tendentibus, è regione natis, vestita. Ex horum alis alia etiam minora, *Thymi vulgaris* colore prædita, protruduntur. *Flores* in summitatibus pauciora genicula occupant, *capitulaque* rotunda efformant, petiolis parvis insidentes.

6. Thymum *inodorum, C. B. P. & Prod. Park.* Planta est ob lævem lanuginem qua pubescit incana, caule lignoso cortice incano, rugoso, vestito, qui in plures ramos palmo minores, recurvos (hique in alios & veluti in orbem disposítos) dividitur; quos per intervalla *folia* breviſſima, angustiſſima, plura simul juncta, inodora, & pene insipida, sed adstringendi vi prædita, cingunt. Cauliculorum summitatibus *flores* plures purpurei, forma & dispositione *Thymi vulgaris* floribus similes insident.

Hoc in Regno Valentiæ, *locis arenosis in litore ad* Alicantam *copiose provenit. D.* Albino *auctore,* C. B. *Prod.*

7. Thymus *Narbonenſis Zygis dictus, Nobis. Serpyllum folio Thymi, C.B.P. Serpyllum Narbonenſe foliis & facie perpuſilli anguſtifolii Thymi, Lob. Lugd. Serpyllum Creticum, Tab. Ger. Serpyllum ſylveſtre Zygis Dioſcoridis, Cluſ. Hiſt. Thymo vulgatiori rigidiori ſimile, J. B.* Iiſdem locis quibus & Thymus durior oritur, cui perquam ſimilis eſt quoad figuram; *folia* vero paullo latiora ſunt, minuſque odorata, ſed gravius nonnihil olentia, utpote quorum odor fere ſit inter *Abrotoni* & *Stœchadis* odorem medius. In virgis ramuli producti, *floribus* verticillatim naſcentibus veſtiuntur, coloris ex albo purpuraſcentis; qua florum *diſpoſitione* & *odore* tantum pene à Thymo vulgari diſcerni poteſt. Minor autem eſt ejus acrimonia quam *Thymi*, quippe quæ aliquid adſtrictionis admiſtum habeat. *Varietas datur apud* Pariſienſes, *foliis latioribus prædita.*

Floret quo tempore & Thymus durior, & perpetuo etiam viret. V. icon. tab. æn. 17.

8. Thymus *vulgaris folio latiore, C.B.P. Thymus alter durior, Cam. Thymum latifolium, Park.* Ramulis quamplurimis, crebris, nunc procumbentibus, nunc erectis, Thymi durioris imbecillioribus & haud ita lignoſis & mollioribus aſſurgit. Ad horum genicula, *folia* latiora, viridiora & vietiora binatim oriuntur. Floret ad eundem modum quo & alii, aſt ſaturatioris purpurei coloris eſt. *Semen* raro profert, ſed ſurculis impactis uberrime propagatur. *Vid. icon. tab. æn.* 18.

Hujus varietas nutritur in hortis, cujus folia nunc albida, nunc ſunt viridia.

9. Thymus *latifolius aureus ſeu verſicolor. Serpyllum aureum ſive verſicolor, Park.* Quoad foliorum latitudinem & diſpoſitionem, cum proxime antecedenti convenit; *folia* vero è viridi ad luteum colorem vergentia diſcrimen agnoſcunt.

10. Thymum *Creticum fruteſcens, Hort. Reg. Bleſ.* Planta eſt ſeu potius ſuffrutex ſeſquipedalis, nudos edens *cauliculos*, *foliolis* longis, *Satureiæ* omnino ſimilibus, onuſtos. Quin & odorem fragrantiſſimum, inter *Thymi* & *Satureiæ* medium fundit.

Thymum anguſtifolium hirſutum magno capite purpuraſcente, Tournefortii.
Thymum capillaceo folio hirſuto, capite magno vireſcente, Tournefortii.
Thymum cephaliton, Dod. Thymus capitatus ſeu Dioſcoridis, C. B. P.

Cum harum Plantarum *verticilla* arcte ſibi invicem incumbentia, *petiolis* deſtituta, *ſpicam* conſtituant, *foliaque* longa anguſta eas inter *Thymos* deputari vetent; ad *Hyſſopos* potius retulimus, uti in Cap. 6. hujus claſſis videre licet.

Thymi Vires & Uſus.

Calidam & acrem temperiem obtinet Thymus; *incidit; attenuat; obſtructa reſerat; flatus diſcutit; urinam & menſes pellit; fœtum educit. Oculorum claritati conferre creditur; externe tumores diſſolvit; in balneis & inſeſſibus mulierum commodiſſimus. Uſus quotidiani culinarii ſalubritatem indicant.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis laxius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XXVIII.

Serpyllum.

SErpyllum *Græcis* ἕρπυλλον ἀπὸ τοῦ ἕρπειν *à ſerpendo dicitur, nam ſi aliqua pars terram attingat, inibi radicem dimittit. Similiter vocatur Herpyllos, propter eandem rationem.*

Serpylli flores ſparguntur in ſummitatibus, abſque definito ordine vel numero, uti in *Thymo*; humilior vero & mollior eſt planta, quod à reptante facultate facile colligi poſſit.

TABULA XXIV. SECT. XI.

Serpyllum
- *glabrum*
  1. *Vulgare, Park. Ger. Serpyllum vulgare minus, C. B. P.*
  2. *Vulgare majus, C. B. P. Idem foliis ex albo eleganter variegatis.*
  3. *Foliis citri odore, C. B. P. Serpyllum citratum, Tab. Eyſt.*
  4. *Foliis odore Citri fruteſcens, facie Mari maſtichini, S. B. P.*
  5. *Anguſtifolium, C. B. P. Serpyllum anguſto glabroque folio, ſive* 2. *Cluſ. Pan. & Hiſt.*
- *hirſutum*
  6. *Vulgare minus cum globulis ſuis tomentoſis, Nobis. Serpyllum anguſto lanuginoſo folio, J. B.*
  7. *Auguſtifolium vel montanum repens hirſutum, C. B. P. Serpyllum Pannon.* 3. *Cluſ. Pan. & Hiſt.*
  8. *Latifolium foliis ad margines piloſis, Schol. Bot. Par.*
  9. *Latifolium, C. B. P. &* 1. *Prod. Forte Serpyllum villoſum fruticoſius floribus dilute rubentibus, D. Lloyd.*
  10. *Candicans odoratum, Nobis. Thymus repens Piſanus, J. B.*

1. Serpyllum

1. Serpyllum *vulgare, Park. Ger. Dod. J. B. Serpyllum vulgare minus, C. B. P. Sylveſtre, Matth. Vulgare repens, Cluſ. Hiſt.* E radice tenui, dura, multi proveniunt exiles cauliculi, inferius duri & lignoſi, ſuperius molliores, nonulli in rectum palmi altitudine ſurgentes, alii repentes, & alicubi in terræ ſuperficie exiguis fibris annexi; *folia* è geniculis exigua, virentia, ſubrotunda, odore calenti, non ingrato, Thymi ſimilia, viridiora tamen. *Flores* in cacumimibus, petiolis parvis adnexi, ſupremos articulos occupantes, è colore rubente purpurei, capitula rotunda conſtituunt. *Semina* ſunt exigua, fuſca, rotunda. *Floribus* etiam *albis* variare reperitur. Alia etiam iiſdem in locis invenitur varietas *floribus majoribus pallidioribus, quinis apicibus donata;* cum in altera *apices bifidi* obſervantur; alias non differt ab explicato.

In collibus & paſcuis ſterilioribus & ſaxoſis, talparumque grumulis paſſim provenit, & per totam æſtatem floret. V. icon. tab. æn. 17.

2. Serpyllum *vulgare majus, C. B. P. Et Serpyllum ſativum, ejuſdem. Majus flore purpureo, Ger. Majus, Park.* Ampliora profert *folia* ſubrotunda, pallidiora, *Majoranæ* æmula; & *flores* vulgaris magnitudine ſuperant.

Hoc Serpyllum vulgare majus, C. B. P. & Majus latifolium, ejuſdem, ut & ſativum ſeu tertium; Serpyllum foliis Amaraci, Ger. Serpyllum, Matth. Lugd. quod frequenter cum globulis villoſis reperitur, pro una ac eadem planta habeantur. *V. icon. tab. æn.* 18.

Hujus in hortorum ornamentum datur varietas *foliis ex albo viridique colore eleganter variegatis.*

3. Serpyllum *foliis Citri odore, C. B. P. Citrii odore, J. B. Serpyllum citratum, Tab. Eyſt. Ger.* Radicibus fuſcis, exilibus, lignoſis, multiplicibus, & tenuibus, circa genicula fibratis, ac ſub telluris ſuperficie diſperſis, vulgare refert, æque ac *foliis* magis atris, latioribus & quandoque craſſioribus, quæ trita evidenter *Citrum* vel *Meliſſam* olent. *Flores* purpuraſcentes; *caules* quadranguli, altiores; & *ſemina* minuta, *Amaraci* granulis cedentia, rotunda, nigricantia, vulgaris faciem quoque poſſident. *Vid. icon. tab. æn.* 18.

In montoſis quibuſdam, ſed rarius, ſponte provenit; in hortis plurimis alitur.

4. Serpyllum *foliis odore Citri fruteſcens, facie Mari maſtichini, Schol. Bot. Par.* Ramuli procumbentes, & *radices* aliorum more, ex articulis agentes, in rectum deſinunt, & ad dodrantalem altitudinem attolluntur, geniculis *Mari vulgaris maſtichini* in modum, rarius donati, quibus *folia* pro *Thymo, ſerpyllove* latiuſcula, è regione adnaſcuntur, odorem acrem *Citri* ſpirantia. *Florum* exiguorum calyces, petiolis *Thymi* paribus, verticillatim appenſi (quibus à *Mato* dignoſcitur) è geniculis per intervalla naſcentes, dimidium caulem exornant. Quilibet calyx in quina ſegmenta acutiora & longiora, in marginibus villoſa, dividitur.

A Pariſienſibus *accepit prædictus D. D.* Sherard, *qui & omni cum humanitate nobiſcum communicavit.*

5. Serpyllum *anguſtifolium glabrum, C. B. P. Serpyllum anguſto glabroque folio, ſive* 2. *Cluſ. Pan. & Hiſt.* Huic *folia* paullo ſunt longiora, viridia, glabra, rarius etiam per *cauliculos* ſparſa, bina ſemper ex adverſo, ſed alternis naſcentia, quemadmodum magna ex parte in cæteris ſtirpibus quæ quadrangulo ſunt *caule*, aut virgis. *Cauliculi* frequentes, tenues, longi, humi fuſi, & ſubinde ad internodia fibris ſeſe firmantes, oblonga, mollia, & veluti ſpicata, in ſummo ferentes *capitella, floſculis* vulgaris æqualibus, referta. Tota planta aut *Nucis juglandis* foliorum *odorem* quodammodo refert, interdum nullo manifeſto odore prædita deprehenditur. Soline mutatione, an auræ variantis afflatu id accidat, latet. *Cluſ.*

6. Serpyllum *vulgare minus hirſutum cum globulis ſuis tomentoſis, Nobis. Serpyllum anguſto lanuginoſoque folio, J. B. Serpyllum hirſutum, Ger.* Ad eundem modum quo & vulgare, humi fuſum, conſimilibuſque locis naſcitur, cujus *foliola* oblonga, anguſtiora, hirſuta ſunt. *Flores* frequenter in collibus, ſaturiore purpureo colore emicant, *globuloſque* tomentoſos in ſummis, (forte intempeſtivo aere ſideratos, aut pro inſectorum oviario contractos) ſubinde gerit.

7. An eadem ſit planta quæ à *Cl. Cluſio, tertio Pannonicarum Plantarum loco*, memorata ſit, quærendum; quam *foliis oblongis, anguſtioribus, incana lanugine pubeſcentibus præditam eſſe*, longaque in ſummis cauliculis *capitella* proferre refert. *V. icon. tab. æn.* 17.

8. Serpyllum *latifolium foliis ad margines piloſis, Schol. Bot. Par.* Aliorum *Serpyllorum* more, terræ ſuperficiem ramulis ſuis procumbentibus occupat. *Foliis* latiuſculis, oblongis, pallide virentibus, ex adverſo cauliculis adnatis, ornatur; ad quorum margines præſertim pilæ exiguæ adhæreſcunt. *Floret quo tempore* & alia congenera.

9. Serpyllum *latifolium hirſutum, C. B. P. & Prod. Park.* Tota planta ob mollem lanuginem qua pubeſcit, præſertim caulibus, incana eſt. *Cauliculis* donatur frequentibus, tenuibus, longis, recurvis, qui *foliis* ſubrotundis, pediculis oblongis donatis, cinguntur. Cauliculorum ſummitatibus *capitula* floſculorum purpuraſcentium inſident.

Locis aridioribus circa Francofurtum *reperitur.* C. B.

Forte eadem eſt planta quam *D. Lloyd Serpyllum villoſum fruticoſius floribus dilute rubentibus* appellavit, & in perambulationibus ſuis, in paſcuis ad ſummitatem montis *Y Wydhua* prope Eccleſiam *S. Periſii* in *Arvonia*, feliciter detexit. *Folia* quamplurima, petiolis breviſſimis adnata, antedictorum rotundiora, lanugine argentea omnino ſunt obſita. *Flores* dilute rubentes, *Serpylli vulgaris* in modum in *capitella* rotunda digeſti ſunt.

10. Serpyllum *candicans odoratum & hirſutum, Nobis. Thymus repens Piſanus, J. B. Thymum ſupinum candicans odoratum, Magnol. Bot. Monſp. Surculis* fruticat pluſculis, lignoſis, pedalibus, cubitalibus, ad terram repandis; quos, ex unciali intervallo, breviſſimis ramulis glomeratim adaggeſta *foliola* viridia, rigidula, anguſta, albidis, ſed brevibus per ambitum pilis hirta, ſtipant. *Floſculi* rubelli. Siccæ ſapor aliquanto aromaticus. *J. B. Foliis* candidioribus & odoratiſſimum eſſe auctor eſt *D. Magnol*, qui *in ſterilibus verſus Clapies & Jacou, haud longe à Monſpelio invenit.*

Serpylli Vires & Uſus.

Qualitatem calidam & acrem cum Thymo *poſſidet, cui viribus etiam accedere videtur; vide ſupra. Cephalicum & ſtomachicum eſt, & tale quidem* Thymus. *Catarrho ſanando conducit.* Balſamum Serpylli *vertiginoſis auxilio eſt.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis laxius per intervalla disposítis.

CAPUT XXIX.

Acinos.

ACinos *Græcis* ἄκινος, *exponitur res vilis & nullius pretii. Acinus est granum internum uvæ quod satum frequenter degener fit, & idcirco rejiciendum. Plantæ hujusce* calyx florem & semina *continens, ex turgido in mucronem desinens hoc* granum *æmulatur, & exinde fortasse nomen accepit.*

Acinos est planta humilis verticillata, *foliis* parvis, *Thymi* tamen majoribus; *flosculis* galeatis, è *calycibus* inapertis conniventibus, *foliis* ad summitatem intermistis.

TABULA XXV. SECT. XI.

Acinos pediculis
- *brevioribus*
  1. *Sive Ocimum sylvestre, Dod. Acinos multis, J. B.*
  2. *Syriaca folio mucronato, capsulis lævioribus, Nobis. Clinopodium Creticum, Prosp. Alp.*
  3. *Syriaca folio mucronato, capsulis hirsutis.*
  4. *Syriaca tenuiore folio, capsulis hirtis.*
  5. *Syriaca altera foliis longis dentatis, capsulis apertis.*
  6. *Thymi folio & facie, floribus inexpansis. Clinopod. Thymi folio & facie, Schol. Bot. Par.*
- *longioribus*
  - *perennis*
    7. *Major Americana frutescens Sampsuci foliis. Tragoriganum Quaubnacense dict. Recchi.*
    8. *Austriaca latioribus foliis dentatis, Nobis. Clinopodium Austriacum, Clus.*
  - *annua*
    9. *Syriaca rotundiore folio.*

1. Acinos *sive Ocimum sylvestre, Dod. Ger. Acinos multis, J. B. Clinopodium arvense Ocimi facie, C. B. P. Clinopodium minus sive vulgare, Park. Caulículos* promit complures, ex rotundis quadrangulares, terram versus reclinatos, palmares; *folia* ex intervallis bina contra se posita, ex rotundis mucronata, *Thymi serpyllive* majora, aliquantulum hirsuta, crenis in ambitu paucis donata, petiolis parvis insidentia. E foliorum *alis* proveniunt plurimi pedicelli, *calyces* oblongos, striatos, ex turgido ventre in acutum desinentes, striatos, verticillatim dispositos, sustinentes; è quorum apicibus *flores* purpurocærulei, exigui, galeati, *labello* trifido donati emergunt. Istis marcescentibus, *semina* quaterna, parva, fusca, rotunda, succedunt. *Vid. icon. tab. an.* 18.

In arvis restibilibus, aliisque, terra cretacea & saxosa, locisque incultis provenit. Annua est planta. Invenitur etiam floribus albis.

In horto varietas occurrit *foliis longioribus, acutioribus & albidioribus donata*, iconibus *Clusii* & *Dodonæi* hoc nostro vulgari aptius respondens, ex seminibus transmarinis orta.

2. Acinos *Syriaca folio mucronato, capsulis lævioribus. An Clinopodium Creticum, Prosp. Alp. de Exot?* Huic *folia* ex angusto principio in medio dilatantur & in mucronem desinunt, non crenata, antedictorum læviora; quibus præcipue dignoscitur. *Floribus vasculisque seminiferis*, aliis respondet. *V. icon. tab. an.* 19.

3. Acinos *Syriaca folio mucronato, capsulis hirsutis. Caulículis* palmaribus binatim adnascuntur *folia* ex obtusiori principio in mucronem terminata, inter quæ capsulæ etiam oblongæ, per longitudinem striatæ, proveniunt, sed hac nota distinctæ, quod *pilis* insignibus hirtæ sint. *V. icon. tab. an* 19.

4. Acinos *Syriaca tenuiore folio, capsulis hirtis. Folia* discrepantiam manifestam demonstrant, quæ caulículis etiam palmaribus & dodrantalibus nascentia, longiora sunt, angustiora, & crebrius appósita præcedentium foliis. Vascula etiam antecedentis in modum hirsuta sunt. *Vid. icon. tab. an.* 19.

5. Acinos *Syriaca altera foliis longioribus dentatis.* Palmares & dodrantales habet *caules*, nunc erectos, nunc reclinatos, quadratos, nodis distinctos, quibus *folia* angusta, crenis dentata, molli hirsutie pubescentia, (uti etiam *caules*) bina inter se oppósita, unciam pene longa, enascuntur. *Vascula* è foliorum alis, oris magis apertis, quinquepartitis, & in spinulas desinentibus, per caulis longitudinem, à radice pene ad summum exeunt.

Quatuor has species jam memoratas cum altera de qua mox sermo, munificentia Cl. & Reverendi Viri D. D. Huntington *ex* Aleppo *transmissas possidemus.*

6. Acinos *Thymi folio & facie, floribus inexpansis, Nobis. An Clinopodium Thymi folio & facie, Schol. Bot. Par?* E semine *Parisiis* transmisso nobis nata est. *Radix* dura gracilis & fibrosa *caulículos* plures, nunc palmares, nunc dodrantales, tenues, & imbecilliores emittit, internodiis uncialibus distinctos; quibus (aliarum hujus familiæ ritu) *folia* ex oppósito, *Thymi* vix excedentia & similia adhærescunt. Ex eodem etiam

am exortu oriuntur *petioli*, quorum quilibet ternatim frequenter divisus, totidem *vascula Thymi* etiam paria sustinet, quibus *flores* minimi purpurascentes, raro aperti, conniventes insident; *semen* minimum rotundum succedit; *radixque* perit. *V. icon. tab. æn.* 19.

7. Acinos *major Americana frutescens Sampsuci foliis. Tragoriganum Quauhnacensi dictum*, *Recchi, Hist. Mex.* 96. Herba est magna *Sampsuci folia* proferens; *caules* purpureos; *flores* oblongos, & ex albis rubescentes, calyculorum figura; fibratas vero *radices*, sapore *Origani, Pulegiive. Calyces* aliarum consimiles, pediculis insident. *Vid. icon. tab. æn.* 19.

8. Acinos *Austriaca latioribus foliis dentatis, Nobis. Clinopodium Austriacum, Clusii. Acini pulchra species*; *J. B. Clinopodium montanum, C. B. P.* Dodrantalibus ea est *cauliculis* tenuibus, quadratis, duris, geniculatis, quos ex intervallis bina simul ad singula genicula semper ambiunt *folia*, contrariis inter se pediculis disposita, *Acini vulgaris* ampliora, raris crenulis serrata, viridia, non injucundi odoris. *Flores* summis cauliculis ad singula genicula profert *Acini vulgaris* non dissimiles, sed multo majores, purpureo saturo seu violaceo colore præditos (tametsi nonnunquam inveniantur albi) antrorsum maxima ex parte propendentes & conversos. His succedunt *vascula*, qualia in aliis ventriosa, in quibus terna aut quaterna nigra *semina* rotundiuscula. Numerosas habet *radices* duras, & multis *fibris* capillatas. *Vid. icon. tab. an.* 18.

Crescit in montibus Badensibus *thermis imminentibus, & cæteris vicinis ad* Danubium *procurrentibus, variisque locis. Floret mense Maio; semen Julio maturum.*

9. Acinos *annua Syriaca rotundiore folio crenato.* Antedictis annuis speciebus quoad modum crescendi accedit; *folia* latiora, rotundiora, crenis quibusdam in ambitu dentata, pediculis longioribus insident. *Calyces* longi, striati, verticillatim nascentes, & petiolis adnexi, hirsutie pubescunt. *Vid. icon. tab. an.* 19.

Ex Aleppo *accepimus.*

Acinos *latifolia annua, C. B. P. Acinos urtichella olitoribus, Col.* Vid. *Ocimum.*

Vires & Usus.

Temperamentum & vires sequentes huic attribuit Casp. Schwenkefeld. *Calefacit; siccat tertio recessu; aperit; provocat; discutit; roborat; tenuium est partium; menses & partus pellit. Ex vino pota melancholicos restituit.* Dodonæus *mitiorem temperiem assignat; qui aliquantulum calidam & siccam esse perhibet non absque astringendi vi & potentia.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis laxius per intervalla dispositis.

CAPUT XXX.

Ocimum.

Ocimum Ὠκιμον Dioscor. *l.* 2. *c.* 171. Theoph. 7. *Hist.* 3. *cui, ut &* Varroni, & Plinio *l.* 19. *c.* 7. *à celeritate proveniendi dictum videtur. Apud* Græcos *recentiores* βασιλικὸν, *id est regale audit: unde ab* Ætio ὠκιμον βασιλικὸν *appellatur.*

Ocimum est planta galeata, annua, foliis subrotundis, *odore* aromatico *Citri Caryophyllive; floribus* in spicis laxius verticillatis, singulis *operculo foliaceo* tectis.

TABULA XXVI. SECT. XI.

Ocimum

maximum

1. *Sive caryophyllatum majus, C. B. P. Ocimum majus, Matth.*
2. *Caryophyllatum, C. B. P. Ægyptium longioribus foliis Ribau dict. J. B.*
3. *Latifolium maculatum vel crispum, C. B. P. & Prod. Basilicum Indicum maculatum, Eyst.*
4. *Maximum perenne foliis Atriplicis ingrati odoris graveolens, D. Pluk. Almagest. Bot.* 268.
5. *Foliis fimbriatis viridibus, C. B. P. Crispum viride, Eyst. Idem foliorum fimbriis ad Endiviam accedentibus, H. L. Bat.*
6. *Viride foliis bullatis, C. B. P. Ocimum Indicum majus foliis pretuberantibus, Eyst.*
7. *Crispum leviter serratum verruculosum brevi congestaque spica viride, Icon. Paris.*
8. *Crispum profunde serratum verruculosum brevi congestaque spica subrubens, Icon. Par.*

medium

9. *Vulgatius, C. B. P. Basilicum medium, Eyst. Variat foliis viridibus, foliis ex nigro virescentibus, flore albo, & flore etiam violaceo, Hort. Reg. Par.*
10. *Citri odore, C. B. P. Ocimum odoratum sive Basilicum, J. B.*
11. *Anisi odore, C. B. P. Ocimum Anisatum, Eyst.*
12. *Caryophyllatum Monachorum, sive Acinos, Col. J. B. Acinos latifolia, C. B. P. Acinos urtichella olitoribus, Col.*
13. *Madraspatanum frutescens gratissimi odoris, flore parvo, caulibus villosis, D. Pluk. Phyt.*

14. *Odoratiſſimum calycibus ad verticillos deorſum tendentibus petiolis brevioribus, è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt.*
15. *Tricolor, Hort. Reg. Par.*
16. *Sive minus anguſtifolium foliis ſerratis, C. B. P. Ocimum minus anguſtifolium flore albo, Eyſt.*

minimum
17. *C. B. P. Ocimum nanum vel pumilum, Eyſt.*
18. *Idem foliis ex purpura nigricantibus, Hort. Reg. Pariſ.*
19. *Idem foliis ex viridi & nigro variegatis, Hort. Reg. Par.*

1. Ocimum *caryophyllatum majus, C. B. P. Ocimum majus, Matth. Dod. Maximum, Lugd. Maximum caryophyllatum, Adv. Lob. Ocimum magnum, J. B.* E *radice* annua & fibrata aſſurgit *caulis* dodrantalis & pedalis, quadrangulus, erectus, modice hirtus, pluribus ramis ſtipatus, quibus *folia* è regione poſita, uncialia & ampliora, ex ovali forma mucronata, pallide virentia, & carnoſa, in ambitu raris crenis ſerrata, odore ſuavi *Citri* vel *Caryophylli* prædita. *Flores* ſpicatim in *verticillis* laxius & per intervalla diſpoſitis naſcuntur albi, galeati, *barba* integra donati, quibus ſingulis ſuccedunt *ſemina* quaterna, parva, oblonga, fuſca, *Hyſſopi* paria, quæ in mucilaginem cito tranſmutantur, & idcirco *vaſcula* ſeminalia, mira quadam providentia, *operculo foliaceo*, quaſi Canthari, obbæve operimento (quod hiſce peculiare videtur) protecta ſunt. Hinc facile diſcimus ea tempore nimboſo & pluvioſo terræ non eſſe committenda. *Vid. icon. tab. æn.* 20.

Ex India *calidioribuſque plagis in* Europam *adferuntur variarum* Baſilici *ſpecierum ſemina, quæ in* Italia Hiſpania, Gallia, Germania, & Anglia, *in hortis, ob odorem fragrantiſſimum, aluntur; Borealibus vero gentibus ſemina raro perficiuntur, & proinde recentia è calidioribus petuntur.*

2. Ocimum *maximum caryophyllatum, C. B. P. Ocimum Ægyptium longioribus foliis Ribau dictum, J. B. Ocimus* (inquit *Proſper Alpinus*) *in Ægypti Alexandriæ viridariis*, copioſiſſimus creſcit ad altitudinem trium & plus cubitorum, *foliis* noſtratibus longioribus, tenuioribus, colore rubro ſuffuſis, odoremque eximium ſpirantibus. Suavitate enim odoris noſtris omnibus præferendus merito videtur, ob quem illi hanc plantam *Ribau* appellarunt, quod idem eſt ac ſi dixeris odorem, ita ut hic *Ocimus* præ odoris jucunditate eximia, *odor* per excellentiam ab iis vocetur.

3. Ocimum *latifolium maculatum vel criſpum, C. B. P. & Prod. Baſilicum Indicum maculatum, Eyſt. Baſilicum Indicum, Cluſ. Hiſt. Caulem* ex *radice* non magna nec admodum fibroſa, attollit ſeſquipedem longum, quadratum, leviter piloſum, ex atro virore obſcure purpuraſcentem, qui rurſus juxta genicula ſua in aliquot adnatas virgas brachiatur, gerentes *folia* ſibi invicem correſpondentia, modice ſerrata, duos quandoque digitos lata, è longitudine ſubrotunda, ſucculenta, lævia, viridia, purpureis latis maculis ſuperne infecta, inferius ex atro colore purpuraſcentia. Summæ alæ in *ſpicam* excreſcunt atrorubentem, nempe ex *foliolis* atrorubentibus *verticilla floſculorum Ocimorum* ſpecie albicantium, & paulatim rubeſcentium, ſubinde fulcientibus, conflatam digeſtamque. *Semina* ſuccedunt nigricantia, ſubrotunda, parva, aliorum *Ocimorum* ritu, quæ tota planta odore exæquat. *Vid. icon. tab. æn.* 20.

4. Ocimum *maximum perenne utriuſque Indiæ foliis Atriplicis ingrati odoris graveolens, D. Pluk. Almageſt. Bot.* 268. *Tab.* 308. *Forte Paxavac vel Poxavac, Recchi.* 397. *Et Cattutirtava, Hort. Mal. Tom.* 10. *p.* 171. *Caules* quadrangulati, tenuiter piloſi, ſulco ſtriati, geniculati. *Folia* tum bina, tum quaterna, vel etiam ſolitaria conveniunt valde lata, rotundiola, nonnihil oblonga, margine ſerrata, tenuia, odoris valde fortis & grati, ſaporis acris. *Flores* albicantes & in petalo inciſo ex albo ſubvirides. *Stamina* illorum albicantia, quatuor, quorum apices ut & *ſtylus* bifurcatus etiam albicat. *Calyces* aliis majores ſunt & inflexi, in apice petali linguiformis nervo ſtriati. *Semina* rotunda, rubroſuſca, ad ſpadiceum vergentia. *Hort. Mal.* Forte etiam *Cottam, Hort. Mal. Tom.* 10. *p.* 153. *Et Soladi-Tirtava, Ejuſd. p.* 173. *Ocimis* adnumerentur; quæ plagis iſtis calidioribus per totum annum vigent & florent.

5. Ocimum *foliis fimbriatis viridibus, C. B. P. Criſpum viride, Eyſt.* Proceritate medio vulgatiori cedit; *foliis* vero ei non omnino diſpar eſt, viridibus nempe, & fimbriato ambitu criſpatis, *odorem* jucundum, & fere inter *Caryophyllatum* & *citratum* medium confuſius ſpirantibus. *Flores* albicant; *ſemina* & *radix* parvitate tantum diſcrepant. *Vid. icon. tab. æn.* 20.

Huc ſpectat varietas in *Cat. Horti Lugd. Bat.* memorata, *foliorum fimbriis ad Endiviam accedentibus.*

6. Ocimum *viride foliis bullatis, C. B. P. Ocimum Indicum majus foliis protuberantibus, Eyſt.* Marginibus inciſa ſunt *folia* latiora, ſubrotunda, viridia, in quorum ſuperficie bullæ ſeu protuberantiæ frequenter cernuntur.

E viriditate folia quandoque variant *maculata*, unde *Ocimum majus criſpum, profunde ſerratum, maculatum, oblonga ſpica, Icon. Pariſ.*

7. Ocimum *criſpum leviter ſerratum verrucoſum brevi congeſtaque ſpica, viride, Icon. Pariſ.* Planta hæc humilior *folia* prodit ſatis lata, in ambitu quoque dentata, frequenter concava, & contracta, viridia. *Spicæ* longæ loco (*verticillis* per intervalla diſtinctis) *flores* glomeratim, & capitulis rotundis, quaſi ictu fulminis percuſſis, aut pro inſectorum conceptaculis formatis, viridibus præditi naſcuntur.

8. Ocimum *criſpum profunde ſerratum verrucoſum brevi congeſtaque ſpica ſubrubens, Icon. Pariſ.* Tota planta ex fuſco colore rubens apparet. *Folia* antecedentis breviora, in latum expanſa, profundius ſunt dentata, *bullis* verruciſve in ſuperficie conſperſis. *Flores* in glomerulis rotundis denſius ſtipantur, ex purpureis rubeſcentes, quibus *ſemina* aliorum congenerum ſimilia ſuccedunt.

9. Ocimum *medium vulgatius, Adv. Lob. ſive Baſilicum, Eyſt. Ocimum vulgatius, C. B. P. Medium vulgatius, & nigrum, J. B.* Forma antedictis ſatis ſimile eſt, magnitudine tamen multo inferius, veluti etiam odore remiſſiore, cæteroquin *folia* gerit dilute viridia, *Mercurialis* ſimiliora, carnoſa; *floſculos* obſcure candicantes; *ſemen* ſubrotundum, parvum, nigricans, quod in pleriſque officinis obvium eſt. *Vid. icon tab. æn.* 20.

Tota planta ex fuſco nigricante colore tincta quandoque variat.

10. Ocimum *citri odore, C. B. P. Ocimum citratum, Geſ. Eyſt. Ocimum medium ſive citratum, Tab. Ger.* Amplitudine *foliorum* & *caulis* proceritate, vulgari ſuperius eſt, nec tamen multum diſſimile, odoris ſaltem nota peculiari, qui exacte *Mali medici Citrive* odori reſpondet, diſtinguendum. *V. icon. tab. æn.* 20.

11. Ocimum

11. Ocimum *Aniſi odore, C. B. P. Aniſatum, Eyſt.* Quoad figuram medio reſpondet vulgatiori, *odoris Aniſi* æmulum, quo ſolo à cognato genere alienum ſe exhibet.

12. Ocimum *garyophyllatum Monachorum ſive Acinos Columnæ, J. B. Acinos latifolia, C. B. P. Col. Park. Acinos urtichella olitoribus, Col. Folia* ſunt *Meliſſæ*, longiora tamen magiſque mucronata, nonnihil ſerrata. *Caulis* ſeſquicubitalis, aliquando altior, quadratus, piloſus, non hiſpidus tamen, ramoſus, colore viridi, quali ſunt & folia, quæ piloſa & plana petiolis longis inſidentia, & ad ſpatium trium digitorum, ex intervallis naſcuntur. *Flos* ei & *ſpica ſeminis* qualis eſt cæteris *Ocimis*. Quælibet ſpica habet quoſdam alios veluti adnatos ſpicarum *ramulos*. *Semen* ejus aliorum hujus familiæ minutius eſt & rotundius, ſubruſſum, nigricans. Tota planta præter *radicem* habet odorem & ſaporem acutiſſimum *Garyophyllorum*; *foliaque* linguam vellicant ad inſtar *Garyophylli*. Quo ſenior planta, eo odoratiora & acutiora ſunt ei folia. *Vid. icon. tab. æn.* 18.

13. Ocimum *Madraſpatanum fruteſcens gratiſſimi odoris flore parvo, cauliculis villoſis, D. Pluke. Phyt. An Ocimum fruteſcens perenne flore parvo, Breyn. Prod.* 2? Surrectis etiam *caulibus*, in brachia quædam diviſis aſſurgit. *Folia* ad ſingula genicula bina, *Ocimi vulgaris* haud multum abſimilia, petiolis quoque inſidentia, omnino, æque ac cauliculi, hirſutie pubeſcunt. *Flores* in ſpicis per intervalla diſpoſitis, a'iorum minores ſunt; quibus, & totius hirſutie, potiſſimum differt. *Cl. D.* Pluknetius *quærit an ſit* Xicoxihotl Recchi *in* Hiſt. Mex. *memoratum, cujus caules à geniculis in medio turgeſcunt. Item, an Ocimum perenne Zeylanicum fruteſcens folio Calaminthæ nonnihil ſimili, P. B. P?*

14. Ocimum *odoratiſſimum calycibus ad verticillos deorſum tendentibus petiolis brevioribus, è Madraſpatan. D. Pluke. Phyt.* Caules molli hirſutie tecti, *folia* vulgaris ſimilia, in ambitu dentata, emittunt. *Spicæ* aſſurgunt longæ, geniculis plurimis diſtinctæ, quibus, petiolis perbrevibus appenſi *calyces* (vaſculave floriſera) rotundi, ex ſingulo articulo plerumque quaterni, proveniunt. *Flos* ipſe nondum viſus eſt. An proprie dictum ſit *Ocimum* nobis non eſt compertum.

15. Ocimum *tricolor, Hort. Reg. Par. Foliorum florumque* variegatorum pulchritudo hanc ſpeciem ornat; ea vero *Amaranthi tricoloris* ad inſtar viridi cum mixtura purpurei luteique coloris inſigniuntur.

16. Ocimum *minus anguſtifolium foliis ſerratis, C. B P. Ocimum minus anguſtifolium flore albo, Eyſt.* Inter *Ocyma media* numeretur hæc ſpecies, quæ ad altitudinem & amplitudinem vulgaris attollitur; *folia* vero anguſtiora magis ſunt ſerrata. Floret ad eundem modum. Ad hoc ſpectat *Nala-Tirtava, Hort. Mal. Tom.* 10. *p.* 169.

17. Ocimum *minimum, C. B. P. Ocimum nanum vel pumilum, Eyſt. Ocimum parvum & Ocimum garyophyllatum, Lugd. Ocimum minimum Amaraci figura garyophyllatum, Lob. Folia* emittit *Serpylli* (in quod etiam *Ocima* degenerare *Theophraſtus* perhibet) ſeu potius *Amaraci*, in *cauliculis* ex una *radicula* fibrata, non palmaribus, & paullo ſuperius creberrimo ſtipatu inter ſe condenſatis, ac quaſi in conglomeratam orbis ſpeciem collectis. *Flores* parvi ſunt, reliquorum *Ocimorum* effigie, cum *Caryophyllis* aromaticis fragrantia & odoris jucunditate certantes. *Semina* familiam ſuam minutis granis fatentur. *V. icon. tab. æn.* 20.

18. Ocimum *minimum foliis ex purpura nigricantibus*; Et

19. Ocimum *minimum foliis ex viridi & nigro variegatis, Horti Regii Pariſienſis*, ſolo *colore foliorum* à proxime præcedenti diſcrimen admittunt.

Ocimi Vires.

Vires & uſus contemnit Sim. Paulli, *cujus odorem abominabilem (ut ait) ferre nequiverat; quamvis planta eſt ſuave olens & pleriſque valde grata. Non contemnendas virtutes* Baſilico *ſeu* Ocimo *tribuit* Ettmullerus. Folia (*inquit*) & ſemen *imprimis uſitata. Cephalica ſunt & ſtomachica; ſpiritus enim continent in ſe quaſi ardentes ex ſale volatili oleoſo; unde conveniunt capiti in vertigine, ſimilibuſque affectibus ſenilibus. Ad morſus animalium venenoſorum externo & interno uſu ſanandos laudantur.* Dodonæus *cum* Dioſc. ſemen *in melancholicis affectibus commendat; triſtitiam enim ab atra bile inductam expellit.*

Scorpiones Ocimo *delectari paſſim occurrit in libris Botanicis. Refert* Plinius *tritum ſi operiatur lapide Scorpionem gignere; videſis* l. 20. c. 22. Plinio *aſſentiri videtur* Helmontius; *dicit enim ex* Baſilico & *fracedine lapidis Scorpiones generari.* Helmont. de poteſt. medicam. *p. m.* 295. *Contuſum cum duobus lapidibus & menſis ſpatio ſolt expoſitum, Scorpiones producit; idque verum eſſe ait* Ettmull. *utpote à Præceptore ſuo* D. Michaele *expertum. Rem ergo attentius examinent Philoſophi, qui animalcula ſine præviis ſeminibus oriri negant.* Hollerius *adhuc majus miraculum narravit de quodam Italo, cui ex frequente odoratu* Baſilici, *Scorpio natus eſt in cerebro. Fides penes auctorem eſto: mihi quidem aliquatenus confirmare videtur fabulam de* Junone, *quæ citra congreſſum* Heben *peperit, quam* (*cum apud* Apollinem *conviva eſſet*) *ſolo* Lactucarum ſylveſtrium *eſu conceperat.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis laxius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XXXI.

Meliſſa.

MEliſſa *ab apibus, quæ* Μέλιτται *Græcis, dicta eſt.* Apiaſtrum *nuncupatur quod* apibus *ſit gratiſſima, & mirum in modum eis delectationem pariat.*

Meliſſa

Meliſſa vel *perennis* vel *annua* eſt. Perennis *folia* habet *Ocimi* ficciora, & duriora, ſubrotunda, odore *Citri* aut *Limoniæ mali* prædita; *annuæ* folia ſunt oblonga, anguſta, ſerrata; utraque *flores* galeatos verticillatim petiolis ſingularibus adnexos, profert.

TABULA XXVII. SECT. XI.

Meliſſa
- *perennis*
  1. *Vulgaris odore citri, J. B. Meliſſa hortenſis, C. B. P. Citrago, Geſn. Hort.*
  2. *Romana hirſutior. Hort. Reg. Bleſ.*
  3. *Fruticoſa Cretica Teucrii facie, flore albo, Nobis. Lamium fruticoſum non maculatum Creticum, Zanoni.*
- *annua*
  4. *Peregrina folio oblongo, C. B. P. Meliſſa Turcica, Dal. Lugd. Meliſſa Moldavica, Matth.*
     Variat floris colore cæruleo & albo.
  5. *Mexicana Urticæ folio, flore cæruleo, Matlaxochitl Recchi, Hiſt. Mex.* 384. *Forte Erva Cidreira Luſitanis dicta, Marcgrav. Meliſſæ ſpecies agreſtis, Piſ.* 242.

1. Meliſſa *vulgaris odore Citri, J. B. Meliſſa hortenſis, C. B. P. Citrago, Geſn. Hort. Meliſſa domeſtica, Trag. Apiaſtrum, Matth. & Meliſſophyllum. Radix* dura, fibrata, vivax eſt, & germinibus quamplurimis emiſſis ſe multiplicat, virgaſque quadratas geniculatas, brachiaque ex adverſo ſita, emittit; quibus *folia* rugoſa, vireſcentia, brevi hirſutie pubeſcentia, crenata, ſubrotunda, petiolis inſidentia, *Marrubii nigri* æmula, ſed ſuaviter *Citri* odorem ſpirantia, è regione adnaſcuntur, *Flores* ex alis foliorum minorum ſumma genicula occupantium, pallidi, albeſcentes, galeati plurimi, petiolis verticillatim adnexi, è vaſculo ſeu perianthio quinquifido emicantes, proveniunt. Iſtis in loculis *ſemina* ſubnaſcuntur exigua, angulosa, quaterna, ut in aliis congeneribus fieri amat. *V. icon. tab. æn.* 21.

Montibus & ſylvis aliiſque neglectis Allobrogicis & Italicis *ſponte provenit. In hortis frequens colitur. Julio & Auguſto menſibus floret.*

2. Meliſſa *Romana hirſutior, Hort. Reg. Bleſ.* Hæc *folia* profert vulgaris latiora, multoque hirſutiora, minuſque odorata. Quin & tota planta major eſt, ad ternos quaternoſve pedes aſſurgens. *V. icon. tab. æn.* 21.

A doctiſſimo & peritiſſimo Botanico D. D. Barillier Roma Bleſas *ſemina tranſmiſſa ſunt.*

3. Meliſſa *fruticoſa Cretica ſemper virens Teucrii facie, flore albo, Nobis. Lamium fruticoſum non maculatum Creticum, Zan.* In fruticem lignoſum, cubitalem & bicubitalem, cortice cinereo tectum, virgulis longis viridibus, geniculatis, adoleſcit; quas *folia* uncialis latitudinis, *Teucrii Meliſſæve* formam referentia, ſerrata, glabra, ſucculenta, viridia, & ſupina parte ſplendentia, pediculis inſidentia, binatim ad nodos per intervalla provenientia, conveſtiunt. Supremis caulibus geniculiſque, è foliorum alis exeunt *calyculi* ſubrotundi, breves, margine aperti, in quinque lacinias ad extremitates inciſi. Ex his autem menſibus Junio & Julio emergunt *flores* galeati albi, lineis purpuraſcentibus, intus (in labello præſertim) variegati, *petiolis Meliſſæ* in modum appenſi. E medio ſtamina aliquot apicibus incurvatis exeunt. Delapſo flore, reſtant in calyce *ſemina* nigra ſubrotunda & angulosa, uti in aliis.

E Batavia *primo recepimus; hyemem agre tolerat; pangendo incrementum fit.*

4. Meliſſa *peregrina folio oblongo, C. B. P. Meliſſa Turcica, Dal. Lugd. Ger. Meliſſa Moldavica, Matth. Turcica multis dicta, J. B.* Caulibus donatur, è *radice* annua, lignoſa, & parum fibrata, cubitalibus, quadratis, toroſis, obſcure rubeſcentibus, virgatis; in quibus *folia* anguſta, longis pediculis hærentia, & ſuaviter odorata, denticulata, viridia, & ſubtus foraminulis tantum non pertuſa, prona parte trifidis nervulis per longitudinem excurrentibus notata. *Flores* quibus ſubinde foliola anguſtiſſima in tenues & innoxios aculeos abeuntia interponuntur, in oblongis *ſpicis*, è loculis ſuperne trifidis, inferne vero bifidis, erumpunt, *Salviæ* effigie, eleganter cærulei. His *ſemen* ſuccreſcit, *Pſyllii* magnitudine, parvum, oblongum, ſubnigrum, in unguiculi extremitate *Meliſſæ* ritu albeſcens. *V. icon. tab. æn.* 21.

Caulibus viridibus & floribus nitidiſſimis albis variat.

5. Meliſſa *Mexicana Urticæ folio, flore cæruleo. Matlaxochitl Recchi, Hiſt. Mex.* 384. Planta eſt erecta ramoſa, *foliis Urticæ* folia referentibus donata. *Flores* ſpicatim, è *calycibus Hormini* ſimilibus, ſed petiolis donatis, cærulei ſunt galeati, præcedentis non diſſimiles. Forte *Meliſſæ ſpecies agreſtis Braſilienſium, Piſ.* 242. *Erva Cidreira Luſitanis dicta, Marcgrav.*

Meliſſæ Vires & Uſus.

Calefacit & modice exſiccat, attenuat, & incidit. Planta eſt cephalica, & cardiaca. Hinc in lipothymia & ſubitaneis virium proſtrationibus tantum non ſpecificum exiſtimatur. In apoplexia, epilepſia, cæteriſque frigidis cerebri affectibus, operationes vitales reſtituit. Memoriam augere creditur. Melancholicis & hypochondriacis triſtitiam abigit. In cordis palpitatione & in ſyncope magnopere laudatur.

Febrium malignitati reſiſtit: nam ex ſemine Meliſſæ *fiunt emulſiones, crebri uſus in febribus malignis, uti etiam in palpitatione cordis; in quibus affectibus parantur tales emulſiones cum aqua ſpirituoſa* Meliſſæ, *vel, quod melius, cum aqua deſtillata cordis cervi, quæ malignitati adverſatur, & alias in palpitatione cordis eſt arcanum remedium.* Ettm.

In cruditate ventriculi, & in anorexia ejuſdem fere virtutis eſt cum Mentha, *& vomitum pariter ſiſtit. In uterinis affectibus plurimum facit; menſes enim provocat interne vel externe adhibita; lochias etiam pellit, & uteri ſtrangulationi ſuccurrit.*

Ictus apum ac veſparum venenatos ſanat, vulnuſculo impoſita. Folia *cum vino pota, aut illita, contra ſcorpionum, phalangiorum, canumque morſus vim habere tradit* Dioſcorides.

PLANTÆ

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis laxius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XXXII.

Hedera terreſtris ſive Chamæciſſos.

HEdera terreſtris *dicitur, eo quod à terra ſe non attollat,* & Chamæciſſos *Græc.* χαμαίκισσος *id eſt humilis Hedera. Apud nonnullos audit* Chamæclema, *humilis Clematis, nam more Clematidis ſerpit.*

Hæc *caulibus* aliis reptatricibus, aliiſque floriferis erectis, quales in *Bugula* conſpiciuntur; *foliis* rotundis crenatis; *flore* galea bifida, reflexa donato, à cæteris dignoſcitur.

1. Hedera *terreſtris vulgaris, C. B. P. Chamæciſſus ſive Hedera terreſtris, J. B. Trag. Fuchſ. Chamæclema, Cord. Hiſt. Humilis Hedera & Corona terræ, Lob.* A terra plerumque non attollitur; vicina non petit adminicula, ſed multis incertæ longitudinis, tenuibus, viticuloſis, aliquantulum anguloſis, geniculatis, & quandoque ſubrubentibus *cauliculis* reptat, hac illac ſeſe diffundens, & è geniculis *fibras* agens. *Folia* ejus non magna ſunt, ſed lata, rotundiuſcula, corrugata, hirſuta, marginibus ſerrata, è ſingulis nodis bina, pediculis longis inſidentia. Vernali tempore alii eriguntur *caules* quadrati, dodrantales, conſimilibus foliis veſtiti, è quorum ſinubus *flores* verticillatim prodeunt longi, tubuloſi, cærulei, galea bifida, reflexa donati; quibus ſuccedunt *ſemina* oblonga, quaterna, in *calycibus* longis, & ſtriatis contenta; quibuſque matureſcentibus, *caulis* erectus marceſcit, alioſque per terram ſtratos, cum foliis, menſibus ſuccedentibus, relinquit. *Vid. icon. tab. æn.* 21.

Locis incultis, pariter ac umbroſis, ad ſepes, dumeta & pomaria frequens occurrit. Aprili menſe floret. In Madera *Inſula invenitur.*

Reperitur etiam *floribus albis,* ſed rarius.

Major & *minor* a quibuſdam habetur, ſed hæc diſcrepantia ſolo & cœlo debita eſſe exiſtimatur.

2. Hedera *terreſtris montana, C. B. P. Camerarius* hanc quaſi diſtinctam ſpeciem exprimit, hirſutioribus & majoribus *foliis, floribuſque* qui purpuraſcunt. *Vid. icon. tab. æn.* 21.

Annotatio.

Hedera *ſaxatilis magno flore, C. B. P. Aſarina ſterilis Lob. Obſ. Aſarina Lobelii, flore Hederæ terreſtris.*

Notandum eſt quod plantæ hac Sectione hactenus contentæ non flores galeatos. *ſed* ſemina quaterna poſt quemlibet florem evanidum *poſſident: hæc* foliis & floribus (*partibus accidentalibus*) Hederæ *jam dictæ* terreſtri *ſatis convenit*; capſulæ *vero* ſeminales *rotundæ, cum ſtylo in medio nutritivo, plurima ſemina continent. Quare ad* Euphraſiam, Pedicularem, *aliaſque poſt flores galeatos plurima etiam ſemina proferentes retulerim.* V. icon. tab. æn. 21.

Temperamentum & Vires.

Qualitatem calidam & ſiccam indicat ſapor ejus amarus ac acris, qui tamen non admodum amarus aut acris. Quamvis herba eſt vulgatiſſima ubique ad aggeres & in umbroſis reptans, virtutibus tamen paucis cedit. Facultatis eſt valde apertivæ & abſterſoriæ; hinc viſcera & meatus quoſcunque ab obſtructionibus liberat. Phthiſicis, tuſſientibus, necnon icthericis, & calculoſis prodeſt.

In calculo renum ſimplex pulvis cum ſacchari dimidio præparatus, & cum aqua ejuſdem Hederæ, *cui ſp. vini quarta vel ſexta pars eſt affuſa, propinatus, omnem fere fidem ſuperat, quam præclare eum atterat.* S. Paulli.

Ad colicos dolores in clyſteribus exhibita amovendos conducit. Diuretica eſt & in urina ſuppreſſa plurimum valet; nec eſt in menſibus retentis inefficax.

Remedium eſt internum & externum in hydrope anaſarca. Succus ejus mixtus cum ſucco Plantaginis propinatur ad dyſenteriam curandam, in Remed. collectaneis D. Boylii. Decoctum *in mictura cruenta inſignes obtinet uſus, & tam preſervative quam curative exhibetur. Eſt enim planta vulneraria, & ulceribus mundandis ſanandiſque, præcipue vero internis, accommoda. Hinc in phthiſi cum ulcere pulmonum, in pleuritide, empyemate,* &c. *plurimum celebratur à* Cl. Ettmullero.

Inſigne eſt vulnerarium pectorale in pleuritide ſuppurata, empyemate, omnibus pectoris affectibus mire ſuccurrens, non ſecus ac quoque in hæmoptyſi, tam à cauſa externa, quam ab interna nata. Ettmull. in Com. Ludov.

Hedera terreſtris *in ſputo ſanguinis eſt mirabilis: nam conſolidat rupta, conſolidat exeſa, & ſimul diſſolvit congrumata.* Idem in praxi.

In caſu ab alto, & ſanguine imprimis congrumato, indeque orta difficili reſpiratione, confugimus ad hanc Hederam, *tanquam ad ſacram anchoram, quæ nunquam nos deſeret.* Idem *in* Schrod. diluc.

Succus *hujus plantæ naribus attractus cephalagiam etiam vehementiſſimam & inveteratam non lenit tantum, ſed penitus aufert.* D. Raius in Hiſt.

Suffitus *herbæ virentis per aliquot dies, & bis in die, exceptus cephalagiam ſimiliter tollit; quod* Cl. Mayernio *innotuit ex praxi* D. Ashworth; *atque idem confirmatum habuit à Doctore* Bate. *Fumus autem iſte debet excipi hiante ore, herba in prunas conjecta, quæ videtur habere aliquid reſinoſi. Tegumentis ad fumum continendum totum caput velandum eſt.* Prax. Mayern. Tom. 1. *Commendatur ad tinnitus aurium, ſi coctæ vapor per infundibulum in aures exhalet.* S. Paulli.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis rarius ſeu paucioribus per intervalla diſpoſitis, petiolis ramoſis ſeu diviſis, donatæ.

CAPUT XXXIII.

Roſmarinus.

ROſmarinus *dicitur quia ejus flos* rore *madidus ſemper apparet, & color aquæ* marinæ *ſimilis videtur. Vel quod* folia *qua parte minus viridia ſunt, quandoque albedine quadam aſpergantur, quæ* rorem *videtur mentiri; & albedo aliquando etiam in parte viridiore obſervetur.*

Roſmarinus eſt planta ligneſcens, odorata, *floribus galeatis* cinereis, petiolis ramoſis inſidentibus; *foliis* anguſtis altrinſecus viridibus, è contra è cinereo colore candicantibus, prædita.

TABULA XXVIII. SECTIONIS XI.

Roſmarinus
1. *Hortenſis anguſtiore folio, C. B. P. Roſmarinum coronarium, Matth.*
   Variat foliis auratis, unde Roſmarinum ſtriatum ſive aureum, Park.
   Etiam apicibus foliorum auratis. Et
   Roſmarinus hortenſis anguſtiore folio argenteus, Hort. Reg. Par.
2. *Latiore folio, C. B. P. Sylveſtris ſeu major, Cord.*
3. *Stœchadis facie, Proſp. Alp. Stœchas Roriſmarini facie Cretica, Park.*

1. Roſmarinus *hortenſis anguſtiore folio, C. B. P. Roſmarinum coronarium, Matth. Eyſt. Ger. Dod. Lob. Caſ. Cam. Roſmarinus coronarius fruticoſus, J. B. Libanotis coronaria ſive Roſmarinum vulgare, Park.* Caulibus fruticat craſſis, ſcabris, ſubcinereis, geniculatis, à quibus oriuntur *ramuli* firmi, æque ac *caules* lignoſi, tenues, obſepti crebris *foliis*, ſeſcunciam circiter longis, culmi latitudinem aſſequentibus, *Stœchadis Arabicæ* majoribus, durioribus, ſupina parte nigroviridibus, prona candicantibus, odorem & ſaporem aromaticum effundentibus, ex ordinato ſitu procedentibus. Ex horum ſupremis *alis* prodeunt petioli longiuſculi, nunc ſimplices, nunc bini, qui in alios diviſi & ramificati ſunt. Hi *calyces* breves, plerumque bifidos ſuſtinent, è quibus *flores* ex cæruleo albidi, ſtriati, *galea* bifida erecta, apicibus ſuſtenta, labroque concavo, guttato donati, emicant. Iſtis deciduis ſequuntur *ſemina* puſilla, oblonga, umbilico tenui, albicante, ad fuſcum colorem inclinantia; unde non facile prodit planta, aut ſi prodierit, difficulter enaſcitur; ſecus atque è ramulis terræ impactis. *Radix* lignoſa, multifida, nigricat. *V. icon. tab. æn. 16.*

Variat *foliis* nunc *brevioribus, obtuſioribus & durioribus*; nunc *foliis longis anguſtioribus, & ramulis longioribus erectioribus.*

Hortorum ornamento aluntur aliæ varietates; (viz.) *foliis è viridi & aureo mixtis*, unde *Roſmarinum ſtriatum ſive aureum, Park.* Altera datur *Foliis tenuioribus, apicibus foliorum aureo colore tinctis*, Et

Roſmarinus hortenſis anguſtiore folio argenteus. Hort. Reg. Pariſ.

Roſmarinus primis æſtivalibus menſibus floret. Colles Hiſpanici, Italici, & Narbonenſibus *vicini ea ſponte affatim ornantur, & tanta copia, ut in alto mari navigantes procul à littore, ad multarum leucarum diſtantiam odorem ejus percipiant, etiam antequam terram videant.*

2. Roſmarinus *hortenſis latiore folio, Nobis. Roſmarinum latifolium, Park. Roſmarinus ſponteneus latiori folio, C. B. P. Roſmarinus coronarius fruticoſ. ignobilior, J. B.* qui circa *Monſpelium* ſpontaneum eſſe perhibet; *D. Magnol* alteram prædictam ſpeciem eſſe, inibi fœcunde repertam aſſerit. Hæc ſpecies in omnibus major apparet; præſertim *foliis* quæ duplam latitudinem obtinent, & obtuſiora evadunt, viridiorique aſpectu donantur. *V. icon. tab. æn. 16.*

3. Roſmarinus *Stœchadis facie, Proſp. Alp. de Exot. Stœchas Roriſmarini facie Cretica, Park.* E ſeminibus *Creticis P. Alpino* miſſis iſthæc ſpecies nata eſt. Ab una *radice* lignoſa in multas diviſa, emittit *caulem* in alios diviſum, è quibus alii ſurculi parvi, recti exeunt. *Surculi* jam dicti *foliis* veſtiuntur longis, tenuibus, in acutum deſinentibus, ſurculis abſque petiolis inhærentibus, odoratis, *Stœchadis* maxime ſimilibus. Tota planta *Stœchadi* ita ſimilis videtur, ut omnes *Stœchadem* eſſe dicerent; *flores* vero in ſummitatibus inter folia emicant ſinguli, ex foliis ſingulis exeuntes, parvi, & magnitudine & figura & colore floribus *Roriſmarini coronarii* ſimiles, à ſuis petiolis pendentes. His defloreſcentibus ſuccedit ſingulis theca parva rotunda, piperis

piperis magnitudine, ſubinde & minor, ex viridi colore albicans, intus minuta *ſemina* continens. Tota hæc planta obſcurum reſpirat odorem, foliorum *Stœchadis* proximum; ſapore vero adſtringit, aliquantulum amareſcens cum obſcura caliditate. *P. Alp.* *Vid. icon. tab. æn.* 16.

Temperamentum & Vires.

Excalefactoria cum reſiccanti vi præditus eſt; incidit & ſubaſtringit; ſudorem elicit. Celeberrimum eſt cephalicum, necnon uterinum.

Inſignes uſus obtinet in apoplexia, epilepſia, in incubo, ſtupore, paralyſi, & nervorum reſolutione; memoriæ confert; valet in Catarrho, & Coryza, ejuſque vel fumus ore vel naribus exceptus prodeſt. Ventriculum & inteſtina roborat; ictero medetur, auctore Dioſc. *ſi ante exercitationem in decocto bibatur; exercitatus autem ager balneum ingrediatur & merum potet. Singularis uſus eſt in fluore albo; ſolo hujus decocto fœminas reſtituit* Lindanus. *In ſterilitate convenit, necnon in fœtu roborando, & abortu præcavendo.*

Folia *minutim conciſa, & in faſcia linea vel ſerica conſuta, valent contra ſpaſmum, ſi periſcelidis modo gerantur, cutem proxime alligata.* D. Boyle in Remed. collectaneis.

Oleum *chymice præparatum (præmiſſis univerſalibus) ad guttas* IV. *vel* V. *in aqua* Fumariæ, Card. benedict. *vel quolibet idoneo vehiculo exhibitum, paullo ante paroxyſmum, exquiſite curat tertianas, quod factum* Pariſiis *à Medico quem nomine vocat* Monſieur St. Jacques, *vidit & obſervavit* Sim. Paulli *in Noſocomio dicto* Charitatis.

Uſurpantur & folia & flores (Anthi *in officinis dicti*) *& ex his ſolis, ſp. vini infuſis, & l. a. deſtillatis, fit Aqua ſeu Spiritus Reginæ* Hungariæ, *non modo cephalicis & nervorum affectibus conveniens, ſed ad dolores externos ſedandos efficax.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis rarius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XXXIV.

Satureia.

SAtureia *dicitur quaſi* Saporeia, *à ſapore, quoniam eduliis admixta, gratum conciliat* ſaporem. *Aliis vero à ſaturando, quod cibis loco condimenti addatur.* Græcis Thymbra *dicta eſt, forte* ἀπὸ τῦ θύειν, *ob fragrantiam.*

Satureia eſt planta aromatica, odore vehementiore & acutiore, floribus galeatis, foliis per intervalla intermiſtis, rariuſque diſpoſitis.

TABULA XXIX. SECT. XI.

- *Satureia*
  - *annua*
    1. *Cunila dicta vulgaris, Nobis. Satureia hortenſis, ſive Cunila ſativa, C. B. P. Satureia hortenſis æſtiva, Ger.*
    2. *Orientalis tenuior, ad ſingulos nodos florifera.*
  - *perennis*
    3. *Hortenſis vulgaris, Nobis. Satureia montana, C. B. P. Thymbra, Dod. Tab. Eyſt.*
    4. *Verticillis ſpicatim & denſius diſpoſitis, Nobis. Satureia ſpicata, C. B. P. Thymbra Sancti Juliani, ſive Satureia vera, Adv. Lob.*
    5. *Cretica tenuifolia, Nobis. Thymbra Cretenſibus, Alpini.*
    6. *Cretica latiore folio, Nobis. Thymbra legitima, Cluſ. Hiſt. Thymbra legitima, Dioſc. Ponæ.*

1. Satureia *annua Cunila dicta vulgaris, Nobis. Satureia hortenſis, ſive Cunila ſativa Plinii, C. B. P. Satureia hortenſis æſtiva, Ger. Satureia domeſtica, Eyſt. Satureia ſativa, J. B.* E *radice* fibroſa, inutili & annua, oritur *caulis* plus minus pedem altus, fractu facilis, ex anguloſo rotundus, in brachia fiſſus, ex fuſco colore nigricans, *foliis* anguſtis, crebris, per intervalla binis, ad Hyſſopi folia proxime accedentibus, & guſtu mordacibus, veſtitus. *Flores* ſecundum foliorum ſinus, ſpicatim naſcuntur, *Roriſmarini* æmuli, è purpureo colore albicantes, & poſtmodum ſuccedentia his *ſemina* puſilla, rotunda, nigricantia, utriculis condita. *Vid. icon. tab. æn.* 17.

2. Satureia *annua Orientalis tenuior, ad ſingulos nodos florifera.* Huic *radix* longa, tenuis, & dura eſt. E ſumma tellure *cauliculi* tenuiores, palmares & dodrantales, raro ramoſi aſſurgunt; è quibus per intervalla uncialia, (plus minus) bina è regione proveniunt *folia* anguſta, *Satureiæ vulgaris perennis* æmula, acuminata, viridia. Ex horum ſinubus, ab imo pene uſque ad ſummum, petioli tenuiſſimi, pauci, in tres quatuorve diviſi, provenientes, capſulas *Thymi* tenuiores ſuſtinent; è quibus *floſculi* conniventes, minimi, purpuraſcentes exeunt. His cito marceſcentibus, *ſemina* minimæ, rotunda, fuſca, ſuccedunt; quibus, radice pereunte, renovatur.

Ex Aleppo *à Reverendo viro D. D.* Huntington, *tranſmiſſa eſt.*

3. Satureia *perennis hortenſis vulgaris, Nobis. Satureia montana, C. B. P. Satureia hortenſis, Lob. Satureia durior, J. B. Thymbra, Dod.* Tota facie primæ conſimilis eſt, niſi quod *foliis* ſit durioribus & rigidioribus; *radiculis*

radiculis duris, lignosis, majoribus, & perennibus. *Flosculi* foliis crebro interpositi, petiolis paucis divisis, *vasculis* tenuibus insidentes, galeati, ex albis modice purpurascunt. *Semina* rotunda, *æstiva* minora sunt. *Radix* mutifidis capillamentis perennat. *V. icon. tab. æn.* 17.

4. Satureia *perennis verticillis spicatim & densius dispositis, Nobis. Satureia spicata, C. B. P. Thymbra Sancti Juliani sive Satureia vera, Adv. Lob. Satureia foliis tenuibus sive tenuifolia Sancti Juliani quorundam, J. B. Virgultis* exilibus palmum altis, erectis, rigidis, & lignosis; *foliis* ab imo crebris *Thymi Cretici* similibus, sed angustioribus, longiusculis erigitur. *Verticilla* rigidula & erecta, crebrius disposita, è singulis quoque geniculis abeuntia, *spicam* quasi porrectam constituunt, *floscu*liſque copiosis *Thymi* minoribus intertexuntur. Tota planta ex obsoleta purpura albicat, gustuque & odore acribus donatur. *V. icon. tab. æn.* 17.

In Tyrrheni *maris asperis & salebrosis* S. Juliani *apud* Hetruscos *magno proventu oritur, aspectu perquam elegans hæc herbula.*

5. Satureia *Cretica tenuifolia, Nobis. Thymbra Cretensibus, Alpini de Exot.* Crescit in asperis locis planta hæc *Thymo* similis, sed ramulis *Thymi* gracilioribus, minoribus, atque tenerioribus, qui utrinque habent surculos graciles, non ex oppositio positos, oblique actos; *foliis Thymi* sed tenuioribus & mollioribus, herbosi coloris virescentis, multis ex oppositio invicem caules teneros ambientibus. *Cauliculi* in summitate ferunt *flosculos* purpurascentes, inter *foliola*, spicarum in modum nascentes. *Thymo* hæc stirps similis est, sed minus procera, ideoque longe, ramulis fere in orbem expansis, latior ac ad terram depressior. Tota est odorata, ad *Thymi* odorem quadantenus inclinans, nec minus acri sapore *Thymum* itidem simulat. Radice exili, longa, tenui nititur.

6. Satureia *Cretica latiore folio, Nobis. Thymbra legitima Clus. Hist. C. B. in Satureia Cretica synonymis* hanc cum præcedente confundit. Multis ea ramis statim à *radice* fruticat, *Thymi* instar quadrangulis, subaspera lanugine obductis, purpurascentibus, *foliis* eadem serie onustis, *Thymi* genuini foliis pene similibus, subhirsutis, odoratis, medii quodammodo inter *Cunilam* & *Thymum* odoris, acriusculique saporis. Summos ramos verticillatim ambiunt aliquot *capitula*, multis *foliolis* constantia; inter quæ *cauliculi*, è quibus emergunt suaviter purpurascentes *flosculi Thymi* flosculis similes. *Radix* dura & lignosa. *Clus. Vid. icon. tab. æn.* 17.

Ab Honorio Bello *medico, è* Creta *ad* Clusium *transmissa est.*

Satureiæ Vires & Usus.

Satureia *attenuat; aperit; discutit; & cruditates ventriculi corrigit. Planta culinariis & bene odorata. Quoad medicos usus, cum* Thymo & Serpyllo *convenire dicitur. Ventriculo confert; in tussi & asthmate multum laudatur; menses & urinas ciet,* &c.

Extra discutit tumores; dolores aurium sedat; pulices necat, &c.

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis rarius per intervalla dispositis.

CAPUT XXXV.

Calamintha.

CAlamintha *dicitur, quasi* bona & utilis Mentha, *nam* καλὸς *pulcher, bonus, & utilis exponitur;* μίνθος *vero est lanugo, muscosave pubes in humentibus & putrescentibus rebus nata; hinc* Calamintha, *id est lanugo pulchra & odorata.*

Calaminthæ subrotunda sunt folia *Origani* similia, *Mentastri* odore; *flores* galeati, petiolis ramosis sparsi.

TABULA XXX. SECT. XI.

Calamintha
- *magno flore*
  1. *Præstantior, Adv. Lob. Montana magno flore, C. B. P.*
  2. *Odore Pulegii, Nobis. Calamintha flore magno vulgaris, J. B.*
- *parvo flore*
  3. *Vulgaris sive officinarum Germaniæ, C. B. P. Calamintha montana vulgaris, Tab.*
  4. *Cretica foliis acutioribus, Pulegii odore, Nobis. Calamintha incana Otini foliis, C. B. P. Clinopodium Pulegii odore, ex Hort. Pat.*
  5. *Odore Pulegii, J. B. Calamintha odore Pulegii sive Nepeta, C. B. P.*
  6. *Montana incana minor, Tab. 66.*
  7. *Erecta Virginiana mucronato folio glabro; Pulegium Virginianum quibusdam.*

1. Calamintha *magno flore, C. B. P. Calamintha montana præstantior, Adv. Lob. Tab. Eyst. Calamintha flore magno ex calyce longo, J. B.* Ad Theriacam mysticam, ab Herbariorum callentissimis commendatur, atque hinc è montibus *Etruriæ* aliisque quibus familiaris, non tantum hac de causa, verum elegantiæ & pulchritudinis ergo, merito in hortos cultiores receptam constat. *Caules* erigit à *radice* surculosa, & in novos turiones subinde diffusa, plures, quadratos, pedales, quorum geniculis singulis bina *folia* viridia, uncialia, & ad

& ad ovalem figuram accedentia, in ambitu crenata, longo pediculorum annexu adhærent. *Flores* prope foliorum ſinus, ſimul ac ſummis virgis emittuntur, ex oblongis *calyculis* longi, tubuloſi, in quaterna ſegmenta in ore diviſi, purpurei, petiolis longis inſidentes; quibus *ſemina* ſuccedunt parva, fuſca, rotunda. Tota planta non ſine ſuavitate grate olens eſt. Variat *flore albo, Hort. Reg. Pariſ.*

2. Calamintha *magno flore, odore Pulegii, Nobis. An Calamintha flore magno vulgaris, J. B.*? Præcedentem caulium altitudine vix æquat; quos *radix* æque reſtibilis extollit. *Folia* ei indiſcriminatim adhærent, ſuperioris *Calaminthæ* conformia, nonnihil vero minora, *odorem* gratum *Pulegii* ſpirantia. *Flores* pariter ſummis virgis atque foliorum alis ſuſtinentur minores, purpurorubentes, longi, tubuloſi, conjunctim ramoſis pediculis appenſi. *Semina* paullulum minora profert. *V. icon. tab. æn.* 21.

In herbidis montoſis & collibus Genevenſibus, & Monſpelienſibus *altiſque provenit. In hortos tranſlata feliciter adoleſcit.*

3. Calamintha *montana vulgaris, Tab. Ger. Lob. Eyſt. Calamintha vulg. vel officinarum Germaniæ, C. B. P. Calamintha vulgaris, Park. Vulgaris officinarum, Ger.* Huic *radix* fibrata, vivax; *foliaque* è ſtolonibus emergentia, per totam hyemem vigent. Plurimos emittit *caules* quadrangulares, dodrantales, ramulis oppoſitis donatos. Iſtis adnaſcuntur *folia* ſubrotunda, *Origani* paria, unguis humani latitudine, viridia, lanugine pubeſcentia, rarius crenata, *odorem* gravem non injucundum ſpirantia, pediculis uncialibus inſidentia. *Flores* galeati, parvi, ex albis purpuraſcentes, petiolis diviſis, rariuſque diſpoſitis, ſparſi, ſupremos caules, ad foliorum exortum, ornant. *V. icon. tab. æn.* 21.

Locis montoſis, glareoſis, ſiccioribus, & tumulorum aggeribus, ad vias, plurimis Angliæ *locis naſcitur. Julio menſe floret, & Auguſto ſemen parvum, rotundum, fuſcum, perficit.*

4. Calamintha *Cretica parvo flore, acutioribus foliis, odore Pulegii, Nobis. Calamintha incana Ocimi folio, C. B. P. Montana vulgaris, Ger. Cretica, Cam. Clinopodium Pulegii odore, ex Hort. Pat.* In horto quodam ſicco, ex *Horto Patavino* collecto occurrit hæc planta, cujus folia ad *Majoranæ* accedentia, mucronata tamen, modiceque crenata, præcedentis minora, ſed ſuccedentis ampliora, *odore Pulegii* prædita, ordinatim naſcuntur. *Flores* parvi, longioribus cauliculis inſidentes, aliarum congenerum floribus non ſunt diſſimiles. *V. icon. tab. æn.* 21.

5. Calamintha *flore minore, odore Pulegii, J. B. Calamintha odore Pulegii ſive Nepeta, C. B. P. Calamintha altera odore gravi Pulegii, foliis maculatis, Adv. Lob. Arvenſis* 2. *Tab.* Altioribus *cauliculis* tenuioribus, villoſis, geniculatis, longioribuſque intervallis interceptis, breviores alas emittentibus, aſſurgit; quibus *folia* minora, lata baſi ad triangularem formam accedentia, modice villoſa, rarius denticulata, *odore* ad *Pulegium* potius quam ad *Menthan* inclinantia, ex oppoſito inhærent. *Flores* itidem petiolis longiuſculis, frequenter binis, diviſis, hærentes, & è propriis *calycibus* parvis provenientes, tubuloſi, ex cæruleo colore purpuraſcentes, (interdum etiam albi) *labello* trifido præditi ſunt. *Semina* (ut in aliis fit) in *calycibus* oblongis, ſtriatis, contenta, quaterna, exigua, ſunt ſubrotunda. *V. icon. tab. æn.* 19.

Menſibus Auguſto & Septembri, ut plurimum, locis arenoſis, montoſis & ſterilioribus, ad vias ac ſemitas, floret.

6. Calamintha *montana incana minor, Tab.* 66. *Forte Calamintha montana Acini ſeu Serpylli foliis, Raii. Et vulgaris flore exiguo, C. B. P.* Inter plantas à *D. D. Sherard* collectas ſervatur. *Caules* erecti, dodrantales & pedales, vix ramoſi, *foliis* exiguis, *Acini vulgaris* ſimilibus, ex viridi colore, præſertim prona parte, albeſcentibus, ex oppoſito naſcentibus, amicti ſunt. E ſupremis geniculis petiolos unciales protrudit, è quibus alii breves petioli (quam in aliis ſpeciebus copioſiores) *calyculos* plurimos, minutiſſimos, & ex iis *flores* minores galeatos, & qui ex albis purpuraſcunt, ſuſtinentes, ſparguntur.

7. Calamintha *erecta Virginiana mucronato folio glabro, Pulegium Virginianum quibuſdam, aliis Dictamnus Virginianus, dicta.* E *radice* dura, fibris plurimis capillata, *caulibus* lignoſis, erectis, glabris, è rotundis quadratis, geniculatis, pedalibus conſtans, quaſi fruticat. Juxta genicula, in oppoſitas adnatas, longas virgas, graciles (& hæ quandoque in alias) brachiatur. *Folia* ex intervallis ſibi invicem reſpondentia, ſeſſilia, ſemunciam plus minus lata, ex ſubrotundo principio in mucronem abeuntia, raris crenis denticulata, glabra. In virgarum ſummitatibus, & ad ſuprema genicula, *flores* parvi plurimi, *Calamintharum* ſpecie, petiolis parvis naſcentes, proferuntur. His de cauſis hunc locum ſibi non injuria vendicare hanc plantam judicavimus. Tota planta odorem & ſaporem aromaticum, *Menthæ Pulegiive* gratiorem ſuffundit. *Vid. icon. tab. æn.* 19.

Munificentia D. Willis *Chiliarchi* Virginienſis *primum comparavimus,*

Calaminthæ Vires & Uſus.

Calefaciente & exſiccante vi (quali & Mentha *) pollet; attenuat; incidit; aperit; exterget. Commendatur autem à* Matthiolo *ad omnia pectoris & ventriculi mala. Inſigne ſtomachicum exiſtimatur, ſicut* Mentha; *valetque in Cholera, & in colicis doloribus. Orthopnoicis ac aſthmaticis prodeſt; hepar quoque obſtructum liberat, & expurgat; inde ictericis ſubvenit. Egregium habetur diureticum, & in menſibus ciendis efficax; fœtum quoque ac ſecundinas pellit. Ruptis conducit; ſugillationes tollit; venenis reſiſtit. Quinetiam ad plura facit,* Dioſcoride & Galeno *auctoribus, quos conſulas.*

PLANTÆ GALEATÆ

Verticillis rarius per intervalla diſpoſitis.

CAPUT XXXVI.

Nepeta *ſive* Cataria.

NEpeta *nuncupatur, forte à loco natali, nempe à* Nepeta *civitate* Etruriæ, *cujus ſolo copioſiſſime creſcit.* *Cataria*, Cattaria, & Herba felis à Catis *ſive felibus nomen traxit; nam odoris voluptate capti, cum primum illam olfecerint, miris geſticulationibus, laſciviendo & colludendo ſeſe affricant & illam amplexantur.*

Ad Menthæ familiam, plurimi (floreſcendi modum ſuſque deque habentes) retulerunt: odore tamen eſt *Menthæ* graviore, ad Calaminthæ odorem accedente; *foliis* profundius dentatis, incanis, latioribus; floribus rarius in ſummo diſpoſitis, è communi pediculo in minores ſparſis, prædita; & proinde congeneribus adjungere nobis viſum eſt.

TABULA XXXI. SECT. XI.

Nepeta
- *Europea*
  1. *Sive Cattaria vulgaris & major, C. B. P. Mentha cattaria, J. B. Herba felis, Lugd.*
  2. *Sive Cattaria media, Park. Cattaria anguſtifolia minor, C. B. P. 3. Prod.*
  3. *Sive Cattaria minor Alpina, C. B. P. Nepetella, Eyſt.*
  4. *Sive Cattaria latifolia, C. B. P. Mentha Cataria Hiſpanica, olim Sideritis altiſſima flo. ſubcæruleo & albo, J. B.*
  5. *Sive Cattaria major anguſtifolia, C. B. P. Mentha Cattaria Hiſpanica anguſtioribus foliis, J. B.*
  6. *Pannonica major & elatior, Nobis. Mentaſtrum montanum Pannonicum, Cluſ. Hiſt. Mentha montana verticillata, C. B. P.*
- *Exotica*
  7. *Indica rotundiore folio, Katukurka, Hort. Mal.*
  8. *Indica ſylveſtris flo. purpureo ſpicato, Hort. Mal.*
  9. *Malabarica folio latiore, flore ex cæruleo albo, Carimtumba, Hort. Mal. Tom. 10. 93.*

1. Nepeta *ſive Mentha cattaria vulgaris & major, C. B. P. Mentha Cattaria, J. B. Herba felis, Lugd. Cattaria herba, Dod. Calaminthæ 1. genus Fuchſ. Thal. Folia* prodeunt ortu oppoſito, in *caule* ſeſquicubitali, ramoſo, per intervalla, *Meliſſæ* aut *Urticæ* ſpecie, ſed mollia, latiuſcula, incana, & ambitu denticulata, *odoris* acuti non injucundi, ad *Mentaſtri* odorem tendentis. *Flores* juxta foliorum ſinus, albi, galeati, barbula dentata donati, petiolis diviſis adhærentes, ac cauliculorum faſtigia ambientes, eminent. *Semina* ſequuntur in minutis florum *calyculis* nigra, *Apiaſtri* minora. *Radices* ſubſunt fibroſæ, multifidæ, vivaces.

Secus aggeres, ſcrobes, vias, & ſepes, non raro occurrit. Per totam fere æſtatem floret.

2. Nepeta *ſive Cattaria media, Park. Mentha Cattaria minor, C. B. P. & Prod. Caulem* habet cubitalem, quadrangulum, geniculatum, in multos ramos, & hos in alios, diviſum; quos *folia* oblonga acuminata, in profundas crenas veluti lacinias diviſa, odore quam in vulgari vehementiore quidem ſed ſuaviore cingunt. Ramulorum extremitatibus *flores* pallidi, vulgaris forma inſident, quibus *calyces* exigui, *ſemen* nigrum ſubrotundum continentes ſuccedunt.

3. Nepeta *ſive Mentha cattaria minor Alpina, C. B. P. & Prod. Nepetella, Eyſt.* Hæc *caule* eſt pedali, anguloſo, rufeſcente, & ramoſo; *foliis* proxime prioris quadruplo minoribus, *Nepetæ vulgaris* forma reſpondentibus, quaſi triangulis, ſubcanis, ſerratis; *floribus* pallidis, galericulatis, veluti in *ſpica* diſpoſitis, & prioris ſimilibus.

In montoſis circa Neapolin Italiæ *provenit.*

E ſemine hujus plantæ in horto ſato gradus magnitudinis varii oriuntur, unde hæ duæ jam nominatæ & *Cattaria tenuifolia Cluſii* non ſpecifice à ſe invicem diffidere putantur; ſed vulgaris amplitudinem nunquam aſſequuntur.

4. Nepeta *ſive Mentha cattaria latifolia, C. B. P. Mentha cattaria Hiſpanica, olim Sideritis altiſſima flore ſubcæruleo & albo, J. B.* Multis rectis aſſurgit *caulibus* quadratis, canaliculatis, fungoſa medulla farctis, ſubinde inanibus, glabris, cubitos tres altis, & majoribus, multis alis concavis in ramos ſibi oppoſitos, diviſis. *Folia Mentaſtri* vel *Nepetæ vulgaris*, ſed longiora, pollice latiora, glabra, ſuperne atrovirentia, inferne magis candicantia, rugoſa, in ambitu ſerrata, odore gravi, ad genicula, ex adverſo naſcuntur. Ex pediculis duobus, *flores verticillis* crebris *ſpicam* quodammodo æmulantur, colore carneo, intuſque punctis ſaturate rubentibus guttati. *Sapor* foliorum ingratus. Summitates purpuraſcunt, *J. B.*

5. Nepeta *ſive Mentha Cattaria anguſtifolia major, C. B. P. Mentha cattaria anguſtifolia Hiſpanica anguſtioribus foliis, J. B. Mentha cattaria peregrina anguſtifolia, Lob. Lugd.* A præcedenti duntaxat anguſtioribus minoribuſque foliis variat, unde an diſtinctum ſit genus à præcedenti aſſerere non auſim, inquit *J. B.*

6. Nepeta

6. Nepeta *Pannonica major & elatior, Nobis. Mentha montana verticillata, C. B. P. Mentaſtrum montanum & 1. Cluſ. Pan. Montanum Pannonicum, Hiſt. Mentaſtrum montanum folio coloris viridis, J. B.* Cubitali aut ampliore aſſurgit *caule* quadrangulo, medulla pleno, multis nodis conſtante, ex quibus bini ſemper ex adverſo oriuntur *ramuli*. Circa horum autem extremitates oblongæ *ſpicæ*, è petiolis ex ſingulis geniculis provenientibus, binis laxius & ſparſim diſpoſitis, cum *floribus* ex albidis cæruleis, galeatis, *labro* etiam denticulato, compoſitæ cernuntur. *Folia* adverſis inter ſe pediculis brevibus inſidentia, ad caulis & ramorum ſingulos nodos proveniunt, ad *Cattariæ folia* accedentia, colore tamen minus albicante, & rotundioribus crenis dentata, *odorem Mentaſtri* graviorem ſpirantia. *Radix* dura, & lignoſa, ex lateribus propagines ſpargit, ut reliquæ congeneres plantæ. Hujuſce *Nepetæ* ſummitates omnino purpuraſcunt.

Ad Alpium Auſtriacarum *radices, & deinde in* Ungaria, *maxima copia luxuriantem, invenit* Cluſius.

E ſemine ſato, in hortis oritur *varietas, ſpicis ſuis oblongis, erectis, denſius, & altera ſpicis tenuioribus, laxius per intervalla diſpoſitis.*

Auctores Horti Malabarici *tres ſpecies ediderunt, additis & ſubſequentibus cuique propriis deſcriptionibus. Sunt autem iſtæ:*

7. Nepeta *Indica rotundiore folio, Katu-kurka, Hort. Mal. Tom.* 10. *c.* 90. Naſcitur in arenoſis. *Radix* albicans fibroſa, odoris acris, grati; *caules* viridialbicantes, quadrangulati, geniculati, teneriores, magis rotundi, intus aquei; *folia* oblonga, lata, in oris crenata, craſſiola, piloſa, lenia, intus aquea, in adverſa parte coſtis craſſis ſtriata, *Nepetæ* foliis ſimilia; *flores* in vertice caulium in capitulo oblongo congregati, proveniunt, folio viridi cuſpidato, reflexo ſuccincti, monopetali, cochleati, cavi, duabus brevibus auriculis ad latus circumpoſiti, perſico-aureo-pallidi, odoris grati, ut *Nepetæ*, ejuſque generis, ſed ſylveſtris.

8. Nepeta *Indica ſylveſtris flore purpureo, ſpicato, Kattu-tumba, Hort. Mal.* Plantula eſt altitudine duum pedum, naſcens in arenoſis. *Radix* ruſſoalbicans, fibroſa, lignoſa; *odoris* fragrantis & grati; *caules* tenues, quadrilateri, ſtriati, pilis longiuſculis albicantibus veſtiti; *folia* oblongorotunda, anguſta, ſerrata, piloſa, in adverſa parte coſtis, quæ rectam ſtriant, obducta, ſubamara; *flores* ſpicati, *foliolis* parvis ſuccincti, parvi, pentapetali, purpurei, ex *calycibus* tranſverſis, oblongis, parum piloſis emicantes, ſicci, cum *calyce* rufeſcentes, tria quatuorve *ſemina*, plane nigra, & nonnihil nitentia, orificio interiore continentes.

9. Nepeta *Malabarica folio latiore, flore ex cæruleo albido, Carim-tumba, Hort. Mal. Radix* qualis eſt præcedentis; *caules* iidem ſed craſſiores, rotundi, non ſtriati, pilis numeroſioribus & longioribus obſiti, ſuperius viridialbicantes, inferius hinc inde rubeſcentes, quorum medulla viridis & aquea. *Folia* tria quatuorve breviſſimis petiolis in ſingulis nodulis caulem ambiunt, minus oblonga, & latiora, in margine profundius & copioſius inciſa, nervis denſioribus, veſtigia quoque in recta parte relinquentibus, in adverſa ſtriata, magis piloſa, viroris obſcuri, *odoris* fortis, vegeti, ac magis grati, *ſaporis* valde acris & ſubamari. *Flores* ſpicati, cærulei, bipetali. Unum autem petalorum capituli baſi obverſum latius eſt, trifariam inciſum, in medio paullo infra oras albicans. *Stamina* in illis quatuor, parva, tenuia, albicantia & ſubcærulea, apicibus albicantibus dotata. *Stylus* tenuis eſt, in ſummitate in latum extenuatus; *capſulæ ſeminales* cuſpidatæ; *ſemina* in illis numeroſa, ruſſofuſca.

Nepetæ Vires & Uſus.

Hæc quibuſdam eſt Calaminthæ *ſpecies; & quidem haud diverſa facere in medicina volunt plerique omnes. Ad omnes pectoris, ventriculi, & uteri morbos ex pituitoſis excrementis, aut flatu genitos tollendos à* Matthiolo *commendatur: ideoque auxiliatur diuturno capitis dolore affectis, vertiginoſis, veternoſis, ſtupidis, reſolutis, convulſis, comitialibuſque; quinetiam anhelis, aſthmaticis, & ſuſpirioſis. Medetur item ventriculi torſionibus à flatu provenientibus. Tota planta menſes elicit, tam pota quam in deſeſſionibus addita. Hactenus* Matthiolus, *apud quem plura invenies. Miro modo ad conceptus faciles reddendos pollere creditur, præſertim ſi peccaverit frigida & nimis humida intemperies.*

PLANTÆ GALEATÆ

Floribus ſingulatim diſpoſitis, tetracarpis.

CAPUT XXXVII.

Scutellaria.

SCutellaria *dicitur eo quod capſulæ ſeminales formam* Scutellæ *vaſis cujuſdam rotundi & concavi repræſentent.*
Caſſida *appellatur iis qui vaſculum ad inſtar* Caſſidis *ſeu militaris galeæ eam producere ſentiunt.*

Floribus galeatis ſimpliciter naſcentibus, cum *capſulis* ſuccedentibus clauſis, *Sandalii calcaneo* referentibus, à cæteris hujus claſſis prompte dignoſcitur.

Flores vel ſpicatim, *foliolis* deſtituti, vel iis intermiſti naſcuntur.

TAB.

TABULA XXIV. SECT. XI.

- *Scutellaria*
  - *ſpicata*
    1. *Major Lamii folio, Nobis. Lamium peregrinum ſive Scutellaria, C. B. P. Caſſida, Fab. Coll.*
    2. *Virginiana erecta cærulea Meliſſæ foliis ſeu foliis dentatis.*
    3. *Virginiana erecta ampliore flore, foliis non dentatis.*
    4. *Americana Malvæ folio, D. Moriſ. Prælud. Bot.*
  - *floribus foliolis intermiſtis,*
    5. *Humilis lignoſa Teucrii facie, Nobis. Teucrium aſtragaloides, Hort. Reg. Pariſ. Eſt & major & minor.*
    6. *Paluſtris repens cærulea, Nobis. Lyſimachia cærulea galericulata vel Gratiola cærulea, C. B. P.*
    7. *Paluſtris repens Virginiana major flore cæruleo minore.*
    8. *Paluſtris minor repens foliis non dentatis, Nobis. Gratiola latifolia ſive noſtras minor, Park.*

1. Scutellaria *ſpicata major Lamii folio, Nobis. Lamium peregrinum ſive Scutellaria, C. B. P. & Prod. Scutellaria Teucrii facie, J. B. Lamium Bæticum aſtragaloides, Cornut. Caſſida, Fab. Col.* Cubitalis eſt planta, perennis, *caule* quadrato, hirſuto, in ramos oppoſitos brachiato. Huic ex adverſo poſita *folia* bina ad *Lamii Meliſſæve vulgaris* folia accedentia, dentata, ex pediculis uncialibus nata inſident, quorum ſuperiora & minora *Teucrium* referunt. Ramorum extremitates ex toto fere ſpicati *flores* occupant longi, tubuloſi, è purpureo ad rubeum colorem vergentes, atque è *calycibus* brevioribus villoſis provenientes, galeati, ſingulares, è duobus lateribus ad unam partem tendentes. His dehiſcentibus, *capſula* diverſiformis evadit, brevis, ſubrotunda, cujus pars anterior in acumen producitur, fiſſuram habens oris ſpecie, & deſuper velut in fronte limbum elevatum, pro ſui proportione magnum elatum, velut diadema, aut criſtam obliquam, qua ornari videtur, ut in militum *galeis*. Cum ſiccari incipit, os dehiſcens ſe aperit, ſuperiorem criſtatam partem galeæ militaris elevatæ æmulam (ubi miles frontem nudaverit, vel ad æſtus intemperiem leniendam, vel ut certius quidpiam ſpeculetur) oſtendens, & quatuor *ſemina* intus cohærentia, parva, rotunda, fuſca, verrucoſa. *Variat flore albo.* *V. icon. tab. æn.* 20.

In locis Calabriæ *potiſſimum montoſis, atque alibi in* Italia *ſponte provenit.*

2. Scutellaria *Virginiana erecta cærulea Meliſſæ foliis, ſeu foliis dentatis, forte Scutellaria major Nepetæ foliis Virginiana, D. Pl. Ph.* Magis acuminata ſunt hujus *folia* latiuſcula, alba hirſutie pubeſcentia, in ambitu dentata, per longiora intervalla *cauli* erecto binatim adhærentia. *Flores* cærulei, longi, galeati, præcedentis ſunt minores, *galeaque* longiore eminente præditi. *V. icon. tab. æn.* 19.

3. Scutellaria *erecta Virginiana ampliore flore, foliis non dentatis.* *Caulis* ei erectus, quadratus, geniculis frequentioribus, nimirum uncialibus interceptus, quorum ſingulis bina apponuntur *folia*, marginibus æqualibus, & *Parietariæ* anguſtioribus ſimilia. *Flores* galeati, longi, majores, gutture latiore magiſque ſpatioſo donati ſunt.

E Virginia *delatam utramque poſſidemus.* *Vid. icon. tab. æn.* 19.

4. Scutellaria *Americana Malvæ folio, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Planta eſt emittens *folia*, quodammodo *Malvæ* foliorum æmula (quoad figuram) ſed majora, è quibus proſilit *caulis* ſeſquipedalis rectus, plurimos in faſtigio fundens *flores* verticillatos, galeatos. Iſtis evanidis ſuccedunt *capſulæ*, tali inſtar qui ſupponitur mulierum calceis ſi à parte poſteriori inſpiciatur capſula; ſi autem ſuperius conſideretur capſula ſeminalis, *Scutellam* omnino refert præ cavitate ſua in ſuperiore parte.

5. Scutellaria *humilis lignoſa Teucrii facie, Nobis. Teucrium aſtragaloides; Caſſida minor, Hort. Reg. Pariſ.* E *radice* dura, fibroſa, & vivaci, *caules* quadrati, lignoſi, dodrantales, *Chamædryos* in modum, nunc erecti, nunc reclinati, proveniunt. *Folia* articulis, ex interſtitiis brevioribus appoſita, ad *Teucrii majoris* proxima, pallide virentia, in ambitu dentata, pediculis brevibus adnaſcuntur. *Flores* denſius conferti ampli, galeati, tubuloſi, cærulei, fundo albidi, (quibus ſingulis *foliolum* quaſi falſum, parvum, mucronatum & indiviſum, ſubjicitur) *ſpicam* quodammodo protractam, *Prunellæ flore majore* non diſſimilem, conficiunt. Floribus evanidis, *capſulæ ſeminales* clauſæ, *caſſidam* referentes, *ſemina* minuta, è rotundis anguloſa, ſubcinerea, continentes, ſuccedunt.

Datur & *minor ſpecies, è foliolis minoribus, ex longioribus intervallis provenientibus, florumque ſpica non adeo confertorum*, compoſita.

In Horto Pariſienſi *obſervavit*; *dein in collibus contra* Palatium *Le* Chartreuſe *dictum, haud longe à* Dionio, *ſponte naſcens, Cl. D.* Sherard *detexit, cui nos acceptam referimus.*

6. Scutellaria *paluſtris repens cærulea, Nobis. Lyſimachia cærulea galericulata, ſive Gratiola cærulea, C. B. P. Lyſimachia galericulata, Ger. Tertianaria, aliis Lyſimachia cærulea, J. B. Radices* culmi filive teretis magnitudine, geniculatæ, albæ, ſub terra vagantes, *caules* pedales, quadrangulares, ramoſos, concavos, geniculatos, nunc erectos, nunc reclinatos emittunt. Hiſce, petiolis brevibus adhærentia *folia* viridia, *Menthæ* acutiora, in ambitu crenata, lævia, binatim & decuſſatim adnaſcuntur. Ex ala cujuſque ſingularis proſilit *flos* galeatus, cæruleus, exterius villoſus, qui ad alterum oppoſitum tendens, ad unum latus ambo ſpectantes flectuntur. *Capſula ſeminalis* brevis, clauſa, calcei calcaneum referens, *ſemina* parva, ſubrotunda fuſca, continet.

Locis humidis, & ad rivulos frequens occurrit. Radix *perennat.*

7. Scutellaria *paluſtris repens Virginiana major, flore minore.* Planta præcedens omnibus in re Botanica verſatis obvia, ſcientiam hujus facile aperiat, cujus vultum magnopere illa confitetur; altior tamen & major amplioribus *foliis* profundiuſque dentatis evadit. *Flores* minores cærulei, ad eundem modum naſcentes, ſpecificam diſcrepantiam enarrant. *Vid. icon. tab. æn.* 20.

8. Scutellaria *paluſtris minima repens foliis non dentatis, Nobis. Gratiola latifolia ſive noſtras minor, Park.*

Gratiola

Gratiola latifolia ſive noſtras minor, Park. Gratiola latifolia, Ger. Ex priorum conſimili *radice* repente, *caules* palmares, & ramoſi, tenuiores, geniculati, virides, in ficcioribus locis ad hirſutiem & rubedinem tendentes, proveniunt. *Folia* etiam ſimilia, ſed minora, plerumque non dentata, ad *Gratiolæ veræ* accedentia, oppoſita, geniculis apponuntur; è quorum ſinubus, *flores* verſus unam partem etiam ſpectantes, parvi, tubuloſi, è cæruleis purpuraſcentes, emergunt. *Capſulæ* item ſcutellatæ, parvæ ſunt.

In aquoſis & ipſis paludibus, inter muſcum, Julio & Auguſto menſibus florens reperitur. Vid. icon. tab. an. 17.

Scutellariæ ſextæ ſeu Tertianariæ Vires.

Turnerus *inſignis Medicus nobis coram affirmavit*, Heidelbergæ (*unde attulit à ſe ibi collectam*) *in officinis ad tertianas uſurpatam*, Tertianariam *cognominari ab J. B. Inter febrifugas recenſetur* Tertianaria *in praxi* Mayern.

PLANTÆ GALEATÆ

Floribus ſingulatim diſpoſitis tetracarpis.

CAPUT XXXVIII.

Dracocephalus.

AMerica *uberrima Plantarum nutrix rei Botanicæ promovendæ cupidis novum hoc genus ſuppeditavit; quod cum plurimis aliis locum in hac* Galeatarum *ſerie ſibi vindicaverit.*

Caules ſunt quadrati; *folia* oppoſita; *flores* tubuloſi, ore aperto galeati, *Draconemque* hiantem cum gutture ventricoſo repræſentantes; *vaſculaque* quinquifida ſingularia, *ſemina* quaterna continent.

TABULA XXXIII. SECT. XI.

Dracocephalus
- 1. *Anguſtifolius folio glabro ſerrato, Nobis. Pſeudo-digitalis Perſici foliis, Bocc. Galeata verticillata Perſici foliis, Digitalis æmula, Moriſ. Prælud. Bot.*
- *latifolius*
  - 2. *Glaber Lyſimachiæ foliis.*
  - 3. *Hirſutis Lyſimachiæ foliis latioribus ſerratis.*

1. Dracocephalus *anguſtifolius folio glabro ſerrato, Nobis. Pſeudo-digitalis Perſici foliis, Bocc. Galeata verticillata Perſici foliis, D. Moriſ. Prælud. Bot. Digitalis Americana purpurea folio ſerrato, Dodart.* 78. *Dracocephalon Americanum, Breyn. Prod.* 34. E *radice* vivaci, fibris longis comata, *caules* promit erectos, quadratos, lævès, cubitales, raro ramoſos, ad quorum genicula per intervalla diffita, *folia* prodeunt, ſeſſilia ortu oppoſito, biuncialis & triuncialis longitudinis, latitudinemque ſemuncialem non ſuperantia, in ambitu rarius denticulata. *Flores* ex carneo purpuraſcentis coloris, tubuloſi, ore quadripartito, *labro* galeæ fere æquali, purpureis punctis notato, & gutture extumeſcente & inflato, caputque *draconis* (uti pictores exprimere ſolent) referentes, in ſummitatibus, è *calycibus* oblongis, quinquefariam in margine diviſis, ſingulatim & ex adverſo naſcentes, *ſpicam* longam & erectam conſtituunt. Floribus dehiſcentibus, *ſemina* in fundo calycis ſuccedunt quaterna, auguloſa, aliarum *galeatarum* more.

E Virginia *recepimus*; Pariſienſis *fortaſſe* è Canada *acceperunt. Menſibus Julio & Auguſto floret.*

2. Dracocephalus *latifolius glaber Lyſimachiæ lutea foliis. Caulis* huic (quantum ex planta ſicca conjicere licet) præcedentis altior attollitur, ex internodiis multo longioribus compoſitus, glaber. E ſingulis articulis *folia* exeunt bina, ſibi invicem reſpondentia, abſque pediculis ſeſſilia, binas ternaſve uncias longa, *Lyſimachiæ lutea* folia referentia, mucronata, crenis minimis & vix conſpicuis dentata. E ſuperioribus geniculis *ramuli* exeunt graciles, *flores* in ſummitatibus ſuis gerentes, tubuloſos, amplos, hiantes, ore quadrifidos, è *calycibus* brevioribus provenientes.

3. Dracocephalus *hirſutus Lyſimachiæ foliis latioribus ſerratis.* Hactenus explicatis addetur hæc nova Planta, cujus *caules* molli brevique lanugine pubeſcentes, cum geniculis longis intervallis intercepti, erecte aſſurgunt. *Folia* binatim naſcentia, pollicem lata, ſua baſi caulem ad genicula amplectuntur, quorum inferiora digiti humani longitudinem acquirunt, & in mucronem abeunt; ſuperiora tamen breviora, latitudinem retinent, in ambitu crebrioribus & profundioribus denticulationibus crenata. *Flores*, non ut in prima ſpecie, ſpicatim, ſed è ramuſculis in ſuperiori parte naſcentibus, proveniunt, longi, ampli, tubuloſi, margine (ut in aliis *galeatis* fit) in quatuor partes diviſi. De iſtorum colore nihil pronunciare auſim, ut qui plantam non niſi exſiccatam viderim.

PLANTÆ GALEATÆ

Floribus ſingulatim diſpoſitis tetracarpis.

CAPUT XXXIX.

Verbena.

VErbena *quaſi* Herbena, *id eſt* Herba bona; *nam inter herbas à D.* Jo. Feſto *collectas apud* Italos *connumeratur.* Herba ſacra *vocatur, quia ea in* ſacris *utebantur Antiqui. Verbena etiam dicitur, à verrendis aris; hac Jovis menſa verritur, domus purgantur luſtranturque. Vide* Plin. *lib.* 22. *c.* 2. *&* *Lib.* 25. *c.* 9.

Verbenæ caules ſunt quadrangulares; *folia* è contrario ſita; *flores* monopetali, ore quinquifidi; *calyx* parvus diviſus, è *foliolis* compoſitus; *ſemina* quaterna, oblonga.

TABULA XXXIV. SECT. XI.

Verbena
- *ſpicata*
  1. *Communis flore cæruleo, C. B. P. Verbena communis & ſacra recta, Adv. Lob.*
  2. *Chalepenſis major vulgaris facie.*
  3. *Americana Urticæ folio, H. R. B. Dodart. Mem. Verbena Cretica Urticæ folio, Zan.*
  4. *Americana Urticæ foliis anguſtioribus, flore cæruleo, H. L. B. App.*
  5. *Americana media annua Ocimi folio lanuginoſo, flore purpureo amplo, Breyn. Prod.* 2.
  6. *Americana ligneſcens Veronicæ foliis.*
  7. *Tenuifolia, C. B. P. Hiſpanica minor, Lob.*
- *globoſa*
  8. *Nodiflora, C. B. P. Verbenaca nodiflora, Imperato.*
  9. *Nodiflora incana Curaſſavica latifolia, Par. Bat. Prod.*
     Eadem anguſtifolia.
  10. *Nodiflora major Indica flore niveo.*
  11. *Nodiflora Curaſſavica foliis Menthæ, Par. Bat. Prod.*
  12. *Orubica Teucrii folio, Primulæ veris flore, ſiliquis & ſeminibus longiſſimis; Cauda muris vulgo, Par. Bat. Prod.*

1. Verbena *communis cæruleo flore, C. B. P. Verbena vulgaris, J. B. Verbena communis & ſacra recta, Adv. Lob. Herba ſacra, Ang. Verbenaca, Matth. Hierobotana mas, Brunf.* E *radice* minimo digito tenuiore, fibroſa, ſubamara, plures emergunt *caules* cubitales & altiores, quadrati, ſolidi, brevi lanugine ſubhirſuti, & ſubinde purpuraſcentes, ramoſi. *Folia* in caulibus per intervalla ex adverſo bina, brevi itidem & vix conſpicua lanugine utrinque obſita, rugoſa, profunde laciniata, diviſura quodammodo foliorum *Quercus*, infimis duabus inciſuris profundioribus, colore ſupra quam infra ſaturatius vireſcenti. Ex alis foliorum & in ſummitate caulis *flores* in longas *ſpicas* digeſti, ex pallidis purpuraſcentes, exigui, quinquepartiti, è *calyce* diviſo, in ala folioli perexigui ſeſſili exeunt. Singulis autem *floſculis* ſuccedunt in calyce quatuor *ſemina* longiuſcula, ſimul juncta, ut in *Verticillatis*. Duo ſuperiora floſculi cujuſque ſegmenta *galeæ* vicem obtinent.

Locis incultis, ſaxoſis & compitis reperitur; menſibus Junio, Julio, & Auguſto floret.

2. Verbena *Chalepenſis major vulgaris facie.* Forte *Verbenaca Luſitanica latifolia procerior, D. Fagon. Schol. Bot. Par.* Verbena vulgaris antedicta omnibus nota eſt, cui hæc permultis accedit; *folia* vero duplo vel triplo ſunt majora, ejuſdem fere texturæ, ſed obtuſiora. *Caules* etiam altiores & robuſtiores, *flores* ſpicatim naſcentes, paullo ampliores, ſaturatioris purpurei coloris, geſtant.

Ex Aleppo, *munificentia D. D.* Huntington *ipſi accepimus.*

3. Verbena *Americana Urticæ folio, Hort. Reg. Bleſ. Dodart. Mem. Verbena Cretica Urticæ folio, Zan. Radix* perennis fibrata eſt; *caulis* bicubitalis, erectus, quadratus; *folia Urticæ majoris* haud abſimilia, binatim poſita; *flores* ſpicatim provenientes & in ramulis in ſuperiore parte diſpoſiti, albidiores ſunt. Quoad *ſemina* cum aliis convenit.

4. Verbena *Americana Urticæ foliis anguſtioribus, flore cæruleo, Hort. Lugd. Bat. App.* Præcedenti accedit hæc. *Caules* ut plurimum purpuraſcentes, altius attolluntur. *Folia* frequentius integra, anguſtiora ſunt. Interdum etiam *foliis profunde laciniatis* variat. *Flores* in ſummis caulibus ramoſis magis purpuraſcunt. Varietas potius quam ſpecies diſtincta habeatur; ex ſemine enim præcedentis ſato, natura ſic ludente, varietates oriuntur.

5. Verbena *Americana media annua Ocimi folio lanuginoſo, flore purpureo amplo, Breyn. Prod.* 2. *Verbena Curaſſavica Scutellariæ foliis, flore purpuraſcente, Par. Bat. Prod.* Semina hujus oblonga à celeberrimo *Hermanno* accepimus, unde planta oritur *caule* quadrangulari, erecto, pedali, & altiore, aliarum more, ex interſtitiis nodoſo; cui *folia* unciam plus minus lata, ſubrotunda, in ambitu dentata, *Ocimi Meliſſæve* foliis ſimilia, petiolis longis quoque appendentia, adhærent. Ex horum ſinubus, & ex eodem exortu, *ramuſculi* minoribus foliis onuſti proveniunt. In ſummitatibus *ſpicæ* longæ, tenues, verbenaceæ, è *calycibus* longioribus compoſitæ, protruduntur. *Flores* viſi ſunt purpuraſcentes, aliarum congenerum ampliores; quibus utrum quatuor ſemina an bina ſuccedant, (ut quidam nobis ſignificarunt, qui *diſpermon* appellavere) nimis feſtinans hyems maturitatem impediens fecit ut certo ſtatuere non poſſemus.

6. Verbena *diſpermos Americana ligneſcens Veronicæ foliis, Nobis. Veronica ſpicata Jamaicana Teucrii pratenſis folio diſpermos, D. Pluk. Phyt. Tab.* 321. *Fig.* 1. *Huc ſpectat Teucrium Amer. procumbens Veronicæ aquat. fol. H. L. Bat,* A *Jacobo Rhede* in tranſmarinis plagis ad plantas colligendas occupato, ex Inſula *Barbadienſi,* & ab aliis ex Inſula *D. Chriſtophori* accepimus. Ramuli lignoſi, ex rotundis quadrangulares, geniculati, oppoſitis *foliis* ex anguſto principio in uncialem fere latitudinem extenſis, margine dentatis, *Veronicæ* ſimilibus ornantur. *Spicæ* longæ tenues, *flores* producunt purpureos; quibus ſingulis *ſemina* bina, calycibus oblongis & acutis foliaceis contenta, ſuccedunt. Hiſce deciduis, cavitates oblongæ, *caulibus* ſpiciſve impreſſæ, ſuccedunt.

7. Verbena *tenuifolia, C. B. P. Verbena ſupina, Cluſ. J. B. Tab. Sacra Verbena Hiſpanica minor, Lob. Supina ſive fœmina, Park.* Plures ſunt illi *cauliculi* tenuiores, ſtatim è *radice* emergentes, ſupini & in terram procumbentes, nodoſi ſeu geniculati. Ad ſingulos nodos naſcuntur ſub ramulis *folia,* colore quidem à vulgaris foliis non differentia, ſed multo magis inciſa & multifida. *Flores* in ſummis ramulis *ſpicæ* in modum congeſti naſcuntur, ut in vulgari, & non diſpares, ex cæruleis purpuraſcentes. *Semen* etiam æquale eſt, quo deciduo quotannis nobis renovatur.

Salmanticenſi *agro, & aliis* Caſtellæ *locis, juxta ſemitas,* Cluſius *invenit, & annuam eſſe plantam notavit.*

8. Verbena *nodiflora foliis minoribus viridibus, Nobis. Verbena nodiflora, C. B. P. & Prod. J. B. Nodiflora Imperato. Repens nodiflora, Park.* Ex *radice* tenui, fibris capillata, *caules* tenues, quadrati, geniculati, glabri, in terram reflexi, & ſeſquipalmares, prodeunt; quos *folia* ad genicula bina adverſo ſitu, ungue non multum longiora, vix dimidium lata, per extremum crenata & acuminata, cingunt. Ex quolibet pene geniculo, ramulus foliis aliquot cinctus, & pedicellis nudus, duas treſve uncias longus, exſurgit; hicque *capitulum* ſubrotundum, ſquamatum ſuſtinet, unde *floſculi Verbenæ vulgaris* ſimiles exeunt; *ſemenque* parvum, ut in vulgari ſuccedit.

Qua regione ſponte ſua ſit nos latet. Imperatus Caſp. Bauhino Neapoli *tranſmiſit. A clariſſimo D. D.* Sherard *ipſi accepimus.*

9. Verbena *nodiflora incana Curaßavica latifolia, Par. Bat. Prod. Caulibus* procumbentibus, *foliiſque* in extrema parte crenatis & ad caulem planis, conformibus, cum præcedenti convenit; frequentioribus vero geniculis donatur. Et *folia* & *caules* argenteo tomentoſoque colore omnino obſita ſunt. *Flores* petiolis longis infidentes, in *capitula* ſubrotunda digeſti ſunt.

Eadem etiam datur anguſtioribus foliis. In horto Regio Hamptonienſi *adſervatæ ſunt & hæc & ſuperius poſita. In Inſula* Jamaica *ad rivulorum ripas ſponte naſcens obſervatur. D.* Sloane.

10. Verbena *nodiflora major Indica flore niveo, Hermanni.* Planta hæc nova *caules* nunc erectos, nunc reclinatos emittit; quibus *folia* antedictarum pene ſimilia, è viridi argenteo colore nitentia, ampliora, profundiuſque dentata è regione apponuntur. *Flores* parvi, candidi, in globoſis capitellis naſcuntur.

11. Verbena *nodiflora Curaßavica foliis Menthæ, Par. Bat. Prod.* Hac, cum plurimis aliis, ornatur hortus Regius *Hamptonienſis. Caules* dodrantales & pedales, geniculati, *foliis* longioribus, *Sideritidis* aut *Menthæ* ſimilibus, ex adverſo geniculis adnatis, veſtiuntur. *Flores* in capitulis ex rotundis oblongis, petiolis nudis, longis, inſidentibus, congeruntur.

12. Verbena *Orubica Teucrii folio, Primulæ veris flore, ſiliquis & ſeminibus longiſſimis; Cauda muris vulgo. Par. Bat. Prod. D. Pluk. Phyt. Tab.* 327. *Fig.* 7. *Verbena Amer. fruteſcens Teucrii foliis & facie, floribus cæruleo-purpuraſcentibus ampliſſimis, Breyn. Prod.* 2. *Forte etiam Teucrii foliis frutex Curaſſavicus, P. B. P.* Rara hæc etiam planta, in horto Regio *Hamptonienſi,* culta eſt, *foliis* craſſiuſculis & carnoſis *Teucrii* æmulis, donata. *Flores* & *ſiliquas* obſervare nobis nondum licuit. Icon vero *D. Plukenetii,* ſpicam longam foliaceam, floribus longis tubuloſis, ore in quatuor partes æquales diviſis per totam longitudinem erumpentibus, exprimit.

Temperamentum & Vires.

Calida eſt, & facultate magis deſiccante quam abſtergente prædita. Intenſiſſimos capitis dolores mitigat & tollit; quod felici ſucceſſu expertus eſt Foreſtus, *ſacculum* Verbenæ *contuſæ collo ægrotantis appendendo. Nec minus valet contuſa & cum linteis duplicatis fronti & temporibus alligata. Coronam ex* Verbena *confici & capiti patientis imponi præcepit* Archigenes, *eandemque aliis modis præparatam adhibuit.*

Radicum, *ut &* foliorum decoctum *dentium dolores ſedat, mobiles firmat, & oris ulceribus medetur. Defluvium capillorum prohibet: hæc eadem præſtat* aqua deſtillata.

Herba eſt ulceribus quibuſcunque claudendis conveniens. Adverſus ſerpentum & canis rabidi morſus pollet. In torminibus ventris & dyſenteria exhibetur. Podagra laborantes juvat. Partum facilitat auctore Schrodero; *cui non aſſentitur* Ettmullerus, *quum ſæpe noverit mulierculas aquam* Verbenæ *cum ſucceſſu uſurpare ad præcavendum abortum.* Ad omnem abortum præſervandum ex Vegetabilibus commendatur primario Verbena. *Idem* in praxi. p. 596. *Quoad cæteras facultates, eſt ophthalmica, thoracica, hepatica, ſplenetica, febrifuga, vulneraria, & lithontriptica.*

PLANTÆ VERTICILLIS

Rarius per intervalla diſpoſitis, floribuſque galea carentibus.

Marum Cortuſi, Chamædrys, Teucrium, Chamæpitys.

CAPUT XL.

SECTIONIS UNDECIMÆ

Marum Cortuſi.

MArum *Dioſc.* Μάρυ, *ab Heb.* מר *mar, amarus, quia herba plurimum amara. Hoc* Marum verum *Antiquorum eſſe putatur, de quo multum controvertitur. De vulgari ſuo loco, inter plantas denſius verticillatas, Cap.* 13. *hujus Sectionis, fuit nobis ſermo. Hoc de quo jam agimus, idem eſſe ſuſpicari pronum eſt quod* Galenus *lib.* 1. *de Antidotis, cap.* 10. *explicat. Ego* (inquit) *vero has herbas* (*ſc.* Marum & Amaracum) *ſcio in* Aſia *naſci, ac in aliis quidem regionibus raras eſſe, ſed in* Cyzico *frequentes; in* Italia *quoque ut alias quaſdam herbas; ita ut* Amaracum *viderim qui odore multum à* Maro *ſuperaretur:* Marum *enim valde redolet.* Pena & Lob. *per* Syriacum Marum *idem intelligunt. In* Aſia *etiam provenit,* Plin. *Rarum eſſe plantam omnes ultro agnoſcunt, & non in* Italia *naſci, niſi ex* Creta *advectam.* Prof. Alpinus *in lib. de Exot. verbi ſignantibus, idem teſtatur.* Matthiolus & Camerarius *appellant* Mari pulchrum genus, *& ex calidis regionibus, potiſſimum ex* Syria *adferri perhibent.*

Marum *Cortuſi, J. B. Marum Syriacum, Adv. Lob. Ludg. Ger. Majorana Syriaca vel Cretica, C. B. P. Marum Cretenſe, Alpini.* A *radice* lignoſa, gracili, parva, *ſurculoſ* plures, rectos, rotundos, tenues, lignoſos, palmares, profert; qui ab radice, uſque ad ſummitates, ferunt ex oppoſito, ex intervallis, binos ramulos, *foliis* binis, parvis, ſubrotundis, candicantibus, *Thymi* paullo majoribus denſe veſtitos. *Flores* in ſummis caulibus ſpicatim proveniunt, eorumque quilibet è proprio *calyce* brevi, tomentoſo, emergens, è diluto rubro colore purpuraſcit, & *Chamædryos* ſimilis, galea caret. *Semen* exile fuſcum, raro ad maturitatem perducitur; pangendo vero incrementum facile fit. Tota planta acerrimi, pungentis & gratiſſimi eſt odoris, quem & contrita manibus attrectantium impertitur, & ſubinde ſternutationem efficit. *V. icon. tab. an.* 18.

Hujus *alteram ſpeciem* paucis abhinc annis accepimus, quæ altius aſſurgit, *foliaque* duplo latiora profert.

Mari Syriaci Vires & Uſus.

Cæteris quibuſcunque ejuſdem nominis longe nobilior eſt Planta, odoratior multo, partium magis tenuium ac penetrantium. Raymund. Mindererus *Medicus* Germanus, *& quem vocat doctiſſ.* Joh. Faber *Lynceus* Romanus Sueviæ Hippocratem, *fuſe agit de virtutibus* Mari; *viz. in ſuo* Alvedario Maro-coſtino *edit.* Auguſtæ Vind. Anno 1622. *Verum plantam quam intelligi voluit, non deſcribit, niſi breviter ex* Dioſcoride, *nec addit auctorum ſynonyma: aliquod tamen præſtantiſſimum* Marum, *idque exoticum eum intelligere facile concedes.*

Mari *virtutes ex* Minderero: aromaticam hanc herbam pluribus iiſque eximiis dotibus inſignem eſſe, non odor modo, ſed & ſapor ejus patefacit ac oſtendit. *Eam autem inter cephalica medicamenta haudquaquam poſtremum locum obtinere pronunciaveris; conducit enim vel aſſumpta vel maſticata ſummovendis morbis cerebri frigidioribus, apoplexiæ, paralyſi, ſpaſmo, vertigini, tetano, ſenſuum obfuſcationibus, & id generis malis, quibus egregia ſua vi reſiſtit; aurium dolores & ſonitum tollit; pituitam è capite detrahit; ac cerebrum abſtergit; ſpirituſque animales redintegrat. Aperit inſuper; attenuat; digerit; roborat; ac anhelandi difficultatem expedit.*

Stomacho quovis modo, vel aſſumpta vel admota, ſalutaris eſt, ac pectoris morbis adverſa.

Quinetiam hæc ipſa jecinoroſos, hepaticos, ac lienoſos adjuvat: præterquam enim quod obſtructiones aperit, partes affectas roborat ac firmat. Uteri præterea frigidis malis ſuccurrit, & flatus craſſos ſive in inteſtinis ſive alibi in corpore oberraverint, diſſipat. Auxiliatur iis quos tormina vexant, qui colicæ tormenta patiuntur; incipientem hydropem, & tympanitida probibet, ac iis quos urinæ difficultas tenet, opem fert; poteſtque omnia longe potentius quæ Majorana *noſtra* (*quæ à* Maro *denominationem, ut id obiter notem, duxiſſe videtur*) *efficere valet.*

In Theriaca Andromachi *infimum locum non obtinet* Marum verum *vel* Syriacum.

PLANTÆ

PLANTÆ TETRACARPÆ

Floribus galea carentibus.

CAPUT XLI.

Chamædrys.

CHamædrys *dicitur, quaſi* humilis Quercus, *quod* folia Quercus *habeat, &* humi *reptet.* Trixago *à* Latinis *nominatur, quia adverſus affectionem* tertianariam *valet.*

Chamædrys fruticoſior Teucrium *dicitur, quod ex regione* Teucria *id eſt* Troade *delata fuerit hæc herba; vel (ut aliis placet) eo quod* Teucer *ejus inventor exiſtimetur.*

Chamædrys foliis quercina figura donatis, omnium Plantarum verticillatarum *floribus galea* deſtitutis, latiſſimis ab aliis diſcrepat.

TABULA XXXV. SECT. XI.

Chamædrys

- *fruticoſior flore*
  - *ochroleuco*
    1. *Sive Teucrium vulgare foliis lucentibus, Nobis. Teucrium vulg. fruticans, 1. Cluſ. Hiſt.*
    2. *Latiore folio villoſiſſimum, calyce ampliore è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt.*
    3. *Sive Teucrium Americ. procumbens Veronicæ aquaticæ foliis ſubrotundis, Hort. Lugd. Bat.*
  - *purpureo-cæruleo*
    4. *Atticum molli lanugine incanum, D. Pluk. Phyt. An Teucrium Cretic. Cluſ. Hiſt?*
    5. *Sive Teucrium lucidum parvo fol. flor. venuſte purp. D. Pluk.*
    6. *Sive Teucrium Alpinum inodorum magno flore, C. B. P. & Prod.*
    7. *Sive violaceo, foliis ſubtus incanis, Nobis. Teucrium Bæticum, Cluſ. Hiſt.*
    8. *Sive Teucrium Æthiop. Salvifolium criſpum ad oras foliorum inæqualibus laciniis, D. Pluk. Tab. 318.*
    9. *Sive Teucrium Virginian. Meliſſophyllum floribus cæruleis, D. Pluk. 318.*
- *humilior*
  - *perennis*
    10. *Minor repens, C. B. P. Vulgaris 2. Cluſ. Hiſt.*
    11. *Major repens, C. B. P. Triſſago ſive Chamædrys, Matth.*
    12. *Alpina hirſuta repens, Schol. Bot. Par.*
    13. *Alpina major foliis profundius diſſectis.*
    14. *Paluſtris Allium redolens, Nobis. Scordium, Matth. Dod. Lugd. J. B.*
    15. *Elatior Salviæ folio, flore ochroleuco, Nobis. Scordium alterum ſive Salvia agreſtis, C. B. P. Scorodonia, Ger.*
    16. *Pyrenaica repens flore conglomerato albo, foliis rotundioribus, S. B. P.*
  - *annua*
    17. *Multifida ſpinoſa odorata, Virid. Luſit. Chamædrys ſpinoſa, C. B. P. & Prod. J. B.*
    18. *Minor laciniatis foliis, Nobis. Botrys chamædryoides, C. B. P. Chamædrys fœm. Lugd.*
    19. *Multiflora tenuifolia Hiſpanica, Tournefortii.*
    20. *Teucrii facie fruteſcens Canarienſis pediculis longioribus floſculis pentapetaloidibus albis, Polihomons.*
    21. *Teucrii facie fruteſcens Canarienſis pediculis brevioribus, breviorique hirſutie pubeſcens, Lingo-veba indigenis nominata.*
    22. *Teucrii facie Biſnagarica tetracoccos roſtrata, pilis ſcatens, foliis profunde venoſis, D. Pluk. Phyt.*
    23. *Chamædryfolia tomentoſa Maſcatenſis, D. Brown. D. Pluk. Phyt. Tab. 275.*

1. Chamædrys *fruticoſior ſive Teucrium vulgare flore ochroleuco, Nobis. Teucrium vulgare fruticans 1. Cluſ. Hiſt. Teucrium, C. B. P. Teucrium multis, J. B. Teucrium majus vulgare, Park. Teucrium aſſurgens, Dod.* In pedalem & cubitalem plantam, ramulis ſuis lignoſis, frequenter divaricatis, fruticat. *Folia* ad ſingula genicula bina, ſubrotunda, pollicem lata, per ambitum profundis & fere quercinis inciſuris ſerrata, ſuperius viridia, & ſplendentia, inferius nonnihil caneſcentia, profert; *flores* in ſummis ramis *ſpicæ* fere modo digeſtos, majuſculos, hiantes, nulla tamen galea tectos; ſed galeæ loco *ſtamina* curvata eriguntur. Partes laterales (ut in omnibus hujus familiæ) dupliciter diviſæ ſunt, quarum ſuperiores longiores quaſi auricularum vicem præſtant. *Labium* acutum, ut in aliis dependet. Totus *flos* luteopallido ſeu ochroleuco colore tinctus eſt, & *calyci* campanulato, quinquefariam diviſo, & petiolo ſatis longo, inſidet. *Semina* quaterna, ſatis turgida, calycis fundo continentur. *Vid. icon. tab. an. 22.*

In Sicilia, Malta, Italia, & Hiſpania, *frequens reperitur. Æſtate floret, & per totam hyemem virent folia.*

2. Chamædrys

2. Chamædrys *fruticoſior ſive Teucrium latiori folio villoſiſſimum, calyce ampliore, è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt. Tab.* 228. Huic *caules* erecti hirſutiores; *folia* per intervalla bina, rotundiora, latiora & hirſutiora; *calyceſque* in oris in quinque lacinias diviſi, hirſuti, *flores* continentes, magis patuli apparent.

3. Teucrium *Americanum procumbens Veronicæ aquaticæ foliis ſubrotundis, Hort. Lugd. Bat.* Firmatur *radice* tenui, fibroſa, pallida, ſpargente *culiculos* ſpithameos, quadrangulos, humi ſtratos; quos per intervalla ambiunt *folia*, bina ſibi adverſa, ſubrotunda, glabra, pinguia, in ambitu leviſſime denticulata, *Veronicæ aquaticæ rotundifoliæ* nonnihil ſimilia. Ad horum exortus prodeunt *flores* utrinque unus, parvi, pallidi, labeati, vix galeati, *labio* trifido, *galea* ſimplici exigua, vix conſpicua. Singulis ſubſidet *utriculus* quinquifidus, ſuſtinens *ſemina* ſubrotunda, fuſca, quaterna. *Herman.*

Ex ſeminibus Americanis, *in horto* Fageliano *floruit.*

4. Teucrium *Atticum molli lanugine incanum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 65. *An Teucrium Cret. Cluſ. Hiſt. Park. & Teucrium Creticum incanum, C. B. P.*? Primæ non valde diſſimilis eſt planta, & in fruticem aſſurgit, ramis tamen tenuioribus, & incanis; quos ambiunt per intervalla bina ſemper *folia*, contrario ſitu naſcentia, *Teucrii vulgaris* foliis forma ſimilia, ſed inferne magis incana, ſuperne minus virentia & ſplendentia, atque etiam minora. *Flores* ex ſingulis foliorum ſinubus prodeunt *utriculis* incluſi quaterni aut ſeni, floribus *Teucrii vulgaris* forma non diſpares, niſi paullo minores eſſent & colore purpureo. *Semen* nigrum, rotundum. Tota planta odorata eſt. *Cluſ. Hiſt.*

5. Chamædrys *fruticoſior ſive Teucrium lucidum parvo folio, flore venuſte purpureo, D. Pluk. Phyt. An Teucrium regium purpureum, Hort. Reg. Bleſ.*? *Teucrium Hiſpanicum ſaxatile glabrum, S. B. P. Chamædrys Alpina lucida, Hort. Reg. Par. Viticulis* plurimis humilioribus, lignoſis, molli lanugine pubeſcentibus, quadrangularibus, ſe ſpargit. *Folia* ad ſingula genicula minora, dimidia parte à *caule* exeuntia, plana, primæque *Chamædryos* in modum dentata, viridia, ſuperius ſplendentia, abſque petiolis adnaſcuntur. *Caules* aſſurgentes ſuperiores, per longiora intervalla, ad nodos, *foliola* ad rubedinem vergentia, non crenata, & ex eorum ſinubus *calyces* petiolis propriis inſidentes, emittunt; quibus *flores* venuſti, pallideque rubeſcente colore tincti, non galeati, inſident. Semina apud nos non profert; pangendo vero facile propagatur. *Odor* ſatis gratus eſt.

Ex horto Honoratiß. D. C. Howard *ex* Italia *tranſmiſſam accepimus.*

6. Chamædrys *ſive Teucrium Alpinum inodorum magno flore, C. B. P. & Prod. Radice* alba, oblonga, & capillacea, per terræ ſuperficiem repit. *Cauliculos* aliquot habet lignoſos, rufeſcentes, hirſutos, nonnunquam in *alas* diviſos, ſemipalmares, & in terram reclinatos, *foliis* ſubrotundis, parvis, quorum maximum ne minimi digiti unguem adæquat, hirſutis, rugoſis & crenatis, foliis *Salviæ ſylveſtris* ſuperioribus forma reſpondentibus cinctos. In cauliculorum ſummitatibus *flores* quaſi in ſpicam congeſti, qui magni, purpurocærulei, galericulati. *C. B.*

Ex monte majore S. Bernhardi, & Auguſta *valle* Helvetiorum, *D.* Burſerus Caſp. Bauh. *attulit.*

7. Chamædrys *fruticoſior flore violaceo, foliis ſubtus incani, Nobis. Teucrium fruticans Bæticum, ſive* 3. *Cluſ. Hiſt. Teucrium peregrinum folio ſinuoſo, C. B. P. Teucrium Bæticum, Ger. Park. Bæticum Cluſii, J. B.* Humana interdum altitudine aſſurgit, plerunque tamen humilior eſt, unico ſtolone minimi digiti craſſitudine, candicante cortice obducto, & in aliquot ramos diviſo, binos perpetuo oppoſitos, incanos. *Folia* primæ ferme ſimilia, majora paullo, in ambitu nonnihil ſinuata, externa parte omnino incana, interna vero ex atris virentia, non tamen ſplendentia, ut in primo genere; guſtu perquam amaro. *Flos* hyacinthino colore cæruleo emicat (candidus eſt, *Cluſ.*) *labris* inferne prominentibus, *nulla galea* ſuperius imminente, aliquot oblongis *ſtaminibus* ſive villis è medio flore exeuntibus. Perpetuo viret non ſecus ac *vulgare Teucrium. Calyces* aliarum magis patuli & quaſi foliacei ſunt. *Vid. icon. tab. æn.* 22.

Montibus circa Calpen *ad* Herculeum fretum, & Bœticæ *maritimis in ſepibus & inter alios frutices invenit* Cluſius. *In* Sicilia *aliiſque vicinis plagis reperitur.*

8. Teucrium *Æthiopicum Salvifolium criſpum ad oras foliorum inæqualibus laciniis, D. Pluk. Almageſt.* 363. *Tab.* 318. *Fig.* 5. Clariſs. auctor, cum pluribus aliis ſtirpibus perraris, ramulum hujus ſculpi curavit; qui rectus eſt, palmaris & amplior, geniculis diviſus. Ad horum quodlibet bina apponuntur *folia* ex adverſo naſcentia, unciam plus minus longa, ſemunciam lata, nunc in breviores, nunc profundiores lacinias laciniata & denticulata, rugoſa, albedine aſperſa, & in mucronem definentia. *Flores* ſpicatim per intervalla naſcuntur, galeati, è *calycibus* longis quinquifidis erumpentes; quorum colorem planta ſicca non exprimit.

9. Teucrium *Virginianum Meliſſophyllon floribus cæruleis, D. Pluk. Almageſt. p.* 363. *Tab.* 318. *Fig.* 1. *Folia Ocimi Meliſſæve* ſimilia, glabra, ambitu dentata, mucronata, bina ex oppoſito ſita, emittit. *Flores* in verticillos diſpoſiti, cærulei, longi, galeati, (quamobrem incertum eſt, an ad hanc familiam proprie referendæ ſint hæ duæ plantæ) *ſtaminulis* ternis longis è fundo provenientibus, è *calycibus* brevibus erumpentes, cernuntur.

10. Chamædrys *minor repens, C. B. P. Chamædrys vulgo vera exiſtimata, J. B. Chamædrys vulgaris, Park. Vulgaris ſeu ſecunda, Cluſ. Hiſt. Radiculæ* lignoſæ, geniculatæ, reptatrices, & fibratæ ſunt; virgulta vero dodrantalia, rubentia & lanuginoſa; quibus *folia* ex intervallis adnaſcuntur, bina oppoſita, figura & fiſſura quernis fere ſimilia, rigida, nervoſa, hirſuta & ſubamara. *Flores* ſpicatim & verticillatim adſtant, purpurei, rubeſcentes, labiati, *galea* deſtituti, cum binis lateribus in acutas *alas*, ut in aliis hujus familiæ diviſis; & pro galea *ſtamina* purpuraſcentia arcuatim eriguntur. *Vid. icon. tab. æn.* 22.

In Germania, Ungaria, Gallia, & Italia, *ſponte naſcens, frequens occurrit.*

11. Chamædrys *major repens, C. B. P. Triſſago ſive Chamædrys, Matth. Chamædrys major, Cluſ. Hiſt.* Vegetior & uberior, longioribus, craſſioribuſque *virgis*; amplioribus & ſucculentioribus *foliis*; longiore *florum* coma; majoribuſque & dilutius purpuraſcentibus *floribus* donatur. *V. icon. tab. æn.* 22.

In Stiria & Auſtria *collegit* Cluſius.

Floribus etiam donatur albis. Schol. Bot. Pariſ.

12. Chamædrys *Alpina birſuta repens, Schol. Bot. Par.* Minor & humilior hæc *Chamædryos* ſpecies, *caulibus* procumbentibus, hirſutioribus; *foliiſque vulgaris* formam poſſidentibus, minoribus, dilutiuſque virentibus prædita eſt. *Calyces* è quibus *flores* conſimiles emergunt, hirſutiores, viridiores, & nullo modo purpuraſcente colore tincti, ut in vulgari.

Hanc Cl. D. D. Sherard *attulit.*

13. Chamædrys *Alpina major & elatior, foliis profundius diſſectis.* Ad *vulgarem* ſatis accedit; *folia* vero glabriora, ampliora, breviora, profundius laciniata apparent. *Caules* erecti ex rotundis angulis quadrati, læves ſunt, geniculis longioribus intercepti. *Flores* minores, purpuraſcentes, è calycibus glabris, verticillatim naſcentibus, emicant.

Forte *Chamædrys Alpina latifolia elatior ſplendens*, Schol. Bot. Par. *In horto ſicco D.* Courtene *adſervatur. D. D.* Sherard *nobiſcum communicavit.*

14. Chamædrys *paluſtris Allium redolens, Nobis. Scordium, Matth. Dod. Lugd. J. B. Trixago paluſtris, Lob.* E *radicibus* capillaribus *caules* ſurriguntur dodrantales & longiores, ramoſi, geniculati, quadrati, progredientes, hirſuti; atque ex eorum geniculis *folia* exeunt adverſa, *Chamædryos* ſimilia, ſublonga, rugoſa, dentata & ſinuata, tactu mollia, hirſuta, albicantia, odorem quodammodo *Allii* ſpirantia. *Flores* indidem quoque, undique per caulem quaterni, *Chamædryos* floribus perſimiles, pediculo brevi colore rubenti, cum concoloribus ſtaminulis erumpunt; iiſque delapſis *ſemen* in *vaſculis* quinquepartitis reperitur minutum. *V. icon. tab. an.* 22.

In pratis humidioribus & ad rivulos plurimis locis reperitur. Quæ vero in hortis alitur, ad uſus medicos eligenda eſt. Magnitudine variat.

15. Chamædrys *elatior Salviæ folio, flore ochroleuco, Nobis. Scordium alterum ſive Salvia agreſtis, C. B. P. Scordoti ſive Scordium folio Salviæ, J. B. Salvia agreſtis, Trag. Salvia montana, Geſn. Scorodonia, Ger.* Reptatrice geniculata & fibrata *radice caules* plures eriguntur quadrati, hirſuti, purpuraſcentes, pedales, & cubitales, medulla alba farcti. Ad horum genicula *folia* exeunt ex intervallis gemina, oppoſita, uncialia, ad triangularem formam accedentia, rugoſa, in ambitu ſerrata, *Salviamque* quodammodo referentia, ſapore amaro, *odore Chamædryos Alliique* commixto. Summi *caules* in aliquot ſurculos ſe dividunt, in quibus ſpicatim digeruntur *flores*, in unam partem præſertim vergentes, *Chamædryos* forma, *galeæ* loco *ſtamina* purpuraſcentia emittentes, labiati, colore pallide luteo ſeu ochroleuco tincti. *Semina* fuſca, quaterna, *vaſculis* continentur apertis; ſed repente ſua facultate ſe propagat.

In ſylvis montoſis, & ad ſepes, ſolo præſertim glareoſo & arenoſo gaudet.

16. Chamædrys *Pyrenaica repens flore conglomerato albo, foliis rotundioribus, Schol. Bot. Par.* Planta hæc nova, à *Pariſienſibus* detecta, & pro ſolito candore à *D. D. Sherard* communicata, *viticellas* procumbentes, palmares, crebrius geniculatas, candida lanugine veſtitas, & exinde *folia* binatim poſita, piloſa, ſubrotunda, unguis humani latitudinem æquantia, crenata, emittit. *Flores* in *vaſculis* ſatis amplis, petiolis brevibus appenſis, hirſutis, glomeratim in ſummitatibus, albi, *Chamædryos* ritu labiati, cum *ſtaminulis* arcuatim curvatis *galeæ* vice eminentibus, proveniunt.

17. Chamædrys *multifida ſpinoſa odorata, Griſley. Chamædrys ſpinoſa, C. B. P. & Prod. J. B. Forte Scordium ſpinoſum, Cornuti.* Planta eſt dodrantalis, rariſſime cubitalis, molli lanugine incana & hirſuta. *Cauliculis* quadratis, geniculatis, virgultis, hinc inde ſparſis; *foliis* oblongis, profundius dentatis & pene laciniatis donatur. *Flores* in calyculis lanuginoſis terminationibus aculeatis *Chamædryos* forma, ex flavis rufeſcentes, è foliorum *alis* prodeunt, unde & *aculei* bini, aliquando plures, modo breviores, modo longiores, exſurgunt. Aliquando ex geniculis unum *virgultum* prodit, cujus ſummitati *ſpina* ſubtiliſſima inſidet. *Semen* rotundum, ſubnigrum, calycis fundo reperitur. *V. icon. tab. an.* 22.

In Luſitania D. Tournefort *collegit. Annua eſt planta; è cujus ſeminibus D.* Richardſon M. D. *Botanicus apprime gnarus, alias plantas, ad eundem modum erectas ſpinis omnino deſtitutas, ortas eſſe aſſerit.*

18. Chamædrys *minor annua laciniatis foliis, Nobis. Botrys chamædryoides, C. B. P. Chamædrys fœmina, Lugd. Botrys verticillata, J. B. Ramulis* hinc inde diffuſis dodrantalibus & hirſutis, à *radice* annua ſtatim divaricatis, aſſurgit. *Folia* è geniculis paria, uncialia, petiolis inſidentia, laciniis ad medium uſque nervum, mutuo ſibi reſpondentibus diviſa, prodeunt. *Flores* è ramulorum geniculis ſecundum ramulos, è *calycibus* verticillatim diſpoſitis, exeunt; quibus *ſemina* parva, rotunda, fuſca, rugoſa ſuccedunt; hiſceque matureſcentibus *radix* perit, & è ſemine deciduo quotannis renovatur. *V. icon. tab. an.* 22.

In agris ſterilioribus Germaniæ, *& in campis declivibus montis* Cetii *verſus mare, haud longe à* Monſpelio, *ſponte naſcitur.*

19. Chamædrys *annua multiflora tenuifolia Hiſpanica, Tournefortii.* Inauditam hanc plantam *Cl. Tournefortius Pariſienſis*, in perambulationibus ſuis *Luſitanicis*, detexit. Ramuli palmares, nunc erecti, nunc reclinati, ex rotundis quadrati, in minores diviſi, è *radice* tenui exſurgunt; ad quorum genicula *folia* tennia, *Chamæpityos* ſimilia, diviſura recta, ut plurimum trifida & quinquifida, enaſcuntur. Ad horum porro exortum, petiolis parvis verticillatim inſidentes, *calyces* breves, aſiarum calycibus magis patuli, in quinque *ſpinulas* definentes, proveniunt. *Flores* ferme *Chamædryos* ſimiles cum *ſtaminulis* ſuis exeuntibus, apparent cærulei.

20. Teucrii *facie fruteſcens Canarienſis pediculis longioribus, floſculis pentapetaloidibus albis, Polihomons Inſulanis dicta.* E *ſeminibus* à *D. G. London* Hortulano Regio peritiſſimo acceptis, hæc planta pariter ac ſubſequens orta eſt. *Viticulis* ſuis lignoſis, ex rotundis quadratis, molli hirſutie (præſertim tenerioribus) pubeſcentibus, bicubitalibus & tricubitalibus aſſurgit. His ex adverſo apponuntur *folia* unciam lata, paullulumque longiora, è lata baſi in mucronem obtuſum abeuntia, per ambitum rotundis crenis dentata, viridia, ad *Betonicæ* vulgaris formam & odorem accedentia, pediculis quoque hirſutis uncialibus inſidentia. Ex horum ſupremis *alis* protruduntur *petioli* graciles, primo ſimplices, qui ſtatim binatim ſe dividunt, (ubi nonnunquam floſculum in angulo gerunt) hique rurſus in alios atque alios, dichotomum ordinem ſervantes, *floſculos* quamplurimos candidos, fundo integros, margine in quinos angulos diviſos, veluti corymbatim diſpoſitos, ſuſtinent. Florum autem anguli cito reflectuntur, ut quilibet rotundus appareat. *Semina* exigua rotunda, *Thymi* minora.

21. Teucrii *facie fruteſcens Canarienſis pediculis brevioribus, breviorique hirſutie pubeſcens, Lingo-veba indigenis dicta.* Hæc præcedenti ſimilis eſt; in altum quoque *Teucrii* facie attollitur. *Folia* quodammodo ad baſin rotundiora, & obtuſiora, *lanugine* candidiore & breviore, potiſſimum adverſa parte, pubeſcunt, *odoreque* remiſſiore prædita, pediculis brevioribus (imo ſemuncialibus) è regione inſident. *Flores* nondum nobis protulit.

22. Teucrii *facie Biſnagarica tetracoccos roſtrata, pilis ſcatens, fol. profunde venoſis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 64. Munificentiæ amiciſſimi *D. Gyfford* ex *India* Orientali tranſmiſſam hanc plantam debemus acceptam. *Caules*

ei

ei quadrati, lignosi, quadrangulares, tomentosis pilis obsiti sunt. *Folia* alternatim proveniunt, unciam longa, semunciam lata, obtusa, & qua parte cauli adhærent angustiora, *Chamædryos* denticulationibus crenata, pilis candidis obducta, & venis profundioribus insecta. *Flores* in planta sicca videre non licuit; sed ad caulium latera, & non è foliorum sinubus, quatuor *fructus* parvuli, simul congesti, cum rostro è medio eminente, adhærent.

Alternata foliorum positione; floribus incognitis, fructibusque non ex alis nascentibus, perpensis; an hunc locum sibi vindicet necne, certo nobis non constat.

23. Chamædryfolia *tomentosa Mascatensis, D. Brown. D. Pluk. Phyt. Tab. 275. Fig. 6.* Planta hæc in ramulos hirsutos divaricata, *folia* inordinatim posita gerit, ad folia *Chamædryos* quodammodo accedentia, latiuscula, crenis dentata, petiolis hirtis adhærentia. Ad horum enim exortum *calyces* flosculorum tres quatuorve numero, lanugine quoque pubescentes, sessiles per totam fere plantam proveniunt. *Cl. Plukenetius* quærit an *Ahuapatli Chamædrys Mexicana Recchi* 133. non eadem sit, cui quidem affinis est, nisi quod *florum spica foliis* destituta in summitate nascatur.

De aliis Chamædryidibus dictis Annotatio.

Chamædrys *Alpina Cisti flore, C. B. P. Chamædrys Alpina flore Fragariæ albo, J. B. Chamædrys* 3. *sive montana, Clus. Pan. & Hist.* Inter Caryophyllatas Volumine priore. p. 432. quærenda est.
Chamædrys *Alpina saxatilis* 6. *C. B. P. Teucrium* 6. *Clusii.*
Chamædrys *Alpina minima hirsuta* 7. *C. B. P.* 4. *Prod.*
Chamædrys *Austriaca foliis tenuissime laciniatis* 9. *C. B. P. & 2. Prod.*
Chamædrys *spuria major latifolia* 11. *C. B. P.*
Chamædrys *spuria major altera sive frutescens* 12. *C. B. P. Chamædrys spuria latifolia, J. B.*
Chamædrys *spuria major angustifolia* 14. *C. B. P. Chamædrys sylvestris, Dod. Ger. Teucrium* 4. *Clus.*
Chamædrys *spuria minor rotundifolia* 15. *C. B. P.*
Chamædrys *spuria minor latifolia* 16. *C. B. P. Chamædrys spuria latifolia, J. B. Teucrium* 5. *Clus. Hist.*
Chamædrys *spuria minor angustifolia, J. B.*
Chamædrys *spuria latifolia minima* 17. *C. B. P.*
Chamædryi *spuriæ affinis rotundifolia scutellata* 19. *C. B. P. Alyssum Dioscoridis montanum, Col.*

Cum hæ variæ Plantæ jam nominatæ tetrapetalæ sint, filiculosæ, bicapsulares, ad *Veronicæ* familiam reducendæ; & proinde pag. 319, 320, & 321. Volumine priore inter consortes quærendæ sunt.

Chamædryos Vires & Usus.

Calidam qualitatem arguit ejus amaritudo, quæ tamen in excessu non posita est. Incidit; attenuat; obstructiones pertinacissimas aperit; diuresin & sudores promovet; ictero flavo æque ac nigro medendo prodest; nigro tamen magis convenire nonnulli volunt, quia herba est splenetica; nam nigri sedes vulgo ponitur in liene. Lienem ipsum ab hujus usu colliquari auctor est Galenus: *ob quam commendationem (inquit* Sim. Paulli) *infusis aut decoctis melanagogis semper eam addere soleo.*

In febribus tertianis & quartanis curandis, efficax habetur. Scorbuto & arthriticis doloribus amoliendis prodest. Pestilentiæ; lumbricis; sanguini concreto; podagræ; hæmorrhoidum doloribus; capitis morbis frigidis; ictero; auribus vermiculosis; suppressis urinis & febribus tertianis, feliciter adhiberi asserit Matthiolus.

Chamædrys paluſtris Scordium dicta, *calida est & acris, mitior autem ejus acrimonia & odor quam* Allii *seu σκορόδε, à quo nomen vulgare assumpsit.*

Alexipharmaca est & sudorifica, & multum in contagiosis & pestilentialibus morbis celebrata. Venenis adversatur, & contra venenatos morsus bibitur. Putredini restitit. Si Galenum *audiamus, cadavera à putredine supra fidem tuetur. Vermes & lumbricos intestinis expellit.*

Insuper planta est vulneraria, nec tantum in vulneribus sanandis, sed & in cura gangrænarum & ulcerum laudatur.

Chamædrys elatior Salviæ folio 13. Scorodonia dicta, *Gesneri judicio in remediis* Scordio *præferenda fuerit.* Fabr. Hildanus *hanc miris laudibus in ulceribus gangrænosis claudendis celebravit, & duplicata dosi* Scordio *substituit* J. Bauh. *Est ergo vulneraria, sudorifica, diuretica, uterina,* &c.

PLANTÆ TETRACARPÆ

Floribus galea carentibus.

CAPUT XLI.

Chamæpitys.

CHamæpitys Καιμαίπιτυς *quasi* humilis Picea, *à foliis crebrius dispositis* Pinum *referentibus; vel quod folia* Piceam *oleant.* Iva *appellatur quasi* Juva, *à maximo* juvamine, *quod variis morbis affert. Et* Arthritica, *quoniam articulorum morbis curandis confert.*

Chamæpitys humilis est herba *odore* resinoso, *foliis* densius dispositis, & plantarum omnium *floribus galea* destitutis ornatarum, angustissimis.

TABULA

TABULA XXXVI. SECT. XI.

Chamæpitys foliis
- *divisis*
  1. *Lutea vulgaris folio trifido, C. B. P. Chamæpitys vulgaris odorata florè luteo, J. B.*
  2. *Multifido folio, Lamii flore, C. B. P. Chamæpitys ſpuria altera, Dod. Pſeudo-chamæpitys, Cluſ. Hiſt.*
- *integris*
  3. *Sive Iva moſchata Monſpelienſium, J. B. Chamæpitys moſchata foliis ſerratis, C. B. P.*
  4. *Orientalis, J. B.*
  5. *Incana exiguo folio, C. B. P. Chamæpitys folio non laciniato, J. B. 3ª Dod.*

1. Chamæpitys *lutea vulgaris folio trifido, C. B. P. Chamæpitys vulgaris odorata flore luteo, J. B. Chamæpitys 1. Matth. Dod. Major, Tab. Mas, Eyſt.* Radicula ſatis longa, dura & fibrata eſt, unde cauliculi hirſuti, palmares, per terram ſparguntur; quibus per intervalla, haud longa *folia*, ex adverſo bina, trifida, aviculæ digitatos pedes referentia, hirſuta, naſcuntur, & in *caulium* extremitate crebrius diſpoſita. Ex horum alis *floſculi* lutei *labello* latiore bifido, ſuperiore parte punctulis rubris guttato emergunt, & *galeæ* vice *ſtamina* prodeunt dilute purpuraſcentia. *Calyces* vaſculave ſeminalia brevia, hirſuta, *ſemina* quaterna, triquetra, continent. *Vid. icon. tab, æn.* 22.

Arenoſis & ſabuloſis gaudet, circa Monſpelium, *in* Italia & Germania, *interdum etiam in arvis reſtibilibus* Angliæ. *Per totam æſtatem floret.*

2. Chamæpitys *multifido folio, Lamii flore, C. B. P. Chamæpitys ſpuria altera, Dod. Ger. Pſeudo-chamæpitys, Cluſ. Hiſt.* Puſilla eſt planta, antecedenti valde ſimilis. *Foliola* quinquefariam frequentius, & in longiora & tenuiora ſegmenta dividuntur, hirſutiora, ſubſalſo guſtu, & inodora, niſi quod herbaceum quidpiam oleant. *Flores* extremis ramis ex *alis* prodeunt, è luteis pallentes & inverſos Lamii referentes. *Semina* in ſingulis calyculis ſeu utriculis quaterna, cineracei coloris, majuſcula, & ferme orbiculata, ſuccedunt. *Radix* craſſiuſcula eſt & perennis, quantum conjicere licet. *V. icon. tab. æn.* 21.

Locis incultis Hiſpaniæ *provenit,* Cluſio *auctore. In* Luſitania *etiam D.* Tournefort *collegit.*

3. Chamæpitys *ſive Iva moſchata Monſpelienſium, J. B. Chamæpitys moſchata foliis ſerratis, an prima Dioſc? C. B. P. Chamæpitys ſpuria prior, ſive Anthyllis altera, Dod. Anthyllis altera, Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Ramulos* humi expanſos habet, teneros, villis obſitos, palmaris longitudinis, quibus *folia* integra, unciam unam aut alteram longa, crebro villoſa, albicantia, unciæ quadrantem lata, extremo margine nonnihil ſerræ modo inciſa, qua parte cauli hærent anguſtiora, bina ſemper ex adverſo, ſerie quadam diſpoſita, guſtu nonnihil fervido, & odore ſatis gravi adhærent. *Flores* ſatis magni purpuraſcentes, hirſuti, patulo rictu hiant. *Semina* in ſingulis vaſculis quaterna ſimul conjuncta, oblongiuſcula, curva, & rugoſa. *Radix* craſſa, ſubalbida, & fibrata. *V. icon. tab. æn.* 22.

Nihil abundantius per æſtatem & autumnum in ſatorum & vinearum ſiccioribus marginibus, circa Monſpelium, *uti refert D.* Magnol. *Aliiſque* Galliæ Narbonenſis *locis arenoſis copioſe naſcitur.*

4. Chamæpitys *Orientalis, J. B.* Pluſculis *ſtolonibus* palmaribus, craſſis, quadratis, *tomento* multo candido obſitis, fruticat. *Foliis* veſtitur ad nodos confertis, uncialibus circiter, *Ivæ moſchatæ Monſpelienſium* ſimilibus, lanuginoſis, craſſis, per extrema denticulatis, guſtu amaro. Ex horum *alis* ab imis ramis ad faſtigium uſque *voſcula* erumpunt hirſuta, in quatuor carinas dehiſcentia.

Auctor docet ſe oblitum eſſe undenam habuerit; altis robuſtior & erectior eße videtur.

5. Chamæpitys *incana exiguo folio, C. B. P. Chamæpitys folio non laciniato, J. B. Chamæpitys 3. Dod. Altera, Matth. Chamæpitys 1. Dioſc. odoratior, Adv. Lob.* Tenues omnino promit *cauliculos* palmares; *foliola* perquam exigua, integra, cum ramulis quoque caneſcentia, odore quali reſinæ, pityinæ aut pineæ; *floſculos* parvos è luteis pallentes, ad faſtigia cauliculorum; *radiculas* ſimiliter minutas & tenuiſſimas. *Dod.* Figura à *Lobelio* exſculpta pingitur ſine *pilis. V. icon. tab. æn.* 22.

Auctoribus de hac Planta minime inter ſe convenit.

Temperamentum & Vires.

Temperamento & viribus ad Chamædrin ſativam *quam proxime accedit, ejuſque vices in pleriſque affectibus præſtat. Arthriticos & iſchiadicos juvat; nervis ſuccurrit; valetque in paralyſi; obſtructa reſerat; ictero medetur* (teſte Dioſcoride) *ſi ſeptem diebus in vino potetur. Vulnera glutinat; nomas cohibet.*

In urinæ difficultate, & in mictura ſanguinis, multum commendatur. Menſes movet; fœtum pellit; abortum procurare dicitur.

PLANTÆ GALEATÆ

Semina poſt ſingulos flores plurima proferentes.

Pedicularis, Melampyrum, Euphraſia, & Aſarina.

CAPUT XLII.

Pedicularis.

PEdicularis *dicitur, eo quod à pecoribus devorata,* pediculorum *ingentem copiam procreet. Alii* enecare pediculos *dicunt.* Criſta galli & Alectorolophus, *ob florum congeriem & denſe galli gallinacei* criſtæ *in modum faſtigiatam, quibuſdam dici videtur.*

Pedicularis *flores* ſunt galeati, non verticillati. *Vaſculum* ei ſeminale tumidum ſubrotundum, *calyce* velut inflato contentum, binis loculis dividitur.

TABULA XXXVII. SECT. XI.

- *Pedicularis*
  - *annua*
    - *lutea*
      1. *Pratenſis vel Criſta galli, C. B. P. Criſta galli, Lob. Dod. Cæſ.*
      2. *Pratenſis elatior majoribus foliis. Criſta galli mas, J. B.*
      3. *Vel Criſta galli umbellata humilis, C. B.*
      4. *Spicata flore magno Meſſanenſis, Raii.*
      5. *Vel Criſta galli anguſtifolia montana, C. B. P. & Prod.*
      6. *Montana floribus pallidis in ſpicam congeſtis, Raii.*
      7. *Montana exigua floribus magnis, Mentz.*
      8. *Apula unicaulis flo. vario, Nob. Trixago Apula unicaulis, Col.*
    - *purpurea*
      9. *Sive Criſta galli Mexicana, Coxtic mecapatli tilancenſis, Recchi.*
  - *perennis*
    - *lutea*
      10. *Alpina radice nigra, J. B. Pedicularis Alpina lutea, C. B. P.*
      11. *Alpina Filicis folio major, C. B. P. Major Dal. J. B.*
    - *purpurea*
      12. *Major Alpina radice Oenanthes ſeu Aſphodeli, Nob. Alectorolophus primus vel Alpinus major, Cluſ. Hiſt.*
      13. *Paluſtris ſeu pratenſis vulgaris humilior, Nobis. Pedicularis pratenſis purpurea, C. B P.*
      14. *Paluſtris rubra elatior, Raii. Pedicularis Danica maxima, Lob. Illuſt.*
      15. *Alpina Teucrii folio, Nobis. Clinopodium Alpinum Pona, Ital.*
    - 16. *Virginana flore ochroleuco.*

17. *Pedicularis ſive Criſtæ galli affinis Virginiana Ajugæ multifido folio, apicibus coccineis, floribus pallidis in ſpicam congeſtis, D. Pluk. Phyt.*

1. Pedicularis *pratenſis lutea vel Criſta galli, C. B. P. Pedicularis lutea, Tab. Criſta galli, Lob. Dod. Cæſ. Alectorolophus, Ang.* E radicula tenui annua, caulis erectus, quadratus, pedalis, in ramulos quoſdam diviſus exſurgit; quos adverſo ſitu poſita bina ſemper ambiunt *folia*, ſine pediculo, ad exortum latiuſcula, ſenſim in mucronem deſinentia, unciam præterpropter longa, altius crenata, *galli criſtam* æmulantia. E foliorum *alis*, in ſupremis caulibus, *flores* una cum folliculo compreſſo & quaſi inflato, prominent pallide lutei, galeati, labio ſaturatiore luteo colore tincto præditi. *Utriculi* foliacei modice protuberantes, margine dentati, ſemina compreſſa, rotunda, pallida, membraneo margine circumcincta, continent. Poſt ſemina decidua, *vaſcula* ante fœniſecam vento agitante crepitant. *V. icon. tab. an.* 23.

In paſcuis & pratis nihil frequentius, nihil inutilius.

2. Pedicularis *lutea pratenſis elatior majoribus foliis. Criſta galli mas, J. B.* Antecedenti ſimilis eſt, altior vero attollitur. *Folia* latiora; *flores* ampliores, magis albeſcentes; & *utriculi vaſcula* ſeminalia occultantes, hirſuti ſunt.

Circa Genevam, *& in* Germania, *una cum vulgari reperitur.*

3. Criſta *galli umbellata, C. B. P. & Prod. Radice* eſt tenui, parva; *caule* palmo parum altiore, tenui, & erecto; *foliis* paucis, unciam longis, anguſtis, per ambitum crenatis. Caulis ſummo *flores* plures, lutei, quaſi in umbella diſpoſiti, triplo majores & latiores quam qui in vulgari, ſunt. Iſtis *valvulæ* latæ, membranæ, *ſemen* continentes, ſuccedunt.

In Caſtiliæ *agris legitur.*

4. Criſta *galli ſpicata flore luteo magno, Raii.* Forte *Antirrhinum album ſerrato folio, J. B.* 437. Et *Euphraſia aſpero & valde fragili folio montana perennis, Griſley Viridar. Luſit. Pedicularis Æthiopica Rutæ caninæ aſpero & valde fragili folio, D. Pluk. Phyt.* 310. *Radice* eſt ſurculoſa, annua tamen; *caule* cubitali aut etiam altiore, recto, firmo, quadrato, nonnihil lanuginoſo. *Folia* plerunque bina ex adverſo ſita ſunt, longa, anguſta, pallide viridia, rarius & majoribus circa margines dentibus exſtantibus, velut laciniolis inciſa, *Crateogoni Euphroſynes*

phroſynes facie foliis ſimilia. *Spica florum* in ſummo congeſta grandis, quadrata, lanuginoſa, & nonnihil etiam viſcoſa. *Flores* lutei, ampli, cucullati, figura florum *Ladani ſegetum*, ex utriculis ſatis amplis, *vaſculum* ſeminale bivalve claudentibus erumpunt.

In lateribus montium Meſſanæ *imminentium, Maio menſe in ſtatu & vigore collecta eſt. Copioſe invenit* D. Magnol. *æſtate media, in ora maritima vulgo* Plage, *quæ reſpondet prædio dicto* Areſquies, *inter Juncos verſus* Miram *vallem* & Frontignanam.

5. Criſta *galli anguſtifolia montana, C. B. P. & Prod.* Hæc *caule* eſt cubitali, anguloſo, *foliis* oblongis, anguſtis, acuminatis, margine crenatis, binis ſibi ex oppoſito correſpondentibus veſtito; ex quorum *alis foliola* minora prodeunt, & plerumque *cauliculus*, unam alteramve unciam longus, minutiſſimis *foliolis* cinctus; ipſe vero *caulis* in ramos ſemipalmares, & ſubinde longiores, dividitur; quibus *flores* pallidi, eo, quo in vulgari, ordine, ſed longe minores inſident. Iſtis valvulæ *ſemen* latiuſculum includentes ſuccedunt.

Hæc montibus urbi Baſileæ *vicinis reperitur.*

6. Criſta *galli montana floribus pallidis in ſpicam congeſtis, Raii.* *Radix* ei *Tragopogonis* craſſitudine, ſapore non ingrato *Nucis Avellanæ.* *Folia* ad radicem alata, *Filicis* fere in modum compoſita, inferius hirſuta, ſingulis pinnis ad margines ſerratis, *Criſtæ galli vulgaris luteæ folia* bene imitantibus. *Caulis* ſingularis, pedalis, teres, firmus, *ſpicam* in ſummitate gerit palmarem, *florum* denſe ſtipatorum, pallide luteorum, *Criſtæ vulgaris luteæ* ſimilium, niſi quod majores ſint, è *calyce* ventricoſo, pentagono emicantium, pediculis nullis. In *calyce* latet ſeminis *conceptaculum* turbinatum, *ſeminibus* minutis rotundis impletum. Unicum plerunque habet hæc planta in caule *folium* infra *ſpicam.*

In ſummis jugis montium altiſſimorum Maximum Carthuſianorum *cœnobium circumdantium invenit auctor.*

Criſta *galli montana exigua floribus magnis, Mentzelii.* In Alpibus *Tyrolenſibus* naſcitur hæc ſpecies humilis, cujus *flores* lutei, magni ſunt & galericulati. Et ſi auctori fides habenda ſit, plures in *Italia* dantur, inter *Appennina* juga, magnitudine florumque varietate diſcrepantes.

8. Pedicularis *ſeu Criſta galli Apula unicaulis viſcoſa magno flore vario, Nobis. Trixago Apula unicaulis πλειοάνθος, Col. Chamædrys unicaulis ſpicata, C. B. P. An Antirrhinum album ſerrato folio, J. B.?* A *radice* ſingulari unicaulis ſemper eſt, pedali altitudine, *foliis* anguſtis ſerratis, triunciali longitudine, ex oppoſito digitalibus interſtitiis hærentibus. In ejus cacumine *ſpica* eſt longa, quadrata, è criſtatis foliis rotundioribus, *Euphraſiæ vulgaris* ſimilibus conſtructa; ex quibus *flores* galericulati, magni, latis *barbulis* albis, pallentibus, capitibus vero purpuraſcentibus, hirſutis, è denſis utriculis hirſutis inter folia occultatis erumpunt. Iſtis decidentibus *fructus* remanent nigri, aſperi, rotundi, in acumen deſinentes, longum *ſtamen* habentes in ſummo. Inque his *ſemina* arenæ inſtar minutiſſima flava, continentur. *Vid. icon. tab. æn.* 24.

Cinarolæ *haud longe ab oppido, Menſe Maio floreſcens & Junio matureſcens,* Fab. Col. *detexit.*

9. Pedicularis *purpurea ſive Criſta galli Mexicana, Coztic mecapatli Tilancenſis, Recchi.* 242. *Radix* ei longa, tenuis, lutea. *Folia* habet obrotunda parva, *Leguminis* aut *Nummulariæ* ſimilia; *caules* ſeſquidodrantem longos, & in ſummo *flores* ſpicatos, purpureos. *Calyx* luteus, qualis in *Criſta galli*, eſt.

Pediculares perennes.

10. Pedicularis *Alpina flore luteo, radice nigra, J. B. Pedicularis Alpina lutea, C. B. P. Filipendula Alpina, Lugd. Radice* craſſa, nigra, multifida terram occupat. *Folia* inde profert longo pediculo mixa, quæ *foliolis* multis conſtant, toto ambitu minutiſſime incifis, ex adverſo ſitis, ut in *Filipendula* videre eſt; quæ cauſa nominis fuit *Filipendulæ Alp. Lugd. Caulis* pede altior *flores* luteos ſpicatim fere congeſtos in vertice ſuſtinet; quibus delapſis, *vaſcula* ſuccedunt oblonga, *Antirrhini* loculis ſimilia, minuto *ſemine* plena. *V. icon. tab. æn.* 22.

Summis Alpium jugis naſcitur.

11. Pedicularis *Alpina filicis folio major, C. B. P. Pedicularis major Dalechampii, J. B. Major Alpina, Park. Filipendula Alpinæ* affinis eſt. *Radice* foris nigra, *Napi* modo gracileſcente, rugoſa, nonnihil ſurculoſa; *caule* ferme cubitali, virgato, unico; *foliis* Filicis in longo pediculo ordine collatis, per ambitum crenatis, exeunte per caulem alternatim unoquoque foliorum pediculo; *flore* pallido, ſpicatim in ſummo caule congeſto; *ſemine* copioſo, in latis corticoſis vaſculis incluſo donatur. *V. icon. tab. æn.* 23.

In vertice montis aurei Gergobiæ Avernorum *propinqui gignitur. Dalech.*

12. Pedicularis *Alpina purpurea major radice Oenanthes ſeu Aſphodeli, Nobis. Alectorolophus primus vel Alpinus major, Cluſ. Pan. & Hiſt. Filipendula montana, Dod. Tab. Pedicularis bulboſa, J. B.* Unum, aliquando & plures ab una *radice* promit cubitales *caules*, minimi fere digiti interdum craſſitudinem æquantes, læves, per quos ſparſæ foliorum *Filipendulæ vulgaris* foliis non valde diſſimiles alæ. *Flores* innaſcuntur ſummis caulibus copioſi, oblongæ *ſpicæ* inſtar, quemadmodum in *Orchitibus*, confertim naſcentes, & illarum floribus perſimiles, è calyculis pentagonis, inter minutiora folia prodeuntes, exalbido colore. Iis ſuccedunt mucronata *capitula*, maturitate dehiſcentia, *ſemenque* oſtendentia exiguum, inæquale, cineracei coloris. *Radix* craſſiuſcula eſt perennis, in craſſas fibras Aſphodelinis bulbis pæne ſimiles diviſa. *Vid. icon. tab. æn.* 23.

Invenitur & alia varietas *foliis mollioribus & floribus modo pallidis, modo purpureis. Alectorolophus* 2. *Cluſ. Pan. & Hiſt.*

Utrumque genus in ſummis Alpibus Dureſtain, Etſcher, *aliiſque celſis & herboſis jugis naſcitur.* Cluſ.

13. Pedicularis *purpurea paluſtris ſeu pratenſis vulgaris humilior, Nobis. Pedicularis pratenſis purpurea, C. B. P. Pedicularis quibuſdam Criſta galli flore rubro, J. B. Pedicularis, Ger. Alectorolophi* 3. *genus, Cluſ. Fiſtularia, Dod. Folia* habet parva, crebris incifuris, *Filipendulæ* tenuioribus, criſpa; *caules* tenues, palmares, anguloſos, quoſdam per terram ſparſos, alios erectos. *Flores* è veſiculis laxis, ſu'catis, ad rubedinem tendentibus, ampli, galeati, purpurei, labio trifariam diviſo, emergunt. *Capſulæ ſeminales* bifidæ, *roſtro* in apice eminente, *ſemina* ſubrotunda fuſca continent. *Radix* ſubeſt longa, alba, parvi digiti magnitudinem adæquans, fibris quibuſdam adnexis. *V. icon. tab. æn.* 23.

Rarius invenitur *floribus albis.*

In pratis humidioribus & ericetis paluſtribus paſſim occurrit. Floret per totam æſtatem.

14. Pedicularis *paluſtris rubra elatior, Raii. Pedicularis Danica maxima, Lob. Illuſt.* 147. Antecedenti affinis eſt, ſtatura præſertim differt; aſſurgit enim ad pedalem & cubitalem altitudinem. *Folia* prima humi procumbentia, (ut in priore) latiuſcula, cum *Dryopteris* ſegmentis, cujus & formam retinent, *vaſculaque* foliacea *capſulas ſeminales* occludentia, hirſutiora & minora ſunt.

In paluſtribus lociſque humidis non raro invenitur.

15. Pedicularis *Alpina purpurea Teucrii folio, Nobis. Clinopodium Alpinum, Ponæ Ital. Chamædryfolia aliquatenus affinis Alpina, & Clinopodium Alpinum Ponæ, J. B. Teucrium Alpinum coma purpureocærulea, C. B. P. Et Clinopodium Alpinum birſutum, ejuſdem. Radix* perennis fibris tenacibus affixa, *caules* dodrantales, anguloſos, emittit, non ramoſos; ad quorum ſingula genicula binatim & contrariis paribus diſpoſita, enaſcuntur *folia* ſeſſilia, unguis humani latitudine, mucronata, hirſuta, dentata, *Veronicæ*, vulgo *Chamædryos ſylveſtris* nominatæ folia æmulantia. *Flores* inter ſuprema folia erumpunt longi, tubuloſi, galeati, colore obſcure rubenti, cum *apice* longo in medio prominente; quibus dehiſcentibus, *vaſcula Pedicularis Alpinæ* ſimilia, in binas carinas, ſingulas totidem diviſas loculis, ſeſe aperientia, *ſemine* parvo, nigro, plena, ſuccedunt.

In Alpibus Allobrogicis *collecta eſt.*

16. Pedicularis *Virginiana floribus conglomeratis ochroleucis.* Planta hæc palmaris *caulibus* erectis aſſurgit; in quorum ſummitatibus *ſpica* compactæ & *Prunellæ* in modum coagmentatæ, *flores* longos, tubuloſos & galeatos, ex luteis albeſcentes ſeu ochroleucos, protrudunt. *Folia* longis petiolis innixa, alata, longa, & *Pedicularis vulgaris* ordine diviſa & ſerrata, è *radice* nigricante, fibrata prodeunt.

17. Pedicularis *ſive Criſtæ galli affinis Virginiana Ajugæ foliis multifidis apicibus coccineis, floribus pallidis in ſpicam congeſtis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 102. Ex erecto *caule* villoſo, *folia* alternatim poſita, *Coronopi* in modum diviſa, *Chamæpityos* longiora, molli hirſutie pubeſcentia, per intervalla exeunt. *Flores* ſpicatim in ſummitatibus rubeſcente coccineo colore tinctis è foliorum minorum *alis* prodeuntes, oblongi, pallidi, è calyce in fundo tumeſcente, & anguſtius terminato, enaſcuntur; quibus dehiſcentibus, *calyx* ad latus erumpit, & *vaſculum ſeminale* turgidum, bivalve, *ſemina* plurima exigua in ſe continens, exſeritur.

De Pedicularis viribus parum tradiderunt Auctores.

Frigida & ſicca eſt; creditur ad fiſtulas & ſinuoſa ulcera utilis eſſe; necnon menſes & aliunde profluentem ſanguinem, in vino auſtero decocta, potaque ſiſtere. At propter viroſam facultatem Jo. Bauh. *uſum internum improbat & condemnat.*

PLANTÆ GALEATÆ

Semina triticea incerto numero producentes.

CAPUT XLIII.

Melampyrum.

MElampyrum, *à* Μέλας *&* πυρὸς, i.e. *Triticum nigrum, eo quod ſemina triticeis ſeminibus ſint ſimilia, ſed minora nigrioraque. Inter ſegetes reperitur, & cum grano* Tritici *ſint ſimilia; ſunt qui* degener *eſſe* triticum *vani contendunt.*

Triticum *vaccinum* etiam appellatur. eo quod *vaccis* pabulum non ſit inutile. Granorum magnitudine à cæteris facile dignoſcitur.

TABULA XXXVIII. SECTIONIS XI.

Melampyrum
- *læve*
  1. *Purpuraſcente coma, C. B. P. Parietaria ſylveſtris* 3. *Cluſ. Hiſt. Triticum vaccinum, J. B.*
  2. *Criſtatum flore albo & purpureo, J. B.*
  3. *Luteum latifolium, C. B. P. Melampyrum ſylvaticum flore luteo, ſive Saturnia lutea ſylveſtris, J. B.*
  4. *Luteum anguſtifolium, C. B. P. Linopyrum ſive Melampyrum luteum Linariæ folio, C. B. Prod.*
- *hirſutum*
  5. *Cærulea coma, C. B. P. Melampyro affinis Parietaria cærulea quorundam, J. B.*
  6. *Seu lanuginoſum Bæticum, C. B. P. Parietaria montana Bætica, Cluſ. Cur. poſt.*

7. *Melampyro cognata Madraſpatana ſpinis horrida, D. Pluk. Phyt.*
8. *Melampyro affinis tetraphylla Gangetica floribus inter folia ſparſis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 99.

1. Melampyrum *purpuraſcente coma, C. B. P. Melampyrum, Dod. Lob. Tab. Melampyrum multis ſive Triticum vaccinum, J. B. Parietaria ſylveſtris* 3. *Cluſ. Triticum vaccinum, Trago.* Annua, lignoſa, exigua, & fibroſa eſt ei *radicula*: ex qua ſurgit *caulis* ſingularis, quadratus, hirſutus, purpuraſcens, multis *alis* concavus. *Folia* ex intervallis ex adverſo poſita, inferiora *Linariæ*, alia lata & profunde laciniata, aſpera, atrovirentia, iis quæ in ſupremo thyrſo ſunt brevioribus, latioribus, digitatis & hilari purpura tinctis. Ex eorum alis galeati

leati *flores* exeunt ſubhirſuti, *caſſide* purpurante, *labello* luteo, cum rubore admixto, cervice penitus lutea, purpuraſcenteque reliquo. *tubulo;* quibus ſuccedunt in *capſella* oblonga, turgida, binatim divila *ſemina* duo aut tria, triticeis minora nigrioraque. *V. icon. tab. æn.* 23.

In arvis & inſatis Italiæ, Germaniæ, & Galliæ *frequens occurrit; in* Anglia *nondum reperitur.*

2. Melampyrum *criſtatum flore albo & purpureo, J. B.* Ex longioribus intervallis *folia* anguſta, recta, *Linariæ* longiora, ex adverſo provenientia, *cauli* pedali adnaſcuntur; è quorum alis *brachia* tenuia longiora ramificantur. *Spicæ* craſſæ, quadratæ, ſummos caules occupant, è *foliolis* criſtatis latiuſculis, purpuraſcentibus, lunæ creſcentis figura, in ſuperiore margine ſeu arcu denticulis crenatis, mucrone in medio excurrente, imbricatim naſcentibus compoſitæ. Inter iſthæc foliola *flores* tubuloſi, longi, hiantes, galeati, purpuraſcentes ut plurimum, rarius albi, rictu luteo, prodeunt. *Semina* capſulis longiuſculis, compreſſis, in bina loculamenta diviſis, contenta, *Tritici* tenuioris ſunt ſimilia. Atque iis matureſcentibus, *radix* perit. *V. icon. tab. æn.* 23.

Solo fictili, locis herbidis & ſylvoſis variis, Angliæ & Germaniæ *gaudet.*

3. Melampyrum *luteum latifolium, C. B. P. Parietaria ſylveſtris* 2. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Satureia lutea, Dal. Hyſſopus nemorenſis lutea, Lugd. Melampyrum ſylvaticum flore luteo ſive Satureia lutea ſylveſtris, J. B. Caulem* habet pedalem, quadrangulum, nonnihil interdum purpuraſcentem, ſtatim à *radice* in ramos diviſum. Sub ramis expanduntur *folia* oblonga, virentia, unciam unam aut alteram longa, culmum lata, & acuta; ſuprema vero interdum latiora, & aliorum more laciniata. *Flores* in ſummis ramis inter pinnata & anguſta *folia* naſcuntur, minores, tubuloſi, lutei coloris (qui tamen in marceſcentibus exalbeſcit) rictu manente luteo. *Semina* in *vaſculis* compreſſis bicapſularibus ſuccedunt, turgida, *Tritici* ſimilia; quibus deciduis quotannis renovatur.

In umbroſis ſylvis & dumetis, ad radices arborum & inter muſcum, non ſolum in Anglia, *ſed &* Germania, Ungaria, Moravia, *aliiſque locis frequens reperitur.*

4. Melampyrum *luteum Linariæ folio, C. B. P. Linopyrum ſive Melampyrum luteum Linariæ folio, C. B. Prod.* Huic *folia Linariæ* foliis anguſtiora ſunt; ex quorum ſinu *folia* alia breviora & anguſtiora prodeunt. In caulis ſummitate *ſpica* exiſtit oblonga, ex pinnatis criſtatiſve & ob crenas exaſperatis ac ſubrotundis foliis compoſita, unde *flores* pallide lutei, oblongi, concavi, hiantes, antrorſum exporrecti, proveniunt. *Semen* in *ſiliquis* foliaceis oblongum, nigricans continetur. *V. icon. tab. æn.* 23.

In ſylvis Baſileenſibus *montoſis, & in* Muteto monte, *Maio Junioque menſibus florens reperitur.*

5. Melampyrum *cærulea coma, C. B. P. Parietaria ſylveſtris* 1. *Cluſ. Hiſt. Parietaria Lipſienſium, Trag. Melampyro affinis Parietaria cærulea quorundam, J. B. Caule* aſſurgit pedali, villis quibuſdam hirto. *Folia* ſecundum pediculum lata, & ſenſim in mucronem deſinentia. Summi caules deſinunt in *foliorum comam,* ad pediculum laciniatorum, mollique lanugine pubeſcentium, coloris purpurei & violacei elegantiſſimi. Inter folia bini ſemper inter ſe oppoſiti *flores* naſcuntur longiores, concavi, aliquantulum hiantes, coloris initio lutei, deinde omnino aurei, omnes tamen, licet alternis contrario ſitu naſcentes, antrorſum exporrecti & ſpectantes. *Radix* candicans, annua. *Vid. icon. tab. æn.* 23.

6. Melampyrum *lanuginoſum Bæticum, C. B. P. Parietaria montana Bætica, Cluſ. Cur. poſt.* Pedalis longitudinis *caule* prædita eſt elegans hæc planta, quadrangulo, & tenui, mollique *lanugine* tecto, in aliquot *ramos* ſecundum radicem diviſo, quos per intervalla ex adverſo ſemper naſcentia ambiunt *folia* oblongiuſcula, & anguſta, per oras ſerrata, perinde fere ac *Stœchados ſerratæ* folia. Summum ramorum faſtigium in oblongiuſculam, ſquamatam, mollique tomento conſtantem *ſpicam* deſinit; è qua *flores* elegantes, oblongi prodeunt, forma quidem aliorum floribus ſimiles, & in latus propendentes. *Cluſ.*

7. Melampyro *cognata Madraſpatana ſpinis horrida, D. Pluk. Phyt. Coletta-Vettla, Hort. Mal. Tom.* 9. 77. *Eryngium Zeylanicum febrifugum floribus luteis, Hermanni.* Planta eſt trium quatuorve pedum. *Stipites* ei rotundi, glabri, geniculati, in geniculis ſpinis tranſverſis, viridibus, acutis, longiuſculis muniti. *Folia* in illis bina & bina proveniunt, ſingula ſpinis utrinque quaternis comitata, ordine ſe mutuo decuſſantia, oblongo-rotunda, nonnihil cuſpidata. *Flores* terni & quaterni, tubuloſi, ex flavis rubeſcentes, oris in quinque partes reflexas diviſis, cum *ſtaminulis* etiam quatuor ſurrectis, flavis, craſſis apicibus nodulatis. *Capſulæ* ſuccedunt oblongæ, in cuſpidem ſtrictæ; in quarum ſingulis duo reperiuntur *ſemina,* ex rotundis oblonga, ſaporis amari, *grani tritici* æmula.

Inter plantas ſiccas ex *India* receptas exemplar habemus, cujus foliola quaſi falſa, cum ſpinulis & foliis ſe exſerentia, pallida, in oris ſpinulis dentata & criſtata ſunt, quæ ab Auctore Malabarico non notantur, ſed plana pinguntur. An eadem ſit planta necne, quærendum.

8. Melampyro *affinis tetraphylla Gangetica floribus inter folia ſparſis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 99. *Fig.* 3. Ad *Adel-Odagam, Hl. Mal. Part.* 9. *quodammodo ſpectat.* Planta hæc nova, cum pluribus aliis ex *India* Orientali recepta, in varios ramulos glabros ſe dividit; quibus *folia* ut plurimum quaterna, unciam longa, quadrantem lata, ad caulem plana, ſuperius vero & mucronem erga dentata, per intervalla diſpoſita ſunt. Ex eodem etiam exortu *calyces* ſubrotundi, hirti, & quaſi duplici ſquamarum ſerie conſtructi, petiolis brevibus inſidentes, proveniunt. Ex his duplicibus tanquam *calycibus* emergunt *flores* longi, ampli, galeati, quibus *ſemen* (notante Cl. D. *Plukenetio*) mellei coloris, lucidum, ſingulare, nudum, *grani tritici* æmulum eſt.

Auctores parum de Melampyri *virtutibus tradidere, nec quicquam memoratu dignum, & proinde conſulto prætermiſerim.*

PLANTÆ GALEATÆ

Poſt ſingulos flores ſemina plurima proferentes.

CAPUT XLIV.

Euphraſia *vel* Euphroſyne.

EUphraſia *quæ &* Euphroſyne, *Gr.* Ευφρασία & Ευφροσύνη ἀπὸ τῦ εὐφραίνειν, i. e. *exhilarando nomen obtinuit; quia planta hæc mentem & Spiritus exhilarat. Et quia Oculus ſpiritibus maxime abundat; idcirco* Euphraſia *à nonnullis Ocularia appellitatur, utpote quæ ad oculi vitia amovenda apprime utilis ſit.*

Euphraſia planta eſt galeata, non verticillata, venoſa, vaſculis oblongis, binis loculamentis diſtinctis, ſemina plurima albicantia continentibus.

TABULA XXXIX. SECT. XI.

- *Euphraſia*
  - *alba foliis*
    - *rotundioribus*
      1. *Officinarum, C. B. P. Euphragia, Matth. Caſt. Euphraſia vulgaris, Park.* ☿
      2. *Chamædryos foliis montis Sumani. Chamædrys mont. Sumani, J. B.* ☉
      3. *Latifolia Indica floribus ex albo purpuraſcentibus, Katu-pee-thanga-puſpam, Hort. Mal. part. 9. p. 113.*
      4. *Indica humilior foliis ſubrotundis ſeſſilibus, Peet-janga-pulpam, Hort. Mal. part. 9. p. 115.* ☿
    - *acutioribus*
      5. *Alſines anguſtiore folio, Rubiæ modo ſpicata, D. Pluk. Phyt. Tab. 56.*
      6. *Seu foliis Lini anguſtioribus, C. B. P. Euphragia Linifolia, Col. part. 2. p. 69.*
      7. *Pratenſis Satureiæ foliis ſcabrè, è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt. Tab. 177. Fig. 6.*
  - *purpurea foliis*
    - *rotundioribus*
      8. *Pratenſis Italica latifolia, C. B. P. Euphragia latifolia pratenſis, Col.*
      9. *Erecta foliis brevibus & obtuſis Veronicæ, Nobis. Crateogoni fol. brevibus & obtuſis Weſtmorland. Raii.* ☉
    - *acutioribus*
      10. *Sive pratenſis rubra, C. B. P. Crateogonum Euphroſyne, Ger.* ☿.
      11. *Germanica foliis tenuioribus, floribus pallidioribus, Mentz.* ☿
      12. *Italica latifolia altera, C. B. P. Euphragia major ſylveſtris purpurea latifolia, Col.* ☿
  - *lutea foliis*
    - *rotundioribus*
      13. *Alſinefolia radice ſquamata, C. B. P. Anonyma radice Dentaria, Col. part. 2.* ☉
      14. *Floribus Elephantis caput cum proboſcide referentibus, Nobis. Elephas Campoclarenſium, Col.* ☉
    - *acutioribus*
      15. *Latifolia paluſtris, Raii. An Criſtæ galli affinis planta Romana, ſeu Criſta galli major Italica, J. B?* ☿
      16. *Pratenſis, C. B. P. Coris Monſpeliaca lutea, J. B.* ☿

1. Euphraſia *officinarum, C. B. P. Euphraſia vulgaris, Park. Euphraſia, J. B. Euphragia, Matth. Caſt. Ophthalmica ſive Ocularia, Cord. Euphraſia ſeu Euphragia ramoſa pratenſis flore albo, Eyſt. Radice* tenui fibrata ſuſtulcitur *caulis*, ſtatim à radice in alios ſe dividens, dodrantalis & ſpithameæ altitudinis, tenuis, frequenter purpuraſcens, geminis per intervalla, contrario ſitu correſpondentibus, foliis parvis ſubrotundis, ſeſſilibus, venoſis, ambitu dentatis, & ſubtus hirſutis, veſtitus. *Flores* ſummis cauliculis naſcuntur, *Ocimi* pene conformes, (*labris* vero diſſectis) coloris exalbidi, ſtriis purpuraſcentibus eleganter depicti. & umbilico aureo in medietate notati. Iſtis dehiſcentibus, in *calycis* medio quadripartiti erigitur *vaſculum ſeminale*, coniforme, bivalve, binis loculamentis diviſum, *ſeminibus* plurimis exiguis, oblongiuſculis, albeſcentibus, repletum; è quibus deciduis anno ſuccedente renaſcitur. *V. icon. tab. æn.* 24.

In pratis ſiccioribus & paſcuis montoſis, frequens occurrit: Menſibus Junio, Julio, & Auguſto flores profert, & Autumno ſemen perficit.

Euphraſia *ſimplici caule gracili* frequens reperitur; unde *Euphraſia minus ramoſa flore è cæruleo purpuraſcente, Eyſt. Vid. icon. tab. æn.* 24.

2. Euphraſia *Chamædryos foliis montis Sumani, Nobis. Chamædrys montis Sumani, J. B.* 289. *Cauliculis* eſt palmaribus, dodrantalibus, firmiuſculis, teretibus, albicantibus, quibuſdam breviſſimis *pilis* obſitis; quibus *folia* hærent adverſa, quædam rotunda, alia oblonga, medio ambitu ſerrata, ſed ima ſupremis multis numeris minora, lanugine item prædita. Supremis faſtigiis *flores* in *ſpicam* faſtigiantur, & hiare videntur, & candicare. Hos *vaſcula* excipiunt quadripartita, in pyramidem exacuata, peranguſtis quibuſdam *foliolis* piloſis denſe obſepta. *Semen* quod intus eſt, minimum eſt, & pene arenoſum, ſed quod magis longum, quam craſſum, ruffum. *Vid. icon. tab. æn.* 22.

D. Agerius *in monte* Sumano *legit, &* D. J. Bauhino *miſit.*

3. Euphraſia

3. Euphrasia *latifolia Indica floribus ex albo purpurascentibus, Katu-pee-tsanga-pushpam, Hort. Mal. Part.* 9. *p.* 113. Plantula est arenoso solo gaudens. *Radix* ei albicans fibrosa; *caules* virides quadrangulati, geniculati. *Folia* in geniculis ad latus planum inferioris internodii geminata videntur, oblongoangusta, tenuia, lenia, glabra, in oris acutis ornata cuspidibus. *Flores* plures congregati in vertice caulium proveniunt, papilionacei, (uti auctori exprimere placuit, sculptura vero tubulosi) albopurpurei, inferius rubropurpurei. *Capsulæ seminales* oblongæ, virides, subrufescentes; in quibus numerosa sunt, minuta, arenacea *semina*, communi viridi stylulo adhærentia.

4. Euphrasia *Indica humilis, foliis subrotundis sessilibus, Peet-janga-pulpam, Hort. Mal. Part.* 9. *p.* 115. Arenosa amat & uda; cum priore in omnibus fere convenit, præterquam quod *folia* minus oblonga, latiora sint & rotunda; *flores* iidem sed infra flavescentes. *Calyx* quadripartitus est. *Stamina* quatuor cum apicibus ad se invicem intorquentur. *Capsulæ seminales* oblongorotundæ, numerosa includentes *semina*.

5. Euphrasia *Alsines angustiore folio, Rubiæ modo spicata, Golcondensis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 56. Natale solum hujus novæ plantæ titulus indicat. *Caulis* recte assurgit, quem per intervalla *folia* parva mucronata, *Alsines* nostræ *fontanæ* similia binatim ambiunt; ex uno quorum sinu *cauliculus* singularis gracilis, & ex altero geniculo, contrario situ, alter etiam enascitur, qui cum primario caule *flores* exiguos, arcte congestos, spicatim gerit. Hos excipiunt *vascula seminalia* coniformia *calycibus* quadrifoliatis, tenuibus, insidentia, quibus *semina* parva occultantur.

6. Euphrasia *foliis Lini angustioribus, C. B. P. Euphragia Linifolia, Col. part.* 2. 68. Hujus *folia Lini* sunt exiliora & angustiora. Tota planta non excedit dodrantem, nec *vulgarem Euphrasiam*, cui *flore, fructu*, & *semine* ac *sapore* similis est, ideoque congener. *V. icon. tab. æn.* 24.

Clariss. Pluknetius Euphrasiam *angustis & tricuspidatis foliis, in Phytographia sua, Tab.* 177. *proposuit & sculpsit. Quære an hæc eadem sit.*

7. Euphrasia *pratensis Satureiæ foliis scabris è Madraspatan. D. Pluk. Phyt. Tab.* 177. *Fig.* 6. Rigidiusculæ huic plantulæ, in tenuiores, rectos & indivisos ramusculos divaricatæ, *foliola* opposita, *Satureiæ* tenuiora, aut *Lini* similia sunt. Ex horum sinubus *florum calyces* proveniunt, (ad quemlibet articulum unus) quorum alter ad dextram, alter ad sinistram spectans, absque pediculo adhæret. Hæc figura proprius ad plantam *Columnæ* accedere videtur, quam præcedens; quanquam iisdem synonymis *Cl. Pluknetius* insignierit quæ proxime superius explicatæ competunt.

An Euphrasia frutescens Coridis folio flore albo spicato, Cap. Bon. Spei. Breyn. Prod. 2?

8. Euphrasia *pratensis Italica latifolia, C. B. P. Euphragia latifolia pratensis, & tertia non scripta sive media, Col. Euphrasia purpurea minor, C. B. Prod.* Brevis hæc herba semipedali est *caule*, ab imo *alis* diviso, quadrato, hirsuto, rubente; *foliis* per intervalla binis, unguis magnitudine, rotundis fere, per ambitum crispatis, carnosis & hirsutis. *Flores* inter foliorum & caulis sinus quales in vulgari sunt, *utriculo* vero majore, sicut etiam flores, qui galericulati, bini oppositi, angustioribus *barbulis* & inter folia fere occultati oriuntur, purpurascentes ipsi, sicut & tota *coma*. *V. icon. tab. æn.* 24.

In Apulia, & Cirinolæ *pratis & pascuis, floribus albis variat.*

An eadem sit à Cl. Magnol, *in* Cat. Monsp. *memorata, sculpta, & ab ipso Mense Maio florens, ultra pontem* Salenovæ *in sterilibus illis locis dictis* Garrigues, *inventa, quærendum. Certe folia longiora & utriculi longe tumidiores apparent.*

9. Euphrasia *erecta foliis brevibus & obtusis Veronicæ Westmorlandica, Nobis. Crateogonum foliis brevibus obtusis Westmorlandicum, Raii.* E *radice* dura, fibrata & vivaci, *cauliculi* recti, non ramosi, palmares & dodrantales, molli hirsutie pubescentes, exeunt. *Folia* per uncialia & semuncialia interstitia, sessilia, *Veronicæ, Chamædryos sylvestris* vulgo appellatæ, similia, rugosa, in ambitu dentata, binatim adhærent. *Flores* longi & angusti, tubulosi, galeati, è cæruleo colore purpurorubentes, *calycibus* quadripartitis & petiolis brevibus insidentes, in summitatibus inter foliola emicant. His dehiscentibus, succedunt *capsulæ seminales* satis turgidæ, & in bina loculamenta divisæ, *seminibus* oblongiusculis, albicantibus, refertæ. *Vid. icon. tab. æn.* 24.

Hanc prope Orton Westmorlandiæ *viculum collectam nobiscum communicavit D.* Thomas Lawson.

10. Euphrasia *pratensis rubra, C. B. P. Crateogonum Euphrasine, Ger. Euphrasia pratensis rubra major, Park. Euphrasia parva purpurea, J. B. Euphrasia altera, Dod.* Prodit ei à *radice* fibrosa, annua, unicus ex rotundo quadratus *cauliculus* dodrantalis & pedalis, in ramulos ac alas plures distributus; quibus *folia* parium in modum adhærent, unciam longa, angusta, acuminata, per margines rarius dentata, deorsum ut plurimum reflexa. *Flosculi* rubentes, galeati, è *calycibus* quadripartitis provenientes, spicatim & singulatim ramulis innascuntur. *Vasculum seminale* oblongum, *semina* longiuscula albicantia continet. *Vid. icon. tab. æn.* 24.

Ad semitas & pascuis, in satis etiam, solo præsertim uliginoso, Augusto & Septembri mensibus florens, passim occurrit. Floribus albis prædita nonnunquam reperitur.

11. Euphrasia *Germanica rubra dicta foliis tenuioribus, floribus pallidioribus, Mentzelii.* Præcedenti affinis esse hæc species videtur, quam eruditissimus auctor circa *Crosnam Silesiæ* ducatus reperit.

12. Euphrasia *Italica latifolia altera, C. B. P. Euphrasia major sylvestris purpurea latifolia, Col. Euphrasia purpurea latifolia, Park.* Sesquipedalis est altitudinis. Quadrato *caule* hirsuto, per genicula *foliis* unciam longis, latis vero tertiam illius partem, acutis, per ambitum serratis sese erigit. E foliorum sinubus *alæ* exsurgunt. *Flores* circa summitatem donec dispositi, & uno versu vergentes, ex alternatis foliolis prodeuntes, galericulati, purpurascentes, ex utriculis hirsutis emicant; quibus *fructus* succrescunt crassiores, oblongi, seminibus angulosis candidis turgidi. *Vid. icon. tab. æn.* 24.

Æquicoloroni *collium semitis & quercetis depressioribus, Augusto mense florens collegit* Fab. Col.

13. Euphrasia *lutea Alsinefolia radice squamata, C. B. P. Anonyma F. Greg. radice Dentariæ, Col. part.* 2. *Euphrasia lutea minor radice squamata, Park. Euphrasia lutea radice squamata, C. B. Prod. Radice* est veluti bulbosa, alba, ex quatuor crassiusculis *squamis* coagmentata; *caule* pedali, aliquando palmari, lævi, cavo, & ramoso, ramulis ex alarum cavitatibus prodeuntibus. *Folia* bina petiolis carentia, basi sua situ adverso cingunt, *Alsines Trissaginis* foliis forma similia, sed acutiora, *flores* lutei, *Euphrasiæ* floribus respondentes; quibus succedit *semen* nigrum, rotundum, in *apicem* exiguum desinens, geminumque parvo petiolo insidens. *V. icon. tab. æn.* 24.

Hæc

Hæc montoſis aſperis & humidis locis gaudet; in Helveticis & Pyrenaicis *Alpibus reperitur. Huic affinis eſt, ſi non eadem, Dentaria buguloides radice globoſa, ſquamulis myodonteideis Alpina, Mentzelii.*

14. Euphraſia *lutea floribus Elephantis caput cum proboſcide referentibus, Nobis. Elephas Campoclarenſium, Col. Radix* ei obliqua, veluti dentata. *Caulis* erectus, quadratus, ſuccoſus, in alas diviſus, nonnihil hirſutus, ſicuti & *folia*, quæ binatim ex oppoſito *cauli* adhærent, *Menthæ* facie, ſed retuſiora, & ſerratura rariore ad folia *Scordii* accedentia. *Flores* è virgulis emittit luteos, aureo colore, roſtratos, *elephantis caput* repræſentantes, naſo ſive roſtro recurvo, *proboſcidis* inſtar, & cum *mandibula dentes* bini recurvi dependent. Ex capitis fronte utrinque proveniunt veluti *maxillæ ſupercilia* formantes, maculis purpureis *oculos* efformantes. Inde & ex inferiore parte & ſub collo latum eſt *folium auriculas* referens, uncialis latitudinis. *Floribus* deciſis, *utricula* perficiuntur ventrioſa, quadrata, in quibus *ſemina Milii*, colore cinereo, rugoſa, ſingularibus pericarpiis contenta. *V. icon. tab. an.* 24.

Loca umbroſa diligit, frigida, in valle ſupra locum dictum il vado di Scartocchia, *& circiter. Junio & Julio menſibus floret.*

15. Euphraſia *lutea latifolia paluſtris, Raii. An Criſtæ galli affinis planta Romana, ſeu Criſta galli major Italica, J. B.*? *Caulis* erectus dodrantalis & pedalis, hirſutie pubeſcens; cui *folia* unciam longa, anguſta, dentata, frequenter alternatim, nonnunquam etiam oppoſita, adhærent, aliquantulum viſcoſa. *Flores* ut in *Criſta galli*, lutei, galeati, *vexillo* recurvo, *labello* in tres partes diviſo, ex *calycibus* oblongis, quadripartitis, proveniunt. Floribus marceſcentibus, *vaſculum ſeminale* ex oblongo rotundum, *ſtylo* longo terminatum, & in bina loculamenta diviſum, *ſemina* plurima ruffa continens, ſuccedit.

Ex Devoniæ & Cornubiæ *agris & paluſtribus collectam habemus. Julio & Auguſto menſibus floret. Annua eſt planta.*

16. Euphraſia *pratenſis lutea, C. B. P. Coris Monſpeſſulana lutea, J. B. Euphraſia mentana anguſtifolia major altera, Col. Sideritis pratenſis lutea, Hiſt. Lugd. Caulis* ei ſingularis, cubitalis, lignoſus, teres, ramis adverſis diviſus. *Folia* inferiora quidem *Hyſſopi* foliis ſunt ſimilia, utcunque anguſtiora, acuminata, caduca, in ternas crenas dentata; ſuperiora tenuiora, ramulis binatim quoque apponuntur. Ramuli longas geſtant *ſpicas* hiantium *floſculorum* luteorum, deorſum ſpectantium, duplicique ſerie ad unum latus vergentium, & è foliorum *alis* prodeuntium. *Semina Euphraſiæ vulgaris* ſimilia, anguloſa, candida, Octobri menſe perficiuntur.

Sylvoſis & umbroſis locis Italiæ & Germaniæ *gaudet. In* Narbonenſi Gallia *etiam reperitur.*

Euphraſiæ Vires & Uſus.

Euphraſia *calida eſt & ſicca temperie, ſed prædominatur in ea qualitas ſicca. Maxime commendatur ob virtutes ophthalmicas: morbis enim omnibus oculorum pituitoſis amovendis confert. ejus uſus internus & externus; unde quovis modo adhibita viſum conſervat, acuit, ejuſque potentiam debilitatam reſtituit.*

Arnoldus Villonovanus *tempore vindemiæ muſto* Euphraſiam *indidit; & poſt ſolitam fermentationem vinum nactus eſt egregium adverſus oculorum hebetudinem, quod & ſenibus profuit.*

PLANTÆ GALEATÆ

Poſt ſingulos flores ſemina plurima, communi ſtylulo nutrita, proferentes.

CAPUT XLV.

Aſarina Galeata.

1. ASarina *Lobelii, folio Hederæ terreſtris, J. B. Tom. 3. p. 856. Aſarina ſive ſaxatilis Hederula, Adv. Lob. Hedera ſaxatilis magno flore, C. B. P. Hedera ſaxatilis, Ger.* Planta hæc procumbens, *foliis* ſubrotundis, è viridi colore ruſeſcentibus, binatim naſcentibus, crenatis, petiolis longis inſidentibus, *Hederam terreſtrem vulgarem* refert. *Flores* ad eundem modum è geniculis provenientes, è *calycibus* oblongis & apertis, quadrifariam diviſis extruduntur, longi, tubuloſi, dilute purpuraſcentes, oris galeatis, quadripartitis, notabiles, & petiolis ſemuncialibus ex adverſo naſcentes inſident. Floribus evaneſcentibus, *capſula ſeminalis* erigitur ſubrotunda, tenuis, membranacea, cum *ſtylo* in medio, quo *ſemina* minuta, fuſca, & rugoſa nutriuntur.

Rupibus & cautibus Veganio *conterminis* Savenæ *oritur, teſte* Lobelio. *Cl. D. D.* Sherard *ſemina cum calycibus tranſmiſit; undenam vero collegerit nobis non eſt compertum.*

2. Aſarina *Indica folio magis acuminato, Kakapu, Hort. Mal. Part. 9. p.* 103. *Cauliculi* quadrangulares geniculati hinc inde ex geniculis *radiculas* ſpargunt tenues. *Folia* è geniculis bina & bina, decuſſato ordine proveniunt, ex rotundis cuſpidata, in oris denticulis majuſculis ex æquo ſerratim inciſa, mollia. *Flores* in geniculis caulium erumpunt monopetali, campaniformes, quadripartiti, coloris ex parte venuſti, partim purpureorubroſuſci, vel alborubri, dilute purpuraſcentes. *Calyx* oblongus, viridis, quinque angulis eminet, ſuperne in quinque cuſpides fiſſus, ad latera profundius hians. *Vaſculum ſeminale* longum mucronatum in ſculptis, ſed non in deſcriptione exprimitur.

Forſitan etiam Plantæ Indicæ *binæ quæ pro* Euphraſia *tertia & quarta, antecedenti capitulo, numerantur, huc magis proprie referendæ ſunt. Plantæ penes nos non ſunt, & propterea quitquam certo conſtituere non poſſumus.*

PLANTÆ

PLANTÆ VERTICILLATÆ

Non galeatæ.

Cannabis & Urtica.

CAPUT XLVI.

Cannabis.

CAnnabis, *forte à* Κάναβος, *Lignum tenue & leve; quia caulis exſiccatus in comparatione ad caules aliarum Plantarum, levior ſit.*

Cannabis eſt planta verticillata non galeata, procera, foliis anguſtis digitatis, cortice tenaci donata, ad funes & tomices faciendos apto.

TABULA XL. SECT. XI.

Cannabis
- *annua*
  1. *Sativa, C. B. P. Cannabis mas, Dod. Cannabis mas & fœmina, J. B. Quæ fœmina eſt Cannabis erratica, C. B. P. Cannabis ſterilis, Dod.*
  2. *Peregrina gemmis fructuum longioribus, Bangue dicta, Nobis. Cannabi ſimilis exotica, C. B. P. Bangue, Garz. Menard. Acoſtæ.*
- *perennis*
  3. *Lutea fertilis Contareni, Proſp. Alp. de Exot. Ponæ, mont. Bald.*
  4. *Lutea ſterilis Contareni, Proſp. Alp.*

1. Cannabis *ſativa, C. B. P. Cannabis fœcunda, Dod. Pemp. Cannabis major, Trag. Cannabis mas & fœmina, J. B. Quæ à fœmina non ſpecifice differt. Cannabis erratica, C. B. P. Cannabis ſterilis, Dod. Fœmina, Trag.* De *Cannabi fertili*, quæ magis proprie *fœmina* dicitur, primo ſermo eſt; Altera *mas* præcocior (unde æſtiva vulgo nuncupatur) & florifera, è ſeminibus alterius ſatis ſolum degenerat; ut in *Mercuriali*, *Lupulo*, *Spinachia*, &c. obſervare licet. *Caulis* huic è *radice* lignoſa & fibrata, ad altitudinem ſex ſeptemve pedum attollitur pollicari craſſitie, anguloſus, in ramulos plures, (ſi ſingulatim & ſponte ſua exeat) diviſus; ubi vero ſeritur & aggregatim creſcit, ramulis deſtituitur; *cortice* aſpero & hirſuto, exſiccato, valido, lento & tenaci tectus. *Folia* contrario ſitu, binatim pediculis longis inſidentia, naſcuntur, in ſex, ſeptem & plures, longas, anguſtas, venoſas & ſerratas particulas digitatas, ſimul hærentes, diviſa, odore gravi. Summis ramulis folia minora coacervantur. Inter hæc plurima protruduntur *tubercula* viridia, in quorum apicibus *ſtyli* exeunt bifurcati, ſubalbidi, qui floribus ſubſtituuntur, uti in frumentaceis, *Juglande*, aliiſque cernere eſt. Tubercula ipſa ſunt *ſemina* obrotunda, turgidula, nonnihil compreſſa; quibus annuatim renovatur. *Sterilis* autem quæ inter fœcundiores frequens reperitur, tenuior & imbecillior eſt, & *folia* anguſtiora & pallidiora, petiololque plures, verticillatim diſpoſitos, & *floſculos* pentapetalos, totidemque *ſtaminulis* repletos, inanes, ex viridibus luteos, profert. Hæc menſis ſpatio ante fœcundam matureſcit & arefit, & ob *carticis* uſus citius colligitur. *V. icon. tab. æn. 25.*

Pingui humidoque ſolo gaudet, & adeo terram inumbrat ut alias plantas nec utiles nec noxias ſecum adoleſcere permittat. Vere ſeritur.

Pakinſonus mentionem facit alterius, è *Virginia* receptæ, *caulibus craſſioribus, foliiſque amplioribus* donatæ.

2. Cannabis *peregrina gemmis fructuum longioribus, Bangue dicta, Nobis. Cannabi ſimilis exotica, C. B. P. Bangue Cannabi ſimilis, J. B. Bangue Indorum, Garziæ, Acoſt. Monard. Cannabis vulgaris* more, (quicum ſatis convenit) in *fœcundam* & *ſterilem* ſe dividit. *Tſjeru-canſjava, Hort. Mal. Part.* 10. *p.* 121. *fœcunda* appellatur; cujus *folia* trifoliata, cannabina, anguſta, dentata, inordinatim *cauli* vulgaris confimili adnaſcuntur. *Fructuum gemmæ* virides ſunt, oblongorotundæ, foliacea intorta *cuſpide* in vertice prominentes, minutiſſimis *pilis* obſitæ, *coſtulis* exterius ſtriatæ, *ſemen* continentes unicum, cinereofuſcum, è rotundo compreſſum, cannabino minus. *Sterilis*, quæ haud dubio è priore quoque degenerat, *Kolengi-canſjava, Hort. Mal. Part.* 10. *p.* 119. appellatur. *Folia* in uno pediculo quina proveniunt, ſeptem, & novem, oblongoanguſta, cannabina, ſaporis ſubacris; *flores* plures congregati, parvi, pentapetali, ex viridi diluto colore albicantes, *ſtaminulis* quinque dotati; *calyce* carent, ut & *fructu*.

3. Cannabis *lutea fertilis Contareni, Proſp. Alp. de Exot. Pena mont. Bald. Lutea maxima Cretica Honorii Belli, J. B.* E *radice* vivaci, dura, fibris ſubpoſitis affixa, *caules* plures, pollicares, & brachiali fere craſſitie, ſex cubitos, interdum plures, altos, cortice craſſo, non facile fragili, tectos, à medio in plures ramos longos, rectos, abſque ordine exeuntes, ſurſum in pyramidem actos, diviſos erigit. *Folia* longa, non ex eodem centro digitata, ut in aliis, ſed ex quatuor, ſex, & octo *alis* longis, anguſtis, ſerratis, cannabinis, una extremum claudente, compoſita, quæ longo pediculo nixæ *cauli* inordinatim adhærent, viridia & in luteum declinantia. Foliola vero quæ in ramis cernuntur, integra & anguſta ſunt; inter quæ *florum* loco, *vaſcula Rheſedo* ſimilia, & *floſculi* virides perexiles proveniunt, qui cum ſuis pediculis denſe in *ſpica* longa inhæreſcunt. *V. icon. tab. æn. 25.*

4. In *ſteriti* etiam, ut in aliis hujus familiæ, floſculi copioſiores lutei, filamentoſi, inaniter & ſteriles decidunt. Tota herba adeo amara eſt ut *Aloen* & *Colocyntidem* ipſam ſuperet.

Honorius Bellus *Medicus* Cretenſis *clariſs. è loco humenti ſponte naſcens collegit,* & Venetias *tranſmiſit, unde & in alios hortos Europeos tranſlata eſt.*

Temperamentum & Vires.

Semen *in uſu eſt, quod, auctore* Galeno, *ſatis calefacit; aliis quibuſdam leviter frigidum & ſiccum eſt. Concoctu eſt difficile; ſtomacho & capiti nocet; parvique eſt ſucci, ut tradit* Gal. *in l. de alim. fac. Vim habet narcoticam, unde immodice comeſtum delirium facit, ut prodidit* Simeon Sethus. *Venerem extinguere & genituram exſiccare creditur.* Ad *inveteratas & tantum non deſperatas* gonorrhœas *ſiſtendas plurimum facit, in emulſionibus propinatum. Vid. prax.* Ettmul. *Emulſionis formulam in hunc finem præſcriptam habes à cl. auctore in* Schrod diluc. *Ibidem* oleum *per expreſſionem regioni renum inunctum ad gonorrhœam ſiſtendam etiam commendatur.* Semen *in poſca parum coctum & collatum pro gargariſmate adhibitum eſt unum ex optimis remediis in inflammatione uvulæ.* Vid. Ettm. prax. & Schrod. diluc. *Ruſtici in* Belgio ſeminis contuſi *medullam liquido aliquo expreſſam, ictero laborantibus, initio ipſius mali exhibent, & crebro non abſque præſidio, ſi quando ex ſola obſtructione citra febrem exoritur. Aperit enim fellis meatum, & bilis per corpus digeſtionem promovet.* Dod. in pempt. Sylvius *ſolo* Cannabis ſemine *in lacte bubulo pingui, ad crepituram circiter cocto, atque bis terve in die ad unc. quatuor vel ſex ſumpto, plures curavit, & curatos vidit ictericos.* Sylv. prax. l. 1. c. 45.

Diximus ſemen *in uſu eſſe: nam herba, utpote viroſæ qualitatis, raro uſurpatur.* Caules *enim cum* foliis *in faſces collecti, & aquis lacuſtribus vel rivuli injecti, non modo piſcibus exitioſi ſunt, ſed hominibus qui ex aqua infecta biberint.* Vid. Lob. Adverſ.

PLANTÆ VERTICILLATÆ

Non galeatæ.

CAPUT XLVII.

Urtica.

URtica *dicitur ab* urendo, *quod tacta pruritum & puſtulas igni ſimiles in cute excitet.*

TABULA XLI. SECT. XI.

- *Urtica*
  - *perennis*
    1. *Urens maxima, C. B. P. Et urens altera, ejuſdem. Urtica major vulgaris, J. B.*
    2. *Canadenſis racemoſa mitior ſive minus urens, Nobis. Urtica racemoſa Canadenſis, Hort. Reg. Par.*
    3. *Major Indica mitior racemoſa floribus pediculis longioribus donata, Nobis. Batti-Schorigenam, Hort. Mal. Urtica Braſilienſis Pino dicta, Marcg. Piſ. Hiſt. Braſil.*
  - *annua*
    4. *racemoſa urens minor, C. B. P. Urtica minor annua, J. B. Urtica minor acrior, Lob.*
    - *pilulifera*
      5. *Parietariæ facie, ſemine Lini.*
      6. *Facie Urticæ vulgaris, ſemine Lini, Nobis. Urtica pilulas ferens ſemine Lini, C. B. P. Urtica urens prior, Dod.*
      7. *Major Indica tricarpos folio mucronato, Nobis. Schorigenam, Hort. Mal.*
      8. *Major Indica pilulis racematim naſcentibus, Nobis. Ana-Schorigenam, Hort. Mal.*

1. Urtica *urens maxima, C. B. P. Et urens altera, ejuſdem. Urtica major vulgaris, J. B. Urtica communis ſive major, Adv. Lob. Radices* ſubſunt luteæ, vivaces & tenaces; à quibus *ſtolones* terræ ſuperficiem occupantes, reptatu ſuo propagantur. *Caules* quadrangulares, hirſutie mordaci obſiti, in *alas* diviſi, *folia* binas uncias lata, in mucronem definentia, hirſuta quoque, & oris profunde dentata, oppoſita gerunt. *Floſculi* in racemulis compreſſis tetrapetali, ſubvirides, quatuor plerumque *ſtaminulis* impleti, interdum pluribus, verticillatim è foliorum ſinubus diſponuntur. *Semina* in triquetris *vaſculis* oblongis continentur parva, longiuſcula, in ſingulis conceptaculis ſingula, ſubnigricantia. *Vid. icon. tab. an. 25.*

Ad foſſas & ſepes, & in ruderibus nimis frequens occurrit.

2. Urtica *Canadenſis racemoſa mitior, ſive minus urens, Nobis. Urtica racemoſa Canadenſis, Hort. Reg. Par. Forte Pino ſive Urtica, Piſ. 235. Radice* nititur reſtibili, non repente, dura, *fibris* tenacibus terram comprehendente; ſtolonibus vero lateralibus ſatis luxuriat, & incrementum facit. *Caules* ei oriuntur anguloſi, bicubitales, non ramoſi, brevi hirſutie pubeſcentes, *foliis* palmaribus, alternatim poſitis, petiolis longis inſidentibus, ex rotunda baſi in mucronem definentibus, in ambitu dentatis, & hirſutie parum urente obſitis, amicti. E ſupremorum foliorum *alis racemuli* ſimplices, albi, compreſſi, vulgaris rigidiores, infra ſupraque folia eriguntur. *Semina* nobis nondum protulit. *Caules* hyeme toti pereunt, & vere ſuccedente ex eadem *radice* reſurgunt. *V. icon. tab. an. 25.*

Natale ſolum titulus indicat.

3. Urtica

3. Urtica *major Indica mitior floribus pediculis longioribus donata, Nobis. Batti-Scborigenam, Hort. Mal. Urtica Braſilienſis Pino dicta, Marcgrav. Piſ. Hiſt. Braſil.* Caulis ei ſtriatus, craſſus, & piloſus, in octo aut novem pedum altitudinem aſſurgit. *Folia* habet ſolitaria, quorum quodlibet innititur pediculo ſeſquipedem longo; folia autem Urticæ noſtratis ſimilia, magna, in ambitu dentata, & raris pilis prædita. Fert ſuperius racematim plures *floſculos* plane parvulos, candidi coloris, longo pediculo tenui è foliorum ſinubus egreſſo inſidentes. Floribus ſuccedunt *gemmulæ* virides *ſeminales* è quibus *ſemina* albicantis & ſubflavi coloris minuta emicant. *V. icon. tab. æn.* 24.

4. Urtica *urens minor, C. B. P. Urtica minor annua, J. B. Minor acrior, Lob.* Annua hæc *Urtica minor caules* protrudit pedales & ſeſquipedales, ramoſos, *ſpinulis* albis rarioribus armatos. Ex ſingulis geniculis *folia* bina ſibi oppoſita petiolis uncialibus appendentia, ſubrotunda, dentata, viridia, *piliſque* pungentibus hirta exeunt. *Flores* in racemulis ad genicula verticillatim poſiti, evadunt tetrapetali, virides, exigui. *Vaſcula ſeminalia* ſequuntur oblonga bivalvia, *granula* exigua, ſplendentiaque continentia. *V. icon. tab. æn.* 25. *In arvis & hortis, ſolo ſtercorato & pinguiore, ac in ruderibus, frequens provenit; & quotannis à ſeminibus deciduis renovatur.*

5. Urtica *pilulifera Parietariæ facie, ſemine Lini, Nobis. Urtica urens altera pilulifera Parietariæ foliis, Hort. Reg. Par.* Hæc *Urtica* maxime pungens & urens, bipedalem & tripedalem altitudinem aſſequitur, *caule* ab ima parte ramoſo, *ſpinulis* horridis veſtito. *Folia* exinde proveniunt, è regione ſita, & per intervalla pediculis inſidentia, uncialia & biuncialia, ex rotundis mucronata; quorum ampliora denticulis paucis ſunt ſerrata; ſuperiora marginibus æqualibus *Parietariam* referunt. Secundum ſupremos caules, *pilulæ* petiolis appenſæ, rotundæ, rugoſæ, *pilis ſpinuliſque* albis mordacibus armatæ, quatuor frequenter decuſſatim, interdum plures, *verticilli* in modum cum *foliis* exeunt. Ex iiſdem etiam geniculis, ut & ex aliis, *flores* ſubvirides, tetrapetali, falſi, caduci & inanes, racematim proveniunt; ſed in pilulis prædictis *ſemina* oblonga, lucida, *Lini ſativi* æmula, naſcuntur; quibus deciduis, ſpecies ſervatur. *Radix* perit.

6. Urtica *pilulifera facie Urticæ vulgaris, ſemine Lini, Nobis. Urtica pilulas ferens ſemine Lini, C. B. P. Urtica Romana, Ger. Park. Urtica Romana ſive mas, cum globulis, J. B.* Planta hæc annua, ſi caules & folia ſpectaveris, proxime ſuperius explicatam magnitudine ſuperat; *caules* enim interdum ad humanam altitudinem attolluntur. *Folia* ſatis lata, mucronata, oppoſita, *vulgaris Urticæ* profundius ſunt dentata; *pilulæ* ampliores rugoſæ, *Mori* protuberantiis donatæ, hirſutie urente obſitæ. Iſtæ enim floſculos minimos ex ſingulis fructus tuberculis producunt, quibus ſingulis intus ſuccedit *ſemen* lucidum, *Lini* lævitate politum; & *floſculi* alii qui in racemulis naſcuntur tetrapetali, virides, cum quatuor ſuis *ſtaminibus* apicibuſque longioribus, inutiliter omnino decidunt, uti etiam in antecedente; *globulique* iis non ſuccedunt. *Vid. icon. tab. æn.* 25.

7. Urtica *major Indica tricarpos folio mucronato, Scborigenam, Hort. Mal.* Caulis ei eſt tripedalis, tener, tenui viridique *cortice* amictus, *pilis* ſeu ſpinulis urentibus obſitus. *Folia* ſubtus albicantia, alternatim poſita, cæterarum foliis minora, è baſi ſubrotunda, mucronata & in acumen contracta, ſerrata ſunt. *Flores* dilute flaveſcentes è petiolis parvis, valde piloſis, proveniunt; quibus deciduis *capitula* trilatera, ex tribus globulis conſtantia, ſuccedunt; inque horum ſingulis *ſemen* continetur ſingulare. *Vid. icon. tab. æn.* 24.

8. Urtica *major Indica pilulis racematim naſcentibus, Ana-Scborigenam, Hort. Mal.* Caulis ei craſſior, humana altitudine, ſtriatus, *maculis* albicantibus ex viridi colore, uti cutis ſerpentis *Cobræ capellæ* dicti, varius. *Folia Urticæ*, cæterarum congenerum foliis latiora. *Flores* in petiolis longioribus, racematim compacti, in quatuor *petala* dividuntur. *Semina* nullis incluſa capſulis, ramulis, involucris rigidis & ſpinulis obſitis, adhærent; ita ut ſemina occultentur, quæ plana, & in medio ſunt craſſiora. *V. icon. tab. æn.* 24.

Plura de his lege in *Hort. Mal. Part.* 2. *pag.* 73. 75. & 77.

In ejuſdem Operis egregii *Part.* 10. tres plantæ, cum iconibus & deſcriptionibus adaptatis, memorantur; quarum prima *pag.* 161. *Cupameni dicta*, à Cl. Annotationum auctore, *Urticæ folio, flore albicante ſpicato, cui paſſim thecula bicornea inſidet, foliis in ſummitate caulem ambientibus*, nominatur.

Secunda, pag. 163. *Pee-cupameni indigenis, Urticæ folio Indica, flore tetrapetalo ramoſo, capſula triquetra*, appellatur.

Tertia, pag. 165. *Welia-cupameni* dicitur. An vero ad hanc familiam apte reducatur necne, aſſerere non auſim; judicet Lector. Fortaſſe (*viribus* etiam conſideratis, & *capſulis* triquetris additis) ad *Ricinorum* genera magis proprie retuleris.

Cl. Vir D. Hans Sloane *M. D. celeberrimus, Regni vegetabilis mineralis ac animalis, præſertim in Inſula* Jamaicenſi, *aliiſque circiter Plagis, horis ſuccifivis curioſus indagator, nec minus fidus quam peritus, in Catalogo ſuo nuper edito, has* Urticas *ſequentes in lucem protraxit; de quibus in Hiſtoria promiſſa non minus quam exoptata, uberiorem notitiam partum iri non dubitamus. Sunt autem eæ*

Urtica *urens arborea foliis oblongis anguſtis.*
Urtica *racemoſa fruticoſa anguſtifolia fructu tricocco. An Pino Braſilienſibus, Marcgrav. p.* 48?
Urtica *racemoſa ſcandens anguſtifolia fructu tricocco. An Valli-Scborigenam, H. Mal. Part.* 2. *p.* 79?
Urtica *racemoſa humilior iners.*
Urtica *caule lignoſo, foliis tenuioribus atrovirentibus. An Urtica urens ramoſa Luſitan. Commelin. Cat. Amſt.* 369.
Urtica *iners racemoſa ſylvatica folio nervoſo.*
Urtica *minor iners ſpicata folio ſubrotundo ſerrato, fructu tricocco.*
Urtica *major racemoſa humilior, pungens ſed non urens.*

Temperamentum & Vires.

Urtica *minus quam mediocriter calida eſt, haud tamen mediocriter exſiccat; aperit; incidit; diſcutit; & abſtergit. Uſurpantur* folia, ſemina *& interdum* radices, *quæ ictericis proſunt. Eadem vino infuſæ & umbilico impoſitæ, cient urinam, & valent in diſuria.* Ruland. Theſ. Med. Radicem *quoque vino & melle decoctam, commendat* Tragus *contra frigidus tuſſes & orthopnœas,* &c. *Verum in thoracis affectibus, ut & in urinæ difficultate,* ſemen *uſitatius exhibetur; imprimis* Urticæ majoris, *ac præſertim* pilulas ferentis *ſeu* Romanæ. *Quin &* ſemen (*nec ipſa* folia *ſunt inertia*) *craſſos & viſcidos humores, & quæcunque in thorace hærent cruda, concoquit, incidit, & educit: ideoque pulmonibus obſtructis reſerandis & morbis inde natis ſanandis mirifice convenit. Diureſin idem promovet, & calculos renibus expellit; venerem quoque exſtimulat.*

Folia *alvum ſolvunt; inteſtina abſtergunt; & tormina cohibent. Trita cum* ſucco *& naribus indita, ſanguinem inde ſtillantem ſiſtunt.* Succus *quidem egregium habetur remedium in hæmorrhagiis quibuſcunque, & hæmoptoicis maxime commendatur.*

Succus *tum herbæ tum* radicis *ulcera putrida & gangrænoſa mundat ſanatque; uvulæ inflammationem reprimit: idem præſtant* aqua deſtillata & decoctum.

Folia *cum ſale impoſita, auctore* Dioſcoride, *canis morſus ſanant; item luxata, tubercula, parotidas, panos, & abſceſſus.*

SECTIONIS UNDECIMÆ

Diſtributio Quarta.

DE PLANTIS MONOPETALIS

Tetracarpis aſperifoliis.

Abſoluta ſerie Plantarum monopetalarum galeatarum verticillatarum, *proximeque accedentium,* ſemina quaterna poſt ſingulos flores *producentium: ſponte ſua viſendas ſeſe offerunt & jure cognationis locum ſibi vendicant* Plantæ monopetalæ tetracarpæ aſperifoliæ; *quarum* folia (*ut plurimum*) *pilis exaſperata, denticulationibus deſtituta, ordinem gemellarem non ſervant, ſed inordinatim* cauli *adhærent.* Flores *monopetali, tubuloſi, ore quinquifidi,* utriculis *apertis, ſimiliter quinquefariam diviſis, caulium ſummitatibus ſpicatim inſidentes, antequam expandantur, ordine convoluto, ad inſtar* capitis ſerpentis, *intorti ſunt. Floribus dehiſcentibus,* (*facultatem, huic familiæ propriam exhibentibus*) ſemina *quaterna, fundo* calycis, *ſuccedunt.*

Borago, Bugloſſum, Echium, Lycopſis, Anchuſa, Symphytum, Pulmonaria, Cerinthe, Lithoſpermum, Cynogloſſum, Echium ſcorpioides, & Heliotropium.

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ aſperifoliæ.

CAPUT XLVIII.

Borago.

BOrago *ab omnibus fere Botanicis hoc nomine inſignitur.* Borago *quaſi* Bovago, *quia* folium *propter aſperitatem linguam bovis imitatur. Vel aliis* Borago *appellatur, quaſi* Corago, *quod* cordis *affectibus opituletur, & flos inter* cordialia *medicamenta reponatur.*

Borago eſt planta *foliis* rotundioribus, quorum nonnulla ſunt aſpera, *floribuſque* magis patulis, non tubuloſis, quinquifidis, donata.

TAB.

TABULA XLII. SECT. XI.

Borago
- annua
  1. *Hortenſis, Ger. Borrago flore cæruleo & albo, Eyſt. J. B. Bugloſſum latifolium, Borrago, C. B. P.*
- perennis
  2. *Semper virens, Ger. Bugloſſum latifolium ſemper virens, C. B. P. Bugloſſum folio Borraginis Hiſpanicum, J. B.*
  3. *Minor verna repens folio lævi, Nobis. Borrago minima Herbariorum, Lob. Symphytum minus Borraginis facie, C. B. P.*

1. Borago *hortenſis, Ger. Borrago, Trag. Fuchſ. Lon. Dod. Borrago flore cæruleo & albo, Eyſt. Bugloſſum latifolium, Borrago, C. B. P.* Planta algoris impatiens, *foliis* ſe erigit palmaribus, obtuſis, hiſpiditate aſperis, venoſis, viridibus, in *caule* ſucculento, cubitali, ramoſo, hiſpido, diverſo ortu ſitis. *Flores* faſtigiatim in ſummitate caulis locantur, & duplici ſerie quiſque pediculo proprio unciali adhæret, patulus, cæruleus, integer in fundo, in quinque ſegmenta acuta ſtellatim diviſus. Ejus umbilicus pyramidali ſpecie, è quinque *ſtaminulis* fuſcis compoſitus, acuminatur. *Calyx* in floris dorſo quinquifidus, apertus eſt, à quo flos cito decidit. Hinc *ſemina* rugoſa, ex oblongis rotunda, quaterna, fuſca, *ungue* candido ſuccedunt; quibus marceſcentibus, *radix* mollis, pollicaris, viſcida, alba, perit. *V. icon. tab. an.* 26.

Dioſcorides *campeſtribus & ſabuloſis locis naſci ſcripſit, inquit* Porta; *nos, cum plurimis aliis ſeminibus, ex* Aleppo *recepimus. In hortis oleraceis frequens reperitur, quibus ſemel ſata, importuna fœcunditate luxuriat.* Floribus nonnunquam reperitur *albis*; foliis etiam *ex albis variegatis.*

2. Borago *ſemper virens, Ger. Bugloſſum folio Borraginis Hiſpanicum, J. B. Bugloſſum latifolium ſemper virens, C. B. P. Hiſpanicum latifolium, Eyſt. Borrago echioides, Proſp. Alp. Exot.* *Radix* ei ſubeſt longa, pollicaris, nigricans, viſcida, in *fibras* brachiata. *Folia* terræ incumbentia, latiora, viridia, aſpera, ſed non tanta rugoſitate, quanta in antedicta, obſita. *Caules* bipedales, non ramoſi, *folia* inordinatim poſita, paullulum acutiora emittunt; è quorum *alis petioli*, (vix *ramuli* dicantur) *flores* minores apertos, in quinque partes rotundas diviſos, elegantis cyanei coloris, ſuſtinent. *Semina* ſequuntur minora, ſubrotunda, rugoſa. *V. icon. tab. an.* 26.

Toto anno virent folia. Menſibus Aprili & Maio floret planta. Radix *per multos annos durat, ejuſque quælibet pars rupta & terræ commiſſa germinat.*

3. Borago *minor verna repens folio lævi, Nobis. Borrago minima Herbariorum, Lob. Symphytum parvum Borraginis facie, C. B. P. Symphytum pumilum repens, ſive Borrago minima Herbariorum, J. B.* È *radice* parva *fibris* complicata, *viticulas* hinc inde emittit *fibras* ut in aliis reptatricibus agentes. *Folia*, ſuo proprio pediculo longo inſidentia, uncialia & biuncialia, ex rotunda baſi in mucronem abeuntia, glabra, pallide virentia, per totum annum vigent. *Caules* tenues, glabri, nonnunquam brachiati, palmares & dodrantales, *floſculos*, ut plurimum, ſingulis petiolis ſuffultos, parvos, patulos, monopetalos, in quinque oras rotundas diviſos, elegantiſſimi cærulei coloris ſuſtinent; & quod elegantiores reddit, quilibet *flos* à centro quinque *lineis albis* pulchre notatur. *Flores*, (uti & alii hujus Plantarum ſeriei) antequam expandantur, *Heliotropii* in modum inflectuntur. *V. icon. tab. an.* 26.

Menſibus vernalibus floret; & per totum annum virent nitida folia.

Temperamentum & Vires.

Admodum temperate calida eſt Borago *nec multum humectat. Inter primarias cordiales recenſetur, & in præſcriptionibus medicis cordialibus compoſitis non raro adjicitur. Spiritus vitales recreat; cordis tremori & palpitationi ſuccurrit; humores bilioſos corrigit; triſtitiam pellit; & melancholicos plurimum juvat. Veterum exemplo in vinum conjicitur ad hilaritatem augendam; quidam etiam in hunc finem* flores *acetariis inſpergunt. Auctoritate* J. Bauhini *febrificantibus convenit* Borrago; mihi, *inquit*, aqua deſtillata & flores ſaccharo conditi probantur in omnibus febribus utiles.

Conſervam florum Bugloſſi, *vel* Boraginis, *olim arcanum inter mulieres ad menſes proritandos, parvi facit* Sim. Paulli, *nec niſi ex accidenti menſes movere concedit. Illam tamen omnino comprobare videtur* Ettmul. *dicendo quod* conſerva florum Borraginis ſingulariter commendatur contra ſuppreſſionem menſium ad drachm. unam, tempore matutino in vino albo, & ſi addantur grana aliquot nucis moſchatæ, erit eo certior & efficacior. *Uſus adhuc plures invenies apud* J. Bauhin. *in* Hiſt. *Tom.* 3. *lib.* 33. *p. v.* 576. &c.

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ aſperifoliæ.

CAPUT XLIX.

Bugloſſum.

BUgloſſum, *Gr.* Βύγλωσσον, *i. e.* Lingua bovis, *eo quod* folia bubulas *imitentur* linguas, *& aſperitate & figura.*

Bugloſſi folia Boraginis ſunt longiora & acutiora; *flores* tubuloſi in quinque ſegmenta æqualia diviſi. Sunt vel perennia, vel annua *Bugloſſa.*

TABULA XLIII. SECT. XI.

- *Bugloſſum*
  - *perenne*
    1. *Majus ſativum, Nobis. Bugloſſum anguſtifolium majus, C. B. P. Vulgare majus, J. B.*
    2. *Bullatum majus Syriacum floribus albicantibus.*
    3. *Sylveſtre majus nigrum, C. B. P. Bugloſſum alterum flore nigro, Matth.*
    4. *Anguſtifolium minus, C. B. P. J. B. Bugloſſum ſylveſtre perenne Creticum flore rubro cremeſino, Zan.*
    5. *Minus puniceis floribus, Nobis. Anchuſa puniceis floribus, C. B. P. Anchuſa Monſpeliaca, J. B.*
    6. *Auſtriacum hirſutius pullo flore, Nobis. Echium pullo flore, Cluſ. Hiſt. J. B. Echium ſylveſtre lanuginoſum, C. B. P.*
    7. *Minus lignoſius, Nobis. Anchuſa anguſtifolia lignoſior, Adv. Lob. Anchuſa minor lignoſior, J. B.*
  - *annuum*
    8. *Sylveſtre aſperum minus folio undulato, Nobis. Bugloſſum ſylveſtre minus, C. B. P. Bugloſſum erraticum aſperum echioides, Adv. Lob.*
    9. *Sylveſtre Creticum flore azureo, Zan.*
    10. *Humile bullatis foliis, flore cæruleo & eleganter variegato, Nobis. Borrago muralis flore variegato odorato Cretica, Zan.*
    11. *Procumbens pullo minimo flore, D. Moriſ. Prælud. Bot. Borrago ſylveſtris annua Cretica, Zan.*
    12. *Creticum flore luteo minus, Nobis. Echium Creticum, Proſp. Alp.*
    13. *Cauliculis procumbentibus, fructu pedem anſerinum referente, Nobis. Bugloſſum ſylveſtre cauliculis procumbentibus, C. B. P. Aparine major, Plinii.*

1. Bugloſſum *perenne majus ſativum, Nobis. Bugloſſum anguſtifolium majus, C. B. P. Bugloſſum vulgare majus, J. B. Bugloſſum anguſtifolium, Adv. Lob. Bugloſſum Italicum flore cæruleo & albo, Eyſt. Radice* nititur prolixa, foris nigricante, perenni, intus alba, dulci, ad edendum & medendum (ut *Lobelius* habet) nata. Caput in *folia* excreſcit pedalis longitudinis, palmique fere latitudinis, alba, hirſutie aſpera, mucronata, ad margines æqualia, in terram ſtrata. *Caules* oriuntur bicubitales & altiores, ſuperne brachiati, hiſpidi, in faſtigiis longo & aſſiduo ordine exhibentes *floſculos*, primum purpuraſcentes, & poſtmodum in elegantem cæruleum colorem abeuntes, tubuloſos, pentapetaloides, ſeu oris in quinque partes obtuſas diviſos, *umbone villoſo* in medio eminente. *Semina* in *vaſculo* quinquifido, aſpero, quaterna, rugoſa, *Tritici* ampliora, ex nigris fuſca, mucronata, ſequuntur. *V. icon. tab. æn.* 26.

In plurimis ſatis circa Monſpelium *abundat*; *multis* Germaniæ *locis occurrit*; *in hortis noſtris frequens alitur, quibus per totam æſtatem floret.*

2. Bugloſſum *majus Syriacum bullatis foliis, floribus albicantibus.* E *ſeminibus* ex *Aleppo* receptis orta eſt hæc *Bugloſſi* ſpecies, & cum præcedenti in multis convenit; *folia* vero breviora & obtuſiora, in ſuperficie bullis & ſpinoſa fere hirſutie obſita ſunt. *Flores* minores è pallido cæruleo colore albeſcunt. *Vid. icon. tab. æn.* 28.

3. Bugloſſum *ſylveſtre majus nigrum, C. B. P. Bugloſſum alterum flore nigro, Matth. Bugloſſum ſylveſtre Matthioli, Lugd. Matthiolus* tria obſervavit genera. *Hortenſe latioribus foliis*; & *ſylveſtre* duplex: unum *foliis latioribus, & floribus purpureis*; alterum *foliis anguſtioribus & floribus nigricantibus. V. icon. tab. æn.* 26.

4. Bugloſſum *anguſtifolium minus, C. B. P. J. B. Bugloſſum ſylveſtre perenne Creticum flore rubro cremeſino, Zan. Bugloſſum minus ſativum, Lugd. Echii facie Bugloſſum minimum, Lob. Radix* longa, digiti craſſitie, in fibras extenuata, *folia* è capite emittit, unciam lata, dodrantem & palmum longa, hirſutie alba aſpera, nullomodo bullata, plurima, quæ & humi ſparguntur. *Caules* nunc erecti, nunc reclinati, cubitales & ampliores, *foliis* alternatim poſitis amicti, è foliorum ſupremorum alis in brachia diviſi; qui ſpicatim *flores*, duplici ſerie conſtantes, parvos, tubuloſos, in quinque ſegmenta acutiora diviſos, è *pericarpiis Bugloſſoidibus* provenientes, elegantis purpuraſcentis coloris, proferunt. Antequam flores expandantur, *caudæ ſcorpionis* in modum involvuntur, ut in aliis hujus ſeriei videre licet. *Semina* ſuccedunt ſubrotunda, fuſca, rugoſa, *Bugloſſi ſativi* multo minora. *Vid. icon. tab. æn.* 26.

Ad vias & ad ſepes Italiæ & Germaniæ, *variis locis reperitur. In horto floribus candidis variat.*

5. Bugloſſum *perenne minus puniceis floribus, Nobis. Anchuſa puniceis floribus, C. B. P. Anchuſa Monſpeliaca, J. B. Anchuſa minor ſeu Alcibiadion, vel Onochites, Adv. Lob. Anchuſæ alterum genus Onochites dictum, Cluſ.* Craſſam longamque habet *radicem*, lignoſam, rubram, roſeo colore tingentem; caules dodrantales, hirtos, per quos *folia Echii* ſimilia, rigidis *pilis* obſita, unciam unam aut alteram longa ſparguntur. *Flores* extremis hærent ramulis, conferti, purpuraſcentes, longiuſculi, oris *Bugloſſi* in modum quinquifidis, quibus ab *Anchuſa* dignoſcitur. *Semen* ſequitur ſublongum, cinereum. *V. icon. tab. æn.* 27.

Menſibus Martio & Aprili florentem, non longe à Monſpelio, *in vinetis & ſabuloſis, aridiſque collibus* Gramuntiæ *ſylvæ, prope Doctoris* Aſſutii *prædium,* Jo. Bauh. *legit.*

6. Bugloſſum *Auſtriacum hirſutius pullo flore, Nobis. Echium pullo flore, Cluſ. Hiſt. J. B. Echium ſylveſtre lanuginoſum, C. B. P.* Pedalem habet *caulem* villoſum, *foliis Echii* aut *Bugloſſi ſylveſtris*, molli lanugine præditis, & inæquali ſitu ipſum ambientibus ornatum; ſuperiore parte in multas alas diviſum, quæ multis *floſculis* concavis, extrema parte in quinque crenulas diviſis, coloreque ex atro purpuraſcente præditis, onuſtæ ſunt. Floſculi porro è *vaſculis* molli lanugine hirſutis, & inter folia latentibus prodeunt. *Semen* ut in hujuſmodi generis plantis, viperino capiti ſimile eſt. *Radix* oblonga, minimi digiti craſſitudinem interdum æquat, foris fuſca, capite unde caulis prodit extuberante, & præcedentis anni caulis veſtigia ſervante. *Vid. icon. tab. æn.* 28.

Creſcit multis locis Viennæ *vicinis, tota etiam inferiore* Auſtria, & Pannoniæ *parte, ſiccioribus pratis, & gramineis locis ad collium radices.* Floret *menſe Maio. Tab. ænea* 28. *nomine Echii inſculpitur.*

7. Bugloſſum

7. Bugloſſum *minimum ligneſius, Nobis. Anchuſa anguſtifolia ligneſior, Adv. Lob. Anchuſa minor ligneſior, J. B. Anchuſa anguſtifolia, C. B. P. Anchuſa arborea, Proſp. Alp. Exot.* Ligneſus eſt *frutex* pedalis aut cubitalis, *radice* ſubruffa, robuſta; ſtolonibus rigidis, *Roriſmarini* textura, alioqui glabris, ſed minoribus ramis hirſutis, per quos *folia Hyſſopi Arabum* foliis paria; alia *Thymi Cretici* capituli foliorum modo latiora, hirſuta, aſpera, dura, ex eodem puncto ſæpenumero plura, quorum unum reliquis longius multo, nervo unico per ſingula ſecundum longitudinem decurrente, nullo ſeu odore, ſeu ſapore. *Flores* extremis hærent ramulis, ex oblongo tubulo in calathiſcum quinquepartitum, ad *Primulæ veris* imitationem explicati, colore purpureo. *Semina Echii* aut *Bugloſſi* ſimilia, ſatis magna, colore cinereo. Summæ virgæ *Scopiuri* inſtar incurvantur. *V. icon. tab. æn. 27.*

Libanotidis ſpecies Rondeletii *etiam appellatur. J. B. Tom. 2. p. 25.*

Ad agrorum margines & in collibus variis, haud longe à Monſpelio *reperitur. In* Frontignano & Thermis, *floribus albis naſci, obſervavit D.* Magnol.

8. Bugloſſum *ſylveſtre aſperum minus annuum foliis undulatis, Nobis. Bugloſſum ſylveſtre minus, C. B. P. Bugloſſum erraticum aſperum echioides, Adv. Lob. Echium Fuchſii ſive Borago ſylveſtris, J. B.* Huic *caules* ſunt erecti, in macro & ſteriliori ſolo ſimplices, aſperi; in fertiliore vero, in *alas* plures brachiati. *Folia* tres quatuorve uncias longa, pallide viridia, rugoſa, aliorum congenerum aſperiora, marginibus inæqualiter undulata ut plurimum ſunt. *Floſculi* ſummis ramulis adhærent, parvi, pallide cærulei, tubuloſi, in quinque partes in oris diviſi. *Semina* quaterna, *calycibus* aſperis inſidentia, turgidula ſunt, & in apice mucronata. *V. icon. tab. æn. 26.*

In arvis & inter ſegetes, præſertim glareoſo & arenoſo ſolo, ſatis frequens reperitur.

9. Bugloſſum *annuum ſylveſtre Creticum flore azureo, Zanon. Folia* è *radice* tenui, annua primum provenientia, & terræ incumbentia, aſpera ſunt, nonnihil ſinuata, & ex viridi rubro colore ad margines tincta. *Caules* aſſurgunt aſperi cubitales, ramoſi, vix ſe ſuſtinentes, ſed humum plerique petentes. *Flores* aliorum hujus familiæ floribus ſimiles, binos ordines in *ſpicis* longis ſervantes, è *calycibus* turgidulis, aſperis, tubuloſi quoque, & in quinque acutis ſegmentis diviſi, azurei coloris, aut egregii purpuraſcentis emicant. Brevi, *Bugloſſo quarto* ſeu *anguſtifolio minori* hæc planta ſimillima eſt; duratione præſertim excepta. *Vid. icon. tab. æn. 28.*

10. Bugloſſum *annuum humile bullatis foliis, flore cæruleo & eleganter variegato, Nobis. Borago muralis Cretica flore odorato, Zan. Bugloſſum Luſitanicum bullatis foliis, Moriſ. Et Borago variegata Cretica Wheeleri, in monte Hymetto Atticæ. Folia* (ſi ſeratur autumno) exeunte hyeme profert viridia, bullis albis eleganter conſperſa; è quorum medio exit *caulis* dodrantalis, aliquando pedalis, per terram ſtratus, in ſummitate ſuſtinens *flores* eleganter cæruleos, parvos, quadripartitos. His deciduis, ſuccedunt *ſemina* viperini capitis æmula, aliorum *Bugloſſorum* more. Hujus eſt & alia varietas, priori in omnibus ſimilis, niſi quod *flores* edit rubros, *ſtriis albis* eleganter depictos. *V. icon. tab. æn. 26.*

11. Bugloſſum *procumbens annuum pullo minimo flore, D. Moriſ. Prælud. Bot. Borrago ſylveſtris annua Cretica, Zan.* Hujus *cauliculi* pedales & bipedales per terram ſtrati ſunt, *foliaque* gerunt villoſa, pallide virentia, digiti longitudinis. *Flores* minimi, pulli ſeu obſcure ferruginei coloris, quinquepartiti, è calycibus tumidioribus & quaſi ventricoſis conniventes, emicant. *Semina* in tumeſcentibus *calycibus* inveniuntur quaterna, quæ lata quadam ſede in rotunda abeuntia, *galeam* quodammodo referunt. Iſtis autem deciduis quotannis renovatur. *V. icon. tab. æn. 26.*

12 Bugloſſum *Creticum flore luteo minus, Nobis. Echium Creticum, Proſp. Alp. de Exot.* 130. *Forte Echii varietas Hiſpanica flavo flore, Cluſ. Cur. poſt. p.* 36. Hæc planta fert ab una *radice* complura *folia* oblonga, tenuia, in acutum definentia, albicantia, quadantenus ad *Anchuſæ* folia accedentia, ſed longe minora, aſpera. *Cauliculos* producit vix palmum altos, aſperos; in quorum ſummitatibus *flores* multi ſparſim in ſuis aſperrimis *calycibus* parvis oblongis, quaſi corymbos ſeu umbellam facientibus, proveniunt lutei, *Anchuſæ* ſimilibus (uti refert auctor; *flores* vero in quinas partes æquales, neque *Anchuſæ* nec *Echii* ſimiles, ſed *Bugloſſoides* diviſi pinguntur) quibus ſuccedunt *ſemina* parva, albicantia, figura capita ſerpentum æmulantia. *Radix* ſubeſt parva, lignoſa, nigra, in parvas *radiculas* diviſa. *P. Alp. Tab. ænea noſt. 28. nomine Echii Cretici inſculpitur.*

13. Bugloſſum *ſylveſtre cauliculis procumbentibus, fructu pedem anſerinum referente, Nobis. Aparine major, Plinii. Bugloſſum ſylveſtre cauliculis procumbentibus, C. B. P. Alyſſum Germanicum echioides, Lob. Borrago ſylveſtris minor χαιμαιπίτυς, Col. Cynogloſſa forte Topiaria Plinio, ſive Echium lappulatum quibuſdam, J. B.* 590. *ubi deſcribitur, & pag.* 600. *ubi titulo Cynogloſſæ folio virente pingitur, & binæ figuræ tranſmutantur. Pag.* 601. *nomine Cynogloſſæ topiariæ forte Plinii, & pingitur, & deſcribitur.* E *radice* admodum tenui, flavicante exit, foliis primum paucis, admodum parvis, oblongis, (*caule* creſcente ſimul) & ipſis grandioribus, tres quatuorve uncias longis, unam aut alteram latis, hirſutis parum atque aſperiuſculis, ſed teneris multum. *Caulis* tenuis eſt, longus, bipedalis, & major (ubi denſiores oriuntur plantæ, fibiipſis vel vicinis incumbentes, atque aculeis aduncis hærentes) angulis quinque diſtinctus, tenuibus *ſpinis* aduncis, deorſum ſpectantibus, armatus, veluti hamis, cavus, ſuccoſus. In ſummo paucis *alis* dividitur, tribus aut quatuor, in quibus *foliola* hærent, non alternatim ut in caule, ſed bina ſurrecta, aliquando vero in imo alarum ſingularia. Atque inter hæc bini *flores* parvi, admodum cærulei, ut vix percipiantur, ſimiles effigie *Bugloſſo vulgari*, atque etiam colore, menſibus Aprili & Maio, è tenuibus *petiolis* & calycibus prodeuntes, ſtatim decidui. Iſtis *fructus* ſuccedunt lati, compreſſi, foliacei, *Atriplicis* ſimiles, è petiolis tunc incurvis, deorſum ſpectantibus, *Atriplicis* foliorum, ſive *Anſeris avis* pedum modo quinquepartiti. *Semina* quatuor intus compreſſa, lævia, nigra, includuntur. Odor & ſapor eſt qualis *Boraginis. V. icon. tab. æn. 26.*

Ad ſepes naſcitur. Prope oppidum Novum Mercatum *dictum in* Suſſexia, *aliiſque paucis* Angliæ *locis, ſponte naſcens reperitur. Quin & circa* Baſileam, *& in* Æquicolorum *montibus legitur.*

Bugloſſi Vires.

Bugloſſum *ejuſdem eſt temperaturæ, & earundem virium quibus &* Borago. *Similiter* flores *imprimis, deinde* folia & radices *in uſus veniunt; item* flores *in officinis, ſicut* Boraginis, *inter quatuor notiſſimarum cordialium flores reponuntur.* Bugloſſum *hypochondriacis & melancholicis affectibus adverſatur, & ea præſtat omnia quæ* Borago *ſupra memorata.*

PLANTÆ

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ aſperifoliæ.

CAPUT L.

Echium.

ECHium *dictum volunt, quod contra* viperarum (τ῀ ἐχίων *vel* ἐχιδνῶν) *ictus ſit utile. Vel quod floreſcat capitulis* viperæ *ſimilibus.* Alcibiadion *forte dictum ab* Alcibio *ſeu* Alcibiade *quodam, qui cum à ſerpente ictus eßet, hac herba plagæ impoſita ſanatus eſt.*

Echium Bugloſſo proximum eſt; *floribus* præcipue diſcrepat: qui in hoc corniculati, ſeu ex angusto fundo in os latum expanſi, ſed non æqualibus partibus, ut in iſto, diviſi; ſed ſuperiore parte longius eminente, uti in cornutamento videre licet. *Lycopſin* nulla nota generica interſtinxerunt auctores ab *Echio*: flores conſimiles corniculatos & ſemina paria gerit; quapropter in eandem claſſem utrumque conjecimus.

TABULA XLIV. SECT. XI.

Echium
- *ſpicatum*
  1. *Vulgare, Cluſ. C. B. P. J. B. Echium, Matth. Lugd. Bugloſſum agreſte, Lob.*
  2. *Sylveſtre hirſutum maculatum, C. B. P. Echium rubro flore, Cluſ. Hiſt. J. B.*
  3. *Majus & aſperius flore albo, C. B. P. Echium albo flore majus, J. B. Lycopſis Monſpeliaca flo. albis, Hort. Reg. Bleſ.*
  4. *Majus & aſperius flore dilute purpureo, Botan. Monſp. Lycopſis Monſp. flo. dilute purpureis & albis, Hort. Reg. Bleſ.*
  5. *Tingitanum altiſſimum flore variegato.*
- *ramoſius*
  - *annuum*
    6. *Flore ſuave rubente, Nobis. Lycopſis, C. B. P. Echii altera ſpecies, Dod.*
    7. *Orientale longioribus floribus. Lycopſis Ægyptiaca, C. B. P.*
    8. *Creticum latifolium rubrum, C. B. P. Echium Creticum 1. Cluſ. Hiſt.*
    9. *Creticum anguſtifolium rubrum, C. B. P. Echium Creticum 2. Cluſ. Hiſt.*
    10. *Hiſpanicum flore calcari donato, C. B. P. & Prod.*
  - *perenne*
    11. *Nigrum flore eleganti, Proſp. Alp. de Exot. Echium Creticum nigrum, Park.*
    12. *Lycopſis facie Africanum, Hort. Lugd. Bat.*

1. Echium *vulgare, C. B. P. J. B. Cluſ. Echium Matth. Lugd. Dod. Bugloſſum agreſte, Lob. Lycopſis, Cord. Anchuſa ſylveſtris. Folia* à *radice* exeunt oblonga, non admodum lata, hirſuta, aſpera, & veluti exiguis *ſpinis* horrida, humi radiatim procumbentia. Inter hæc medius aſſurgit *caulis* teres & rectus, folioſus, non minus quam folia aſper, adnatis multis appendicibus, *ſpicas* longas conſtituentibus, extrema parte reflexis, & *caude viperinæ* ad inſtar incurvatis; quæ præter exigua foliola, *floſculos* proferunt cavos, ex anguſto principio ore lato & hiante expanſos, quorum ſuperior pars ſupra inferiorem longe eminet, initio è rubris purpureos, inde cæruleos, *ſtaminibus* aliquot purpureis mediis. Iſtis *ſemina* ſuccedunt quaterna, anguloſa, acuminata. *Radix* prolixa, teres, locis apricis ſubinde foris rubeſcit, atque ubi floruerit, ſeminaque ad maturitatem perduxerit, perit. *Floribus albis variat. V. icon. tab. an.* 27.

Secus vias & ſemitas, necnon agrorum margines ac in ipſis deſertis agris provenit. Locis etiam apricis & muris gaudet. Tota æſtate floriferum eſt; ſemen interea maturatur. Hyeme reſtant folia, antequam cauleſcit.

2. Echium *ſylveſtre hirſutum maculatum, C. B. P. Echium rubro flore, Cluſ. Hiſt. J. B.* Oblonga & anguſta habet *folia* villoſa, vulgaris *Echii* fere ſimilia, paullo tamen latiora, humi ſtrata; *caulem* modo pedalem, aliquando cubitalem, firmum, ſtriatum, lanuginoſum, folioſum, maculis purpureis conſperſum. Summum caulem exornant multi breves *ramuli*, in ſe veluti convoluti, atque *Scorpiuri* inſtar inflexi, pleni *florum vulgaris Echii* floribus ſimilium, ſed colore rubro eleganti præditorum, qui proxime caulem aperiri primum incipiunt. *Semen* quale eſt in aliis *Echii* generibus. *Vid. icon. tab. an.* 27.

Siccis pratis ſupra & infra Sopronium Ungariæ *urbem obſervavit* Cluſius.

3. Echium *majus & aſperius flore albo, C. B. P. Echium albo flore majus, J. B. Lycopſis Monſpeliaca floribus albis, Hort. Reg. Bleſ.* Huic *folia* præcedentium ampliora, & *lanugine* alba, aſperiora ſunt. *Caulis* aſſurgit bipedalis robuſtior, craſſior, in plurimas *alas* divaricatus, *floribus Echii* hiantibus, ex rubris albeſcentibus onuſtus. *Semina* ſuccedunt in *calyculis* aſperis, acuta, rugoſa, & majora.

In ſatorum marginibus, Julio & Auguſto menſibus florens, circa Monſpelium, *copioſe reperitur.*

4. Echium *majus & aſperius flore dilute purpureo, Botan. Monſp. Lycopſis Monſpeliaca floribus dilute purpureis, Hort. Reg. Bleſ. C. B. P.* Floris color præſertim diſtinctionem indicat.

Circa Lateram *in herbidis pratorum marginibus, & circa* La Valette *ſæpius collegit* D. Magnol. *An Lycopſis Dioſc. quibuſdam, J. B. T.* 3. 548?

5. Echium *Tingitanum altiſſimum flore variegato.* E ſeminibus *Echii* majoribus aſperis & acutis, è Regione *Tingitana*, à *D. Alex. Baalam* tranſmiſſis, hoc *Echium* ſpectatiſſimum in horto noſtro ſuccrevit. *Folia Bugloſſi* ſativi æmula, pedali & cubitali longitudine, *ſpinulis* crebris horrida, in terram expanduntur; è

quorum

quorum centro, anno ſuccedente, *caulem* emittit ſex ſeptemve pedum altitudine, *Echii* ritu *foliis* plurimis, minoribus, inordinatim veſtitum. Ex horum ſinibus *alæ* quamplurimæ proveniunt, inferiore parte longiores, ſuperiore breviores, *ſpicam* quaſi conſtituentes, *floribus Echii* tubuloſis, hiantibus, colore ex rubro & albo eleganter ſtriatis, copioſe onuſtæ. Tribus quatuorve, à ſemine recepto, annis ſucceſſive natum eſt; hyemes vero nimis feſtinantes, maturitatemque impedientes, ejuſdem diuturniorem poſſeſſionem nobis negarunt. *V. icon. tab. æn.* 27.

6. Echium *ramoſius annuum flore ſuave rubente, Nobis. Lycopſis, C. B. P. Echii altera ſpecies, Dod. Hæc fortaſſe eadem eſt Planta, quæ à* Lobelio *in Adverſariis, p.* 249. *memoratur; & è ſeminibus in Inſula* Cæſarea *vulgo* Jerſie *à Cl. Botanico D. D.* Sherard *collecta, nobis orta eſt. Folia Echii* in modum humi expanſa, molliora ſunt, & obtuſiora. *Caulis* cubitalis, ſtatim à *radice* in plurimos longos ramulos, eoſque in minores, brachiatur; è quorum extremitatibus, *ſcorpiuri* ad inſtar inflexi naſcuntur *flores* longiores, tubuloſi, inæquali margine, ut in *Echio* hiantes, qui colore pulchre rubente, cum ſtaminulis è fundo prodeuntibus, emicant. *Semina Echii vulgaris* minora, in *vaſculis* ſequuntur; quibus quotannis renovatur. Non eſt biennalis planta, uti priores. *Vid. icon. tab. æn.* 27.

7. Echium *Orientale longioribus floribus, Nobis. Lycopſis Ægyptiaca, C. B. P. Lycopſis Dioſc. Rawolf. H. Lugd. App.* 28. *Radice* eſt rubra; *caule* erecto, cubitali; *foliis* multis, aſperis, duris, *Rubi* modo, aut *ſylveſtris Cynoglooſſi*, ſcabris, prope radicem in orbem circumjectis & diſtentis, ſuperiore parte *caulis* non ſic diſpoſitis, ſed hinc inde è caule prodeuntibus, & in ſummo & vertice acuminatis; ſurculis parvis, tenuibus, numeroſis, viginti, aut pluribus, nudis, *folioque* nullo veſtitis, ut in *Echio* fieri amat. In horum ſummitate *flores* purpurei emicant, exiles, extrinſecus minime diviſi, intrinſecus vero in ſex *foliola* diſpertiti, ut in *ſylveſtri Betonica* fit.

Circa Halepum *in arvis reperiri teſtatur auctor Hiſt.* Lugdunenſis.

In Horto ſicco *D. Rawolf.* in Oriente collecto, num. 145. obſervatur Planta *Lycopſis Dioſc. nondum cognita* appellata, cujus *folia* ſunt *Echii* ſimilia; *caulis* erectus, pedalis, & ramoſus; *floſculi* ſunt in fundo, reliquis longiores, & partes aperientes ſunt anguſtiores.

8. Echium *Creticum latifolium rubrum, C. B. P. Creticum* 1. *Cluſ. Hiſt. Folia* inter *Plantaginem* & *Bugloſſum* media, humi ſternuntur. *Caules* rotundi, aſperi, ſrequentibus *alis* donati, cauliculos quinque foliolis anguſtis præditos geſtant; ex quibus cavi *flores, Echii* floribus non diſſimiles, coloris rubri, diluti, elegantis, in quinque lacinias ſummis oris diviſi, emicant & decurſu temporis purpuraſcunt. *Staminula* cum *ſtylo* exalbido & bifurcato è medio exeunt. *Semina Echii* vulgaris ſimilia ſunt.

Julio & ſequentibus menſibus floret.

9. Echium *Creticum anguſtifolium rubrum, C. B. P. Creticum* 2. *Cluſ. Hiſt.* Caules proxime præcedentis magis ſcabri ſunt, parvis *maculis* rubris diſtincti. *Folia* quaternas aut quinas uncias longa, unam lata, pallidioribus *maculis* aſperſa. *Flores* extremis ramis egregie rubentes, nativam rubedinem etiam adulti retinentes, *ſtaminula* cum *apicibus* albis continent.

E Creta *ſemina accepit* Cluſius.

10. Echium *Hiſpanicum flore calcari donatum, C. B. P. & Prod. Radicem* habet lignoſam, fibroſam, *cortice* ad rufum vergente tectam, à qua *cauliculi* plures, alii palmares, alii breviores, rotundi, nonnihil villoſi, humum verſus reclinati prodeunt. Iſti *foliis* rarioribus, brevibus, *Veronicæ Alpinæ* ſimilibus, craſſiuſculis, & aſperiuſculis cinguntur. *Flores* in cauliculorum ſummitatibus cærulei, oblongi, cavi, *calcari* in modum *Linariæ* donati, ex hirſuto brevique *calyce* prodeuntes, ex uno *folio* compoſiti, at in ſummitate in lacinias quaternas diviſi cernuntur; quibus delapſis in conceptaculis *ſemen* oblongiuſculum, durum, rugoſum, quale in *Echio vulgari* ſuccedit.

Hoc in Granadæ *montibus D.* Albinus *collegit. An Echium ſit proprie dictum necne, incertum eſt.*

11. Echium *nigrum flore eleganti, Proſp. Alp. de Exot. p.* 311. Planta eſt procera, ferens quinque *caules*, & plures, craſſos, rotundos, non in rectum ſed oblique actos, & quaſi in terram ſtratos, *foliis* multis, denſis, oblongis, in acutum definentibus, veſtitos, aſperos, *ſpinulis* acutis undique armatos, & *folia*, & fructus eodem modo *ſpinulis* præditos. In ramulorum ſummitatibus *flores* viſuntur, haud ita parvi, ac in aliis *Anchuſis*, longi, verſicolores, ita ut quidam ex *floribus* purpuraſcant, alii cyaneo colore dilutiore cernantur. *Flores* figura ad parvas *campanulas* accedunt, ſed ora hiantia habent, ac ex ſingulis quatuor aut quinque *filamenta* tenuiſſima promunt. Parum ea odoris reſpirant. *Semina* in quibuſdam *vaſculis* oblongis, nigro colore, & figura *viperinis capitibus* ſimilia. *Proſp. Alp.*

12. Echium *Lycopſis facie Africanum perenne Hermanni, Hort. Lugd. Bat.* Producit *cauliculos* bipedales, aſperos, nonnihil piloſos, ramoſos, ex ruffis viridantes; *folia* pinguia, craſſiuſcula, *Lycopſis vulgaris* anguſtiora, breviora, aſpera, hirta, quaſique verrucoſa & obtuſa; *flores* in cæruleo colore purpuraſcentes; *ſemina* triangula, nigricantia. Quoad cætera ſuperius explicatis ſimile eſt.

E ſeminibus Africanis *in horto D.* Wilhelmi Lefier *ortum eſt.*

Echium *luteum minimum, C. B. P. Echioides lutea minima, Col.* Vide *Litheſpermum Cap.* 54.

Echii Vires & Uſus.

Semen *cum vino potum, ex ſententia* Dioſc. *& veterum non modo demorſis à viperis, vel ſerpentibus auxiliatur, ſed etiam hoc alexiterio præmunitos ab ictibus illeſos ſervat. Idem quoque perficiunt* radix & folia *eodem modo ſumpta. E* corticibus radicum, *medulla dempta, butyrum rubrum paratur, quod contra caſum, contuſionem, tuſſem contumacem, tam propinatum quam illitum, impenſe prodeſt.* Sim. Paulli. *Quadripartit. Botan. Modus quo fit butyrum illud, traditur à* Dodon. *in viribus* Anchuſæ *de qua infra.*

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ aſperifoliæ.

CAPUT LI.

Anchuſa.

ANchuſa Dioſc. *l.* 4. *c.* 23. ὅθεν τὸ ἄγχειν *quod vim* ſuffocatoriam *habeat, dicta videtur; conſtringit enim fauces* & ſuffocat.

Anchuſa Echio accedit; *radix* vero perennis, rubedine tingit; & *flores* monopetali, fundo craſſiore, campanulati, *Symphyti majoris* ſimiles ſunt, oris non hiantibus, ſed contractis potius.

TABULA XLV. SECT. XI.

Anchuſa
- *lutea*
  1. *Major, C. B. P. Anchuſa lutea, Adv. Lob. J. B.*
  2. *Minor, C. B. P. Anchuſa echioides Cerinthæ flore montana, Col.*
- *purpurea*
  3. *Humilis, Proſp. Alp. de Exot. Humilis Cretica, Park.*
  4. *Minor Patavina, C. B. P. Hanc Plantam eandem eſt putat J. B. ac Luteam minorem.*
- 5. *Anguſtifolia verticillis longis aculeis armata, è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt. T.* 133.

1. Anchuſa *lutea major, C. B. P. Anchuſa lutea, Adv. Lob. J. B. Anchuſa flore exalbido, Cluſ. Hiſt.* Huic numeroſa *folia* palmaris longitudinis, valde anguſta, & pungente *lanugine* hirſuta. Ex horum medio *caulis* aſſurgit ſecundo anno (primo enim ἄκαυλος eſt planta) pedalis, interdum etiam cubitalis, craſſiuſculus, firmus, hirſutus, in multos ramos diviſus, in quibus breviora multo, hiſpidaque *folia*. Extremis ramis prodeunt è vaginulis hirſutis & aſperis *flores Symphyti majoris* floribus quodammodo ſimiles, palleſcentes, ſive ὠχρόλευκοι, in angulos quinque diviſi, quibus diſcuſſis, *ſemen* in vaginulis conſpicitur, *Echii* ſeminis forma, ſed glabrum. *Radix* minimi digiti craſſitudinem æquat, nigraque cute tecta eſt (qua ſublata, omnino rubet, & elegantiſſimo colore inficit) dulcis & inſipida, carnoſa. *V. icon. tab. æn.* 27.

Floris color variat, interdum *luteus*, interdum *ex albo pallidior*; unde *Anchuſa flore albo aut pallido, J. B.*

Naſcitur arido & ſalebroſo ſolo, ut in monte Badenſibus *thermis imminente, In* Pannonia & Auſtria; *circa* Lugdunum; *in montibus* Euganeis, *aliiſque, Junio menſe florens, reperitur.*

2. Anchuſa *lutea minor, C. B. P. J. B. Symphytum anguſtifolium Apulum, Park. Anchuſa echioides lutea Cerinthæ flore montana, Col. Radice* eſt ſatis longa, lignoſa, ex qua multi in orbem fruticant *ramuli* hirſutie aſperi, quemadmodum *folia*, quæ anguſta ſunt, fere tres uncias longa, hiſpida. *Caules* pedales vel ſeſquipedales iſta ſuſtinent. *Flores* in caulium ſummitate oblongi, melleo ſucco repleti intus, *Cerinthæ* modo, cavi, lutei, parum circa ora ventrioſi atque angulofi, cum *apice* longo in medio. *Semina* quatuor anguloſa, roſtrata, lævia, nigricantia, *calycibus* quinquepartitis, hirſutis, inſidentia, ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 27.

In Æquicolorum *montibus meridiei expoſitis, Maio menſe florens, collegit* Fab. Col. *Planta eſt perennis.*

3. Anchuſa *purpurea humilis, Proſp. Alp. de Exot. Anchuſa humilis Cretica, Park.* Humilis hæc *Anchuſa* elegantiſſima, in locis montoſis & ſylvis *Cretæ* Inſulæ naſcitur, & ab una *radice* longa, pollicari craſſitie, rubeſcente colore, plures ſurculos, ſemidigitum longos, producit, utrinque *foliis* longis, albis, *Anchuſæ* proximis, ſed minoribus, denſiſſime undique veſtitos. Atque in ſummitate ipſorum *flores* rubri, ad purpureum colorem inclinantes, in ſuis parvis *calycibus* ſpectantur, *Anchuſæ* majoribus, figura *Coluteæ veſicariæ*. Ab his *ſemina* producuntur, *thecis* parvis oblongis, aſperis, albicantibus contenta. *Radix* tempore æſtatis *ſucco rubro* turget, qui manus rubro colore inficit. *V. icon. tab. æn.* 27.

4. Anchuſa *purpurea minor Patavina, C. B. P. Hanc plantam eandem eſſe putat J. B. ac Luteam minorem. Anchuſa lutea minima, Lob. Obſ.* Hanc raro dare *Monſpelienſem* agrum notat *Lobelius*, *floribus* luteis in puſillis pediculis in ſe convolutis, *Echii* ritu caudam *Scorpionis* aliquantum æmulantibus dotatam. *D. Magnol* eandem invenit in loco dicto *La garrigue du Terrail*, & in ſterilibus circa *Salenovam* & *la Colombiere, Maio & Junio menſibus, cum flore. Vid. icon. tab. æn.* 27.

5. Anchuſa *anguſtifolia verticillis longis aculeis armata, è Madraſpatan. D. Pluk. Phyt. Tab.* 133. *Fig.* 4. Perrara hæc planta, *foliis Anchuſæ Buglоſſive* longis, anguſtis & hirſutie aſperis, ex adverſo binatim naſcentibus, donatur, ut & plurimis aliis minoribus etiam *foliis*, *ſpiniſque* longis nudis ambientibus, quæ ex eodem exortu ad genicula proveniunt, *florumque calyces* includunt, & *verticilla* denſius per intervalla diſpoſita rite componunt. Ex his *flores* longi, in quinas partes æquales diviſi, emergunt; cujuſnam vero coloris certo ſtatuere non auſim.

Hanc humaniſſimus vir D. Car. du Bois *cum D* Pluknetio *communicatus eſt.*

De

De aliis Anchuſis dictis Annotatio.

Anchuſa *Alcibiadion vel Onochites, Lob. Anchuſa puniceis floribus, C. B. P. Anchuſa Monſpeliaca, J. B. Quæ fortaſſe eſt Anchuſa Echii foliis & floribus, C. B. P.*
Anchuſa *Alcibiadion, Dod.*
Anchuſa *minor, Cordi.*
Anchuſa *anguſtifolia lignoſior, Adv. Lob. Anchuſa anguſtifolia, C. B. P. Minor lignoſior, J. B. Anchuſa arborea, Proſp. Alp.*
Cum floribus apertis, quinquefariam diviſis, donatæ ſint; ad Buglofforum familiam aptius referentur.
Anchuſa *major, Cæſ. Anchuſa ſylveſtris, Thalii.* Eſt *Echium vulgare.*
Anchuſa *arvenſis alba, Thal. Anchuſa degener facie Milii ſolis, Lob.* Eſt *Lithoſpermum.*

Onoſma *eſt altera quam Antiqui huic Plantarum ſeriei adjunxerunt. Dioſc. l. 3. c. 147. Plin. l. 27. c. 12.* aliique ex iſtis perhibent, quod *folia* habeat ad ſimilitudinem *Anchuſæ* oblonga, mollia, quatuor digitorum longitudine, & unius latitudine, in terra jacentia; denique *Anchuſæ* foliis quam ſimillima; eſt autem ſine caule, ſine flore, ſine ſemine. Quid ſibi velint Priſci, Recentiores non colligunt; & Plantam perfectam ſine floribus & ſeminibus naſci non poſſe contendunt.

Semina à cunctis diverſa, munificentia Rev. *D. D. Huntington*, Plantamque ficcam *Onoſmatis* nomine ex *Aleppo* recepimus. Planta figura prædictæ ſatis reſpondet; ſed *ſemina Hordei granum* magnitudine æquantia, triangularia, brevia, extus tuberculis duris rugoſa, ex rubro ad aurantiacum coccineumve colorem tendentia, viſuntur. Hæc primo anno recepta nobis ſuccrevere; ſed nimia adhibita blanditie & indulgentia, hyeme ſuccedente rigida totæ perierunt plantæ, & qualeſnam ſint flores, nos ignorantes reliquerunt. *An Pſeudo-anchuſa Plinii. Rawolf. Hort. ſicc.* 141?

Anchuſæ Vires.

Anchuſa *veterum* (*non minus quam* Echium) *ex vino data, demorſis à ſerpentibus opitulatur, &* radici *vis vera alexipharmaca tribuitur. Recentiorum nonnulli, inquit* Dodonæus, *butyrum recens inſulſum cum* Anchuſæ *radice addito vino, donec ruborem contraxerit, coquunt, quod butyrum rubrum appellant, & non modo ex alto delapſis exhibent, verum ad exanthematum facilem eruptionem prodeſſe ferunt, ſi cum calente cereviſia mox propinetur.*

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ aſperifoliæ.

CAPUT LII.

Conſolida major *ſive* Symphytum.

Conſolida major, *à* conſolidandis *vulneribus dicta*, Symphyti (*ἀπὸ τὸ συμφύω conglutino, coaleſcere facio*) *à conglutinandi facultate nomen obtinuit.* Symphytum maculoſum Pulmonaria *dicitur, à* maculis *albicantibus, ad inſtar* macularum pulmonis, *quæ in* foliis *ut plurimum albæ & latæ conſpiciuntur; & quod* pulmonum *affectibus medeatur.*

Viſcida & conglutinante facultate, *foliis* aſperis, *floribus* cylindraceis, *ſeminibus* politis lucidis, *radicibus* perennantibus, facile dignotu eſt *Symphytum.*

TABULA XLVI. SECT. XI.

- *Conſolida major ſive Symphytum*
  - *non maculatum*
    - *majus*
      1. *C. B. P. Conſolida major, Brunf. Cam. Ger. Symphytum magnum, Fuchſ. Dod. J. B. Floris colore variat.*
      Symphytum majus flore pallido;
      flore purpureo;
      & flore rubro, Eyſt.
      2. *Tuberoſa radice, C. B. P. Symphytum tuberoſum, J. B. Lob.*
    - *minus*
      3. *Tuberoſa radice, C. B. P. Cluſ. Hiſt.*
      4. *Germanicum anguſtifolium è rubentibus cæruleis floribus, Nob. Pulmonaria 2. folio non maculoſo, Cluſ. Hiſt.*
      5. *Pannonicum anguſtifolium cæruleum, Nobis. Pulmonaria 3. anguſtifolia cæruleo flore, Cluſ. Hiſt.*
      6. *Sive Pulmonaria foliis glabris Americana, flore patulo cæruleo, D. Pluk. Phyt.*
      7. *Minimum Acini foliis bijugis Madraſpatan. D. Pluk. Phyt.*
  - *maculatum ſeu Pulmonaria*
    8. *C. B. P. Pulmonaria vulgaris maculoſo folio, Cl. Hiſt. Eadem flore albo.*
    9. *Batavica maxima foliis longioribus maculis majoribus conſperſis. An Symphytum Alpinum latifolium maculatum aſperius flore cæruleo, H. R. P?*
    10. *Anguſtifolia rubente cæruleo flore, C. B. P. 5. Cluſ. Hiſt.*

1. Symphytum *ſive conſolida major, C. B P. Conſolida major, Brunf. Cam. Ger. Symphytum magnum, Fuchſ. Dod. J. B. Symphytum majus vulg. Park. Radicibus* oritur craſſis, multifidis, foris nigricantibus, intus *ſucco* glutinoſo gravidis, à quibus eduntur *folia, Bugloſſi* majoris proxima, ſed latiora, hirſuta, ſubaſpera, atrovirentia, abſque pediculis *cauli* inhærentia anguloſo, ſtriato, bicubitali, & in brachia diremptо. In horum ſummitatibus *flores* viſuntur tenues, oblongi, cylindracei, concavi, nutantes, ſuperius quinquepartitim modice diviſi, nunc coloris albidi, interdum lutei palleſcentis, nunc purpurei nigricantis, nunc hilariore purpura nitentis, & quandoque rubri. Floribus ſingulis *ſemina* tumida, ſubrotunda, lævia, & lucida, quaterna ſuccedunt. *Vid. icon. tab. æn.* 29.

Floret Junio & Julio menſibus. Littoribus ac ripis, paluſtribus & humectis, graminoſiſque hortis gaudet; neque facile ubi ſemel radices egerit eradicari poteſt, nam vel minima radicis portio humi infixa continuo in herbam emergit.

2. Symphytum *majus tuberoſa radice, C. B. P. Symphytum tuberoſum, J. B. Lob. Dod. Conſolida tuberoſa vel nodoſa, Cam. Radice* eſt exterius nigra, intus candida, ſed nodis excurrentibus tuberoſa. *Folia* antedicti foliis ſimilia, breviora tamen ſunt. *Caules* humiliores *flores* oblongos, ſubluteos in ſummitatibus emittunt. *V. icon. tab. æn.* 29.

Loca amat umbroſa; in Pannoniæ & Auſtriæ *ſylvis, & montibus* Euganeis, *copioſe naſcens, reperitur. Maio menſe floret.*

3. Cl. *Cluſius* in *Hiſt. p.* 166. *minus* quoque in iconibus edidit, atqui deſcribere non ſuſtinuit. *Radix* fibris craſſis nodulata, tenuior apparet; & *folia* anguſtiora, & acutiora; atque *flores* longiores, campanulati, in quinque ſegmenta acuta diviſi videntur. *V. icon. tab. æn.* 29.

4. Symphytum *minus non maculatum Germanicum anguſtifolium floribus è rubentibus cæruleis, Nobis. Pulmonaria 2. folio non maculoſo, Cluſ. Hiſt. Radix* minimi digiti craſſitudine, fibras craſſiuſculas, nigricantes, *Ellebori nigri* ſimiles emittit. *Folia* longis pediculis innixa, oblonga ſunt, & aſpera, nullis albicantibus *maculis* ſuperne infecta, prorſus viridia, inferne autem dilutiora. *Caules* pedales, anguloſi, *folia* gerunt anguſtiora, & in ſummo faſtigio in breves ramulos dividuntur, ſuſtinentes *calyces* aſperos, è quibus emergunt *flores* longiuſculi, cavi, oris in quinque crenas diviſis, coloris initio rubeſcentis, poſtea ad cæruleum tendentis. Illis cadentibus, apparent *ſemina* nigra.

Naſcitur in Viennenſi *ſaltu, & in ſylvis* Francofurto *vicinis frequens. Floret Aprili menſe; ſemen exeunte Maio maturum eſt.*

5. Symphytum *anguſtifolium Pannonicum flore cæruleo, Nobis. Pulmonaria anguſtifolia cæruleo flore* 3. *Cluſ. Hiſt.* 2. *Pan.* Exſilit unum primo vere *folium, florumque thyrſum* fere ante folia reliqua promit, quæ ſunt anguſta, & hirſuta, *Anchuſæ* non abſimilia, molliora tamen, nullo pediculo prædita. *Caulis* pedalis *flores Bugloſſi hortenſis* aut *Pulmonariæ* forma ſimiles, in quinque orbiculares fere lacinias diviſos, colore ex purpureo rubente, ſuſtinet, & deinde quando explicati ſunt, cæruleo adeo eleganti, ut *Gentianellæ vernæ* floris venuſtatem, ſi non ſuperare, attamen æmulari videantur. *V. icon. tab. æn.* 29.

In montanis & cæduis ſylvis, paſſim per Pannoniam & Auſtriam, *diutiſſime florens, reperitur.*

6. Symphytum *non maculoſum ſive Pulmonaria Americana foliis glabris, flore patulo cæruleo, D. Pluk. Phyt.* Huic novæ plantæ, è *Virginia* tranſmiſſæ, *folia* ima ſunt trium cialis longitudinis, ſubrotunda, & ad ovalem formam accedentia, glabra, læte viridia, & ad glaucum colorem tendentia, carnoſa, petiolis uncialibus innitentia. Inter hæc *caules* pedales, læves, nunc erecti, nunc reclinati, proveniunt, *foliis* anguſtioribus inordinatim veſtiti. *Flores* ſummis cauliculis corymbatim naſcuntur, quam qui in cæteris longiores, tubuloſi, oris apertis in quinque ſegmenta rotunda modice inciſis, colore cæruleo, qui è vaſculis minimis prodeuntes, nudi pene apparent, & petiolis uncialibus, gracilibus, inſidentes, interdum ſingularibus. Interdum autem tres quatuorve flores ex eodem petiolo ramificantur.

In horto Chelſeiano *adſervatur.*

7. Symphytum *minimum Acini foliis bijugis Madraſpatanum, D. Pluk. Phyt. Caulis* aſſurgit gracilis, cui ad uncialem intercapedinem è regione ſita oriuntur *folia*, unguis humani latitudine, è rotunda baſi in mucronem deſinentia, petiolis brevibus adhærentia. *Flores* quaſi in *ſpica* recurva ſingulatim naſcuntur, longi, cavi, cylindracei, *Symphyti majoris* forma non abſimiles, & è *calycibus* brevibus emergentes, ad unum latus præſertim ſurſum ſpectantes cum *ſtylo* longo è medio exeunte.

Raram hanc plantam Cl. auctor, cum plurimis aliis, non minus raris, in Phytographia ſua, Tab. 227. *ſculptam edidit.*

8. Symphytum *maculoſum ſive Pulmonaria latifolia, C. B. P. Pulmonaria Plinii, Geſn. Pulmonaria vulgaris maculoſo folio, Cluſ. Hiſt. Symphytum maculoſum, Dod. Pulmonaria Italorum ad Bugloſſum accedens, J. B.* E ſummitate *radicis* digiti craſſitudinem æquantis, fibris carnoſis affixæ, emergunt *folia* plurima humi ſparſa, palmaria, ſubrotunda, in mucronem deſinentia, petiolis longis inſidentia, aſpera, viridia, maculis albis in ſuperficie conſperſa. *Caules* dodrantem longi, foliis anguſtioribus ſeſſilibus, abſque ordine onuſti, *flores* plurimos in thyrſo congregatos, tubuloſos, margine quinquifidos, ſuſtinent, primo rubentes, & deinde in cæruleum colorem abeuntes; quibus dehiſcentibus, *ſemina* quaterna, obrotunda, tumida, lucida, nigricantia, in *calycibus* brevibus craſſiuſculis contenta, ſuccedunt. *Vid. icon. tab. æn.* 29.

In ſylvis collibuſque umbroſis Bohemiæ, *aliiſque plurimis ad* Rhenum *jacentibus, ſponte naſcitur. In hortis frequens reperitur, ubi primo vere floret.*

In hortis quoque alitur varietas, *foliis* aliquantulum *amplioribus*, & *floribus candidis* donata.

9. *Pulmonaria Batavica maxima foliis longioribus maculis majoribus conſperſis. An Symphytum Alpinum latifolium maculatum aſperius flore cæruleo, Hort. Reg. Par?* Præcedentibus affinis eſt hæc planta, major tamen, *foliis* amplioribus & dodrantem ſæpe longioribus, & acutioribus prædita; & cum in proxime ſuperius expliçata color viridis, maculis parvis albis inſignitus & aſperſus eſt; in hac albedo prædominatur, maculiſque latioribus albis folia ſqualefacta & commaculata ſunt. *Floret* ad eundem modum quo & aliæ congeneres; ſpecioſiores tamen *flores* apparent. *V. icon. tab. æn.* 29.

Hortis Batavicis *primo obſervavi, & ex* Groningenſi *in* Angliam *tranſtuli.*

10. Pulmonaria *anguſtifolia rubente cæruleo flore, C. B. P. Pulmonaria Pannonica quinta Cluſii. Pulmonaria foliis Echii, Lob. Ger.* Præcedentibus congeneribus quoque accedit hæc ſpecies; *folia* tamen longiora, anguſtiora,

guſtiora, & acutiora, viridia, *maculis* parvis albis interſtincta ſunt. *Flores* profert quo modo & aliæ; initio rubent, deinde cæruleum colorem ſaturatiorem contrahunt. *V. icon. tab. an.* 29.

In caduarum ſylvarum marginibus, umbroſis locis Pannoniæ, *collegit* Cluſ.

Temperamentum & Vires.

Mediocriter calidum & ſiccum exiſtimatur, licet mucilagine abundat, præſertim radix, *quæ multo frequentius in uſus venit. Antiquitus obſervatum eſt, carnes fruſtulatim conciſas, & una cum* Symphyti radicibus *coctas, in unam maſſam coaleſcere; quod fit viſcoſæ illius mucilaginis vi, quam radicibus ineſſe diximus. Eſt autem* Symphytum (radix *ejus præcipue*) *vulneribus conglutinandis idoneum, ſive ſint externa vel interna; nervis & tendinibus quocunque modo læſis firmandis conducit; multum laudatur in oſſium fracturis conſolidandis; in herniis etiam recentibus uſus eſt frequentiſſimi, & eximiæ virtutis.*

Interne ſalſos & tenues humores ad pulmones delatos inſpiſſat, & citra vaſculorum rupturas blande educit; eroſis etiam prodeſt, ſoreatumque ſanguinis prohibet. In potionibus vulnerariis, ad partium internarum læſiones ſæpe propinatur. Dyſenteria laborantibus prodeſt. Ad menſes nimios cohibendos radix *commendatur, cum ſaccharo aut melle condita, item* flores *in* conſerva. Flores *in vino rubro coctos, bis in die ſumptos, in cruenta urina optimos eſſe confirmat* Camerarius. Radix *quoque cum albumine ovi applicata ſedat immodicas hæmorrhoides; ecchymomata, & ſugillationes tollit.* Decoctum radicis *cum dimidio rad.* Sigilli Solom. *certiſſimum eſt remedium in ſugillationibus oculorum tollendis.* Ettmul. in prax.

Symphytum minus maculoſum Pulmonaria *dictum majori* Symphyto *quadantenus accedit; hujus tamen* radices *fibroſæ ſunt ac minus utiles.* Folia *ad vulnera conglutinanda, ad pulmonum ulcera, ad phthiſin, corroſiones, & hæmoptyſin commendantur.*

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ aſperifoliæ.

CAPUT LIII.

Cerinthe.

CErinthe ἀ Κηρὸς & ἄνθος; *hinc* Κήρινθος *dictum, quod proferat florem* cerei coloris.

Cerinthe eſt planta carnoſa, plumbei coloris, *foliis* non hirſutis, aſperis tamen, oblongorotundis, ut plurimum maculoſis, *floribus* cylindraceis ſymphytiformibus.

TABULA XLVII. SECTIONIS XI.

Cerinthe
- *major*
  1. *Sive Cynogloſſum montanum majus, C. B. P. Cerinthe quorundam major verſicolore flore, J. B. Verſicolore flore, Cluſ.*
  2. *Flore flavo aſperior, C. B. P. Cerinthe quorundam major flavo flore, Cluſ.*
  3. *Flore purpureo ſive ex rubro purpuraſcente, C. B. P. Cerinthe major quorundam flore ex luteo purpuraſcente, Cluſ. Hiſt.*
  4. *Folio non maculato, Cluſ. App. alt. Cerinthe folio non maculato viridi, C. B. P.*
- *minor*
  - *annua*
    5. *C. B. P. Cerinthe Plinii, Adv. Lob. 2. Cluſ. Hiſp. Maru Herba minor, Dod.*
    6. *Flore albo, Park.*
  7. *Perennis Virginiana flore luteo.*

1. Cerinthe *ſive Cynogloſſum montanum majus, C. B. P. Cerinthe quorundam major verſicolore flore, J. B. Verſicolore flore, Cluſ. Hiſt. Cerinthe major, Lob. Cam. Tab. Ger. Pulmonaria Romana, Cæſ. Maru herba, Dod.* E *radice* annua *caules* exeunt cubitales, ramoſi, rotundi, & carnoſi; *foliis* unciam plus minus latis, oblongis, & obtuſis, è virore ad cæruleum colorem inclinantibus, *maculis* aliquot canditantibus inſignitis, nonnihil aſperis, lata baſi amplexantibus, veſtiti. Ex horum cacuminibus, inter foliola minora, *floſculi* dependent rotundi, cavi, oblongi, *Symphyti* aut *Unedonis* pene forma, colore luteo in extima parte, altera qua cauliculis inhærent, ex rubro purpureo; quibus deciduis, bina ut plurimum inveniuntur *ſemina* oblonga, & obtuſa, nigra, dura, *Ciceris* magnitudine, lata ſede albicante notata; interdum tria & nonnunquam quarti rudimentum reperitur, raro vero perfecta; plura binatim producuntur. *Semine* deciduo, ſingulis annis renaſcitur. *V. icon. Tab. an.* 29.

In lætis & herboſis collibus, & ſecus vias, ad agrorum margines Bohemiæ, Rhætiæ, Pannoniæ, Luſitaniæ, & *per totam* Bœticam, *ſponte exit.*

2. Cerinthe *flore flavo aſperior, C. B. P. Cerinthe quorundam major flavo flore, Cluſ. Hiſt. Cerinthe quorundam major ſpinoſo folio, flavo flore, J. B.* Huic *caules* conſimiles nunc erecti, nunc reclinati, *foliis* ante explicatæ ſimilibus, minoribus tamen, maculis albis infectis, & veluti tenellis ſpinis obſitis, ornantur. *Caulis* in aliquot ramulos ſuperne dividitur, è foliorum ſinu prodeuntes, qui extima parte nutant, & è ſingulis foliorum alis *flores* proferunt prioris floribus forma & magnitudine pares, ſed omnino flavos. *Semen* præcedentis ſimile.

Valentino *regno ſponte naſcentem obſervabat* Cluſius.

3. Cerinthe *flore purpureo ſive ex rubro purpuraſcente, C. B. P. Cerinthe major quorundam flore ex luteo purpuraſcente, Cluſ. Hiſt. J. B.* In bipedalem aut tripedalem, ut plurimum aſſurgunt altitudinem *caules*, quos *folia* jam deſcriptarum foliis paullo minora, ex viridi & cæruleo quaſi commixti coloris, ſuperne etiam maculis albis conſperſa, alternatim ambiunt. Supremi rami nutant, *floreſque* ſingulares inter *folia* proferunt, in *calycibus* purpuraſcentibus ſaturis, ex rubris purpureos, quibus aſperſa videtur quædam albedo, longos, cavos, inſtar præcedentium. *Semen* idem quod & cæterarum congenerum, majus tamen.

4. Cerinthe *folio non maculato, Cluſ. App. alt. Cerinthe folio non maculato viridi, C. B. P. Caules* humi quodammodo procumbunt; *folia* nullis albis maculis conſperſa, ſed prorſus viridia & mollia ſunt, *Iſatidis* foliis non valde diſſimilia; *floſculi* oblongiuſculi, concavi, infima parte flavi, media purpurei, extima etiam flavi, in quinque lacinias diviſi, continentes aliquot rigida *ſtaminula*, & inter illa oblongum tenue *ſtylum*.

5. Cerinthe *minor annua, C. B. P. Cerinthe Plinii, Adv. Lob. 2. Cluſ. Hiſp. Minor ſive quarta Hiſt. Maru herba minor, Dod. Caulem* cubitalem aut ampliorem habet, rotundum, in plures ramos diviſum; *folia* etiam alterna, per caulem ſparſa, minora & anguſtiora, albis ſimiliter *maculis* conſperſa. Summi rami inflectuntur & nutant, frequentibus foliis magis mucronatis tecti; è quorum *alis* ſingulares propendent *flores* ſuis *calycibus* inhærentes, ſuperiorum floribus longe minores, extremis oris denticulati, prorſus flavi; quibus deciduis, *ſemen* in calyculis continetur nigrum, alterius proxime ſuperius explicati minus, forma tamen non diſſimili.

In Auſtriæ & Stiriæ *agris copioſe creſcit.* Cluſ.

6. Cerinthe *minor flore albo, Park.* Hujus *cauliculi* procumbentes *folia* gerunt aliarum congenerum anguſtiora, pallida, maculis albeſcentibus minus conſpicuis conſperſa. *Flores* ei parvi, oblongi, concavi, albi, *circulo* rubello in medio cincti. *Semina* conformia, ſed aliarum ſupra deſcriptarum ſeminibus multo ſunt minora.

In Hiſpanicis *agris* Bœlius *legit.*

7. Cerinthe *minor perennis Virginiana flore luteo. Cerinthe* hæc proprie dicta è *Virginia* à *D. Jo. Baniſter* tranſmiſſa, à *radice* dura, longiore, vivaci, *caules* plurimos fundit pedales, ut plurimum humum petentes, aliis hujus familiæ duriores, & *foliis* frequentibus, pallidis, ad glaucum colorem tendentibus, *Cerinthes* ritu, inordinatim veſtitos. Summi caules in *alas* diviſi, complurimis *foliolis* anguſtioribus crebrius digeſtis, *comam* nutantem conficiunt; inter quæ è calyculis ex quinis anguſtis foliolis partibus compoſitis, *flores* dependent integri, oblongi, cavi, lutei, quales & in cæteris congeneribus. *Semina* oblonga, nigricantia, haud magna, ad eundem modum quo & ſupra explicatarum ſemina naſcuntur.

Quæ de Cerinthes *virtutibus traduntur dubiæ fidei ſunt, & vix notatu digna.*

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ aſperifoliæ.

CAPUT LIV.

Lithoſpermum.

Lithoſpermum *Gr.* λιθόσπερμον *à ſeminis duritie, quaſi* ſemen lapideum *ſeu* lapidea *duritie præditum, dicitur.* Milium ſolis, *pro* Milio Soler (*in monte* Soler *copioſe naſcente*) *in officinis dicitur, quia* ſemina *lucida, dura,* Milii *pene ſimilia ſunt.*

Lithoſpermum ſemine lævi, ſplendido, duriſſimo, denudato, *vaſculo* quinquifido incluſo, ab aliis facile dignoſcitur.

TABULA XLVIII. SECT. XI.

- *Lithoſpermum*
  - *perenne*
    - *majus*
      1. *Erectum vulgare flore ochroleuco, Nobis. Majus erectum, C. B. P. Lithoſpermum ſive Milium ſolis, J. B.*
      2. *Procumbens flore purpurocæruleo majore, Nobis. Lithoſpermum Majus repens, Cluſ. Hiſt.*
      3. *Latifolium Virginianum flore albido longiore.*
      4. *Virginienſe flore luteo duplici ampliore.*
    - *minus*
      5. *Umbellatum latifolium, Bocc. Forte minus erectum, C. B. P.*
      6. *Anguſtifolium umbellatum, Bocc. C. B. P. App.*
  - *annuum*
    - πτερακαρπὸν
      7. *Semine nigro anguloſo, Nobis. Lithoſpermum arvenſe radice rubra, C. B. P. Anchuſa degener facie Milii ſolis, Adv. Lob.*
      8. *Luteum hirſutius, Nobis. Echioides lutea minima, Col.*
    - μονοκαρπὸν
      9. *Spicatum Linariæ folio, Nobis. Lithoſpermum Linariæ folio Germanicum, C. B. P. Paſſerina Tragi. Paſſerina Linaria, Ger.*

1. Lithoſpermum *erectum vulgare majus flore ochroleuco, Nob. Lithoſpermum majus erectum, C. B. P. Lithoſpermum minus, Matth. Dod. Legitimum, Cluſ. Lithoſpermum ſive Milium ſolis, J. B. Milium ſoler Mauritanis. Radix* nigricans, craſſiuſcula, in fibras definens, alte deſcendit; unde *caules* eriguntur cubitales & bipedales, recti, duri, &

& ſubaſperi, à media parte in *alas* plures tenues diviſi, & *foliis* digiti fere longitudinis, latiore baſi, in mucronem abeuntibus, nigricantibus, aſperiuſculis, inordinatim onuſti. *Flores* è ramulorum ſinubus exeuntes ſingulares ſunt, exigui, in quinque ſegmenta ſubrotunda diviſi, pallidi, aut albidoviridiluteo colore tincti, ſuccedentibus *ſeminibus* quaternis, nudis, duritie lapidea, ſplendentibus, ex albis cinereis aut Margaritæ coloris, lævitatis eximiæ. *Caules* exſiccati, lignoſi, foliis decidentibus, per totam hyemem durant, ex eademque radice quotannis reſurgunt.

Locis incultis & montoſis, agriſque ſiccioribus, occurrit. Maio & Junio menſibus floret, ſemenque in Autumno perficitur.

2. Lithoſpermum *perenne procumbens flore purpurocæruleo majore, Nobis. Lithoſpermum majus repens, Cluſ. Hiſt. Lithoſpermum minus repens latifolium, C. B. P. Majus Dodonæi flore purpureo, ſemine Anchuſæ, J. B. Lithoſpermum majus, Dod.* Multi è *radice* exſiliunt graciles, tenues, longi, aſperi, & hirſuti *ſurculi*, humi ut plurimum procumbentes, & *radiculas* agentes. *Folia* binas uncias longa, anguſta, acuminata, aſperiuſcula, & nigricantia, nunc alternatim, nunc è regione adhærent. *Flores* in rectioribus cauliculis naſcuntur ampliores, buglоſſoides, oris quinquifidis, purpurocærulei, in ſummitatibus corymbatim provenientes. *Semina* ſuccedunt proxime præcedentis duplo majora, eadem lævitate colore & duritie prædita.

Locis montoſis variis in Narbonenſi Gallia; *in* Anglia, *montibus* Somerſetenſibus Mendip *dictis, aliiſque & occidentalibus & borealibus reperitur, ſed rarius.*

3. Lithoſpermum *latifolium Virginianum flore albido longiore. Cauliculis* hujus novæ Plantæ dodrantalibus adnaſcuntur *folia* ſeſcunciam longa, ovalia fere, & obtuſa, præcedentium foliis latiora, hirſutie aſperiuſcula obſita, inordinatim poſita, tribus nervis, ut plurimum, percurrentibus. Summi cauliculi in *alas* diviſi, *ſcorpiuri* ad inſtar incurvantur, è quorum ſuperiore parte *flores* tubuloſi, longiores, exalbidi, ſurſum ſpectantes, in quinque ſegmenta longa, recta, non (ut in aliis) patula, & acuta, diviſi, cum ſtylo longo è medio exeunte, proveniunt.

4. Lithoſpermum *Virginienſe flore luteo duplici ampliore. Folia* ad eundem modum quo & ſuperius explicatarum adnaſcuntur, oblonga, anguſta, obtuſa tamen, quæ una cum *caulibus* modice ſunt hirſuta. Cauliculorum faſtigia diviſa, foliis minoribus ornata ſunt. *Flores* ex *alis* provenientes, perpulchri, fundo tubuloſi, amplitudinem *Paralyſis pratenſis* attingentes, formaque haud diſſimiles, duplici vero aut triplici petalorum ſerie multiplicati, aureo fulgenti colore tincti, emicant.

5. Lithoſpermum *latifolium umbellatum, Bocc. An Lithoſpermum minus erectum, C. B. P. Lithoſpermum Anchuſæ facie, Lob. Lugd.*? E *radice* lignoſa *caulis* illi cubitalis exoritur, ſarmentoſus, in multas *alas* ſeu ramuſculos diviſus. *Folia* oblonga, *Oleæ* æmula, caulium faſtigia occupant, in *umbellam* veluti cohærentes, coloris purpurei, quinque foliolis conſtantes; quorum ſingulis ſuccedunt *ſemina* duritie lapidea donata, ut cernere licet in aliis ſui generis.

Ad Panormum, *in cautibus montis* Peregrini, *collegit Cl.* Boccon.

6. Lithoſpermum *anguſtifolium umbellatum, Bocc. C. B. P. App. Cauliculo* eſt palmo minore, rotundo, quem *folia* ſtrictiſſima, oblonga, nonnunquam utrinque bina ambiunt. In ejus ſummitate *flores* quaſi in umbella diſpoſiti, cærulei, parvi, oblongi, cavi, per ora in quinque crenas diviſi.

Ex Horto Patavino C. Bauh. *olim, & nos etiamnum collectum poſſidemus.*

7. Lithoſpermum *annuum album tetracarpon ſemine nigro anguloſo, Nobis. Lithoſpermum arvenſe radice rubra, C. B. P. Anchuſa degener facie Milii ſolis, Adv. Lob. Lithoſpermum nigrum, Lugd. Lithoſpermum nigrum flore albo, ſemine Echii, J. B. Echioides alba, Col.* E tenui, longa, fibrata *radice*, annua, rubente, *caulis* quandoque ſimplex, interdum plures, ab imo ſe dividentes, pedales, rotundi, aſperi, eriguntur, *foliis Milii ſolis* anguſtioribus, & obtuſioribus, rarius caulem veſtientibus, aſperis tamen & pallidioribus onuſti. In ſummo tribus *alis* frequenter ſe dividit; ex quibus *flores* ex *calycibus* hirſutis, quinquepartitis emergentes, albicantes emicant, *ſemina* in imo habentes quaterna, rugoſa, & ſubaſpera, intorto *roſtro* prædita.

In agris & inter ſegetes ſatis frequens occurrit. Maio & Junio menſibus floret, & ſemina exeunte æſtate perficit, quibus decidentibus, quotannis renovatur.

8. Lithoſpermum *annuum tetracarpon luteum hirſutius, Nobis. Echioides lutea minima Apula campeſtris, Col. Echium luteum minimum, C. B. P.* E *radice* tenui, annua, *folia* auguſta, hirſuta, unciam unam aut alteram longa, duriuſcula, in terram ſparguntur. *Cauliculi* tres quatuorve dodrantales & pedales, rotundi, hirſuti, duri, foliоſi, in quinque (ut plurimum) *ramulos* ſive alas ſe dividunt, *foliolis* minoribus & anguſtioribus onuſti; inter quæ *flores* exeunt lutei, oblongi, tenues, puſilli, tenui tubulo, oris quinquepartitis & ſtellæ modo hiantibus. In horum decuſſorum *calyce* parva *ſemina* quaterna, aliorum congenerum minora, intorto *roſtro* inveniuntur.

Cirinolæ *frequens invenit* Fab. Col.

9. Lithoſpermum *annuum monocarpon ſpicatum Linariæ folio, Nobis. Paſſerina linaria, Ger. Lithoſpermum Linariæ folio Germanicum, C. B. P. Paſſerina Tragi. Linaria altera botryoides montana, Col. Caulis* pedalis & bipedalis eſt, rotundus, virens, ſolidus, lævis, *alis* undique diviſus. Summas alas ab imo ad ſummum uſque *fructibus* ſingulis, binis, aut ad ſummum ternis, pyriformibus, parvis refertas habet. Iſtis *florum* rudimenta inſunt lutea (nam *flores* non ſemper poſſunt obſervari aperti) quæ ex *foliolis* quatuor exiguis, luteis, conſtruuntur; prius enim fructum quam flores edit, inter anguſta & parva foliola *Lini* æmula, & minora, alternatim per alas diſpoſita ſingula, & ex illorum ſinu alia bina puſilla quæ baſin fructibus conficiunt, & ubi fructus deſunt, in caule & alis minime proferuntur.

In vervactis & ſatis ſabuloſis circa pontem Caſtri novi, *& pontem* Juvenalem *haud longe à* Monſpelio *autumno reperitur.*

Lithoſpermum *Linariæ folio Monſpelienſium, C. B. P. Paßerina Linariæ folio, Lob.* Linum foliis aſperis umbellatum luteum, rectius vocaretur, ut Cl. D. *Magnol.* rite notat; *vaſcula* enim turbinata *ſeminibus* lucidis, oblongis, implentur.

Temperamentum

Temperamentum & Vires.

Semen Lithoſpermi *in uſus ſervatur, quod calidæ & ſiccæ qualitatis particeps eſt. Cujuſnam ſit qualitatis in dubium revocat* S. Paulli *cum* Hoffmanno *; ſed de temperamento aut qualitate non tanti eſt controverſia. Prodeſt calculoſis, renes & vias urinarias abſtergendo; materiamque mucoſam cum arenulis expellendo. Calculum ipſum quoque comminuere & expellere creditur. Urinæ difficultati ſubmovendæ confert; nam quæ lithontripitica ſunt, revera ſunt diuretica. Cum lacte muliebri potum ad partus difficiles commendat* Matthiolus.

PLANTÆ MONOPETALÆ

Τετρατραχύκαρποι, ſeu ſeminibus aſperis donatæ.

CAPUT LV.

Cynogloſſum.

CYnogloſſum *Gr.* Κυνόγλωσσα, *i. e.* Lingua canis, *à foliorum forma, mollitie, & figura.*

Cynogloſſi folia ſunt longa, mollia; *flores* monopetali, tubuloſi, quinquifidi; *ſemina* aſpera ſeu lappacea, quaterna, nuda.

TABULA XLIX. SECT. XI.

Cynogloſſum
- *annuum*
  - *majus*
    - *caneſcens*
      1. *Vulgare, C. B. P. J. B. Matth. Lob. Cluſ. Hiſt. Cynogloſſum officinarum, Lon.* *Idem flore albo.*
      2. *Maximum Belgicum, C. B. P. Maximum, Lob. Obſ.*
      3. *Bleſenſe folio molli incano, flore cæruleo ſtriis rubris variegato, Hort. Reg. Bleſ.*
      4. *Creticum latifolium fœtidum, C. B. P. Creticum 2. Cluſ. Hiſt.*
      5. *Globoſo flore, C. B. P. Cynogloſſa media montana incana angustifolia altera flore globoſo, frigidarum regionum, Col.*
      6. *Creticum folio argenteo anguſto, C. B. P. 1. Cluſ. Hiſt. J. B.*
      7. *Fructu umbilicato, C. B. P. Cynogloſſa altera media fructu κοιλώδης ſive λυχνώδης, Col.*
    - *viride*
      8. *Sive ſemper virens, C. B. P. & Prod. Cynogloſſa media virenti folio, rubro flore, Col.*
      9. *Virginianum floribus & ſeminibus minoribus.*
  - *minus*
    10. *Hirſutum vineale floſculis minimis cæruleis, Nobis. Cynogloſſum minus, C. B. P. J. B. Minus flo. cæruleo, Park.*
    11. *Lini foliis glaucis, flore albo, ſemine umbilicato, Nob. Linum umbellatum, Park.*
- 12. *Perenne maritimum procumbens foliis glaucis brevioribus, Nobis. Bugloſſum dulce ex Inſulis Lancaſtriæ, Park.*

1. Cynogloſſum *vulgare, C. B. P. J. B. Matth. Lob. Cluſ. Hiſt. Cynogloſſum officinarum, Lon. Cynogloſſa vulgaris major, Col. Folia* profert lata, longa, majoris *Bugloſſi* ritu, villoſa tamen, tactu mollia, & exili lanugine pubeſcentia, effigie *linguæ caninæ* æmula, atque è glaucis virentia, fœtorem murium aut catulorum non obſcure prodentia. Secundo anno ſine pediculis, in caule pluſquam cubitali, ea ſparguntur, ramoſo & tereti, exornato faſtigiatim *floribus* obſolete puniceis, purpuraſcentibus, *Bugloſſi* florum magnitudine, è *calycibus* quinquepartitis exeuntibus; quibus ſingulis ſuccedunt quaterna *ſemina* depreſſa, ſubrotunda, lappacea, decuſſatim ſimul nuda cohærentia, & *ſtylum* prominentem cingentia, pertinaci adhæſu veſtibus ſe implicantia. *Radix* extus nigreſcit, ſatis craſſa, longa, ac ſubtus multis fibris gracileſcit. *Seminibus* matureſcentibus, radix perit.

Dodonæus aliique iconem ediderunt *Cynogloſſi primi anni*, cum foliis ſuis latis expanſis, quæ pediculis donata eſſe videntur. Alteram etiam figuram, quæ plantam ſecundi anni cauleſcentem, floribus & ſeminibus onuſtam, exprimit.

Incultis & deſertis locis, ad ſemitas & vias publicas, latiore ſolo, frequens reperitur. Junio & Julio menſibus floret. *Circa* Readingum *oppidum idem* floribus candidis *obſervavimus.*

2. Cynogloſſum *maximum Belgicum, C. B. P. Cynogloſſum maximum, Lob. Obſ. Park.* Vulgari ante explicato ſimile eſt, niſi quod majus ſit. *Folia* latiora pediculis longioribus rubeſcentibus adnectuntur, quæ & pullulantia magis rubeſcunt; cauleſque altius aſcendunt. *Floribus* quoque & *ſeminibus* non abſimile ſuperius explicato eſt.

Huic fortaſſe non immerito adjeceris *Cynogloſſum ſylvaticum caule rubente, C. B. P. Sylvaticum Hercinium, Thalii.* Et *Cynogloſſam montanam maximam frigidarum regionum, Col. qui pag.* 168. fuſe deſcripſit. *Dodonæus Cynogloſſum vulgare* magnitudine, pro regionum in quibus naſcitur varietate, variare fatetur.

3. Cynogloſſum *Bleſenſe folio molli incano, flore cæruleo ſtriis rubris variegato, Hort. Reg. Bleſ.* Hæc *Cynogloſſi* ſpecies *folia* vulgaris foliis multo producit breviora, mollia, magiſque incana. *Caules* profert cubitales, magiſque ramoſos, quorum ſummitatibus innaſcuntur *flores* dilute cærulei, *ſtriis rubris* varie ducti; quorum ſingulis deciduis, ſuccedunt quaterna *ſemina* (vulgaris & aliorum more) aſpera, veſtibus adhærentia, multo minora, rotunda.

Paſſim ſecus vias circa Bleſas *provenit.*

4. Cynogloſſum *Creticum latifolium fœtidum, C. B. P. Creticum latifolium, Park. Creticum alterum, Ger. Cynogloſſum Creticum* 2. *Cluſ. J. B.* Huic *folia* palmum aut amplius longa, unciam lata, mollia, humi ſunt fuſa; inter quæ altero anno prodit *caulis* cubitalis, cujus ſummum in multos graciles ramos dividitur, ſummo faſtigio *Scorpiuri* aut *Heliotropii majoris* inſtar inflexos, (uti omnia hujus familiæ) unde *flores* emergunt breviores & ampliores, candicantis initio coloris, ſed multis tenuibus purpuraſcentibus venis, (quæ vetuſtate in cæruleum colorem tranſeunt) ornati. *Semen* quale eſt in aliis. Tota ſtirps ingrati eſt odoris. *Junio menſe floret.*

5. Cynogloſſum *globoſo flore, C. B. P. Cynogloſſa media montana incana anguſtifolia altera, Col. Folia* primo emergentia *Oleæ* anguſtiora & acutiora ſunt; poſtea ſemipedalia, digitali latitudine in medio, nam utrinque ſunt acuminata, recta, mollia & carnoſa. *Caulis foliis* undiquaque veſtitur, denſis, hirſutioribus, ut nihil ſtipitis conſpici poſſit, ſemipedalis, in ſummo *globulum* ſive ſphæram habens rotundam, *mali* magnitudine, incanam, foliolis puſillis, lanoſis admodum, & *floribus* rubentibus, cavis, denſis, favorum cellulas exprimentibus, rubente *Cinnabaris* colore, undique elaboratam. *Flores* è *calycibus*, aliorum lanoſioribus, majores, erumpunt, magiſque ſunt aperti. *Caulis* deinceps pedalem aſſequitur altitudinem, & in *alas* ſe dividit, floriferas & fructiferas; qui fructus aliorum ſunt leviores.

Æquicolorum *montibus*, Cornino *dictis & ſimilibus, locis nudis ſaxoſis ſine arboribus, collegit* Fab. Col.

6. Cynogloſſum *Creticum folio argenteo anguſto, C. B. P. Cynogloſſum* 1. *Cluſ. Hiſt. J. B.* Hoc *Cynogloſſi* genus *folia* profert longa, aliorum anguſtiora, mollioreque *lanugine* argentea tecta. *Caulis* ſtatim ramoſus, tenuior, pedalis eſt. *Alarum* faſtigia *floribus* minoribus, dilutioris rubeſcentis coloris, onuſta ſunt; quorum quilibet in quaterna *ſemina*, vulgaris minora, rugoſa, tranſmutatur; iiſque matureſcentibus, *radix* perit.

Cl. Fab. Col. Cynogloſſum huic conſimile edidit, & *Cynogloſſam mediam argenteam Apulam campeſtrem calidarum regionum* appellavit. *Foliis* modoque creſcendi modo explicato affinis eſt hæc planta; *flores* vero ex tubulo longiore candicante, in quinque partes in oris eam diviſos habere, ex albo purpuraſcentes, carneo fere colore ſuave rubente; & *ſemina* lappacea craſſioribus aculeis armata aſſerit.

7. Cynogloſſum *fructu umbilicato, C. B. P. Cynogloſſa altera media fructu κοτυλώδης ſive λυχνιώδης, Col. Radicem* habet tenuem, lignoſam; *folia vulgaris Cynogloſſæ*, multo minora, incana, mollia, hirſutie albicante obducta, & magis in ſuperna parte; *caulem* pedalem, in cacumine in tres diviſum. *Flores* edit parvos colore ſuave rubente, ſanguineis *lineis* variegatos, centrum ſive umbilicum hilari rubente colore infectum habentes. *Fructus* profert quaternos, umbilicatos, cavos, latiore *umbilico* quam qui in vulgari cernitur, elatioreque limbo circumſepiente, nec obtuſo, ut in aliis, ſed tenuiore, *lucernarum* effigiem imitante. *Semen* non depreſſum, planum, ſed pyriforme, parum compreſſum, continet, ſapore amaricante.

In Valvenſium Anverſæ *oppidi montibus, eorumque radicibus, reperit* Fab. Col.

8. Cynogloſſum *ſemper virens, C. B. P. Cynogloſſa folio virenti, J. B. Cynogloſſa media altera virente folio, rubro flore montana frigidarum regionum, Col. Radix* ei nigricans, aliarum radicibus plus divaricatur, unde *folia*, aliorum forma, longa, atrovirentia ſunt, & ſplendentia, ſuperne glabra, inferne *lanugine* aſperiuſcula, hirſuta, *linea* ſeu nervo medio rubente ut plurimum decurrente. *Caules* ſuccedente anno eriguntur cubitales & bipedales, *ramulis* dodrantalibus diviſi, quorum ſumma faſtigia *Heliotropii majoris* inſtar reflectuntur, & *flores*, forma vulgaris ſimiles, ſuſtinent, rubentes, *ſtaminulis* donatos. *Semina* ſuccedunt lappacea, ut in cæteris; è quibus deciduis quotannis ſe propagat. *Radix* perit.

In Eſſexiæ *comitatu, aliiſque Borealioribus* Angliæ, *ad ſepes & vias publicas, æque ac in* Germania, *ſponte oritur.*

9. Cynogloſſum *Virginianum virenti folio, floribus & ſeminibus minoribus.* Novum hoc *Cynogloſſi* genus cum proxime præcedenti convenit; *folia* vero utrinque viridia, latiora ſunt, & breviora, eaque quæ *caulem* tenuiorem veſtiunt, utrinque acuminata, cum folia alterius lata baſi eundem amplectantur. *Ramuli* tenuiores, ad extremitatem *ſcorpiuri* ad inſtar inflexi, *flores* minores, tubuloſos, margine quinquifidos, rubros, producunt; quibus deciduis *ſemina* parvula lappacea, fuſca, quaternam partem alterius non ſuperantia ſuccedunt.

E Virginia *à* D. Jo. Baniſter *accepimus.*

10. Cynogloſſum *hirſutum vineale minus floſculis minimis cæruleis, Nobis. Cynogloſſum minus, C. B. P. J. B. Minus flore cæruleo, Park. Cynogloſſa minor montana ſerotina altera Plinii, Col. Cynogloſſum pumilum Auſtriacum alterum, Cluſ. Hiſt.* Intra pedalem altitudinem plerumque conſiſtit, tametſi nonnunquam ſuperet. *Cauliculus* illi ſingularis, tenuis, firmus, rotundus, ſubhirſutus, inferne purpuraſcens, ſuperne vireſcens; per quem ſparſa ſunt inæquali ſitu *foliola* uncialia, anguſta, eminente dorſo, molli *lanugine* tecta, colore fere cineraceo, guſtu aliquantulum excalefaciente. Summi cauliculi in aliquot ramulos dividuntur, qui *Scorpiuri* modo contorti, *flo, culos* ex foliorum adverſa parte proferunt *Cynogloſſi* forma, minores, cærulei coloris. His ſuccedunt quaterna etiam ſimul juncta *ſemina*, in umbonem protuberantia, admodum echinata & aſpera. *Radix* tenuis, quæ annum duntaxat ſupereſſe, & poſt ſemen maturum perire ſolet.

Hæc planta apud *Caſp. Bauh.* bis repetitur. *7. Cynogloſſum medium eſt idem quod Cynogloſſum puſillum Narbonenſe, Ad. Lob.* Et decimo loco *Cynogloſſum minus* nominatur.

In Narbonenſi Gallia; *circa* Viennam *urbem*; *aridiſque* Pannoniæ & Moraviæ *locis ſponte provenit.*

11. Cynogloſſum *minus album Lini foliis glaucis, ſemine umbilicato, Nobis. Linum umbilicatum, Park. App.* Elegans erecta hæc planta pedalis, glabra eſt; cui ad ſingulas *alas* adnaſcuntur *folia*, unciam unam aut alteram longa, quadrantem lata, glauca, *Lini* multum ampliora. Ex horum autem ſinubus *ramuli* eriguntur dodrantales & palmares; qui *floribus* candidis, integris in fundo & in quinque lacinias rotundas diviſis, *Cynogloſſi vulgaris* magis patulis, copioſe onuſti ſunt. Hiſce decidentibus, *ſemina* rotunda, umbilicata, ſeu in medio

cava, limbo inverſo rugoſa, ſed non echinata, ut in aliis, ſed eodem modo quaterna, nuda, ſimul decuſſatim juncta, ſuccedunt, quibus quotannis renovatur.

In Luſitania *ſponte naſci dicitur.*

12. Cynogloſſum *perenne maritimum procumbens foliis glaucis brevioribus, Nobis. Bugloſſum dulce ex Inſulis Lancaſtriæ, Park. Echium marinum, Phyt. Brit. Bugloſſum maritimum incanum cæruleo flore, Hort. Lugd. Bat. Radix* ei craſſiuſcula, in fibras extenuata, foris nigricat; è cujus capite *folia* emergunt plurima, pediculis biuncialibus inſidentia, ex rotunda baſi in mucronem abeuntia, & *Pulmonariæ* formam referentia, minora tamen, uncialem latitudinem raro ſuperantia, lævia, glauca, & albedine quaſi cinere aſperſa, obſita. *Caules* inter ea protruduntur, nunc erecti, nunc procumbentes, dodrantem longi, *foliis* minoribus petiolis deſtitutis, ſed ex anguſto principio parum expanſis, inordinatim amicti; nonnunquam in ramulos in ſummitatibus fiſſi. *Flores* (quod notandum eſt) raro è foliorum *alis* (uti in aliis obſervare licet) proveniunt, ſed frequenter è nudo caule, & foliis oppoſiti enaſcuntur *petioli* tenues, unciales, qui *perianthium* calycemve ex quatuor ſegmentis acutis, patulis, compoſitum ſuſtinent. In iſtorum medio *flos* tubuloſus, in quinque rotundas lacinias, *Cynogloſſi* in modum diviſus, primo rubens, deinde purpurocæruleus apparet. Singulis dehiſcentibus, *ſemina* quaterna, aperta, nuda, lævia, nigricantia, ex anguſta ſede tumeſcentia, ſuccedunt.

In Inſula quadam Lancaſtriæ *vicina, aliiſque ſeptentrionalibus oris* Britanniæ *reperitur. A. D.* Tho. Lawſon *Viro Rei Botanicæ ſatis perito ipſi accepimus.*

Cynogloſſi Vires & Uſus.

Cynogloſſum *vi narcotica, & viroſa malignitate præditum eſt; unde tuto niſi in exigua quantitate intus ſumi non poteſt. Ante viginti & ſex circiter annos mulier quædam* Oxonienſis *in vicinia noſtra, & maritus cum liberis, & quotquot erant illius familiæ, hujus plantæ malignam qualitatem foliorum comeſtura (ſed per errorem) ſunt experti. Uxor enim* Cynogloſſi folia (*quæ erat illius imperitia*) *pro tenellis* Symphyti *foliis collegerat, & cocta cum carne pranſuris apponebat, ipſa quoque cum reliquis libere comedebat. A prandio mox omnes ægre ſe habebant & non multo poſt vomitus moleſtus inſequebatur, deinde ſtupore & ſomno correpti ſunt, nec poſt horas fere quadraginta penitus excitati, unus autem mortuus eſt.*

Ex rad. Cynogloſſ. Hyoſcyam. Opio, &c. *componuntur pilulæ ad acres fluxiones incraſſandas, ad catarrhum, tuſſim difficilem ſiſtendam, & ſomnum conciliandum. Verum doſis narcoticorum in pilulis de* Cynogloſſo *exhibita, tria vel quatuor grana non excedit. Quidam* Dioſcoridem *ſecuti* radicem *ad uſus internos ſecure commendant, doſi aut quantitate non aſſignata, quam tamen non magnam eſſe oportet.*

Radix *externe inflammationibus & ambuſtis medetur, ad hæmorrhoides, fiſtulas, ulcera cancroſa ſananda, utilis eſt; ſtrumas & tumores ſcrophuloſos reſolvit. Ad ſcrophulam tollendam* radicem *collo ſuſpendi, & antequam exaruerit penitus, renovari præcipit Cl.* Mayernius.

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ.

CAPUT LVI.

Echium ſcorpioides, *ſive* Scorpiuros.

SCorpiuros *vocatur, quod ramuli cum floribus* Scorpionum caudæ *modo inflectantur, aut* Erucæ *modo propendeant.*

Scorpiurus & *Heliotropium ſpicis* longis non foliatis, *Scorpionum caudarum* ad inſtar reflexis, inter ſe conveniunt; *ſemina* tamen in hoc lucida & ſplendentia, cum in illo rugoſa ſint; *foliaque* longa ſunt & anguſta.

TABULA L. SECT. XI.

Scorpiurus
- *terreſtris annuus*
  1. *Arvenſis hirſutus cæruleus, Nobis. Echium ſcorpioides arvenſe, C. B. P. Myoſotis ſcorpioides hirſuta, Park.*
  2. *Hirſutus floſculis minoribus luteolis, Nobis. Echium ſcorpioides minus floſculis luteis, C. B. P.*
  3. *Humilis Virginianus foliis rutaceis.*
- *paluſtris perennis*
  4. *Viridioribus foliis, Nobis. Myoſotis ſcorpioides paluſtris, Ger. Echium ſcorpioides paluſtre, C. B. P.*

1. Scorpiurus *annuus arvenſis hirſutus cæruleus, Nobis. Echium ſcorpioides arvenſe, C. B. P. Myoſotis ſcorpioides hirſuta, Park. Scorpioides arvenſis hirſuta, Ger. Scorpioides tertium Dod. Scorpioides ſolſequium flore minore, J. B. Myoſotis hirſuta reptans, Adv. Lob. Caulículos* è *radice* fibroſa promit anguloſos, medios erectos, alios reclinatos, pedales, hinc inde *foliis*, ſed raris, conveſtitos, quæ pallide virentia ſunt, duas uncias longa, ſemunciam lata, ac (veluti & ipſi *caliculi*) *exiguis pilis* hirſuta apparent. Ramulorum ac cauliculorum faſtigia, una cum *florum* rudimentis, inſtar *ſcorpionis caudæ* recurvantur, ſenſim autem his ſeſe explicantibus, particulatim *floſculi* petiolis brevibus inſidentes, panduntur, qui parvi ſunt, monopetali ſeu in fundo integri, in quinque cæruleas partes rotundas ſecti, umbilico luteo tincti. Atque his deciduis, in *vaſculis* quinquifidis

quifidis (qui florum *calycibus* ſubſtituuntur) *ſemina* quaterna, exigua, ſplendida, nigra, *Amaranthi* minora, ſequuntur.

In vinetis & arvis inter ſegetes, præſertim aɛnoſo ſolo, frequens reperitur. Ab Aprili menſe in multam æſtatem floret. A ſemine deciduo renovatur.

2. Scorpiurus *arvenſis hirſutus floſculis minoribus luteolis, Nobis. Echium ſcorpioides minus floſculis luteis, C. B. P. & Prod. Myoſotis ſcorpioides minor floſculis luteis, Park.* Antecedenti affinis eſt hæc planta, minor tamen quoad omnia evadit. *Caules* graciliores, in *ſpicas* longas, tenues exeunt, quibus *floſculi* conformes, ſed multo minores, conniventes, primo expanſi, lutei, deinde in cæruleum colorem tranſmutati adnaſcuntur.

In arvis ficcioribus, glareoſis paſcuis, & in muris, variis locis naſcitur.

3. Scorpiurus *humilis Virginianus foliis rutaceis.* Tota planta hæc annua palmarem altitudinem vix ſuperat. *Cauliculi* quidam erecti, alii reclinati ſunt; per quos *folia* uncialia quaſi alata, ut plurimum in binas conjugationes, una claudente, *Rutæ* facie diviſa, ſparguntur. Summi ramuſculi, aliorum more reflexi, *flores*, petiolis ſemuncialibus innixos, antedictorum ampliores, emittunt.

4. Scorpiurus *paluſtris perennis viridioribus foliis, Nobis. Myoſotis ſcorpioides paluſtris, Ger. Echium ſcorpioides paluſtre, C. B. P. Scorpioides ſoliſequium aliud flore majore cæruleo, & albo, J. B. Myoſotis ſcorpioides partim repens, partim erecta, Adv. Lob. Heliotropium minus in paluſtribus, Cæſ.* In foſſis & ad rivulorum ripas, paſſim occurrit hæc planta; cujus *caules* in ſimum & aquas procumbentes *radices* fibroſas agunt. *Caules* ripulas ſcandentes, pedales & bipedales ſunt, tractantibus aſperiuſculi, anguloſi; quibus *folia* plurima, inordinatim diſpoſita, oblonga, ſemunciam lata, & obtuſa, viridia, *pilis* ſcatentia, adhærent. *Flores* ſummos ramulos incurvatos occupant, terreſtris hirſuti majores, & eleganti cæruleo colore, cum tantilla albedine, & umbilico aureo nitentes, magis ſunt conſpicui. *Semina* ſequuntur lucida, nigricantia, ut in aliis.

Aliquando flores conſpiciuntur *albi*, ſed rarius. Variat etiam *foliis lævioribus & hirſutioribus.*

Per totam æſtatem flores profert, locoſque aq[illegible] ornat.

PLANTÆ MONOPETALÆ

Tetracarpæ.

CAPUT LVII.

Heliotropium.

HEliotropium, *quaſi ab* ἥλιος *ſol & τρέπω verto, quod cum ſole vertatur, ut quidam volunt.* Plinius *l.* 22. *c.* 21. *de Heliotropio memorat, quod cum ſole ſe circumagat; etiam nubilo die tantus ſideris iſtius amor eſt, ut noctu velut ejus deſiderio contrahatur cæruleus flos: quod quidem ſuffragium Poetis & Amatorculis in figmentis ſuis bene inſerviet. Imaginariæ vero tales ſunt conjecturæ, nec ætati noſtræ conceduntur. Plurima tamen arborum folia, præſertim alata, ut* Fraxini, Acaciæ, *&c. noctu clauduntur.* Flores *etiam plerique ſolis radios calefacientes reſpiciunt, & ſecundum eundem reſplendentem gloriam (quantum poſſint) expanſis ſuis petalis repræſentant; atque declinante, contrahuntur. Apud* Theophraſt. 7. *Hiſt.* 3. & 9. Solaris herba, Gaza *vertente audit. Aliis* Heliotropium *dicitur, quod æſtivo ſolſtitio floreat: quo tempore ſol ab æquinoctiali circulo digreſſus, ad ipſum rurſus converſionem facit.* Scorpiurus *etiam à quibuſdam à ſpicarum terminationibus, ad inſtar* caudarum ſcorpionum *convolutis, dicitur; quam quidem formam in aliis hujus claſſis videre licet.*

Heliotropium de quo jam ſermo *Scorpiuro ſpicis* ſuis reflexis reſpondet; *folia* vero latiora & molliora; *ſeminaque* non ſplendentia, ſed exterius rugoſa ſunt; *floreſque* ad unum latus ſpectant.

TABULA LI. SECT. XI.

Heliotropium

maximum
1. *Foliis Hormini, Hort. Reg. Par. Americanum cæruleum foliis Hormini, Dodart. Mem.*
2. *Mollioribus foliis, floribus albis.*
3. *Foliis anguſtioribus, Jacua-Acanga, Piſonis.*
4. *Mexicanum Mali Limoniæ foliis. Tlachichinoa Patlahoac, Recchi.*
5. *Laurifolium floribus rubris Mexicanum, Oloxihuitl, Recchi.*
6. *Gnaphaloides litoreum fruticeſcens Americanum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 193.

medium
7. *Sive majus Dioſcoridis, C. B. P. Heliotropium majus flore albo, J. B. Heliotropion ſive Herba cancri, Lon.*
8. *Siculum flore amplo odorato, Bocc.*
9. *Mexicanum Oleæ foliis, flore albo, Totecyxochiuh, Recchi.*

minimum
10. *Supinum, C. B. P. Heliotropium minus quorundam ſive ſupinum, J. B. Minus* 1. *Tab.*
11. *Sive minus erectum foliis ſubtus incanis, D. Pluk. Phyt.*
12. *Curaſſavicum foliis Lini umbilicati, Par. Bat. Prod.*

1. Heliotropium *Americanum cæruleum foliis Hormini, Dodart. Mem. Maximum foliis Hormini, Hort. Reg. Pariſ. Jacua-acanga Braſil. & Aguaraciunha-acu, Piſ.* 109. *Fedagoza, Marcgr.* 7. Aſſurgit in duorum aut trium pedum altitudinem, *caule* hirſuto piloſo, multis ramis prædito. *Folia* bina ſibi oppoſita, cum aliis parvulis habet, vel etiam quandoque ſolitarie poſita; ſuntque corrugata, ſimilia foliis *Sclareæ*, margine crenata, raris pilis veſtita, palmaria fere. In extremitatibus ſupremorum ramorum enaſcitur *ſpica*, decem aut duodecim digitos longa, in qua unicus ordo *floſculorum*, coloris è luteo & cæruleo mixti; quilibet autem floſculus

culus figuram habet parvi *calycis*. Extremitas ſpicæ curvata ſolet eſſe, inſtar *vulgaris Scorpioidis*. Poſt flores ſequuuntur *ſemina* triangularia, *Milii* magnitudine, & circa extremitatem acuminata, quorum quatuor conjunguntur, coloris fuſci. Atque hiſce maturis, *radix* perit.

In Inſula Barbadienſi, D. Chriſtophori, & Jamaicenſi, *ſponte naſcitur*.

2. Heliotropium *maximum folius mollioribus & floribus albis, Piſ.* 109. Reperitur & alia ſpecies, plane priori ſimilis, niſi quod paullo major ſit quoad *caules*. *Radix* per omnia ſimilis eſt proxime ſuperius explicatæ, fibrata. *Folia* autem paullo molliora. *Spica* quoque ut in priore, incurvata. *Floſculi* albi ſeu lactei, quinque foliolis canſtant. *Semen* denique rotundum, non triangulare, quale in priore cernitur. Forte *Bena-patsja, Hort. Mal. Part.* 10. *p.* 95.

3. Heliotropium *Americanum cæruleum foliis Hormini anguſtioribus, Hort. Lugd. Bat. Jacua-Acanga, Piſ. l.* 4. *p.* 229. Sola *foliorum anguſtia* à primo diſcrepat.

4. Heliotropium *Mexicanum Mali Limoniæ foliis, Tlachichinoa Patlahoac, ſeu Herba uſta latifolia, Recchi Hiſt. Mex. p.* 292. Alii *Texixiuhtli, ſeu herbam ſaxorum vocant*. Herba eſt *folia Limoniæ Mali* ſimilia proferens, interdum paullo minora; *caules* cubitum longos, & in eorum poſtremis ramis appenſos *flores Scorpiuri* ſimiles; *radicem* vero craſſam fibratamque, dulcem, & mediocris temperiei, aut nonnihil frigefacientis. In calidis regionibus naſcitur. *Baccas* quaſdam virides, alias nigras, depinxit primus auctor; *florem* vero ex albo ad caſtaneum tendentem.

Herba uſta ſecunda planta videtur humilior, *foliis* minoribus, *ſpiciſque* brevioribus magis confertis.

Herbæ uſtæ tertiæ ejuſdem folia recta apparent, anguſtiora, & acutiora; *floreſque* ampliores, *ſpicis* rectis, vix incurvatis, uno verſu, nimirum ſurſum ſpectantes, diſpoſiti ſunt. De hiſce ſpeciebus binis jam dictis, nihil apud auctorem in ſcriptis memoratur.

5. Heliotropium *Laurifolium Mexicanum floribus rubris, Oloxihuitl, Recchi.* 395. Rami hujus *Laurifoliis* veſtiuntur. *Flores Scorpionis caudam* efficiunt, (ut in *Heliotropio* vulgari fit) colore rubro.

6. Heliotropium *gnaphaloides litoreum fruticeſcens Americanum, D. Pluk. Phyt.* 193. *Heliotropium arboreum maritimum tomentoſum Gnaphalii Americani foliis, D. Sloane p.* 93. *Sea-Lavendar Barbadienſibus dictum*. Stipites quos ex Inſula *Barbadienſi* accepimus, Plantam fruteſcentem, *cortice lanuginoſo* tectam eſſe demonſtrant; quæ *foliis* undiquaque inordinatim diſpoſitis, binas aut ternas uncias longis, culmum latis & obtuſis, *Gnaphalii* in modum *tomento candido* utrinque obductis, crebrius veſtitur. Summi *cauliculi* lignoſi, craſſiuſculi, in ramulos breves ſe dividunt, quorum extremitates *Heliotropii* ritu reflectuntur, & *flores* ſurſum ſpectantes, in quinas lacinias diviſos, ſuſtinent. Iſtos excipiunt *ſemina* quaterna, acuminata, aliis conſortibus ſimilia.

Ad littora maritima arenoſa Inſ. Barbados & Jamaicæ *provenit*.

7. Heliotropium *majus Dioſcoridis, C. B. P. Heliotropium majus, Matth. Dod. Lob. Park. Ger. Majus flore albo, J. B. Heliotropium Herba cancri major, Lon.* Planta eſt dodrantalis & major, interdum minor, ratione loci, *radice* ſimplici lignoſa prædita. *Caulis* medulla fungoſa plenus, foris ex viridi incanus, tomentoſus, multis *alis* concavus. *Folia* ad ramulorum exortus & per ipſos ramos diſpoſita, *Ocimi* foliis ſimilia, ex rotundis oblonga, nervoſa, cauli concoloria, hirſuta ſunt. *Flores* ramoſi, albi, parvi, *foliolis* lanuginoſis obſiti; cæterum racemus ille ſpicatus cacumen in ſe *Scorpionis caudæ* inſtar contorquet. *Semina* ſuccedunt triangula, brevia, cinerea, quaterna juncta, acuminibus coeuntibus globoſum *capitulum* efficientia.

In Sicilia, Italia, & Gallia Narbonenſi, *in agris, copioſe naſcitur*. *In* Madera *etiam Inſula*.

8. Heliotropium *Siculum majus flore amplo odorato, Bocc. Heliotropio* antecedenti non abſimile eſt quoad *caulium* & *foliorum* compoſitionem; *floribus* autem variat, qui multo majores ſunt & ſuaveolentes, *Smilacis aſperæ* aut *Meliloti* ritu. *Caulis* faſtigio *flores* ſæpe veluti in *umbellam* congeſti, verſus extremitatem cohærentes, alioquin ſecundum ramulorum flexum, ut in vulgari, ordine peramæno digeruntur.

Non longe Catana *in aſperis & ſegetibus, alteri permixtum, invenit Cl. auctor*.

9. Heliotropium *Mexicanum Oleæ foliis, flore allo, Totecyxochiub, Recchi.* 432. Cum præcedentibus convenire videtur; *folia* tamen utrinque mucronata, *caulibus* ſunt ſeſſilia, cum in ſuperius deſcriptis pediculis donentur. Modus florendi idem eſt, qui & reliquis. *Albos* etiam producit *flores*.

10. Heliotropium *minus ſupinum, C. B. P. Minus quorundam ſive ſupinum, J. B. Heliotropium ſupinum, Dod. Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Ger. Heliotropium humi ſparſum, Lugd.* Hoc *foliis* ſuis minoribus, viridioribus, *caulibuſque* procumbentibus & humi ſparſis, à vulgari majori potiſſimum differt.

11. Heliotropium *minus erectum foliis ſubtus incanis, è Maderaſpatan. D. Pluk. Phyt. Tab.* 48. Erecte aſſurgunt *cauliculi*, quibus *folia*, unciam longa, quadrantem lata, & obtuſa, ſuperius viridia, inferius è cano ad glaucum colorem tendentia, alternatim poſita ſunt. Ex horum autem *alis* alia etiam minora protruduntur. *Spicæ* tenues, è ſupremorum foliorum alis provenientes, aliorum *Heliotropiorum* more incurvatæ, ſimplicem ſeriem *floſculorum, foliolis* minimis, acutis, calycum vices præſtantibus ornatorum geſtant.

12. Heliotropium *Curaſſavicum foliis Lini umbilicati, Par. Bat. Prod. Heliotropium monoſpermum Indicum procumbens glaucophyllon floribus albis, D. Pluk. Phyt.* E *radice* fibrata, annua, *caules* graciles, læves, dodrantales & pedales, imbecilles & vix ſe ſuſtinentes proveniunt, *foliis* plurimis, nunc è regione, nunc impari poſitu ſitis, unciam aut ſeſcunciam longis, ex anguſta baſi ſe paullulum dilatantibus, & colore è viridi cinereo, & forma, *Cynogloſſi minoris ſemine umbilicato*, Cap. præcedenti deſcripti, haud abſimilibus. *Flores* interdum in ſummitatibus, (nonnunquam enim cum *foliis*) *ſpicis* recurvis naſcentes, parvi ſunt & albi; quibus ſingulis, *ſemina*, ut in aliis, quaterna, parva, ſimul juncta, angulosa, ſuccedunt. Forſitan *D. Pluknet* ſemen immaturum & vix disjungendum offendit, eaque de cauſa monoſpermon nominavit. Ex hortis *Batavici* ipſi accepimus. *In paluſtribus locis maritimis Inſ.* Jamaicæ *frequens reperitur*.

Heliotropium tricoccum, C. B. P. J. B. Vide Ricinus.

Heliotropii Vires.

Quoniam officinis ignotum eſt, nec in uſus vulgares trahitur, tantum pauca libet ex Dioſcoride *annotare. Decoctum pituitam bilemque per alvum extrahit, impoſitum, vel ex vino potum; ictis à ſcorpionibus prodeſt.* Semen *carnis excreſcentias reprimit; verrucas penſiles tollit; menſes & fœtus ducit.*

Finis Sectionis undecimæ Partis tertiæ.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis

PARTIS III. SECTIO XII.

De Plantis multiſiliquis polyſpermis & multicapſularibus.

Superioribus Sectionibus de Plantis poſt ſingulos flores ſemina ſingularia *proferentibus, mox de his quæ* poſt ſingulos flores bina ſemina explicant; *deinde & de his quæ* poſt ſingulos flores ſemina *producunt* terna; *de his denique in quibus* excuſſis floribus ſemina *viſuntur* quaterna, *ſermonem inſtituimus. Jam vero per naturam ſtat quo minus eum curſum ulterius teneamus, quoniam in Plantis proxime inferius & deinceps tractandis certum* ſeminum *definitumque numerum inire non poſſumus. Eas intelligo, in quibus*, ſingulis floribus dehiſcentibus, conceptacula plura corniculata, ſiliquas æmulantia, ſeminaque incerto numero continentia exſeruntur, *quas proinde* Plantas multiſiliquas polyſpermas *appellitabimus.*

Hæc autem Plantarum ſeries duplicem ſubit diſtributionem. Prima Multiſiliquas *continet eas, quibus poſt quemlibet florem* ſiliquæ *nunc plures, nunc pauciores, ad exortum junctæ, & ſuperius diviſæ ſubſunt*; *altera vero* Multicapſulares *exhibet, quibus poſt ſingulos* flores *evanidos* vaſcula *communi quodam operculo circundata, & ex plurimis* cellulis, *quarum quælibet* ſeminibus *numero minime definito impletur, conſtructa ſuppetant.*

Porro quæ Plantæ capſulis ſiliquiſve disjunctis *donantur, vel continent* ſemina 1. ſubrotunda glabra; *vel* 2. anguloſa & rugoſa; *vel* 3. granuloſa & pulverulenta; *vel denique* compreſſa. *De his ſeriatim ſuo quibuſque ordine diſſeremus.*

SECTIONIS DUODECIMÆ

Diſtributio Prima.

De PLANTIS MULTISILIQUIS

Polyſpermis ſeminibus ſubrotundis glabris.

Pæonia, Fraxinella, Aquilegia, Helleborus niger, & Pſeudohelleborus Ranunculoides.

CAPUT I.

Pæonia.

Pæonia Παιωνία ἡ γλυκυσίδη, *quibuſdam* πευκέδανον, *cujus radicem aliqui* Ἰδαίας δακτύλους *vocant*, Dioſc. *l.* 3. *c.* 157. παιωνία ἡ γλυκυσίδη (caſta *aliis* dulcifida, Gaza *reddente*) Theoph. 9. *l. Hiſt. c.* 9. Pœonia *regio eſt* Macedoniæ (*ita dicta à* Pæone Endymionis *filio*) *ubi ſponte provenit, unde nomen, ut quidam volunt.*

Pæonia eſt planta coronaria, ampliſſimo roſaceo *flore*. *Radices* ſunt Aſphodelinæ, craſſæ, tuberoſæ; *capſulæ* ſeminales craſſæ, coriaceæ, villoſæ; *ſeminibus* ſubrotundis, nigricantibus, Piſi fere magnitudine incluſis.

TABULA I. SECT. XII.

- Pæonia
  - *flore ſimplici, folio latiore*
    1. *Trifido, Nobis. Pæonia folio nigricante ſplendido, quæ mas, C. B. P. Pæonia mas, Matth. Dod. Tab. Ger.*
    2. *Mas tardior, J. B.*
    3. *Promiſcua Vormartii, J. B.*
    4. *Subtus incano flore albo vel pallido, C. B. P. Cretica Belli, Cluſ. Hiſt.*
    5. *Aquilinæ foliis, C. B. P.*
  - *flore ſimplici, folio tenuiore*
    6. *Communis vel fœmina, C. B. P. Rubra flore ſimplici, Eyſt.*
    7. *Fœmina altera, C. B. P. Pæonia promiſcua ſtrictiore folio, J. B.*
    8. *Tenuius laciniata ſubtus pubeſcens flore purpureo, C. B. P. Pæonia pumilis, Eyſt.*
    9. *Variegato, C. B. P. 5. Cluſ. Hiſt.*
    10. *Pomi Aurantii colore, C. B. P. Peregrina flore coccineo, Eyſt.*
    11. *Peregrina flore ſature rubente, C. B. P. Byzantina prior, Cluſ. Hiſt.*
    12. *Peregrina flore dilute rubente, C. B. P. Byzantina altera, Cluſ. Hiſt.*
  - *flore pleno*
    13. *Fœmina rubro majore, C. B. P. Pæonia polyanthos flore rubro, Eyſt.*
    14. *Fœmina rubro minore, C. B. P. Cluſ. J. B.*
    15. *Exalbido majore & minore, C. B. P. 6. ſive exalbida, Cluſ. Hiſt.*
    16. *Albo fœmina, C. B. P. Pæonia flore multiplici albicante, Du Bry.*
    17. *Papaverino purpuraſcente minore, Nobis. An Pæonia pleno rubro flore minor, Cluſ Hiſt?*

1. Pæonia *ſimplex latiore folio trifido, Nobis. Pæonia folio nigricante ſplendido, quæ mas, C. B. P. Præcocior, J. B. Pæonia mas, Dod. Tab. Ger. Park. Pæonia nobilior, Trag. Pæonia mas folio nucis, Juglandis ſcilicet, Geſn. Hort. Pæonia mas flore purpureo, Eyſt.* *Radix* tuberculis, quam quæ in congeneribus viſuntur longioribus, appenſis, in altum demiſſis, albidior eſt. *Caules* exinde cubitales & ſeſquicubitales, è viridi colore rubeſcentes, nonnunquam in *alas* è viridibus rubeſcentes divaricati, oriuntur, raris *foliis* amplis, petiolis longis ramoſis, veſtiti. Horum autem quælibet ala *Juglandis* latitudinem obtinet, & ampliorem, in ternas ſui ſimiles ad extremitates deſinens, ſuperius virentes, ſubtuſque glauco colore obductas. *Flos* in ſummo caule vix ulli cæterarum cedere videtur quoad amplitudinem. Is è rubro ad purpureum colorem multum vergit, ac *petalis* octonis, ſtaminuliſque plurimis, quorum apiculi aurei, geminata & nonnihil lanuginoſa corniculata quaſi *nucamenta* aut *capitula*, *apice* craſſo rubeſcente, nutante, faſtigiata, orbiculatim circumcirca ambiunt. Capitula autem illa, per ætatem, in majorem intumeſcere ſolent magnitudinem, maturitate dehiſcentia, lunatim ſe contrahendo, interni *corticis* membranam foris vertunt, pulchra rubedine ſuffuſam, ac *granis* cæſio-nigricantibus, ſubrotundis, *Ochri* magnitudine, aliiſque oblongis, nondum abſolutis, ſeu potius falſis, coccineo colore tinctis, ſubinde intermiſtis, obſita, cernuntur.

In Helvetiorum *Alpibus ſponte naſci fertur. Aprili exeunte aut initio Maii, è perianthio amplo, rotundo, flores explicantur, & Auguſto menſe matureſcunt ſemina, quæ terræ commiſſa ad ſecundum uſque ver latitant.*

2. Pæonia *mas tardior, J. B.* Æqualis huic cum priori proceritas; idem *foliorum* ſitus, ſed numeroſiora ſunt, quippe quina aut ſeptena (impari aliquando bifido) dilutius quoque virentia, & averſa parte cum prædictæ foliis collata pallentia, qua & alba quadam *lanugine* donata ſunt. Non caulium modo extremitates, ſed ipſæ quoque foliorum coſtæ puniceo colore nitent ab interna ſed adverſa parte rutilant. *Flores* tardius erumpunt, nec citius quam prioris decidunt.

3. Pæonia *promiſcua Vormartii folio latiore, J. B.* Pulchre hæc variat à reliquis *Pæoniæ* ſpeciebus. *Folia* ſiquidem quæ imis ramis hærent, latiora ſunt quam cæterarum, rotundioraque, averſa parte glauca, hirſuta, adverſa ſaturatius virentia, itidemque *pilis* obſita, ſed paucioribus quam in oppoſita. Folium in terna, quaterna, aut etiam quina ſegmenta dividitur, nulla diviſione certa, ſed temere variante. *Flos* à reliquarum flore haud abſimilis; *ſiliquæ* vero retortæ hirſutie alba totæ contectæ, grandiores, *J. B.*

4. Pæonia *folio ſubtus incano, flore albo vel pallido, C. B. P. Pæonia Cretica, Cluſ. Pæonia alba quæ promiſcua eſt, & Ἀφαλία vocatur, Honor. Belli, Epiſt. 1. qui* in celſiſſimorum montium convallibus provenire abunde *Pæoniam albam*, promiſcuæ naturæ, hoc eſt, quæ neque mas neque fœmina eſſet teſtatur. Hæc fortaſſe eadem eſt, quam in horto alimus, cujus folia latiuſcula, antedictarum longiora, acutiora, *lanugine alba* utrinque obſita ſunt. *Flores* ſimplices primo emergentes, ſubcarnei, deinde in albos tranſmutantur. *Radices* quoque longæ tenuiores ſunt.

An *ochranthemos Camerarii*? Et *Pæonia ſimplici niveo flore, Cluſ. Hiſt.* vix alia eſſe videtur ab ea quæ in *Navarræ* Regni montibus inventa eſt.

5. Pæonia *Aquilinæ foliis, C. B. P. Pæonia quarta Aquilinæ foliis, Cluſ. Hiſt.* *Caulis* illi ſatis firmus eſt; *folia* in ternas *alas* diviſa, quæ totidem *folia* gerunt breviora & magis orbiculata quam aliarum, atque in aliquot lacinias ſciſſa, ſuperne dilutius virentia, inferne pubeſcentia & caneſcentia, adeoque ſimilia *Aquilinæ* foliis ut primo intuitu pro illis accipi poſſint. Quoad *radicem Pæoniæ fœminæ* non diſſimilis eſt.

Cluſius a Jo. Hoghelande *recepit, ſed florentem non vidit.*

6. Pæonia *communis vel fœmina, C. B. P. Pæonia fœmina, Dod. Gall. Brunf. Ger. Vulgaris fœmina, Cluſ. Rubra flore ſimplici, Eyſt. Fœm. vulg. flo. ſimplici, Park.* Vulgatiſſima eſt omnium Pæoniarum, & vel infimæ plebi cognita. *Stolones* novelli erumpentes ſaturate rubent, decurſu temporis in *caules* ſingulares, cubitum altos

altos abeuntes, quorum pediculi craſſi, foliacea oblonga, ſuperne viridia inferius ſubcæſia ſegmenta, antediſtarum tenuiora, quaſi ramoſa, ſuſtinent. *Flos* unicus cacumen obſidet, *Malvæ roſeæ* amplior, eleganter rubens, octo plerumque petalorum, quæ decidua tres (ut plurimum) ſiliquæ excipiunt, condentes *ſemina* obrotunda, per maturitatem nigricantia. *Radices* in craſſiora tubercula & obtuſiora efformantur; earumque quælibet pars rupta & terræ commiſſa, ut in aliis ſpeciebus, facile regerminat.

In agro Gloceſtrenſi, *in ſylvula montoſa, ſponte naſci, unde radices in uſus medicinales collectæ ſunt, mihi à ſatis peritis ſignificatum eſt; ſed an horti retrimenta ſint, an potius fidem auctoribus derogare oporteat, in medio reliquerim.*

7. Pæonia *fœmina altera, C. B. P. Pæonia promiſcua ſtrictiore folio, J. B. Pæonia promiſcua, Ger. Fœmina promiſcua, Park.* Multa tam cum *maſcula* quam cum *fœmina vulgari Pæonia* communia habet. *Radix* glandulosa, qualis fœminæ vulgari, ſed craſſioribus glandibus; at *folia* propius ad *maſculæ* folia accedunt, magis tamen incondita ſingulaque ſtrictiora & longiora, ſuperne pro more *maſculæ* ſaturè virentia, inferne vero magis albicantia, minus autem quam *fœminæ vulgaris*. *Flores* ſaturatius ſanguineo coccineove colore rubent, ſeptem aut novem petalis conſtantes. *J. B.*

Hujus varietatem in horto habemus, cujus *folia* in longiora ſegmenta extenduntur. *Flores* ſimplices, *vulgaris fœminæ* ſimiles, niſi quod *incarnati* ſunt *coloris*, cum in iſta *rubeant*.

8. Pæonia *tenuis laciniata, ſubtus pubeſcens flore purpureo, C. B. P. Pæonia Hiſpanica pumila, Cam. Park. Fœmina pumila, Ger. Pæonia pumilis, Eyſt.* *Folia* hujus brevioribus, oblongis licet & tenuioribus ſectionibus diviſa ſunt, atrovirentia, venoſa. *Caulis* gracilis humilior *florem* purpuraſcentem, cæterorum minorem, gerit.

E ſemine Hiſpanico Cluſio *nata eſt.*

9. Pæonia *flore variegato, C. B. P. Pæonia 5. Cluſ. Hiſt.* *Flos* interdum carneus aut ruber, aliquando media ex parte ruber, alias carneus, vel utroque colore radiatim diſtinctus, Certe pulcherrimus eſt flos, ſi ſpontaneus ſit. *Cluſius* ipſe annon manus artiſtæ adfuiſſet quærit.

10. Pæonia *Pomi aurantii colore, C. B. P. Pæonia peregrina flore coccineo, Eyſt.* *Radicibus* aſphodelinis *fœminam multiplicem* æmulatur, ſicuti & *foliis* viridibus, & ſuperne ſubcæſiis. *Flos* octonis *petalis*, à rubro ad coccineum colorem vergentibus arridet. *Semen* cognatam familiam refert.

11. Pæonia *peregrina flore ſature rubente, C. B. P. Byzantina prior, Cluſ. Hiſt. Fœmina Byzantina, Park.* Elegans hæc *Pæonia folia* habet *Pæoniæ vulgaris fœminæ* non diſſimilia, paullo tamen craſſiora. *Caules* illi ſimiles, aut ampliores. *Florem* illi ſummo faſtigio ſuſtinent unicum, ſimplici, octo, decem aut plurium interdum petalorum textura conſtantem, non purpureorum quales ſunt πλυφυλλάνθες, ſed rubentium & elegantiſſimorum. *Radicem* multis nodis oblongis ſive aſphodelinis *bulbis* præditam, *fœminæ* inſtar, oſtendit.

Cluſius binas varietates ſubjungit, quarum *prioris* germina ineunte vere prodire incipiunt, *caules* etiam initio rubent; *folia* atrovireſcentia & prona ſupinaque parte ſplendentia ſunt; *flos* ſature rubet; cauleſque altius aſſurgunt.

12. *Alterius* vero germina recens prodeuntia non rubent, ſed ex albo colore vireſcunt, ut & *caules*. *Folia* quam in ſuperiore dilutius virentia, læviaque ſuperne & inferne non minus quam ſuperioris ſplendent. *Flos* etiam paullo major, dilutiore magiſque florido colore præditus. *Siliquæ* breviores; *ſeminaque* rotundiora ſunt. Hæc non adeo liberalis in proferendis floribus ac ſuperior.

Utraque nata ſemine Byzantino *miſſo* Scakaick *nomine*, Cluſ.

13. Pæonia *fœmina flore pleno rubro majore, C. B. P. Pæonia fœmina flore multiplici, Ger. Tab. Dod. Fœmina polyanthos, Lob. Fœmina vulgaris flore pleno rubro, Park. Pæonia polyanthos flore rubro, Eyſt.* *Folia* quaſi ramoſa, viridia, pluribus oblongis, venoſis ſegmentis conſtantia, emittit, ab una *radice* divaricata, craſſa, & in glanduloſas, carnoſas, amplas appendices diviſa. *Caules* cubitales ſunt & paribus *foliis* rariter cincti, vertice tenus, ſingulatim attollentes amplos *flores* hilari rubore perfuſos, & denſa numeroſiſſimorum petalorum congerie tectos, adeo ut *Camerarius* in uno flore quandoque quingenta petala majora & minora ſe numeraſſe confirmet. Succedunt *cornicula* exterius hirſuta, lata, in quibus *ſeminum* rudimenta apparent; perfecta vero floribus plenis raro conſpiciuntur.

14. Pæonia *fœmina flore pleno minore, C. B. P. Flore pleno rubro minor, Cluſ. J. B.* *Folia* quod ſpectat, à præcedenti non differt; *flos* tamen iſtius flore minor, nec adeo plenus, illi pene qui carnei coloris eſt par, non minus tamen faturi rubri coloris particeps quam major; ſed *folia* interiora *venis* quibuſdam nigricantibus aſperſa conſpiciuntur. Medium florem occupant *cornicula* nullis ſtaminulis obſita.

15. Pæonia *flore pleno incarnato, Eyſt. Pæonia flore exalbido pleno major, Cluſ. Flore exalbido pleno major & minor, C. B. P.* *Radicibus, caulibus, & foliis* cum præcedentibus *plenis Pæoniis* convenit. *Flores vulgaris* amplitudinem aſſecuti petalis conferti, ad dilute roſeum colorem vergentes, *ſtriis* raris nigricantibus variegantur; deinde poſt aliquot dierum expanſionem petala, (fundo rubeſcente) exterius albeſcunt, & cum *ſtriis* nigricantibus modo dictis, verſicolores apparent, unde *Pæonia flore pleno variegato* apud Florilegos vulgo appellatur.

16. Pæonia *fœmina flore albo pleno, C. B. P. Fœmina polyanthos flore albo, Tab. Ger. Flore multiplici albicante*, Du Bry. *Flores* amplitudine aliarum floribus non cedunt, nec forma diſcrepant, & primo è *germinibus* rotundis, ſatis magnis, prodeuntes, roſaceo quaſi colore tincti cernuntur, qui cito evaneſcens, in album mutatur, & (uti cera ſoli expoſita candidior fit) *petala* temporis decurſu candidiſſima ſunt, & quod laudabile eſt, cito non decidunt, ut in aliis, ſed pertinaciter retinentur, fixaque marceſcunt & areſiunt.

17. Pæonia *flore pleno purpuraſcente papaverino.* Hæc à cæteris præ *floribus plenis* omnino diverſa apparet. *Radices* externe fuſci coloris, brevioribus tuberculis, *fœminæ ſimplicis* ad inſtar appenſis, donantur. *Caules* exinde virides, tenuiores oriuntur. *Folia* ramoſa tenuius diſſecta, utrinque glauca (cum in aliis omnino ſint viridia) in breviora & acutiora ſegmenta diviſa, quibus etiam *fœminam vulgarem* potius referunt. *Flos* in quolibet caule frequenter unicus apparet, quam aliarum minor, erectus, non ſuo pondere propendens, ex petalis (uti in *Papavere* aut *Anemone pleno flore* videre licet) externis latiuſculis, in medio tenuiſſimis longis, quaſi *umbone* conferto, compoſitus, ex rubro purpuraſcente colore tinctus, aut *Pæoniæ maris ſimplicis* coloris adeo æmulus, ut ejus vice ad ſyrupos conficiendos ac tingendos uſuſque conſimiles interdum

terdum hujus flores adhibeantur; cito vero decidunt; & *cornicula* craſſiuſcula, villoſa, plerumque tria, *ſemina* raro proferentia, ſuccedunt.

Pæoniæ Vires & Uſus.

Pæonia *mediocriter calida & ſicca eſt, pollenſque vi leviter aſtrictoria. Planta eſt eximie cephalica, cerebrum & nervos corroborans: hinc in epilepſia & in morbis convulſivis frequentiſſime datur; ephialten ſeu incubum protelat.* Radix *collo ſolet appendi ad inſultus epilepticos prohibendos.*

Ex ſeminibus *quoque perforatis fiunt monilia, quæ collo circumligata morbo comitiali obnoxiis ſimiliter proſunt; ſive effluviis, ſive occultiore modo, id præſtant. Nam mirum eſt quod obſervavit* Galenus *de vi amuletica* radicis, *quam puer epilepticus collo geſtabat appenſam, qua immunis à proxyſmis ſervatus eſt; nec niſi fortuito decideret radix, vel detracta eſſet, motus convulſivos paſſus eſt.*

Convenit inſuper obſtructionibus tum hepatis, tum uteri reſerandis, auctoribus Dioſc. & Galeno.

Radix, ſemina, & flores *in uſus veniunt; præſertim* maris Pæoniæ, *quæ efficaciſſima eſt, & officinis ſola commendatur; è floribus enim parantur* conſervæ, *uſibus antedictis maxime inſervientes.*

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyſpermæ.

CAPUT II.

Fraxinella.

FRaxinella *à foliorum* Fraxini *ſimilitudine dicitur.* Dictamnus *ab odore nuncupatur, quoniam tota herba odorem ſpirat* Dictamni Cretici *quodammodo ſimilem,* & albus *propter* radices albas *appellatur.*

Fraxinella foliis Fraxini ſimilibus, *floribus* ſpecioſis odorem aromaticum *Mali Limoniæ* commixtum ſpirantibus, *ſeminibus* lucidis pluribus *ſiliquis* contentis, facile dignoſcitur.

Fraxinella, *Dod. Lugd. Cluſ. Pan. & Hiſt. Ger Eyſt. Fraxinella, officinis dictamnus, J. B. Dictamnus albus vulgo ſive Fraxinella, C. B. P. Tragium Creticum, Geſn. Hort. Radix* alba ex una baſi craſſis albicantibus fibris demiſſis, varie divaricatur, & ex aromatico hircinum grave quid redolet. *Caules* ex ea prodeuntes firmi ſunt, ſeſquicubitales, rubeſcentes, rotundi, decorati *foliis Fraxini* modo & ſpecie alatis, ex uno nervo conjugatim hærentibus, atroviridibus, duris, ambitu minime crenatis. Superior pars *caulis floribus* veſtitur elegantibus, in albo colore leviter ſubrubentibus, è nutantibus quinis *petalis* oblongis, & liratim *venulis* ſaturatioribus diſperſis inſignitis, & è media tenuium *ſtaminum* reflexorum ſerie conflatis. *Semina* nigra, ſplendida, rotunda, & parum in mucronem vergentia, *ſiliquæ* triquetræ, ſcabræ quinque frequenter ſimul junctæ, duplici *cortice* conſtantes, exteriore carnoſo, ſed interiore cartilagineo, condunt.

Sylvis montoſis Pannonicis & Germanicis, *necnon* Italicis, *ſponte provenit. In luco de* Candiac, *ſex leucis à* Monſpelio *diſtante, copioſe etiam reperitur. Junio menſe floret, poſtea ſemen perficit; quod ſatum non ante Ver ſecundum germinare ſolet.*

Varietates potius quam ſpecies diſtinctæ habentur iſtæ quæ hortorum ornamento cultæ, & è ſeminibus ſatis, probabiliter ortæ ſunt; hoc in numero ſunt.

Fraxinella niveo flore, Cluſ. Hiſt. Park. Caules illius nullo modo rubeſcunt, ſed cum *foliis* etiam dilute ſunt virides, *floreſque* candidi conſpiciuntur, qui tractantibus eundem ſpirant odorem quem & *vulgaris Fraxinella.*

Aliquando *ſaturatiore purpureo colore* flores nitent, *ſpicaque* longior eſt.

Altera humilior videtur, leviore *ſpica, flore,* & *foliis* dilutioribus purpureis. Hinc *Fraxinella minor purpurea Belgarum, H. R. P.*

Eademque *floribus albis.*

Fraxinellæ Vires & Uſus.

An veteribus nota fuerit Fraxinella *incertum eſt*; radices *enim à neotericis in officinas introductæ ſunt, nomine* Dictamni albi *impoſito. Iſtæ autem aperiunt & attenuant; vermes interaneorum necant; capiti & nervis roborandis conducunt. Venenis omnibus adverſari feruntur, atque etiam ſpicula cuti infixa extrahere, ſimiliter ac* folia dictamni veri. *Apud Agyrtas inquit* Caſp. Hoffmannus, *celebris eſt in lumbricis pellendis, in epilepſia, credo, cum ab illis pendet; putredini enim egregie reſiſtit, & inde effectus in peſte mirabiles producit.*

Jo. Bauhinus *hanc iiſdem quibus &* Pæonia *facultatibus pollere, cum* Trago *ſentit, quamvis ab ille notatur* Tragus *in Cap. præcedente, quod* Pæoniam marem *perperam exiſtimaverit eſſe* Fraxinellam.

Ettmull. in Schrod. diluc. *hujus tantum meminit, virtutes ſicco pede tranſit.* Eſt, *inquit,* Planta raro uſitata: de qua tamen ab auctore *(Schrodero)* multa dicuntur; ego nihil habeo quod moneam, quoniam nunquam aliquid de ea memini me legiſſe.

PLANTÆ

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyſpermæ.

CAPUT III.

Aquilegia.

AQuilegia *dicitur, quod aquas legat, foliaque dum creſcunt & in ſe convolvuntur, aquas colligant. Aliis* Aquileia, *quaſi* Aquilina, *ob florum mucrones aduncos, quales ſunt* Aquilini ungues, *dici videtur.*

Aquilegia eſt planta multicapſularis, *foliis* pallidis, plurifariam diviſis, *floribus* pendulis, *corniculis* recurvis conſtantibus, *ſeminibus* glabris donata.

TABULA II. SECT. XII.

Aquilegia flore
- *ſimplici*
  1. *Sylveſtris, C. B. P. Aquilegia flore ſimplici, J. B. Cam. Aquilina, Matth. Lob. Tab. Aquilegia cærulea, Ger.*
  2. *Hortenſis, C. B. P. Diverſorum colorum, quibus patiſſimum differt.*
  3. *Montana magno flore, C. B. P. 1. Prod.*
  4. *Præcox Canadenſis flore externe rubicundo, medio luteo, Nobis. Aquilegia pumila præcox Canadenſis, Cornuti.*
  5. *Montana parvo flore, Thalictri folio, C. B. P. & 2. Prod.*
- *pleno*
  6. *Hortenſis flore magno, C. B. P. Aquilegia multiplici flore, Dod. Vulg. flore pleno, Park.*
     Flos ei cæruleus eſt, violaceus, cinereus, blande vel ſature rubens, albus, ex albo cæruleo, violaceove, varie mixtus & maculatus.
  7. *Hortenſis flore parvo, C. B. P. Verſicolor etiam eſt.*
  8. *Hortenſis flore inverſo, C. B. P. Aquilegia cærulea inverſo flore, Eyſt. flo. pleno inverſo, J. B.*
- *roſeo ſeu ſtellato*
  9. *Simplici, & multiplici, diverſorum colorum.*
  10. *Degener vireſcens, C. B. P. & Cam. Aquilegia degener, J. B. Park. Ger.*

1. Aquilegia *ſylveſtris, C. B. P. Aquilegia flore ſimplici, J. B. Cam. Vulgaris flore ſimplici, Park. Aquilina, Matth. Lob. Tab. Aquilegia cærulea, Ger. Et Columbina quibuſdam flore cæruleo, Swert. Radicibus* firmatur craſſis & fibroſis, durabilibus; ſupra quas, juxta exortum, ſibi incumbentium pediculorum congerie, gracilia dependent *folia.* His paullo poſt ampliora ſuccedunt, *Chelidonii majoris* aut *Thalictri latifolii* figura & inciſuris conformia, è virore utrinque cæſia, ter terna, ut plurimum, ſingulari pediculo, quarundam umbelliferarum in modum, inſidentia; atque inter illa *caulis* ſeſquicubitalis in multos attollitur ramulos, ſubinde ſecundum trifidas foliorum particulas diviſos in alias tenuiores *alas*, quarum ſummitatibus exhibentur *flores* deorſum nutantes cærulei, duplice petalorum ſerie conſtantes, quinis videlicet *petalis* parvis & anguſtis, in ſtellæ modum radiatis, & quinis aliis infundibuliformibus, *corniculis* cavis, ſurſum reflexis, gracilitate *cervicem* & *roſtella columbarum* referentibus, unde *Columbinæ* nomine donatur planta; erumpentibus è medio ſtaminibus, de quibus parvi *apices* dependent. *Floribus* delapſis, ſingulis ſuccedunt quina *cornicula* ſiliquæve acuminatæ, ſibi invicem in fundo conjunctæ *ſemina* ſubrotunda, nigricantia, lucida continentes.

In dumetis, montoſis ſylvis, & ad pratorum ſepes, pinguiori ſolo, variis regionibus occurrit. Maio menſe exeunte & Junio floret.

2. Hæc in hortis florum colore mire variat, apprimeque ludit, unde *Aquilegia hortenſis, C. B. P. Aquilina rubra, Lob. Alba, Tab. Flore albo ſimplici, Bry. Eyſt. Caſtanei coloris, Swert.* Variis coloribus tincta reperitur; *candido, incarnato, rubro, ex cæruleo & purpureo variegato*; quin & *candido nonnullis veluti lituris rubris, cæruleis, aliiſque coloribus conſperſa.*

Varietatem alteram detexit *D. Magnol.* cujus *pediculi, cauleſque* molli brevique *lanugine* pubeſcunt. *Flores* tractantibus *viſcoſi* videntur: alias vulgari non eſt diſſimilis.

3. Aquilegia *montana magno flore, C. B. P. & 1. Prod.* Hæc in *Aquilegiæ vulgaris* altitudinem creſcit, ſed *foliis* primum differt, cum in lacinias tenuiores, eaſque non obtuſas, ut in aliis, ſed acutas dividantur, & *folia* pene ſubrotunda ſint. Sic & *floribus* eſt cæruleis, vulgari ſimilibus, ſed multo majoribus. *C. B.*

In monte prope Thermas Pabarias *copioſe provenit, unde* D. Burſerus Caſp. Bauh. *attulit.*

Cl. D. D. *Sherardus Aquilegiam* attulit, particulæ cujus foliorum *Rutam vulgarem* amplitudine non excedunt. *Caulis* dodrantalis *florem* ampliſſimum cæruleum ſuſtinet. *Quod eadem ſit à* C. B. *jamjam memorata, aſſerere non licet.*

4. Aquilegia *præcox Canadenſis flore externe rubicundo, medio luteo, Nobis. Aquilegia pumila præcox Canadenſis, Cornuti. Virginiana flore rubeſcente, Park. Folia* longis petiolis gracilioribus appenſa, nonnihil tenuiora, à *radice* ſparguntur. Exinde oriuntur *caules* pedales, rubeſcentes, ſtriati, in *alas* diviſi, de quarum unaquaque *flos* dependet unicus, ſimplex, è quinis *petalis* minoribus, planis, rubicundis, & quinis etiam *tubulis* corniculiſve cavis, compoſitus, non (ut in aliis) recurvis, rectis vero, rigidioribus, & longioribus, ejuſ-

dem punicei rubeſcentis coloris, ore hiante excepto, ubi croceo colore tinguntur. Ex horum medio *ſtamina* complura, longiora, ex albo ad luteum colorem vergentia, cum *apicibus* croceis emergunt; quibus cum petalis dehiſcentibus, *ſiliquæ* quinque tenuiores, *ſeminibus* nigris lucidis impletæ, ſequuntur.

5. Aquilegia *montana parvo flore, Thalictri folio, C. B. P. 2. Prod.* Ex *radice* parva *folia Thalictri* forma, ſed exigua, pallide virentia, prodeunt; inter quæ *caulículus* tenuis, palmo minor, duobus tribuſve *foliolis* brevibus, oblongis, minime divisis, exſurgit, *florem* unicum cæruleum ſuſtinens, forma quidem vulgaris ſimilem, ſed quintuplo minorem.

In Helvetiorum *Alpibus & in* Moravia *prope urbem* Thebis *reperitur.*

6. Aquilegia *hortenſis flore magno, C. B. P. Aquilegia multiplici flore, Dod. Vulgaris flore pleno, Park. Aquilina pleno flore, Cluſ. Hiſt. Multiplex* 4. 5. 6. 7. & 8. *Tab.* Vulgari ſimplices flores proferenti adjicienda eſt hæc, quæ ob *florum* varios colores elegantiamque ſtructuræ, apud florilegos, ad hortos decorandos, infimum locum non tenet; & (quod commendabile) *flores* uberius producuntur; qui non quinis *corniculis* contenti, pluribus, iiſque incerto numero, impleti ſunt; hique cærulei, violacei, cinerei, blande vel ſature rubentes, albi, ex albo cæruleo, violaceove, caſtaneo, pullo, & fuſco colore, eleganter, ſtriati, maculati, & gutati ſunt.

7. Aquilegia *hortenſis parvo flore, C. B. P.* Hæc quoque colorum multiplicitate ſuperba eſt; *minores* tamen *flores* ſunt, brevioribus, tenuioribus, ſed multo pluribus *corniculis*, denſiuſque confertis, ornati. Alias non differt à congeneribus.

8. Aquilegia *hortenſis flore inverſo, C. B. P. Aquilegia cærulea inverſo flore, Eyſt. Flore pleno inverſo, J. B.* Hujus *floris cornicula* non ad caulem (uti in aliis) applicantur, ſed è contrario inverſa ſunt, quo unico tantum diſcrimine ab aliis diſcernenda eſt, & pro degenere potius à reliquis quam diſtincta ſpecie habetur.

9. Aquilegia *flore roſeo ſeu ſtellato ſimplicior & multiplicior, C. B. P. Eyſt. Swert. Ger. Park. Aquilegia flore ſimplici & pleno non corniculato, J. B.* Qua nota oculatiſſimi auctoris facile cernitur hæc ſpecies. *Flores* ei ex petalis compreſſis, mucronatis, nunc paucioribus, & ſimpliciores flores efformantibus, nunc pluribus, imo plenos roſaceos flores conſtituentibus, conflati ſunt. *Colorum* diverſitate, ſplendidaque *florum* varietate, aliis non cedit, ſed pulchritudine cæteras hujus familiæ ſuperat.

10. Aquilegia *degener vireſcens, C. B. P. Degener, J. B. Lob. Cluſ. Bry. Park.* Ita degenerat *Aquilegia*, ut ſtrigoſiores *flores* proferat, auctore *Jo. Bauh. Cluſius* hanc *flores* exiguæ roſæ formam æmulantes proferre, coloris vel omnino viridis, vel ex viridi purpuraſcentis, perhibet. *Parkinſonus* pro diſtincta habet, quia *ſemen* ſatum eandem ſine mutatione aut variatione producit.

Temperamentum & Vires.

Aquilegia *moderate calida & ſicca eſt.* Semen *ejus valde laudatur in variolis & morbillis expellendis.* S. Paulli, *non minus ſinceritate quam arte clarus, dicit ſancte teſtari ſe poſſe,* ſemen *in pulverem tritum & in idoneo vehiculo propinatum, veluti ab orco revocaſſe tenuioris ſortis puerulos morbillis & variolis laborantes. Laudatur ejuſdem emulſio, necnon ex* floribus *factus* ſyrupus *in iiſdem affectibus. Plurimum laudat* Ettmull. *florum tinctluram cum acido præparatam, puta cum phlegmate vitrioli ſp. proprio acidulato, quæ præ cæteris (ut autumat in praxi) petechias & variolas expellit. Prodeſt etiam in* Scorbuto *dum expellit maculas. Idem faciunt ex* ſeminibus *parata remedia.*

Aquilegia *ad faucium pharyngis & tracheæ incendium & ulcuſcula utitur plebecula.* Lob. *in Adv. At illo utuntur Medici in ſcorbuticis oris affectibus, & inde natis gingivarum eroſionibus.*

Semen *tuſum & cum croco è vino bibitum proponit* Tragus *ut certum medicamentum adverſus morbum regium, adhibita cura ut poſt aſſumptam doſin æger in lecto ſe componat, & ſub ſtragulis ſudorem provocet. Idem tenuiſſime contuſum & ex vino propinatum, ut prodidit* Cluſius *à* Rapardo *edoctus, mulieribus in partus difficultate cum optimo ſucceſſu exhibetur; ſi prior tamen hauſtus minus fuerit efficax; alius ſimilis propinandus eſt.*

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyſpermæ.

CAPUT IV.

Helleborus niger.

HElleborus *dicitur* ἀπὸ τὸ ἑλεῖν τῇ βορᾷ *quod eſu perimat utpote* φάρμακον ἀναίρεσιν· ἑλεῖν *autem apud* Græcos *eſt conſtringo, coarcto,* βορὰ *eſt pabulum vel cibus, quia ſi in cibo ſumatur, coarctat & ſuffocat.* Niger *vocatur ob* radices nigras. Veratrum *nuncupatur à vertendo mente, nam ſumptum motam mentem in ſanitatem reducit.* Conſiligo *etiam nominatur, quia* ſemina Siliginis *quodammodo ſimilia producit.*

Hellebori nigri, (quibuſdam *Ellebori* ſine aſpiratione) nigræ ſunt *radices; folia* digitata; *flores* roſacei, non decidui; *ſemina* ſubrotunda, pluribus *ſiliquis* condita.

TAB.

TABULA III. SECTIONIS XII.

Helleborus niger
- *non ramosus*
  1. *Flore roseo, C. B. P. Helleborus niger verus, Ger. Veratrum nigrum, Dod. Legitimum, Clus.*
  2. *Flore roseo minor Belgicus, Prælud. Bot. H. L. B.*
  3. *Foliis Phyllitidis instar divisis, Hyacinth. Ambrosin.*
  4. *Ranunculoides præcox tuberosus flore luteo, Nob. Aconitum hyemale, Ger.*
- *ramosus*
  5. *Sylvestris latiore folio deciduo, Nobis. Helleborus niger hortensis flore viridi, C. B. P. Helleboraster, Ger.*
  6. *Angustifolius semper virens elatior, Nobis. Helleborus niger fœtidus, C. B. P. Helleboraster maximus, Ger.*
  7. *Trifoliatus Aldini, Muntingii. Helleborus niger foliis trifolii spinosis, Mentzelii.*

1. Helleborus *niger flore roseo, C. B. P. Helleborus niger verus, Ger. Park. Helleborus niger flore albo, interdum etiam valde rubente, J. B. Helleborus niger legitimus, Clus. Hist. Elleborus niger flore magno purpureo, Gesn. Hort. Veratrum nigrum 1. Dod.* E *radice* digitum crassa, rugosa, nigra, plurimæ *fibræ* carnosæ, nigræ, æqualis crassitiei, huic nascuntur, quibus nervus medius tenuis includitur. *Folia* promit digitata, è senis, septenis, octonis, vel nonis collecta, quorum singula oblonga, unciam lata, lævia, duriuscula sunt, veluti laurina, sed margine utrinque serrata, pediculo palmari non ramoso insidentia. *Flores* consimilibus pediculis, caulibusve carnosis, è *radicibus* erumpentes, magni sunt, *Anemones* amplitudine præditi, è quinis, interdum senis petalis latiusculis, non deciduis, & *perianthio* destitutis, constructi, qui initio albidi, deinde purpurascentes, & postea subvirides evadunt. Medietatem floris occupant *staminula* plurima flavescentia, inter quæ, stylo medio adhærentes, *tubuli* decem aut duodecim coronam componunt. Temporis decursu *siliquæ corniculave* tria aut quatuor, fundo conjuncta, crassiuscula, recurva, assurgunt, in quibus *semina* subrotunda, nigricantia latitant. *V. icon. tab. æn.* 4.

In sylvis & montibus asperis & petrosis Germaniæ, Austriæ, & Pannoniæ *sponte provenit: apud nos in hortis olitur; quibus mense Januario inter pruinas & nives flores protrudit.*

Cl. *Mentzelius* varietates proponit, *Floribus viridibus, foliis atris maculis conspersis.* Et eundem *flore viridi sed marginibus florum puniceis, Pæoniæ instar*; ut ostenderet natura affinitatem inter se.

In Italia, *necnon in montibus Ducatus* Wirtembergensis, *ut & in* Hassia *reperit auctor.*

2. Helleborus *niger flore roseo minor Belgicus, D. Morif. Prælud. Bot. Hort. Lugd. Bat.* Hic omnibus suis partibus, *foliis, caulibus & floribus* minor proxime superiori existit. *Folia* elegantius sunt serrata, *floresque* magis rubescunt.

3. Helleborus *niger foliis Phyllitidis instar divisis.* Hujus *Hyacinthus Ambrosinus Bononiensis*, p. 271. iconem edidit, ex qua potissimum *foliis* differentiam à congeneribus deberi constat. Ea autem profundius dentata & laciniata, *Phyllitidis multifidæ* ad instar dissecta sunt.

4. Helleborus *ranunculoides præcox tuberosus flore luteo, Nobis. Aconitum hyemale, Lob. Ger. Et Ranunculus monophyllos, Cam. Aconitum unifolium luteum bulbosum, C. B. P. Ranunculus cum flore in medio folii radice tuberosa, J. B. Bulbosus unifolius aut bifolius batrachoides, elleboracea Herbula, Lob. p.* 300. Planta hæc satis frequens, nomine *Aconiti* admodum nota est; cum tamen nec *radicibus*, nec *caulibus*, nec *foliis*, nec *floribus*, nec *seminibus* cum isto conveniat, potiore jure hunc locum sibi vindicare judicavimus. *Radix* ei *Anemonis* forma, tuberosa, subnigricans, fibras demittit. E superiore autem parte *caules* pediculive, *Hellebori* ritu singulares, primo anno, una cum *foliis* & *floribus*, protruduntur, qui in palmarem altitudinem exporrecti sunt. Vertice *folium* unicum, circumscriptione quidem rotundum, profundis incisuris, quibusdam ad centrum usque, radiatim dissectum, pallide virens, glabrum, conspicitur. Huic subinde medius quasi in umbilico insidet *flosculus* omnino luteus, sessilis, forma *Ranunculi*, è senis, octonis, longiusculis *petalis* conflatus. E medio *staminula* numerosa exeunt, & *Elleboracei tubuli*, uti in præcedentibus, ab eodem exortu provenientes, cernuntur. Hos excipiunt *siliquæ* quatuor, quinque vel sex, erectæ, quibus includuntur *semina* subrotunda, pallide flavescentia. *V. icon. tab. æn.* 2.

In collibus & montosis Lombardiæ *circa* Bononiam, *& quidem* Patavio *vicinis, sponte provenit. Februario floret, & Aprili mense semen perficit.*

5. Helleborus *niger sylvestris ramosus latiore folio deciduo, Nobis. Helleborus niger hortensis flore viridi, C. B. P. Helleboraster, Lob. Ger. Helleboraster minor flore viridante, Park. Elleborus niger adulterinus domesticus, Trag. Elleborus niger vulgaris flore viridi vel herbaceo, radice diuturna, J. B. Consiligo minor, Lugd. Veratrum nigrum 2. Dod. Clus. Pan. & Hist. Tab. Radicibus* suis nigricantibus, licet minoribus primo pene respondet. *Folia* exinde simpliciter emergentia, & petiolis non ramosis, dodrantalibus insidentia, in latum expanduntur, & in quinas, senas, & octonas lacinias usque ad centrum divisa, quorum pars quælibet unciam plus minus lata, profundius serrata & laciniata est, in mucronem definens, & (quod huic proprium videtur) vix folium integrum cernitur, quod in aliquo radio, secundam divisionem, & quasi semilaciniatam non patiatur. *Caules* florescentes pedales, angustioribus *foliis* sessilibus ornati, in ramusculos se dividunt, & in *flores* deorsum nutantes, satis amplos, ex quinis *petalis* viridibus conflatos terminantur, cum *staminulis* è viridi colore luteolis, *stylum* ambientibus. *Siliquæ* corniculatæ succedunt, ut in aliis, *seminibus* inclusis. *Vid. icon. tab. æn.* 4.

In sylvis pago vulgo Stoken-Church *dicto vicinis, agri* Oxonienſis, *aliisque variis* Angliæ *locis montosis & petrosis, sponte & copiose nascitur. Martio & Aprili mensibus floret; hyemeque succedente folia pereunt, & prime vere renovantur.*

6. Helleborus *niger ramosus angustifolius semper virens elatior, Nobis. Helleborus niger fœtidus, C. B. P. Helleboraster maximus, Ger. Lob. Helleboraster maximus sive Consiligo, Park. Elleborus niger sylvestris adulterinus, etiam hyeme virens, J. B. Veratrum nigrum 3. Dod. Enneaphyllon Plinii, Cæs. Radix* ei tenuibus *fibris* nigricantibus, multiplicatur. *Caules* digitum crassi, viridantes, cubitales, & ampliores sunt; quos *folia* numerosa densissimo stipatu vestiunt, petiolis palmaribus, sulcatis, donata, ex septem, octo, aut novem *radiis* angustis, atroviridibus, rigidis, dentatis, fœtidis, constructa. Superiora folia in pauciores portiones dividuntur,

duntur, ita & latiores ſunt tum portiones ipſius folii, tum brevior pediculus. Ex *alis* prodeunt *ramuli* multi, dilute virentes, deorſum reflexi, paucis *foliis* pallidulis, parvis, integris, donati; quibus inſident *flores* copioſiores, primo non ita expanſi, petiolis appenſi, ex quinis etiam *petalis* luteoviridibus, ad extremitates rubentibus compoſiti. *Staminulis* quoque impletur. Temporis decurſu *flor* expanditur, *petalaque* non decidunt; & *ſiliquæ* tres quatuorve, *ſemina* ſubnigra, obrotunda continentes, craſſitie augentur. *Vid. icon. tab. æn.* 4.

In montibus Germaniæ *ſylvoſis & ſaxoſis oritur. Perpetuo fronde viret; à Februario ad Maium uſque menſem flores profert.*

7. Helleborus *niger trifoliatus Aldini, Muntingii. Helleborus niger foliis trifoliis, Mentzelii. Caulibus* conſtat prioris ſimilibus, varie in ſummo divaricatis. *Folia* plurima pediculis propriis ad eundem modum iis adhærent, quæ interdum ſingularia, tunc bina, ſed frequentius terna ſimul juncta, laurina, latiuſcula, mucronata, & *ſpinulis* in ambitu dentata, quam præcedentium pallidiora conſpiciuntur. *Flores* etiam conſimiles, ampliores tamen, pentapetali, dilute virides & ſubalbidi ſunt. In medio floris quatuor adſunt ſeſamaceæ *ſiliquæ*, multis *filaminibus*, cum ſuis appendiculis ſeptæ. *V. icon. tab. æn.* 4.

Per totam hyemem floret.

Hellebori nigri Vires & Uſus.

Helleborus niger *haud obſcure calefacit & exſiccat, ut conſtat ex acri & amaro* radicis *ſapore. Craſſos & tenaces humores evacuat, quos fortiter per inferiores partes dejicit. Melancholicis & maniacis peculiariter convenit. Perraro datur in ſubſtantia, interdum in infuſionibus ſed communiter ſub forma Extracti, cujus parandi modos apud Chymicos & nonnullos Practicos invenies. Convenit aliis inſuper morbis contumacibus, qui leviorum purgantium vires eludunt. Hinc datur in epilepſia, apoplexia, vertigine, & paralyſi; in ſcabie, pſora, elephantiaſi, & ſimilibus affectibus cutaneis. Prodeſt ſcorbuticis, hydropicis, & præcipue quartana laborantibus. In collutione dentium dolores mitigat. Immiſſus auditum difficilem juvat; ſubditus menſes ducit, ut tradit* Dioſc.

Helleboraſtro Gerardi. 5. noſt. *cum genuino* Elleboro *eaſdem facultates, idemque temperamentum eſſe teſtatum fecit experientia. Purgat itaque perinde atque genuinus inferiorem ventrem, pituitam & flavam bilem ducens, & cætera eadem cum illo præſtabit.* J. Bauh. Tom. 3. lib. 34. *Ruſtici & Pecuarii in lue jumentorum huic, ut audivimus, plurimum confidunt. Scilicet boum palearia, equorum cutem infra cervicem, pecudum aures ſtylo pertundunt, radicem per vulnus transfigunt, qua retenta beſtiam infectam ſanari dicunt.*

Helleboraſtrum maximum 6. noſt. *internis corporis partibus adhiberi non debere; ſed ab illo cavendum tanquam à peſtilentiſſima herba notat* Tragus, *citante* J. Bauhino. *At ego equidem non paucos novi, inter plebeios, qui in vermibus inteſtinorum hac pro familiari remedio uſi ſunt.* Folia *in pulverem comminuta, ex pulpa pomi aſſati, ſed in exigua quantitate exhibent; quod quamvis ſumentibus ingratum, & operatione moleſtum, (nam vomitus & ſedes, in nimia doſi, excitare ſolet) in eo tamen caſu optimum & certiſſimum remedium vulgo compertum fuit. Electuarium vermifugum in* Pharmacopœia Bateana *proculdubio fit ex hujus* Hellebori foliis. *Recipit fol. Helleboraſtri pulveriſat. uncias ij. mellis deſpumati unc. vi. miſc. doſis à ſcrup. iv. ad drachm. ij.*

Hellebori ranunculoidis præcocis tuberoſi flore luteo, Aconiti hyemalis vulgo dicti radicem *cum magna prudentia exhibitam, purgare perhibet* Camerarius; *ſin vero non rite aut nimia quantitate uſurpetur, eſſe valde nocuam.* Dodonæus *plantam perniciosam admodum & valde exitialem haberi ait; & proinde* (*conveniente quoque radicis, ſaltem veteraſcentis, forma*) Aconitum Theophraſti *putavit; in qua ſententia erat* Jo. Bod. à Stapel. *antequam conſideraverat* Pthoram Valdenſium, *quam deinde pinxit pro* Aconito Theophraſti. *Et recte fortaſſis, ſi ſufficeret viroſa facultas ad* Aconitum *conſtituendum, nam* Pthora *vere* Ranunculus eſt. *Vid. Tom.* 1. *p.* 449.

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyſpermæ.

CAPUT V.

Pſeudo helleborus ranunculoides.

PLantarum *hoc capite contentarum flores,* Hellebori *in modum expanſi, abſque perianthio tubulis deſtituti ſunt*; ſiliquæ *capſulæve* ſeminales *plurimæ,* ſemina *ſubrotunda continent*; folia *ſingularia, pediculis propriis inſidentia,* Ranunculi *aut* Aconiti *ritu laciniata & diviſa cernuntur, exceptis primis quæ ſubrotundo & integra ſunt.*

TAB.

TABULA IV. SECT. XII.

- *Pseudo-belleborus ranunculoides*
  - *luteus*
    1. *Pratensis rotundifolius simplex, Nobis. Caltha palustris simplex, C.B.P. J. B. Park.*
    Idem multiplex.
    2. *Flore globoso, Nobis. Ranunculus globosus, Dod. Ger. Park.*
  - *albus*
    3. *Flore majore simplici, Nobis. Ranunculus montanus Aconiti folio, flo. albo majore, C. B. P. Ranunculus montanus 4. Clus. Hist.*
    4. *Flore pleno majore, Nobis. Ranunculus albus multiplex, Ger. Ranunculus Aconiti folio, flo. albo multiplici, C. B. P.*
    5. *Flore minore simplici, Nobis. Ranunculus montanus Aconiti folio, flore albo minore, C. B. P. Aconitum batrachoides, Adv. Lob.*

1. Pseudo-helleborus *ranunculoides pratensis rotundifolius simplex, Nobis. Caltha palustris simplex, C. B. P. J. B. Park. Clus. Populago, Tab. Tussilago altera, Matth.* *Radicibus* multis committuntur *fibræ* longæ, ex uno capite demissæ. *Folia* exinde oriuntur, longis, crassis pediculis singularibus subnixa, palmaria, venosa, lævia, pinguia, virore nitentia, prope circinata, ambitu tenuiter crenata, *Chelidonii minoris* multo ampliora. *Caules* aliquot vix cubitales, varie divisi, glabri, læves, geniculati eriguntur, è quorum quolibet nodo *folium* minus, breviori pediculo insidens, emergit. *Flores* adnatorum ramusculorum summitatibus proveniunt, ex quinis ut plurimum *petalis* subrotundis, aureo splendore nitentibus, absque perianthio conflati, pluribus staminulis concoloribus medium ambientibus, ut flores *Ranunculi* sed ampliores esse videantur. Floribus deciduis, plurimæ succedunt *siliquæ*, radiatim dispositæ, in quibus *seminum* subrotundorum, læviorum, duplex series continetur. *Vid. icon. tab. æn. 2.*

Humidis palustribus locis, veluti riguis pratis, gaudet, subinde ab ipsis aquis exit; una cum Ranunculis vere floret, at & serius.

Provecta & amplificata hujus *varietas* digna est quæ in hortos recipiatur. *Multiplices flores* gerit, & numerosissimorum lutescentium petalorum congeriem profert, quinis aliis *petalis* latioribus, concoloribus, orbiculatim ambientibus, ita ut *Ranunculum plenum majorem* amplitudine & venustate superet.

2. Pseudo-helleborus *ranunculoides luteus flore globoso, Nobis. Ranunculus globosus, Dod. Ger. Park. Ranunculus montanus Aconiti folio, flore globoso, C. B. P. Ranunculus flore globoso, quibusdam Trollius flos, J. B. Ranunculus glomerato flore, Clus. Hist.* *Radix* est ei nigricans, fibrata. *Folia* pediculis propriis dodrantalibus assurgunt, *Ranunculi pratensis acris*, aut *Aconiti* conformia, in quinque segmenta à centro divisa. *Caules* erecti, in alas paucas divisi, flores luteos, *Ranunculi* majores, qui non toti expandunduntur aut explicantur, sed in globuli formam absque calyce aut perianthio, collecti cernuntur. *Floribus* succedunt *siliquæ* seu *theculæ* plurimæ, arcte stipatæ, *seminibus* parvis, rotundis, splendentibus, repletæ, quæ per maturitatem summa parte dehiscunt, & semina effundunt. *V. icon. tab. æn. 2.*

In sylvosis montosis, & montium lateribus, Borealibus Angliæ *comitatibus, &* Helveticis *etiam montibus, sponte provenit. Ornamenti causa in hortos translatus est.* Minor datur species. *H. R. P.*

3. Pseudo-helleborus *ranunculoides albus flore simplici majore, Nobis. Ranunculus montanus Aconiti folio albus flore majore, C. B. P. Ranunculus montanus 4. Clus. Hist. & Pan. Montanus maximus albus, Park. Ranunculus flore albo Alpinus major, J. B.* *Radix fibris* longis crassiusculis & quasi asphodelinis constat. *Folia* magna in quinque lacinias à centro secta, viridia, in ambitu serrata, inferne dilutiora & splendentia, dura, nervosa, & præmansa acrimoniam *Ranunculi* non obtinent, sed amaritudinem potius. *Caulis* cubitalis & amplior, firmus, licet tenuis, lævis, nodis aut geniculis præditus, cubitalis, in multas *alas* à medio ad summum expanditur; in quibus *flores* unciam lati, quinis *petalis* constantes, tenelli, toti lactei, aliquantulum odorati, *staminibus* pallentibus umbilicum occupantibus. *Siliquæ* plurimæ, *semina* lævia continentes, stellatim dispositæ, sequuntur. *V. icon. tab. æn. 2.*

In acclivi montis Wechsel, Sneberg, *& aliorum montium sylvosis locis, per quæ ad eos montes patebat ascensus, abundanter provenire conspiciebat* Clusius. *Maio mense floret.*

4. Idem *floribus plenis reperitur. Ranunculus folio Aconiti, flore albo multiplici, C. B. P. Flore pleno albo, Clus. Hist. Eyst. Ranunculus albus multiplex, Ger. Floris* venustate *petalis* suis numerosis candidissimis glomeratis superbit: alias non differt à proxime præcedenti.

5. Aconitum *Ranunculoides album flore simplici minore, Nobis. Ranunculus montanus Aconiti folio, albo flore minore, C. B. P. Ranunculus flore albo, Dod. Ranunculus montanus 4. species altera, Clus. Hist. Aconitum batrachoides, Lob.* Binis præcedentibus affinis est hæc planta; *caules* tamen altius quodammodo assurgunt. *Flores* ad eundem modum nascuntur, nisi quod duplo sint minores. Atque his præcipue dignoscitur. *Vid. icon. tab. æn. 2.*

In iisdem locis detexit Clusius. *Ex* Helveticis *montibus collectum ipsi accepimus.*

De Viribus Plantarum hoc Capite contentarum, pauca dicenda sunt. De Pseudo-helleboro ranunculoide flore globoso, Matthiolum *taxat* J. Bauh. *quod hunc Aconitis adnumerat, cui usus & vires etiam* Lycoctoni *tribuit*, quas, *inquit*, nostro inesse Ranunculo globoso flore vix credimus. Potest tamen in animalibus fieri periculum. Schwenkf. *quidem cæteris* Ranunculis *hunc minus acrem ait, ac propterea minus calefacere & siccare.*

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyſpermæ ſeminibus anguloſis & rugoſis.

Aconitum, Staphis agria, & Delphinium.

CAPUT VI.

Aconitum.

AConitum Theophraſt. *ab* Acone *pago quodam* Mariandynorum *non procul ab* Heraclea Pontica, quoniam ibi copioſiſſime naſcitur. Quidam volunt *Aconitum* ab ἀκόνη, cos, *vel* rupes *dici; quod in nudis cautibus quas* ἀκόνας *vocant, nullo ne pulvere quidem nutriente proveniat. Alii ab* ἀκονίζειν *accelero, quia mortem accelerat. Forte* διὰ τὴν ἀκόνην, *cote, quia vis eadem in morte eſt, quæ cotibus ad ferri aciem deterendam.* Lycoctonum *à* λύκος *Lupus &* κτείνω *occido, nominatur.* Napellus *à figura* Napi *in radice apparentis.*

Ovidius ejus etymon ita expreſſit:

Quæ quia naſcuntur dura vivacia caute,
Agreſtes Aconita *vocant.*

Aconitum eſt planta multiſiliqua, erecta, ſpicata, *foliis* circumſcriptione rotundis, profunde laciniatis; *floribus* cucullatis; *ſeminibus* anguloſis & rugoſis.

TABULA V. SECT. XII.

luteum

1. *Lycoctonum, C. B. P. Aconitum luteum Ponticum, Lob. Tab. Ger. Aconitum lycoctonum luteum majus, Dod. Aconitum folio Platani, flore luteo palleſcente, J. B.*
2. *Majus foliis amplioribus, Dod. Schol. Bot. Par.*
3. *Reticulata radice, flore ſulphureo albicante latifolium, Icon. Par.*
4. *Idem anguſtifolium, Icon. Pariſ.*
5. *Foliis in acumen luteum deſinentibus, Hort. Lugd. Bat.*
6. *Pyrenaicum foliorum ſegmentis ſibi invicem incumbentibus, Schol. Bot. Par.*
7. *Salutiferum tenuifolium ſive Anthora, Park.*
8. *Salutiferum elatius foliis atrovirent. flo. majore Pyrenaicum, Schol. Bot. Par.*

Aconitum

9. *Sive Napellus 1. C. B. P. Napellus verus cæruleus, Ger.*
10. *Sive violaceum, Napellus 2. C. B. P. Aconitum Napello ſimile, ſed minus cæruleum præcocius, J. B.*
11. *Seu purpureum, Napellus 3. C. B. P. Lycoctonum Neubergenſe, Cluſ.*
12. *Seu purpureo flore maximo, Napellus 4. C. B. P. Aconitum Lycoctonum Judenbergenſe, Cluſ.*

cæruleum

13. *Napelli flore, C. B. P. Lycoctonum 7. vel autumnale, Cluſ.*
14. *Spica florum Pyramidali, Prælud. Bot. Pyramidale multiflorum, H. R. P.*
15. *Minus ſive Napellus minor, C. B. P. Galea latiore, radice bulboſa, J. B.*
16. *Flore cæruleo & albo variegato, Eyſt.*
17. *Coma inflexa, foliis anguſtioribus, C. B. P. Lycoctonum 4. vel Lyncæanum, Cluſ. Pan. & Hiſt.*
18. *Inflexa coma maximum, C. B. P. Lycoct. 8. coma nutante, Cluſ.*
19. *Glabrum flore Conſolidæ regalis, C. B. P. Aconitum lycoctonum flore Delphinii, Dod. J. B. Ger. Eyſt.*
20. *Hirſutum flore Conſolidæ regalis, C. B. P. Aconitum lycoctonum cæruleum calcari magno, J. B.*

1. Aconitum *lycoctonum luteum, C. B. P. Eyſt. Aconitum luteum Ponticum, Lob. Tab. Ger. Aconitum lycoctonum luteum majus, Dod. Aconitum folio Platani, flore luteo palleſcente, J. B. Lycoctonum vulgatius, Cluſ. Hiſt.* Aconitorum *radices* conicam aut *Napi* figuram deſcendentem repræſentant, *fibris* ex fuſco colore nigricantibus, enaſcentibus, *flexuoſis* & numeroſis. *Folia* hoc profert ampla atrovirentia, viticea, *Geranii batrachoidis* in modum alte laciniata, ſed inciſuris quinis & primis latioribus prædita, quæ tenuioribus ſegmentis terminantur; inordinate autem ambiunt *caulem*, cubito altiorem, ſuperiore parte fere nudum, & adnatis ramis in thyrſos diviſum. *Flores* his ſpicatim plurimi adjunguntur, pediculis inſidentes, cum *foliolo* nunc diviſo, nunc indiviſo, ab eodem exortu proveniente, qui pallide lutei, aut ex luteo albove colore herbacei, oblongi, concavi, inferius hiantes, è *foliolis* quinque compoſiti, duobus lateralibus brevibus & latis, infimorum altero lato, altero acuminato, quinto in tubi modum concavo, in cujus intimo receſſu duo *cornicula*, (in ſpiram convoluto extremo) dorſo brevem hiulcum canaliculum ſuſtinentia occultantur. Ad horum vero conum in floris hiatu *ſtaminum* conſpicitur congeries herbidorum, apicibus vel albidis, vel herbidis, vel nigro & medio verſicoloribus donatorum. *Siliquæ* ternæ vel quaternæ, *Aquilegiæ* ſimiles, rectæ, fundo ſimul junctæ cernuntur, in quibus *ſemen* rugoſum, nigrum, natura calidiſſimum (quale eſt & *Pyrethri*) quod deguſtatum crebra ſputa provocat. *V. icon. tab. æn. 2.*

In

In altiſſimis montium vallibus naſcitur in variis Germaniæ, Auſtriæ, & Pannoniæ, *ac* Helvetiæ *locis, in ſylva* Hercynia *præſertim; in monte* Baldo *aliiſque* Italiæ *montoſis &* Genevæ *vicinis, provenit. Æſtate floret.*

Huic recentiores plurimas adjunxerunt *varietates, ſpecies* ut quidam volunt.

2. Aconitum *luteum majus foliis amplioribus, Dod. Schol. Bot. Par.*

3. Aconitum *reticulata radice flore ſulphureo albicante latifolium, Icon. Pariſ.* Cujus *folia* non ſemidiſſecta, latiora apparent. Radicis craſſiuſculæ venæ *ſtriis* teſſellatis variegatæ illuceſcunt.

4. Aconitum *reticulata radice, flore ſulphureo albicante anguſtifolium, Icon. Pariſ. Folia* in profundiora, tenuiora, & acutiora ſegmenta diviſa, ita ut *Pſeudo-helleborum* ante explicatum *floribus globoſis* exprimant. Radices quoque *reticulatis venis* conſpiciuntur.

5. Aconitum *lycoctonum luteum foliis in acumen luteum deſinentibus, Hort. Lugd. Bat.*

6. Aconitum *luteum Pyrenaicum foliorum ſegmentis ſibi invicem incumbentibus, H. R. P. Aconit. 4. Matth. Edit. Valgr.* Hujus *folia* ampliſſima videntur, pluribuſque laciniis (his etiam in alias ſubdiviſiones abeuntibus) ſecta, tanta copia, ut cum quæque ſeries expanſa folia non contineat, quædam antrorſum, aliæque partes retrorſum, in ipſo *folio* naſcantur.

Variat etiam *caule & foliis amplioribus; & humiliore caule & minoribus foliis,* monente *C. B. in Pin.* ut & *floribus luteis, palleſcentibus & exalbidis, J. Bauh.* obſervante.

7. Aconitum *ſalutiferum luteum tenuifolium ſive Anthora, Nobis. Antithora flore luteo Aconiti, J. B. Aconitum ſalutiferum ſive Anthora, C. B. P. Anthora, Park. Adv. Lob. Dod. Radix* parvuli *Napi* figuram refert, turbinata, rugoſa, & fibroſa, & prope caput parvula, olivaris formæ, *tubercula* emittendo facile ſe propagans. *Caulem* fundit pedalem & cubitalem, rectum, multifidis *foliis, & Conſolidæ regalis* inſtar, ab imo tenuiter diſſectis, ſummitatem verſus rarioribus veſtitum. Juxta foliorum pediculos virgæ tenuiores, floribus cæterorum *Aconitorum* forma, abundant, cucullatis, & inferiore parte hiantibus, pallideque flaveſcentibus. Succedit *ſemen* in *corniculis Aquilegiæ* ſimilibus, quinis ſeniſve, quaſi calcaribus, invicem in uno pediculo conjunctis, nigrum, ſcabrum, & anguloſum.

In Alpibus Allobrogicis *& apud* Helvetios *& alibi reperiri, auctor eſt* Dodonæus.

8. Aconitum *ſalutiferum elatius foliis atrovirentibus, flore majore Pyrenaicum, Schol. Bot. Par.* Præcedenti affine eſt; *caulis* tamen bipedalis & interdum tripedalis; *folia* conformia, atrovirentia, ampliora gerit; *flores* etiam quoad formam & colorem conſimiles, niſi quod paullo majores ſint.

9. Aconitum *cæruleum ſeu Napellus 1. C. B. P. Napellus verus cæruleus, Ger. Napellus, Dod. Matth. Caſt. Lugd. Aconitum Lycoctonum 6. Cluſ. Hiſt. Aconitum magnum purpureo flore, vulgo Napellus, J. B. Folia* habet in quinque lacinias ad umbilicum diviſas, & illas denuo in alias tenuiores & acutiores conciſas. *Caulem* emittit bicubitalem, erectum, rotundum, & firmum, foliis inordinatim veſtitum, nonnunquam in *alas* diviſum. *Flores* ſpicatim naſcentes, ſummitatem occupant, cucullati, purpurocærulei, magni, uncialis longitudinis, ſupereminente *galea*, ſub qua bina longa *cornicula* extima parte latiora, & *litui* veterum *Romanorum* fere inſtar inflexa, *ſtaminibus* nigropurpuraſcentibus medium florem occupantibus. Floribus ſuccedunt tria, quaterna, & quina *cornicula*, conjunctim ex eodem pediculo provenientia, in quibus *ſemina* fuſca anguloſa continentur, quæ decurſu temporis, *ſiliquis* arefactis, vento agitante crepitant, & inde decidunt.

In Stiriæ *montibus naſcitur. Hortis primo vere germinat, & æſtate floret, cauleſque autumno, ut in cæteris hujus familiæ, marceſcunt.*

10. Aconitum *violaceum ſeu Napellus 2. C. B. P. Aconitum Napello ſimile ſed minus cæruleum præcocius, J. B. Aconitum Lycoctonum 2. vel præcox Tauricum, Cluſ. Pan. 4. Tauricum, Hiſt. Caulis* ei gracils & ſubrubens cubitum aut ſeſquicubitum altus eſt & ſubhirſutus, non ita rectus ac præcedentis. *Folia Napelli* ſimilia ſunt, minus tamen crebro partita. *Flores* cærulei, cucullati, piloſi, *galea* lingulas duas occultante purpuraſcentes donati, quarum capitulis impoſitus *utriculus* liquorem melleum continet. Duæ florum *alæ* ſupremo ſuo margine galeam ingrediuntur; infimos margines excipiunt duo ſubjecta *folia*, quorum complexu quatuor comprehenduntur atropurpureorum *ſtaminum villi.*

In Tauricis *montium jugis, non procul à* Saltzburgo *reperitur.*

11. Aconitum *purpureum ſeu Napellus 3. C. B. P. Aconitum lycoctonum 3. vel Neubergenſe, Cluſ. Pan. 5. Neubergenſe, Hiſt. Aconitum lycoctonum Napello ſimile Neubergenſe foliis latioribus, flore purpureo, J. B.* Latiora *vulgaris Napelli* habet *folia*, licet ſimiliter inciſa & laciniata, magis atra & ſplendentia; *caulem* trium interdum cubitorum altitudinem æquantem, & in multos ramulos ſuperiore parte ſæpenumero diviſum, qui *flores Napelli* ſpicæ inſtar congeſtos ferunt. *Corniculis* & *ſeminibus* aliis ſimile eſt.

In montis Neuberg *ducatus* Stiriæ *jugo, ad vaccarum ſtabula,* Cluſius *detexit.*

12. Aconitum *cæruleo purpureo flore maximo, ſive Napellus 4. C. B. P. Aconitum lycoctonum 6. vel Judenbergenſe, Cluſ. Pan. Aconitum lycoctonum flore maximo, J. B. Folia Napelli* diviſuram obtinent, rigidiora tamen & laciniis non adeo dependentibus conſtantia. *Caules* habet bicubitales, & *flores* inter omnia *Lycoctoni* genera maximos. *Semen* inæquale, fuſcum eſt.

Sponte provenit in Judenberg *altiſſimo totius* Stiriæ *monte. Floret Auguſto menſe.*

13. Aconitum *cæruleum Napelli flore, C. B. P. Aconitum lycoctonum 7. vel autumnale, Cluſ. Pan. & Hiſt. Aconitum lycoctonum autumnale Napello ſimile, J. B.* Hoc tota externa facie *Napellum* refert; ſerius vero multum floret, & *radicum* filamentis ac cirris multis tantummodo confibratarum, ac *Napi* nequaquam ſimilium differens.

Auguſto menſe aut ſerius floret.

14. Aconitum *ſpica florum pyramidali, D. Moriſ. Prælud. Bot. Pyramidale multiflorum, Hort. Reg. Par.* Quoad *folia* & *radices*, aliorum *Aconitorum* more provenit; ſolummodo *ſpicam* fert *florum* cæruleorum, cucullatorum, ad baſin latiorem, quæ tandem in mucronem definit pyramidalem; atque hac nota quam facillime à cæteris ſuæ ſortis diſtinguitur.

15. Aconitum *cæruleum minus ſive Napellus minor, C. B. P. Aconitum lycoctonum flore cæruleo, galea elatiori, radice bulboſa, J. B. Lycoct. 10. Cluſ. Hiſt. Thora Italica, Eid. Pan. Cam. Lycoctonum cæruleum parvum, Dod. Facie Napelli, Lob.* Præter *fibras* quibus ſubinde radicatum terræ hæret, *bulbos* gerit turbinatos, è quorum

baſi

basi fibræ aliæ exeunt. *Folia* ex *caule* alternatim producuntur, mediocri amplitudine, quæ in quinque profundas lacinias, rursum levius subdivisas conscinduntur, splendenti virore prædita, subhirsuta. *Flores* galeati, rari, *cassidem* longam erigunt, colore dilute cæruleo.

16. Aconitum *Lycoctonum flore cæruleo & albo variegato, Eyst. Aconit. lycoct. albis pallidisve floribus, C. B. P.* Antecedenti & *foliis* & *caulibus*, modoque crescendi, necnon *florum* ampliorum raritate, galeaque elevata, affine est; nisi quod *flores* ex hilari cæruleo colore in album quandoque varientur, & interdum mixti & striati conspiciantur.

17. Aconitum *coma inflexa, foliis angustioribus, C. B. P. Aconitum lycoctonum 4. vel Lyncæanum, Clus. Pan. & Hist. 7. Matth. Folia Napelli vulgaris* similia obtinet. *Caulis* inter illa medius, infirmior tamen, & superna parte aliquantulum nutans erigitur. *Flores* consimiles, nisi cassis supra quatuor folia eminens, magis sublevaretur & hiaret, *rostroque* magis mucronato esset: *Semina* internis *corniculis* simul junctis similia; *radix* etiam non multum variat.

E Lyncæanis *montibus erutum est. Floret quo tempore & superius explicata, aut paullo etiam serius.*

18. Aconitum *inflexa coma maximum, C. B. P. J. B. Aconitum lycoctonum 8. coma nutante, Clus. Hist. Icon. 5. Descript. Radicem* habet nigricantem, *Napi* figura multis *fibris* donatam, subinde tamen ad latera recentes exiguos *napos* adnatos (ut in aliis fieri amat) quibus se propagat. E superiore parte *folia* ampla & oblonga, in multas tenues & profundas lacinias magis dividuntur, quam in ullo alio *Lycocioni* genere, quæ superne atra quidem viriditate prædita sunt, non splendent tamen. *Caulis* satis gracilis, rotundus, superiore parte divisus, & nutans. *Flores Napelli* similes, sed paullo dilutiore purpura splendent. *Corniculi* & *semina* aliorum similia.

19. Aconitum *cæruleum glabrum flore Consolidæ regalis, C. B. P. Aconitum lycoctonum flore Delphinii, Dod. J. B. Ger. Lycoctonum flore Delphinii 2. Clus. Hist. Folia* circumscriptione rotunda, ab umbilico in tenuiores & frequentiores lacinias divisa, atra viriditate superne prædita, non inferne, utrinque tamen splendentia. *Caulis* cubitalis & sesquicubitalis in *spicam* longam terminatur, *floribus* è puniceo ac obscuriore colore purpureo tinctis, forma fere florum *Delphinii* in posterius videlicet corniculum calcarve definentibus; quibus dignoscitur.

20. Aconitum *cæruleum hirsutum flore Consolidæ regalis, C. B. P. Aconitum lycoctonum cæruleum calcari magno, J. B. Aconitum lycoctonum flore Delphinii 1. Silesiacum, Clus. Hist. Aconitum lycoct. flore Delphinii latifolium, Eyst. Folia* huic latiora, *Platani* divisuram fere obtinent, hirsuta tamen, & superne magis atra. *Caulis* vix *Napello* cedit altitudine, firmus, inanis, purpurascens, qui glaber videtur, sed quasi tenui polline & attactu facile detergendo, conspersus. Idem spicatim *flores* caudatos, sursum versus, & aliquantum recurvos, interius cæruleos, exterius purpureos ostendit, *Consolidæ regalis* nondum penitus apertæ æmulos. *Flores* excipiunt siliquosa, trigona, *capitula*, referta *seminibus* rugosis, & inæqualibus, fuscis. *Radix* est crassa, tuberosa, graveolens, fibrosa, è suo latere nova germina emittens.

Temperamentum & Vires.

Facultas Aconiti lutei Pontici *ut & reliquorum* Lycoctonorum *homini exitialis est, & cæteris quoque animantibus perniciosa, ut asserit* Dodonæus. *Cæteris lupicidis deterius & certius venenum esse perhibent* Pena & Lob. *Est autem adurentis facultatis sicut* & Napellus; *quare intro sumi non debet, inquit* Tragus: *imo nonnullis in locis adulti* flores *vel solo mansu fauces linguamque, tumore illico extitato, adurunt, & vertiginem cient, si fides* Penæ & Lob. in Adversa.

De usu ejus externo pauca admonuit Tragus. Unguentum *ex pulvere* seminis *aut* radicis *cum oleo factum illitu pediculos ac furfures quocunque tandem inveniantur loco, enecat ac expellit: idem* radix *præstare potest, si in aqua vel lixivio decoquatur, atque illa postea caput abluatur.*

Aconitum cæruleum sive Napellus *calidum & siccum habetur in summo gradu.* Radicem *transversim apici linguæ admovit* Cl. Wepferus *& primum succus subflavus dulcis apparuit, mox leviuscule constrinxit, at* protinus, *inquit*, ardorem post se reliquit in particula illa quam attigi, eumque vix aqua eluere valui, quin toto die sensum ambustionis quendam paterer. *Est autem perniciale venenum, homines ac bestias interficiens. Malignitatem ejus in animalibus probavit auctor modo citatus.* Vid. Cicut. aquat. p. 226. *Hujus deleteriam vim* Antuerpiæ *casu perquam miserabili convivæ quidam experti sunt: cum enim ab imperitis hujus inter acetaria illatæ essent radices, quicunque eas ederunt, auctore* Dodonæo, *mox sævissimis correpti symptomatis brevi vitam cum morte commutarunt.* Pastores necatos scimus, *inquit* Matthiolus, qui assandis aviculis Napelli caule temere usi sunt. *Idem* Lapidis Bezoardici *virtutem experiendi gratia, drachmam* radicis *latroni cuidam ad furcam damnato exhibuit: quales vero fuerunt subsequentes effectus, & quam dira symptomata excitavit in illo latrone, & in aliis quibus data est ista potio, prolixe narratur apud ipsum* Matthiolum, *quem consulas.*

De Aconito salutifero seu Antithora *hæc dicenda sunt. Inter manifeste calidas & siccas recensetur.* Radix *cum valde amara est, & virtutis haud leviter purgantis, vermes & lumbricos quos interimit, foras educit.* Thoræ *veneno peculiariter adversari fertur. Non modo* Napelli *malitiæ, sed & cæteris quibuscunque venenis resistere asserit* Matthiolus, *vimque habere adversus venenatos morsus, pestilentiam, & omnes internos dolores; auxiliatur insuper omnibus cordis affectibus.*

Sed præclaras has virtutes suspectas habet Jo. Bauhinus, *qui super his arguens* Matthiolum, considerent lectores, *inquit*, an Plantæ purganti prædictæ virtutes conveniant. *Usum ejus valde suspicatur* Clusius, *quandoquidem planta est* Napello *simillima. Ergo verisimile est* Matthiolum *vel de* radice, *vel de virtutibus ejus hallucinari: nam plane videtur* Antithoræ *radicem & Zedoariam* Avicennæ *confundere; & cum diversas non fecerit, haud mirum est si virtutes huic tribuerit, quas isti* Zedoariæ *revera inesse putaverat.* Vid. Matthiol. *p.* 1097. *item p.* 582. *Editionis* Valgrisianæ.

PLANTA MULTISILIQUA

Polyſperma ſeminibus angulosis & rugosis majoribus.

CAPUT VII.

Staphis agria.

STaphis *agria dicitur, quaſi* Uva ſylveſtris, *eo quod folia* Vitis (*τῆς ἀμπέλου*) *foliis ſimilia producat; unde à quibuſdam* Vitifolia *nominatur.* Græcis *φθειριακον, granum pediculare;* Latinis Pedicularis herba, *ab effectu in necandis pediculis, appellatur.*

Staphis agria, *C. B. P. J. B. Dod. Trag. Matth. Ger. Park. Lob. Lugd. Caſ. Cam. Pedicularis Cord. in Dioſc. Radix* annua, dura & fibrata eſt. *Caulem* habet hirſutum, rotundum, pallide virentem, cubito altiorem, in multos ramos diductum. In his *folia*, longis hærentia pediculis, ampla, vitiginea, unde toti plantæ nomen comparatum, profundis inciſuris, quandoque ſeptem, ſubinde paucioribus, ſed non ad umbilicum diviſa & digitata, aliquando crena una vel altera donata, modice piloſa conſpiciuntur. *Flores* pediculis frequentibus, tum è foliorum ſinu, tum è caulis faſtigio in *ſpicam* protracto, tum ex ramis exeuntibus inſident cærulei, è quinque *petalis* villoſis compoſiti, cum *calcari* brevi craſſiuſculo retrorſum extenſo, *apicibus* & *ſtaminibus* foliaceis medium occupantibus. His ſuccedunt *ſiliquæ* tres quatuorve corniculatæ, ut in *Aconitis*, ſed majores, in quibus *ſemina* magna, rugoſa, nigra, triangula, urentis facultatis vi (guſtata) os incendentia, reponuntur. Iſtis autem matureſcentibus, *radix* perit.

Sponte naſcitur in locis opacis; in Iſtria (*inquit* Matthiolus) Dalmatia, Apulia, & Calabria, *frequentiſſimo proventu.*

Vires & Uſus.

Semina *ſeu* grana *in uſus ſervantur* (*in quibus vis excalefaciens admodum intenſa eſt, & guſtantibus os incendens*) *commanſa magnam pituitæ copiam eliciunt; maſticatoriis addita dentium dolores tollunt; & capitis morbis è frigida & pituitoſa intemperie natis ſubmovendis conferunt.* Grana *decem vel quindecim in aqua mulſa trita ac data, craſſa quæque per vomitus educunt: qui autem hauſerunt, obambulare debent; & diligenter animadvertendum eſt ut aqua mulſa aſſidue detur, eo quod ſtriangulationis periculum adferant, & fauces urant.* Hæc Dioſcorides. *Sed apud modernos uſus internus oppido rarus aut nullus eſt. Extrinſecus ad enecandos fugandoſque pediculos uſurpari ſatis notum eſt.*

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyſpermæ ſeminibus angulosis & rugosis.

CAPUT VIII.

Conſolida regalis *ſive* Delphinium.

COnſolida regalis *dicitur, eo quod in vulneribus* conſolidandis *ſupremum occupet locum.* Delphinium *dicitur à figura floris, nam flores quidem priuſquam completi ſunt, ſpeciem quandam ac ſimilitudinem eorum* Delphinum *exhibent, quos recurva repandaque figura veteres picturæ exhibent.* Buccinum *etiam à floris effigie audit, quia cornu recurvum præ ſe ferre videtur, quod* Buccinum *appellatur, & tubæ modo inflatur.*

Delphinium inter coronarias plantas habetur. *Folia* ei ſunt tenuiſſime & multifariam diſſecta; *flores calcari* retrorſum extenſo præditi; *ſemina* parva anguloſa, *theculis* membranaceis filiquiſve includuntur.

TABULA VI. SECT. XII.

Conſolida regalis
- *humilior & rameſior*
  1. *Arvenſis, C. B. P. Conſolida regalis flore minore, J. B. Flos regius ſylveſtris, Dod.*
  2. *Vulgaris flore multiplici, C. B. P. Conſolida regalis multiplici flore, Eyſt. Delphinium vulg. flore pleno, Park. Variat floris colore.*
  3. *Latifolia parvo flore, C. B. P. Delphinium Dioſc. Imperato.*
  4. *Maxima villoſa, J. B.*

elatior & minus ramosa
- 5. *Hortensis flore minore, C. B. P. Delphinium elatius simplici flore, Clus.*
- 6. *Hortensis flore majore & simplici, C. B. P. Consolida regalis erectior flore majore, J. B.*
- 7. *Hortensis elatior flore duplici versicolore, Nobis. Consolida regalis flore duplici, Ger. Delphinium arvense flore versicolore, Clus. App. alt.*
- 8. *Flore majore & multiplici, C. B. P. Consolida regalis flore pleno, Eyst. Delphinium elatius flore pleno, Park. Par.*

Versicoloribus floribus elegantissimis variat.

1. Consolida *regalis arvensis, C. B. P. Tab. Consolida regalis flore minore, J. B. Flos regius* 2. *Dod. Delphinium vulgare, Clus. Buccinum & Delphinium alterum, Dod. Gal. Consolida regalis sylvestris, Ger. Caules* exeunt cubitales, rotundi, in ramulos complures divisi; circa quos *folia* tenuia, multiplici sectione divisa *Abrotoni maris* foliis similia, è virore nigricantia exseruntur. Ad superiores eorundem partes *flores* cærulei ex quinis *petalis* constructi, (quibus à tergo parvum veluti *corniculum* angustum & acuminatum, veterum calcaris similitudinem referens) emergunt. *Siliquæ* inde oblongæ, rotundæ, acutæ visuntur, in quibus *semen* angulosum & nigrum.

In agris frumentariis, lætiori solo, Galloprovinciæ & Italiæ, *frequens nascitur. Maio & Junio mensibus floret. Reperitur etiam* floribus albis *donata.*

2. Consolida *regalis vulgaris flore multiplici, C. B. P. Consolida regalis multiplici flore, Eyst. Delphinium vulg. flore pleno, Park. Clus. Hist.* Genere hæc non est diversa à priore; in hortos enim translata, soloque lætiori culta, *folia* ampliora *Peucedani* latitudinem obtinentia, ramosque statim à radice emittit, hique rursus in alios dividuntur. Istorum autem summitatibus *flores* spicatim nascuntur, singuli petiolis propriis insidentes, qui è duplici vel triplici petalorum serie conflantur. Colore etiam variant; cærulei, purpurei, carnei, & interdum albi conspiciuntur. Post plenos flores evanidos, *siliquæ* plures simul junctæ, *seminibus* nigris refertæ, succedunt.

3. Consolida *regalis latifolia parvo flore, C. B. P. & Prod. Delphinium Dioscoridis Imperato. Consolida regalis peregrina parvo flore, J. B. Consolida regalis latifolia, Park. Theat. Delphinium Hispanicum parvum, Park. Par.* Ex *radice* fibrosa, oblonga, rufescente, *caulis* cubitalis, rotundus, striatus, levissima hirsutie albicans, in ramos brachiatus exsurgit. Hunc *folia* tripartito primum, dein ad formam foliorum *Ranunculi arvensis echinati,* divisa cingunt, quæ in summo caule pauciora, quædam tripartita, quædam integra. *Flores* parvi, calcari longiore præditi, & corniculati, cæruleo obsoleto colore tincti, rarius in *spicis* longis tenuioribus digeruntur; quibus excussis singulis terna succedunt erecta, simulque juncta *cornicula, semina* parva continentia.

Ex Aleppo *accepimus. In* Sicilia, Melita, & Italia, *sponte provenit. Sero floret, ita ut semina apud nos raro matureſcant.*

4. Consolida *regalis maxima villosa, J. B. Caule* est longiusculo, contorto, admodum villoso. *Folia* fere palmum longa, pilosa, multifida, segmentis latis, non multo *Peucedani* foliorum segmentis angustioribus, villosis, non sine oblongis quibusdam veluti foliorum ligulis, donantur. *Flos* unicuique pediculo insidet unicus, magnus, candidus, cujus *calcar* & folia extima foris tomentosa sunt, & virore quodam variegata. *Cornicula* quæ succedunt densissimo villo sunt obsita. *J. B.*

5. Consolida *regalis hortensis flore minore, C. B. P. Delphinium elatius simplici flore, Clus. Consolida regalis flore rubro, Lob. Flore incarnato, purpureo, & albo, Cam. Caulem* habet erectum, firmum, bicubitalem, & tricubitalem, non à principio ramosum, uti in præcedentibus. Hunc indiscriminatim ambiunt *folia* multifida, pallidiora, & frequentiora, quam in vulgari. Post dimidium *alæ* proveniunt, similibus foliis tenuioribus onustæ. *Flores* in longiores *spicas* erectas nascuntur, sex *petalis* constantes, quorum quatuor in latera expanduntur, quintum supernum *cauda* aut *calcari* in posteriorem partem prominente insignitum, reliquis majus, cui subest sextum medium florem occupans. Flori succedunt ut plurimum singularia, rarius plura longiora & crassiora *cornicula, semina* includentia. *Color floris* in hoc genere mirum in modum variat: nam aut *niveus* est, aut *exalbidus*, aut *carneus*, isque vel *saturatus* vel *dilutus*, aut *cineraceus*, aut *purpureus* seu *violaceus*, atque is vel *dilutior* vel *saturatior*, nonnunquam etiam *versicolor* est, hoc est vel media ex parte *purpureus*, altera *incarnatus* vel *suave rubens*, interdum etiam altera parte *albus*.

6. Consolida *regalis hortensis flore majore simplici, C. B. P. Consolida regalis erectior flore majore, J. B. Consolida regalis sativa, Tab. Ger.* Species à præcedente distincta vix agnoscitur hæc, quæ *foliis* modoque crescendi non discrepat. *Flores* spicis longis dispositi, ampliores, & versicolores conspiciuntur.

7. Huic adjicitur *Consolida regalis hortensis elatior flore duplici versicolore, Nobis. Consolida regalis flore duplici, Ger. Delphinium arvense flore versicolore, Clus. App. alt.* 1282. Florum coloribus mire variat, qui ex sex *petalis* conflantur *unicoloribus*. Ex horum autem medio plures emergunt *lineis* venisve *diversicoloribus* striati, & variegati.

8. Consolida *regalis elatior flore majore & multiplici, C. B. P. Consolida regalis flore pleno, Eyst. Delphinium elatius flore pleno, Park. Par. Clus. Hist. Consolida regalis erectior flore purpureo & violaceo pleno, J. B.* In hortis, quibus ob insignem ornamenti gratiam servatur, *caulibus* assurgit tricubitalibus, in brachia longa divaricatis, *foliis*, (nonnullis erectis) consimilibus amictis. *Flores* in *spicis* longis digesti, successive & gradatim efflorescunt, ampliſſimi, & rosaceam formam *petalis* suis multiplicibus constituunt. Hi variis coloribus ornati, & nullo aut perexiguo *calcari* præditi sunt: hinc

Consolida regalis *flore pleno purpureo incarnato,* Eyst. *argenteo,* Eyst. *cinereo,* Eyst. *albo,* Eyst. Du. Bry. *rubro,* Eyst. *violaceo,* Eyst. *purpureo acuminibus albis, cinereo acuminibus albis.*

Hujus autem familiæ plantæ quas non ita pridem è *Lusitania* recepimus, elegantissime sunt *striatæ*, & *Leucoii* aut *Caryophyllorum* in modum lineis versicoloribus eximie depictæ, punctatæ, asperſæ, maculatæ, & variegatæ. His *flos cinereus, purpureis lineis insigniter ornatur; flos pallide purpureus, striis atropurpureis venuste decoratur.* Interdum etiam in *simplices*, & *semiplenos*, ad eundem modum tamen *maculatos* degenerant flores. Et notandum, quod simplicioribus floribus pauciores, & multiplicioribus plures *siliquæ* succedant. Et *semina* sponte decidua, aut statim post maturitatem terræ commissa, multo vegetiores & fortiores plantas producunt, quam ea quæ ad menses vernales detinentur.

Delphinii

Delphinii Vires & Usus.

Delphinium *existimatur à plerisque Botanicis insigne opthalmicum & vulnerarium. Porrò diureticum habetur & alexipharmacum. Plures occurrunt virtutes, sed eis omnibus diffidit* Casp. Hoffmannus: *ait enim* in facultatibus vix aliud se reperire quam superstitiones, & nullo fundamento nixas medelas. *Est equidem planta officinis nostris vix nota, & quam apud Practicos haud facile invenies. Veruntamen an inops sit virtutis medicæ, an potius vires ejus non satis exploratæ sint, in medio reliquerim.*

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyspermæ seminibus granulosis & pulverulentis.

Telephium, Sedo affinis, Sedum, & Gentiana.

CAPUT IX.

Telephium *sive* Crassula.

TElephium *dicitur ab effectu, quod medeatur* Telephiis *ulceribus, id est, malignis & inveteratis, qualibus* Telephus Mysiæ *Rex ab* Achille *vulneratus, consenuit.* Crassula *nuncupatur, eo quod* folia *solida & crassa habeat, &* Fabaria *à foliorum cum* Fabæ *foliis similitudine.*

Telephium *foliis* donatur pinguibus, carnosis & succi plenis; *flosculis* plurimis corymbatim dispositis, pentapetalis. *Capsulæ* conjunctæ, semina pulverulenta continentes, succedunt. *Caules* hyeme pereunt.

TABULA VII. SECT. XII.

Telephium floribus

purpureis

1. *Vulgare, C. B. P. Crassula major, Dod. Crassula sive Faba inversa, Ger.*
2. *Sive purpureum majus, C. B. P. Telephium floribus purpureis, Lob. icon. Tab. Ger. 5. purpureo flore, Clus. Hist.*
3. *Sive purpureum minus, C. B. P. & Prod.*
4. *Portulacæ folio, D. Moris. Prælud. Bot.*
5. *Mexicanum umbellatum, Yztacpatli manalismi, Recchi.*

albis

6. *Latifolium peregrinum, C. B. P. Telephium sive Crassula major Hispanica, Lob. 1. Hispanicum, Clus. Hist.*
7. *Foliis & caulibus purpureis. Forte Telephium peregrinum rubens, Hort. Reg. Bles. Lusitanicum hæmatodes maximum, H. R. P.*

luteis

8. *Radice rosam redolente, Nobis. Rhodia radix, C. B. P. Matth. Idem minus, Hort. Lugd Bat.*

1. Telephium *vulgare, C. B. P. Crassula major, Dod. Crassula sive Faba inversa, Ger. Telephium vulgare sive 2. Clus. Hist. Anacampseros vulgo Faba crassa, J. B. Telephium sive Crassula major vulgaris, Park. Radices* ut plurimum *tuberculis* glandulosis, oblongis, albis, *Fabis* quodammodo similibus, (unde *Faba inversa* nuncupatur) fibris adnexis, constant. *Caulibus* assurgit pedalibus, rotundis, lævibus, sed haudquaquam articulatis; in quibus sine ordine, crebrius digesta sunt *folia* oblonga, unciam plus minus lata, succulenta, & carnosa, crassa, colore ad glaucum tendenti, locis siccioribus ad rubrum vergenti, ambitu modice crenata. Summi *cauliculi* è petiolis corymbatim dispositis erumpentibus *flosculis* plurimis, pentapetalis, parvis, cum staminulis medium occupantibus, ornantur. Succedunt *siliquæ* exiguæ, quinque frequenter simul junctæ, in quibus *semina* minutissima & pulverulenta includuntur. Vivax admodum stirps est; vel luto soli impositi cauliculi diutine virent, & si subinde rigentur, etiam augmentum capiunt.

Solum diligit arenosum, & in montosis, siccioribus & glareosis locis non raro occurrit.

Foliis nonnunquam variat, quæ nunc *latiora*, nunc *angustiora* sunt: nunc etiam *integra*, & minime crenata. *Flores* apud nos frequenter purpurascunt. *Jo. Bauhinus* de *floribus albis* meminit & descripsit.

2. Telephium *purpureum majus, C. B. P. Telephium floribus purpureis, Lob. icon. Tab. Ger. 5. Flore purpureo, Clus. Hist. Anacampseros purpurea, J. B.* E *radicibus* superioris consimilibus *caules* emittit cubitales, quibus *folia* satis frequentia, inordinata, *Telephii vulgaris* affinia, crassa, succulenta, in ambitu tamen nonnihil crenata, & veluti sinuosa apponuntur. *Flores* coloris gratissimi ex rubro purpurascentis. *Jo. Bauh. foliis vulgaris angustioribus & longioribus, dilutioreque virore tinctis* præditum esse scribit.

3. Telephium *purpureum minus, C. B. P. & Prod.* E *radiculis* nodosis *cauliculus* unus aut alter, rotundus, semipalmaris, fragilis, & succulentus assurgit. *Folia* parva, in ambitu crenata, sine ordine hunc ambiunt; *flosculique* purpurascunt.

In editissimo monte Brisoiæ Belchen *dicto, locis humidis, Julio mense florens, collectum est.* C. B.

4. Telephium *Portulacæ folio, D. Moris. Prælud. Bot.* Hæc *Telephii* species sola *crassitie* seu *spissitudine foliorum* à cæteris suæ classis facile distinguitur. Icon *Telephii vulgaris seu 2. Clus. Hist.* plantam exprimit ab hoc non multum abludentem.

5. Telephium *Mexicanum Ɣztacpatli manaliſmi dictum, Recchi* 452. *Folia Telephii* ſeu *Craſſulæ* habet, ſupra bene viridia, ſubtus cana; *radicem* glabram & profunde merſam. *Flores* in *umbellam* formatos gerit, qui in una umbella albi (ſignum recentium florum) in altera rubent. *Recchi.*

6. Telephium *latifolium peregrinum, C. B. P. Telephium ſive Craſſula major Hiſpanica, Lob. Park.* 1. *Hiſpanicum, Cluſ. Hiſt. Craſſula major Hiſpanica, Ger. Cotyledon alterum Dioſc. Cymbalaria verior, F. Col.* Huic *radices* longioribus glanduloſis, albicantibus partibus conſtant. *Caules* habet rotundos, virides, ſucculentos, cubitales; quibus per intervalla, binatim naſcentia, apponuntur *folia*, aliorum latiora, ſpiſſiora, & magis carnoſa, ambitu dentata. Tantæ gravitatis ſucco impletur, ut ramus abſciſſus librale pondus æquet. *Flores* in ampliorem comam ſparſi, ex albis pallidi ſunt, quibus dehiſcentibus, *cornicula* ſimul juncta, & *ſemina* minuta, ut in aliis, ſuccedunt.

Locorum umbroſorum Hiſpaniæ *alumnum eſt; unde in hortos noſtros tranſlatum uberrime adoleſcit.*

7. Telephium *majus album foliis & caulibus purpureis. Forte Telephium peregrinum rubens, Hort. Reg. Bleſ. Luſitanicum hæmatodes maximum, H. R. P.* Hujus *caules* pingues, humiliores, *foliaque* ſubrotunda, & ſatis lata, non ſolum prima egerminatione, ſed per totam æſtatem, omnino purpuraſcunt. *Flores* pallidi, cum proxime præcedentis floribus conveniunt; tanta tamen ubertate non proveniunt.

Ex horto Lugduno-Batavo *tranſmiſſum poſſidemus.*

8. Telephium *luteum minus radice roſam redolente, Nobis. Rhodia radix, C. B. P. J. B. Matth. Dod. Cluſ. Pan. & Hiſt. Ger. Park. Roſea radix, Lon. Tab.* *Radix* longa, craſſa & tuberoſa eſt, quæ recens candida & ſuccoſa, & trita odorem roſarum (præſertim exſiccata) ſatis refert. E *capitulis* plurimis rotundis *caules* emergunt dodrantales, rotundi, nonnihil concavi; quos *folia* plurima, unciam longa, latiuſcula, glabra, acuminata, pallide virentia aut cæſio colore prædita, per ambitum modice dentata, & *Craſſulæ vulgaris* aliquatenus ſimilia, attamen minora, crebrius conveſtiunt. *Flores* in cacuminibus apparent, *Telephii* haud diſſimiles, denſius ſtipati, lutei, qui deinde in *cornicula* tranſmutantur exigua, *Telephiorum* ritu ſimul juncta, *ſeminibus* minutiſſimis, pallidis, referta.

In plurimis Comitatibus borealibus Angliæ & Cambro-Britanniæ, *è præruptis fiſſuris ſaxoſis montium exceliſſimorum, ſponte provenit. In* Germaniæ & Italiæ *Alpibus quoque occurrit. Menſe Maio floret.*

Nonnunquam latioribus, & *interdum* anguſtioribus foliis; *nunc magis, nunc minus inciſis, reperitur:* hinc

Rhodia radix foliis minus inciſis, Hort. Lugd. Bat.

Interdum etiam flores *purpuraſcunt.*

Temperamentum & Vires.

Inter refrigerantes reponitur, & tamen vis aſtrictoria, & conſolidans ei non deeſt. Eſt enim planta vulneraria non incelebris, ruptiſque conducit. Commendatur ad ulcera externa & interna: bibita vel injecta ſanat eroſiones quæ ex dyſenteria contingunt. Impoſita ambuſtis prodeſt; hæmorrhoidum dolores ſedat.

Rhodia radix *temperate calida eſt & ſicca;* Galeno *auctore tenuium partium eſt, & diſcutientis facultatis.* Radix *ſola, vel tota planta cum aqua roſacea, vel verbeniaca contunditur, contuſa fronti & temporibus apponitur in cephalalgiis, quibus amovendis inſigniter prodeſt; in aliis affectibus negligitur.*

PLANTA MULTISILIQUA

Polyſperma ſeminibus pulverulentis.

CAPUT X.

SECTIONIS DUODECIMÆ

SEdo affinis *juncoides umbellata paluſtris, Nobis. Juncus floridus major, C. B. P. Park. J. B. Gladiolus paluſtris, Cordi. Ger.* Propter *vaſculorum ſeminalium* corniculatorum ſimul conjunctorum, *ſeminumque* ipſorum minutorum, cum *Sedis* conformitatem; *foliorum* vero & *radicum* diſcrepantiam, *Sedo affinem* plantam hanc de qua agimus appellare placuit. Arundinacea aut juncea, primo aſpectu, videtur planta; *radix* enim quaſi geniculata, digitum craſſa, in vetuſtiore nigricans, & adoleſcentiore alba, dulcis & glutinoſa, *fibris* in limum demiſſis, tranſverſim telluris pene ſuperficiem occupat. *Folia* in rivulis & fluminibus multa, longa, flaccida, unciæ quadrantem latitudine vix ſuperantia, cum *Sagittaria* innatantia, emittit, ubi raro aut nunquam eriguntur nec floreſcunt; in ſtagnantibus vero aquis *folia* aſſurgunt multa, mollia, ſpongioſa ſeu poroſa medulla farcta, triquetra, bicubitalia, ad exortum concava, ſupina parte verſus apices planiora. *Caulis* bicubitalis & altior, teres, glaber, ſpongioſus, non tamen concavus, foliis nudus, in cacumine *flores* plurimos geſtans, in *umbellæ* formam diſpoſitos, pediculis ſemipalmaribus, nudis, tenuibus fultos. *Flores* autem hexapetali ſunt, è carneo colore purpuraſcentes, tribus exterioribus *petalis* carinatis & majoribus, quæ calyces eſſe videntur; tribus interioribus minoribus, concoloribus. *Vaſculum ſeminale* ſex thecis ſeu loculamentis conſtat, purpureis, in ſummo corniculatis, *ſemine* intus minutiſſimo repletis. Vaſculum iſthoc in medio flore circumſtant *ſtamina* circiter novem, alias longis purpureis, alias brevibus *apicibus* capitata, *pulviſculo flavo* attrectantium digitos inficientibus. *Umbellæ* baſin tria inſignia acuta *foliola* circumſtant.

Pinguibus limoſis & humentibus locis gaudet, imo & in ipſis aquis & ad fluviorum ripas, limo naſcens, gignitur. Menſibus Julio & Auguſto floret.

An Juncus floridus minor, C. B. huc attineat necne ab imperfecta deſcriptione haud colligendum eſt.

PLANTÆ

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyſpermæ ſeminibus pulverulentis.

CAPUT XI.

Sedum.

SEdum *Græcis* αὑζωον *quaſi* ἀπὸ τὸ αὶὲι ζῆν, i. e. *ſemper vivendo; quod perpetuo vireat.*
Quædam Vermiculares *appellantur, a facie* foliorum, (& *quorundam* caulium) *quæ figura oblonga, & propemodum ovali* vermiculorum *ſpeciem referunt.*
Κοτυληδὼν Dioſc. l. 4. c. 92. Sedo *ſubjungit, quod & apud illum* σκυτάλιον & κυμβάλιον *audit. Nempe a figura* folii Acetabulo ſimilis *nomen accepit: hinc* Latinis Acetabulum & Umbilicus Veneris *Plin. l. 25. c. 13.* Cotyledon: Κοτύλη *autem omne genus cavum ſignificat.*

Sedum craſſis ſpiſſis & ſucculentis eſt *foliis; floribus* ſtellatis; *ſeminibus* pulverulentis. A *vaſculis ſeminiferis* biſidam diviſionem obtinet. *Capſulæ* corniculave ſunt *plurima* ſimul juncta, aut *bicornia; floſculi lutei, rubri,* aut *albi.*

TABULA VIII. SECT. XII.

- *Sedum multicapſulare floribus*
  - *luteis*
    - *majus*
      1. *Arboreſcens, J. B. Sempervivum arboreſcens, Matth.*
      2. *Roſeum Canaricum latifolium humilius foliis inflexis, molli birſutie pubeſcentibus, Corozone celio Inſulanis.*
      3. *Canaricum humile foliis repanſis imbricatim diſpoſitis, marginibus pilis argenteis fimbriatis.*
      4. *Murale folio ſpiſſo umbilicato rotundo, Nobis. Cotyledon major, C. B. P. Umbilicus Veneris, Matth. Ger.*
      5. *Sive Cotyledon radice tuberoſa longa repente, Hort. Reg. Par. Cotyledon flore luteo, radice repente majus, Dodart. Mem.*
    - *minus*
      6. *Folio acuto, C. B. P. Sedum minus flore luteo, J. B.*
      7. *Ramulis reflexis, C. B. P. Sedum minus luteum flore ſe circumflectente, J. B.*
      8. *Longifolium citrino flore, Hort. Reg. Bleſ.*
      9. *Foliis acutis denſius ſtipatis rubeſcentibus, Nobis. Sedum minus è Rupe Sancti Vincentii.*
      10. *Lato & craſſo caule Portlandicum Belgarum, H. L. B.*
      11. *Africanum umbellatum glabrum, D. Pluk.*
      12. *Vermiculatum acre, C. B. P. Sedum parvum acre flore luteo, J. B. Illecebra minor acris, Ger.*
      13. *Vermiculatum inſipidum, C. B. P. Sedum minimum luteum non acre, J. B.*
      14. *Montanum perpuſillum, Park. Lob. Illuſt.*
      15. *Teretifolium, C. B. P. Minus æſtivum, Ger.*
      16. *Echinatum flore luteo, J. B. Echinatum, Chab.*
      17. *Africanum annuum Centaurii minoris facie, H. L. B.*
  - *albis*
    - *majus*
      18. *Vulgari ſimile globulis parvis decidentibus donatum, Nobis. Sedum vulgari magno ſimile, J. B.*
      19. *Montanum dentatis foliis, C. B. P. Cotyledon altera 2ª. Cluſ. Hiſt.*
      20. *Montanum dentatis foliis alterum, C. B. P. Cotyledonis alterius altera ſpecies. Cluſ. Hiſt.*
      21. *Africanum umbellatum, Hort. Lugd. Bat.*
      22. *Afric. umbellat. majus fol. birſutie fimbriatis, D. Pluk.*
    - *minus*
      23. *Teretifolium album, C. B. P. Sedum minus officinarum, Ger.*
      24. *Teretifolium alterum, C. B. P. Sedum medium teretifolium, Ger.*
      25. *Teretifolium majus, Hort. Reg. Bleſ.*
      26. *Petræum teretifolium Virginianum.*
      27. *Narbonenſe glaucum ramulis inflexis ſtaminibus luteis, Schol. Bot. Par.*
      28. *Monſpeſſulana ſpecies major folio acuto, J. B.*
      29. *Alpinum gramineo folio, lacteo flore, C. B. P.*
      30. *Montanum minimum Caryophylli folio, Raii. An Sedum muſcoſum, J. B?*
      31. *Norwegicum, Lob. Illuſt.*
      32. *Alpinum glabrum foliolis compactis, C. B. P. Alpinum foliis cinereis, flore candido, J. B.*

33. *Alpinum hirſutum lacteo flore, C. B. P. Chamæjaſme Alpina, J. B. T. 3. App.*
34. *Non acre, Raii.*
35. *Folio circinato, C. B. P. Aizoon daſyphyllum, Lugd.*
36. *Echinatum ſive ſtellatum flore albo, J. B. Chab.*
37. *Annuum Portulacæ minoris folio, Nobis. Cepæa Matthioli, C. B. P. Cluſ.*
38. *Aparines facie Tauromenitanum, Raii H.*

purpuraſcentibus

majus

39. *Africanum, fruteſcens incanum foliis orbiculatis, H. L. B.*
40. *Africanum teretifolium flore Hemerocallidis, è Cod. Compton.*
41. *Vulgare, C. B. P. J. B. Sempervivum majus, Ger. Dod.*
42. *Vulgare maximum, H. L. B. Schol. Bot. Par.*
43. *Alpinum magno flore 14. C. B. P.*
44. *Montanum tomentoſum, C. B. P. Sempervivum rubrum montanum gnaphaloides, Col.*
45. *Montanum tomentoſum foliorum apiculis purpuraſcentibus, Schol. Bot. Par.*

minus

46. *Procumbens rotundifolium glaucum, Nobis. Telephium ſemper virens, Ger.*
47. *Arvenſe, C. B. P. & Prod.*
48. *Paluſtre ſubhirſutum purpureum, C. B. P. Purpureum pratenſe, J. B.*
49. *Stellatum annuum rotundifolium, Nobis. Cotyledon ſtellata, C. B. P. Portulaca Cretica, Park.*
50. *Annuum minimum ſtellatum, Magnol.*

Seda multicapſularia *floribus luteis.*

1. Sedum *majus arboreſcens, J. B. Floſculis luteis Sempervivum ſive Sedum arboreſcens, Dod. Sedum arboreſcens Græcum, Lob. Sedum majus verum, Geſn. Hort. Sempervivum arboreſcens, Matth. Majus, Ang. Sedum majus legitimum, Cluſ. Hiſt. Sedum majus arboreſcens floſculis candidis, C. B. P. Radice* craſſe fibrata & diſperſa nitet. *Caulis* obſcura fuſcedine ſuffuſus, durus, lignoſus, rotundus, pollicaris & brachialis craſſitudinis, bicubitalis, veſtigia foliorum impreſſa refert. *Folia* rami craſſi ſubmittunt carnoſa, rarius piloſa, ſe invicem imbricatim mutuo excipientia, ac in orbem roſæ ſpecie confertim diſpoſita, ex anguſto principio in latitudinem obtuſam ſumma orarum parte quaſi leviter mucrone faſtigiatam, abeuntia, ambitu tenuiſſime circumſerrata, ſemper virentia. Ex horum medio (cum ætatem & vigorem conquiſiverint) brachia craſſa, ſenſim gracileſcentia, ramoſa, aliiſque minoribus *foliis* obſepta, *flores* ſtellatos ſeu radiatos luteos, denis petalis conſtantes, ac umbilico tenus tenuiter ſtamineos proferunt; quibus *ſemen* exile, nigrum, *corniculis* conjunctis latens, ſuccedit. Frigoris impatiens eſt. Menſibus æſtivalibus quam facillime pangendo incrementum fit. *Vid. icon. tab. æn. 6.*

In Græcia, *ut in* Zacyntho, Cephalenia, Corcyra, *in locis montoſis & argilloſis, ſponte naſci ſcribit* Anguillara. Dioſcorides *etiam idem teſtatur. In fictilibus, ornamenti gratia, hortis* Europeis *ſervatur.*

Non prætermittenda eſt elegantiſſima ac ſpecioſiſſima hujus varietas, quam alit hortus Illuſtriſſimi atque Honoratiſſimi Ducis *Beaufortenſis*, in agro *Gloceſtrenſi.* Hæc autem in cujuſque *folii marginibus, lineas albas ſatis latas & conſpicuas decurrentes, tinctura rubedinis commixtas* demonſtrant.

2. Sedum *roſeum Canaricum latifolium humilius foliis inflexis, molli hirſutie pubeſcentibus, Corozone celio Inſulanis dictum.* An *Sedum maximum arboreſcens latifol. flore flavo, Cap. Bon. Spei, D. ten Rhyne, Breyn. Cent* 1 ? Specioſum hoc *Sedum*, è *ſeminibus* pulverulentis, ruſeſcentibus, *Canaricis* ortum, *folia* habet è *radice* fibrata, plurima, in orbem expanſa, è rubris viridia ut pedalem circumferentiam impleant, pinguia & carnoſa, tenera, molli hirſute argentea utrinque obducta, quæ ad oras eleganter eſt conſpicua. Unumquodque *folium* anguſtiam compreſſam, ad digiti humani longitudinem, obtinet, unde in biuncialem aut ampliorem latitudinem ſeſe extendit, circumſcriptione ſubrotunda *(mucrone* vero parvo, medio exeunte*)* ut cochlearis figuram cum manubrio ſuo compreſſo, quodammodo referat. Ex conſimilibus foliis, gradatim vero ad medium minoribus & contractis, roſacea componitur forma, quæ cum cavitate ſua umbilicata, *Roſam Provincialem flatam* non inepte æmulatur. Tertius eſt abhinc præteritus annus, ex quo primum accepimus, quo ſpatio parum cauleſcit; *floreſque* nondum protulit; proinde excuſatum me habeat Lector, ſi propter alium colorem ei ineſſe deprehenſum alium quoque locum in hoc capitulo huic plantæ aſſignaverim. Frigoris omnino impatiens, hypocauſto conſervatur.

3. Sedum *luteum majus Canaricum humile foliis repanſis imbricatim diſpoſitis, marginibus pilis argenteis fimbriatis.* Humi circulariter diſpoſita ſunt hujus *folia* craſſa & carnoſa, mollia, longa, ad extremitatem dilatata, & obtuſa, in mucronem vero (in medio) abeuntia, utrinque glabra, ad oras *pilis* hiſpidis argenteis eleganter fimbriata. Hæc è medio confertim naſcentia, minora ſunt & breviora, repanſa, & è centro in orbem tumeſcentia, reflexa, ſibi invicem imbricatim, tegularum in tectis ædificiorum inſtar, arcte incumbunt. Ex horum medietate aſſurgit *caulis* rectus iſque in hypocauſto horti Regii *Hamptonienſis*, quo adſervatur, & ubi præternaturalem altitudinem forte aſſequitur, cubitalis, foliis brevioribus inordinatim ſparſimque amictus, in plurimos ramuſculos in ſuperiore parte diſtributus. Quilibet enim ramulus *flores* plurimos flaveſcentes, unguis humani latitudine, ex ſeptenis, octonis, & nonnunquam ex nonis petalis conflatos, totidemque in medio ſtaminibus, radiatim diſpoſitos, gerit; quibus fatiſcentibus, *filiculæ* plurimæ, *ſemina* exigua, fuſca, aliorum hujus familiæ in modum continentes ſuccedunt.

4. Sedum *luteum murale ſpicatum folio umbilicato rotundo, Nobis. Cotyledon major, C. B. P. Umbilicus Veneris, Matth. Lob. Tab. Ger. Cotyledon ſive Umbilicus Veneris, Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Cotyledon vera radice tuberoſa, J. B. Radix* ei tuberoſa eſt, *nucis Avellanæ* magnitudinem æquans, alba, exiguis *fibris* exinde demiſſis. *Folia* petiolis propriis biuncialibus inſidentia, uncialis & biuncialis latitudinis, rotunda, ſpiſſa, carnoſa, & ſuccu-

lenta, crenata, viridia, umbilicata ſeu à pediculo aut centro non laciniata, integra, (quod in paucis appa-

ret)

ret) conſpiciuntur. *Caules* nunc ſimplices, nunc ramoſi, palmares & dodrantales, menſibus Aprili & Maio eriguntur, iiſque in inferiore parte adnaſcuntur foliola minora, ad prædictum modum vix umbilicata, ſed ad pediculum diviſa; & *flores* crebrius diſpoſiti, ſpicam conſtituentes, *Unedonis* pene ritu, integri, oblongi, ore quinquefariam modice diviſi, ex viridi colore luteoli, penduli, ipſis adhærent. Iſti autem non decidunt, ſed temporis decurſu in *corniculis* quinis ſimul junctis (in quibus *ſemina* minuta *Sedorum* ritu continentur) includuntur. In hoc præſertim ab aliis differt, quod *ſiliquæ* ſeu *capſulæ ſeminales* non nudæ appareant, ſed flore marceſcente tectæ ſint; quo aperto facile ſe *Sedum* eſſe declarat. *V. icon. tab. æn.* 10.

Murorum vetuſtorum rimis & parietibus gaudet. Aprili & Maio menſibus floret; poſtea folia marceſcunt, & caules floribus exſiccatis per totum annum derelinquunt.

5. Sedum *luteum umbilicatum ſpicatum radice repente majus, Nobis. Cotyledon radice tuberoſa longa repente, D. Moriſ. Prælud. Bot. Cotyledon flore luteo, radice repente majus, Dodart. Mem.* *Radices* ei ſunt nodoſæ, ſed non tuberoſæ, ſimplices, ut in proxime antecedenti, ſed longitudinaliter porrectæ & ſub terra repentes. *Folia* prima (attamen pauca) umbilicata ſunt, reliqua pediculo fiſſa. *Florum* confimilium ſurſum ſpectantium ſpica altius aſſurgit, & molleo colore ſeu luteo ſaturatiore tinctam ſe oſtendit. E medio flore exoriuntur quinque *theculæ* ſeu ſiliquæ anguſtæ, rectæ, viridantes, *ſeminibus* minutiſſimis rubentibus repletæ, *ſtaminaque* quinque circumſtant. *V. icon. tab. æn.* 6.

Non adeo mature ac præcedens, ſed Junio & Julio menſibus floret.

6. Sedum *minus luteum folio acuto, C. B. P. Sedum minus flore luteo, J. B. Sedum minus hæmatoides, Ger. Tab. Sempervivum minus primum, Dod. Aizoon hæmatoides, Lob. icon. An Sedum minus quintum, Cluſ. Hiſt?* *Caulículi* tenues & flexuoſi, carnoſi tamen, procumbentes, *fibras* pro radiculis agentes, *foliis* plurimis, inordinatim & crebro diſpoſitis, unciam pene longis, teretibus fere, anguſtis, & acutis, è viridibus glaucis, ſurſum ſpectantibus, veſtiuntur. *Caules* ipſi, qui *flores* gerunt, dodrantales & pedales ſunt, foliis paucioribus onuſti. *Flores* umbellatim, aut potius corymbatim digeſti, parvi, lutei ſunt, & ſex *petalis* radiati, *calycibus* etiam herbaceis, totidem acuminibus diviſis, ſubjectis. *Semina* in *corniculis* plurimis diviſis conduntur, pulverulenta, uti in cæteris hujus familiæ.

In muris & tectorum imbricamentis frequens occurrit, & per totum annum viret.

7. Sedum *minus luteum ramulis reflexis, C. B. P. Minus luteum flore ſe circumflectente, J. B. Aizoon ſcorpioides, Lob. Ger. Sedum minus* 4. *Cluſ. Hiſt. Vermicularis ſcorpioides, Park.* Proxime antecedenti affine eſt: *petioli* vero *flores* gerentes, *Scorpiuri* in modum, in ſe convoluti & reflexi ſunt; alias diſcrimen non agnoſcitur. *Vid. icon. tab. æn.* 6.

8. Sedum *longifolium citrino flore, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Solo *floris citrino colore* differt; & idcirco potius varietas quam diſtincta eſſe ſpecies exiſtimatur.

Frequenter reperitur in rupibus ſaxoſis, ad dextram viæ communis, eundo Bleſis *in oppidum* Pictonum caput, *vix milliare ab oppido diſtantibus.* D. Moriſ.

9. Sedum *minus luteum foliis acutis denſius ſtipatis, & caulibus rubeſcentibus, Nobis. Sedum minus è rupe Sancti Vincentii, D. Raii.* Hoc *Sedi* genus floribus modoque creſcendi, à prioribus haud multum abludit; *caules* vero tenuiores, breviores, & imbecilliores, humum petentes, qui & *foliis* minoribus, acutis, crebrius amicti ſunt; totaque planta frequenter omnino rubeſcit.

In rupe Sancti Vincentii *prope* Briſtoliam *urbem reperitur.*

10. Sedum *minus lato & craſſo caule Portlandicum Belgarum, H. L. B. Hort. Reg. Pariſ. A Lobelio in Adverſariis* memoratur hoc, quod humile eſt, *foliis* anguſtis, præcedentium vero latioribus, *cauli* craſſo, lato & faſciato, denſe coaleſcentibus & cohærentibus, donatum.

11. Sedum *Africanum umbellatum flore flaveſcente glabrum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 314. *Fig.* 2. *Sedis* hujus ſeriei præcedentibus hoc majus videtur, è *foliis* anguſtis & acutis, binatim, *cauliculo* erecto innaſcentibus, compoſitum. Plurimi *floſculi*, pentapetali, flaveſcentis coloris, totidemque *ſtaminulis* exeuntibus, umbellatim, aut à petiolis brevibus corymbatim diſpoſiti, ſummum *caulem* occupant.

12. Sedum *parvum acre flore luteo, J. B. Sempervivum minus vermiculatum acre, C. B. P. Illecebra minor acris, Ger. Sempervivum minimum ſive Illecebra, Lob. Sedum minus cauſticum, Cluſ. Hiſt. Eyſt. Aizoon minus fervidi guſtus, Thal.* *Radiculæ* capillares, numeroſos *ſurculos*, & ſucculentos promunt *ramulos*, pulpoſis, oblongiuſculis, puſillis *foliolis* arcte opertos. Summitates *floſculi* obſident plurimi, quinis exilibus *petalis* luteis, atque concoloribus aliquot *ſtaminulis* præditi, *Semina* adeo exigua ſunt ut potiore jure pulviſculos eſſe dixeris. Tota planta cauſtici ſaporis eſt. *V. icon. tab. æn.* 6.

Locis ficcioribus, muris & tectis, toto anno virens, & Junio florens, frequens occurrit.

13. Sedum *minimum luteum non acre, J. B. Sempervivum minus vermiculatum inſipidum, C. B. P. Sedum minus ſive vermicularis inſipida, Eyſt. Tenuibus* tantum & *magis teretibus foliis, à caule verſis, guſtu inſipidis,* (quoad cætera ſimile) à congeneribus diſcrepat.

14. Sedum *montanum perpuſillum luteum, Park. Lob. Illuſt.* Tota planta biuncialem altitudinem vix excedit, & in plurima *capitula*, humi ſparſa, ſe dividit, eaque ex *foliolis* admodum exilibus, muſcoidibus, denſe ſtipatis, compoſita; in quorum unoquoque *flos* unicus, *cauliculo* breviuſculo & *calyce* ſatis amplo viridi donatus inſidet.

Parkinſonus capſulas ſeminales non exprimit, ob quem defectum tanquam huic loco proprium afferere non auſim.

15. Sedum *minus teretifolium luteum, C. B. P. Sedum minus æſtivum luteum, J. B. Sempervivum minus æſtivum, Lob. Lugd. Aizoon medium, Thal.* E *radice* tenui & inutili aſſurgit *caulis* palmaris, erectus, varie divaricatus, *foliis* oblongis, ſpiſſis, teretibus, inordinatim veſtitus. *Flores* ex *alis* proveniunt, ſtellati, lutei, quibus *ſiliquæ* ſuccenturiantur plurimæ corniculatæ, *ſeminibus* pulveri æqualibus confertæ. *Annua eſt planta. V. icon. tab. æn.* 6.

16. Sedum *echinatum flore luteo, J. B. Chab. Folia* ad *Portulacæ* accedunt, ſed minora, è quorum ſupremorum *alis flores* exeunt lutei, ſtellati, qui *capſulas* ſtellatas ſeu radiatas relinquunt. *V. icon. tab. æn.* 6.

Circa portum Veneris *& alibi in* Italia *reperitur.* Raii Hiſt.

17. Sedum

17. Sedum *Africanum annuum Centaurii minoris facie, flore aureo, Hort. Lugd. Bat.* Altitudinem palmi vix attingit hæc Planta, figens *radiculam* tenuem, fibroſam, albam; ex qua aſſurgit *cauliculus* ſimplex, rotundus, pallide vireſcens, ad ſummitates ramoſus. Huic per intervalla adſtant *folia* craſſiuſcula, ſucculenta, bina ex adverſo, *Centaurii minoris* nonnihil ſimilia. Ramorum ſummitates ſuſtinent *perianthium* quinque-folium, quod dehiſcens excludit *florem* pentapetalum, *ſtellæ* inſtar expanſum, foris purpuraſcentem, intus aureum, *ſtaminulis* in medio apiculatis flaveſcentibus, ſinguliſque petalis ad fundum macula cordiformi ſanguinea inſcriptis. *Hermanni.*

Seda multicapſularia floribus albis.

18. Sedum *majus vulgari ſimile, globulis decidentibus, Nobis. Sedum vulgari magno ſimile, J. B.* *Folia* plurima anguſta, ſpiſſa, mucronata, è viridibus rubeſcentia, *Vulgaris majoris* pene in modum, ſed minora, roſacea ſpecie in unum caput imbricatim conjiciuntur. Inter iſthæc *globuli* parvi, è *foliolis* exiguis compacti egerminant, & deinde ſponte decidunt & à matre ſe evolventes, in terram *radices* fibratas agunt, creſcunt, & copioſa luxurie ſe propagant. *Caulis* è fortiſſimorum capitum medio aſſurgens, dodrantalis eſt & ſucculentus, *foliis* ſine ordine amictus. Hic in ſummo ſe dividit, & *flores* ſtellatos, è viridibus albicantes, promit, ſex *petalis* conſtantes. *Semina* exilia in *vaſculis* corniculiſve disjunctis conduntur. *V. icon. tab. an. 7.*

19. Sedum *majus montanum dentatis foliis, C. B. P. Cotyledon altera ſecunda, Cluſ. Hiſt. An Sedum latifolium floribus magnis albicantibus, J. B.*? Pinguia, craſſa, numeroſaque habet *folia*, circa *radicem* denſa, vulgaris ſimilia, minora tamen, & in ambitu leviter dentata; inter quæ multa in ambitu capita exoriuntur, longis pediculis inhærentia. Ex ipſius matris umbilico emergit *caulis* dodrantalis, folioſus, rectus, ferens in ramulis *flores* albicantes magnos, ſex *petalis* conſtantes. *Siliquis* & *ſeminibus* cum aliis congeneribus convenit.

Frequens eſt in omnibus jugis urbi Viennæ *vicinis, atque in* Auſtriacis Stiriaciſque *Alpibus. Julio menſe floret.*

20. Sedum *majus montanum dentatis foliis alterum, C. B. P. Cotyledonis alterius altera ſpecies, Cluſ. Hiſt.* Illis ipſis locis invenit *Cluſius* hoc aliud genus quibus & prius, præcedenti valde ſimile, per omnia tamen minus, & cujus etiam *folia* magis ſunt dentata.

21. Sedum *Africanum umbellatum album, Hort. Lugd. Bat. Sedum Africanum umbellatum album foliis Gentianæ cruciatæ anguſtioribus.* Exilem, fibroſam, albam, habet *radicem; caules* complures, ramoſos, ſuccoſos, ſpithama altiores; *folia* viridia, anguſta, mucronata, *caulem* ab imo ad ſummum uſque cruciato poſitu, velut in *Gentiana* ambientia; *flores* albos pentapetalos, quaſi in muſcario ſeu umbella diſpoſitos; *ſemina* exigua in *ſiliculis* quinis invicem junctis.

22. Sedum *Africanum umbellatum majus foliis hirſutie fimbriatis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 314. *Fig.* 3. Huic crebrius diſpoſita, ut contigua ſint, *folia Sedorum* ritu pinguia, pollicem plus minus longa, anguſta, mucronata, hirſutie pubeſcentia, quæ *caulem* dodrantalem, vaginæ ad inſtar, lata ſua baſi amplectuntur, totumque ad ſummum operiunt. E foliorum ſinubus *ramuſculus* unus aut alter emergit. *Flores* denſum thyrſum in ſummitatibus conficiunt, color vero non exprimitur.

Quantum ex tenui radice conjicere licet, annua videtur planta.

23. Sedum *minus teretifolium album, C. B. P. Sedum minus officinarum, Ger. Sedum minus* 1. *Cluſ. Hiſt. Vermicularis flore albo, Cam. Park. Sedum minus folio teretı longiuſculo, flore albo, J. B.* Vermiculari huic nomen fecerunt *folia*, quæ pinguibus caſeorum putreſcentium *vermibus* ſunt ſimillima, alternatim in *caulibus* ſpithameis & dodrantalibus diſpoſita, atrovirentia, vel punctis crebris guttata. *Flores* conferti velut in umbella, ſtellati, *petalis* quinque conſtantes, interne albis, *apicibus* multis atropurpureis *umbilicum* conoidem, albidum, circumſtantibus. *Radix* tenuis, fibroſa. *Semen* exiguum corniculis plurimis ſervatur. *V. icon. tab. an. 7.*

Locis ſaxoſis & aſperis, muris & tectis non infrequens eſt. Junio & Julio menſibus floret.

24. Sedum *minus teretifolium alterum, C. B. P. J. B. Medium teretifolium, Ger. Sedum minus* 2. *Cluſ. Hiſt. Folia* præcedentis pene ſimilia ſunt, ſed frequentiora & denſius in *caule* ſtipata. Planta eſt in muris & maceriis naſcens, ſed priore minus frequens, humi procumbens, & fibras agens, *An a ſolo ubi naſcitur oritur differentia?*

25. Sedum *teretifolium majus flore albo, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Hujus *folia* teretia ſunt & acuta, foliis ſeptimi *Sedi* ante explicati ſimillima, à quo ſolo *floris colore* differt.

Circa Rupellam, *frequens ſatis in tectis & ſummitatibus murorum, reperitur.*

26. Sedum *petræum teretifolium Virginianum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 223. *Fig.* 2. Parvum & elegans hoc *Sedum* palmare & dodrantale, quod à *D. Jo. Baniſter* delineatum, è *Virginia* tranſmiſſum eſt, *folia* habet unciam longa, anguſtiſſima, teretia & acuta, cæterorum rarius diſpoſita. *Caulis* ab his erigitur biuncialis aut triuncialis, qui in paucos *flores*, paucioreſque *petiolos, umbellam* mentientes, terminatur.

27. Sedum *medium flore albo, ſtaminibus luteos apices geſtantibus, Raii. Itin. Sedum minus Narbonenſe glaucum ramulis inflexis flore albo, ſtaminibus luteis, Sobol. Bot. Par.* Titulus plantam ſatis indicat.

In muris quibuſdam prope Meſſanam Siciliæ *legitur.*

28. Sedi *minoris albi Monſpeſſulana ſpecies major folio acuto, J. B. Sedum* quoddam eſt ſatis magnum, *caulibus* craſſiuſculis, frequentibus, ex una *radice* ſuboleſcentibus, quos *folia* veſtiunt, *Sedi minoris mari Fuchſii flore luteo* foliis ſimilia, ſed majora, craſſiora, longioraque, in acumen deſinentia. *Foribus* comatur *albis.*

Parietibus hæret paſſim Monſpelienſibus & Nemauſenſibus. *Floret loco natali, menſe Julio.*

29. Sedum *Alpinum gramineo folio, lacteo flore, C. B. P. Sedum Alpinum quintum, Cluſ. Pan. Minus undecimum Alpinum, Eid. Hiſt. Phyllo Dalechampii aliquatenus ſimile, J. B.* 694. *Folia* graminis modo anguſta, dura, viridia, levia, ſubacidi initio ſaporis, deinde ingrati. Unicus aut alter inter folia erumpit *cauliculus* levis, gracilis, junceus, trium fere unciarum longitudinis, raro major, in quo unicus, interdum bini ſunt *floſculi*, ſatis ampli, candidi, medio lutei, quinque foliolis, *cordis*, ut vulgo pingitur, formam referentibus præditi.

In Sneberg & *vicinis jugis ſerpit. Sub finem menſis Junii & Julio floret.*

30. Sedum *montanum minimum Caryophylli foliis, lacteo flore, Raii. An Sedum muſcoſum, J. B?* Denſo ceſpite terram operit. *Folia* habet graminea, anguſta, acuta, glauca, non piloſa, neque craſſa, *Caryophyllorum* ſimilia, ſed multis numeris minora, & pro magnitudine etiam breviora, confertiſſima; è quorum medio exſilit *cauliculus*, vix duos digitos tranſverſos altus, obſcure rubeſcens, villoſus, brevibus & rubentibus *foliolis* veſtitus, unum & alterum in ſummitate *florem* geſtans candidum, è quinque *foliolis* rotundiuſculis, tenellis, compoſitum, cum *ſtaminulis* in medio luteis.

In montibus non longe à Bolzano, *ſupra* Tridentum, *Martio menſe florens*, D. Raius *invenit, & deſcriptionem ſupra poſitam dedit.*

31. Sedum *Norvegicum minus, Lob. Illuſt.* Hoc *floſculis* è quinis *foliolis* conflatis candicantibus, totidemque medio centro teretibus, oblongis, ordinate æquali ſpatio cinctis, grani *Milii ſolis* minoribus, nonnullis candicantibus (uti & *flos*) aut rubentibus donatur. *Folia* teretia, craſſa, *Illecebræ* foliis majora. *Cauliculi* palmares, aut ſeſquipalmares ſunt, numeroſiſſimi, & *foliolis* confertiſſimis petras amicientes.

Maritimis ſaxis Norvegiæ *naſcitur.*

32. Sedum *Alpinum album foliolis compactis, C. B. P. Sedum Alpinum minimum foliis cinereis, flore candido, J. B. Sedum minus 9. Cluſ. Hiſt. 3. Pan.* Compactis & ſibi invicem incumbentibus eſt *foliolis*, valde exiguis, craſſis, cinerei coloris, ad cœruleum quodammodo tendentis, ut tota planta (quæ acidi eſt ſaporis) nihil fere niſi *Muſcus* quidam videatur. *Pedicelli* è medio foliorum exſiliunt, duas pene uncias longi, graciles, juncei, in quibus terni plerunque *floſculi* quinque *foliolis* conſtantes, candidi coloris, cum aliquot intus luteis *ſtaminulis.* Cum in *ſemen* abeunt flores, *cauliculi* aliquantulum excreſcunt. Mirum in modum propaginibus ſerpit & *radices* agit, integros ceſpites, cujuſdam *Muſci* inſtar, interdum occupans.

Præruptis Snealben *jugi locis, & in* Sneberg *inter ſaxa, reperitur; in monte* Fracto *etiam invenitur, Teſte* Geſnero. *Julio & Auguſto menſibus floret.*

33. Sedum *Alpinum hirſutum lacteo flore, C. B. P. Chamæjaſme Alpina, J. B. T. 3. App. Sedum Alpinum 4. Cluſ. Pan. Decimum ſive Alpinum quartum, Eid. Hiſt. Jaſme montana, Lugd.* *Folia* ſemunciam præterpropter longa, latiuſcula, candida lanugine obſita, à centro naſcentia, in *roſam* expanduntur. Ad uncialem, nonnunquam ampliorem intercapedinem, altera *foliorum* ſeries & aliquando etiam *tertia* adnaſcitur, & *cauliculis* gracilibus ſe propagat; atque è medio foliorum hirſutum *pediculum* profert, biuncialis longitudinis, in quo quaterni & ſeni, velut in *umbella* diſpoſiti, ſunt candidi *flores*, è quinque *petalis* latiuſculis, obtuſis, compoſiti, umbilico luteo in medio eleganter notati. *Flos* dum recens *Jaſmini odorem* ſpirat, unde *Chamæjaſme, J. B. Vid. icon. tab. æn. 7.*

In Sneberg *& vicinis jugis invenit* Cluſius. Jo. Bauhinus *inter veniendum* Tiguro Burmium *reperit.*

34. Sedum *minimum non acre flore albo, Raii.* Planta hæc parva, annua, biuncialis, *Sedo parvo acri flore luteo* ſive *Illecebræ, foliolis* ſuis crebrius diſpoſitis, nonnihil ſimilis eſt; ea tamen breviora, & ſpiſſiora, frigidi & inſipidi ſaporis, ſunt. *Flores* quoque minores, ſtellati, ex quinis *petalis* conflati, in ſummitatibus conferti, albi. *Siliculæ* plurimæ disjunctæ *ſemina* minutiſſima continent, quibus decidentibus quotannis renovatur.

In montibus borealibus noſtris, Weſtmorlandicis, *& aliis, præſertim juxta lacum* Winandermere *dictum, ſponte provenit; unde D.* Tho. Lawſon *tranſmiſit.*

In ſterilioribus etiam Suffolciæ locis, *inter* Yarmouth & Dunwich *oppida, copioſe naſcens invenitur.*

35. Sedum *minus folio circinato, C. B. P. Sedum parvum folio circinato, Chab. Folio circinato, flore albo, J. B. Aizoon daſyphyllum, id eſt denſifolium, Lugd. Sedum minimum frigidum, Cluſ. Pan. Minus ſeptimum, Cluſ. Hiſt.* *Radice* eſt brevi, capillata, & pallida, gracili, in exigua terra, & parietum cæmento hæreſcente; *ramulis* plurimis, quatuor digitos altis, perquam ſpiſſe congeſtis, *foliis* numeroſis, craſſis, latiuſculis, pene rotundis, tumidis & cordiformibus, glaucis, guſtu fatuo, veſtitis. *Flores* in virgis tenuibus, ſtellati, è ſex *petalis* conflati, numeroſi, candidi. E *ſemine* exiguo, pallido, deciduo, quotannis renaſcitur. *V. icon. tab. æn. 7.*

In rupibus veteribuſque muris Hiſpaniæ, Luſitaniæ, & Galliæ Narbonenſis, *præſertim* Monſpelii, *paſſim occurrit.*

36. Sedum *echinatum vel ſtellatum flore albo, J. B. Chab. Aizoon peregrinum, Cam.* E *radice* fibrata *caulis* unus vel plures prodeunt ſpithamei, pingues, ſupini, teretes, ſæpe ſimplices, non tamen facile fragiles. *Folia Portulacæ* ſimilia, ſubacida, carnoſa, & ſucculenta, viridia, extrema ora, quæ latior etiam eſt, ſerrata ſunt. *Folia* inferiora caulibus excreſcentibus exſiccantur & corrugantur. *Caulibus* ex certis intervallis ad latus adnaſcuntur *flores* ſtellati, *Sedi* ſimiles, quinquepartiti, albi; *apicibus* purpuraſcentibus quinque foliis acuminatis, teretibus, viridantibus, totum florem obvallantibus. *Capſulæ* ſtellatæ ſuccedunt, ex *radiis* quinque ut plurimum, rarius ſex, compreſſis, conſtituti, *ſemen* continentes minutum *Aizoi vulgaris.*

Montbelgardi, *hyeme virens, Junio menſe vigens, Julioque florens*, J. Bauh. *obſervavit.*

37. Sedum *annuum album oblongo Portulacæ minoris folio, Nobis. Cepæa Matthioli, C. B. P. Cluſ. Hiſt. Adv. Lob. Caſ. Tab. Cepæa, J. B.* Spargit per terram *folia* ſucculenta, *Portulacæ* ſimilia, minora, ex oblongis rotunda. *Cauliculum* exſerit dodrantalem, in terram procumbentem, atque in multos ramos fiſſum, cui ad ſingulas alas adnaſcuntur *folia* præcedentis ſimilia, anguſtiora, ex oblongis per extremitatem ſubrotunda. *Flores* in caulibus à medio tenues, ex uncialibus pediculis plures congeſti, ſuis tamen petiolis minoribus nixi, parvi, albicantes, pentapetali cernuntur; quibus ſuccedunt tenuia ut in *Craſſulis* capitula, exilis ſcobis inſtar, *ſemine* plena. *Annua* autem eſt, ſingulis annis deciduo *ſemine* ſponte reſurgens. *V. icon. tab. æn. 7.*

In Valentia, *& circa* Genevam, & Monſpelium, *in litoribus arenoſis, ſponte naſci dicitur.*

38. Sedum *Aparines facie Tauromenitanum, D. Raii Itin. Radix* huic parva, fibroſa. *Folia* prima ſeu ad *radicem* ſubrotunda, denſo ceſpite terram operiunt, & nonnihil ſimilia ſunt illis *Fœniculi aquatici ſtellati* quæ ſummis aquis innatant. *Caulis* teres ſubhirſutus, quem ad intervalla ambiunt *folia Aparines* foliis non diſſimilia, eodemque modo circa caulem ad genicula ſtellatim ſita, excepto quod in hac planta non plura quatuor obſervata ſunt folia ad eundem nodum. Hinc emergunt racemuli *floſculorum* hexapetalorum è rubro albicantium, *ſtellæ* in modum expanſorum. In ſummis *caulibus* non inveniuntur illæ foliorum corollæ, verum è ſingulorum foliorum ſinubus ſinguli *florum* racemuli exeuntes, caulem conſcendunt. Florum *petala* per-anguſta in acutam *ſpinulam* deſinunt. *R.*

Seda multicapſularia floribus purpuraſcentibus.

39. Sedum *Africanum fruteſcens incanum foliis orbiculatis, Hort. Lugd. Bat. Sedum Afric. arboreſcens majus foliis ſubrotundis incanis, Stapelii. Sedum arboreſcens Promon. Bon. ſpei, Bod. à Stapel.* 335. *Sedum Afric. fruteſcens alterum foliis rotundioribus glaucis limbo purpureo cinctis, Breyn.* In locis maritimis aridis glareoſis ad *Promontorium Bonæ ſpei* fruticis altitudine aſſurgit, *radice* præditum ſuccoſa, longa, brachiata, robuſta, rufeſcente, nonnunquam albida, frequentes *fibras* emittente; *caudice* pollicem craſſo, ramoſo, in viridi caneſcente, qui parte inferna cingitur *foliis*, denſiſſimo ſtipatu abſque petiolis congeſtis, orbiculatis, craſſis, ſucculentis, aliquando volæ manus amplitudine, glaucis, ambitu nunc rubente, nunc palleſcente; parte vero ſuperiori nudo, in tenue geniculum protuberans, quo mediante divaricatur in aliquot *ramulos* digitales & palmares, quibus ex *calyce* quinquefoliato dependent *flores* oblongi, pentanguli, quinque rubentibus ſeu incarnatis *petalis*, oris ſurſum reflexis, cum totidem è medio ſeſe exſerentibus *ſtaminibus* apiculatis flaveſcentibus, conſtructi. His evanidis, ſuccedunt more congenerum quinque *ſiliculæ corniculatæ* oblongæ, preſſius invicem junctæ, includentes *ſemina* exigua, ruſſa. De facili propagatur ramulis abſciſſis & aridiori ſolo impactis. *Hermannus.*

40. Sedum *Africanum teretifolium flore Hemerocallidis. Folia* digiti humani craſſitie & longitudine, recta, teretia, carnoſa, ſucculenta & obtuſa apparent, foramine parvo per medium decurrente. Horum decem plus minus ex eodem citra exortu *caulem* pinguem ambiunt, qui in pedalem altitudinem, in *alas* paucas divaricatus, ſe erigit. *Flores* è ſupremis petiolis & calycibus pentangularibus, uti in præcedenti, dependent longi, quinis *petalis* anguſtis, *Hemerocallidis* ſeu *Lilii Martagon* dicti in modum reflexis, conſtantes, colore elegantiſſimo, è phœniceo pallidiore in phæniceum ſaturatiorem vergente, tincti, numeroſis *ſtaminulis* longis apiculatis, è medio etiam, eleganti ſpectaculo, emergentibus.

Hoc cum plurimis aliis raris, pulcherrime depictis, ex Africa *tranſmiſſis, in Codice Reverendiſſimi Patris & Honoratiſſimi* D. D. Compton *Epiſc.* Londinenſis *obſervatu dignum eſt.*

41. Sedum *majus vulgare, C. B. P. J. B. Sempervivum majus, Matth. Ger. Sedum vulgare, Eyſt. Sempervivum majus alterum ſive Jovis barba, Dod. Aizoon majus, Lugd. Cum Radices* craſſiuſculæ, flexuoſæ, multos lateralium germinum orbes, frequentibus *foliis* ſucci plenis & mucronatis ſtipatos, fundunt; è quibus tandem per ætatem, pedalis *caulis*, foliis gracilioribus obſeſſus, verticem ramoſum, *floribus* radiatis purpuraſcentibus decoratum effert. *Semina* meditullii cornicula coagmentata ferunt, ſcobem, aliorum inſtar, referentia. *V. icon. tab. æn.* 7.

Parietibus & tectorum imbricamentis vulgo ſeritur, omnibuſque gentibus notum. Et hyeme & æſtate viget; locis vero magis ſoli expoſitis rubeſcit. Poſt ſolſtitium floret.

42. Sedum *vulgare maximum, Hort. Lugd. Bat. Schol. Bot. Par.* A *Sedo vulgari* jam dicto varietas hæc promota videtur; à quo, magnitudine excepta, non diſcrepat.

43. Sedum *Alpinum rubro magno flore, C. B. P. Aizoon montanum, Lugd.* In editiſſimis Alpibus provenit hoc Sedum *foliis* multis circa *radicem* humi ſtratis, paucis in caule alternatim diſpoſitis; *caule* tres digitos alto; *flore* odorato in medio luteo, rubris & radiatis foliolis ſtellato; quorum infima pars capitulo luteo vicina *alba linea* notatur. *Hiſt. Lugd.* 1131.

44. Sedum *montanum tomentoſum, C. B. P. Sempervivum rubrum montanum gnaphaloides, Col. Sedum rubrum tomentoſum, Park.* Singula hujus *folia*, dum planta ſine caule eſt, Vere ineunte, ad invicem tomentoſa *lanugine* contexuntur: apices enim foliorum relictis foliis intermediis, tenuiſſimis denſiſque *ſtaminibus* veluti *araneis* intercepti ſemper angulos efformant; totaque foliorum ſuperficies operitur innumeris figuris trigonis, tetragonis, pentagonis, & hexagonis ita interſectis ad invicem, ut ex quolibet extremi folii apice efformentur. Autumno & hyeme antequam *caulem* edat, incanum eſt aut cinereum, nec *folia* conjuncta *tomento* aut *araneæ* ſunt, ſed aperta & disjuncta, ut in vulgari. *Caulis* è medio aſſurgit palmaris & dodrantalis, ſpiſſus, *foliis* oblongis, mucronatis, lanuginoſis, tectus, in ſummo in ramuſculos diviſus; quibus *flores* magni rubentes, roſeo ſaturo colore ſtellati, in decem radios ſecti, cum totidem apicibus medium fructum habentibus; *ſtaminibus* vero circa illum viginti, quorum cacumen luteum, minutum eſt. *Calycem* habent dilutiorem, ſubtus hirſutum, totidemque oris diviſum. *V. icon. tab. æn.* 8.

Julio menſe floret & Auguſto perficitur. In Æquicolorum *montibus & jugis altiſſimis nudis ſaxoſis, meridiei expoſitis, ſupra montem* Flaminianum Le Serrone *vulgo dictum, ſupercilium ſci. appellatum*, Cl. Fab. Col. *eruit.*

45. Sedum *montanum tomentoſum foliorum apiculis purpuraſcentibus, Schol. Bot. Par.* A præcedente ſolum variat.

46. Sedum *procumbens rotundifolium glaucum purpuraſcentibus floribus, Nobis. Telephium ſemper virens, Ger. Telephium repens folio non deciduo, C. B. P. Anacampſeros minor rotundiore folio ſemper virens, J. B. Telephium minus repens ſive Cepæa Panſii, Park. Telephium tertium, Dod. Telephium 6. Cepæa Pancii, Cluſ. Hiſt. Telephii* notæ ſunt *radices nodoſæ, caules foliaque hyeme decidentia*; cum vero planta de qua ſermo eſt his deſtituatur, ad *ſedi* familiam aptius referri poſſe judicavimus. Tenues ejus *cauliculi* plurima ex parte humi procumbunt, rotundis *foliolis* carnoſis, è viridi colore palleſcentibus & cæruleoglaucis, incerto ordine, crebrius diſpoſitis, amicti. *Floſculi* ſumma faſtigia occupantes, purpuraſcentes, confertim naſcentes, corymbum conſtituunt. *Semen* exiguum, quale & in aliis. Recte obſervat *Cluſius*, quod nulla hyemis injuria offendatur, ſed brumam & pruinas contemnens, perpetuo in ſuo vigore & viriditate permaneat *Vid. icon. tab. æn.* 8.

47. Sedum *arvenſe flore rubente, C. B. P. & Prod. Radice* eſt lignoſa, *fibris* capillata; *cauliculis* aliquot palmaribus, rotundis, rugoſo rufeſcente cortice tectis, qui in ternos, quandoque plures ramulos (quorum aliqui recurvantur) dividuntur. Hos *folia* longiuſcula, anguſta, ſucculenta, ſine ordine ambiunt. Ramulis ſuperioribus *flores* plures, *vulgaris Sedi* ſimiles, ſed rubentes, inſident, *ſemenque* vulgaris ſimile ſuccedit.

Hoc non longe ab urbe Baſilea *in agris* Huningenſibus, *autumno jam exſiccatum reperitur; quod etiam in agris argilloſis ad* Pyrenæos *montes ſed minus reperitur. C. B.*

48. Sedum *paluſtre ſubbirſutum purpureum, C. B. P. Purpureum pratenſe, J. B. Arvenſe ſive paluſtre flore rubente, Park. Purpureum pratenſe, Ger. Paluſtre flore incarnato, Eyſt.* Subrubentes, teneros, ſucci plenos, à *radicula* exili, & crebris ſurculis brevioribus fœcunda, *cauliculos* profert. Hos anguſta, oblonga, & ſubhirſuta *folia* inordinatim ambiunt. Medius *caulis* frequenter ſingularis, palmaris, nonnunquam dodrantalis, erectus, in alas faſtigiatim ſparſus, *floſculis* parvis, ſtellatis, purpuraſcentibus aut carnei coloris, ornatur. Horum meditullia *ſtaminula* coronant, quibus poſtmodum ſeminum *cornicula*, pulviſculis referta, numero correſpondent. *Annua eſt planta. V. icon. tab. æn.* 8.

In Germaniæ *uliginoſis locis variis obſervatur; & ad pedes montium* Angliæ *ſeptentrionalium, ubi aquæ ſcaturiunt, & in pratis humidis ſponte provenit.*

49. Sedum *ſtellatum annuum rotundifolium, Nobis. Cotyledon ſtellata, C. B. P. Portulaca Cretica, Park. Aizoon peregrinum, Cam. Sempervivum tertium, Col. Folia* prima è *radice* fibrata provenientia, ex anguſto principio, petiolum mentiente, unguis humani latitudine, in rotunda terminantur; in capitula tamen roſacea ſimul compacta. Statim è radicula *caules* plures palmares exeunt, foliis, primis longioribus, ſine ordine rarius adhærentibus. E ſummis alis *flores* apparent pallide rubentes, ſtellati, ſeſſiles; quibus *ſemina* exigua, corniculis ſtellatis ſeu radiatim diſpoſitis ſuccedunt; radixque perit. *V. icon. tab. æn.* 7. Huic accedit

50. Sedum *annuum minimum ſtellatum rubrum, D. Magnol.* Hæc parvula eſt planta, uncialis aut biuncialis, raro ramoſa; ut plurimum enim unicum cauliculum habet. *Folia* craſſa & ſubrotunda ſunt, inter quæ *floſculi* albidi oriuntur, ſatis magni pro plantulæ modulo. Iſtis *ſtellulæ* rigidæ, rubræ ſuccedunt; in quibus parvum *ſemen* continetur. *V. icon. tab. æn.* 8.

Annua eſt planta, quam Maio menſe cum flore & ſtellulis Cl. auctor ſæpe invenit in ingreſſu luci Gramuntii *ſub ilicibus, cum muſco.*

Temperamentum & Vires.

De *Sedo majore vulgari* præſertim ſermo eſt.

Refrigerat multum, modice ſiccat & aſtringit. Commendatur in morbis calidis & bilioſis. Exhibetur ſyrupus *ad æſtus febriles temperandos, ſitemque compeſcendum. Syrupo præferatur* Serum Sedi, *quod fit in* Pharmac. Bateana, *ex ſucco cum lactis dupla quantitate cocto.*

Sedum hoc contuſum & capiti, fronti, vel plantis pedum inſtar cataplaſmatis applicatum, ſedat phrenetidem, & ſomnum conciliat; imprimis ſi miſceatur cum lacte muliebri, vel (quod melius) cum ſucco cancrorum fluviat. expreſſo. Ettmull. Succus *addito ſale ammon. vel aqua ex ſucco deſtillata, in quo parum ſalis ammon. diſſolutum eſt, vel ſuccus cancrorum fluviat. cum hoc* Sempervivo *expreſſus, inſigniter convenit in angina, vel quibuſdam faucium, laryngis, vel gulæ inflammationibus. Idem* Ettmull.

Laudatur etiam ad partium harum exaſperationes leniendas eclegma *ex* ſucco, *cum æquali fere portione mellis puriſſimi factum, cui additur parum aluminis uſti,* h. e. *quantum ſapore ejus manifeſto compoſitum imbuit. Remed. familiar.* D. Boyle.

Folia *ambuſtis applicantur; eadem impoſita non modo verrucas & clavos pedum tollunt, ſed etiam ganglia nervorum tendinumque ſolvunt, ac ſenſim imminuunt: Antequam vero imponuntur, eis detrahitur inferius cuticula, & poſtea bis in die,* h. e. *mane & veſperi renovantur.* Ettmull.

Sedum murale folio umbilicato, Umbilicus Veneris, Matth. Ger. Sedis *humidis ac refrigerantibus accedit: leviter aſtringere, refrigerare, repercutere, & abſtergere, aſſerit* Galenus. Succus *auctore* Dioſc. *inflammationibus, ignibus ſacris, ſtrumis, & pernionibus illitu auxiliatur; ſtomachi ardorem mitigat, vino circumlitus inſtillatuſve contecta genitalia nudat.* Folia *cum* radice *comeſa calculoſis proſunt, & urinam cient; facitque herba ad amatoria.*

Sedum minus luteum folio acuto, C. B. P. Sempervivum minus primum, Dod. *Inter acetaria multis in locis recipitur, in quibus & ſapit & palato gratum, necnon æſtuanti ventriculo confert, Teſte* Dodon.

Sedum minus vermiculatum acre, C. B. P. Illecebra minor acris, Ger. *Acris ac vehementer excalefaciens eſt herbula iſta. Foris admota rubificat, veſicas excitat, ac tandem exulcerat. Strumas, inquit* Dioſc. *cum axungia impoſita diſcutit.* Succus *hujus cum aceto vel alio liquore extractus vomitum movet, & craſſos, pituitoſos, ac biliosos humores educit; & ſubinde à quaternis aut aliis diuturnioribus febribus liberat; adverſus venena & hoc modo confert. Inter antiſcorbutica quoque recenſetur.*

Sedum minus terretifolium album, C. B. P. Minus officinarum, Ger. *Præſtat fortaſſis eadem quæ & cæteræ ſuæ ſortis humidæ & refrigerantes Plantæ.* Soleander *in hæmorrhoidibus ſuccum commendat, linteolis exceptum & applicatum.*

PLANTÆ SUCCULENTÆ

Bicornes polyſpermæ ſeminibus pulverulentis.

CAPUT XII.

Sedum bicorne.

DE Sedis *capite antecedenti egimus, quorum* ſingulis floribus capſulæ ſeminales corniculave plurima ſemina minuta continentia, *ſuccedunt: Ad ea deinceps explicanda nos accingamus, quibus poſt ſingulos floſculos evanidos, capſulæ ſuccenturiantur bifurcatæ; quæque ſemina, exigua incluſa habent.* Flores *vel* lutei, *vel* albi, *vel* purpuraſcentes, *conſpiciuntur, plerique pentapetali.*

TABULA IX. SECTIONIS XII.

Sedum bifurcatum ſeu bicorne flore

luteo

1. *Alpinum Syriacum flore Saxifragæ albæ, J. B. Sedum Alpinum Saxifragæ albæ flore vel grandiflorum, C. B. P.*
2. *Alpinum 3. Fr. Gregorii, Col.*
3. *Alpinum flore pallido, C. B. P. Sedum Alpinum minimum 6. ſive 1. Cluſ. Hiſt. Ger.*
4. *Alpinum flore luteo noſtras.*
5. *Paluſtre Nardi Celticæ foliis, Nobis. Hirculus qui Chamæciſti genus, Cluſ. Cur. poſt.*
6. *Anguſtifolium autumnale flore guttato, Nobis. Saxifraga autumnalis anguſtifolia flore luteo guttato, Breyn. Cent. 1.*
7. *Rotundifolium paluſtre foliis ſeſſilibus, Nobis. Saxifraga rotundifolia aurea, C. B. P. Saxifraga aurea, Ger.*
8. *Rotundifolium paluſtre foliis pediculis longis inſidentibus, Nobis. Saxifraga aurea, Dal.*
9. *Paluſtre foliis Lichenis facie longioribus, Nobis. Saxifraga aurea Lichenis facie, D. Moriſ. Prælud. Bot.*

albo

10. *Montanum ſerratum hederaceo folio majus guttato flore, Nobis. Sanicula montana rotundifolia major, C. B. P. Sanicula Alpina guttata, J. B.*
11. *Montanum rotundifolium minus non guttatum, Nobis. Sanicula minor non guttata, Park. Par.*
12. *Montanum ſerratum rotundifolium guttato flore, Nobis. Sanicula minus guttata, Park. Par.*
13. *Montanum hirſutum mucronato & dentato folio, flore guttato, Nobis. Cotyledon hirſuta, Raii.*
14. *Hirſutum Virginianum latiore mucronato & dentato folio.*
15. *Montanum glabrum mucronato & dentato folio, flore candido non guttato.*
16. *Serratum ſubrotundum ſpiſſius virens floribus punctatis, Nobis. Sedum ſerratum flore rubente maculato, Park. Par.*
17. *Serratum pallidiore folio rotundiore, floribus punctatis, Nobis. Cotyledon altera, Dod.*
18. *Minus non ſerratum, Sherardi.*
19. *Serratum breviore folio marginibus argenteis, Nobis. Cotyledon media foliis ſubrotundis, C. B. P. Cotyledon altera 4. Cluſ. Hiſt.*
20. *Serratum longiore folio marginibus argenteis, Nobis. Cotyledon media foliis oblongis ſerratis, C. B. P. Palmaria, Tab. Sedum ſerratum, J. B.*
21. *Serratum album bicorne minus fol. argenteis tenuioribus, Nobis. Cotyledon minima, Hort. Pat.*
22. *Serratum minus longiſſimis foliis marginibus argenteis. Cotyledon minor foliis oblongis ſerratis, Eyſt.*
23. *Rotundifolium erectum radice granulata, Nobis. Saxifraga alba, Dod. Ger.*
24. *Rotundifolium erectum radice granulata, & ad caulem tubercula proferens, Nobis. Saxifraga bulboſa altera bulbifera montana, Col.*
25. *Alpinum hiſpidum fere ſpinoſum flo. pallido, J. B.*
26. *Alpinum trifido folio, C. B. P. Alpinum laciniatum Ajugæ foliis, Park.*
27. *Tridactylites Alpinum minus, C. B. P. & Prod. Sedum Monſpelienſe & Pyrenæum laciniatum, Park.*
28. *Tridactylites Alpinum majus, C. B. P. Saxifraga alba petræa, Pona.*
29. *Tridactylites Alpinum majus foliis latioribus, C. B. P. & Prod.*
30. *Tridactylites Alpinum caule folioſo, C. B. P. 3. Prod.*
31. *Tridactylites tectorum, C. B. P. Paronychia rutaceo folio, Ger. Adv. Lob.*
32. *Monanthos muſcoſum, Nobis. Sedum muſcoſum, J. B. 695.*

purpureo

33. *Saxatile hirſutum, C. B. P. 5. Prod.*
34. *Saxatile atrorubentibus floribus, C. B. P. 6. Prod.*
35. *Serratum humilius alterum flore ſingulari purpureo, J. B.*
36. *Alpinum ericoides purpuraſcens, C. B. P. & Prod.*
37. *Alpinum ericoides cæruleum, C. B. P. & Prod.*

Seda bicornia floribus luteis.

1. Sedum *Saxifragæ albæ flore vel grandiflorum, C. B. P. Sedum minimum Syriacum flore Saxifragæ albæ, J. B. Chab. Sedum Alpinum Syriacum luteo flore Saxifragæ albæ, J. B. Sedum Alpinum 4. Col.* Muſci modo humum operit, capitibus folioſis, admodum compactis, & exigui Muſci colore, cujus *caules* non amplius ſeſquipollice à foliis emicant, craſſitie tenuis fili, duobus vel tribus foliolis intercepti; in quibus luteoli flores, majores quam pro plantæ modulo ſunt, *Saxifragæ albæ* aut *Sedi petræi montani* ſimiles, *calycibus* quinque oris diviſis inſidentes. Iſtis dehiſcentibus (ut in aliis hujus ordinis fieri amat) *fructus* bicornes, qui perfecti per cornicula deſecantur, plurima *ſemina* minima, pulverulenta, continentes, ſequuntur. *V. icon. tab. æn. 8.*
Alpibus collectum Fr. Gregorius Rhegienſis Fab. Col. *tranſmiſit.*

2. Sedum *Alpinum Fr. Gregorii 3. Col. Radix* multa, fibroſa; *folia* non denſa & in caput efformata, ſed divaricata. *Foliola* etiam ex pediculo tenui in latitudinem ampliata, linguæ effigiem imitantur. In ſummitate caulis unicus vel bini ſunt *flores*, colore ob ficcitatem palleſcente; ex ficca enim planta deſcripſerat auctor. *V. icon. tab. æn. 9.*

Alteram habuit ſimilem quodammodo, ſed *foliis* in ſummo binis inciſuris donatis, *radice* tenuiore, *caulibus* ſimilibus, & *floribus* dejectis; in quorum loco *vaſculum bicorne* ſequebatur.

3. Sedum *Alpinum flore pallido, C. B. P. Park. Sedum minus 6. ſive Alpinum primum, Cluſ. Hiſt. & Pan. Sedum parvum montanum luteum, J. B. Caulem* unum (pluresve) erigit palmarem, dimidio nonnunquam minorem, *foliis* crebris veſtitum, *Sedi minoris acutis foliis* ſimilibus, minus vero acutis planioribuſque, qualia etiam per terram ſparſa caulis imo adhærent. Superius dividitur in *ramulos* ſatis frequentes *caulis*, qui *flores* geſtant pulchellos, majuſculos, ex pluribus & *foliolis* & *apicibus* luteis compoſitos. *Radiculæ* ſumma fere tellure vagantur, & ſubinde novas plantas producunt, ſubinde terram ſubeuntes. *Vid. icon. tab. æn. 6.*

Provenit in monte Baldo; *in* Sneberg, *aliiſque* Stiriacarum *Alpium jugis. Etiam in decenſu montis* Capouladou *à* les Chambrettes, *Julio menſe florens*, D. Magnol *invenit. Flores autem ibi albeſcunt.*

4. Sedum *minus Alpinum luteum noſtras. Forte Sedum Alpinum floribus luteis maculoſis, C. B. P.* E *radicibus* capillaribus plurima huic *capitula* in terram ſparguntur. *Folia* anguſta, plana, acuta, glabra, pallide viridia, ad margines *pilis* quaſi dentata ſunt. *Caules* palmares, *pilis* ſcatent, & foliis conſimilibus veſtiti, in ſummo *flores* luteos, pentapetalos, è *calycibus* quinquefariam diviſis emicantes, plurimis guttulis auricoloribus circa medium punctatos, gerunt. Meditullium etiam *ſtaminula* crocea circumſtant. His decidentibus, *capſula* erigitur bifurcata, qua *ſemina* minutiſſima conduntur.

Ex humidis montis Ingleborough *jugis collectum* D. T. Lawſon *ex* Weſtmorlandia *nobis tranſmiſit.*

5. Sedum *paluſtre luteum bicorne Nardi Celticæ foliis, Nobis. Hirculus qui Chamæciſti genus, Cluſ. Cur. poſt. Chamæciſtus Friſicus foliis Nardi Celticæ, C. B. P.* Plantula hæc *Celticæ Nardo* fere ſimilis *foliis* & *radice*, ejuſdemque propemodum magnitudinis, *cauliculo* tamen diſpar eſt, qui gracilis ſeſe attollens, quinis aut ſenis *floribus* onuſtus conſpicitur ſpeciosis, hexapetalis, *Ranunculi* florum æmulis flavi coloris, maculis alterius coloris duplici ſerie circa umbilicum orbiculatim diſtinctis. Iis ſuccedunt *capitula* ſive *vaſcula* mucrone bifido prædita, paleaceo *ſemine* referta. Tota planta aliquantulum graviter olet. *V. icon. tab. æn. 8.*

Naſcitur in paluſtribus ficcioribus locis, permixta Gramini Parnaſſi *vulgo dicto, prope amœniſſimum quendam pagum in Comitatu* Drentiæ.

6. Sedum *anguſtifolium autumnale flore luteo guttato, Nobis. Saxifraga autumnalis anguſtifolia flore luteo guttato, Breyn. Cent. 1.* Præcedenti affine eſt hoc, ex *radiculis* capillaceis propagines multas rubentes emittens, circa quas *folia* anguſta, carnoſa, atrovirentia, & rigidiuſcula, per margines ſubinde piloſa, cum *Polygalæ* & *Nardi Celticæ* foliis mediocrem ſimilitudinem habentia. *Cauliculi* dodrantales, tenues, *lanugine* leniter hirſuti, *foliis* minoribus rarius onuſti, in ramulos duos vel tres diviſi, *floſculos* admodum elegantes *Saxifragæ albæ*, ſed luteo colore tinctos, gerunt pentapetalos, nervoſos, *punctulis* innumeris ſature croceis, à medio uſque ad umbilicum, notatos. *Vaſculum* bifurcatum, inter decem *ſtamina* crocis capitulata prominet.

Variat; quædam enim *florum petala ei magis ſunt obtuſa;* quædam *magis acuminata.* Præterea *foliis majoribus* & *minoribus, dilutioribus* & *obſcurius virentibus* donatum invenitur. *V. icon. tab. æn. 8.*

In pratis Boruſſiæ & Caſſubiæ, *præſertim ſecundum arcem* Klein Krakaw, *reperitur; ubi ab Auguſto menſe in ſerum uſque autumnum floret.*

7. Sedum *paluſtre luteum foliis ſubrotundis ſeſſilibus, Nobis. Saxifraga rotundifolia aurea, C. B. P. Saxifraga aurea, Ger. Park. Dod. J. B. Chryſoplenium Tab.* Reptatu in riguis & paluſtribus, ſolo præſertim arenoſo, fœcunde ſe propagat. Tenera & mollicella eſt planta, *folia* ſubrotunda, pallide virentia, ſemunciam lata, leniter hirſuta, petiolis breviſſimis aut nullis donata, plurima proferens. *Caules* floriferi palmares ſunt, anguloſi, hirſuti, albidi, ſucculenti, & quaſi pellucidi, *foliis* conſimilibus onuſti, divaricationem dichotomam ſervantes; in quorum angulis æque ac in ſummitatibus *flores* tetrapetali, aurei, rotundiuſculi, cum ſtaminulis etiam in medio flavis, inſident; & cuilibet flori ex eodem quaſi exortu adnaſcitur *foliolum* pallide vireſcens. In medio floris tetrapetali, cujus petala non decidunt, oritur *capſula* bicornis, *ſeminibus* exiguis pulverulentis referta. *V. icon. tab. æn. 8.*

Menſibus Aprili & Maio floret.

8. Sedum *paluſtre luteum majus foliis pediculis longis inſidentibus, Nobis. Saxifraga aurea foliis pediculis longis inſidentibus, Raii. Saxifraga aurea, Dal.* Quoad modum creſcendi, florendi & fructificandi, præcedenti reſpondet; *folia* vero majora, rotunda, ambitu crenata, & *Hederæ terreſtris* fere effigie prædita, piloſa, *petiolis* longis, teneris inſidentia, diſcrimen facile demonſtrant. *V. icon. tab. æn. 8.*

In riguis & aquoſis quibuſdam Angliæ *locis reperitur, ſed rarius.*

9. Sedum *paluſtre luteum Lichenis facie, Nobis. Saxifraga aurea Lichenis facie, D. Moriſ. Prælud. Bot.* Hoc ſatis frequenter reperitur in rivulis aquæ dulcis, à fontibus jugibus manantibus. *Folia* gerit oblonga, ſerrata, hirta, per terram ſtrata; & *floſculos* in alis luteos. Quin & primo intuitu, à præcedentibus diſcernitur, *foliorum* denſa diſpoſitione, & forma longa, cum in aliis congeneribus ea ſint rotunda & rariora.

Seda bicornia floribus albis.

10. Sedum *montanum ſerratum album hederaceo folio majus, guttato flore, Nobis. Sanicula montana rotundifolia major, C. B. P. Sanicula Alpina guttata, J. B. Garyophyllata, ſive Geum Alpinum recentiorum folio hederaceo, Adv. Lob. Sanicula montana altera, Cluſ. Hiſt. Radix* craſſiuſcula, denſiſſimo fibrarum barbitio capillata; *folia* rotunda, lata, pinguia, hirſuta, pediculis palmaribus appenſa, altis per ambitum inciſuris ſerrata, ſic ut minima folia tanquam digitata videantur. *Caules* hirſuti, teretes, & nonnihil tortuoſi, quibus *folia* pauca, aut brevi aut nullo pediculo donata apponuntur. Summi caules in plures *alas* dividuntur, & ſingulis ramis inſident terni aut quaterni *floſculi* pentapetali, albi, acuti, ſanguineis punctis in interiore parte notati. Bifida *vaſcula*, cum decem *ſtaminibus*, medium florem occupant; quæ matura exile & minutum admodum nigrumque *ſemen* oſtendunt. *V. icon. tab. æn. 8.*

In omnibus Auſtriæ & Stiriæ *Alpibus, umbroſo loco & ſylvoſo creſcit. Floret Menſe Junio. In Alpibus* Helveticis & *prope* Genevam *etiam reperitur.*

11. Sedum *montanum ſerratum rotundifolium album guttato flore, Nobis. Sanicula minus guttata, Park. Par. Sanicula montana rotundifolia minor, C. B. P. Sanicula montana minor, Cluſ. Pan. Folia* plurima ex eadem *radice*

radice assurgentia, rotunda sunt, unciam circiter lata, in ambitu rotundioribus crenis serrata, superne viridia, & *pilis* albidis hirsuta, inferne frequenter rubescentia, petiolis longis insidentia. Inter hæc *caules* oriuntur graciles, nudi, ut plurimum rubentes, dodrantem longi; in summitate, in *petiolos* unciales & minores se dividentes, qui *floribus* parvis è carneo colore albidis, ex quinis petalis rotundis constructis, & *sanguineis punctis* plurimis eleganter notatis, onusti sunt. *Staminula* etiam *vasculum* bicorne ambiunt. *Vid. icon. tab. æn. 9.*

In hortis ob florum venustatem alitur; ubi enim sponte provenit nos latet. Maio mense floret, & facile se propagat.

12. Sedum *montanum rotundifolium minus album non guttatum, Nobis. Sanicula minor non guttata, Park. Par.* Hujus *folia* pariter rotunda sunt, sed minora. *Flores* ei ad eundem modum nascuntur, albescentes, punctis vero destituti.

13. Sedum *montanum hirsutum mucronato & dentato folio, flore albo guttato, Nobis. Cotyledon hirsuta, Raii.* E *radicis* fibratæ capite *folia* humi in orbem sparguntur, unciam plus minus lata, longiora tamen, & in mucronem abeuntia, pallide viridia, hirsuta, marginibus dentata. *Caulis* è medio erigitur gracilis, palmaris & dodrantalis, hirtus, *foliis* destitutus; in cujus summo *flores* umbellatim nascuntur albi, ex quinque *petalis* acutis compositi, duobus aut tribus *punctis aureis*, in quolibet prope ungue notatis. *Stamina* decem apicibus suis purpurascentibus medium ornant; & temporis decursu *capsula seminalis* bifurcata eorum loco cernitur, *seminibus* minimæ arenæ æqualibus referta. *V. icon. tab. æn. 9.*

In montium Cambro-Britannicorum *jugis, locis humidis, & ad aquarum scaturigines, oritur, unde* D. Lloyd *transmisit. In montibus etiam* Westmorlandicis *aliisque borealibus invenitur.*

Huic persimilis videtur planta, *Saniculæ Alpinæ aliquatenus affinis, J. B. Saniculæ montanæ alterius species 2. Clus. Hist. Caules* vero magis sunt *ramosi*, & *flores albi*, nullis maculis notati.

14. Sedum *bicorne hirsutum Virginianum mucronato & dentato folio, Nobis. Sanicula Virginiensis alba folio oblongo mucronato, D. Pluk. Phyt. Tab. 222.* Hanc plantam affabre depictam *D. Jo. Banister* è *Virginia* transmisit, quæ *radicem* monstrat nostri *Britannici* crassiorem, *foliaque* quodammodo latiora, hirta etiam, & dentata. *Caulis* nudus in plures *alas* se spargit; circa quem & *petiolos* unciales, plurimis *flosculis* albis, è quinis *petalis* acutis compositis, ornatur.

15. Sedum *montanum bicorne glabrum mucronato folio, flore candido non guttato.* Elegantem hanc plantam in summis montibus *Arvoniæ*, è rupium fissuris provenientem, *D. Lloyd* detexit; ut & in rupibus *Clogwyn y Garnedh Crib y Diftilh, y Clogwyn du ymben y Gluder, &c.* juxta *Lhan-Berys. Folia* pinguiora, & spissiora, latiora, glabra, mucronata, in ambitu dentata, à *radice* fibrosa, *Auriculæ ursi* in modum, humi incumbunt. Ex horum centro *caulis* assurgit palmaris, *foliis* nudus, glaber, *flosculis* in summitate candidis, immaculatis, numero sex, octo & pluribus, petiolis brevioribus contentis, ut simul compacti in thyrsum appareant.

16. Sedum *bicorne serratum subrotundum spissius virens floribus punctatis, Nobis. Sedum serratum flore rubente maculato, Park. Par. Sanicula montana crenata umbilico rubro, Hort. Reg. Par.* Hujus *folia* saturatius virentia, nec adeo succulenta, existunt, ex quibus quæ externa sunt & majora, unciam aut sesquunciam longa, unciali pediculo adhærentia, ovalia pene & obtusa, subtus rubescentia, venosa, crenis rotundiusculis dentata sunt. Quæ vero medium occupant petiolis brevibus aut nullis prædita, gradatim minora fiunt, & planam *rosam* expansam, *foliis* imbricatim nascentibus, referunt. *Caules* è centro eriguntur dodrantales, tenues, nudi, rufescentes, à medio in petiolos plures (iique rursus in alios) divisi, plurimos *flosculos* pentapetalos, acuminatos, è carneo colore albidos, numerosis *guttis sanguineis* punctatos, totidemque *staminulis* rubicundis, eleganti structura, *stylum* circumactis, sustinentes. *Capsula seminalis* bifurcata, & *semina* exigua succedunt, sicut & in aliis. *Vid. icon. tab. æn. 9.*

17. Sedum *bicorne serratum pallidiore folio rotundiore, floribus punctatis, Nobis. An Cotyledon altera olim Matthiolo, J. B? Cotyledon altera, Dod.* Præcedenti affinis est; *petioli* vero *folia* rotundiora & acutioribus denticulationibus incisa, & pallidius virentia, gerentes, ex angusto principio compressi & latiores sunt. *Flores* ad eundem modum nascentes albidiores, non tanta rubedine commixta punctati cernuntur. In hortis, florum gratia, aluntur & hoc & proxime superius explicatum.

18. Sedum *montanum bicorne rotundifolium minus non serratum, Sherardi.* Modo crescendi, *foliorumque* textura, binis præcedentibus accedit. In orbem digesta promuntur *folia*, petiolis adnata, rotunda, parva, & crenis destituta. *Caulis* gracilior ac brevior, nudus, in summo consimilibus floribus punctatis onustus est.

Hoc munificentiæ Cl. D. D. Sherard *debemus acceptum.*

19. Sedum *serratum album bicorne breviori folio marginibus argenteis, Nobis. Cotyledon media foliis subrotundis, C. B. P. Cotyledon altera Matthioli, Park. Par. Cotyledon altera 4. Clus. Hist. Cotyledon minus Sedi folio montanum, Adv. Lob. Sanicula aizoides foliis serratis multiflora, Hort. Lugd. Bat.* Sedorum ritu crebrius disposita in capitula rotunda, collocantur *folia* plurima, aliquantulum spissa, parva, parum oblonga, minutis *denticulationibus* argenteis serrata. *Caulis* pedalis assurgit, rectus, brevioribus *foliis* inordinate nascentibus septus. Summo fastigio ex singulis foliorum alis *pedicellos* emittit, quibus insident *flores* albi, pentapetali, ampliores; quorumque *petala* rotunda interne veluti *sanguineis guttis* aspersa, umbilico pallide luteo, splendente, decem staminulis cincto donantur. *Semen* exile nigricans, in *capsulis* tumidiusculis, bicornibus, continetur. *Radix* subest fusca, tenuis, fibrosa, cui secundum matrem primumve caput multæ aliæ in orbem adnascuntur plantæ, ut integrum cespitem aliquando tegant, *vulgaris Sedi majoris* instar. *V. icon. tab. æn. 9.*

Nascitur non modo in Sneberg, *sed & in reliquis* Austriæ & Stiriæ *Alpibus, saxis & scopulis inhærens, in quibus floret Junio & Julio mensibus, teste* Clusio.

20. Sedum *serratum album bicorne longiore folio marginibus argenteis, Nobis. Cotyledon media foliis oblongis serratis, C. B. P. Palmaria, Tab. Sedum serratum, J. B. Cotyledon minor Sedi folio, Lob.* Hæc planta cum antecedenti *foliis* argute serratis, argenteis, convenit, ejusdem latitudinis, longioribus tamen. *Flores* albi, punctati, *petalis* mucronatis donantur, quibus dignoscitur. *V. icon. tab. æn. 9.*

21. Sedum *serratum album bicorne minus foliis argenteis tenuioribus, Nobis. Sedum Pyrenaicum serratum minus, Hort. Reg. Par. Cotyledon minima, Hort. Patavin.* Hujus *folia* unciam circiter longa, *margimibus* etiam *argenteis* concinnis dentata, quam præcedentium sunt angustiora & minora. *Caulis* dodrantem altus, plurimos *flores* minores albos, ex acutioribus *petalis* punctatis constructos, profert.

22. Sedum

22. Sedum *ſerratum minus album longiſſimis foliis marginibus argenteis, Nobis. Cotyledon minor foliis oblongis ſerratis, Eyſt.* Adnata ſobole multum ſe diffundit. Frequenter conferta atque in orbem digeſta promuntur *folia*, binas aut ternas uncias longa, quadrantem lata, atque ambitu tenuiſſimis, albicantibus ſerraturis prædita. *Caulis* cubitalis, rarioribus & minoribus foliis obſitus, ſuperne in quaſdam *alas* ſparſus, plurimis *floribus* albis, guttatis, ornatur.

23. Sedum *bicorne album rotundifolium erectum radice granuloſa, Nobis. Saxifraga alba, Dod. Ger. Saxifraga alba radice granuloſa, J. B. Saxifraga rotundifolia alba, C. B. P. Saxifraga alba chelidonides, Adv. Lob. Alba tuberoſa radice, Cluſ. Hiſt. Folia* fert è petiolis piloſis, rotunda, plurima, humi jacentia, in extremitatibus inciſa ac veluti criſtata, mollia, *Hederæ terreſtris* ſimilia, minora tamen & pallidius virentia. *Caules* rotundos, villoſos, & quodammodo viſcoſos, pedales & ſeſquipedales, ramoſos, in ſummitate *flores* albos, ſatis amplos, rotundis petalis quinis conſtructos gerentes profert. *Radicem* habet fuſcam, multis *fibris* ſtipatam, ex quibus pendent quaſi *granula* quædam, qualia *Chelidonii minoris*, rotunda, aut *ſemini Coriandri* paria, vel paullo majora, fuſca & obſcura, acria, & amara. *Vid. icon. tab. æn. 9.*

In montoſis pratis & paſcuis herbidis, arenoſo ſolo, non infrequens occurrit. Menſibus Aprili & Maio floret.

24. Sedum *bicorne rotundifolium erectum radice granulata & ad caulem tubercula proferens, Nobis. Saxifraga bulboſa altera bulbifera montana, Col. Saxifraga ad folia bulbos gerens, C. B. P.* *Radices* non ut *acini* (uti in præcedenti) ſed veluti ſquamoſi *bulbuli*, *Lilii* modo ſe propagantes ſunt, majores; *folia* rotunda, minora, & crenata. *Caulem* habet craſſiorem, *foliis* criſtatis abſque petiolis onuſtum. In iſtorum ſinubus *tubercula* oriuntur, quibus propagatur, atqui non in caulis foliis ſed in *florum petiolis*, atque juxta *flores* ipſos, qui in ſummo caule veluti *corymbi*, uno ortu è caulis ſummo prodeuntes ramoſis petiolis inſidentes, *Aprili* menſe atque *Maio* in quinque *petala candida* dehiſcunt. *Fructus* bicornes, *ſtaminibus* pluribus flaventibus circundati, perfecti per cornicula diſſecantur. *V. icon. tab. æn. 9.*

Pratenſibus montium locis gaudet & ſaxoſis herbidis umbroſis Campoclari. Col.

25. Sedum *Alpinum biſpidum fere ſpinoſum flore pallido, J. B. Chab. An Sedum Pyrenaicum pallide luteum foliis partim integris, partim trifoliis, Schol. Bot. Par?* Multos dodrantales fere *caules* tenues emittit, *foliis* veſtitos alternante ſitu, ſemuncialibus, peranguſtis, acuminatis, ex viridi colore pallentibus, *ſpinulis* per margines aſperatis, qualia prope terram multa reptantem inferiorem caulium partem ornant. *Ramuli* in quos caules ſuperius dividuntur, *florem* in acumine geſtant ſinguli, *Sedi montani minimi lutei* parem, palleſcentem, *apiculis* in medio multis. Succedit unicuique *capitulum Lini* ſimile, minus, turbine bifurco patente, è quo concuſſu excidit *ſemen*, longe copioſiſſimum, minutiſſimum pulviſculi inſtar, colore nigrum. *J. B. V. icon. tab. æn. 10.*

Ex monte Calcaris, *ut &* Gotthardo *attulit* J. H. Cherlerus.

26. Sedum *Alpinum trifido folio, C. B. P. Sedum Alpinum laciniatum Ajugæ foliis, Park. Sedis affinis triſulca Alpina flore albo, J. B. Sedum minus* 13. *Cluſ. Hiſt.* Summo ceſpite vagatur, magnumque ſpatium occupat, terræ appreſſis *cauliculis* tenuibus, fuſcis, è quibus naſcuntur *folia* uncialia, in triſulcum tridentem latiuſculum, *Chamæpityos* minorem deſinentia, ſubhirſuta; alia in oblongum utriculum glumoſum convoluta, lanugine pinnata *granum Avenæ* manifeſto referunt, triſulcis foliis ſubinde obvallata. *Caules* ſurgunt quidam teretes, palmares, ſuperius in pediculos aliquot (quibus *foliolum* indiviſum puſillum appoſitum) diducti, eorumque unuſquiſque *florem* geſtat amplum, pentapetalum, albidum, ſtriatum, *vaſculo* ſuccedente parvo, *ſeminibus* pleno, quod circundat florum *calyx* laciniis denticulatus. *V. icon. tab. æn. 9.*

In montibus Britannicis *variis, v. g.* Cornubiæ, Cambrobritanniæ, & Weſtmorlandiæ, *provenit, &c. In ſummo* Sneberg, *aliiſque tranſmarinis frequens reperitur. Junio & Julio menſibus floret.*

Hujus datur varietas *habitioribus foliis & floribus* donata. *An Tridactylites Alpina, J. B. 762?*

27. Sedum *tridactylites Alpinum minus, C. B. P. 2. Prod.* Ad *radicem* parvam repentem & nigricantem adjiciuntur *folia* plura, exigua, viridia, ſimul compacta, ſuperne in crenas profundas, binas, communiter ternas, rarius plures, diviſa. Ex horum medio *cauliculus* unus vel alter, tenuis, aliquando diviſus, paucis & exiguis *foliolis* cinctus, trium quatuorve unciarum exſurgit, cui *floſculi* terni, quaternive pallidi, quinquefolii, multis *ſtaminulis* donati, ſinguli ſingulis pedicellis inſident. Hinc *calyces* parvi, *ſemen* minutum continentes, ſuccedunt. Tota planta viſcoſa & aliquantulum hirta eſt.

Hoc in monte Lupo, *& ex ipſis rupium fiſſuris, menſe Julio florens legitur; notante* C. B. D. Magnol *idem agnoſcit. In* Pyrenæis *etiam montibus colligitur.*

28. Sedum *tridactylites Alpinum majus album, C. B. P. 1. Prod. Sedum Monſpelienſe & Pyrenæum laciniatum, Park. Saxifraga alba petræa, Ponæ.* Habet hæc tenerrima planta *radiculam* unicam, tenuem, capillarem, ſemipalmum altam, ac rufeſcentem. Inde autem plura *folia* ſubſtantia ac forma *albæ Saxifragiæ* prædita, molliora tamen, ac profundius diviſa emergunt; è quorum medio *caulis* aſſurgit teres, nodoſus, leviter hirſutus, dilute purpuraſcens, ac dodrantalis. Huic inhærent *ramuſculi* plurimi, ab imo ad ſummum inordinate diſpoſiti. In ſummitate frequentes ſunt *floſculi* quinque candidiſſimis *petalis* conſtantes, quorum centrum quædam palleſcentia filamenta occupant. Iſtis cadentibus, relinquitur *calyx ſemen* continens minutiſſimum, uti in *Saxifraga magna Italica, Matth.* ſeu *Caryophyllo ſaxifrago, C. B. P. V. icon. tab. æn. 9.*

Hoc in Baldo *monte Junio menſe floret; facillime langueſcit, ac deperditur.*

29. Sedum *tridactylites Alpinum majus foliis latioribus, C. B. Prod. 2.* Simile proxime ſuperius explicato eſt, ſed *foliis* latioribus, & in ternas primum profundas lacinias diviſis, & his in minora & tenuiora *ſegmenta* ſectis; *caulibus* pedalibus; *floribus* pallide luteis.

In humidis montium Pyrenæorum *locis natum recepit* C. B.

30. Sedum *tridactylites Alpinum caule folioſo, C. B. P. 3. Prod. Cauliculo* eſt rotundo, ſemipalmari, *pilis* leviſſimis aſperſo, *foliis* parvis, craſſiuſculis & eodem modo quo & *folia Sedi tridactylitidis* in tectis provenientis, & proxime inferius explicandi, inciſis, & diviſis, totumque cauliculum alternatim baſi ſua cingentibus, donato. Cauliculi ſummitas in *ramulos* dividitur, quorum ſinguli *floſculum* candidum, ſed minorem ſuſtinent; capitulaque (ut in præcedenti) ſuccedunt.

Sedi dactyli nomine, ex Taurero Auſtriæ, D. Burſerus Caſp. Bauh. *miſit.*

31. Sedum *tridactylites tectorum, C. B. P. Paronychia rutaceo folio, Ger. Adv. Lob. Paronychia foliis inciſis, Park. Sedum tridactylites tectorum flore albo, J. B.* Planta hæc in muris & ædificiorum tegumentis & imbricamentis,

camentis, vernali tempore ſatis frequenter proveniens *cauliculo* aſſurgit palmari, tenui, rubente, in varias *alas* diſtributo. *Foliola* ima & prima, oblonga ſunt & integra, ſtatim trifida, & nonnunquam quinquifida, craſſiuſcula, carnoſa, & modice hirſuta, ut extremitates foliorum *Rutæ* quadantenus referant, ſeſſilia, ſine ordine locata; ſuprema, ramuſculis adnata, ſimplicia cernuntur, quodammodo viſcida, & molli hirſutie pubeſcentia, ſicut & tota planta. E ſummis ramulis *flores* albi, pentapetali, parvi, exeunt; qui in *vaſcula ſeminalia bicornia* tranſmutantur. E *ſeminibus* exiguis, deciduis, quotannis reſurgunt plantæ novellæ, hyemis injurias deſpicientes. *Maio menſe floret.* *V. icon. tab. æn.* 9.

32. Sedum *Alpinum monanthos muſcoſum, Nobis. Sedum muſcoſum, J. B.* 695. Ceſpites totos operit luxurie fœcunda, *Sedorum* in morem, *radicularum* reptatu. *Folia* majora quam *Sedi Alpini cinerei* ſunt, acutiora, molliora, *Muſcum terreſtrem* imitata. *Coliculus* ex umbilico natus, unciam unam aut duas altus, foliolis crebrioribus veſtitus, unicum plerumque in faſtigio gerit *florem* magnum. *J. B.*

Prope rivulos in Alpibus creſcere annotavit C. B. *& Fratri ſuo tranſmiſit.*

Seda bicornia floribus purpuraſcentibus.

33. Sedum *ſaxatile hirſutum purpureum, C. B. P. & Prod.* Plantula eſt triuncialis *radicula* capillacea; *cauliculo* tenui, leviter piloſo, in ſummitate in breves *ramulos* diviſo, qui ſinguli *florem* purpureum ſuſtinent. *Foliola* ad radicem plura, hirſuta, & lente minora.

Hoc & ſubſequens ex Pyrenæis *montibus* D. Burſerus *attulit.* C. B.

34. Sedum *ſaxatile atrorubentibus floribus, C. B. P. 6. Prod.* Hoc tres quatuorve uncias non excedit, habens *radiculam* exilem, longiuſculam; unum alterumve *cauliculum* biuncialem, *foliis* paucis, exiguis, longiuſculis, alternatim veſtitum, *floſculos* atrorubentes, quaſi in *umbella* diſpoſitos, ſuſtinentem.

Hoc in Gotthardo *nonnihil altius excreſcit.*

35. Sedum *ſerratum humilius, Phyllon alterum, flore ſingulari purpureo, J. B. Phylli* (*Sedi ſerrati*) alterum hoc genus humilius *cauliculis* eſt ſimplicibus, altitudine quatuor digitorum, aut paullo altioribus; in quibus ſunt frequentia *foliola* ſubrotunda, margine crenato, craſſiuſcula, candicantia, exilia. *Florem* autem grandiuſculum fert purpureum, ſingularem, in cacumine; *fructum* oblongum, bifidum in extremitate. *Semina* minuta, (qualia ſunt *Papaveris nigri*) in duplici cavitate continentur; ſaporeque conſtat adſtringente. *Cæſalpinus.*

36. Sedum *Alpinum ericoides purpuraſcens, C. B. P. & Prod. Ramis* eſt palmaribus, lentis, flexilibus, denſe geniculatis, per terram ſparſis; quos *folia* brevia, craſſiuſcula, *Ericæ* formam referentia veſtiunt; & hi in plures alios duarum triumve unciarum, aut etiam breviores dividuntur. Iſti *foliola* frequentia, ſibi fere incumbentia & rotundiora habent. In ſingulorum ſummitatibus velut ex ſquamoſo *calyce flos* ſatis magnus purpuraſcens, ex quatuor & aliquando quinque *petalis*, & aliquot in medio *ſtaminibus*, compoſitus inſidet. *V. icon. tab. æn.* 10.

Hæc deſcriptio C. B. *noſtræ plantæ ſat bene quadrat, quam ex montibus borealibus noſtris &* Cambrobritannicis *erutam habemus, cujuſque flores,* amplitudine *Sedi albi granulata radice Saxifragæ albæ* vulgo dicti, ex quinis *petalis* rotundis conſtructi, è cæruleo colore purpuraſcunt, & humilem parvulamque hanc plantam, ineunte vere, nempe Martio menſe, venuſte ornant. Floribus autem dehiſcentibus, in vaſculo craſſiuſculo, bicorni, *ſemina* pulverulenta condita viſuntur.

37. Sedum *Alpinum ericoides cæruleum, C. B. P. & Prod.* Ex præruptis jugis ac ſaxis humidis propendet, *radicem* habens oblongam, fibroſam, ruffam; ramos plures, *foliolis* quam prioris brevioribus, craſſis, cinereis, velut in *Sanamunda* 2. *Cluſii*, ſive *Erica Alexandrina* compactis, cinctos. Singulis *cauliculis* uncialibus, foliaceis, *flos* magnus, cæruleus, quadrifolius, aliquot ſtaminulis brevibus donatus, inſidet.

Hoc per Rhætiæ *Alpes, è rupibus, ob aquam defluentem humidis, dependens, Martio menſe florens,* C. B. *collegit.*

Sunt & alia quædam Seda *à Botanologis memorata, quæ tamen cum brevius imperfectiuſque deſcribantur, dubitare faciunt an huc an potius alio ſint referenda. Interim hunc locum occupent, donec certius conſtiterit ubi collocari debeant. Hujuſmodi ſunt*

1. Sedum *ſaxatile variegato flore, C. B. P. 7. Prod. Radice* eſt capillacea; *cauliculis* plurimis, tenuibus, biuncialibus, per terram repentibus, & *fibellis* capillaribus terræ adhærentibus; *foliolis* multis, pallide virentibus, ſubrotundis, lente minoribus. E ramulorum ſummitatibus *pedicelli* plures capillacei, oblongi, exſurgunt, ſinguli *florem* quadrifolium, varium, album, purpureum, & atrorubentem, eleganti ſpectaculo ſuſtinentes; plantula enim hæc ceſpitis muſcique inſtar ſaxa exornat.

Hoc inter Valeſiam & Auguſtam vallem, *in monte* Gletſchberg *dicto, qui toto pene anno nivoſus eſt, copioſe provenit.*

2. Sedum *Alpinum foliolis crenatis aſperis, C. B. P. & 8. Prod. Radice* eſt capillacea repente; *cauliculis* tenuiſſimis, ſemipalmaribus, & ſubinde brevioribus, rarius palmaribus, in ſummo in ramulos aliquot ſectis. *Folia* habet longiuſcula, anguſta, acuminata, cremis utrinque exaſperata, & parte averſa candicantia. *Flores* quadrifolii, purpuraſcentes, & *ſtaminibus* donati, *calyculis* ſuſtentantur, quibus *capitulum* ſubrotundum, membranaceum, *apice* donatum, minutulum *ſemen* continens, ſuccedit.

Hoc Julio menſe floret in aſcenſu montis S. Bernhardi *majoris &* Gotthardo. *Si accuratæ ſint hæ deſcriptiones, ipſæ ſolæ ſunt hujus generis plantæ, quæ* flores *geſtant* tetrapetalos; *vaſcula ſeminalia quoque examinanda ſunt.*

3. Sedum *Alpinum hirſutum luteum, C. B. P. Sedum minus* 12. *Cluſ. Hiſt.* quem conſule *pag.* 61. *Folia Sedi muſcoidis* haud diſſimilia apparent. *Flores* ſunt lutei. Craſſiuſculas mucronataſque *filiculas* oſtendit. *V. icon. tab. æn.* 8.

4. Sedum *Alpinum F. Gregorii Regienſis, Col. Sedum Alpinum exiguis foliis, C. B. P.* Quoad *radices, cauliculos*, & *foliola* ſimul compacta, à *Sedis* minoribus non multum abludit. *Flores* non exprimit auctor. *Fructus* quaſi *Lychnitidis*, bina *ſemina* ſimul juncta, ovali figura, continet. *V. icon. tab. æn.* 6. *V. Fab. Col. Part. alt. p.* 63.

5. Sedum

5. Sedum *alterum ejuſdem* 2. *Sedum Alpinum anguſtiſſimo folio, flore carneo, C.B.P.* Conſimilis eſt planta humilis, cujus *florum* petala cordis figuram referunt. *Folia* rigida Juniperina ſunt. *Semen* aut *fructum* non licuit obſervare. *V. icon. tab. æn. 6.*

6. Sedum *Siculum maritimum vermiculatum flore Saxifragiæ albæ, ſemine villoſo, Bocc.* Hæc Plantula *Sedi* aut *Kali* ſpeciebus annumeranda venit (inquit auctor) utpote quæ *caulibus, foliiſque* acutis & vermiculatis, illis omnino perſimilis fit. *Flores* promit *Saxifragiæ albæ bulbiferæ* ſimiles. *Semen* villoſum utriculo involutum, non abſimile ſemini pentagono, quod in *Gelſemino Peruviano* conſpicitur. Fruteſcit ut plurimum, *Thymi capitati* modo in maritimis ad *Granarium Agrigentinum.* *V. icon. tab. æn. 9.*
Planta videtur ſui juris, non ad hoc genus attinens.

Sedorum bicornium Virtutes.

Sedum bicorne album rotundifolium erectum radice granulata, Nobis. Saxifraga alba, Dod. Ger. *Ad calidas & ſiccas refertur. Diureticum eſt, & in calculoſis affectibus proficuum: vias etenim urinarias deterget; arenulas concretas diſſolvit & expellit. Huic inſtituto* folia, radices, *ac earundem* grana *inſerviunt.*
Sedum tridactylites tectorum, C. B. P. Paronychia rutaceo folio, Ger. Lob. *Ex commendatione* Cl. D. Boyle *haud incelebre evaſit in ſcrophulis curandis remedium. Herba vel in tenui cereviſia infuſa, vel ex decocto bibitur. Extrinſecus herba quoque decocta ipſis tumoribus ſolet imponi.*

PLANTÆ BICORNES

Polyſpermæ.

CAPUT XIII.

Gentiana minor.

GEntiana *dicitur ab inventore* Gentio Illyriorum *Rege, qui primus in bello ejus vires reperit adverſus peſtem: ideo* Peſtifuga *etiam nominatur.*

Gentiana eſt planta amara, nervoſis *foliis* oppoſitis, *floribus* campanulatis ore diviſis prædita, *vaſcula* habens *bicornia ſeminibus* vel *pulverulentis* vel *compreſſis* gravida.

TABULA X. SECT. XII.

Gentiana ſemine pulverulento

annua
1. *Autumnalis Centaurii minoris folio, Park. Gentianella fugax minor, Ger. Gentiana pratenſis flo. lanuginoſo, C. B. P.*
2. *Brevi folio, C. B. P. Gentiana* 10. *ſive fugax* 4. *Cluſ. Hiſt. ſive fugax verna ſive præcox.*
3. *Alpina æſtiva Centaurii minoris folio, C. B. P. Fugax* 5. *Cluſ. Pan. & Hiſt.*
4. *Autumnalis ramoſa, C. B. P. Fugax* 1. *Cluſ. Hiſt.*
5. *Pratenſis flore breviore & majore, C. B. P. Gentiana fugax* 3. *ſive* 9. *Cluſ. Pan. & Hiſt.*
6. *Utriculis ventricoſis, C. B. P. Gentianella cærulea cordata, Fab. Col.*
7. *Omnium minima, C. B. P. & Prod.*
8. *Minima elegantiſſima Bavarica Camerarii, Park.*
9. *Alpina verna minor, C. B. P. Purpurea minima, Col.*
10. *Anguſtifolia autumnalis minor floribus ad latera piloſis, C. B. P.*
11. *Paluſtris latifolia flore punctato, C. B. P. Gentiana* 12. *dubia, Cluſ. Punctata flore ſubcæruleo Pennæi, J. B.*

perennis
12. *Paluſtris anguſtifolia, C. B. P. Gentiana anguſtifolia* 4. *Cluſ. Hiſt. Pneumonanthe, Lob. Tab. Ger.*
13. *Minima verna flore cæruleo, Eyſt. Verna minor, Cluſ. Alpina verna major, C. B. P.*
14. *Quinta ſive Gentianella verna major, Cluſ. Hiſt. Ger. Gentianella Alpina anguſtifolia magno flore, C. B. P.*
15. *Alpina latifolia magno flore, C. B. P. & Prod.*
16. *Cruciata, C. B. P. Gentiana* 3. *quæ duplex, Cluſ. Pan. & Hiſt.*

1. Gentianella *autumnalis Centaurii minoris folio, Park. Gentianella fugax minor, Lob. Tab. Ger. Gentiana pratenſis flore lanuginoſo, C. B. P. Gentianellæ ſpecies quibuſdam. An Cordo Pneumonanthe aut Gentiana fugax altera, Cluſ. Hiſt. J. B.?* Forte etiam *Gentianella fugax* 4. *Cluſ.* Secundum radicem exilem, ex albicante colore palleſcentem, rariſque fibris donatam, multa uncialia, trinervia, humi fuſa, & in orbem diſpoſita habet *folia*, è quorum medio *caulis* excreſcit ſemipedalis, quadrangulus, fractu contumax, purpuraſcens, binis ex adverſo foliolis mucronatis, & ex eorum alis ramulis naſcentibus præditus. Iſti vero binis geniculis intercepti

cepti, ternos aut plures singuli ferunt *flores* calathi aut campanulæ forma, in quinque lacinias divisos, purpurascentes, singulis laciniis infima interna parte purpurea lanugine pubescentibus. Floribus succedunt longa *cornicula*, exili rotundoque *semine* prædita. *Folia caulem* & *ramulos* in singulis geniculis vestientia, minora & angustiora sunt, magisque mucronata & frequenter purpurascentia.

Montosis locis cretaceis, pratis siccioribus & herbidis, in collibus & asperis locis, Augusto & Septembri mensibus florens, passim reperitur.

2. Gentianella *brevi folio, C. B. P. Gentiana* 10. *sive fugax* 4. *Clus. Hist. Gentiana minima, Adv. Lob.* Dodrantem non superat, cauliculis & ramulis exilibus, minoribus etiam *foliis Centaurii minoris* flori pene paribus se erigens. *Flores* minores habet, licet forma superioris non absimiles, qui aut dilute purpurascunt, aut cærulei coloris elegantissimi sunt. *Cornicula* subflavo exili *semine* plena sunt.

Fortasse ea ipsa est, quam *Cl. Clusius* non procul *Dubrensi* litore observavit.

Gentianella *fugax verna sive præcox, Raii synopf.* 2. Florendi tempore hæc planta à superius expositis discrimen agnoscit; nam ab Aprili mense ad Junium usque florentem reperit *D. Fitz. Roberts*, & in jugo opposito *Half felnab* prope *Kendale Westmorlandiæ* collegit.

Hisce etiam affinis est *Gentianella fugax autumnalis elatior, Centaurii minoris foliis*, à *D. D. Eales* prope *Welling* in agro *Hartfordiensi* inventa.

3. Gentianella *Alpina æstiva Centaurii minoris folio, C. B. P. Gentianella fugax* 5. *Clus. Hist.* Hæc longe exilior congeneribus, vix trium unciarum altitudinem æquat, licet multis alis prædita. *Foliola Centaurii minoris* in singulis geniculis, aliarum more fita habet; *flores* minoris *Gentianellæ vernæ* persimiles, venustissimo cæruleo colore præditos. *Semina* nigra in *corniculis* conduntur. *V. icon. tab. æn.* 5.

Floret in Etscheri *jugis, Augusto mense ineunte.*

4. Gentianella *autumnalis ramosa, C. B. P. Gentianella* 7. *sive fugax* 1. *Clus. Hist. Gentianella multiflora autumnalis flore è cæruleo purpurascente, Eyst. Radix* exigua est, parum fibrata, tenuis. *Caulis* dodrantem altus, quandoque procerior, quadrangulus. Hinc *folia* conscendunt pene triangula, trinervia, *Gentianellæ vernæ* effigie, sine pediculo affixa. *Flores* in *alis* prodeunt, cavi, & oblongi, in triangula quina *folia* superius distincti, coloris (uti *Thalius* monet) è pallidiore cæruleo leniter subrubentis. *Semina* in oblongis *conceptaculis* promuntur minuta, rotunda, obscure fulvescentia.

5. Gentiana *pratensis flore breviore & majore, C. B. P. Gentiana nona sive fugax tertia, Clus. Pan. & Hist. Flores* huic sunt breviores, amplioresque, virescentis initio coloris, deinde subcærulei. *Folia* in singulis nodis multo latiora, mucronata, trinervia, ex adverso inter se fita, viridis saturi & quodammodo nigricantis coloris.

6. Gentiana *utriculis ventricosis, C. B. P. Gentianella cærulea cordata, Col. Gentianella æstiva cordata, Park. Foliola* unguis minimi magnitudine, bina ex adverso posita sunt, lævia, unico per medium decurrente nervo, ex viridibus flavescentia. *Caulis* semipedalis, à medio ad summum *alis* brevibus dividitur, in quibus *utriculi* ventricosi, magni, (si plantæ molem spectes) insunt, ex albis viridantes, inanes, *limbis* quinque cartilagineis latis, quinque angulos constituentibus, & in totidem ora acuta definentibus; in quorum summo *flos* emicat parum se exserens, quinquepartitus, adeo præstante cæruleo colore atque amœno ut vix fictitius ex lapide Lazuli, *Ultramarinus* dictus, æque pulcher sit. Et inter quinas floris *lacinias*, majores alias habet intermedias, cordis figuram imitantes, cum centro albicante. In medio *staminula* quinque & *fructus caput* cernuntur. *Seminis conceptaculum* oblongum, teres, angustum, collo longo in summitate capitato. *Vid. icon. tab. æn.* 5.

Copiose provenit in ampla illa planitie prope Augustam Vindelicorum; *& in pascuis montium* Æquicolorum *sub finem mensis Augusti collegit* Fab. Col.

7. Gentianella *omnium minima. C. B. P. & Prod. Foliola* oblonga, angusta, viridia, plurima, simul instar cespitis conjuncta, prodeunt. Inter hæc *pedicelli* emergunt brevissimi (tota enim planta, *radice* excepta, unciam non excedit) quibus singulis *flosculus*, pro plantulæ ratione magnus, pallide cæruleis *staminulis* donatus, *calyculo* inclusus, insidet. Atque isthæc nisi admodum amara esset, *Muscus* aliquis floridus censeri posset.

In summis Alpium Helveticarum *jugis reperitur.* C. B.

8. Gentianella *minima elegantissima Bavarica Camerarii, Park.* Hæc duplex est, *major* & *minor. Major ramulos* aliquot humi spargit *foliis* crebris *Centaurii minoris* similibus obsitos, verum nonnihil acuminatis; in quorum uniuscujusque fastigio *flos* unicus coloris cærulei amœnissimi, in quinque *folia* expansus insidet. Aliam hujus speciem exhibet *Park.* omnium minimam, foliolis subrotundis.

9. Gentianella *Alpina verna minor, C. B. P. Gentianella minor, Cam. An Gentianella Alpina purpurea minima, Col?* *Foliola caulibus* brevibus, ramosis, purpurantibus adnata, *Centaurii* pene similia sunt. *Flores* è *calycibus* parvis atque profunde admodum in quatuor apices divisis, oblongo tubulo inani, calathi effigie, multum exserto, atque in quatuor parvas hiantes parum lacinias se dividentes conspiciuntur, colore ex rubro purpurante; quorum medium (sive umbilicus) villosum est atque candicans, sicuti & dilutiora laciniarum ora. *Semina* turgida, flaventia, minuta, reliquarum congenerum crassiora sunt. *V. icon. tab. æn.* 5.

In celsiaribus locis atque sterilibus Æquicolorum *montium, Octobri mense invenitur.* Fab. Col.

10. Gentianella *angustifolia autumnalis minor floribus ad latera pilosis, C. B. P. Et cærulea oris pilosis, ejusdem. Gentianella cærulea fimbriata autumnalis, Col. Autumnalis angustifolia minor, Eyst. Gentianella lanugine ad singulorum foliorum floris lacinias donata, flore quadripartito, J. B.* 525. *Radicula* exilis, pallida, tenuiter fibrata, *caulem* fert palmarem, multis *foliis* angustis, *Polygalæ recentiorum* vel *Hyssopi* magis mucronatis, situ geminato sibi oppositis, obsessum. *Flores* hypocalycibus tenuiter laciniatis insident, oblongi, concavi, & in quatuor *petala* paullatim reflexa, ac circa latera utrinque pilosa, dispositi, pulchre cærulei. Hos subsequuntur *semina* in oblongis *capitulis* condita, minuta, rotunda, subnigricantia. *Vid. icon. tab. æn.* 5.

In Æquicolorum *montibus* Fab. Col. *invenit; & juxta dumeta variis in locis* Germaniæ *Septembri & Octobri mensibus florens, reperitur.*

11. Gentiana *palustris latifolia flore punctato, C. B. P. Punctato flore cæruleo Pennæi, J. B. Gentiana Pennæi*

nei cæruleo punctata, Park. *Caulem* habet geniculatum, cubitalem, ſupra *radicem* aliquantulum rubentem. *Folia Gentianæ* majoris ſimilia, ex intervallis bina, ſed multo minora, venoſa, quorum inferiora majora ſunt & longiora pediculos rubentes habentia; ſuperiora vero *cauli* ſine pediculis adhærent, eumque fere amplectuntur. A medio pene caule è foliorum cavitatibus oriuntur *flores* pentapetali, ſtriati, utrinque tres, rarius bini, niſi circa ſummum caulem, *foliis* quinque ſubcæruleis conſtantes, nigricantibuſque *punctis* elegantiſſime notati, quinque *ſtaminibus*, quorum apices lutei ſunt, præditi. Floribus ſuccedunt *vaſcula* cum *ſeminibus Gentianæ* ſimilia, ſed minora. *Radix* parva, multis fibris prædita, ex fuſca lutea. *V. icon. tab. æn. 5.*

Provenit copioſe in Bokemuto *monte. Floret Auguſto menſe.*

Gentianæ perennes.

12. Gentiana *paluſtris anguſtifolia, C. B. P. & Anguſtifolia autumnalis major ejuſd. Anguſtifolia 4. Cluſ. Hiſt. & Pan. Pneumonanthe, Tab. Ger. In humentibus ericetis, Lob. Gentianæ ſpecies, Calathiana quibuſdam radice perpetua ſive paluſtris, J. B. Campanula pratenſis, Lugd.* *Radice* nititur tenui, flaveſcente, in multas appendiculas divulſa; unde *caules* aliquot dodrantales, graciles, eriguntur, obſcure rubeſcentes, firmi, foliis oblongis, anguſtis, & *Hyſſopi* pene ſimilibus, æquali ſitu naſcentibus, veſtiti. In horum faſtigiis *alabaſtrum* dentatum ſuſtinet *flores* calathiformes, ab anguſta baſi ſurſum verſus ſenſim latiores, prope orificium extremum in quinque angulos definentes, coloris elegantis cærulei. *Stamina* quinque albida *ſtylum* bifidum cingentia, medium umbilicum occupant. Sequuntur oblonga *conceptacula* in bina diviſa, *ſemine* exili & pallido rubore nitenti, prægnantia. *V. icon. tab. æn. 5.*

In ericetis humidioribus & pinguioribus agri Lincolnienſis, *comitatus* Bercherienſis, *aliiſque* Angliæ *compaſcuis humidis naſcitur. In* Germaniæ *etiam locis uliginoſis ad pedes montium reperitur. Autumno floret.*

13. Gentianella *minima verna flore cæruleo, Eyſt. Gentianella verna minor 6. Cluſ. Hiſt. Gentianella verna major, C. B. P. Gentianella quæ Hippion, J. B.* Oblonga fulveſcens *radicula* ſurculoſa, & tenuiter fibrata, abit in *cauliculos* complures, pollice duplo altiores, ſubtus denſe ſtipatos, *foliolis* è rotunditate oblongis, *Centaurium luteum* affectantibus, viridibus, aliquot nervis virgatis, quæ alia minora & rariora, mediam ex intervallis partem veſtientia, geminatim æquali ſitu ſequuntur. *Floſculi* oblongis *calyculis* emittuntur, vivido colore cæruleum æmulantes, è tubulis concavis, in folia quina lata, & prope triangula, ambitu minimum crenata, dilatati, & ad umbilicum *apophyſibus* exilibus, mucronatis, à ſe invicem diſtincti. *Semina* ſubnaſcente acuminato vaſculo latent. *V. icon. tab. æn. 5.*

Sub finem Junii menſis floret; & in Cantabricis & Pyrenæis, *& in celſiſſimis* Sneberg, Snealben, Etſcher, & Dureſtain *montibus, herbido ſolo,* Cluſius *invenit. In conſimilibus locis circa* Genevam *fuſe ſe ſpargit.*

14. Gentiana *5. ſive Gentianella verna major, Cluſ. Hiſt. Ger. Alpina verna major, Park. Alpina magno flore, J. B. Alpina anguſtifolia magno flore, C. B. P. Gentianella Helvetica, Lob. icon.* Humilis hæc planta, palmum vix ſuperans, *foliis* ſuis latiuſculis, craſſiuſculis, duris, mucronatis, pallide virentibus, *Myrti latioris* ſimilibus, in *capitula Sedi* in modum coacervatis, & *floribus* campanulatis, pro plantæ modulo, ampliſſimis, biuncialis longitudinis, oris quinquefariam diviſis, elegantiſſimi & ſpectatiſſimi cærulei, imo *Ultramarini* coloris, à cæteris facile dignoſcitur. *Vaſculum ſeminale* longum in duas æquales partes diviſum, *ſemina* continet exigua, fuſca. *Radix* flaveſcens, fibrata, propagines plurimas è lateribus emittit. *Vid. icon. tab. æn. 5.*

Montibus Sneberg, & Etſcher, *aliiſque Alpibus continua ſerie productis, perpetua quaſi nive obſitis, Junio & Julio menſibus hoc eſt, primo iſtic vere, floret; ſed in hortos tranſlata & proprio ſolo ponderoſo, fictili & areno ſo commixto & regeſto, inſerta, bene luxuriat, ſummoque ornamento, Aprili & Maio menſibus, flores ſuos pulcherrimos copioſe profert. V. icon. tab. æn. 5.*

15. Gentianella *Alpina latifolia magno flore, C. B. P. & Prod.* Ad *radicem* nigricantem, fibroſam, *folia* humi ſparſa, quaterna, quinave ſubrotunda, craſſa, plantaginis, vel *Calthæ Alpinæ* forma, unciam lata, duas longa apponuntur. Inter ea *cauliculus* uncias quatuor altus, uno alterove *folio* donatur, cui *utriculus* infidet unicum *florem* oblongum, cæruleum, calatho ſimilem ſuſtinens; ejuſque *calyci* utrinque *folium* oblongum adponitur.

Ex Helvetiæ *Alpibus recepit Cl.* C. B.

16. Gentiana *cruciata, C. B. P. Gentiana 3. cruciata, C. B. P. Minor cruciata, Ger. Minor ſeu vulgi cruciata, J. B.* Reptant cum *radice rami* palmares, ſeſquipalmares, & dodrantales, ſubrubentes, teretes; quos crebra ambiunt *folia*, bina ſemper adverſa, vel potius unum continuum ad genicula, tanquam vagina caulem involvens. Utrinque autem exit ſegmentum *Gentianæ* quadruplo minus, *Saponariæ folio* ſimile, tribus ſecundum longitudinem nervis inſigne, læve, pingue, amarum. *Flores* in ramulis extremis è foliorum *alis* conferti, cærulei, quinquepartiti, è *calycibus* vix eminent. *Semen* copioſum, minutum, oblongum, fulvum, inſipidum, *vaſculis* continetur oblongis, bipatentibus, *folliculo* membranaceo obvolutis.

Varietates hujus Plantæ obſervantur. *Altera* eſt ramis procumbentibus & minor; *altera* erecta & major; *alterius* flores intenſe cærulei; *alterius* non. Eſt & *tertia* radice non pertuſa.

Per univerſam *Pannoniam*, tum in collibus montibuſque apertis & gramineis, tum ficcioribus pratis, & herboſis ſecundum vias publicas locis, & in *Germania*, paſſim provenientes, naſcuntur.

Gentianæ *hæ* minores *jam dictæ, utpote amaritudine quadam præditæ eiſdem viribus pollere cenſentur contra peſtem, ad vermes necandos, & obſtructiones movendas, quibus* & majores; *de quibus capite ſuccedente plura traduntur.*

PLANTÆ POLYSPERMÆ

Πολύλοβοι ſeminibus compreſſis.

Gentiana major & Helleborus albus.

CAPUT XIV.

Gentiana *major.*

EXplicatis Gentianis *minoribus, ut plurimum annuis,* Seda *quadantenus referentibus; ad* Majores *& perennes accedamus, quarum* folia *plantaginea, nervoſa, latiora ſunt;* & ſemina *conceptaculis itidem longis inclusa, ſubrotunda, compreſſa,* limbo *ambiente, conſpiciuntur.*

TABULA XI. SECTIONIS XII.

Gentiana major
- *latifolia*
  1. *Lutea, C. B. P. Gentiana veterum, Cluſ. Major, Matth. Gentiana vulgaris major Ellebori albi folio, J. B.*
  2. *Flore punctato, C. B. P. Gentiana major cæruleo flore, Cluſ. Hiſt.*
  3. *Purpurea, C. B. P. Major flore purpureo 1. Cluſ. Gentiana magna flore purpureo, J. B.*
- *anguſtifolia*
  4. *Virginiana Saponariæ folio, flore cæruleo longiore.*
  5. *Aſclepiadis folio, C. B. P. Minor altera, Dod.*

1. Gentiana *major lutea, C. B. P. Gentiana veterum, Cluſ. Major, Matth. Lob. Gentiana vulgaris major Ellebori albi folio, J. B. Foliis* viret latis, longis, tribus aut quinque nervis diſtinctis, veluti *Plantaginis vulgaris,* ſed majoribus, glabris, & lucidis. *Scapi* inter hæc ſurgunt alti, ſimplices, indiviſi, inanes, læves, geniculati, bicubitales, & altiores, *foliis* è ſingulis geniculis binis ſenſim immunitis; circumambientibus coronæ modo ſuperiorem partem ex intervallis *floribus* colore luteo, è ſenis anguſtis petalis radiantis *ſtellæ* inſtar explicatis. Hi autem è *calycibus* exeunt oblongis; in quibus *ſemen* læve, latum, tenue, quale eſt *Leucoii,* colore ſubruſſo ſordens. *Radix* prolixa, craſſa, multifida, intus flaveſcens, ſapore inſigniter amaro, lutei & buxei coloris eſt. *V. icon. tab. an.* 4.

Locis gaudet umbroſis; frequens in Italiæ, Illyrici, Germaniæ, Burgundiæ, & Genevenſium *montibus naſcitur. Floret æſtate, & Autumno ſemen perficit.*

Cl. *Michael Rupert. Beſlerus* in Gazophylacio ſuo Rerum naturalium duas *Gentianas* eleganter ſculpſit. Priorem *Gentianam Alpinam floribus punctatis nigricantibus flaveſcentibus* appellavit. *Flores* huic apparent majores, punctis quamplurimis inſigniti. *Altera Gentiana inſignis Alpina floribus aureis* nominatur; cujus *folia* evadunt ampliſſima; *caules* multo craſſiores; *flores* etiam magis completi, è petalis obtuſioribus conſtructi videntur. Nihil deſcriptionis ſubjunxit auctor. An ſpecies ſint diſtinctæ, an varietates à vulgari provectæ, definire non poſſumus.

2. Gentiana *major flore punctato, C. B. P. Gentiana major pallido flore, punctis diſtincto, Cluſ. Hiſt. Major flore pallido punctato, Park.* Primæ forma & magnitudine plane ſimilis eſt; *flores* tamen multo minores conſpiciuntur, obſolete lutei, plurimis *maculis* nigris intus & foris aſperſi. *Aliam* etiam *flore cæruleo* nominat *Cl. Cluſ. V. icon. tab. an.* 4.

E Sileſiæ *montibus erutam eſſe* Cluſius *teſtatur.*

3. Gentiana *major purpurea, C. B. P. Gentiana magno flore purpureo & albo, J. B. Park.* Huic ampla ſunt *folia,* teneriora tamen & ſaturatiore virore ſplendentia; caules digitali aut pollicari interdum craſſitudine præditi, cubitales & bicubitales, geniculati. Extremos caules ambiunt binæ aut ternæ confertorum *florum* coronæ, purpureorum, majorum, concavorum, in ſenas aut plures *lacinias* obtuſas extremis oris ſectorum, & purpureis interdum punctis, inferiore & interiore parte, qua candidiores & dilutiores ſunt, diſtinctorum, totidem quot ſunt laciniæ *ſtaminibus* longum & bifidum *vaſculum* interne ambientibus; in quo continetur copioſum *ſemen* planum, paleaceum, minus quam quod in *flava majore ſtellato flore* conſpicitur, ſubruſum. *Radix* craſſa, longa, flaveſcens, impenſe amara, digitalibus fibris ſubinde prædita eſt. *V. icon. tab. an.* 4.

In Stiriæ ſuperioris *Alpibus invenitur hoc genus flores albos proferens.* Cluſ.

4. Gentiana *Virginiana Saponariæ folio, flore cæruleo longiore.* Hæc à *D. J. Baniſter* è *Virginia* tranſmiſſa, *caulibus* aſſurgit erectis, aliarum congenerum gracilioribus, geniculatis, internodiis diſtinctis; quibus ex adverſo poſita adnaſcuntur *folia* biuncialis longitudinis, ſemunciam latis, venis per longitudinem decurrentibus donata, & iis quæ *Saponariæ* caulibus adnaſcuntur ſatis ſimilia. *Flores* è *calycibus* quinquepartitis protruduntur unciam & amplius longi, campanulati, cyaneo colore tincti, in quinque lacinias obtuſiores ore diviſi, non omnino patuli, ut in aliis, ſed interne involuti ut non aperti appareant, eorumque plurimi, in ſummo, in coronam concervantur, quibus folia plenam longitudinem ſervantia ſubjiciuntur. Ex ſecundo geniculo *flores* pauci confimiles proveniunt. *Semen* parvum, compreſſum. *V. icon. tab. an.* 5.

5. Gentiana *Aſclepiadis folio, C. B. P. Park. Minor altera, Dod. Gentiana folio Aſclepiadis vulgo credita, J. B. Major* 2. *flore cæruleo Cluſii, Ger. Radix* lutea, digitalis craſſitudinis, multas oblongas *fibras* ſpargit, & in plurima capita augeſcit. *Caules* exinde oriuntur graciles, cubitales, firmi, frequentius geniculati. *Folia*

exeunt

exeunt è regione posita, mollia, in angustum mucronem definentia, ad *Asclepiadis* folia nonnihil accedentia. A medio fere caule ad fastigium usque, ex alarum sinu, singulares ex adverso siti exsiliunt *flores* pauci, oblongi, concavi, in quinque angulos acutos definentes, colore nunc purpureo, & saturatiore cæruleo, modo dilutiore, & veluti cineraceo. *Vasculum* subsequitur bicorne, quo per maturitatem hiante, *semen* conspicitur planum, paleaceum, cineracei coloris, superioribus minus. *V. icon. tab. an. 5.*

In Pannoniæ, Stiriæ, Austriæ inferioris, *ad montium radices, umbrosis collibus, copiose provenit. In hortos vero translata, (sicut & aliæ hujus familiæ) culturam fere respuit & paucis annis languescere videtur, citoque præmoritur.*

Temperamentum & Vires.

Gentianæ majoris radix *solummodo ad usus expetitur; haud leviter amara est, nec vim calefaciendi & exsiccandi remissam habet. Aperit, attenuat, obstructionesque reserat. Contra febres intermittentes inter auxilia efficacissima habetur, viribus* Chinæ Chinæ *seu* Cort. Peruv. *vix cedens, si fides* Ettmullero, *qui non semel hujus Rad. ut* Chinæ Chinæ *succedaneam commendavit. Ille vero* Corticis pulverem *non ultra drachmam unam vel alteram præscribit; sed nec plus quidem* radicis Gentianæ. *Porro sudores excitat; venenis ac pesti resistit. Contra morsus canis rabidi laudatur. Stomacho gratissima est, & appetitum dejectum restituit; corporis universi cachexiam corrigit.*

PLANTÆ MULTISILIQUÆ

Polyspermæ seminibus compressis.

CAPUT XV.

Helleborus albus.

DE *Helleboro* proprie dicto Cap. 4. hujus Sectionis egimus. Planta de qua jam sermo est, paucis ad illum accedit, & propterea Helleborus albus vulgo audit. Si cui vero *Gentiana major acris foliis plicatis* potius appellari debere videatur, huic ipse nullus repugnaverim.

1. Helleborus *albus flore subviridi, C. B. P. Helleborus albus, Ger. J. B. Elleborus albus, Brunf. Trag. Elleborus albus exalbido flore, Clus. Hist. Helleborum album, Matth. Lob. Veratrum album, Dod. Helleborus albus floribus herbaceis, Eyst. Radix* alba est, crassa, è tumenti nodoso capite in multas, longas subtus *fibras*, æqualis pene crassitudinis, dispersa. *Caulem* edit bicubitalem, rectum, firmum, glabrum, obvolutum tunicis foliorum *Plantaginis* seu *Gentianæ majoris* (cujus etiam convictu potissimum gaudere *Lobelius* asserit) tunicis respondentium; sed majora *folia*, pallide virentia, subhirsuta, liratim striata, & in plicas vestium modo se contrahentia, in mucronem finiuntur; atque per frequentes horum amplexus *caulis* gracilescens assurgit in *spicas* virgatas, racematim refertas condensatis *floseulis* radiatis, è senis angustis *petalis* herbaceis, pallidiusculis, striatis, & totidem in umbilico *staminulis* digestis. Succedunt angustæ *siliquæ* lato nonnihil & acuminato *semine* gravidæ. *V. icon. tab. an. 4.*

Montanis asperis gaudet; non modo in Græcia, Italia, *& aliis calidioribus regionibus, verum in* Germaniæ & Helvetiorum *montibus viret; ut & in plerisque* Pannoniæ & Austriæ *montibus. Floret æstate, & sub Autumnum legendæ sunt radices.*

2. Helleborus *albus flore atrorubente, C. B. P. Eyst. Albus præcox atrorubente flore, Park. Albus præcox, Ger. Elleborus albus flore ex purpureo nigricante, Clus. Hist.* Formæ similitudine facile se prædicto affinem ostendit, licet vere præcocior egerminet. *Caulis* purpurascens procerius assurgit. *Folia* prima latiora, & caulibus adnata angustiora sunt. *Flores* spicatim & racematim nati conformes, atrorubentes sunt. *Vascula seminalia* terna frequenter, interdum quaterna simul juncta, *semina* longa compressa continent. *V. icon. tab. an. 4.*

In cæduis sylvis Ungariæ *provenit.*

Vires & Usus.

Similes Hellebori nigri *possidet qualitates, quæ in hoc tamen multo fortiores; nam ἄνω κὴ κάτω cum impetu operatur. Atque hinc est quod quidam ab exhibitione interna deterreantur, ne per vehementem purgationem inferatur lethalis convulsio. Certum est nihilominus Medicos peritos ab ejus usu non abstinuisse.*

Mayernus *utrumque* Helleborum *in mania & melancholia æqualiter commendat, & utriusque præparandi & exhibendi methodum tradit. Observatu dignum est quod idem annotavit* D. Cademan; *viz. si* Hellebori albi radix *ad drachmas duas infundatur in uncias quinque vini Muscatellini, atque hujus infusi detur cochleare unum, blande movet vomitum pituitæ viscidissimæ, & subducit alvum. Operatur sine periculo, & (quod notandum) consumpto primo vino si novum addatur, etiam sæpius succedit bona operatio, ut ex Croco Metallorum.*

Pulvis *hujus* Hellebori *errhinis admisceri solet, quo fiant acriora & magis irritantia.*

SECTIONIS DUODECIMÆ

Distributio Secunda.

Præmissis Plantis multisiliquis disjunctis, *ad* Multicapsulares polyspermas *progrediemur; quibus in singulis floribus succedunt vascula communi cute seu velamine tecta & conjuncta, in plures cellulas, membranulis interioribus semina plurima continentes, divisa.*

Helleborine, Bifolium, Orchis, Pseudo-orchis, Orobanche, Pyrola; Ficoides, Aristolochia, Asarum, Nymphæa, Pseudo-nymphæa, Nigella, Gossipium, & Melianthos.

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyspermæ.

CAPUT XVI.

Helleborine.

HElleborine *quasi parvus* Helleborus *dicitur*. Dioscor. *quidem* ἐλλεβορίνην θαμνίσκον μικρὸν, *hoc est parvum fruticulum esse dicit, habentem* ἐλάχιστα φύλλα, *id est, minima folia*. Plinius *vero, l.* 27. *c.* 9. Helleborinen parvam *esse tradit* herbam exiguis foliis. *Et parva quidem nostra hæc* Helleborine *& herba, & θαμνίσκος est; θαμνίσκος siquidem herba sit cujus* cauliculus *rectus assurgit, etiamsi unicaulis sit.*

TABULA XII. SECT. XII.

- *Helleborine*
  - *flore minore purpurascente*
    - *montana*
      1. *Latifolia, C. B. P. Elleborine, Dod. J. B.*
      2. *Floribus densius compactis, Nobis. Helleborine altera atrorubente flore, C. B. P. Elleborine botryoides sive Alisma racemosum, J. B.*
      3. *Flore carneo, C. B. P. J. B. 4. Clus. Hist.*
      4. *Angustifolia spicata, C. B. P. 5. Clus. Hist.*
      5. *Angustifolia, C. B. P. Elleborine 6. Clus. Hist.*
      6. *Tenella tribus in caule foliis prædita, J. B. 7. Clus. Hist. C. B. P.*
    - *palustris*
      7. *Sive pratensis angustifolia, C. B. P. Elleborine 2. Clus. Pan. 3. Hist.*
      8. *Seu pratensis nostras radice repente.*
      9. *Repens Plantaginis folio, Nobis. Pseudo-orchis, C. B. P. Orchis minor radice repente, Cam.*
      10. *Radice repente, tessulatis foliis, Nobis. Orchis radice repente, maculatis foliis, Breyn.*
  - *flore majore*
    - *albo*
      11. *Sive Elleborine flore ex albo subluteo, J. B. An Damasonium Alpinum, Lugd?*
      12. *Vel Damasonium montanum latifolium, C. B. P. Helleborine flore albo, Tab.*
      13. *Palustris angustifolia, Sherardi.*
    - *luteo*
      14. *Rotundo, sive Calceolus, C. B. P. Calceolus Mariæ, Lob. Eyst.*
      15. *Virginiana flore luteo majore.*
      16. *Teniore folio Virginiana diphylla flore longiore. Helleborine Virgin. Ophioglossi folio, D. Banist.*
    - *purpureo*
      17. *Sive Calceolus Marianus hirsutior flore rotundo maximo purpurascente, Nobis. Calceolus Marianus Canadensis, Cornuti.*

1. Helleborine *latifolia montana, C. B. P. Helleborine, Dod. J. B. Tab. Ger. Epipactis sive Helleborine latifolia, Eyst. Cam. Ep.* Radicibus numerosis fibratis firmantur *Helleborines* species, iisque ab *Orchitibus* præsertim disterminantur. *Caulem* cubitum æquantem, non ramosum, involvunt hujus *folia* indiscriminatim posita, *Hellebori albi* angustiora, minora, è latitudine in mucronem definentia, nervosa, & ad *Damasonii nothi Dod.* aut *Polygonati folia* accedentia, secundum longitudinem venis distincta. *Flores* in summitate spicatim inter multas strictas foliorum appendices prodeunt, parum ab *Orchitum* floribus distantes, quas constituunt *petala* bina purpurascentia, subinde & terna, ex albidis herbacea, utraque expansa. Istorum medio

ceu exenteratum muſcæ cadaverulum ex albo purpuraſcens conſpicitur. Flori ſubeſt canaliculatum *capitulum* oblongum, pediculo inhærens brevi, quo aucto, *ſemen* clauditur minutiſſimum & pulviſculo ſimile. *Flores* variare auctor eſt *Camerarius*, confirmatque quoſdam *virentes* eſſe, alios *albicantes*, alios *rubellos* ſive *incarnatos & rubentes*, præſertim in *Auſtria & Ungaria*. *V. icon. tab. æn.* 11.

In ſylvis cæduis & montoſis, lucis & opacis variis locis Angliæ, Germaniæ, Auſtriæ, & Ungariæ, *æſtate florens, reperitur.*

2. Helleborine *altera atrorubente flore, C. B. P. Park. Elleborine botryoides ſive Aliſma racemoſum, J. B. Thal.* Seſquidodrantalis eſt planta *caule* geniculis diſcreto, ex quibus continuo ordine *folia* ſua exſerit, *Plantaginis majoris* folia fere imitantia, ſeſcunciam lata. *Flores* racematim quaſi in longo recurvoque ſcapo dependent plurimi rubicundi. Hactenus *J. B.* Eadem fortaſſe eſt quam in ſylvis haud longe ab oppido *Stoken-Church* dicto invenimus, quæque præcedenti altius aſſurgit. *Folia* anguſtiora plura, in *caule* crebrius ſunt diſpoſita. *Flores* atrorubentes, copioſiores, imo triginta & plures, cum foliolorum appendiculis, *ſpicam* pedalem, frequenter recurvam, conſtituunt.

Menſibus Julio & Auguſto floret; cum tamen alterius Maio & Junio conſpiciantur flores.

3. Helleborine *flore carneo, C. B. P. J. B. Helleborine* 3. *Cluſ. Pan.* 4. *Hiſt.* Huic minor eſt altitudo; ſimilia interdum *folia*, nonnunquam multo latiora; *flores* aut omnino purpuraſcentes, aut omnino aut prope carnei.

Creſcit in montanis pratis & cæduis ſylvis Auſtriæ.

4. Helleborine *montana anguſtifolia ſpicata, C. B. P. Elleborine* 4. *Cluſ. Pan.* 5. *Hiſt.* Cubitalem altitudinem ſuperat, & ampliſſima omnium ſunt illi *folia*, atque oblonga purpuraſcentium florum *ſpica*. *V. icon. tab. æn.* 11.

Naſcitur in multis Pannoniæ & Auſtriæ *ſylvis, & ad montanorum pratorum margines. An a præcedenti differat necne parum conſtat.*

5. Helleborine *montana anguſtifolia purpuraſcens, C. B. P. J. B. Helleborine* 5. *Cluſ. Pan.* 6. *Eid. Hiſt.* Cubitalis *caulis* anguſta gerit *folia*. Summitas autem definit in *ſpicam* ſex aut octo *florum*, quinis *petalis* elegantiſſimi diluteque purpurei coloris conſtantem; inter quæ latet quædam veluti *galeola*, muſcarum proboſcidi ſimilis, *labrum* inferiore parte adnexum habens, æqualis fere cum petalis longitudinis, candicans, intus ſtriatum. *V. icon. tab. æn.* 11.

Floret Junio, nonnunquam etiam Julio menſe.

6. Helleborine *tenella tribus in caule foliis prædita, J. B. Elleborine* 7. *Cluſ. Hiſt. C. B. P.* Plantam exſiccatam accepit *Cluſius*. Pedalis fere erat altitudinis, gracili *caule*, tribus *foliis Elleborines vulgaris* foliis forma ſimilibus, & quinque nervis per longitudinem eorum excurrentibus, ſed longe minoribus, ut quæ circiter unciam longa ſint, duntaxat ſemunciam lata. Summus *caulis* in *ſpicam florum* definit, *Orchitis* & *Elleborines vulgaris* flores imitantium, ſed minorum. Radix ſumma quaſi tellure ſparſa, craſſiuſculas ſucculentaſque *fibras* agit.

7. Helleborine *anguſtifolia pratenſis ſive paluſtris, C. B. P. Elleborine* 2. *Cluſ. Pan. & recentiorum* 3. *Eid. Hiſt. Damaſonium flore herbaceo intus nonnihil candicante, J. B. Helleborine flore viridante, Park.* Pari cum prima magnitudine, paullo latioribus *foliis* donatur, minoribuſque *floribus*, qui etiam quinque *foliis* conſtant, & *galeolam* cum prominente *labro* amplectuntur, coloriſque ſunt herbacei, interius nonnihil candicantis, nullius odoris. Atque his toroſa contortaque *capita* ſubſunt.

Invenitur in quibuſdam Auſtriæ & Pannoniæ *ſiccioribus pratis*. *V. icon. tab. æn.* 11.

8. Helleborine *paluſtris ſeu pratenſis noſtras radice repente. Radix* à cæteris diſtinctionem indicat, quæ in pratis & locis humidis, ſub terra, *fibris* adnexis, repit. Hinc *caules* oriuntur pedales, ſimplices; quos *folia* tres quatuorve uncias longa, unam lata, venis per longitudinem decurrentibus, ſtriata, baſi ſua amplectuntur. *Flores* quoque ſpicatim è ſinubus *foliolorum* exiguorum provenientes naſcuntur, qui pediculorum loco *vaſculorum ſeminalium* rudimenta habent, petalis quinis conſtructi. Horum autem tria externa purpuraſcunt, binaque interna magis albeſcunt; medium *floſculus* occupat *Orchitis* ſimilis, *labello* albicante dependente. *Vaſcula* ſubſunt oblonga, ſtriata, quæ matura & exſiccata, in plures partes diviſa, *ſemina* includunt exigua, fuſca, pulverulenta.

Julio menſe floret, & in pratis & humidis locis ſylvoſis non raro reperitur.

9. Helleborine *ſylvatica repens Plantaginis folio, Nobis. Pſeudo-orchis, C. B. P. Orchis minor radice repente, Cam. Orchis repens, Eyſt. Park. Radices* fert geniculatas, albeſcentes, & hinc inde divaricatas; *folia Pyrolæ minoris* magnitudine, craſſa, atrovirentia, nervis diſtincta, *albis lituris* ſive ſtigmatibus ſubinde notata; inter quæ *cauliculus* palmaris raram in ſummo *ſpicam* ſuſtinet, parvis è pallore albeſcentibus *floſculis*, *Orchitis* ſpiralis modo congeſtam. *Vid. icon. tab. æn.* 14.

In opacis ſylvis, & in ramentis arborum quæ longa vetuſtate emarcuerunt, ſponte naſcitur, Camerario *auctore.*

10. Helleborine *radice repente, foliis maculis nigris teſſulatis, Nobis. Orchis radice repente, foliis maculis nigricantibus, Mentzelii.* Hæc duplex, *Major* & *minor* eſt. *Radicibus* fibroſis & *foliis* Plantagineis, nervis *Helleborines* ritu decurrentibus, cum præcedenti convenit. Hujus *folia* quadratis maculis, pene æqualibus, nigricantibus, inſigniter teſſulata ſunt. *Cl. Mentzelius* magnitudine variare confirmat, quod una ſit *caule* dodrantem alto, altera palmum non ſuperante, *floribus* plurimis ad unum latus vergentibus, ſpicatim diſpoſitis; quorum ſingulis *vaſculum ſeminale* pediculi loco, ut in aliis hujus familiæ, ſubeſt. *Vid. icon. tab. æn.* 11.

11. Helleborine *ex albo ſublutea, J. B. An Damaſonium Alpinum, Hiſt. Lugd?* *Caule* ſurgit recto, ſeſquicubitali plus minus. *Foliis* veſtitur pluribus, alterno ſitu poſitis, perfoliatis, latioribus quam *Helleborines flore albo*, venoſis, & ſtriatis, ut *Hellebori albi*, ſed multis numeris minoribus, ſature virentibus. *Caulis* ſummitates thyrſus occupat *florum* ex albis luteorum, *galea* alba, *labelloque* luteo & ſubcroceo præditorum; è quorum ſinu *piſtillus* firmus, craſſus, cum apiculis farinaceis emergit. Ad horum pediculos ſemunciam longos, ſingularia extrorſum conſpiciuntur *foliola* parva, acuminata. *Radix* fibrata ad *Hellebori* radicem accedens, valde profunde radicatur. Sapor amarus admodum *foliis* & *floribus* eſt.

Menſe Maio florentem in limitibus Montbelgardenſis *ditionis verſus* Matthæi *arcem in vepribus, & in monte dicto* Montbar, Jo. Bauh. *collegit.*

12. Helleborine

12. Helleborine *flore albo, vel Damaſonium montanum latifolium, C. B. P. Helleborine, Dod. Helleborine flore albo, Tab. Ger. Elleborine 2. Cluſ. Hiſt. Aliſma quorundam, Cord. Hiſt. Epipactis anguſtis foliis, Eyſt.* Radices denſa craſſarum, albeſcentium *fibrarum* congerie conſtant; *caulemque* ſubminiſtrant pedalem, atque in eo ſena aut ſeptena *folia* duas uncias longa, unam lata, nitida, glabra, ab exortu ſuo per longitudinem nervis firmata, quaſi illum circumvolventia. *Flores* in ſummo caule quinque vel ſex, congenerum ampliores, albi, quinis *petalis* conſtantes, & in medio veluti parvam *galeam* complectentes ſub flavo *labro*, non multum ab Orchitum floribus diſtantes, inodori ſunt. Anguloſa etiam contorta, & ſtriata habet *capita*, minimum *ſemen* & ſcobis inſtar continentia. *V. icon. tab. æn.* 11.

In ſylvis montoſis & cretaceis circa Stoken-Church, *agri* Oxonienſis; *& in toto montium tractu* Henley *oppidum attingente, Maio florens, invenitur hæc elegans planta. Circa* Genevam *etiam, & in* Germania, Auſtria, *&* Ungaria *reperitur.*

13. Helleborine *paluſtris anguſtifolia flore albo, Sherardi. Caulis* extollitur dodrantalis & pedalis; cui *folia* quatuor uncias longa, ſemunciam plus minus lata, in acutum mucronem extenuata, ſe involventia, ſex, ſeptem & interdum plura, adnaſcuntur. *Flores* ſummum occupant, præcedentis ſimiles, pentapetali, albi, de quibus *labrum* dependet luteum, & (quod huic ſpeciei proprium) floribus nulla ſubjiciuntur foliola, aut appendices.

In palude propre Lactarium *in* Crevetenau Ballina-hinch *in* Hibernia, *collegit Cl. D. D.* Sherard, *qui & pro ſolita humanitate nobiſcum communicavit. Eandem etiam D.* Newton, *in* Eboracenſi *Comitatu, invenit, &* Helleborinen foliis prælongis acutis *appellavit. Cl. Botanicus D. D.* Richardſon *ibidem quoque detexit & tranſmiſit.*

14. Helleborine *flore rotundo ſive Calceolus, C. B. P. Calceolus Mariæ, Lob. Eyſt. Ger. Elleborine major ſeu Calceolus Mariæ, Park. Aliſmatis ſpecies flore ferrugineo, & Coſmoſandalos, Geſn. Hort. Damaſonii ſpecies quibuſdam ſive Calceolus D. Mariæ, J. B. Elleborine recentiorum.* 1. *Cluſ. Hiſt. Radices* nigricantes, plurimum fibratæ, longe ac late tranſverſis proceſſibus ſub tellure diffunduntur, emittentes *caules* aliquot ſingulares, ſeſquidodrantales, alternatim arcte ſeptos *foliis Plantaginis mediæ* aut *Hellebori albi* ſimilibus, per longitudinem nervis firmatis. Vertice tenus longi, nutantes *pediculi* in ſinu folii ſuperioris ſuſtinent *florem* unum ac alterum, quaternis oblongis *foliis* acutis, dilute virentibus, aut in quibuſdam obſcura purpura nigricantibus, decuſſatim poſitis, conſtantem. Flos iſte è centro ſuo oblongum, ovalem, concavum *utriculum*, columbinum ovum fere æquantem magnitudine, exterius flaveſcentem, interius purpuraſcentibus *venulis* & punctis quaſi ſtriatum, affixum habet; ſuperne *calceoli* ritu patentem, atque verſus pediculum duplici anſula nonnihil obtectum. *Capitulum* illi ſuccedens oblongum, minimi digiti craſſitudinem æquans, triangulum, tenue, & veluti pulvereum *ſemen* continet. *Radix* ſuperiorum annorum caulis impreſſa veſtigia retinet, qualia in *Polygonato* conſpiciuntur. *V. icon. tab. æn.* 11.

Sunt qui *albo flore* præditam inveniri dicant.

In Alpibus Helveticis *aliiſque* Germaniæ, *frequens occurrit; & in* Pannonia, *& montibus* Genevenſibus. *In* Anglia *quoque reperitur, ſed rarius, v. g. in ſylva quadam prope montem* Ingleborough Helkſwood *dicta.*

15. Helleborine *Virginiana ſive Calceolus flore luteo majore.* Hæc à *D. Baniſter* tranſmiſſa, *flores* duplo majores, luteos, profert. Aliquando *utriculi* floreſve bini ex eodem pediculo ſeu exortu provenientes conſpiciuntur. *V. icon. tab. æn.* 11.

Noſtram floribus minoribus donatam è Virginia *accepimus.*

16. Helleborine *Virginiana diphylla ſive Calceolus tenuiore folio, flore luteo longiore, Nobis. Helleborine Virginiana Ophioglоſſi folio, D. J. Baniſter. Caulis* ei erigitur pedalis, gracilis, lævis; cui prope terram unicum *folium* biunciale, anguſtum, *Ophioglоſſi* fere æmulum, eundem amplectens, adponitur. Summitatem verſus & poſt ſpithamæ intercapedinem alterum conforme, ſed minus, adhæret. Apex, unico *flore* nutante, concavo, ſubrotundo, longiore & tenuiore luteo, *Leucoii bulboſi* primo intuitu quadammodo æmulo, quatuor *foliolis* tenuibus & quaſi gramineis, ſeſcuncialibus, ſubfuſcis, ſubſtratis & cruciatim diſpoſitis, ornatur. *V. icon. tab. æn.* 11.

17. Helleborine *flore majore purpureo, ſive Calceolus Marianus hirſutior flore rotundo maximo purpuraſcente, Nobis. Calceolus Mariæ Canadenſis, Cornuti.* Rara hæc planta omnino diverſa *folia* profert, ut plurimum bina, *Hellebori* in modum nervoſa, aliis hujus generis ampliora & longiora, averſa parte potiſſimum, & ad margines, molli hirſutie pubeſcentia. Flores ſummis *caulibus* inſident, nunc ſinguli, nunc bini; ad quorum cujuſlibet exortum *folium* enaſcitur longum, anguſtius; & *petiolo* biunciali, aut potius *capſulæ ſeminalis* rudimento quaterna conſtant *folia* petalave, aliis conſortibus latiora & breviora, pallida; è quorum umbilico *utriculus* amplus, *calapodium* referens, concavus, intus albeſcens, & exterius ſordide purpuraſcens, venoſus, ore qua parte ſolet pes inſeri magis patulo, prominet. *V. icon. tab. æn.* 11.

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ ſeminibus pulverulentis.

CAPUT XVII.

Bifolium *ſive* Ophris.

INter Helleborines & Orchites *mediæ cujuſdam naturæ eſſe videtur* Bifolium: radices *enim* fibratæ, foliaque venoſa Helleborines *ſimilia ſunt;* & flores *quales ſunt* Orchitum. *A* numero *foliorum, quibus* & radicibus *dignotu facile eſt, nomen accepit.*

TAB.

TABULA XIII. SECT. XII.

Bifolium
- *majus*
  1. *Vulgare, Nobis. Ophris bifolia, C. B. P. Bifolium majus ſive Ophrys major quibuſdam, J. B.*
- *minus*
  2. *Paluſtre, Park.*
  3. *Sive Ophris minima, C. B. P. & Prod.*
  4. *Sive Ophris minima floribus purpurocroceis, Mentzel.*

1. Bifolium *majus vulgare, Nobis. Ophris bifolia, C. B. P. Bifolium majus ſive Ophrys quibuſdam, J. B. Pſeudo-orchis Bifolium, Dod. Ophris bifolia, Ger. Aliſma Cordi, Geſn. Hort.* Ad *Orchitum* familiam pertinere *Bifolium* dubitari vix poſſet, niſi *radices* multiplices fibroſæque ſcrupulum injicerent, ſiquidem *flores* eleganti thyrſo diſpoſiti, quam proxime accedunt, herbacei, *culicum* fere formam exprimentes, bifido *labello*, *galea* lateralibus *foliolis* incumbente; quibus in *caule* ſingulari, tereti, pedali & cubitali, hirſuto, *utriculi* ſuccedunt, quales in *Orchitibus* conſpiciuntur, oblongi, hexangulares, pulvereo *ſemine* referti. *Folia* duo ſolummodo habet, eaque ad *caulem* ſibi mutuo oppoſita, ſubrotunda, lata, nervoſa, *Plantaginis* latifoliæ ſimilia, ſed minora.

In ſylvis udis montoſis & opacis, necnon in pratis, Menſibus Maio, Junio, & Julio florens, ſatis frequens reperitur.

2. Bifolium *paluſtre, Park.* A *Bifolio vulgari* parvitate ſua differt, & quod interdum etiam trifoliatum ſit & anguſtius; virore inſuper & glabritie foliorum; *florum ſpica* multo minore; *floſculis* ſingularibus alias ſimilibus & concoloribus; denique *radicibus* ſub terra reptatricibus diſcrimen agnoſcit.

In paluſtribus variis Angliæ *locis, v. g. in agro* Cantabrigienſi, *prope* Gamlingay; *in humidis locis prope* S. Albani *oppidum* & Hatfield, *in agro* Hartfordienſi; & *in* Cantio *invenitur.*

3. Bifolium *minimum, J. B. Ophris minima, C. B. P. & Prod. qui & hunc in modum deſcribit:* E *radice* ſubflaveſcente, fibroſa, & *Orchites* redolente, *cauliculus* ſimplex, trium quatuorve unciarum, ſub *foliolis* prodit; cui *foliola* duo, *Ophrios vulgaris* modo apponuntur, quæ parva ſunt, glabra, ſplendentia, coloris *Unifolii*, & nonnihil in cordatam effigiem, è rotundiuſcula figura diſcedentia, quibus cauliculi altera pars, ſimiliter trium quatuorve unciarum ſupereminet, cujus ſummo *floſculi* parvi, herbacei inſident, in *Ophrios vulgaris* floribus, exilitate ſola recedentes; quibus *vaſcula* exigua ſuccedunt.

Julio menſe potiſſimum floret loco natali, ſed in hortos cum gleba ſoli natalitii traſlata, citius. In opacis muſcoſiſque ſylvis Broccio & Offmannino *vertici dicto intervenientibus naſcitur.* C. B. *In ericetis udis in* Anglia, *ſed rarius, in ſeptentrionali parte Com.* Eboracenſis, & *in monte* Pendle *dicto invenitur.*

4. Bifolium *ſive Ophris minima floribus purpurocroceis Alpina, Mentzelii.* Solo florum colore à præcedenti diſtingui videtur.

In ſcopulo alpeſtri Mittenwaldenſi, *media via inter* Inſpruck & Munchen, *invenit auctor.*

Temperamentum & Vires.

Adſtringentis facultatis habetur Bifolium: *deguſtantibus enim viſcidum ac glutinoſum videtur; unde à quibuſdam ad rupta & vulnera conglutinanda commendatur: ſed uſus ejus jam rarus eſt, & in officinis nullus.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ binis tuberculis ſubrotundis præditæ, ſeminibus pulverulentis.

CAPUT XVIII.

Orchis.

ORchis *ſive teſticulus*, Græcis ὄρχις *ab effigie* radicis, *gemino quaſi tubere conſtantis*, teſticulos (τὰς ὄρχεις) *imitantis nomen accepit. Et quidem generandi ſeminis, & efficaci veneris excitandæ facultate pollere, affirmant veteres.* Satyria *quædam nominatæ fuere etiam ab effectu; nam hæc planta in ſylvis à* Satyris *fuit inventa, ad venerem excitandam.*

Radices *rotundiores* Cynoſorchites *ſeu* teſticulos caninos; *longiores vulpinos & hircinos appellavere. Nonnullis tubercula ſunt palmata & in digitos diviſa: horum alterum (cujuſcunque ſit formæ, tempore florendi, quo ut plurimum effoditur) flaccidius & levius eſt; alterum vegetius ac ponderoſius: hinc tironum prima pene notio eſt, quod hoc in aqua fluitet, illud ſubſidat, nec id injuria quidem: notandum enim eſt, quod plerarumque plantarum tuberoſarum & bulboſarum* radices *quotannis mutentur; hujus autem generis* radix *menſibus autumnalibus & hyemalibus ſolummodo ſimplex eſt; & cum, vernali & æſtivo tempore, foliis, caulibus, & floribus, abſumptis exeat, flaccidior, levior, & vilior evadit; quo tempore & altera conſubſtantialis, ei à latere poſita, ſucceſſionem ſervans, de novo enaſcitur; priorque autumno tota perit.*

Orchites ſunt vel *teſticulatæ*, vel *palmatæ*: teſticulatæ, vel *flores galeatarum & labiatarum* plantarum floribus ſimiles, vel animalia varia referentes, ſpicatim proferunt. *Folia* mollia, liliacea, longa ſunt; *vaſcula ſeminalia* longa, in plures partes per maturitatem diviſa; *ſemina* ſcobis inſtar pulverulenta.

TABULA XIV. SECT. XII.

Orchis teſticulata flore

majore

1. *Sive Cynoſorchis latifolia hiante cucullo major, C. B. P. Orchis latifolia, Eyſt. Cynoſorchis prior Dod. J. B. Cynoſorchis major, Ger.*
2. *Sive Cynoſorchis latifolia ſpica compacta, C. B. P. Cynoſorchis paluſtris, Ger. Cynoſorchis 3. Dod. J. B.*
3. *Morio mas foliis maculatis, C. B. P. Park. Orchis major tota purpurea maculoſo folio, J. B.*
4. *Morio foliis ſeſſilibus maculatis & non maculatis, C. B. P. Orchis morio non maculoſis foliis, Park.*
5. *Morio fœmina, C. B. P. Park. Orchis minor purpurea & aliorum colorum cum alis virentibus, J. B.*
6. *Morio minor, Ger. Cynoſorchis morio minor foliis maculatis, Park. Cynoſorchis minimis ſecundum caulem maculoſis foliis, floribus purpureis, J. B.*
7. *Sive Cynoſorchis obſcure purpurea odorata, C. B. P. Orchis Pannonica 3. Cluſ. Pan. & Hiſt.*
8. *Magna latis foliis, galea fuſca vel nigricante, J. B.*
9. *Fœtida 1. ſive barbata odore hirci, breviore latioreque folio, C. B. P. Orchis barbata fœtida, J. B.*
10. *Odore hirci minor, C. B. P. Tragorchis minor flore fuliginoſo, J. B. Tragorchis fœmina, Ger.*
11. *Sive Satyrium è Guinea delatum Swert. du Bry.*

minore

12. *Sive Cynoſorchis anguſtifolia hiante cucullo, C. B. P. & Prod. Park.*
13. *Sive Cynoſorchis montana purpurea odorata, C. B. P. Orchidis genus parvum flore prorſus purpureo odoris ſuaviſſimi, J. B.*
14. *Purpurea ſpica congeſta pyramidali. An Cynoſorchis militaris ſpica rubente conglomerata, C. B. P?*
15. *Sive Cynoſorchis militaris pratenſis elatior floribus variegatis, C. B. P. & Prod. Park.*
16. *Rubro elegantiſſimo, C. B. Phyt. Orchis flore rubro elegantiſſimo, Cluſ. Pan. 2. Hiſt.*
17. *Batrachites, J. B. Orchis batrachites vel batracheioides C. Gemmæ, Lob. Obſ.*
18. *Anguſtifolia, C. B. P. Teſticulus 16. Minor, Tab.*
19. *Alpina folio gramineo, C. B. P. & Prod.*
20. *Militaris pratenſis humilior, C. B. P. Orchis Pannonica 4. Cluſ. Hiſt.*
21. *Globoſo, C. B. P. Orchis rotunda, Dal. Lugd.*
22. *Odore hirci minor, ſpica purpuraſcente, C. B. P. Orchis Batavica, J. B. 6. Cluſ. Hiſt.*

Orchites teſticulatæ floribus majoribus.

1. Cynoſorchis *latifolia hiante cucullo major, C. B. P. Orchis latifolia, Eyſt. Cynoſorchis prior, Dod. J. B. Cynoſorchis major, Ger. Cynoſorchis noſtras major, Lob. Obſ. Teſticulus latifolius & Satyrium triphyllum, Tab. Orchis & Teſticulus canis officin. Amat.* *Tubera* bina ei ſunt albeſcentia, (quorum dextrum flaccidius & paullo brevius eſt) craſſa, ſucculenta, *Nucis myriſticæ* magnitudine; ſupra quæ ex imo caule aliquot craſſæ expanduntur *fibræ*. *Caulem* hæc ſuffulciunt tantum non ſeſquipedalem, nunc ſimplicem, nunc geminatum; quem quina vel ſena, lata, liliacea, oblonga & dilute virentia, ac per longitudinem venoſa, inferius involvunt, ſine pediculis, *folia*. Superne vero faſtigiatur in ſpicam duplicem, nonnunquam denſiuſculam, *florum* ex albis purpuraſcentium, qui innumeris purpureis *punctis* ſignantur, & ſuperiori parte *cucullum* aut *galeam* patentem efformant. Ex his in parte inferiore lacinioſum quiddam, *canis* aut alterius animalis quadrupedis *exuvio* ſimile dependet. *Vaſcula* ſequuntur oblonga, ſtriata, in plures partes per ſiccitatem diviſa, & *ſemina* inſtar ſcobis volitant ludibrio ventis facta. *V. icon. tab. æn.* 12.

Locis herbidis ad Birſam *& circa* Baſileam *civitatem oritur.*

2. Cynoſorchis *latifolia ſpica compacta, C. B. P. Cynoſorchis paluſtris, Ger. Cynoſorchis* 3. *Dod. J. B. Major ſpica compacta, Park. Cynoſorchis major altera noſtras, Lob. Obſ. Satyrium ſive Orchis major rubra Swert. du Bry.* *Folia* edit anguſta, ſtriata, *Plantaginis anguſtifoliæ* foliis quodammodo ſimilia; *caulem* dodrantalem; *flores* in brevi denſaque *ſpica* copioſos, colore foris puniceo & obſcuriorem purpuram referente, intus vero albicante, ejuſdem cum ſuperioris formæ, ſed tamen minores; dependente quoque rudi ac informi exiguo quadrupedis veluti animantis rudimento. *Radices* ſubſunt aliarum Orchitum ſimiles. *V. icon. tab. æn.* 12.

In herbidis locis Valenæ *ſylvæ, via qua itur ad pagum* Viols, *Maio menſe copioſe florentem collegit* D. Magnol.

3. Cynoſorchis *morio mas foliis maculatis, C. B. P. Orchis major tota purpurea maculoſo folio, J. B. Teſticulus morionis mas, Dod. Cynoſorchis maculata, Ger. Cynoſorchis flore purpureo ſive purpuraſcente, Eyſt. Cynoſorchis morio, Lob.* *Radices olivarum* modo ſubrotundæ ſunt, una nova & plena, altera fungoſa, rugoſa, & flaccida. *Folia* ſunt quinque aut ſex, longa, lata, lævia, *Lilii* foliis ſimilia, quædam minora, ſuperius *maculis* aliquot ſubnigricantibus inſignita; quorum unum & ſubinde alterum caulem amplectitur. *Caulis* dodrantalis eſt. *Flores* in *ſpica* purpurei, circa umbilicum albidiores, odorati, & aſpectu grati. Poſterius *corniculum* habet propendens; anterius vero *cucullum* auriculatum & criſtatum *Morionis* refert: nam *cuculli* cujuſdam & patentis *galeæ* modo *floſculus* hiat, & anguſta *folioła* quæ à lateribus ſurgunt, auriculas; quod vero è medio

è medio attollitur foliolum *criſtam* refert. *Flos* colore variat, *purpureo, carneo, & albo.* *V. icon. tab. æn.* 12.
In herbidis & paſcuis frequens, Aprili menſe exeunte & Maio ineunte florens reperitur.

4. Orchis *morio foliis ſeſſilibus maculatis & non maculatis, C. B. P. Orchis morio non maculoſis foliis, Park. Cynoſorchis Delphinia, Lob.* Seſſilibus maculoſis, ut plurimum, obtuſioribuſque eſt *foliis*; *flore* purpuro-violaceo; *caule* ſeſquicubitali; majuſcula olivari gemina *radice.*

5. Orchis *morio fœmina, C. B. P. Park. Orchis minor purpurea & aliorum colorum cum alis virentibus, J. B. Cynoſorchis fœmina, Eyſt. Teſticulus morionis fœmina, Dod. Radices* huic geminæ. *Folia* quatuor aut quinque humi ſtrata, minime ſunt maculata, eorumque bina *caulem* palmarem amplectuntur. *Flores* pauciores purpurei, interdum carnei, & albi, *ſpicam* breviorem conſtituunt, *labello* latiore punctato. *Florum alæ* latæ, concavæ, & virentibus lineis ſtriatæ; quibus dignoſcitur. *V. icon. tab. æn.* 12.
In paſcuis Maio menſe exeunti paſſim occurrit.

6. Cynoſorchis *morio minor, Ger. Cynoſorchis morio minor foliis maculatis, Park. Cynoſorchis minimis ſecundum caulem maculoſis foliis, floribus purpureis, J. B. Teſticulus 7. morionis minor foliis maculatis, C. B. Phyt. Folia* obtuſiora, humi jacentia, maculata ſunt; *caulis* craſſior. *Flores* è purpurocæruleo colore nitent, *calcari* brevi prona parte donati. *Vid. icon. tab. æn.* 13.

7. Cynoſorchis *obſcure purpurea odorata, C. B. P. Orchis Pannonica* 3. *Cluſ. Pan. & Hiſt. Cynoſorchis flore purpuraſcente, Eyſt. Radices* geminas, quarum una marcida, altera ſucculentior, olivaris formæ & nauſeoſi odoris, oblongæ, craſſæ, *fibrarum* appendiculæ ſuperius nonnihil obtegunt, progreſſæ ex *caule* palmari, aut nonnunquam altiore; quem inferius *folia*, liliaceis minora & anguſtiora, lævia, dilute virentia, & ſenſim gracileſcentia involvunt; ſuperius *ſpica* excipit denſiuſcula, oblonga, conſtituta è *floribus* puſillis, ſuperne galeatis & purpuraſcentibus, & in inferiori parte *labrorum* in quatuor *barbulas* albicantes & purpureis punctis diſcretas divulſis.
Invenitur in pratis Nemeth-wywar Du de Batthyan *vicinis, ſupra* Rabam, *& inter flumina* Muram & Dravum. *Cluſ.*

8. Orchis *magna latis foliis galea fuſca vel nigricante, J. B. Folia* habet quatuor aut quinque, magna, liliacea, palmaria & ſeſquipalmaria, uncias circiter tres lata, ſtriata, nitida, & præter hæc duorum *foliorum* in terra rudimenta. *Caulis* ſtriatus ſeſquicubitalis, ſuperiores partes verſus purpuraſcens, in quo *florum thyrſus* majuſculorum, *galea* brevi, atropurpurea, ſtriata, ornatorum; quibus apprimuntur binæ *alæ* concolores, *calcari* parvo ad pediculum longiuſculum, contortum, anguloſumque appreſſo. De pediculo pendet *labellum* exuvias *martis* aut *Zebellini* expanſas egregie exprimens, una cum cruſculis & cauda adverſa parte ex albo colore purpuraſcens. Intima *floris* penetralia rubro candidoque variegantur colore. *Odor* levis non ingratus; *ſapor* viſcidus inſuavis eſt.
In Ducatu Wirtembergico *menſe Maio medio florentem* J. Bauh. *collegit.*

9. Orchis *barbata odore hirci, breviore latioreque folio, C. B. P. Orchis barbata fœtida, J. B. Tragorchis* (*i. e.*) *Teſticulus hirci, Dod. Lob. Obſ. Maximus, Ger. Folia* lævia, lata, & longa fert, liliaceis proxima, majora quam aliarum *Orchitum; caulem* cubitalem, ſæpe *foliis* nonnullis inferius implicitum; *flores* ſecundum caulem in longa veluti ſpica, multos, fœtidos, & *olentes hircum*, quorum forma patenti quoque *galeæ* ſimilis eſt, ex quibus longa aliquantulum retorta veluti lacertæ cum medio corpuſculo cauda propendet, coloris ejus cujus eſt *caulis, purpureis* aliquot *punctulis* circa annexum maculata. *Semen* in *valvulis* oblongis & ſtriatis gignitur perexiguum. Teſticuli ſubſunt grandes, *fibris* aliquot ſupra adhærentibus. *V. icon. tab. æn.* 12.
Pingui & argilloſo ſolo gignitur, in collibus & inter umbroſas convalles Germaniæ. *In* Anglia *etiam, in* Cantio *via quæ à* Crayford *ad* Dartford *oppidum ducit, invenit* D. Bowle. *Circa* Genevam & Monſpelium *quoque circiter finem Maii florens reperitur.*
An *Orchis odore hirci longiore anguſtioreque folio, C. B. P.* ab altera diſtinguatur necne quærendum.

10. Orchis *odore hirci minor, C. B. P. Tragorchis minor flore fuliginoſo, J. B. Tragorchis fœmina, Ger. Tragorchis minor verior, Park. Gemmæ. Caulis* pedalis ab imo ad ſummum *foliis* anguſtis veſtitur. *Spica florum* congeſta, duos digitos longa eſt, obſoleta purpura tincta. Singulis floſculis ad pediculi exortum apponitur *folium* latis longum. *Floſculi* ipſi parvi pediculis inſident brevibus, adeoque contortis, ut *calcaria* velut amplectantur. *Galea*, ut in aliis, quinque componitur *foliolis* adeo arcte conniventibus & velut agglutinatis, ut una & continua lamina videantur. *Labellum* breve eſt, retrorſum flexum, magis etiam quam in ulla alia *Orchitis* ſpecie, in medio ſeu rictu ipſo punctulis purpureis aſperſum. Dividitur autem in tres *lacinias* ſatis latas, quarum media longiſſima eſt. Color laciniarum ex herbaceo nigricans ſeu fuliginoſus; odor qualis eſt cimicum ingratus. *Vid. icon. tab. æn.* 12.
In pratis ſub Gramuntio *luco ſitis plurima naſcitur, & Maio menſe floret.* Magnol. *Circa* Genevam *etiam in paſcuis invenitur.*

11. Orchis *ſive Satyrium è Guinea delatum Swertii, C. B. P. Radix* ei integra, *Ari* ſimilis, ſubrotunda, & nonnihil compreſſa, grandiuſcula; ſuprema parte Orchitum ritu fibrata. *Caulis* rectus Hyacinthi in modum maculatur; quem *folia* Hyacinthina longa, involvunt. *Flores* umbellatim naſcuntur ampli, ſtellati, *ſtaminulis* longis cum apicibus exeuntibus. *V. icon. tab. æn.* 12.

Orchites teſticulatæ floribus minoribus.

12. Cynoſorchis *anguſtifolia hiante cucullo, C. B. P. & Prod. Park.* Huic *radices* ſunt duæ globoſæ, altera major & vegetior, altera flaccidior, quibus ſuperne *fibræ* aliquot adhærent. *Caulis* cavus, ſtriatus, cubito minor, *foliis* aliquot pallide virentibus, lævibus, ſtriatis, uncias ſex longis, ſemunciam latis, inferne ſitis, & uno alterove ſuperne, caulem amplexantibus. *Spicam* habet oblongam, ex *floribus* raris candore purpuraſcentibus, ex oblongiuſculis pediculis dependentibus, hiantem cucullum referentibus.
Hanc in pratis Patavinis *legit* C. Bauh.

13. Cynoſorchis *montana purpurea odorata, C. B. P. Orchitis genus parvum flore prorſus purpureo odoris ſuaviſſimi, J. B. Foliis* eſt longis, anguſtis; *caule* interdum pedali, *ſpica florum* eleganti, odorata, unciali, *floribus* denſe ſtipato, quorum *galeola* obſcura purpura nitet; hiatus cum propendente *labro* candicant, purpureiſque maculis inſigniuntur.
Invenitur in pratis Nemeth-wywar *vicinis, ſupra* Rabam *& intra flumina* Muram & Dravum.

14. Orchis *purpurea ſpica congeſta pyramidali, Raii. An Cynoſorchis militaris ſpica rubente conglomerata, C. B. P. 2. in Prod?* *Caulis* è *radice* gemina aſſurgit pedalis, *foliis* anguſtis, longis, virentibus, & ſtriatis cinctus; cujus ſummo *ſpica* denſa, pyramidalis, ex *floribus* rubentibus non maculatis, & cum longis calcaribus retrorſum extenſis, conglomerata, inſidet. Horum *cuculli* quinque *foliolis* conſtant, quorum duo velut *alæ* nonnihil exſtant. *Labellum* propendens inferiore parte in tres lacinias dividitur, ſuperiore duobus proceſſibus albeſcentibus, huic Orchiti propriis donatur, qui proceſſus in ſinum exiguum ſeu cavernulam flexi *auriculam* quodammodo referunt. *Variat interdum flore albo.*

In montoſis & herbidis locis ficcioribus, præſertim cretaceis, menſe Junio florens, non raro occurrit.

15. Cynoſorchis *militaris pratenſis elatior floribus variegatis, C. B. P. & Prod. Park.* Hæc *teſticulis* minoribus quam qui in proxime ſuperiori conſpiciuntur, *caule* breviore, *foliis* latioribus, uncias duas longis, etiam caulis ſummum tubi inſtar cingentibus donatur, ut & *ſpica* breviore, ex *floribus* prioris longe minoribus, iiſque ex albo & rubro eleganter variegatis compoſita.

In pratis humidis Michelfeldenſibus *& trans* Rhenum *reperitur.*

16. Orchis *flore rubro elegantiſſimo 19. C. B. Phyt. 2. Cluſ. Pan. & Hiſt. Orchis parvo flore rubro ſive phœniceo, J. B.* Palmo major eſt, *foliis* pluribus non magnis, caulem amplexantibus; *floribus* veluti in ſpica ſeſcunciali, longa, & pene unciali lata diſpoſitis, parvis, rubris, & pene unius coloris. An forte *Teſticulus morio tertius Dod?* Montbelgardi *Junio menſe floret.*

17. Orchis *batrachites, J. B. Park. Orchis batrachites vel batracheioides C. Gemmæ, Lob. Obſ.* *Radices* apparent binis tuberculis longius quam in aliis extenſis; *folia* brevia, latiuſcula; *flores* ſubvirides, ramuli forma, cum *foliolis* aliis lateralibus. *V. icon. tab. an.* 12.

18. Orchis *anguſtifolia, C. B. P. Ger. Orchis minor anguſtifolius in ſuprema parte longis foliis, J. B. Teſticulus 16. minor, Tab.* Qui more ſolito nullam exhibet deſcriptionem. Si icon Plantam apte exprimat, notabile eſt *Orchitis* genus, in eo differens à cæteris, quod *folia* ſuperiora juxta *flores* ſint longa, cum aliis ſint brevia: uti notat *Cl. J. B.* *V. icon. tab. an.* 13.

19. Chamæorchis *Alpina flore gramineo, C. B. P. & Prod.* Planta palmaris eſt, ex cujus *radice* gemina, globoſa, oblonga, *folia* anguſtiſſima, utrinque quaterna, *cauliculum* nudum, triuncialem, qui inter ea fertur, ſuperantia exſurgunt. *Spica* uncialis eſt, cui utrinque *foliolum* breviſſimum ſubjicitur. *Floſculi* virides, galericulati ſunt.

In monte Helvetiorum Gotthardo, *copioſe & acervatim, Junio menſe florens reperitur.*

20. Orchis *militaris pratenſis humilior, C. B. P. Orchis Pannonica 4. Cluſ. Hiſt. Orchis militaris Pannonica, Park. Cynoſorchis minor Pannonica, Ger. Orchis Pannonica, du Bry. Orchis minor flore incarnato, Eyſt. Orchis parvis floribus multis punctis notatis, J. B. quod tamen epitheton magis proprie ſecundæ Tab. proxime ſuccedenti memoratæ tribuatur.* Quoad *radices* cum congeneribus ſibi convenit. *Folia* quinque vel ſex, uncialis latitudinis, longa & acuta humi procumbunt; inter quæ *caulis* aſſurgit gracilis, dodrantalis plus minus, *foliis* minoribus involutus. *Flores* in *ſpicam* ſatis brevem confertim digeſti, ferrugineum conum in faſtigio caulis antequam explicentur æmulantes, odore melleo. *Sunt* autem iſti ſingulares, exigui, *calcari* herbido breviſſimo, *galea* ferruginea, alis vel totis herbidis, vel ex dimidia parte purpurantibus, intus rubro colore punctatis. *Labellum* ſimile quodammodo animaculo quadrupedi, tripartitum vel quadripartitum, alatum, foris penitus albicans, intus creberrimis punctis ſaturate purpureis notatum, *apicibus* in rictu luteis. *Vid. icon. tab. an.* 12.

In montoſis aſperis & ſylvoſis, præſertim cretaceis, oritur. Maio menſe exeunti & Junii initio floret.

21. Orchis *globoſo flore, C. B. P. Orchis rotunda, Dal. Lugd. Cynoſorchis capitulo globoſo, Park.* *Radice* conſtat gemina. *Caulis* cubitalis, rotundus aſſurgit, *foliis* venoſis, longis, carnoſis, anguſtis, ad glaucum colorem vergentibus, *arundinis* in modum amictus, & non (ut in aliis congeneribus fit) telluri incumbentibus. *Flores* non *ſpicam* oblongam conſtituunt, ſed in *capitulis* globoſis digeſti, aliquantulum compreſſis, punicei coloris. Atque his notis à cæteris facile dignoſcitur.

In ſummitatibus montis Juræ, *aliiſque montoſis reperitur.*

22. Orchis *odore hirci minor, ſpica purpurea, C. B. P. Orchis Batavica, J. B. Ger. 6. Cluſ. Hiſt.* Dodrantali aſſurgit *caule,* quem terna aut quaterna ambiunt anguſta *folia.* Summus caulis ſuſtinet breviorem *ſpicam florum* elegantis extus rubri coloris, intus vero paullo dilutioris, trifido *labro* propendente. *Radix* gemina, rotunda. Ingrati eſt odoris, ad *Tragorchitis* odorem accedentis. *V. icon. tab. an.* 13.

Rara inventu creſcit in marinis aggeribus; interdum etiam reperitur circa Hagam *Comitis.* Cluſ. *Hiſt.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ, teſticulatæ, Animantium partes floribus exprimentes.

CAPUT XIX.

CApite *præcedenti de* Orchitibus teſticulatis floribus difformibus, *& majoribus & minoribus, præditù diſſeruimus. Eas jam explicemus, quæ non parum ſpectandum Naturæ artificium in productione florum tam varie formaturum nobis præbent, ſed & planè mirandum: non enim datur aliud ab hoc Plantarum genus in quo tot diverſæ ſpecies, figuræ, & imagines animantium & eorum partes, tam inſigni naturæ luſu efformentur. Hominis enim effigies, avis, apis, veſpæ, fuci, muſcæ, araneæ, papilionis, &c. in* Orchitum *mox explicandarum floribus exhibetur.*

TAB.

TABULA XV. SECT. XII.

Orchis teſticulata { *Serapias dicta* {
1. *Nudi hominis effigiem repræſentans mas, C. B. P. Orchis Anthropophora Oreades, Col. Mas, Park.*
2. *Nudi hominis effigiem repræſentans fœmina, C. B. P. Orchis anthropophora Oreades fœmina, Park.*
3. *Simiam referens, C. B. P. Orchis Zoophora Cercopithecum exprimens Oreades, Col.*
4. *Cercopithecum exprimens Luſitanica* 1. *Et altera, Breyn.*
5. *Galea & alis fere cinereis, J. B. Cynoſorchis latifolia biante cucullo minor, C. B. P. Altera, Dod.*
6. *Strateumatica major, J. B. Cynoſorchis militaris major & minor, C. B. P. Orchis ſtrateumatica, Ger.*
7. *Melitias ſive Apifera, Park. Orchis fucum referens flore ſubvirente, C. B. P.*
8. *Fucum referens major foliolis ſuperioribus candidis & purpuraſcentibus, C. B. P. Sphægodes altera, Park.*
9. *Apem referens Luſitanica, Breyn. Cent.* 1.
10. *Scarabæum exprimens ſive Myodes flore fuſco, Breyn.*
11. *Muſcam majorem cæruleam repræſentans, Breyn.*
12. *Muſcam referens major, C. B. P. Orchis Myodes flore grandiuſculo, J. B.*
13. *Muſcæ corpus referens minor, C. B. P. Myodes, Ger. Myodes galea & alis herbidis, J. B.*
14. *Muſcam referens lutea, C. B. P. Myodes lutea, Ger. J. B.*
15. *Myodes lutea Luſitanica, Breyn.*
16. *Papilionem referens foliis maculatis, C. B. P. Orchis Ornithophora folio maculoſo, Lob. J. B.*
17. *Ornithophora, Ger. Orchis Ornithophora flore colore herbaceo, J. B.*
18. *Alba calcari oblongo, J. B. Alba minor calcari oblongo, C. B. P. Orchis hermaphroditica, Ger.*
19. *Trifolia minor.*
20. *Montana Italica flo. ferrugineo, lingua oblonga, C. B. P. Orchis ſive Teſticulus maximo flore, J. B.*
21. *Montana Italica lingua oblonga altera, C. B. P. Orchis macrophylla, Col.*
22. *Caſtrata, C. B. P. Orchidis genus quibuſdam ſatyrium caſtratum, J. B.*
23. *Cum Aviculis, Ephemer. German.*
}}

1. Orchis *flore nudi hominis effigiem repræſentans mas, C. B. P. Orchis anthropophora Oreades mas, Park. Orchis anthropophora Oreades altera, Col. Part.* 2. Huic *folia* ex pallidis virent, ex *radice*, ut in congeneribus, teſticulata, primum bina, quorum alterum majus & ſeſcuncialis longitudinis, duplam latitudinem ſuperantia. Deinde alia quinque majora, palmum longa, parum nodoſa, quæ veluti ſolliculi *caulem* ambiunt. *Caulis* eſt pedalis, lenis, & vireſcens; in ſummo *flores* denſos in craſſam *ſpicam* & obeſam, & florum ab imo dehiſcentium plenam congeſtos habens, colore antequam dehiſcant rubente, deinde aperti floridam carnem humanam æmulantes, ſuave rubentes, ac ſicuti colore ita etiam effigie nudi hominis figuram exprimentes, brachiis incurvis velut amplexari cupientis, reliqua figura corpus, femora, crura, ſexumque imitantes. Caput inter floris foliola ſuperna includitur, ut in congeneribus. *V. icon. tab. æn.* 12.

Aprili menſe Romæ *floruit*, Columnæ *ex* Aſprenſibus *alpibus allata. In agro cujuſdam pagi appellati* Santo Sebaſtiano, *ad radices* Veſuvii *montis ſponte oritur.*

2. Orchis *anthropophora foliis anguſtioribus, ſpica longiore & tenuiore, Nobis. Orchis flore nudi hominis effigiem repræſentans fœmina, C. B. P. Anthropophora Oreades fœmina, Park. Orchis anthropophora Oreades, Col.* 319. Hæc nudi hominis aut potius mulieris effigiem integram quaſi rudiuſcule exprimere videtur, *floribus* caput habentibus, trifido tegumento tectum, è quo dependent, & in quo non ſolum omnis humana proportio circumſcribitur, ſed & facies fere. *Flores* pallido colore, ac veluti *arenulis* aureis impreſſi micant; circum vero *capitis* tegumentum vireſcens, purpureis oris circundatum, eodem quo in cæteris modo flores in *ſpicam* per *caulis* faſtigium diſpoſiti dependent. *Caulis* ſeſquipedalis, lævis; *folia* ſemipedalia fere, atque unciam vel minus lata. *V. icon. tab. æn.* 12.

Maio menſe floret in montibus ſylvoſis Æquicolorum. *In ſabuleto ad vicum* Dalington *dictum prope* Sudbury, *&* Ovingtonio *vicinis in* Eſſexia *locis* D. Dale *reperit*, D. Raio *monente. Fortaſſe eadem eſt quæ in montoſis cretaceis circa* Henley, Readingum, *aliiſque conſimilibus locis occurrit, & quam* Jo. Bauhinus *Orchitem parvis floribus multis punctis notatis appellavit, qui (ſi ſynonyma ſpectaveris) duas plantas in unam conjungere videtur.*

Puſilla hæc planta elegans palmarem altitudinem raro ſuperat. *Radices* gemellæ, rotundæ, exiguæ ſunt; *folia* parva; *flores* copioſi, parvi, ac racemi inſtar in ſummo coarctati, foris ſpadicei coloris, intus vero candidi, & minutiſſimis maculis aſperſi, pleni. Quilibet *flos* homunculi formam exprimit, brachiis vero & cruſculis brevibus præditi.

Inter *Miſcellanea curioſa German. Tom.* 2. *pag.* 44. *Orchitum anthropophorarum* doctrina uberrime traditur. *Nobil. Franciſ. Corvinus Romæ Lipſiam* tranſmiſit *Orchitem anthropophoram marem*, capite & facie ornatam, brachiis uncialis longitudinis, corpore cruribuſque proportione extenſis. *Alteram fœminam*, facie & capite manifeſto, corpore tenuiore, brachiis & cruribus longioribus & tenuioribus, ut quilibet *flos* biuncialis ad minimum longitudinis, *colore* ſuave rubeſcente ſeu carneo, ac exiguis purpureis punctulis notaretur; extenſis brachiolis,

brachiolis, divaricatiſque cruſculis, corpuſculo & omnibus membris adeo affabre à natura efformatis, ut nihil naturalius pictor aut ſculptor exprimere poſſet. Floruit *Lipſiæ An.* 1648. Plura vide apud *Kercherum.*

Tertia etiam ibidem memorata & ſculpta eſt, cujus non ſolum *radix*, ſed & ipſimet *floſculi* virilis teſtis imaginem naturalem exprimere ſoleant. *Flores* purpurei coloris, in omnibus mentulam ſeu membrum virile ad naturalem formam exprimunt. Hujus picturam Nob. *D. Adamus Tam liber Baro Sileſiæ* ex Italia attulit.

Quartam varietatem edidit auctor, quæ ſimili modo quo & proxime præcedens ſpeciem Mentulæ humanæ ſed inverſæ repræſentat.

De his vero ex Italia *ſolo dicto natali miſſis nihil compertum habemus.*

3. Orchis *Simiam referens, C. B. P. Orchis Zoophora Cercopithecum exprimens Oreades, Col. Park.* Hæc omnibus ſuis partibus Anthropophora proxime ſuperius explicata major eſt, flore purpurorubente; qui niſi faciei magnitudine & oculorum deterreret animalis *Cercopitheci* cauda detruncata, quod referre videtur, hominis effigiem repræſentaret. At quia curva brachia admodum atque tibias habet, erecti *Cercopitheci* animalis iconem magis refert, ſicut etiam monſtroſa facies. *Folia* latiora, & breviora; *caulis* bipedalis dicitur. *V. icon. tab. æn.* 12.

Maio menſe in Æquicolorum *montibus obſervavit Cl. auctor Fab. Col.*

4. Orchis *Cercopithecum exprimens Luſitanica prima, Breyn. Cent.* 1. Differt hæc ab *Anthropophora altera Col. flore*, quo corpus anguſtius exhibet; cruribus latioribus & minus expanſis; ac *cauda* etiam longiore qua præditus eſt flos.

Altera à priore nullo diſcedit niſi *floribus*, quorum *labellum* brevius, brachiis brevioribus itidem, anguſtioribuſque, atque expanſis magis cruribus dotatur. *V. icon. tab. æn.* 13.

5. Orchis *galea & alis fere cinereis, J. B. Cynoſorchis latifolia hiante cucullo minor, C. B. P. Cynoſorchis altera Dod. Cynoſorchis major altera, Ger. Cynoſorchis latifolia minor, Park. Forte Orchis ſtrateumatica minor, J. B. C. Gemmæ. Folia* unciam unam aut alteram lata, longiuſcula, glabra, & venoſa, è *radicibus* olivaribus enaſcentia, humi ſparguntur; alia minora erecta *caulem* amplectuntur, qui dodrantalis eſt. *Spica* brevis, in qua *flores*, colore ex candido purpuraſcente, multis purpureis punctis & interiore parte obſcurioribus copioſis exiguis lineis ornati, forma *galeam* aut hiantem cucullum quoque referentes, dependente ex ſingulis veluti animalculi quadrupedis, aut homunculi corpuſculo extenſis brachiis, brevibus tamen, & divaricatis cruribus abſque capite, eodem fere modo quo ex *Saturni* ore depingi ſolent dependentes pueruli.

Maio menſe floret; & in tota montium catena intra pagum Stoken-church *dictum*, Henley, & Readingum, *non raro occurrit. In latomia vetuſta ultra* Hinkſey *haud longe ab* Oxonio *etiam reperitur.*

6. Orchis *ſtrateumatica major, J. B. Cynoſorchis militaris major & minor, C. B. P. Orchis ſtrateumatica, Ger. Orchis latifolia altera, Cluſ. Pan. & Hiſt, Cynoſorchis* 4. *Dod. Orchis ſtrateumatica major ſive Baſilica tertia, Gemmæ, Lugd. Lob. Orchis purpurea, du Bry. Foliis* eſt quam præcedens amplioribus; *caule* pene cubitali; magnis *floribus*, exalbida *galea* tectis, quorum medietates corpuſcula latiora, purpureis maculis aſperſa & quadripartita occupant. *V. icon. tab. æn.* 13.

Maio menſe floret. Non modo in ſylvis Nemeth-wywar *oppido vicinis ſed in* Leytano *ſaltu ſupra* Mandenſtorf, *obſervavit* Cluſius.

7. Orchis *melitias, J. B. ſive Apifera, Park. Orchis fucum referens flore ſubvirente, C. B. P. Orchis ſerapias* 2. *minor, Dod. Orchis melitias ſive apis cadaverulum exprimens, Lob. Obſ. Satyrium minus du Bry, Swert.* Quinis ſeniſve conſtat *foliis* venoſis, pallide virentibus, mollibus, quibuſdam terram verſus reflexis, aliis circum *caulem*, qui palmaris & dodrantalis eſt; *floribus* in ſummo quatuor aut quinque, *alis* ternis viridibus, & corpore dependente, colore ſubnigro & ſordido *fucum* proxime referente. *Teſticuli* ſubſunt, ut aliis, gemini. *V. icon. tab. æn.* 13.

In ſiccioribus gramineis, lociſque montoſis aridis, Maio menſe ineunte florens, non infrequens occurrit.

Orchis *araneam referens, C. B. P. Andrachnitis, Lob.* pro eadem habeatur, quanquam icon in *Miſcellan. German.* titulo *Orchidis Serapiadis ſeu Arachnitis* eam amplificare videatur. *Orchitem* etiam *fucum referentem colore rubiginoſo, C. B. P. & Satyrium minus Swertii,* eandem eſſe plantam ſuſpicari pronum eſt.

8. Orchis *fucum referens major foliolis ſuperioribus candidis & purpuraſcentibus, C. B. P. Orchis ſphægodes C. Gem. Orchis ſphægodes altera, Park. Orchis ſive Teſticulus minor violaceis floribus, Cord. Hiſt. Teſticulus major ſphægodes, Lob. Ger. Orchis fuciflora galea & alis purpuraſcentibus, J. B. Folia* profert pauca, lævia, latiuſcula; *caulem* pedalem; *flores* in eo raros, (tribus expanſis alis purpuraſcentibus) è foliolis ſcilicet explicatos, unum ſuperiorem, duos laterales. *Labellum* dependet proxime prioris majus, triſtiorique & obſoletiore fuliginoſo colore, cum luteis quibuſdam *lineis*, variegatum, ut *fucum* aut *veſpam* potius quam apem repræſentet. *V. icon. tab. æn.* 14.

Junio menſe floret. In locis humidis & paluſtribus reperitur, ſed rarius. In montoſis etiam ſiligineis & cretaceis colligitur, ſed minus frequens.

9. Orchis *Apem referens Luſitanica, Breyn. Radicibus & foliis*, aliis congruit. *Caulis* ſeſquipalmaris, & longior; *flores* tres, quatuor, quinqueve inſunt, calcaribus *Orchidum* plerunque *Serapiadum* de more omnino deſtituti, *galeam* habentes è *foliolis* tribus grandioribus & duobus anguſtioribus brevioribuſque, albicantibus vel carneis, imo & purpuraſcentibus conſtructam, ſub qua extuberatio quædam craſſa, carnoſa, ſubviridis, forma ex ovo prorepentis aviculæ, oculis eminentibus & roſtro craſſo adunco, curioſe adeo & lepide ſe oſtentat, ut illa contemplatione digna ſit; gloria ejus maxima in dependente veluti holoſerico leniter & breviter villoſo, ferrugineo (aut ex cinereo ferrugineo obſoleto) ac ventrioſo conſtat *labio*, quod Apis mellificantis cadaverulum magnitudine & figura tam exacte, tamque repræſentat venuſte, ut propter beſtiolæ dulciſſimæ ſpiculum flores attingere verearis. *Breyn. V. icon. tab. æn.* 13.

10. Orchis *Scarabæum exprimens ſive Myodes flore fuſco, Breyn. Cent.* 1. *Thyrſum* hæc emittit aliquanto altiorem, colore obſcurius vireſcente, *foliis* nonnunquam latioribus interceptum; cujus ſummo *flores* inſunt nonnihil ſubinde majores, cæterum ab *Orchidis myodis luteæ* florum figura pene nihil aut parum recedentes, præter *foliolum* holoſericum demiſſum, quod pulli ſeu fuliginoſi coloris, *Scarabæum* melius quam *Fucum* exprimere videtur. *Breyn. V. icon. tab. æn.* 13.

11. Orchis *Muſcam majorem cæruleam repræſentans, Breyn.* Floris galea *foliis* ſubviridibus, anguſtioribus,

ribus, conſtat; extuberatio quæ galeæ ſubeſt carnoſa, non adeo diſtincte aviculam exprimit, & labium hirſutum, ſature cæruleum perbelle ſplendens, pilis circum margines fimbriatum ſubruffis, *Muſcam majorem* tam accurate repræſentat cæruleam, ut non tantum in admirationem ſummam rapi ſpectator, ſed facile etiam decipi queat, quo putatitiam hanc ſordidam muſcam à planta abigere allaboret. *Breyn.* *V. icon. tab. æn.* 13.

12. Orchis *Muſcam referens major, C. B. P. Orchis myodes flore grandiuſculo, J. B. Orchis myodes altera, C. Gem. Lob. Lugd. Myodes major, Park.* Perbreves fuerunt auctores in deſcribenda hac planta: quantum ex iconibus colligere licet, *radices* & *folia* eodem modo quo & reliquarum naſcuntur; floreſque cum titulo conveniunt. *V. icon. tab. æn.* 14.

In pratis inter pontem Caſtri novi *& lucum* Gramuntium *ſitis, & in aliis plurimis herbidis locis circa* Monſpelium *oritur; & Maio menſe floret.* D. Magnol. *Prope* Welling *in agro* Hartfordienſi *etiam oritur. D.* Eales.

13. Orchis *Muſcæ corpus referens minor, C. B. P. Orchis Myodes, Ger. Myodes galea & alis herbidis, J. B. Serapias tertius, Dod. Myodes prima, Gem. Lob. Lugd. Teſticuli* velut parvæ *pilulæ* ſunt; *folia* anguſta raro reflexa. *Caulis* dodrantalis & altior, gracilis, *flores* gerit in cacumine raros, ex tribus ſuperioribus *foliolis* ſubviridibus conſtructos, & quarto dependente longiore & majore, colore triſti, ſubnigro, nonnihil variegato, & *Muſcam* vulgarem, corpore nigricante, oculis ſplendentibus prominentibus, cornibuſque elevatis & extenſis, affabre exprimente.

In herbidis montoſis, ad ſylvarum cæduarum margines, ſolo præſertim cretaceo, v. g. circa Stoken-Church, Henley, *&c. in agro* Oxonienſi; *in* Eſſexia, & Suffolcia, *conſimilibus locis, ſparſim tamen proveniens, oritur.*

14. Orchis *Muſcam referens lutea, C. B. P. Orchis Myodes lutea, Ger. J. B. Vulpinus teſticulus ſive Orchis myodes lutea Narbonenſis, Lob. Park. Floris* color totus luteus eſt, & quam cæterarum rarior multo, nec adhuc apte deſcriptus, auctore *Lobelio.* *V. icon. tab. æn.* 13.

In æſtuoſis & aridis ſterilibus declivibus circa Monſpelium Lob. *obſervavit. Variis in locis circa* Salenovam, lou Tarral, *& pontem* Caſtri novi, *Maio menſe, invenit* D. Magnol.

15. Orchis *Myodes lutea Luſitanica, Breyn. Flores* hujus proxime præcedentis floribus non male reſpondent, excepto quod eorum *labellum Fucum* majorem luteum repræſentans latius, brevioribus atque obtuſioribus quam illius laciniis præditum, intenſioreque aureo colore tinctum, ac *macula* in medio holoſerica, villoſa, majore, magiſque purpurea, & ſpectabiliore donetur. Extuberatio *galeæ* ex flava viridi ſubnata aviculam longe craſſiorem ac *Teſticuli* apud *Lobelium* vulpini majoris refert. *Breyn.* *V. icon. tab. æn.* 13.

16. Orchis *papilionem referens foliis maculatis, C. B. P. Orchis ornithophora folio maculoſo, J. B. C. Gemmæ. Lob. Obſ. Teſticulus* 15. *Ornithophorus, Tab. Folia* ei lata, cum *nervis* apparentibus, multis maculis aſperſa. *Flores* purpurei, nunc albi, nunc purpureopallidi, avi volanti ſimiles ſunt. *V. icon. tab. æn.* 14.

Floret medio Aprili fere, & quandoque ſub initium Aprilis vel finem Martii menſis.

17. Orchis *Ornithophora, Ger. Ornithophora flore colore herbaceo, J. B. Orchis Ornithophora vel ornithes folio lævi, C. Gemmæ. Teſticulus noſter Papilionis alas expanſas referens, Lob. Orchis papilionem expanſum herbacei coloris referens, C. B. P.* Jam & quinta (inquit *Dodon.*) *Cynoſorchis* quædam ſpecies reperitur *foliis* uti ſecundus, (nobis dictus *Orchis galea & alis cinereis*) *canis teſticulus* prædita; *caule* pedali; *ſpica* longa; *floribus* colore herbaceo ſubvirentibus, ex quibus quod laciniæ ſimile dependet, oblongum eſt & quaſi quadrangulum. *V. icon. tab. æn.* 12.

18. Orchis *alba calcari oblongo, J. B. Orchis alba bifolia minor calcari oblongo, C. B. P. Orchis Hermaphroditica, Ger. Orchis ſerapias bifolia vel trifolia minor, Park. Teſticulus ſerapias* 1. *Dod.* Duo aut tria huic ſunt *folia* lævia, latiuſcula, at *Lilii* foliis minora, pallide virentia, mollia. *Caulis* rectus, pedalis, & altior, *foliis* multo minoribus veſtitur. *Flores* geſtat raros, candidos, *papilionibus* expanſis alis quodammodo ſimiles, è *foliolis* ſcilicet tribus explicatos, uno ſuperiore, duobus lateralibus, *alas* referentes, & longiore, tenui, veluti papilionis corpore propendente, melleum & dulcem liquorem continente; qui contorto aliquantulum pediculo, *cauli* adhærent. *Globuli* ſubſunt gemini, candidi, in acumen deſinentes, & ſupra eorum annexum *fibræ* aliquot enaſcuntur. *V. icon. tab. æn.* 12.

In locis ſylvoſis, aliquando pratis & paſcuis humidioribus, Junio menſe florens, non infrequens reperitur.

Huic addenda eſt *Orchis Hermaphroditica bifolia, J. B. Orchis bifolia altera, C. B. P. Orchis pſychodes diphylla, Lob. Orchis bifolia, Tab.* quæ eadem eſſe putatur: in pratis enim & paſcuis, lociſque patentibus, humilior evadit; in opacis & dumetis elatior; quibus etiam per totam fere æſtatem florens invenitur. *Orchis* etiam *trifolia minor, C. B. P. Culices minores triphyllæ, Lob. icon. J. B.* affinitatem quandam habere videntur. *Icon tab. æn.* 13. exhibetur.

19. Orchis *trifolia minor, C. B. P.* 5. *Orchides culices minores triphyllæ, J. B.* 782. Vide deſcriptionem in Hiſt. Belgica *Lobelii. Et icon. tab. æn.* 13.

20. Orchis *montana Italica flore ferrugineo, lingua oblonga, C. B. P. & 5. Prod. Teſticulus* 3. *Matth. Lugd. Orchis ſive Teſticulus maximo flore, J. B. Teſticulos* duos habet parvos, rugoſos, (quorum alter, ut in reliquis *Orchitibus* vegetior facit ut fere non niſi unus teſticulus reperiatur) quorum ſummitati *fibræ* longæ, varie & oblique ſparſæ, adponuntur. *Caulis* cavus, nonnunquam pede altior, quem *folia* anguſta paucaque, uncias tres vel quatuor longa, baſi ſua veſtiunt. Cuilibet flori *folium* breve quidem, ſed latius reliquis, & in apicem definens ſubjicitur. *Flores* quini, ſeni, alternatim in *caulis* ſummo diſpoſiti, coloris ferruginei, obliqui *tubuli* forma; eorumque *lingua* propendens oblonga eſt, & ex baſi latiore in apicem abit, cui tegumentum pallidioris coloris, veſicæ inſtar impoſitum, etiam in apicem & communiter bifidum finitur. Floribus *utriculi, ſemine* pulverulento repleti ſuccedunt. *C. B.* *V. icon. tab. æn.* 14.

In Italiæ *montibus* Baſſanenſibus, *& in paſcuis aliis variis, indigenis occurrit. E* Luſitania *etiam D. D.* Tournefort. *attulit.*

21. Orchis *montana Italica lingua oblonga altera, C. B. P. Orchis macrophylla, Col. Caulis* longus admodum, tripedalis ab *radice*, unico *teſticulo*, colore fulveſcente, parum rugoſo, prædita; ſupra quem *fibræ* eodem colore, atque etiam per cervicem aliæ dependent, quod non in aliis obſervatur, (& forſan ibi *bulbus* novellus concipitur.) Folia per caulem diſpoſita, ſeſquipedem fere longa, anguſta. *Flores* ſummo inſunt obliqui veluti *tubuli*, longam atque latam barbam habentes, ſuave rubentes; at circa tegumentum, veluti folliculum

lum magis purpuraſcentes; per caulem in longam *ſpicam* pedalem diſponuntur; quibus *utriculi* magni ſuccedunt, aliis ſimiles, *ſemine* ſupervacuo pulverulento. *Col.*

22. Orchis *caſtrata, C. B. P. Ger. Park. Orchidis genus quibuſdam Satyrium caſtratum, J. B. Satyrium caſtratum vel Eunuchum, Lob. Bernitz. Ephem. Germ.* *Radicibus* præſertim dignoſcitur hæc *Orchitis* ſpecies; quæ binis, ternis, & nonnunquam quaternis, *tuberculis* longioribus, imo teſcuncialibus, conſtant. *Folia* plura, uncias tres longa, anguſta, in acumen definentia; *caulis* palmaris & pedalis; *flores* ſpicatim diſpoſiti, ut in aliis, coloris purpuraſcentis, aliquando violacei, & *punctis* ornati conſpiciuntur. Forma floris *Ornithophoram* refert. *Vid. icon. tab. æn. 15.*

In pratis circa Lipſiam, *menſe Junio florens, colligitur.*

23. Jacobus Hayck *affirmat ſe habuiſſe in horto Regiomonti Electorat. orchidem* cum *Aviculis.* *Flores* ex foliis diverſis coloribus (ſcil. *rub. alb. & violac.*) erant compoſiti; in quorum medio *Avicula* quaſi citrei coloris, quem alias *Galgulum* vocant, inſidebat; aſpectu jucundiſſimo. *Radix* non pingitur. *Folia* diverſa apparent. Utrum ad *orchitum* familiam ſpectet necne, quærendum.

Orchitis Vires & Uſus.

Orchitis *vel* Satyrii radicem *veneri addictis, ſeu potius ad venerem ſegnioribus convenire, facile ab iis conceditur, qui plantas vires ſuas ex ſignaturis prodere volunt. Temperiem calidam & humidam obtinet; analepticum eſt, & ſemen auget, irritat utrumque ſexum; contra ſterilitatem vim habet.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ ſeminibus pulverulentis.

CAPUT XX.

Triorchis & Monorchis.

TRiorchis *à tuberculorum numero, quibus ut plurimum radix donatur, nomen accepit; nonnunquam enim bina & interdum quaterna oblonga conſpiciuntur.* Monorchitis *radix quotannis tranſmutatur; ſed plerumque ſingularis obſervatur, rotunda.*

TABULA XVI. SECT. XII.

- *Orchis ſpica tenuiore,*
  - *ternis teſticulis*
    - *alba*
      1. *Triorchis vel tetrorchis odorata major, C. B. P. Triorchis, Ger. Orchis ſpiralis alba odorata, J. B.*
      2. *Triorchis alba odorata minor, C. B. P. Teſticulus odoratus minor, Dod.*
    - *lutea*
      3. *Radice oblonga, C. B. P. Orchis lutea Leodienſis, Park.*
      4. *Sive folio glabro, C. B. P. Orchis ſive triorchis lutea altera, Park.*
      5. *Hirſuto folio, C. B. P. Orchis Friſea litoralis, Park. Friſea lutea, Ger.*
      6. *Sive Triorchis lutea altera nonnihil hirſuta, J. B.*
  - *ſingulari teſticulo ſive Monorchis*
    7. *Odorata moſchata ſive Monorchis, C. B. P. Orchis puſilla odorata, Cluſ. Park. Orchis parva autumnalis lutea, J. B.*
    8. *Bifolia foliis pallide virentibus Pruſſiæ, Mentz.*
    9. *Foliis anguſtis, floribus luteis ceram olentibus, Mentz.*
    - *Ophioglosſoides*
      10. *unifolia Pruſſiæ, Mentz.*
      11. *cum altero foliolo adnato, Mentz.*

1. Triorchis *vel Tetrorchis odorata major, C. B. P. Park. Triorchis, Ger. Orchis ſpiralis alba odorata, J. B. Triorchis alba ſpiralis, Gemma, Lugd. Tetrorchis vel Triorchis alba autumnalis ſpiralis, Lob. icon.* Terna ut plurimum, nonnunquam quaterna, ſimul juncta, *fibris* aliquot adnexis, habet *tubercula.* *Folia* plantaginea, nervoſa, unciam lata, & in mucronem definentia, exinde oriuntur. *Caulis* tenuis, unus aut alter, erigitur dodrantalis; circa quem in inferiore parte *foliola*, & in ſuperiori *floſculi* parvi, è viridi colore albidi, quaſi campanulati, ſuaviter odorati, ordine digeſti, ac ſpiræ in modum caulem ambiunt. *Vaſcula ſeminalia* ſuccedunt oblonga, ſtriata, ut in cæteris, parva, pulverulenta *ſemina* continentia. *V. icon. tab. æn. 14.*

Menſibus Julio & Auguſto floret, in herbidis montoſis & paſcuis; ad montium etiam radices, nunc in cretaceis & ſiccioribus, nunc humidioribus locis reperitur.

2. Triorchis *alba odorata minor, C. B. P. Teſticulus odoratus minor, Dod. Tab. Teſticulus odoratus ſive Orchis ſpiralis minor, Lob.* *Dodonæus* iconem edidit, quæ plantam conſimilem (magnitudine præſertim foliorum excepta) repræſentat. An hæc diminutio ſolo debita ſit necne, quærendum.

3. Triorchis

3. Triorchis *lutea radice oblonga, C. B. P. Orchis lutea Leodienſis, Park. Orchis Leodienſis, Ger. Triorchis lutea 3. C. Gemmæ, Lob. Orchis ſive Triorchis lutea tertia oblongioribus radicibus, J. B. Radices* olivares; *folia* præcedentis paria; *flores* quaſi campanulati, lutei, uno verſu diſpoſiti ſunt. *V. icon. tab. æn.* 14.

4. Triorchis *lutea folio glabro, C. B. P. Orchis ſive Triorchis lutea altera, Park. Teſticulus odoratus, Ger. Folia* ei ſunt anguſtiora, longa, & nervoſa. *Flores* conſimiles lutei, non ad unum latus ſpectant, ſed *caulem* circumſtant. *Radix* ternis vel quaternis *tuberculis* oblongis conſtat.

5. Orchis *lutea hirſuto folio, C. B. P. Orchis Friſea litoralis, Lob. Lugd. Park. Orchis Friſea, Ger. Orchis Friſea hirſuta, J. B.* Duo habet *folia, Bifolii* ſimilia, paullo minora quam *Plantaginis anguſtifoliæ*, aſpera & hirſuta tactu. *Caulis* palmum altus eſt; *floſculi* multi, ex luteis virides, ſpecie Hyacinthini; *radices* duæ parvæ rotundæ, non abſque *fibris* appoſitis. *V. icon. tab. æn.* 14.

6. Orchis *ſive Triorchis lutea altera nonnihil hirſuta, J. B. Triorchis lutea altera, C. Gemmæ. Lob. Obſ. & Hiſt. Lugd. Folio* eſt rotundiore & latiore quam ſuperior, virentiore, trifolia, & nonnihil hirſuta. *Lob.*

7. Orchis *odorata moſchata ſive Monorchis, C. B. P. Orchis puſilla odorata 7. Cluſ. Park. Orchis parva autumnalis lutea, J. B. Orchis bifol. floribus viridibus moſchum olentibus, Mentz. eadem eſſe putatur.* Tria plerumque anguſta habet *folia* mollia, viridia; cauliculum palmarem, & dodrantalem, junceum, *ſpica* erecta, tenui, floſculorum tribus apiculis conſtantium, ex herbaceo pallidi lutei coloris, & moſchi odorem referentium, & ut in reliquis *Orchitibus*, ſummis *vaſculis ſeminalibus* inſidentium, quæ eis marceſcentibus, augentur, & longiuſcula evadunt, *cauli* appreſſa, conferta. Unica *radix* eſt rotunda, *Piſi* magnitudine, ſupra quam longæ propagines exporriguntur, craſſæ, quibus unus aut alter *bulbulus* adhæreſcit. *Bulbus* quotannis marceſcit & novus producitur. *V. icon. tab. æn.* 15.

Herbidis locis ficcioribus & ad pedes montium: v. g. ſylvis pago Stoken-Church *dicto vicinis, & declivibus prope* Cauſham, *aliiſque conſimilibus, præſertim cretaceo ſolo gaudet. Junio menſe floret.*

8. Monorchis *bifolia floribus pallide virentibus Pruſſiæ, Mentz. Folia* apparent antecedentis ampliora, bina; *flores* itidem paullo majores, pallide virentes, *apiculis* quaternis vel quinis conſtantes. *Vid. icon. tab. æn.* 15.

In Boruſſia *nemoroſa & umbroſa amat loca.* Mentz.

9. Monorchis *foliis anguſtis, floribus luteis ceram olentibus, Mentz.* Tubercula apparent oblonga; *folia* terna anguſtiora; *flores* ex ternis petalis rotundis terniſque apiculis compoſiti, lutei, *ceram* olentes. *Vid. icon. tab. æn.* 15.

Copioſe circa Berolinum *ſedem Electoralem* Brandenburgicam *in pratis occurrit.*

10. Monorchis *Ophioglоſſoides unifolia, Mentz.* Hæc ex *radicula* bulboſa, globoſa, parva, *cauliculum* protrudit tenuem, uncias tres præterpropter longum, cui adhæret *folium* unicum, uncias duas longum, & unam cum dimidia latum, *Ophioglоſſi* folio perſimile. *Cauliculus* in *ſpicam florum* definit, *foliolis* florum minutiſſimis, capillaceis, figuram (ſi per microſcopium florem intuearis) *Orchitum* exacte repræſentantibus, coloris herbacei. *Spica* hæc cum ſuo *folio* adnato eminus intuenti *Ophioglоſſi* ſpeciem induit. *V. icon. tab. æn.* 15.

In udis & paludoſis Boruſſiæ, *circa pagum* Schreitlaken *in ditione* Samlandiæ, *menſe Auguſto, item circa* Gedanum *urbem reperta eſt.* Mentz.

11. Monorchis *ophioglоſſoides cum altero folio adnato, Mentz. Foliis* binis convolutis *caulemque* amplexantibus prædita eſſe obſervatur; alias non differt à congeneribus. *Atque is forte luxuriæ effectus debetur. Vid. icon. tab. æn.* 15.

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ binis tuberculis digitatis præditæ.

CAPUT XXI.

Orchis palmata.

ORchites *palmatæ appellantur eæ, quarum radices binis tuberculis conſtant, &* palmas *quaſi junctas, cum digitis extenſis referunt. Caules plerumque pluribus foliis veſtiuntur. Sunt autem* orchites *iſtæ vel* paluſtres *vel* montanæ.

TABULA XVII. SECTIONIS XII.

Orchis palmata
- *paluſtris vel pratenſis*
  1. *Sive pratenſis latifolia longis calcaribus, C. B. P. Orchis palmata non maculata, J. B. Palma Chriſta mas, Ger.*
  2. *Major pratenſis anguſtifolia, Park. 6. C. B. Prod.*
  3. *Latifolia, C. B. P. Satyrium baſilicum folioſum, Dod.*
  4. *Maxima, C. B. P. Palmata ſive Cynoſorchis macrocaulos galericulata, J. B.*
  5. *Maculata, C. B. P. Palma Chriſti fœmina, Ger. Park.*
  6. *Sive Palma Chriſti paluſtris, Ger. Orchis palmata paluſtris maculata, C. B. P. Palmata paluſtris nephelodes, J. B.*
  7. *Tota rubra, C. B. P. Floribus impenſe rubris, J. B.*
  8. *Sive Serapias altera leptophylla, Lob. icon. Palma Chriſti peregrina flore purp. Eyſt.*

montana
- 9. *Minor odoratiſſima, C. B. P. & Prod.*
- 10. *Sambuci odore, C. B. P. Orchis Pannonica 8. Cluſ. Hiſt.*
- 11. *Ophrios flore, Nobis. Orchis palmata flore viridi, C. B. P. 8. Prod.*
- 12. *Maxima* 18. *C. B. P.* 9. *Prod.*
- 13. *Maculata* 20. *C. B. P. Orchis palmata maculata montana flore candido, Park.*
- 14. *Rubella cum longis calcaribus rubellis, J. B. Orchis palmata minor calcaribus oblongis, C. B. P.*
- 15. *Elegans lutea Virginiana cum longis calcaribus luteis.*
- 16. *Caryophyllata, C. B. P. Orchis ſerapias Caryophyllata, Lob. icon.*
- 17. *Alpina nigro flore, C. B. P. Palmata minor odoratiſſima purpurea ſive nigra, J. B.*
- 18. *Puſilla alba odorata, Sherardi.*

1. Orchis *palmata pratenſis latifolia longis calcaribus* 1. *C. B. P. Orchis palmata non maculata, J. B.* 774. *Palma Chriſti mas, Ger. Orchis palmata major mas, ſive Palma Chriſti mas, Park. Satyrium baſilicum* 1. *Dod. Palma Chriſti erecta variegata, Eyſt. Radices* geminæ, ſucculentæ, è baſi craſſa, & inſtar palmæ manus, in quatuor oblongas particulas diſtribuuntur, digitos quaſi referentes; ſupra quas *fibræ* aliquot oblongæ, craſſæ expanduntur, ex imo quaſi *caule*. Hic autem *foliis Lilii* minoribus, & dilute vireſcentibus, raris, ſine ullis pediculis, ſubinde tenuioribus, uſque ad faſtigium cingitur, & ſeſquipedali longitudine excurrit in faſciculum ſpicatum *florum* albeſcentium & frequentibus *maculis* ac venulis rubeſcentibus diſtinctorum. Flores iſti inferius prominulo *labro*, in tres barbulas diviſo, & binis lateralibus quaſi oblongioribus *alis*, & *cucullo* ſuperius hiante, conſtant; exterius in *corniculum* concavum, ſemunciale deſinentes. Marceſcentibus illis, ſubſequitur in oblongis *vaſculis* ſtriatis, & decurſu temporis perforatis, *ſemen* paleaceum minutiſſimum, quod ſcobis inſtar in auras diſpergitur. *V. icon. tab. æn.* 14.

Flos *colore variat, nunc* ſaturatiore & dilutiore, pallido, carneo, & *rarius* albo.

Maio menſe floret, & in pratis & paluſtribus paſſim occurrit.

2. Orchis *palmata pratenſis major anguſtifolia, Park. Orchis palmata pratenſis anguſtifolia major* 2. *C. B. P.* 6. *Prod. Radices* habet parvas, veluti *palmas* gemmas, in binos digitos diſtributas, *fibris* paucis annexis; *folia* liliacea, anguſta, lævia, & palmaria, per quæ veluti tubum *caulis* cubitalis, cavus effertur. Huic autem *ſpica* fere palmaris, anguſta, ex *floribus* dilute purpureis, brevi calcari donatis, compoſita inſidet; quibus ſingulis *foliola* oblonga, acuminata ſubjiciuntur, & *capitulum* oblongum, *ſemen* aliarum inſtar continens ſuccedit. *V. icon. tab. æn.* 14.

Hæc in pratis udis Michelfeldæ *ipſa æſtate reperitur.* C. B.

3. Orchis *palmata paluſtris latifolia* 12. *C. B. P. Park. Satyrium baſilicum foliоſum, Dod. Palma Chriſti flore purpureo, Eyſt. Palmata ſive Serapias paluſtris latifolia flore albo ſubpurpuraſcente, J. B.* 775. *Radix* huic gemina eſt, palmata; *caulis* craſſior & ſucculentior, cubitalis; *folia* liliacea, latiora. Extollitur demum in oblongam *ſpicam*, *floribus* ſaturate roſeis & purpuraſcentibus, maculis ſaturatioribus inſignitis; inter quos flores ad exortum cujuſlibet *foliolum* longum & acutum exſurgit, ut folioſa *ſpica* videatur. *Vid. icon. tab. æn.* 15.

Fortaſſe ad eandem plantam referri poſſunt hæ ſynonymæ: *Serapias paluſtris latifolia, Lob. Ger. Satyrium latifolium, Swert.* Et *Serapias paluſtris leptophylla, Ger. Cynoſorchis paluſtris lævifolia omnium viliſſima, Gemma. Lob. Orchis palmata paluſtris tertia, C. B. P. Palmata ſerapias paluſtris leptophylla violacea maculata & non maculata, J. B.* 776.

4. Orchis *palmata pratenſis maxima* 4. *C. B. P. Palmata ſive Cynoſorchis macrocaulos galericulata, J. B.* 777. *C. Gem. Satyrium baſilicum Græcorum Ruellii. Orchis palmata pratenſis Canopſæa dicta, Park. Caulis* ei bicubitalis. *Flores* multum habent ſimilitudinis cum floribus *palmatæ calcaribus longis. V. icon. tab. æn.* 14.

Floret circa medium finemque menſis Maii uſque ad Junii fere medium.

5. Orchis *palmata pratenſis maculata* 3. *C. B. P. Palma Chriſti fœmina, Ger. Park. Palma Chriſti maculata, Eyſt. Satyrium baſilicum fœmina, Dod. Serapias fœmina pratenſis foliis notulis inſperſis ſive Palma Chriſti, Lob. Palmata ſpecioſiore thyrſo, folio maculato, J. B.* 774. *Folia* è latitudine anguſta, diluto virore ſplendentia, ſuperne ſaturate purpuroſanguineis maculis infecta ſunt. *Caulis* pedalis & cubitalis erigitur. *Flores* ſpicatim diſpoſiti, rubentes vel dilute purpurei, *calcari* trientem pollicis circiter longo, *criſtis* duabus erectis, *galea* è duobus foliis cui tertium appreſſum incumbit, compoſita, *labello* in tres lacinias diviſo, ſaturata purpura guttato, *pediculo* purpuraſcente, cui ſemper appoſitum acuminatum folium è viridi nigrove purpureum, exornantur. Hujus *flores* obſervantur & *intenſius purpurei*, & penitus quoque *albi. V. icon. tab. æn.* 14.

Hæc ipſa ſpecies apud auctores in plura quoque nomina diſtribuitur. Namque Palmata maculata, J. B. eadem eſſe putatur; ut & *Palmata alba.* Et *Palmata anguſtifolia maculata purpurea, ejuſdem; Serapias fœmina pratenſis, Lob. Orchis palmata anguſtifolia minor, C. B. P.* Et *Orchis palmata montana maculata, ejuſdem,* huic etiam adnumerentur.

In pratis ſiccioribus, paſcuis, necnon in ſylvis, menſe Junio florens, frequens occurrit.

6. Orchis *palmata ſive Palma Chriſti paluſtris maculata, Ger. Orchis palmata paluſtris maculata* 15. *C. B. P. Cynoſorchis paluſtris altera lophodes, vel nephelodes, Gem. Lob. Lugd. Palmata paluſtris nephelodes, J. B.* 777. Huic *folia* ſunt ampliora, *maculis* purpuraſcentibus inſperſa. *Caulis* in procerum attollitur. *Flores* purpurei, maculati, *foliolis* plurimis interpoſitis cernuntur. *Vaſculum ſeminale*, pediculi vicem præſtans, flore delapſo, turgeſcit & retorquetur; quod utique illi cum cæteris hujus familiæ commune eſt. *Vid. icon. tab. æn.* 15.

7. Orchis *palmata paluſtris tota rubra* 16. *C. B. P. Palmata floribus impenſe rubris, J. B.* 777. *Cynoſorchis Dracontias foliis & floribus impenſe rubris, Gem. Lob. Obſ. Folia* ei latiuſcula; ſpica craſſiuſcula foliacea eſt; cætera tituli indicant.

In humidis & uliginoſis, præſertim ubi nigrior terra eſt, locis naſcitur.

8. Orchis *ſive Serapias altera leptophylla, Lob. icon. Lugd. Orchis palmata paluſtris altera* 13. *C. B. P. Cynoſorchis paluſtris altera, Gem. Folia* oblonga ſunt, anguſta, carinata; *caulis* dodrantalis, *foliolis* ſenſim ſtrictioribus & rarioribus obſeptus. *Spica* brevis & denſiuſcula *floribus* eleganti ſanguineo colore decoratis donatur. *V. icon. tab. æn.* 15.

9. Orchis

9. Orchis *palmata anguſtifolia minor odoratiſſima 7. C. B. P. & Prod.* *Radice* eſt gemina, oblonga, anguſta, *palmæ* ſimili, in tres quatuorve *fibras* craſſiſſimas diviſa, ſupra quas ex imo *caule fibræ* aliquot ortæ expanduntur. Ex radice *folia* quina aut ſena, oblonga, graminea prodeunt. Inter hæc *caulis* unicus palmaris, pauciſſimis & exiguis *foliolis* donatus, velut in *ſpicam* biuncialem abit, cui *flores* dilute purpurei, odoratiſſimi inſident. Iſti porro *galea* tecti, *labro* prominulo, in quatuor barbulas dividuntur, & parvo *calcari* à tergo prominente donantur. *V. icon. tab. æn. 15.*

In pratis humidis Michelfeldæ *provenit, & Autumno floret.* C. B.

10. Orchis *palmata Sambuci odore 9. C. B. P. Orchis palmata ſive Orchis Pannonica floribus exalbidis, & alba Griesbachiana, J. B. 775. Orchis ſerapias 7. Cluſ. Pan. Pannonica 8. Hiſt. Lilii* ſimilia primum enaſcentia, *folia* tria aut quatuor habet, dilutioris & quaſi pallentis viriditatis, nullaque *macularum* aſpergine notatis, ingrati ſaporis. Palmarem *caulem* amplectuntur aliquot *foliola*; in cujus ſummo faſtigio *flores* ſpicatim digeſti naſcuntur exalbidi & quaſi palleſcentis coloris, nullis punctis diſtincti, anterius *morionum* hiantibus *cucullis* ſimiles, utrinque auriti & latiuſculo pallido *labro* propendente, poſteriore vero parte *corniculum* habentes, quale oſtentant *Conſolida regalis*, aut *Linaria*, ſed latius & obtuſum, graviter odorati, florum *Sambuci* odorem referentes. Ad horum exortum ſingularia *foliola* naſcuntur, pallentia, & floribus colore reſpondentia. *V. icon. tab. æn. 15.*

Maio & Junio menſibus florens, in valle fontium aciderum Griesbachiana *ad* Herciniam *ſylvam, ut & circa* Montbelgardum *obſervavit* J. B.

11. Orchis *palmata Ophrios flore viridi, Nobis. Orchis palmata flore viridi 17. C. B. P. 8. Prod. Park. Et Orchis palmata batrachites, ejuſdem.* Ex *radice* gemina, palmata, & parva, *caulis* palmo altior, *foliis* paucis, nervoſis, uncias tres longis, unam latis, veſtitus exſurgit, *ſpicam* habens triuncialem; *floſculos* paucos, ſubvirides, *galea* tectos, & *labro* prominulo in tres *barbulas* diviſo, media breviore, ut animalis corpus videatur. His autem ſingulis *foliolum* oblongum anguſtum ſubjicitur.

In paſcuis & locis herbidis, Maio & Junio menſibus colligitur. Orchis batrachites iſthæc à nonnullis exiſtimatur.

Orchites palmatæ montanæ.

12. Orchis *palmata montana maxima 18. C. B. P. 9. in Prod.* *Radices* geminas habet digitatas, quarum altera alba, vegetior ac ſolida, altera flaccidior, uti in congeneribus. *Caulis* eſt bicubitalis, ſtriatus, vacuus, quem *folia* pedalia primum, mox palmaria, ſeſcunciam lata, nervis diſtincta complectuntur. In hujus ſummo *flores* in *ſpica* palmari digeſti, coloris dilute purpurei, parvi ſunt, *galeola* tecti, *labro* exiguo propendente, in anguſtiſſimas *barbulas* diviſo, & à tergo oblongo capillaceo *calcari* donati. Porro ad horum exortum *foliola* ſingula, quaſi in *filamentum* abeuntia obſervantur. His *capitulum* oblongum, ſtriatum, *ſemen* exiguum ſcobis inſtar continens, ſuccedit. *Vid. icon. tab. æn. 15.*

Hæc in montibus, potiſſimum Muteto, *copioſe Maio menſe florens, provenit.* C. B.

13. Orchis *palmata montana maculata, 20. C. B. P. Serapias candido flore montana, Lob. Ger. Satyrium foliis maculatis, Swert. Palma Chriſti montana maculata, Tab.* Tenuior hæc planta *foliis* donatur proxime præcedentis anguſtioribus, frequenter maculatis. *Flores* purpurei, interdum etiam albeſcentes, breves, confertim diſpoſiti, *ſpicam* digiti longitudinis componunt. *V. icon. tab. æn. 15.*

In montoſis paſcuis reperitur, & parum à 6. differt.

14. Orchis *palmata rubella cum longis calcaribus rubellis, J. B. 778. Orchis palmata minor calcaribus oblongis, 5. C. B. P. Orchis anguſtifolia rubello nitente flore, Lob. icon. Serapias minor rubra, Gemmæ.* *Radices* geminatæ in ſerraturam ut plurimum, & non in longos digitos, ut in aliis, terminantur. *Folia* prodeunt palmum longa, anguſta, non maculata. *Caulis* pedalis aut cubitalis eſt, quem parva & anguſta quædam *foliola* ſtipant. Supremas vero partes *thyrſus* occupat peramœnus, palmaris aut ſemipedalis *floſculorum* rubellorum, *calcari* prælongo, tenui, & *unguiculis avium* ſimili, recurvo, præditorum; quibus ſuccedunt *utriculi* ſtriati, *ſemine* pulverulento ferrugineoque repleti. *V. icon. tab. æn. 14.*

In paſcuis & pratis ſiccioribus Junio menſe floret.

15. Orchis *palmata elegans lutea Virginiana cum longis calcaribus luteis.* In horto noſtro ficco hujuſce plantæ exemplar à D. *Jo. Baniſter* è *Virginia* titulo jam poſito inſignitum, tranſmiſſum ſervamus. Planta ad bipedalem & ampliorem altitudinem attollitur, *caule* recto, ſtriato, *foliis* paucis, *Helleborines anguſtifoliæ* reſpondentibus, per longa intervalla, veſtito; quæ quidem folia ſuprema parte, in minima, acuta, vix uncialia, contrahuntur. *Flores Orchitum* more, in ſummo naſcuntur, congenerum vero diſpares, omnino lutei. Iſti ſingulari pediculo inſident, & ſinguli vexillo erecto, parvo, concavo, biniſque labialibus rotundis, parvis, patulis, disjunctis, conſtant; & è medio longiuſcula pars plumoſa labri loco prodit; atque è dorſo *calcar* (caudave tenuis) unciale aut longius, recurvum, pendulum, ſimul enaſcitur.

16. Orchis *palmata caryophyllata 8. C. B. P. J. B. 777. Park.* *Radices* huic longius ſunt digitatæ; *folia* anguſta; *ſpica* tenuis; *flores* caudati, *Ornithophoræ* pene ſimiles. Plura vid. in *Hiſt. Lob. Belg.* *Vid. icon. tab. æn. 15.*

17. Orchis *palmata anguſtifolia Alpina nigro flore 21. C. B. P. Palmata minor odoratiſſima purpurea ſive nigra, J. B. 778. Orchis ſerapias odoratiſſima flore minimo Alpina, Cam. Satyrium Baſilicum minus, Dod.* *Foliis* eſt anguſtis, &, ut *Matthiolus* inquit, *Croci*; caule dodrantali, junceo lævique, in cujus cacumine *flos* emicat purpureus, *Amaranthi* æmulus, qui recens odorem quam ſuaviſſimum reddit; *radicibus* congenerum ſimilibus, ſed quæ magnitudine ipſis cedant.

In herbidis jugis & paſcuis montium Juræ & Salevæ *prope* Genevam *copioſe oritur.*

18. Orchis *palmata puſilla alba odorata.* *Radices* geminæ, palmatæ, in quatuor aut quinque longiores ac tenuiores digitos extenſæ, *fibris* craſſiuſculis imo *caule*, aliarum in modum, adnatis. *Caulem* vaginæ inſtar foliorum rudimenta primo, ſubinde *folia* pallide viridia, ſeſcunciam longa, dimidiam lata, & aliarum obtuſiora, terna vel quaterna, conveſtiunt. *Caulis* autem palmaris, (vix dodrantalis) ſatis craſſus, *ſpicam* ſuſtinet ſeſcuncialem, ex *floſculis* minimis, albis, tantillo luteo colore permixtis, crebrius diſpoſitis, compoſitam.

In paſcuis montis Juræ D. Sherard *collegit.* D. Lloyd *ad latus montis* Snowdon *in* Wallia *reperit.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ ſeminibus pulverulentis.

CAPUT XXII.

Pſeudo-orchis.

Jure cognationis. ſubjiciuntur Plantæ, Orchitibus *proximæ; quarum* flores, capſulæ ſeminales, *ac ipſa* ſemina Orchites *genuinas quadantenus referunt;* radicibus *tamen alias* bulboſis, *& alias fibratis, foliiſque longioribus, liliaceis, ab illis diſcrepant.*

TABULA XVIII. SECT. XII.

Pſeudo-orchis radice

bulboſa

1. *Lilifolia paluſtris noſtras flore ſubviridi, Nobis. Chamæorchis lilifolia, C. B. P. Orchis lilifolius minor ſabuletorum Zelandiæ & Bataviæ, Lob. J. B.*
2. *Lilifolia Malabarica floribus flavis, Nobis. Katou-ponnam-maravera, Hort. Mal. Tom. 12. Tab. 28.*
3. *Lilifolia Malabarica floribus è miniatis rubris, Nobis. Baſaala-poulou-maravera, Hort. Mal. Tom. 12. Tab. 27.*
4. *Foliis longioribus, verſicoloribus floribus. Katou-kayda-maravera, Hort. Mal. Tom. 12. Tab. 26.*
5. *Mexicana flore viridi, Tzauxochitl Recchi, 433.*

fibrata

6. *Sive Orchis abortiva aizoides Malabarenſis flore odoratiſſimo variegato, aviculam repræſentante, Commelin. Angeli maravera, Hort. Mal. Tom. 12. Tab. 1.*
7. *Sive Orchis abortiva aizoides Malabarenſis altera flore odorato, ſanguineo colore, intus aviculam purpuream repræſentante, Comm. Biti-maram-maravera, H. M. T. 12. Tab. 2.*
8. *Sive Orchis abortiva aizoides Malabarenſis foliis obtuſis, flore aureo odorato, Comm. Ponnampou-maravera, H. M. T. 12. Tab. 3.*

1. Pſeudo-orchis *bulboſa lilifolia paluſtris noſtras flore ſubviridi, Nobis. Chamæorchis lilifolia* 9. *C. B. P. Orchis lilifolius minor ſabuletorum Zelandiæ & Bataviæ, Lob. J. B. p. 770.* qui & iconem *Helleborines*, vulgo *Orchitis repentis* dictæ, adpoſuit. *Orchis latifolia Zelandiæ, Park. Bifolium bulboſum, Dod. Radix* ſingularis, ex involucris plurimis, bulboſarum plantarum ritu & forma, *fibriſque* ſubnaſcentibus, compacta, intus viridis eſt. Involucra autem bina, terna, & quaterna, ſobolis inſtar, conjuncta adhærent. *Folia* exinde oriuntur bina, liliacea, longa, pallide virentia; *cauliſque* palmaris inter ea aſſurgit, qui *Orchitum* in modum *flores* profert, rarius diſpoſitos, pallide virentes, ſenis *petalis* conflatos, cum *ſtylo* in medio viridi, alba *macula* in apice notato, & paullulum incurvo, ac ſi *cuculli* vicem ſuppleret. E petalis quod dependet *labelli* loco congenerum multo latius eſt; è reliquis quinque tria ejuſdem fere longitudinis, duo longe anguſtiora, alarum loco ſunt. *Vaſcula* ſubſunt oblonga, ſtriata, quæ in *Lobelii* icone optime pinguntur.

Juxta maritimos ſabuloſos aggeres Zelandiæ & Hollandiæ; *necnon conſimili ſolo agri* Lincolnienſis & Cantabrigienſis *ſponte provenit.*

2. Pſeudo-orchis *radice bulboſa Malabarica floribus aureis, Katou-ponnam-maravera, Hort. Mal. Tom. 12. Tab. 28.* Clariſſ. *Horti Malabarici* auctores plurimas in lucem ediderunt Plantas pulcherrimas, quaſi Novi orbis alumnas; quarum ſequentes, ob ſtructuræ elegantiam, florumque formam, non infimum locum tenent. Prima *radicibus* & *foliis* binatim enaſcentibus, durioribus tamen & longioribus, nervoſis, cum præcedenti convenit. *Caulis* è medio erigitur, & *Orchitis* in modum *flores* ſpicatim diſpoſitos ſuſtinet, flavoclaros ſeu aureos, pentapetalos. Ex his tres longi, parvi & anguſti, duo rotundi, circumflexi, apicem conſtituentes, cum procumbente penicillo, quod cavum eſt & circumflexum, *odoris* admodum grati ſunt. *Fructus* flores ſubſequentes, ut in *Orchitibus*, pentagoni ſunt. *Plura lege loco citato.*

3. Pſeudo-orchis *bulboſa Malabarica lilifolia floribus è miniatis rubris, Nobis. Baſaala-poulou-maravera, Hort. Mal. Tom. 12. Tab. 27. Folia* è *radice* bulboſa, longa, edit plura, liliacea, *coſtis* pliciſque ſulcata. Inter folia *caulis* producitur rotundus, rigidus; in quo *flores* ſpicatim naſcuntur, minutiſſimi, tam eleganter confecti, ut ſatis apte nec delineari nec deſcribi poſſint, egregie miniatorubri, monopetali. *Petalum* ipſum *ſoleæ* inſtar *equinæ* circumflectitur, ejuſque ora filamenta ſerica dependentia referunt. In medio orbis è diametro duo ibi opponuntur *globuli*, ſimilitudinem *teſtudinum* cum omnibus illarum partibus repræſentantes. Porro illorum *petioli* in altitudinem caulis diriguntur, circa pedem *foliolo* parvo viridi inſtructi, gratiſſimi & amœniſſimi odoris. *Fructus* longi ſunt, ſtriati, in vertice ampliores, & circa pedem in acumen definentes.

4. Pſeudo-orchis *bulboſa Malabarica foliis longioribus, verſicoloribus floribus, Katou-kayda-maravera, Hort. Mal. Tom. 12. Tab. 26.* Pro *radice bulbum* habet longum, *fibris* craſſioribus adnexis; *folia* longa, enſiformia, tres pedes alta, pollicem lata, rigida, tribus *nervis* inſtructa, *ſucco* glutinoſo repleta. *Caulis Arundinis* inſtar geniculatus, teres, in altum aſſurgit; ex quo *flores* proveniunt hexapetali, difformes, exteriori parte viridifuſci,

viridifuſci, ad rubrum colorem vergentes, interiori eximie rubris, albis, viride admodum claris, purpureiſque *venis* ſtriati & notati, accuratiſſime *maculis* flavoalbis ornati. Circa inferiorem petioli partem *lingula* fuſca videtur, poſtea in *ſpinam* abiens, odoris gratiſſimi. *Fructus* oblongi, in medio tumidi, extuberantibus *coſtis*, *ſemina* minutiſſima continent.

5. Pſeudo-orchis *radice bulboſa Mexicana flore viridi, Tzauxochitl Recchi*, 433. Bulbus eſt *Moly* quaſi ſimilis; *folia* qualia in *Gentiana* aut *Allio urſino*; *flos* viridis punctis rubris immixtis, figura quaſi *Orchitis* alicujus donatus.

6. Orchis *abortiva Aizoides Malabarenſis flore odoratiſſimo variegato, intus Aviculam repræſentante, Comm. Angeli maravera, Hort. Mal. Tom.* 12. *Tab.* 1. Planta eſt altitudinis duorum cubitorum. *Radix* alba, dura, inflexa, criſpata, capillaribus, piloſis, *radiculis* corticibus arborum ſeſe affigentibus donatur. *Caulis* è radice exſurgit ſimplex, glaber, viridis, annulatus, viſcida *medulla* repletus. *Folia* oblongoangusta ſunt, ab omni parte æque craſſa ac lata, complicata; duobus ſemicirculis ad ſe invicem excavata, denſa, ut vix flecti poſſint. *Flores* ſunt hexapetali, difformes, candicantes, *maculis* rubris, cæruleis, luridis, aſperſi; ſextus autem *lingulam* habet inflexam, ex cæruleo rubro colore optime refulgens. In medio floris elegans quaſi *avicula* conſpicitur, ex viridi nitens, *maculis* rubris cæruleiſque variegata, *criſta* candida in capite inſtructa. *Fructus* ſubeſt oblongorotundus, tribus extuberantibus *coſtis* donatus.

7. Orchis *abortiva aizoides Malabarenſis altera flore odorato, ſanguineo colore, intus Aviculam purpuream referente, Comm. Biti-maram-maravera, Hort. Mal. Tom.* 12. *Tab.* 2. *Radix* in varias particulas craſſas & fungoſas divaricatur. *Folia* cum præcedentis conveniunt; *flores* conformes, ſed rubentes, cæruleis, flavis, viridibuſque *maculis* aſperſi; *avicula* purpurea eſt. *Fructus* qui ex *petiolis florum* conficitur, rotundus eſt & glaber, ſine laciniis. Atque hac nota ab altera illa proxime ſuperius explicata differt.

8. Orchis *abortiva aizoides Malabarenſis foliis obtuſis, flore aureo odorato, Comm. Ponnampou-maravera. Radix* longa, in *fibras* craſſiuſculas diffunditur. *Caulis* ad duos exſurgit pedes, viridifuſcus. *Folia* cum præcedentibus binis pene conveniunt, viridia, glabra, rotundis oris, ſeu in obtuſum deſinentibus, breviora. *Flores* hexapetali ſunt, craſſi, oblongorotundi, flavi, interiori parte inſtar auri coruſcantes, præcedentis ſpecei admodum ſimiles. *Fructus* quaſi hexagoni, oblongi ſunt, in medio tumidi.

In ante citato libro ad vivum delineatæ & fuſius deſcriptæ ſunt inſignes hæ Plantæ. Eum conſulat Lector curioſus.

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ ſeminibus pulverulentis, aphyllæ.

CAPUT XXIII.

Orobanche.

ORobanche *Græcis* ὀρόβαγχη, Ervangina Gaza *vertente, quod* ὀρόβου ἄγχει, *Ervum Orobumve ſtrangulet. Probabilior ac vero ſimilior eorum videtur ſententia qui* Cuſcutam *exiſtimant; quæ*, Theophraſto *auctore, ſe circumligando, amplexu & compreſſu* Erva, Vicias & *quaſcunque Plantas comprehendit, enecat.*

Orobanche vero noſtra eſt Planta *Orchiti* quoad flores proxima, erecta, mollis, ſuccoſa & aphylla, *flore* obſoleto vel ruffo, aut purpuraſcente; *radice fibris* plurimis complicata, *Nidus avis* dicta, vel ſubrotunda ſquamata, vel dentata, vulgo *Dentaria* nuncupata. Ab excreto viſcidoque humore ſuperfluo, ex arborum & fruticum radicibus, uti Viſcum è truncis & ramulis, excreſcentes à nonnullis numerantur hæ ſpecies variæ.

TABULA XIX. SECT. XII.

Orobanche radice

ſquamata

1. *Major Garyophyllum olens, C. B. P. Rapum Geniſtæ, Ger. Orobanche flore majore, J. B.*
2. *Flore majore, C. B. P.* 2. *Cluſ. Hiſt. Orobanche, Eyſt.*
3. *Flore majore & cæruleopurpuraſcente, C. B. P. Quæ* 1. *in Prod.*
4. *Monſpeliaca floribus oblongis, C. B. P. Orobanche magna purpurea Monſpeſſulana, J. B.*
5. *Monanthos Virginiana flore majore.*
6. *Elegantiſſima flore luteo verna Luſitanica, Viridar. Luſit.*
7. *Minor è Ciſto naſcens, Nobis. Hypociſtus, C. B. P. J. B. Ger.*
8. *Ramoſa, C. B. P. Minor purpureis floribus ſeu ramoſa, J. B.*
9. *Virginiana ligneſior per totum caulem floribus minoribus onuſta.*
10. *Virginiana flore pentapetalo cernuo.*

dentata

11. *Major, C. B. P. Dentaria major, Matth. Lob. Eyſt.*
12. *Quæ Hypopitys dici poteſt, C. B. P. & Prod.*
13. *Hypopitys lutea, Mentz.*
14. *Altius radicata foliis & floribus albopurpureis, Mentz.*
15. *Aphyllos purpurea ceſpite denſo, Raii. Forte Planta Clandeſtina vel Madrona, Lugd.*
16. *Verna Virginiana, Baniſt.*
17. *Autumnalis Virginiana, Baniſt.*

- *fibroſa*
  - 18. *Major flore obſoleto, Nobis. Orchis abortiva fuſca, C. B. P. Nidus avis, Lob. icon. Lugd. Eyſt.*
  - 19. *Major flore violaceo, Nobis. Orchis abortiva violacea, C. B. P. Pſeudo-limodoron, Cluſ. Hiſt.*
  - 20. *Flore breviore, Verbaſculi odore.*
- *coralloide*
  - 21. *Minore albida, Nobis. Orobanche radice coralloide, C. B. P. Park. Dentaria radice coralloide, Eyſt.*
  - 22. *Ruberrima, Mentz.*
  - 23. *Virginiana ſummo caule foliis ſubrotundis, Baniſt.*

1. Orobanche *major Garyophyllum olens, C. B. P. Orobanche ſive Rapum Geniſtæ, Ger. Orobanche flore majore, J. B. Limodoron ſive Orobanche, Dod. 1. Cluſ. Herba Tauri vel Vaccæ, Amat. Rapum Geniſtæ ſive Hippoſpartium ἄφυλλον floribus galeatis Tragorchidis, Adv. Lob. Radix* pollicem craſſa, ſubrotunda, exterius ſquamoſa, frequenter *Geniſtæ* radicibus adhæret. *Caulem* emittit pedalem & cubitalem, ſingularem, erectum, hirſutum, concavum, & carnoſum, ex luteo fuſcum, ſatis craſſum; in quo non tam *folia* quam foliorum rudimenta, anguſta, (ſeu ligulæ celerrime marceſcentes, raræ) ſingula ſingulis floribus ſubjiciuntur. *Flores* in thyrſo diſponuntur *Orchitum* more, ſed ex longioribus intervallis, magni, quaſi galeati, impenſe hirſuti, colore obſoleto pallido, rictum effigiantes; è quo prominent apices nigricantes *ſtaminum* albidorum. *Labrum* autem quod demittunt in tres lacinias eſt diviſum, ipſeque floris fundus melleo ſucco viſcido madet. *Cauliculi* ſuccedunt ex rotundis oblongi, quibus *ſemen* pallidum, exiguum, & pulverulentum reconditur. *V. icon. tab. æn.* 16.

Solo gaudet glareoſo, quali & Geniſta, *& locis ſylvoſis; nonnunquam tamen inter ſegetes locisque ſoli expoſitis invenitur.*

2. Orobanche *majore flore, C. B. P. Orobanche Eyſt. Orobanche* 2. *ſubcæruleo flore, Cluſ. Hiſt. Flores* apparent rariores, majores, (conformes tamen proxime prioris floribus) ſubcærulei. Hanc *Cardui vulgaris* inter ſegetes naſcentis radicibus inhærentem, olim ſe eruiſſe meminit *Cluſius*, cum *Monſpelii* viveret. *V. icon. tab. æn.* 16.

In herbidis maritimis, Maio menſe, ſæpius legit D. Magnol.

3. Orobanche *flore majore ex cæruleo purpuraſcente, C. B. P. & Prod. Radice* eſt craſſa, longa, fibroſa; *caule* ſemipalmari, *foliolis* paucis, breviſſimis, craſſis, & acutis cincto, qui in quinque, ſex, & plures pediculos triunciales, nudos, abſumitur; quamvis etiam ex foliorum *alis* pediculi prodeant, quorum ſummo *calyx* uncialis, ſinuatus inſidet, & ex quolibet *flos* unicus, cæruleopurpuraſcens, longo pediculo donatus exit, qui magnus, uncias duas longus, forma galericulatus, & veluti roſtratus, ut in *Alectorolopho*, & ex quo filamentum oblongum, reflexum, prodit.

Hanc in Pyrenæis *montibus D.* Burſerus *legit, & cum* C. B. *communicavit.*

4. Orobanche *Monſpeliaca floribus oblongis, C. B. P. Orobanche magna purpurea Monſpeſſulana, J. B. Orobanche major Monſpeſſulana, Park. Major, Lob.* Huic digitalis craſſitudinis, altitudinis autem bicubitalis *caulis* adoleſcit, totus purpuraſcens, cui ſerie quadam ſurſum verſum apprimuntur *folia* ſatis brevia, amplexicaulia. *Scapum* obſident *flores* purpurei, *Orchidis* floribus ſimiles, *calcaribus* brevibus, ſinguli foliolo intecti. *Radix* ſuperiorem vulgarem refert. Sapor amarus, teterrimus. *J. B. V. icon. tab. æn.* 16.

In Gramuntio *luco oriri notat* J. B. *Ubi & Aprili & Maio menſibus ſæpius collegit D.* Magnol.

5. Orobanche *monanthos Virginiana flore majore pentapetalo. Caulis* ei erigitur ſingularis, mollis, carnoſus, culmi craſſitudinis, dodrantalis, *foliolis* latiuſculis, mucronatis, pinguiuſculis, ſeptus. Summo cauli *flos* unicus, uncialis, ex *petalis* quinis, unciæ quadrantem latis, compoſitus inſidet; cujus medietatem *vaſculum* turgidum, oblongum, in apiculum deſinens *avellanæ* magnitudine, occupat. *Vid. icon. tab. æn.* 16.

A Cl. D. J. Baniſter *tranſmiſſam ipſi habemus.* Forte eadem eſt quam indito nomine *Orobanchis Virginiana flore pentapetalo cernuo D. D. Pluknet. Tab.* 209. edidit, & quam fortaſſe immaturam recepit.

6. Orobanche *elegantiſſima flore luteo verna, Gab. Griſley. Viridar. Luſit.* Plantam hanc teneram, ſuccoſam, ſeſquipalmarem, *D. Tournefort Pariſienſis* in *Luſitanicis* ſuis perambulationibus feliciter detexit. *Caulis foliolis* ad baſin latioribus & in mucronem deſinentibus, mollibus, & aquoſis, crebrius obſitus aſſurgit. Iſta autem foliola uſque ad ſummitatem contigua ſibi conſpiciuntur. E ſummitate tres quatuorve proveniunt *flores* tubuloſi, infundibuli fere forma, ore quinque ſegmentis diviſo, uncialis aut ſeſcuncialis longitudinis, omnino luteo colore micantes.

7. Orobanche *minor è Ciſto naſcens, Nobis. Hypociſtus, C. B. P. J. B. Cluſ. Ger. &c.* In calidioribus regionibus, è variarum *Ciſti* ſpecierum radicibus, ſibi inhærentes obſervantur *Hypociſtides*, atque è *maris Ciſti* frequentius; quæ quando primum è terra emergit, purpureum ſive *Kermeſinum* ſericum eſſe videtur: deinde paullatim aſſurgens & ſeſe explicans, multum de priſtini coloris elegantia remittit, & *cytinos* ſuos profert candicantes, turgidos. Tota planta apparet ſquamis foliorum imbricata, craſſa, & ſucci plena.

Alteram ex *Ciſto Ledo* naſcentem varietatem obſervavit *Cluſius* è multis veluti *ſquamis* dentatis compactam, palleſcentis coloris, quibuſdam tamen *lineis* purpuraſcentibus & nonnihil vireſcentibus diſtincti, *cytinos* ſuos ſumma parte proferentem, lentoque & glutinoſo ſucco totam prægnantem.

8. Orobanche *ramoſa, C. B. P. Ger. Park. Tertia πλόκαμος, Cluſ. Hiſt. Minor purpureis floribus ſive ramoſa, J. B.* Ramoſo eſt *caule.* Sæpe etiam plures, dodrantales, aut breviores emittit *caules*, multo tenuiores quam *Orobanches vulgaris*, rigidioreſque, duros, rufeſcentes, hirſutos, in ramos ſubinde diviſos, foliorum duntaxat faſtigiis quibuſdam ornatos. *Flores* ſpicati, minores, purpurei, oblongi, hiantes, è multifido *calyce* emergunt, quibus ſingulis ſingulare appoſitum *foliolum* acutum. Sequuntur *capitula* turgida, pulviſculo plena. *Radix* tuberoſa, *Avellanæ* magnitudine, fibrarum propaginibus donata. *Sapor* plantæ aliquantulum amarus. *J. B. V. icon. tab. æn.* 16.

In ſiccioribus quibuſdam pratis obſervavit Cluſius. *In* Italia, Germania, & Gallia Narbonenſi *reperitur.*

9. Orobanche *minor Virginiana lignoſior per totum caulem floribus minoribus onuſta.* E *radice* craſſiuſcula, è ſquamulis fibris adnexis compacta, oriuntur plurimi *caules*, numero ſeptem vel octo, ſeſquipalmum & dodrantem

dodrantem longi, graciles, duri & lignoſi, nullis *foliis* veſtiti, niſi minimis iſtis acutis & vix conſpicuis, quæ unicuique flori appoſita ſubſunt. *Flores* oblongi, galeatam ſpeciem monſtrant, & inordinatim ſiti, à radice ad ſummum uſque caulem conveſtiunt, obſolete lutei coloris. Hiſce marceſcentibus, *vaſcula* parva, rotunda, dura, petiolo breviſſimo donata, cauli adhærentia, *ſeminibus* minimis, pulverulentis, rotundis, pallide luteis, impleta, ſuccedunt. *Vid. icon. tab. æn. 16.*

Hanc D. J. Baniſter *è* Virginia *tranſmiſit.*

10. Orobanche *Virginiana flore ampliore pentapetalo cernuo, D. Baniſter.* Qualiſnam ſit *radix*, neſcimus. Exemplar è *Virginia* tranſmiſſum eſt, cujus *caulis* à tenui principio *radici* adhærens, ſtatim craſſeſcit, mollis carnoſæque ſubſtantiæ, tres quatuorve uncias longus, *foliolis* ſquamatim in inferiore præſertim parte crebrius amictus. Summitas ejus reclinata & nutans eſt, ubi *flos* unicus, ſemuncialis longitudinis, campaniformis, ſed in quina *petala* diviſus, de *petiolo* brevi dependet, & *vaſculum ſeminale* obbulæ forma, cum *ſtaminibus* ambientibus includit.

11. Orobanche *radice dentata major, C. B. P. Dentaria major, Matth. Lob. Dentaria major ſive ἄφυλλος 1. Cluſ. Pan & Hiſt. Eyſt. Ablatum (id eſt aphyllon, quod foliis careat) Cordi. Dentaria crocodilia, Tab. Hanc J. Bauh. verbis ſequentibus accurate deſcripſit:* Ex *radice* multiplici, mira *ſquamarum* denticulatarum congerie ſtipata, alba, molli, & ſuccoſa, *caulem* erigit minimi digiti fere craſſitudine, dodrantalem, aut altiorem, teretem, ſucculentum, fragilem, tenui *membrana* veſtitum, aquea *pulpa* abundantem; juxta quem ex longis intervallis, *auriculæ* quædam membranaceæ, *foliorum* æmulæ prodeunt, adverſæ quidem, ſed altera tantillum eminentiore. Tertiam & ſupremam *cauliculi* partem *flores* occupant plures, hiantes, eodemque modo nutantes & antrorſum ſpectantes, omnes brevi pediculo appenſi; à quorum tergo pediculorum quoque exortum foliola muniunt. *Floris color* ex ruffo vel purpureo candicans. Illis ſuccedunt *vaſcula avellanæ* fere magnitudine, à pediculo ad medium *calyce* foliaceo, ſubhirſuto, tenello, ſuccoſo, & quadripartito veſtita, *lineis* quibuſdam ac canaliculis quadripartita, *ſemine* rotundo, ova piſcium minima æmulante, denſiſſime farcta, quod maturum totum nigrum eſt, papaverinum, ſed ſextuplo majus. *V. icon. tab. æn. 16.*

Ad arborum vetuſtarum radices, præſertim Corylorum, in lucis, theriotrophiis, & ad ſepes umbroſas, Aprili menſe florens, gignitur.

12. Orobanche *quæ Hypopitys dici poteſt, C. B. P. & Prod.* Hæc *Orobanche vulgari* ſimilis, ſed humilior & nigricans, *caule* unciarum quatuor, quaſi *ſquamis* contecto aſſurgit. *Flores* in ſummo veluti in parvam *ſpicam* congeſti, *Nido avis* ſimiles, albidiores, rariores, ac duriores.

Sub Piceis & Abietibus & Pinaſtris (*hinc* Hypopitys) *provenit. Sapore eſt aliquantulum adſtringente.*

13. Orobanche *hypopitys lutea, Mentzelii. In pinaſtretis ſub altiſſimis Marchiæ Brandenburgicæ tædis naſcitur.* Cum menſibus *Maio & Junio* erumpit, *corpuſculum* luteum in ſe contortum, tanquam eſſet *Fungulus* orbicularis luteus, oſtendit. At deinceps ultra ſpithameam longitudinem exſurgit. *Radix* ſæpius ultra longitudinem ulnæ in terram demiſſa, *radici* arboris inhæret. Planta cum marceſcit, nigrum colorem acquirit, ſaporemque *Ulmariæ* habet. *V. icon. tab. æn. 16.*

Talia & ſimilia alia hypophyta radicibus proximarum plantarum infixa obſervavit auctor.

14. Orobanche *radice dentata altius radicata, foliis & floribus atropurpureis, Mentz.* In *Boruſſia* & *Marchia* frequens terra erumpit fertili ſub *Fagis* umbroſis, primo inſtar criſtæ, ad terram retortæ, poſtea maturior erigitur ut præcedens *Orobanche*, ſpithamam exſuperans. *Radix* ſquamata & altiſſime radicata, ſuperius *ſurculos* emittit, qui intra terram emoriuntur, medio & ſupremo ſurculo ſupra terram ſe erigente. *V. icon. tab. æn. 16.*

15. Orobanche *ſeu Dentaria aphyllos purpurea cæſpite denſo, Raii.* Forte *Planta clandeſtina vel Madrona, Lugd.* Denſo cæſpite terram operit *Sempervivi majoris* in modum. Ex ſingulis *ſquamis* ſingulos promit *flores*, pediculis ſemuncialibus inſidentes, è *calyce* amplo, ſtriato, turgidulo, quinquepartito, galeatos, magnos, purpuraſcentes, cum *ſtaminulis* intus plurimis. *V. icon. tab. æn. 16.*

In Italiæ *locis humidis & umbroſis ſecus fluvium quendam medio circiter itinere inter* Maſſam & Lucam, *obſervavit auctor.*

16. Orobanche *Virginiana radice dentata verna, Baniſt.* Tenera, tenuiſque hæc planta, à *D. Jo. Baniſter*, in *Virginia* delineata & nobis tranſmiſſa, *radicem* habet *Dentariæ vulgatioris majoris Matthioli* ſimilem, in tenuiores partes diviſam, ad eundem modum tamen denticulatam ac geniculatam. *Caulis* aſſurgit dodrantalis, *foliolorum* ſpecie convolutus, qui *flores* in ſummo ſuſtinet *Orchitis* in modum *ſpicam* mentientes, quaſi galeatos, *labello* latiore propendente, & ſingulari *petiolo* craſſiuſculo, brevi, inſidente.

17. Orobanche *autumnalis radice dentata Virginiana, Baniſt. Radice cauleque* ſingulari proxime præcedenti ſimilis eſt. *Flores* è petiolis brevibus, tenuioribus, dependentes, minores ſunt. Autumnalis eſt Planta, prior vernalis. Colorem non exprimit auctor.

18. Orobanche *radice è fibris compacta major, flore obſoleto, Nobis. Orchis abortiva fuſca, C. B. P. Nidus avis, Lob. icon. Lugd. Eyſt. Orobanche affinis Nidus avis, J. B. Orchis abortiva ruffa, Park. Orobanche, Geſ. Col. Neottia, Dod. Cynomorion Plinii Cluſio dictum, aliis coagulum terræ, ejuſd. Plin.* Denſa ſerie, *nidi* cujuſdam in morem, innumeræ craſſiuſculæ *radicum fibræ*, terminationibus obtuſæ, invicem conglomerantur; è quibus exſurgit *caulis* ſucculentus, pedalis, & cubitalis, rectus, vaginatim, quaſi foliaceis *membranulis* paucis involutus. Ejus ſummum faſtigium in *ſpicam* abit, congeſtam è *floſculorum caſſidibus* hiantibus, *Orchitum* ſimilibus, quas etiam *ſeminibus* exilibus refert. *Color* totius muſtelinus eſt, aut qualis quibuſdam *fungis* putridis obſoletus, idemque cauli permanet. *Vid. icon. tab. æn. 16.*

In ſylvis caduis & opacis naſcitur, ſed rarius. In montium declivibus, à ſylva ad Pagum Stoken-Church *dictum poſita deſcendentibus, ſub Fagis umbroſis, tanta copia invenimus, ut ſingulari pugno* 18. *conſtrinxerimus. Maio & Junio menſibus floret.*

19. Orobanche *radice compacta major flore violaceo, Nobis. Orchis abortiva violacea, C. B. P. Pſeudolimodoron, Cluſ. Hiſt. Nidus avis purpurea, Park. Orobanche & Nido avis affine* ψευδολιμόδωρον *Auſtriacum violaceum, J. B.* Pedali aſſurgit *caule*, frequentibus ſecundum radicem *foliolis* tanquam vaginulis involuto, *ſpicam* geſtans *florum* tetrapetalorum, ſuperiore petalo in corniculum deſinente, & promuſcide quadam inter media folia prominente, cui adnaſcuntur duæ tenues *barbulæ*. Floribus ſtriata & longa ſubſunt *capitula*, *ſemine* exili &

Orchitum

Orchitum ſimili plena. Subrotundam *radicem* non habet, ſed craſſas, longas & obliquas *fibras*, quemadmodum *Helleborine*. Tota ſtirps ſatura purpura & plane violaceo colore prædita eſt.

In montanis ſupra Badenſes *thermas locis obſervavit* Cluſius. *In agro* Hantonienſi *prope* Alton *oppidum invenit D.* Goodyer.

20. Orobanche *flore breviore duplici Verbaſculi odore*. In ſylva ad oppidum *Stoken-Church* dictum aſcendente, ad ſiniſtram, hanc 26. abhinc annis invenimus; quæ à *radice* craſſiuſcula, inæquali, *fibras* plurimas complicatas tenues demittit, & Maio ineunte, *caules* curvatos, ſimplices protrudit, qui deinde in dodrantalem & pedalem altitudinem attolluntur, graciles, teneri, & ſucci pleni, plurimis *foliolis* membranaceis cincti. *Flores* in ſummo *ſpicam* conſtituunt, ſinguli proprio petiolo inſidentes, ex *petalis* quatuor brevibus & latiuſculis externis, totidemque minoribus internis, pallide luteis, conſtructi. Spicæ medietatem *vaſculum ſeminale* ſubrotundum, lagunculæ obbulæve forma, cum collo & orificio prominente ac ſtaminulis purpuraſcentibus ambientibus occupat. *Odor* totius tuſi & compreſſi gratus *Verbaſculum* refert. *V. icon. tab. æn.* 16.

21. Orobanche *radice coralloide minore albida, Nobis. Dentaria ἄφυλλος* 3. *Cluſ. Pan. Dentaria aphyllos minor Tab. J. B. Dentaria minor, Ger. Dentaria radice coralloide ſive ἄφυλλος, Eyſt.* Radicula craſſiuſcula, & quaſi in ramos *Corallii* in modum divaricata, albeſcens, ſucci plena, & *fibris* prorſus deſtituta, definit in *caulículum* ſeſquipalmarem, *vaginulis* aliquot *Neottiæ* inſtar circumſeptum. Summitates ejus *ſpicæ* rarioris ſpeciem repræſentant, quæ conſtituitur è *floribus* aliquot, candore flaveſcentibus, effigie *Orchitum* donatis. *V. icon. tab. æn.* 16.

Hanc duntaxat obſervavit Cluſius *Maio menſe florentem, in ſylva recens cæſa, paullo ſupra* Entzeſtorfim Langhethal.

22. Orobanche *parva radice coralloide ruberrima, Mentzelii*. Admiranda naturæ in hac plantula quoque obſervantur, dum *Corallia rubra* & colore & ſpecie externa in ejus radice efformata, ad vivum conſpiciuntur.

In Scopulo Mittenwaldenſi *Cl. auctor detexit, & in Pugillo rariorum Plantarum edidit.*

23. Orobanche *Virginiana radice coralloide, ſummo caule foliis ſubrotundis. Radix* fibris craſſiuſculis, *Corallii* inſtar conſtat. *Caulis* ſeſquipalmaris, erectus, ſimplex, cui *foliola* exigua, acuta, inhærent; præterquam illa quæ ad verticem appropinquant, & ex anguſta baſi, ad unguis parvi digiti latitudinem, ſubrotunda, dilatantur. Ex horum autem *alis flores* ex pluribus petalis tenuibus conſtructi emergunt.

Vires & Uſus.

Orobanches majoris Rapi Geniſtæ nuncupatæ *reſiccatæ & tritæ pulverem ex tepido vino hauſtum, præſens eſſe ad coli dolores remedium* Belgæ *prædicant*. Cluſ. *Herba* condita *aut ejus* Syrupus *ad ſplenicos & hypochondriacos affectus, uſus eſt eximii: unguentum ex eodem cum axungia ad tumores duros & ſchirroſos molliendos adhibetur. Ita* D. Raius *ex obſervatione* D. Bowle.

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ ſeminibus pulverulentis.

CAPUT XXIV.

Pyrola.

PYrola *a folio nomen accepit, quod* Pyri folium *& forma & conſiſtentia refert.*

TABULA XX. SECT. XII.

Pyrola
- *rotundifolia*
  1. *Major, C. B. P. Pyrola, Ger. J. B. Pyrola noſtras vulgaris, J. B.*
  2. *Minor ſingulari flore, Nobis. Minor, C. B. P. Pyrola 4. minima, Cluſ. Pan. & Hiſt.*
  3. *Paluſtris noſtras flore unico ampliore, Nobis. Gramen Parnaſſi, Dod. Lob.*
- *mucronato folio*
  4. *Serrato, C. B. P. Pyrola folio ſerrato, J. B.* 2. *Cluſ. Hiſt.*
  5. *Fruteſcens Arbuti folio, C. B. P.* 3. *vel fruteſcens, Cluſ. Hiſt.*
  6. *Alſinis flore Europea, C. B. P. & Prod. Herba trientalis, J. B.*
  7. *Alſinis flore Braſiliana, C. B. P. & Prod.* 100.
8. *Pyrolæ affinis Virginiana repens fruticoſa foliis rigidis ſcabritie aſperis, D. Pluk. Phyt.*

1. Pyrola *rotundifolia major, C. B. P. Pyrola, Ger. J. B. Dod. Adv. Lob. Tab. Eyſt. Pyrola noſtras vulgaris, J. B. Vulgatior* 1. *Cluſ. Limonium ſylveſtre, Trag. Tur. Radix* fuſca, tenuis, dura, fibroſa, ſubinde ſerpens, haud alte demittitur. *Folia* inde quinque aut ſex humi ſpargit ſubrotunda, *Pyraſtri* paria, quibus robore & duritie fere reſpondent, petiolis longis inhærentia. Inter hæc *caulis* aſſurgit dodrantalis, anguloſus, nullam ramorum diviſionem agnoſcens, *thyrſum* gerens ſpicamve amœnorum *floſculorum*, è quinis *petalis* conſtantium albidis, *Orchitum* ferme in modum, ſuperius duobus (petalis) *galeam*, inferius vero *labellum* bifidum referentium, multis umbilicum obſidentibus apicibus croceis, ex quibus *piſtillus* recurvus prodit, & ima verſus reflexus, & quandam veluti probóſcidem referens. Unicuique flori ſuccedit *capitulum* parvum, ſubrotundum,

rotundum, compreſſum, in quinque angulos obtuſos & totidem cellulas diviſum, *feminibus* minutiſſimis pulverulentis refertas. *V. icon. tab. æn.* 10.

Locis gaudet montoſis & umbroſis. In ſylva Sherbournienſi *Comitatus* Oxonienſis, *Junio florens ipſi invenimus. In locis quoque Borealibus* Angliæ *montoſis; ut &* Germaniæ, Bohemiæ, & Moraviæ, *reperitur. In ericetis etiam muſcoſis naſcitur.*

Cluſius binas obſervavit varietates: *unam ſatis amplum molleque folium* habentem; alteram *minus & durius.*

2. Pyrola *rotundifolia minor ſingulari flore ampliore, Nobis. Pyrola rotundifolia minor, C. B. P. Minima Alpina, J. B. Pyrola 4. minima, Cluſ.* Ex *radice* reptante *folia* emittit quatuor aut quinque, uncialia fere, rotunda, in ambitu ſerrata. *Caulis* unicus, nudus, palmaris, *florem* in cacumine fert unicum majuſculum, *Pyrolarum* aliarum ſimilem, ſuccedente *capitulo* majore anguloſo; è cujus medio prodit *ſtylus* præpilatus.

Naſcitur umbroſis locis in Alpibus Sneberg, Hochbergerin, Durrenſtain *& aliis vicinis radicibus ſummorum illorum jugorum. Floret ſub finem Julii & Junio menſe; ſemen Auguſto maturum.* Flore & capitulo *ſuccedenti melius cognitæ ſimilis eſt. V. icon. tab. æn.* 10.

3. Pyrola *rotundifolia paluſtris noſtras flore unico ampliore, Nobis. Gramen Parnaſſi flore albo ſimplici, C. B. P. Gramen Parnaſſi Dodonæo, quibuſdam Hepaticus flos, J. B. Hepatica alba, Cordi. Gramen Parnaſſi, Lob. Ger. Radicem* habet modice craſſam, fibratam, ex alba rubentem. Inde *folia* prodeunt ſatis frequentia, plana, pallide viridia, uncialis fere latitudinis, & ad *Violæ* formam accedentia, pediculis longis appenſa. *Caules* aſſurgunt erecti, anguloſi, ſpithamei & pedales, individui, *folio* ut plurimum unico, eoque amplexicauli donati. Caulium unicuique *flos* unus inſidet, ſpecioſus, candidus, ex quinque *petalis* planis, totidemque aliis minoribus, ſtriatis, ſtaminulis circundatis, aliiſque ſtaminibus luteis, umbonem ambientibus, conflatus. Iſtis porro dehiſcentibus, *umbo* capitulumve in conicam figuram intumeſcit, & per maturitatem in quatuor partes ſe dividit, & ſemina oblonga, exigua, fuſca, oſtendit. *V. icon. tab. æn.* 10.

Hortus Eyſtenſis, *aliique libri florilegi,* florem duplicatum *demonſtrant. In macris putridiſque paluſtribus locis ſatis frequens occurrit. Julio & Auguſto menſibus floret; ſemenque ſero autumno perficit.*

4. Pyrola *folio ſerrato, J. B. Folio mucronato ſerrato, C. B. P. Pyrola tenerior, Park. Pyrola 2. tenerior, Cluſ. Ger.* Prima vulgari ſpecie jam deſcripta tenerior hæc eſt *radice* repente; *caule* breviore, infirmiore, *foliis* circa imum ornato, dimidio minoribus, tenuioribus, oblongis, acuminatis, tantillum in ambitu crenatis prædita. *Flores* per caulem thyrſoides, proxime præcedentis ſimiles, minores, *capitula* relinquunt anguloſa, *ſtylum* ex umbilico proferentia. *V. icon. tab. æn.* 10.

In Alpium Auſtriacarum & Stiriacarum *jugis, montibuſque* Genevenſibus, *Junio & Julio menſibus florens, reperitur.*

5. Pyrola *fruteſcens Arbuti folio, C. B. P. Pyrola fruticans, J. B. Pyrola fruticans 3. Cluſ. Ger. Cam.* Elegantiſſimum eſt hoc genus, interdum quodammodo fruticans: nam novelli breveſque *ramuli,* ſingulis annis ſuccreſcentes, aliquot annos firmi virideſque permanent, & ſupra tellurem eminent, donec tandem pondere ſuo depreſſi humi procumbant & muſco ſe condant, *fibraſque* interdum agant. *Folia* ut plurimum ad ſingula internodia, ubi novi ramuli ſuccreſcunt, bina, terna aut quaterna habet carnoſa, ſuperne ſaturatius viridia & ſplendentia, *Laureolæ foliis* forma & magnitudine prope ſimilia, in ambitu tamen ſerrata, guſtu admodum exſiccante, deinde amaricante, qualis eſt & reliquarum. Ex horum medio ſolent Aprili menſe nova germina prodire, quæ *foliolis* veluti *ſquamulis* prædita, in *virgulas* tandem deſinunt, quibus terni, quaterni, interdum etiam quini inſident *flores vulgaris Pyrolæ* floribus ſimiles, paullo tamen majores, ex albis purpuraſcentes. Iſtis excuſſis, ſuccedunt pentagona *capitula,* tenui *ſemine* inſtar ſcobis plena, quæ cum ſuis *virgulis* hyeme exareſcunt. *Radix* ſive potius *cauliculi* ſub muſco latentes, longe lateque ſumma tellure ſparguntur, & ſubinde *fibras* agunt. *V. icon. tab. æn.* 10.

Abunde provenit in ſylvis Entzeſtorf *arci vicinis, vulgari interdum permixta. Horti culturam,* Camerario *rite obſervante, hæ ſpecies reſpuunt.*

6. Pyrola *Alſines flore Europea, C. B. P. & Prod. Park. Alſinanthemum, Thalii. Herba trientalis, J. B. Cord. Coliculo* aſſurgit ſimplici, tenello, gracili, palmum plus minus alto, tereti, nudo, glabro, qui ſummo tenus velut in *umbella folia* ſuſtinet ex brevi pediculo provenientia ſex, ſeptemve, pallide virentia, ovata, uncia vix longiora; è quorum coſta *venulæ* eminentiores alterno poſitu exeunt ad ambitum. Quin & minimum quoddam *foliolum* unum aut alterum *Serpylli* folii facie & magnitudine cauliculo adnaſcitur. Porro è medio foliorum exortu *pedicelli* communiter bini ſurriguntur ſeſcunciales aut duarum unciarum, ac fere capillares, ſubruffi, *floſculos* ſuſtinentes ſingulares, ſtellatos, albicantes, quos *foliola* prædictis foliis concoloria, & ſtellam pulchro poſitu exprimentia ambiunt, octona plus minus. *Radix* quamplurimis, tenuibus, prælongis albentibus fibellis conſtat. *J. B. V. icon. tab. æn.* 10.

E Scotia *erutam* Cargillus Caſp. Bauh. *miſit, unde & nos habemus* (folia vero mucronata apparent.) *In agro* Eboracenſi, *inque* Northumbria, *locis paludoſis ſponte provenit. In montoſis humidis nonnullis* Germaniæ *quoque reperitur.* J. B.

7. Pyrola *Alſines flore Braſiliana, C. B. P. & Prod. Park.* Ex *radicula* alba, tenui, capillata, *cauliculus* effertur ſingularis, ſex ſeptemve unciarum, inferiore parte nudus, circa medium duobus *foliolis* parvis ſibi oppoſitis donatus; ſuperius vero foliis ſex vel ſeptem per ambitum cinctus, quæ magnitudine imparia ſunt, aliquibus uncias duas, aliis unam longis, unciam vel ſemunciam latis, *Plantaginis quinquenerviæ* forma, (cum & per hujus *folia quinque nervi* diſcurrant) ſed glabra, tenera, & viridia, in acumen faſtigiata; ex quorum medio *pedicellus* tenuis, uncialis, exſurgit, *florem* geſtans ſingularem, pallide luteum, ungui pollicis æqualem, quadrifolium, ſtriatum, cujus *folia,* (*ſtellæ* modo diſpoſita) lateralia, aliis duobus latiora ſunt. Ad floris umbilicum *ſtaminula* plura, exigua, ruſeſcentia occurrunt.

In Braſilia *apud* Tououpinambaultios *reperta eſt,* C. Bauh. *monente.*

8. Pyrolæ *affinis Virginiana repens fruticoſa foliis rigidis ſcabritie aſperis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 107. ubi ſcilicet figura nimia hirſutie & inæqualitate donatam plantam exprimere videtur. *Pyrola repens foliis ſcabris, flore pentapetaloide fiſtuloſo, D. Baniſt. Cauliculi* duri, & lignoſi, nunc erecti, nunc procumbentes, palmares, in ramuſculos diviſi, reptatu fibras agunt, quorum ſummitates foliis ovali pene forma donantur, *Pyracanthæ* proximis, ſed non ſerratis, duris & rigidis, *nervo* medio inſigni *dorſo* eminente, & ſuperficie ſcabritie aſperata. Inter hæc *flores* plurimi pentapetaloides, albidi, (quilibet ſingulari *perianthio* quinquifido acuto inſidens,

abſque *petiolo*) coacervantur. His *vaſcula* globularia, parva, quadrifariam diviſa, *ſemina* perexigua, imo *Nicotianæ* vix æqualia, nigricantia, continentia ſuccedunt.

E Virginia *à D.* Jo. Baniſter *accepimus.*

Pyrolæ Temperamentum & Vires.

Pyrola *ſiccæ eſt naturæ, in frigiditate temperata, & quid aſtringens poſſidet. Eſt planta vulneraria detentatæ virtutis, & decoctis traumaticis frequentiſſime immiſcetur. Non minus externis quam internis vulneribus ſanandis prodeſt; ulcera & inflammationes tollit.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ πολύφυλλοι.

CAPUT XXV.

Ficoides.

PLantæ hæ raræ & ſpecioſæ, *ex oris* Africanis, *ut plurimum, nuperis annis delatæ, à Cl. Doctiſſimoque D.* P. Hermanno, *P. M. primo cultæ fuere; quarum variis ſpeciebus hortos* Europeos, *pro ſolita humanitate, ornavit. Iſtis, cum à cæteris jam notis diverſæ ſint, varia nomina Botanici impoſuere. Quaſdam à foliorum ſimilitudine,* Kalia Africana *D.* P. Ammanno *appellare placuit. Et Cl.* Breynius *in Centuria prima,* Chryſanthema aizoidea, *at in Prodromo ſuo primo* Chryſanthemis ſimiles aizoides *nominavit. Nonnulli* Meſambrianthema, *à floribus horis meridianis apertis & poſtea clauſis; alii* Afteres aizoides *nuncupavere. Poſtea Scientiſſimus D. D.* Herman. *in Hort. ſuo Lugd. Bat.* Ficoides *ſive* Ficus Aizoides Africanas, *à fructuum forma, & craſſis & ſuculentis foliis, nominavit.*

Cunctæ hæ Plantæ ſalſuginoſæ, (quod marinas incolas eſſe indicat) *flores* promunt *diſcoides, radiatos,* variis coloribus tinctos; *foliaque craſſa, pinguia,* & Sedorum proxima, ſucci plena, longa, plerunque triquetra; capſulaſque ſeminales *pyri* ſeu *fici* ſimiles in plures loculos ſeu cellulas conjunctas, *ſeminibus* exiguis refertas, aliarum hujus diſtributionis ritu, deſcriptas.

TABULA XXI. SECT. XII.

- *Ficoides Africana fructu*
  - *quinquecapſulari*
    - *majori*
      1. *Triangulari folio, fructu maximo eduli, Hermanni.*
      2. *Triangulari folio enſiformi, Hermanni.*
    - *minori*
      3. *Minor erecta fol. triangulari glauco, flore luteo, Herman.*
      4. *Minor triangulari folio viridi, flore intus aureo, foris purpureo, Herman.*
      5. *Minor folio tereti procumbens, flore purpureo, Herman.*
      6. *Minor folio tereti viridi, flore coccineo, Herman.*
      7. *Erectior & fruticoſior folio tereti ex viridi glauco, flore albo ſimplici & pleno.*
      8. *Seu potius Neapolitana minor flore albo, Nob. Kali floridum Neapolitanum, Col.*
      9. *Canarienſis teretifolia micis argenteis aſperſa, flo. carneo.*
  - *multicapſulari*
    - *perennis*
      10. *Triangulari folio longiſſimo, flore luteo major, Hermanni.*
      11. *Triangulari folio longiſſimo, flore luteo minor, Herman.*
      12. *Teretifolia non ramoſa major, Nobis. Chryſanth. aizoides Afric. 2. ſeu teretifolium, Breyn.*
    - *annua*
      13. *Major flore flavo, folio plano latiore, Nobis. Chryſanth. Afric. 1. ſeu latifolium, Breyn.*
      14. *Major flo. flavo, folio plano anguſtiore, Herman.*
      15. *Fol. plano minor multicaulis flore intus rubente, extus incarnato, Hermanni.*

1. Ficoides *ſive Ficus aizoides Africana major procumbens triangulari folio, fructu maximo eduli, D. Herman. Ficus Hottentottorum vulgo.* Spargit ab *radice* craſſa, fibroſa, repente, multiſque fibrata capillamentis, *caulículos* multos, humi ſtratos, digitum craſſos, duos treſve, cubitum & amplius longos, ſuccoſos, ex viridi palleſcentes, penes radicem aliquando rubentes; ad quorum genicula exeunt *folia* bina ex adverſo, digiti longitudine & craſſitie, triangularia, viridia, ſucculenta, cum totidem ex oppoſito ramulis & ex his aliis atque aliis, ſuſtinentibus in cacuminibus fructuum rudimenta pyriformia, quinquangula, quinque trigonis *foliolis* inferioribus multo minoribus circumvallata; intra quæ emicat *flos ſtellæ* vel *ſolis* effigie radiatus, *Aſteris* flore amplior, ex molliculis, tenuibus, numeroſis *petalis*, quaſi radiis ad ſolem aureo fulgore micantibus, conſtructus, cingentibus multa concoloria ſtamina, farinaceis flaveſcentibus apiculis donata, quorum medium occupant ſeptem octove *cornicula* ex luteo viridantia, in orbem diffuſa. His marceſcentibus, maturatur *fructus*

fructus adæquans nonnunquam *Ficum* vulgarem, viridis, pulpoſus, *granis* minutiſſimis refertus, ſaporis dulcis, aquoſi, haud ingrati, ſummo umbilico quinque ſtellatim decuſſatis *radiis* inſcripto, pulpa vel cito putreſcente vel intenſiori ſolis æſtu in fungoſam ſubſtantiam tranſeunte, quæ diſpeſcitur in quinque loculos, includentes *ſemina* exigua, anguloſa, fuſca. *V. icon. tab. æn* 7.

Luxuriat cum cæteris ſubſequentibus hujus ſortis, locis maritimis aridis, ſabuloſis, ad Promontorium Bonæ Spei; *ubi fructus tam à* Belgis *ibidem hoſpitantibus quam ab Indigenis* Hottentottis *eſitantur. Hujus propagatio fit vel per avulſos ramulos terræ commiſſos, vel per radices, quas caulium genicula terræ proxima demittunt. Toto anno nobis viget & viret, aſt præſervanda eſt à brumæ injuriis.* Conſpicitur triplici florum colore; *albo, purpureo,* & *flavo.* Hactenus *D. Herman.*

2. Ficoides *Africana major procumbens folio triangulari enſiformi, Hermanni.* Priori omnibus notis reſpondet, exceptis *foliis* nonnihil brevioribus, enſem falcatum latiori dorſo imitantibus.

Eadem *folio triangulari longiſſimo & aliquomodo denticulato, hort.* Beaumont.

3. Ficoides *Africana minor erecta folio triangulari glauco, flore luteo, Herman. An Chryſanthemum Aizoides Africanum triangulari folio minus flore flavo, Breyn. Cent.* 1. *Et Chryſanthemo ſimilis Aizoides Africana media triangulari folio, flore flavo, ejuſd. Prod.* 1. In cubiti altitudinem *cauliculis* duris & lignoſis adoleſcit. Ramuli plurimi erecti, graciles, *foliis* triangularibus, craſſis, uncialibus & ſeſcuncialibus, & poros tranſlucidos, ut in *Hyperico Perforata* dicto habentibus, glaucis, binis è regione per intervalla ſitis, veſtiti, *floſculos* geſtant in ſummis, diſco luteo, quem *petala* lutea, ſemuncialia, admodum anguſta, denſe & copioſe ambiunt. *Fructus* craſſiuſculus, fundo acutus & capite dilateſcens, in quinque cellulas diviſus ſubſequitur. *V. icon. tab. æn.* 6.

4. Ficoides *Africana minor erecta triangulari folio viridi foris, intus aureo, flore purpureo, Herman.* Fruteſcens hæc planta tenuioribus & imbecillioribus *ramulis* aſſurgit; quos *folia* trangularia, tenuiora, viridia, per intervalla, binatim ambiunt. *Flores* copioſiores per totam æſtatem profert, intus aureos, extus purpuraſcentes, eminus colorem quodammodo incarnatum mentientes. *V. icon. tab. æn.* 6.

5. Ficoides *Africana minor procumbens folio tereti, flore purpureo, Herman. Chryſanthemum Aizoides Africanum triangulari folio, flore purpureo, Breyn. Cent.* 1. *Caulículis* eſt infirmis, herbaceis, reſupinis, dodrantalibus; *foliis* viridibus, teretibus, anguſtis, gracilibus, digito longioribus; *floribus* purpureis. Quoad cætera proxime antecedenti ſimilis exiſtit.

6. Ficoides *Africana minor procumbens folio tenuiori viridi, flore coccineo, Hermanni.* Elegantiſſima hæc planta flagellis tenuibus ramificatur. *Folia* habet longiora, tenuia; *flores* pulcherrimos radiatos, in medio aureos, & petala elegantiſſimo colore coccineo comantia. *Flores* iſti ſole meridiano aperiuntur, & (ut in aliis floribus radiatis fieri amat) veſpere clauduntur. *Vaſculum* pyriforme, Avellanæ magnitudine, quinquepartitum ſuccedit. *V. icon. tab. æn.* 8.

Menſibus calidioribus quam facillime propagatur; frigoris vero impatiens eſt.

7. Ficoides *Africana erectior & fruticoſior folio tereti ex viridi glauco, flore albo.* Ad bipedalem & tripedalem aſſurgit altitudinem, in plures *ramuſculos* duros divaricata. *Folia* habet teretia, binas uncias longa, ex viridibus pallida, cum aliis minoribus, ſucci plenis, ex *alis* prodeuntia. *Flores* ſtellati minores, ex *petalis* tenuioribus conſtructi, omnino *albi* ſunt.

Eadem *floribus ſimplicibus & plenis* ſubinde donatur.

8. Ficoides *procumbens Neapolitana minor flore albo, Nobis. Kali floridum Neapolitanum repens aizoides, Col. Kali Craſſulæ minoris folio, C. B. P.* Hæc præcedenti Volumine *pag.* 610. nomine *Kali* tractatur. Quum tamen ad hanc familiam Plantarum propius accedat, par omnino eſſe judicavimus ut inter eas collocaretur. Humi procumbentes, crebrius naſcentes, ei ſunt *ramuſculi*; *folia* digitali longitudine, carnoſa, pene teretia, è viridibus glauca; *flores* è luteis albidi, ſtellati, parvi; *fructus* quinquangularis, carnoſus, totidemque apicibus carnoſis quoque vallatus; in quo *ſemen* copioſum, ex nigro fulveſcens, continetur. Plura lege loco citato.

In ore maritimo Neapolitano *ſponte naſcens reperit* Fab. Col.

9. Ficoides *minor Canarienſis teretifolia, micis argenteis aſperſa, flore carneo Coſca dicta.* Hujus *ramuli* crebrius naſcentes, humum petunt. *Folia* longa, anguſta, teretia, ex adverſo bina, præcedentis conformia, æque ac *cauliculi* ſuccoſi, è viridibus rubentes, *micis argenteis* (præſertim ſole ſplendenti) conſperſa ſunt. *Flores* radiati, ex tenuibus *petalis* conflati, carnei ſunt coloris; quibus *capſula ſeminalis* carnoſa, in quinas *cellulas* diviſa, ſuccedit.

10. Ficoides *Africana triangulari folio longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo major, Herman. Chryſanthemo ſimilis aizoides Africana major triangulari folio, flore luteo majore, Breyn. Prod.* Hæc, cum binis proxime inferius explicandis, à præcedentibus aliorſum naſcuntur: in ramulos enim non aſſurgit, ſed *Aloes* in modum, *folia* ſtatim à radice illi egerminant, dodrantem plus minus longa, craſſa, ſucculenta, triangularia & acuta. Inter folia *flores* lutei & inſigniter ſplendentes, *petalis* latioribus radiati, nec ullis circulis in umbone ornati, petiolis longis propriis inſidentes, proveniunt; quibus quinque *foliola* longa, plana, in fundo conjuncta, *calycis* vicem præſtantia, ſubſunt. *Fructus* amplitudine nunc *Ceraſum*, nunc *Nucem Juglandem* æquat, communiter ſeptendecim, pluribus vel paucioribus, oblongioribus, membranaceis *loculis*, favis apum ſimilibus, partitus; ex cujus ſummo ambitu eriguntur totidem *radii* fungoſi, fuſci, acuminati, duas treſve uncias longi, effigiem *coronulæ* exprimentes. *Radix* perennat. *V. icon. tab. æn.* 6.

11. Ficoides *Africana triangulari folio longiſſimo, fructu multicapſulari, flore luteo minor, Hermanni. Chryſanthemo ſimilis Africana major tertia, ſive triangulari folio, flore aureo, Breyn. Prod.* Hæc quam antecedentis minores profert *fructus*, *Ceraſi* magnitudinem vix excedentes, quindecim aut ſedecim membranaceis *loculis* totidemque *radiis* brevioribus (ad inſtar ſeminum *Malvæ*) in orbem junctis, & in mucronatum capitulum terminatis, conſtructos; quibus includuntur *ſemina* exigua, dura, anguloſa, rufeſcentia. *Folia* longa, triquetra, dodrantalia, jucunde viridia, triangularia ſunt. *Flos* aureus umbilico dilutiore emicat.

Cl. Breynius *in Centuria ſua æque ac in Prodromo ſecundo hujus* flores *diverſis coloribus tinctos, utpote* luteos, carneos, purpureos, & albos *ſubnotavit.*

12. Ficoides *Africana teretifolia non ramoſa major, Nobis. Chryſanthemum Africanum* 2. *ſeu teretifolium, Breyn.*

Breyn. Cent. 1. Huic *folia* complura, ſucculenta, ſeſquipalmaria, calami ſcriptorii craſſitie, teretia, flavo-viridi colore nitent. *Caules* ſingulares pro foliorum magnitudine *flores* duplo majores, radiatos, *umbone* aureo, petalis majoribus & latioribus ſulphureis cincto geſtant. *V. icon. tab. æn. 6.*

13. Ficoides *Africana major annua, folio plano latiori, flore luteo, Nobis. Chryſanthemum Africanum primum Aizoides ſeu latifolium, Breynei Cent.* 1. Hanc D. *Fr. Kiggelaer Hollandus* Botanicus *peritiſſimus nobiſcum pro inſigni qua eſt humanitate communicavit.* E *radice* fibroſa, annua, folia exſtant pallide viridia, tres quatuorve uncias longa, unam lata, pinguia & *Portulacæ* craſſitudinis, non ſolum humi jacentia, ſed ad pedalis *caulis* genicula in *ramuſculos* divaricati ſita, è regione prodeuntia. *Flores* ampli ſummis ramulis cauliculis nudis inſidentes, biuncialis latitudinis, ex plurimis *petalis* tenuibus luteis, umbone pallidiore, cum perianthio foliaceo, in quinque partes longas, virides, diviſo, radiatim conflati ſunt. His marceſcentibus, *capitula* rotunda, pollicaria, *fibulæ* in modum compreſſa, in ſeptendecim, aut circiter, *cellulas* diviſa, *ſemina* ſubrotunda, ex fuſcis nigricantia, *Sinapios* magnitudine, continentia ſuccedunt; *radixque* perit. *V. icon. tab. æn. 6.*

Utrum hæc eadem à D. Hermanno *in Catalogo ſuo edita ſit, p. 252. nondum eſt nobis compertum.*

14. Ficoides *Africana major annua folio plano anguſtiori.* Præcedenti utcunque ſimilis ſit, omnibus tamen partibus minor & gracilior conſpicitur.

15. Ficoides *Africana minor multicaulis flore intus rubente, extus incarnato. Meſambrianthemum Africanum latifolium minus ſive foliis Anchuſæ, floribus ex roſeo & argenteo colore variegatis, fructu orbiculari quinquecapſulari, Breyn. Prod.* 2. Spargit *cauliculos* numeroſos, ſucculentos, geniculatos, reſupinos, ab *radice* pallida, fibroſa. *Folia* bina habet ex adverſo, ante explicatarum multo minora, *Portulacæ* inter & *Halimi* folia media, incana bullataque aſpergine perfuſa; *flores* denſis in ambitu *barbulis* radiatos, intus grate rubentes, extus incarnatos, veſperi & mane congenerum ritu clauſos, medio vero die expanſos, aſpectu jucundiſſimo; *ſemina* pallida, exigua in fructu quinquecapſulari, ſuperiori minore. *Herman.* Eadem etiam datur *flore albo* prædita.

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ.

CAPUT XXVI.

Ariſtolochia.

ARiſtolochia *Gr.* ἀριστολόχεια & ἀριστολοχία *dicitur quia* ἄριστα βοηθεῖ πῶς λοχείαις *optime juvat partus, vel opitulatur puerperis; ſcil. obſtructos menſes expediendo, ſecundas expellendo, doloreſque ipſos levando. Ab* Ariſtolocho *Inventore nominari* Cicero *auctor eſt.*

Piſtolochia *Græc.* πιστολοχία, *eadem vocatur à* πίστει (*i. e.*) *fide circa* τὰς λοχείας (*i.e.*) *puerperia.*

Ariſtolochia eſt planta odore medicato, *flore* tubuloſo, *labro* prominulo, *fructu* turgido oblongorotundo, in plures *alveolos* diſtincto.

TABULA XXII. SECT. XII.

Ariſtolochia radice

- *rotunda*
  1. *Flore ex purpureo nigro, C. B. P. Ariſtolochia rotunda, Matth. Dod. J. B. 1. Cluſ. Hiſt.*
  2. *Flore ex albo purpuraſcente, C. B. P. Rotunda altera, Cluſ. Hiſt.*
- *longa*
  3. *Vera, C. B. P. Ariſtolochia longa, Dod. Cluſ. Lugd.*
  4. *Hiſpanica, C. B. P. Ariſtolochia longa altera, Cluſ.*
  5. *Clematitis recta, C. B. P. Ariſtolochia Saracenica, Dod. Longa vulgaris, Cam. Ep.*
  6. *Clematitis ſerpens, C. B. P. Clematitis altera, Cluſ. ſive Bætica.*
  7. *Mexicana folio acutiori. Tomahuaxtlacopatli, Ariſtolochia Mexicana, Recchi.*
  8. *Clematitis Mexicana fructu tripartito, Pheuame Ariſtolochia Mexicana longa N. A. Recchi.*
  9. *Clematitis Indica flore albicante, fructu majori, Hort. Mal. Part. 8. p. 49.*
  10. *Madraſpatana folio cordato longius producto.*
  11. *Foliis auriculatis, Nobis. Ariſtolochiis ſimilis Rhaſut & Rhumigi Maurorum, Rawolfii.*
- *fibroſa Piſtolochia dicta*
  12. *C. B. P. Piſtolochia, Dod. Cluſ.*
  13. *Mexicana* 3. *Tlacopatli, Recchi.*
  14. *Virginiana fructu parvo pentangulari Serpentaria dicta.*
  15. *Violæ fruticoſa foliis Virginiana, D. Pluk.*
  16. *Cretica, C. B. P. Piſtolochia altera ſemper virens, Cluſ. Hiſt. App.*
  17. *Polyrrhizos auriculatis foliis Virginiana. Forte polyrrhizos Virginiana, Park. D. Pluk. Phyt.*

1. Ariſtolochia

1. Ariſtolochia *rotunda flore ex purpureo nigro, C. B. P. Ariſtolochia rotunda, Trag. Matth. Dod. Adv. Lob. 1. Cluſ. Eyſt. J. B.* Crebris ab eadem *radice, odoris* medicati, ampla, rotunda, foris nigricante, intus buxeo colore infecta, hinc & inde *fibras* emittente, aſſurgit viticulaceis *caulibus* quadratis, languidis, & ſubinde in terram reclinatis, ſimplicibus, cubitalibus; quibus brevi pediculo nixa *folia* inhærent ſubrotunda, mollia, venoſa, *Aſari* foliis paullo longiora, atrovirentia. *Flos* in *alis* foliorum prodit, oblongus, concavus, *tubæ* figura, coloriſque purpuronigricantis & *labro* prominulo pariter nigricante, *auriculas* probe brutorum referens. Subnaſcitur huic *fructus* è lata baſi in anguſtam deſinens, turbinatus, *Juglandis* magnitudine, ac virore palleſcens, intus ſex *loculis* membranoſis diſtinctus, & materia fungoſa farctus, *grana* triangula, minutim quaſi punctata, nigricantia continens. *V. icon. tab. æn.* 16.

In pratis & foſſarum aggeribus Italiæ & Galliæ Narbonenſis, *Aprili & Maio menſibus florens, paſſim occurrit.*

2. Ariſtolochia *rotunda flore ex albo purpuraſcente, C. B. P. Ariſtolochia rotunda altera, Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Park. Bocc.* Ramulos ſeu palmites habet prioris ſimiles, ſed frequentiores & breviores; *folia Longæ* formam & colorem æmulantia, ſed majora, longioreque pediculo quam ſuperioris fulta; *florem* ex albo purpuraſcentem, interius fuſcum, *Longæ* flori pene ſimilem. Ejus *fructus* priore longior, *Pyri* in modum turbinatus, graciliore quam in illa meta; *ſemen* planum minus priore & rufum; *radix* ſuperiori ſimilis, *cortice* tamen magis *flavo. Cluſ.* *V. icon. tab. æn.* 16.

Floret paullo maturius ſuperiore, omneque ſemen fere abjecit, quando prioris matureſcere incipit. Hanc non niſi campeſtribus locis & inter ſegetes ſponte naſcentem conſpiciebat Cluſius. *In herbidis & vinetis circa fontem* Piquet, *ſed rarior, reperta fuit. In ſylvula ad radicem Montis* Madoniæ, Boccone *auctore, detecta eſt.*

3. Ariſtolochia *longa vera, C. B. P. Ariſtolochia longa, Dod. Cluſ. Hiſt. & Hiſt. Lugd. Ger. J. B. Radice* potiſſimum à ſuperius explicatis differt, quæ pollicaris craſſitudinis & dodrantalis longitudinis eſt; interdum pedalem æquat, & in obtuſam formam deſinit. *Folia* minora ſunt, longiore pediculo fulta. *Flos* concavus ex viridi candicat. *Fructus* eſt pyriformis. *V. icon. tab. æn.* 17.

Ineunte vere floret; & in campis & vinetis Galliæ Narbonenſis, *circa oppida* Villanovam & Lateram, *aliiſque pratis reperitur.*

4. Ariſtolochia *longa Hiſpanica, C. B. P. Park. Longa altera, Cluſ. Hiſp. & Hiſt.* Hujus *flos* à *Gallicæ* flore diligentius inſpicientibus nonnihil differre deprehendetur, quippe cujus extima pars interius purpurei coloris ſit, qui in altera herbaceus. *Hiſpanicæ* etiam radix extrema parte non eſt gracilis in novellis plantis, quemadmodum alterius, ſed plerunque obtuſior, & *radix* ipſa brevior. Varietas potius videtur quam ſpecies diſtincta.

Naſcitur in Hiſpaniis *inter vites regno* Valentino *frequentiſſima, ubi Martio florentem, & jam ſemen perficere incipientem invenit* Cluſius.

5. Ariſtolochia *clematitis recta, C. B. P. Longa vulgaris, Cam. Eyſt. Clematitis, Tab. Ger. Park. Saracenica, Dod. Lugd. Clematitis vulgaris, J. B.* Superiores magnitudine odoriſque graveolentia æque ac reliquas congeneres ſpecies poſt ſe relinquit. *Radix* prolixa altiſſima hinc & inde, non ſine moleſtia hortulanorum ſe inferens, imo vel exiguis fruſtulorum particulis ſuum genus reparans, buxei coloris, ac ſæpe digitum craſſa, valde fibroſa eſt; producit *caulem* cubito altiorem, firmum, rectum; *folia* longioribus pediculis hærentia, aliarum majora, cordiformia, è virore palleſcentia. *Flores* ſingulis *alis* adfixi, multi ſimul junguntur, oblongi, concavi, buxei coloris, ſinguli poſt rotundum tumentem utriculum gracilitate coerciti, in oblongas prominentes *auriculas* abeuntes. *Fructus* parvi ovi magnitudine turbinatus, *ſemina* præcedentis latiora intus occultat. *V. icon. tab. æn.* 17.

In vineis, foſſis, & aggeribus, circa Monſpelium, *plus ſatis luxuriat. Invenitur & in aliis pleriſque* Galliæ, Hiſpaniæ, Hungariæ, & Germaniæ *locis, auctore* Cluſio. *Maio & Junio menſibus floret.*

6. Ariſtolochia *clematitis ſerpens, C. B. P. Clematitis non vulgaris, J. B. Ariſtolochia clematitis Bætica, Cluſ. Park. Ariſtolochia Clematitis, Dod.* Longis prætenuibus viticuloſiſque ſuis *cauliculis*, ac non raro ramoſis, vicina quævis adminicula comprehendit, quibus ſe *Smilacis* in modum implicat ac circumvolvit. *Folia* longiori pediculo hærent, lævia, lata, acuminata, qualia ſunt & aliarum congenerum. *Flos* cavus, oblongus, luteus, aut ex purpureo nigricans; *fructus* haud differentes. Tenues *radices* ſunt & prælongæ; modo per ſumma ſerpentes, modo altius demiſſæ, colore præcedentium donatæ. *V. icon. tab. æn.* 17.

In dumetis, vepribus, & vetuſtis quibuſdam oleis, pingui ſolo, plurimiſque aliis Bœticæ *locis, & circa* Hiſpalin, *ſemper iſtic virens, & Januario & Februario menſibus florens, obſervavit* Cluſius.

7. Ariſtolochia *Mexicana folio acutiore, Nobis. Ariſtolochia ſcandens odoratiſſima floris labello purpureo, ſemine cordato, D. Sloane, Cat. Jam. p. 60. Tomahuaxtlacopatli indigenis, Recchi. 42.* Herba eſt volubilis, *folia* ferens cordis figura, in acutum mucronem deſinentia; *caules* tenues, prolixos, geniculatos & purpureos; purpureoſque *flores* concavos, longiori & acutiori *labro* prominente; *radicem* longam, craſſam, & pallidam; *fructum* vero craſſiuſculum, *Cucurbitis* ſtriatis ac pentagonis quadantenus ſimilem, ſemine cordiformi refertum. *V. icon. tab. æn.* 17.

Naſcitur in montoſis ac calidis locis, quales ſunt Tlacmalacenſis & Huaxtepecenſis. Recchi. *In* Jamaicenſi *Inſula collegit D.* Sloane.

8. Ariſtolochia *clematitis Mexicana fructu tripartito, Nobis. Pheuame Ariſtolochia ſecunda longa, N. A. Recchi, 162. Radicem* habet craſſam, longam, & ſubrubro *cortice* veſtitam; *caules* viticulaceos; *folia* rotundiora, & cordiformia; *flores* purpureos, viriditate commixtos, breviores, & hiantiores. *Fructus* quaſi ex tribus compoſitus eſt, ut in *Naſturtio Indico. V. icon. tab. æn.* 17.

In temperate frigidis regionibus Michuacanenſibus *naſcitur.*

9. Ariſtolochia *clematitis Indica flore albicante, fructu majore, Careloe-vegon, Hort. Mal. part. 8. p. 49. Radix* ei tenuis eſt, & lignoſa, extus ex flava nigricans, intus alba eſt; *caules* virides anguloſi; *folia* oblongorotunda, cuſpidata, tenuia, à petiolo minime cordata. *Flores* monopetali, oblongorotundi, exterius viridifuſci, interius fuſcorubri ac ſurdi, una cum nodo *pugionem* referunt. *Fructus* oblongorotundi, ſex latera habent, coloris viridis, in ſex *capſulas ſeminales* oblongas, quæ membranaceis interſtitiis ſunt diſtinctæ, diviſi, plurimas in ſe triangulares *teſſulas* ſeu laminas continentes, in quibus ſingulis unum compreſſum *ſemen*, forma cordis humani, coloris flavi ac ruffi.

Herba eſt naſcens in Inſula Baypin ; *florens tempore pluvioſo.*

Hanc aut conſimilem, nomine *Ariſtolochiæ clematitidis Zeylanicæ aromaticæ, Sackſandæ dictæ*, à Cl. & amiciſſ. *D. Hermanno* ipſi accepimus.

10. Ariſtolochia *Madraſpatana folio cordato longius producto.* Hæc quam munificentiæ *D. Gyfford* ex *India* Orientali delatam debemus, *folia* edit plura, aliarum congenerum crebrius diſpoſita, petiolis uncialibus inſidentia, cordiformia ſeu auriculis rotundioribus petiolos petentibus, & antrorſum oblongius protracta, obtuſa tamen. *Flores* ſingulares, longiores & tenuiores, uti in congeneribus fit, ex *alis* proveniunt.

11. Ariſtolochia *longa foliis anguſtis auriculatis, Nobis. Ariſtolochia Maurorum, C. B. P. Ariſtolochiis ſimilis, Rhaſut & Rumigi Maurorum, Rawolf. J. B. Ariſtolochiæ ſpecies incognita exotica, Hort. Sicc. Rawolf.* 151. Aliquem ſpirat odorem ſed ingratum. Ex *radice ſurculi* prodeunt plerunque quatuor, albicantes, fili ad inſtar tenues, quibus parte ſuperna hærent *foliola*, utrinque ſeptem aut octo, cinerea, oppoſita vero magnitudine & ſitu foliis *Filicis floridæ* reſpondentia, niſi quod verſus ima aurita ſint ad inſtar *Salviæ auritæ.* Inter ima, ſuperioribus magis aliquanto inter ſe diſtantia *flores* hærent *Ariſtolochiæ* ſimiles, paullo majores, colore magis fuſco, longioreque pediculo. *Radix* alte depacta, qualitate ſicca calidaque eſt; quod utique amaritudinem ejus docere putat *Rawolfius.* *V. icon. tab. æn.* 17.

Circa Halepum Syriæ *inter oliveta obſervavit* Rawolfius Auguſtanus *medicus.*

12. Ariſtolochia *polyrrhizos, J. B. Ariſtolochia Piſtolochia dicta, C. B. P. Piſtolochia, Dod. Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Ger. Piſtolochia vulgaris, Park. Cauliculos* magna ex parte pedales habet, nonnunquam majores, anguloſos, ſtriatos, ut in *Ariſtolochia longa*, ramoſos, tenuiores tamen; *folia longæ* foliis non diſſimilia, nigriora, minora, magis rugoſa, & aliquantulum in ambitu ſinuoſa, & nonnihil in averſa parte caneſcentia; *florem rotundæ* prioris forma æqualem, minorem tamen, & aliquando nigrum, interdum ex herbaceo flaveſcentem; *fructum rotundæ* primæ fructui ſimilem, verum minorem; *ſemen* etiam ſimile. Denſis eſt *radicibus* & capillamentis *Junci* (ut recte *Plinius* notavit) plenioris craſſitudine, buxeo colore. Hoc peculiare ejus fructus habet, ut, dum maturuit, ea qua pediculo adhæret parte dehiſcat, ut in *Bætica Clematitide, longæ* vero & reliquarum, ab extrema. *V. icon. tab. æn.* 17.

Bodæus à Stapel *notis in* Theophraſt. *p.* 1104. *è* Virginia *delatam eſſe refert.*

Oritur in olivetis & petroſis Hiſpaniæ, Galliæque Narbonenſis *locis*, Cluſ. Magnol. *Serius floret reliquis* Ariſtolochiarum *generibus.*

13. Ariſtolochia *Mexicana* 3. *Tlacopatli Recchi, Hiſt. Mex.* 193. Herba eſt *folia* ferens cordis ſcutorumve figura, parva tamen; *caules* tenues, contortos, & volubiles; ac *fructum* oblongum, *Ponticarum nucum* fere magnitudine; *radicem* vero fibratam.

Naſcitur Malinalci, Hoitzoci, Tlacmalacaci, *& aliis ſimili aeris temperie gaudentibus plagis.*

14. Ariſtolochia *polyrrhizos Virginiana fructu parvo pentangulari, Nobis. Ariſtolochia Piſtolochia ſive Serpentaria Virginiana caule nodoſo, Cat. Virgin. D. Baniſter. Radix fibris* capillaribus, candidis, guſtu fervido & aromatico, capillatur. Hinc *cauliculi* dodrantales, *nodis* tumentibus diſtincti oriuntur; quibus petiolis brevibus nixa alterno ſitu, *folia* uncialia & ſeſcuncialia, elata baſi in mucronem abeuntia, tenera, adhærent. In imis geniculis, è petiolis longiuſculis dependent *flores*; quibus *vaſcula* parva, brevia, pentagona, in quinque loculamenta diviſa, ſuccedunt. Hæc pro *Serpentaria majori in officinis fortaſſe venundatur.* *V. icon. tab. æn.* 17.

15. Ariſtolochia *Violæ fruticoſæ foliis Virginiana, cujus radix Serpentaria dicitur, D. Pluk. Phyt. Tab.* 15. Hæc quoque è *Virginia* delata, *radicem* habet *fibris* tenuiſſimis albis conſtantem. *Caulis* erigitur ut plurimum ſingularis, gracilis; cui *folia* pauca inordinate poſita, vix unciam lata, baſi cordata, & in mucronem acutum protracta, rigidiora, petiolis ſemuncialibus inſidentia, adhæreſcunt. *Flores* ex infimo *caule* proveniunt. *Semina* parva, ficiformia ſunt.

16. Piſtolochia *Cretica, C. B. P. Piſtolochia altera ſemper virens, Cluſ. Hiſt. App.* 1. *Piſtolochia Cretica ſemper virens, Park. Cretica ſive Virginiana, Ger. emac. Ariſtolochia Piſtolochia altera, J. B.* Multa è ſummo *radicum* capite profert tenuia *ſarmenta*, pedem aut plus vel minus longa, anguloſa, ſtriata, ramoſa, lenta, fractu contumacia, humi ſparſa, & atrovirentia; in quibus incondito ordine naſcuntur *folia* nervoſa, mucronata, & ad *Smilacis aſperæ* foliorum formam quodammodo accedentia, minora, atraque, & ſemper virentia, oblongis pediculis innitentia, è quorum ſinu naſcuntur longi, cavique *flores, Ariſtolochiæ longæ* floribus ſimiles, & *litui* tubæve curvæ forma inflexi, ſatura rubedine foris magis diſtincti, interne vero aliquantulum flaveſcentes, oblongis pediculis adhærentes. His ſuccedit *fructus Ariſtolochiæ longæ* fructui non diſſimilis, ſed minor. Numeroſas hoc genus habet *radices, fibris* tenuibus donatas, odoratas. *V. icon. tab. æn.* 17.

E Creta *Inſula* Jacobus Plateau *ad* Cluſium *tranſmiſit. D.* Johnſonus Gerardi *Hiſtoriæ emaculator è* Virginia *delatam eſſe refert. In hortis noſtris bene adoleſcit, & Julio & Auguſto menſibus floret.*

17. Ariſtolochia *polyrrhizos auriculatis foliis Virginiana. Forte polyrrhizos Virginiana, Park. Serpentaria altera Virginiana vulgo, D. Pluk. Phyt. Tab.* 78. Huic *radix fibris* cirriſve plurimis comata eſt, & in unum caput conjuncta; è quo *caulis* aſſurgit dodrantem longus, *foliis* paucis ornatus. Iſta *petiolis* brevibus adhærentia, in fundo *cordis* figuram exprimunt, ſtatimque conſtricta apparent quaſi auriculata, & in longam cuſpidem in medio exporrecta. *Flores* ex inferiore caulis parte, pediculis oblongis infidentes, proveniunt, longi, concavi, recti, *Ariſtolochiarum* ritu. His ſubeſt *fructus* parvus, pentangularis, qui *ſemina* parva, *acinis uvarum* ſimilia, ſed compreſſa, includit.

Temperamentum & Vires.

Radix *utriuſque* Ariſtolochiæ *calida & ſicca temperie donatur; utraque eſt alexipharmaca, uterina, & vulneraria; at* rotundæ *uterinis affectibus*, longæ *vulneribus ac ulceribus accommodatior. Hujus ergo* pulvis *inſperſus, emplaſtris additus, vel vino incoctus, ulcera putrida ac maligna detergit, & carne implet, & ſcabiem exſiccat.*

Sim. Paulli in Quadripartit. Botan. *ſolo pulvere in aqua* Veronicæ *decocto ulcera tibiarum pene deſperata intra pauculos dies ſanavit.*

Rotunda

Rotunda *præſertim fœtum educit, & à partu reliquias expellit; menſes ciet; cerebrum expurgat; at proinde in epilepſia commendatur; in aſthmate & viſceribus obſtructis prodeſt.* Longa *quoque ad craſſos humores diſcutiendos, & ad obſtructa quæque reſeranda uſurpatur.*

Quamvis duæ prædictæ officinis vulgo ſufficiunt, cæteræ tamen viribus ſuis non carent. Clematitidis radice, *propter odorem fragrantiorem,* Galeni *temporibus ad unguenta uſi ſunt unguentarii, ſed eo teſte ad ſanationes infirmior eſt.* Hiſpani radicem Sarſæparillæ *cum ſucceſſu ſubſtituiſſe feruntur.*

Ariſtolochia polyrrhizos, *ut* & longa vera, *in partus difficultate magnis laudibus effertur à* Lob. *in* Adverſ. *Tam efficaces quippe ſunt* longa & Polyrrhizos *præſertim, inquit ille, ut* radicis *utriuſque par momentum partim intro datum, partim in peſſario admotum, elicuerit fœtum jam ſeſquidiem fruſtra erumpere conatum, fœtuſque involucra lacerata ſanaverit, & enixam puerperam tridui cruciatibus pene enectam ſaluti reſtituerit; ideoque multus omnium uſus apud* Monſpelienſes.

De Serpentariæ *viribus Vide quæ traduntur cap. proxime ſuccedenti.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ.

CAPUT XXVII.

Aſarum.

ASarum *Græcis* ἄσαρον *quaſi ab a privativa particula & σάρω σαρῶ verro, mundo, orno, quia cum ſit planta* ἄκαυλος folia *ejus ſunt ſemper humi ſtrata & lutulenta.* Nardus ſylveſtris *à quibuſdam dicitur, eo quod* radices Nardi odorem *ſpirant; vel* (*ut* Plinius) *quod* Nardi *vim habeant.* Herba aurita *etiam appellatur, quoniam aures animantum folia exprimunt.*

Aſaro ſunt *folia* bina, ſubrotunda; *flos* obſcurus, ore trifidus, cytiniformis in foliorum angulo, non deciduus; *vaſculum ſeminale* in ſex alveolos diviſum.

TABULA XXIII. SECT. XII.

Aſarum
1. *Vulgare rotundifolium, Nobis. Aſarum, C. B. P. Matth. Trag. Dod. Ger.*
2. *Canadenſe mucronato folio, Nobis. Aſarum Canadenſe Cornuti.*
3. *Virginianum folio cordato Cyclaminis more maculato.*

1. Aſarum *vulgare rotundifolium, Nobis. Aſarum, C. B. P. Matth. Trag. Dod. Ger. Brunf. J. B. Aſarum vulgare, Park. Aſarum Baccaris ſive Baccatus, Adv. Lob. icon. Radix* calami craſſitie, *fibris* plurimis adnexis, reptatu ſe propagat, & in plurima capitula ſe ſpargit; ex quorum unoquoque bina proveniunt *folia,* è cordis forma rotunda, caule carentia, ſed *pediculis* ſingularibus longis inſidentia, rigidiuſcula, perpetua fronde virentia, *odore* medicato cum aromatico permixto, prædita. E pediculorum prædictorum angulo *flos* oritur, ſordide pulli aut ferruginei coloris, oblongus, durus, cytiniformis, monopetalus, in tria ſegmenta in ore diviſus, *petiolo* brevi adnatus, qui non decidit, ſed *calycis* vicem præſtat, & *vaſculum ſeminale,* in ſex loculamenta intus diviſum, totidem radiis in ſummo *Papaveris* ad inſtar ornatum, *ſemina acinis uvarum* ſimilia, continens, includit.

Montium opaca & umbroſa loca amat; perpetuo viret, nova tamen una cum floribus folia vere promit, & in prima egerminatione birſutie quadam pubeſcit.

2. Aſarum *Canadenſe mucronato folio, Nobis. Aſarum Canadenſe, Cornuti. Vulgaris* ſimilitudinem agnoſcit hoc *Aſari* genus: ad eundem enim modum *radices, folia* ex iis, *floreſque* ex eorum angulis naſcuntur. *Folia* tamen ampliora, in mucronem è rotunditate ſecundum medietatem terminantur. *Floris* tripliciter divifi ſegmenta exterius flectuntur; quibus potiſſimum dignoſcitur.

3. Aſarum *Virginianum folio cordato Cyclaminis more maculato, Nobis. Aſarum Americanum, Park. Serpentaria major officin. Radix* craſſiuſculis *fibris,* guſtu calidis & odoratis conſtat. Singula *folia, Aſari* ritu, ſingulis pediculis longis inſidentia, vulgaris magnitudine cedunt, & à petiolo longius ſunt protracta, cordiformia, ſuperficie è pallido atroque virore, *Cyclaminum* in modum maculata. *Flos* trifidus, ſegmentis rotundioribus fiſſus, ad exortum pediculi enaſcitur. *Cl. Mentzelius* plantam nomine *Violæ foliis diſſectis,* in *Pugillo rariorum Plantarum,* his verbis deſcribit: In deciduis ſaxis inter lapides & ruinoſa montium *Tirolenſium* rudera ruperi. Notandum quod in hac Plantula *florem* videre mihi contigerit, qui parvus licet, trifidus, brunni coloris, cum *Aſari* floribus penitus congruit; ideo potius plantula ad *Aſari,* quam *Violæ* ſpecies reducenda.

Ex *Americæ Terra Mariana* tranſmiſſa eſt altera *Serpentaria nigra* dicta, cujus *radices* ſunt fibroſæ, nigricantes; *folia* pediculis longis inſidentia, figura & magnitudine foliorum *Chelidonii minoris,* verum circa oras crenata ad modum *Calthæ paluſtris,* quibus & ſimilia, niſi quod minora. D. *Pettiver.*

Aſari Temperamentum & Vires.

Aſarum *guſtu mordaci eſt & acri, ideoque vim leviter excalefactoriam & reſiccantem obtinet. Aperit; attenuat; catharticum eſt, & emeticum.* Folia *atque* radices *vomitus & ſedes violenter excitare ſolent; ergo in ſubſtantia raro exhibentur. Ex his infuſio nauſeoſum eſt remedium, ſed potenter operatur. Tum* folia, *tum* radices *in aqua ſimplici decocta vim omnem amittunt vomitoriam, ſed diureſin promovent; decocta cum vino vim cathartiam*

cam & emeticam retinent: unde decoctum *febribus tertianis & quartanis afflictis propinatur, & a quibusdam existimatur præclaræ virtutis remedium.*

Succus *jecinoris, fellis, & lienis obstructiones resolvit; ictericis & hydropicis prodest; idem naribus attractum caput expurgat.* Radicis pulvis *errhinis admisceri solet.*

Asarum *propter partium tenuitatem non tantum est insigne diureticum, sed & secundas menses que movet, unde meretriculæ nostræ, inquit* Casp. Hoffman. *plus satis frequentant* decoctum *ipsius, cum sentiunt se gravidas.*

Serpentaria *vel* major *vel* minor *inter manifeste calidas & siccas censeatur.* Radices *cirrosæ, vulgo in officinis venales, odore sunt resinoso, sorti & aromatico, non tamen grato; gustu atri subastringente & aliquantulum dulci. Est vero Planta egregia vi alexiteria pollens. Contra venenatorum ictus promptissimum est remedium, quod maxime sentiunt* Americani *demorsi à teterrimo isto serpente cauda crepitante, in Historia Amer.* Recchi Domina serpentum, *vulgo* Rattle Snake, *dicto. Demorsos à cane rabido ab hydrophobia tuetur.*

Febribus tertianis & malignis prodest, cæteris que affectibus convenit, ubi morbus per sudores foras educendus.

Huic Plantarum seriei nonnulli Papaverum *genera &* Argemones *haud incommode subjungi posse existimaverint. Quum vero omnes plantæ ad familiam* papaverinam *spectantes* tetrapetalæ *sint, & quædam ex his* filiquosæ: *propterea in Vol. 2. Sect. 3. inter* Tetrapetalas *locum commodissimum sortitæ esse videntur.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyspermæ.

CAPUT XXVIII.

Nymphæa.

NYmphæa *Gr.* Νυμφαία, *dicitur* ἀπὸ τῆς νύμφης, i. e. *aqua, quod lotis aquosis planta gaudeat. Aquæ autem (ut id obiter notemus)* Nymphæ & Lymphæ *antiquitus vocabantur.* Papaver paluſtre *à quibusdam appellatur, eo quod capita ad instar* Papaveris *producat.* Nenuphar *est nomen* Arabicum, *sicuti &* Nufar *ab officinis usurpatum.*

Nymphæa est planta aquatica ampla, *flore* roseo, *fructu* rotundo papaveraceo, urceum referente, pluribus *cellulis* intus instructo.

TABULA XXIV. SECT. XII.

Nymphæa
- *lutea*
  1. *Major, C. B. P. Lugd. Clus. Nymphæa lutea, Matth. Ger. J. B.*
  2. *Minor flore fimbriato, J. B. C. B. P.*
  3. *Minima Indica, Tsjeroea-cit-Ambel, Hort. Mal. Part.* 11.
- *alba*
  4. *Major, C. B. P. Nymphæa alba, Ger. J. B.*
  5. *Minor, C. B. P. Adv. Tab. Ger.*
  6. *Malabarica media florum petalis acutioribus, Cit-Ambel, Hort. Mal. Part.* 11.
  7. *Ægyptiaca folio crenato, radice tuberosa, Nobis. Lotus Ægyptiaca, Prosp. Alp.*
  8. *Malabarica crenatis foliis, radice fibrosa, floribus ex albo rosaceis, Ambel, Hort. Mal. Part.* 11.
  9. *Malabarica minor folio rotundiore, flore albo pentapetalo intus villoso. Nedel-Ambel, Hort. Mal. Part.* 11.
  10. *Minima flore tripetalo, Nobis. Nymphæa alba minima, C. B. P. Nymphæa alba minor sive Morsus ranæ, J. B.*

1. Nymphæa *lutea major, C. B. P. Nymphæa lutea, Ger. Trag. Matth. Dod. Cast. Tab. Eyst. J. B. Nenuphar luteum, Brunf. Aguape Brasilienſium, Pison. Radix* longa, brachium crassitudine superat, scabra, nodosa, *clavæ* similis, (unde etiam planta *Clavæ Herculeæ* nomine insignita fuit) intus fungosa, crebris *acetabulis* seu foliorum vestigiis insignita, oblongis fibris se in fundo limoso firmans. *Foliis* constat amplis, imo pedalibus, glabris, crassis, virescentibus, è rotunda ovali aut *pedis equini* forma, ad exortum pediculi sinuatis, & intus *medulla* porosa farctis. *Caules* pediculive singulares, teretes, glabri, altitudinem paludis seu stagni natalis excedentes, quali etiam caule singuli *florum* nituntur luteorum, ex quinis petalis rotundis, crassis, exterius ad unguem viridibus, constructorum. Intra vero septum foliorum quinque duplex est *corona*, prior minutissimorum *foliorum*, quæ externis appressa, rugosa conspiciuntur, & similiter lutea, quo etiam colore prædita est interior, sed dilutiore, ex compluribus *ligulis* retroactis, & apicibus priorem coronam contingentibus. His deciduis, cernitur *capitulum* firmum, viride, papaveracei capitis magnitudine, sed forma *urceum* affabre exprimens, turgido ventre & in angustam cervicem desinente, quæ sensim dilatata, margines *urcei* effingit, striis exstantibus asperatos & orificii loco aliquousque pertusos: intus in totidem loculamenta, qualia sunt superius notatæ striæ, se dividit; & *semina* oblongorotunda, *Tritici* minora, intus conduntur.

In fossis profundioribus, fluviis limosis, & aquis stagnantibus, Junio & Julio mensibus florens, passim occurrit.

2. Nymphæa *lutea minor flore fimbriato, C. B. P. J. B. Nymphæa alia minor, Lugd. Radiculis* nititur fibrosis,

broſis, *caulibuſque* longis in aquis procumbentibus, in genicula diſtributis, fibras demittentibus ſe ſpargit. *Folia* quina aut ſena è quolibet geniculo exeunt, *petioliſque* ſingularibus inſident, quæ & ipſa ſuperficiem occupantia, palmarem latitudinem non ſuperant, prioris tamen conformia, glabra. Ab eodem exortu petiolis ſuis adhærentes, & ſupra aquas ſe attollentes, proveniunt *flores* pentapetali, ſimplices, lutei, & *Cucurbitarum* more, quaſi è preſſura jam explicati, rugati, marginibus hirſutie eleganter fimbriatis. His ſuccedit calyculus oblongus, *ſeminibus* latiuſculis, in ambitu piloſis, refertus.

Fluviis potius quam ſtagnantibus aquis gaudet, circa Oxoniam *ſatis frequens. Eodem tempore quo & prior floret.*

3. Nymphæa *minima Indica flore flavo, Tsjeroea-cit-Ambel, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 57. *Folia* ſubrotunda, ad eundem modum quo & proxime ſuperius explicatæ è nodis cum *floribus* naſcuntur. *Flores* parvi ſunt, ſimplices, pentapetali, oblongorotundi, ſtelliformes, interius in ſingulorum petalorum medio *folioſa lacinia* ſecundum longitudinem alati, in orificio *capillis* flavis obſiti; *ſtaminulis* quinque brevibus & quinque aliis adhuc brevioribus interpoſitis, cum quibus è medio orificio *globulus* viridis, cuſpidatus, *ſtyli* inſtar, ſe prodit. *Calyx* πυπάφυλλος eſt, & *folia* florum *petalis* decuſſatim interponuntur.

4. Nymphæa *alba major, C. B. P. Eyſt. Nymphæa alba, Matth. Dod. Tab. Ger. J. B. Nymphæa candida, Trag. Tur. Nenuphar album, Brunf.* *Radice* longa, craſſa, albicante; *foliiſque* latis, paullo rotundioribus, *florumque pediculis, Nymphææ primæ luteæ* æmulatrix eſt. *Flores* ampli, candidi, multiplices, in *roſam* expanſi, ex plurimis petalis conſtructi, quorum extima exteriori parte vireſcentia, duas aut tres uncias longa ſunt; quorumque meditullium *ſtaminula* plurima lutea occupant. Poſt florem (*Dod.* auctore) *capitulum* prodit rotundum, in quo *ſemen* nigricans, ſplendens, *Milii* majus. *Flos* gratum liliaceum ſpirat odorem.

In fluviis, flagnis & piſcinis, tota æſtate florens, gignitur. In inſula Jamaica *etiam reperitur. D.* H. Sloane.

5. Nymphæa *alba minor, C. B. P. Adv. Tab. Ger. Park. J. B. Nymphæa parva, Matth.* Nullatenus priori diſſimilis, niſi quod minor quoad omnes partes ſit. *Flores* multiplices triplo ſunt minores. Species diſtincta eſt, & non cum altera confundenda.

In ſtagnantibus aquis naſci circa Lateram *D.* Magnol *teſtatur. In lacu* Nantuæ *D. D.* Sherard *collegit. Æſtate floret.*

6. Nymphæa *Malabarica media alba florum petalis acutioribus, Cit-Ambel. Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 53. *Foliis* palmaribus, modoque creſcendi, cum proxime priori convenire videtur; *flores* tamen ex pluribus petalis acutioribus conflantur.

Eſt & alia ſpecies ejuſdem nominis, in eo ſolum differens, quod *florum petala* vel *cærulea*, vel *rubra*, vel *alterius* ſint *coloris. Hort. Mal.*

7. Nymphæa *Ægyptiaca alba folio crenato, radice tuberoſa, Nobis. Lotus Ægyptiaca, Proſp. Alp. Nymphæa alba major Ægyptiaca ſive Lotus Ægyptiaca, Parkinſon.* E *radice* craſſa, dura, pyriformi, ovi magnitudine, exterius nigra, intus flaveſcente, guſtu adſtringenti & ſubdulci, *fibræ* tenues, colore albicante, procedunt. Tanta eſt plantæ altitudo, quanta eſt aquæ à fundo uſque in ſuperficiem, ut in aliis. *Foliis* conſtat numeroſis, colore atque figura *albæ Nymphææ*, undequaque tamen oris crenatis; ſingula hæc folia ſuos habent *caules* aut pediculos ab radice ut in *Nymphæa alba*, cui *flores* & magnitudine & figura petalorumque colore ſimiles ſunt, aliquantulum odoris læviſſimi & ad *Violæ* odorem inclinantis. Eis quatuor ſunt in dorſo, vicem *perianthii* præſtantia, *folia* viridia. Floribus ſuccedunt *capita* rotunda, *Meſpili* magni, magnoque fructui *albæ Nymphææ* ſimilia, *cortice* viridi contecta, intus veluti longos parvoſque folliculos habentia, quæ *ſemen* continent minutum, *Braſſicæ* ſemini ſimile.

In Ægypto *lacus quidam (ſeu potius loca quædam campeſtria, quæ uti lacunæ per æſtatem ab aqua* Nili *fluminis aucti inundatæ, aliquandiu manent)* Lotis *abundant, ita ut (auctore* Proſp. Alp.) *tota aquæ ſuperficies foliis contexta occultetur, viroreque eo amæniſſimo undique oculi gaudeant. In inſula* Jamaica *hæc Nymphæa reperitur. D.* Sloane.

8. Nymphæa *Malabarica alba crenatis foliis, radice fibroſa, floribus ex albo roſaceis, Ambel Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 51. *Foliis* amplis, crenatis, modoque creſcendi cum præcedenti convenit. *Radices* albicantes, *fibris* fiſtulaceis conſtant. *Flores* qui aperti extra aquas emicant, veluti *roſæ* ſunt, multipetali, coloris candidi, & roſaceodiluti. In exteriore ſerie *petala* majora ſunt & oblongiora, colore roſaceo, exterius diluto & albicante, interius pleniori. Denſo hæc numeroſorum longiorum *ſtaminum* ornantur penicillo, quæ latiuſcula, plana, flava conſpiciuntur. *Gemmæ* rotundæ ſunt & cuſpidatæ. *Semina* in ſtylo conſita ſunt numeroſa, interſepimentis membranaceis ac plicis à ſe invicem in propriis cellulis ſejuncta, parva, rotundiola, primum albicantia, ſed matura inſtar ſeminum *Naſturtii* ſe habentia, aſt magis fuſca.

Eſt & alia ſpecies *Areca Ambel* dicta, cujus *florum petala* paullo *majora* ſunt, *coloris minus roſacei, magis candida*; etiam *ſtylus*, cui *ſtamina flava* circumpoſita ſunt, in baſi conſignatur *roſa* plana, conformata è *coſtulis* flavis, quæ ex nodulo medio, qui in centro baſis eſt, ad rotundam ejus orbitam excurrunt. *Hort. Mal.*

9. Nymphæa *Malabarica minor folio rotundiore, flore albo pentapetalo intus villoſo, Nedel-Ambel. Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 55. *Radix* rotundis, fiſtuloſis, & albicantibus veſtitur *fibris*. *Caules* rotundi & fiſtuloſi, in vertice *folia* gerentes, quæ ſuperficiei aquæ incumbunt, aliis rotundiora. *Flores* extra aquas aperti emicant, in totum candidi, pentapetali, ſtelliformiter expanſi, interius *filamentis* denſis, candidis, longiuſculis in totum obſiti. *Stamina* in illis decem tenuia, apicibus flavis & ſtriatis dotata. *Calyx* pentafolius eſt. Poſt flores *capitula* ſeu *gemmæ ſeminales* ſe produnt; illæ cuſpidatæ ſunt, numeroſa in ſe continentes *ſemina* rotunda.

Plura de his Nymphæis exoticis lege loco citato, ubi fuſe deſcribuntur. In inſula Jamaica & *hæc reperitur.* D. H. Sloane.

10. Nymphæa *flore minimo tripetalo albo, Nobis. Nymphæa alba minima, C. B. P. Nymphæa alba minor ſive Morſus ranæ, J. B. Park. Ranæ morſus, Dod. Flagellis* fluitat tenuibus. *Radicum* loco tenues *fibræ* ſunt, quæ ex brevi ac parvo veluti capite fundum verſus tendunt. Hinc etiam obliquæ *fibræ* exeunt, quibus progerminantibus ſeipſum multiplicat. Ab eodem exortu *folia* exeunt uncialia, & ampliora, circinatæ rotunditatis, glabra, petiolis adhærentia, *Aſari* foliis ſimilia, ſed minora. *Flores* in longioribus pediculis inter folia exeunt, parvi, candidi, teneri, tripetali, *Sagittariæ* floribus paullo majores.

In aquarum foſſis & ſtagnantibus locis paſſim provenit.

Hujus varietas floribus plenis odoratiſſimis in Inſula Elienſi *obſervata eſt. D.* Raii.

PLANTÆ AQUATICÆ

Fructu faviformi.

CAPUT XXIX.

Nymphææ affinis.

Multas Nymphææ *veræ notas possident Plantæ jam proxime inferius explicandæ; fructus vero discrimen facit: nam in superficie planus conspicitur, tanquam si per medium cultro dissectus esset, semina plurima, quorum quodlibet singulari loculamento insidet, continens.*

TABULA XXV. SECT. XII.

Nymphææ affinis glandifera folio
- *ad petiolum secto*
  1. *Ægyptiaca flore pleno pulchre purpureo, Nobis. Nymphæa Indica flore purpureo, Bontii. Faba Ægyptiaca, Bodæi à Stapel.*
- *umbilicato*
  2. *Virginiana flore pleno luteo.*
  3. *Malabarica flore amplo rosaceo albicante colore, Tamara, Hort. Mal. Part.* 11.
  4. *Malabarica folio & flore ampliore candido, Ben-Tamara, Hort. Mal. Part.* 11.

1. Nymphææ *affinis glandifera Ægyptiaca flore pleno pulchre purpureo, Nobis. Nymphæa Indica flore purpureo, Bontii. Faba Ægyptiaca, Bod. à Stapel. Faba Ægyptiaca, Dioscor. & Theophrast. cujus radix Colocasia distabatur, Park. Fabæ Ægyptiacæ Dioscor. affinis, C. B. P. Fructus valde elegans, Faba forte Ægyptiaca, J. B. Fructus peregrinus, Clus. Ja. Bontius Medicus, in Hist. sua Natural. & Med. c.* 38. *p.* 128. *qui millies vidit, iconem exhibuit, & hoc disticho eam descripsit:*

Indica purpureum præfert Nymphæa *colorem,*
Atque nuces gignit maturo calyce eduleis.

Itâque verum est quod harioletur Plantam aquaticam eam esse; nam *Nymphæa* est, in omnibus cum nostrati tam in *latis* quam *rotundis foliis*, & *radice* plane conveniens. *Flore* à nostra *Nymphæa* differt, qui vel *albus* vel *flavus* est; hujus autem *pulchre purpureus*, *plenus*, odore gratissimo nullo modo nostrati cedens. *Fructu* quoque & *calyce* longo à *Nymphæa* nostra discrepat, qui in superficie planus conspicitur, tanquam si per medium cultro dissectus esset, verrucas parvas in orbem distinctas superostendens, circiter triginta numero, quæ paullatim grandescentes *calycem* sibi unaquæque effingunt, donec matureſcentes *Nucem avellanam* dempto putamine, tum forma tum nucleo valde referant. *Saporem* quoque ejusdem nucis non male æmulatur, qui tamen fatuus aliquo modo & aqueus est, naturam redolens elementi in quo crescit.

Ad fluviorum ripas in locis aquosis nascitur. In Insula Java *invenit* Justus Heurnius, *& nomine* Nymphææ glandiferæ Batavicæ Javorum *indito descripsit.*

2. Nymphææ *affinis glandifera Virginiana umbilicato folio, flore luteo pleno. Foliis & floribus* à proxime præcedenti plurimum discrepat; hujus enim *folia* lata, rotunda, incisura ad petiolum caulemve destituta, sed integra circinatione umbilicata, *caule* erecto & poroso, centro sustentata sunt; unde *nervi* veluti radii è centro exeunt, & superius glabri conspiciuntur. In summitate *caulis* consimilis lævis, mollis, & porosi, *flos* odoratus, omnino lutei coloris, multiplici petalorum serie rosam expansam exprimente, suffulcitur. Flore deciduo, *fructus* primo viridis, deinde durus & cartilagineus, vertice planus aut nonnihil convexus, quatuor uncias latus, & in angustiam infundibuli forma ad caulem contractus, intus fungosus, succedit; in cujus superficie foramina cellulæve sunt circiter triginta, à se invicem distinctæ, in quarum unaquaque unicum *semen*, *Avellanæ nucis* magnitudine, & *glandem quercinam* cum apice, optime exprimens, insidet; fructusque arefactus & exagitatus, *seminibus* suis loculamentis contractis & exsolutis, crepitaculum effingit.

A D. J. Banister *è* Virginia *ipsi accepimus.*

3. Nymphææ *affinis glandifera Malabarica umbilicato folio, flore amplo rosaceo albicante, Tamara, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 59. *Nymphæa flore suave purpurascente, Breyn. Prod.* 2. *Radix* profunde demissa, crassiola, *fibras* emittit. *Caules* simplices sunt. *Folia* prægrandia, rotundiola, ex caulis spinosi summitate *Nasturtii Indici* in modum umbilicata sunt. *Flores* etiam prægrandes sunt, *petalis* constantes confertis, coloris rosacei albicantis, odoris grati *Anisum* spirantis, *flaminulis* flavis è medio emicantibus. *Fructus* in summitate planus & in superficie latus, inferiora versus contractior, intus fungosus, ad basin superiorem in suis cavernulis seu cellulis *semina* recondens.

4. Nymphææ *affinis glandifera Malabarica umbilicato folio ampliore, flore pleno candido, Ben-tamara, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 61. *Nymphæa Indica maxima, P. B. P. Nelumbo Zeylanensibus dicta. Folia* duorum in diametro sunt pedum, rotunda & umbilicata; *flores* ampliores, petalis suis latioribus constantes, candidi sunt, odoris nonnihil vegetioris, *staminulis* plurimis umbonem circumactis, qui in fructum præcedentium conformem excrescit.

Nymphææ *affinis palustris Plantaginis aquaticæ folio, flore hexapetalo stellari cæruleo.* In pratis circiter loca ubi aquæ stagnarunt, in Insula *Jamaica* reperit *D. H. Sloane.*

Nymphææ

Nymphææ Vires & Uſus.

Duæ Majores Nymphææ *ad uſus medicos expetuntur, quarum* radices *refrigerant & exſiccant*; flores & folia *refrigerant & humectant.* Nymphæa *eſt planta imprimis antivenerea, ſeminis abundantiam minuens & acrimoniam temperans; contra venerem inſomnia & nocturnas pollutiones exhibetur; ſatyriaſin & priapiſmum domat. In febribus ardorem intemperatum mitigat, & ſomnum conciliat. Radices ad dyſenterias, diarrhœas & ad alba mulierum profluvia ſiſtenda commendantur.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ foliis plurifariam diviſis.

CAPUT XXX.

Nigella *ſive* Melanthium.

Nigella Latinis à nigro ſeminis colore dicta. Melanthium Gr. Μελάνθιον *vocatur* ἀπὸ τῦ μέλανος ἄνθυς, *quia florem oſtendit nigrum: nempe color cæruleus idem antiquitus erat qui & niger. Vid.* Theophraſt. Hiſt. *l. 7. Git ſeu Gith apud Arabes audit.*

Nigella eſt planta annua, *foliis* plurifariam tenuiter diviſis; *vaſculo* magno ventricoſo, *corniculis* in ſummo, totidemque *loculamentis* diſtincto; *ſeminibus*, ut plurimum, nigris & odoratis.

TABULA XXVI. SECT. XII.

- *Nigella flore*
  - *minore*
    1. *Arvenſis cornuta, C. B. P. Melanthium ſylveſtre, Dod.*
    2. *Cretica, C. B. P. & Prod. Melanthium ſimplici flore Creticum, Cluſ. Hiſt.*
    3. *Cretica latifolia odorata, Park. Ponæ Ital.*
    4. *Simplici candido, C. B. P. Melanthium Damaſcenum ſemine pallido, Cam.*
    5. *Pleno & albo, C. B. P. Nigella citrina, Adv. Lob.*
    6. *Cretica folio Fœniculi, C. B. P. Melanthium peregrinum ſive Creticum, Ponæ de Mont. Bald.*
  - *majore*
    - *folioſo*
      7. *Romana ſativa, Park. Nigella anguſtifolia flore majore ſimplici cæruleo, C. B. P.*
      8. *Pleno cæruleo, C. B. P.*
    - *nudo*
      9. *Latifolia flore ſimplici cæruleo, C. B. P. Nigella Hiſpanica flore amplo, Ger.*
      10. *Chalepenſis lutea corniculis longioribus.*
      11. *Cretica odorata foliis Lini, ſeminibus biformibus, Park. Melanthium odoratum, P. Alp.*

1. Nigella *arvenſis cornuta, C. B. P. Nigella ſylveſtris, Lon. Trag. Cam. Arvenſis, Park. Melanthium & Gith, Dioſc. Melanthium ſylveſtre, Dod. Ger. Melanthium capitulis reflexis Aquilegiæ, Lob. Melanthium ſylveſtre ſive arvenſe, J. B.* 227 *Radix* ei annua, tenuis & inutilis. *Caulem* promit ſtriatum, tenuem, dodrantalem, in *alas* diviſum. *Folia* plurifariam diviſa, tenuia, *Anethi* pallidiora, & *ſcandicis* referentia, inordinatim adhærent. *Flores* ſummis caulibus inſident, pentapetali, unciales, pallide cærulei, *ſtaminulis* plurimis brevibus medium occupantibus. His ſuccedit *vaſculum* oblongum, in quinque cellulas diviſum, & in totidem cornicula, *Aquilegiæ* pene ſimilia, aliquantulum incurvata, definens. *Semina* nigra exigua in alveolis conduntur. *Vid. icon. tab. æn.* 18.

Inter ſegetes Italiæ, Galliæ, & Germaniæ *paſſim provenit.*

2. Nigella *Cretica, C. B. P. Melanthium ſimplici flore Creticum, Cluſ. Hiſt. Radice* tenui eſt flaveſcente; *caule* nunc erecto, nunc procumbenti. *Folia Delphinii* ſimilia, ex viridi colore nigricant. *Flos* unguis magnitudine, ſimplex, pentapetalus, colore ab initio ex viridi nigricante, mox vero ſubcæruleo, mucronibus ſuam viriditatem reſervantibus, forma præcedentis, (quæ multo minor eſt) flori reſpondens. In medio *ſtamina* plura, viridia, apicibus cæruleis donata cernuntur. *Capitula* pentagona, hexagonave ſuccedunt, quæ in totidem cornicula longa finiuntur. *Semen* nigricans, minutum. *V. icon. tab. æn.* 18.

3. Nigella *Cretica latifolia odorata, Park. Ponæ. Ital. Nigella alba ſimplici flore, Proſp. Alp. Exot. Caulis* è *radice* exigua, ſublutea, aſſurgit ſingularis, in aliquot *ramos* diviſus, *foliis* longis obſitus, in partes ſeu ſegmenta aliquot diviſis, non tamen (ut in reliquis hujus generis ſit) *Fœniculi* aut *Delphinii* modo inciſis, ſed in lacinias multo latiores, *Senecionis* aliquatenus ſimiles, verum minores & tenuiores. Summos ramulos terminant *flores* ſingulares, albi, reliquarum *Nigellarum* ſimiles; capita quoque ſimilia ſuccedunt, *ſeminibus* nigris, odoratis, repleta.

4. Nigella *flore minore ſimplici candido, C. B. P. Nigella Romana ſive ſativa, Park. Melanthium ſativum, Matth. Tab. Dod. Sativum ſimplici flore, Cluſ. Hiſt. Melanthium calyce & flore minore, ſemine nigro & luteo, J. B.* Exigui inſtar fruticis aſſurgit, *cauliculis* tenuibus dodrantalibus & pedalibus, ramulis aliquot brachiatis.

Folia latiuſcula, in plures partes diſſecta ſunt. *Floſculi* in ſummis virgis candiduli, multis *ſtaminulis* mediis ornantur. *Capitula* ſuccedunt, intercurſantibus membranis interius diſtincta, prominentibus ſuperius exiguis veluti *corniculis*, in quibus *ſemen* acre, odoratum, anguloſum, colore nigrum, quandoque vero & ſubluteum, ſubſtantia oleoſum ac pingue. *V. icon. tab. æn.* 18.

5. Nigella *flore minore pleno & albo, C. B. P. Nigella peregrina flore multiplici, Eyſt. Melanthium pleno flore, Cluſ. Hiſt. Nigella citrina flore albo multiplici, Lob. Park. Par. Melanthium capite minore, flore multiplicato, J. B. Caulis* huic cubitalis eſt erectus, varie divaricatus; circa quem *folia* multifida, ferulaceis craſſiora, *Nigellæ vulgaris* foliorum æmula. *Flores* in ramorum cacuminibus prodeunt, numeroſis *petalis* albeſcentibus denſe farcti, quorum è medio *umbilicus* craſſus, anguloſus, in ſummo corniculatim aliquot faſtigia reflexa ſuſtinens, exſeritur. Hic autem *caput Avellanæ majoris* amplitudine referens intus *ſemina* copioſa citrini palleſcentis coloris ſervat. *Vid. icon. tab. æn.* 18.

6. Nigella *Cretica folio Fœniculi, C. B. P. Melanthium peregrinum ſive Creticum, Ponæ Ital. Mont. Baldi. Nigella Cretica altera odorata tenuifolia, Park.* E *radice* lignoſa, aliarum congenerum duriore excreſcit *caulis* pedalis, in ramulos plures diremptus; cui *folia* tenuiora *Fœniculi* ad inſtar adhærent. *Flores* in ſummitatibus parvi, pentapetali, ex albido colore palleſcunt. *Semen* nigrum, anguloſum, acre, & aliquantulum aromaticum, *pericarpio* quaſi bacca contentum, ſuccedit. *V. icon. tab. æn.* 18.

7. Nigella *Romana ſativa floribus folioſis, Park. Nigella anguſtifolia flore majori ſimplici cæruleo, C. B. P. Melanthium Damaſcenum, Dod. Ger. Melanthium capite & flore majore, J. B. Melanthium ſativum flore ſimplici, Eyſt. Radice* donatur tenui, ſublutea; *caule* pedali & cubitali, ab imo ramoſo, luxuriat. *Folia* plurifariam, in longiora & acutiora ſegmenta tenuia, *Delphinii* ſimilia, laciniantur. Summi ramuli *floribus* amplioribus, pentapetalis, cæruleis, alabaſtris prominentibus, varieque diſſectis, inſidentibus, & in medio *ſtaminulis* numeroſis, ex cæruleis herbaceis, *capitulum* corniculatum circumſtantibus, ornantur; quod quidem capitulum ſubrotundum, ventricoſum, membranaceum, in quinque aut ſex loculamenta diviſum, *corniculis* in ſuperiore parte, intumeſcit. *Semina* intus continentur nigra, copioſa, acuminata, aliquantulum odorata. *Vid. icon. tab. æn.* 18.

Apud nos ſativa eſt, quamvis in ſegetibus Narbonenſium, *teſte* Lobelio, *ſponte exſiliat.*

8. Nigella *Romana flore folioſo pleno cæruleo, Nobis. Nigella Damaſcena flore multiplici, Park. Nigella flore majore pleno cæruleo, C. B. P. Melanthium Damaſcenum flore pleno, Cluſ. Hiſt. Eyſt. Melanthium capite vel calyce flore majore pleno, J. B.* Vultum præcedentis obtinet, à qua ſolis *floribus* diſcrepat; qui ubi primum panduntur, ex albo paullatim in dilute cæruleum colorem inclinant, in quo poſtmodum uſque ad mucronem perſiſtunt, amplitudine priorem æquantes & interdum ſuperantes; circinatam vero rotunditatem obtinentes, in extremis petalorum oris tenuiter laciniati; qua quidem facie collaria quædam tenuiter exciſa referre & magnam gratiam plantæ conciliare ſolent.

9. Nigella *latifolia flore majore ſimplici cæruleo, C. B. P. 1. Prod. Melanthium Hiſpanicum majus, Eyſt. Nigella Hiſpanica flore amplo, Ger. emac. Hiſpanica flore ſimplici, Park.* In *caulem* quinquangularem, viridem, bipedalem, in plures *alas* diremtum aſſurgit; quibus æque ac *cauli* apponuntur *folia* ferulacea, *Nigellæ vulgatioris* vel *Conſolidæ Regalis* foliis partim latiora, partim anguſtiora, & cacumina ramulorum verſus rariora. Cacumina ipſa ſuſtinent *flores* ſimplices, naturæ luxu omnes ſuas congeneres ſpecies amplitudine ſuperantes, primo ex pallidis herbaceos, poſtmodum dilute, denique ſuaviter cæruleum colorem induentes. Floribus ſuccedunt *capitula* pentagona, ſubinde & hexagona, dura, in totidem *cornicula* extremis mucronibus ſuis paullatim contorta, deſinentia. Juxta vero illorum exortum cingitur multis *ſtaminulis* tenuiſſimis purpuraſcentibus, & ſurſum quodammodo reflexis, quibus faſciculatim, paris diſtantiæ ordine, aliæ angulares, turgentes, bifidæ interponuntur *ligulæ*, raris *pilis* obſitæ, dilute cæruleæ. Has per medium rubra *venula* tranſverſa, & paullo ſupra exortum tenui & rubicundo circulo, ſeptum *filamentum* decorat. In *capitulis* vero angularibus intus membranaceis, *alveolis* diſtinctis, triangularia parva, obſolete fuſca, continentur *ſemina*.

10. Nigella *Chalepenſis lutea corniculis longioribus.* Nova & elegans hæc planta, quam ex *Halepo D. D. Huntington* ſummiſit, *caule* exit cubitali, recto, in pauciores & longiores *alas* diviſo, *foliiſque* plurifariam diſſectis, anguſtis, pro *Nigellarum* modulo ſat latis ornato. Summis caulibus *flores* præcedentium conformes, ampli, ſimplices, luteo colore tincti, in meditullio *ſtaminum* congerie ſtipati, inſident. *Capitulo* non minus quam floris colore, à cæteris diſſidet; hoc enim quinquangulare aut hexangulare, totidem quaſi ex *ſiliquis*, in intimi marginis fundo junctis, & ſuperius diſtinctis, in *cornicula* longiora paullatim reflexa definentibus, componitur. Inque ejus loculamentis alveoliſve diſcriminatis *ſemina* lata, compreſſa, ſublutea, *Fritillariæ* ad inſtar, ſuffarcinata ſunt. *V. icon. tab. æn.* 18.

11. Nigella *Cretica odorata foliis Lini, ſeminibus biformibus, Park. Melanthium odoratum, Proſp. Alp.* Mirabilis hæc planta *Cretica*, è *radice* parva, tenui, *fibris* tenuibus multis prædita, *cauliculos* plures producit graciles, teneros, rotundos, palmum altos, *foliis Lini* ſimilibus ex oppoſito veſtitos. In caulium ſummitatibus *flores* fert cæruleos, *Papaveris* ſimiles, in quibus *ſiliquis* quinquepartitis gaudentibus *ſemina* nigra, minuta, odorata continentur. At in cauliculis etiam *alia ſemina* minuta, rotunda, racemorum modo albicantia, pendent. Ex his autem conſtat hanc plantam naturæ ſummopere curæ fuiſſe quod eam ne deficeret duplici ſeminis genere donaverit. *Vid. icon. tab. æn.* 18.

Nigellæ Vires & Uſus.

Semen *quod ſolummodo in uſus venit, impenſe calidum & ſiccum eſt. Naribus admotum egregium habetur ad catarrhi fluxiones diſſipandas; aquam* Menthæ *attractam in qua* ſemen Nigellæ *maceratum fuerit hunc in finem proponit* Sennertus; *ad olfactum læſum, vel abolitum reſtituendum commendatur. Pituitæ viſcidæ expectorationem promovet; flatus diſcutit; diureticum eſt & emmenagogum; & ad lac augendum propinatur.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ ſeminibus flocco incluſis.

CAPUT XXXI.

Goſſipium herba *ſive* Xylon.

GOſſipium *nonnullis* Coſſipium *appellatur; Κώς autem apud* Græcos *dicitur ovinum vellus, nempe lana ex ove dempta; ἴψ imò eſt ſpecies vermiculi, unde* Coſſipium *quaſi lana vermiculi.* Bombax *etiam Barbaris dicitur, quoniam* filamenta *ei ſunt ſubtilia ad inſtar* Serici, *cujus vermiculus vocatur* Bombyx.

1. Goſſipium *herba ſemine albo, Nobis. Xylon ſive Goſſipium, Matth. Xylon ſive Goſſipium herbaceum, J. B. Goſſipium fruteſcens ſemine albo, C. B. P.* Brevis vitæ herbaceum *Xylon, caule* exſurgit cubitali & altiori, ligneſcente, cortice rubente hirſuto tecto, in ramos aliquot breves diducto, *foliis* vitigineis, primaria diviſione triplici, *Aceris minoris* folia æquantibus, hirſutis, ex pediculis duas treſve uncias longis, piloſis erumpentibus. *Flores* diluta flavedine pallidi & circum oras umbilicique ſinum eleganti rubore purpuraſcentes, figura florum *Malvæ*, ſed ex pluribus petalis conſtructi. *Fructum* fert *barbulis* quibuſdam florem tegentibus incluſum, amplitudine *Nucis Avellanæ*, per maturitatem in tres vel quatuor fragiles atque punctatas carinas dehiſcentem, quæ molliſſimam delicatiſſimamque oſtendunt *lanuginem* in fila ductilem. In hac lanugine involvuntur *ſemina* ſtrobilis ſupparia, tenero fragilique cortice, cui lanugo pertinaciter adhæret, nucleo intus dulci. Ipſe fructus de unico longiore pediculo pendet, è *calyce* craſſiuſculo emergente. Carinæ ſingulæ ſingulare interſtitium interne in medio ſui ſecundum longitudinem habent, quaſi ante maturitatem in fructus meditullio coiviſſent. *V. icon. tab. an.* 17.

In Creta *inſula, &* Lemno, *ut & inter* Hieroſolymam & Damaſcum, *magna copia ſeritur, ubi pleni agri conſpiciuntur, magnique ex eo fiunt reditus, quemadmodum* Rawolfius *teſtatur.*

2. Goſſipium *herbaceum flore campanulato, Nobis. Bombax ex Pharnambucc. Zan. Caulis* humanæ altitudinis, erectus, pollicaris, coloris ferruginei, in ramos rectos ſe dividit; quibus *folia* malvacea, primo integra, tunc trifariam diviſa petiolis longis donata, inordinate adhærent. Ex horum *alis* oriuntur *flores* oblongi, campanulati, lutei, *Cucurbitarum & Citrullorum* ad inſtar, *calycibus* quinquifidis & acutis inſidentes. His decidentibus ſuccedunt fructus, Fagi fructibus pene ſimiles, in quatuor partes ſe dividentes; & in medio grana nigricantia arcte ſimul juncta, & in flocci candidi congerie incluſa, continentur. *V. icon. tab. an.* 17.

E Braſilia *in* Italiam *tranſmiſſa eſt.*

3. Goſſipium *Indicum ſpinoſum, Park. Goſſipium arboreum caule ſpinoſo, C. B. P. Bombax Indicum, Ponæ.* Bicubitalis & tricubitalis aſſurgit ei *caulis, ſpinis* parvis armatus, erectus, & indiviſus; cui *folia* heptaphyllea, modice hirſuta, pediculis longis inſidentia, adnaſcuntur. *Flores* oblongi, ex quinis petalis anguſtis & acutis, compoſiti, molliſſima *lanugine* implentur. *Semina* renalia, dura, *Sabdariæ* ſunt ſimilia. *V. icon. tab. an.* 17.

In horto Cl. Contareni *pullulavit.*

PLANTÆ MULTICAPSULARES

Polyſpermæ foliis alatis.

CAPUT XXXII.

Melianthus Africanus.

1. MElianthus *Africanus Pimpinellæ foliis ampliſſimis glaucis. Melianthus Africanus. Pimpinella ſpicata maxima Africana, Barthol. Act. Hafn. An.* 1653. *Vol.* 2. *p.* 58. Novam hanc plantam ſpecioſiſſimam, qua non ſine hortorum ornamento fruimur, Vir Clariſs. peritiſſimuſque Botanicus D. D. *Hermannus, P. M.* primus ex *Africa* in *Europam* tranſmiſit, & in Catalogo ſuo *Hort. Lugd. Bat.* An. 1687. non ſolum icone illuſtratam, ſed & accurate hunc in modum deſcriptam dedit: Mellifera hæc Africana planta *radice* nititur vivaci, lignoſa, craſſa, pallida, brachiata, longo profundoque reptatu hinc inde diffuſa; *ſcapo* multiplici ſupra viri altitudinem aſſurgente, viroris & vigoris perpetui, pollicem craſſo, rotundo, ſtriato, ſcabro, geniculato, ad radicem lignoſo, ſolido, in progreſſu ex ruſſo virente, & ubi in floriferam *ſpicam* faſtigiatur, punicante, facile ex geniculis in terram demiſſis ſeſe propagante; *foliis* pinnatis facie *Pimpinellæ*, aſt ſextuplo amplioribus, rigentibus, nervoſis, per ambitum profundius ſerratis, colore in glauco virente, coſta media ad ſummum uſque, cui *folia* ex adverſo ſtrictius adhærent, alata & crenata, parte vero ima & prona contecta *folio*, digitum longo, concolori, integro, lata ſua carinataque baſi, qua ad ſcapi genicula prorumpit, in mucronem porrecto, & coſtæ inſtar *lingulæ* incumbente; *odore* fœtido narcotico, gravi; *ſapore* herbaceo parum adſtringente. *Floribus* eſt in ſummo numeroſis, nudis, ex nigro puniceis, in ſpicam congeſtis, hærentibus

tibus ex petiolis longulis punicantibus, tenui raraque concolore lanugine pubeſcentibus, quibus ſingulis ſubjicitur foliolum nunc puniceum, nunc ex puniceo vireſcens, unguem adæquans & in deltoideam effigiem gracileſcens. *Flos* ut plurimum quinque conſtruitur *petalis*, ex floris fundo ampliori, cui arcte junguntur, in longum protenſis, duobus ſupernis latioribus & longioribus, binis lateralibus brevioribus & anguſtioribus, unico inferno breviſſimo carinato. *Hoc* in flore conſtanter deprehenditur, reliquorum vero numerus & amplitudo variant. Ex his profluunt decem *ſtamina* punicei ſaturati coloris, quinque longiora & tenuiora, *apicibus* flaveſcentibus parvis, totidemque breviora *apicibus* robuſtioribus, leviſſima concuſſione deciduis. Inferiori petalo includitur receptaculum cartilagineum, cariniforme, refertum liquore melleo, diluto puniceo, *ſaporis* vinoſi jucundiſſimi. Hic à *Belgis* ad *Bonæ Spei Promontorium* degentibus, non inepto nomine *Melianthus* ſive *Flos mellis* appellatur. Mellea vero hæc ſubſtantia neutiquam videtur productum roris ſeu aeris in flore collecti, ſed eo ipſo tempore quo flos perficitur, incipit ex porulis & villulis internæ floris baſeos, inſtar ſubtiliſſimi vaporis emanare, & in hiantem hanc carinulam deponi. Sive enim plantam mox flores parituram aeri liberiori expoſueris, ſive in conclavi diligenter cuſtodiveris, æquam mellis proportionem obſervabis, tanta utrobique ubertate, ut in ſubjecta folia ſtillatim defluat. Melle floreque exareſcente, ſequitur *vaſculum* ventrioſum, membranaceum, facie & magnitudine *Nigellæ fructum* adæquans, tetragonum, quaternis diſſepimentis diſtinctum, quaſi ex totidem vaſculis eſſet compactum; ſingula autem continent *ſemen* ovale, nigrum, lucidum, ſemini *Pæoniæ* ſuppar.

Sponte ſua luxuriat locis udoſis & paludoſis ad Promontorium Bonæ Spei. *Tranſpoſitus in hortos mirum in modum multiplicatur; brumam rigidiuſculam quamvis patienter ferat, tamen cuſtodienda eſt in commodo hybernaculo, ne flores, quos media ſæpe hyeme ſolet producere, vitium capiant & pereant. Floris Nectar uti vinoſo & ſuavi ſuo ſapore melli vulgari nihil cedit, ita virtutibus, ni illud ſuperet, ſaltem adæquat. Eo adeo delectantur* Hottentotti *& nunc quoque* Belgæ, *ut* Melianthum *nunquam prætereant, quin melleam ejus dulcedinem avide reſorbeant.*

2. Melianthus *Africanus minor foliis viridantibus.* Minor hæc planta paucis abhinc annis à Cl. D. D. *Hermanno* accepta, *caulibus* bipedalibus & tripedalibus, duris, ad lignoſam ſubſtantiam inclinantibus, aſſurgit, præcedentis tamen gracilioribus, & cortice fuſco, laxo, tectis; in quorum ſuprema parte *folia Pimpinellæ majoris* quoque diviſura exeunt, è paucioribus tamen, ex tribus nempe aut quaternis *alarum* conjugationibus, unaque claudente, compoſita, profunde etiam in ambitu dentata, omnino utrinque viridia, coſtaque media, uti in *Lentiſco* videre licet, foliacea prædita. *Florem* nobis nondum protulit, ſed obſoleti coloris eſſe traditur.

Finis Sectionis duodecimæ Partis tertiæ.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis

PARTIS III. SECTIO XIII.

De Plantis Bacciferis.

Sectio antecedens Plantas exhibuit in quibus poſt ſingulos flores evanidos plurima *ſequuntur* ſemina, pluribus ſiliquis, aut alveolis ſiccis membranaceis, contenta, *iiſque diſterminata. Deinceps ordinis cauſa ad eas explicandas aggrediemur, quibus in* ſingulis floribus *ſuccedunt* numeroſa etiam ſemina, arillæ *aut* acini, baccis *ſeu* fructibus humidis *incluſa,* pulpa *intermixta,* & pellicula *communi tecta, abſque membranula intus diſpertiente. Atque hic ſubnotaverim quod quæ* bacciferæ ſcandentes *ſint, utpote ſubfruticibus accedentes Sect* 1. *Vol.* 2. *in ſedem ſibi propriam conjiciantur.* Pepones *etiam,* Cucurbitæ *aliæque congeneres, quas quidam* bacciferas *eſſe* majores *contendunt,* ſcandentibus *adjungendæ ſunt, ut quæ* flores in ſummo fructu *etiam producant. Harum autem de quibus impræſentiarum ſermonem inſtituimus* flores, *ut plurimum,* infra fructus *enaſcuntur.*

Bacca *vel plurimas continet* acinos, *vel unicum ſaltem, humiditate tamen obſeptum.*

SECTIONIS DECIMÆTERTIÆ

Diſtributio Prima.

Solanum, ejuſque ſpecies variæ, Capſicum, Mandragora, Strumum ſeu Solanum lethale, Solano congener Herba paris, Coilophyllum, Ebulus, Chamæpericlymenum, Polygonatum, Lilium convallium, & Monophyllum.

DE PLANTIS BACCIFERIS

Semina plurima in ſingulari fructu continentibus.

CAPUT I.

Solanum polycoccon.

Solanum *dicitur* Latinis, *quia ſolo quo naſcitur annum duret; & hoc proprie intelligimus de* Solano vulgari *ſeu* hortenſi. Græcis Στρύχνος *quaſi* Τρύχνος, i. e. *mollis quod doleres ex bili ardenti calidoque humore contractos refrigerando leniat & molliat.* Pomum amoris *nuncupatur, eo quod ad amatoria trahatur, vel quod propter elegantiam & pulchritudinem dignum ſit ut ametur.*

Solani notæ ſunt *flores* pentapetaloides, patuli, *umbilico* prominente pyramidali luteo; *fructus* pulpoſi, minores vel majores, ſeminibus è rotunda figura finum patientibus, compreſſis, referti.

TAB.

TABULA I. SECT. XIII.

- *Solanum polycoccon*
  - *annuum fructu*
    - *minore*
      1. *Vulgare, Park. Solanum hortense sive vulgare, J. B. Officinarum, C.B.P.*
      2. *Baccis rubris, caule modice spinoso.*
      3. *Hirsutius baccis luteis.*
      4. *Glabrum baccis aurantiacis, Nelen-tsjunda, Hort. Mal. Part. 10. p. 145.*
      5. *Vulgari simile Africanum foliis frequentius & profundius crenatis, Par. Bat. Prod.*
      6. *Vulgaris fructu, foliis Capsici, Aguara-guiya, Pis. Hist. Brasil.*
    - *majore*
      7. *Pomiferum fructu rotundo striato molli, C. B. P. Poma amoris, Dod. Ger.*
      8. *Pomiferum fructu rotundo molli parvo rubro plano, Schol. Bot. Par. Poma amoris fructu Cerasi, Hort. Reg. Par.*
      9. *Pomif. fructu rotundo aureo plano.*
      10. *Pomif. fructu striato & sulcato aureo. Pomum amoris fructu sulcato, H. R. Bles.*
      11. *Maxime tomentosum spinis carens Virginianum, D. Pluk. Phyt. Tab. 316. Fig. 1.*
      12. *Æthiopicum maxime tomentosum caule solummodo non foliis aculeatum, D. Pluk. Phyt. Tab. 316. Fig. 2.*
      13. *Tomentosum Canariense spinosum fructu Cerasorum forma & magnitudine, D. Pluk. Phyt. Tab. 316. Fig. 3.*
      14. *Nigricans Virginianum spinosissimum late se spargens flore ceruleo glabrum, D. Pluk. Phyt. Tab. 62.*
  - *perenne*
    15. *Pomiferum frutescens Africanum spinosum nigricans foliis profunde laciniatis, H. L. B.*
    16. *Spiniferum frutescens spinis igneis Americanum, D. Pluk. Phyt. Tab. 225.*
    17. *Amer. subincanum fructu pyriformi longiore, spinis armatum, D. Pluk. Phyt.*
    18. *Incanum Chinense minus spinosum floribus parvis fere umbellatis, D. Pluk. Phyt. 62.*
    19. *Tuberosum esculentum, C. B. P. Papas Peruanorum, Eyst.*
    20. *Tuberosum Mexicanum fol. mali Limoniæ, Xaltomatl Retchi, 297.*
    21. *Americanum Strychnodendro accedens fructu medio (ante maturitatem) quasi fisso, D. Pluk. Phyt. Tab. 111.*
    22. *Virginianum rubrum maximum baccis torulis canaliculatis, Nobis. Solanum magnum Virginianum rubrum, Park.*
    23. *Racemosum minus tinctorium, Circææ foliis mollibus & incanis, D. Pluk. Phyt. Tab. 112. Fig. 2.*

1. Solanum *vulgare, Park. Solanum hortense sive vulgare, J. B. Solanum officinarum, C. B. P. Solanum hortense, Matth. Dod. Ger. Lugd. Tab. Cam. Solanum nigrum, Cord.* *Caule* ex inutili, fibrosa, *radice* annua, assurgit cubitali, *alis* frequentibus ramoso, ex membranulis angulosо; *foliis* latiusculis, mollibus, nunc *Atriplicis* in modum sinuatis, nunc integris, atrovirentibus, fœtidis, fortuito *petiolis* adhærentibus, vestito. Ex adversa parte foliorum, plerunque tamen in caule aliquanto inferius exeunt *petioli* in plures minores *pedicellos* dispertiti, quibus singulis *flores* prodeunt monopetali, albi, nutantes, in quinque lacinias acutas, & plerumque reflexas ad unguem fere divisi, totidemque *stamina* cum apicibus suis luteis oblongis coeuntibus, & *stylum* viridem è media *bacca* exeuntem occultantibus ambientes. Flores excipiunt *baccæ* corymbis hederaceis pares, per maturitatem plerunque nigricantes; interdum tamen virides & subflavæ conspiciuntur, *succo* & pulpa prægnantes, in quibus *semina* parva, compressa, subrotunda, continentur.

In fimetis, hortis oleraceis, & pinguiore solo, passim reperitur. Autumno floret semenque perficit; pruinis frigoris impatiens languescit.

2. Solanum *baccis rubris phœniceisve, caulibus modice spinosis.* Foliorum similitudo, modusque crescendi, convenientiam cum præcedenti satis indicant; *caules* tamen quasi *spinulis* armati, *baccæque* omnino phœnicei coloris, discrimen faciunt.

3. Solanum *annuum hirsutius baccis luteis.* Hoc quoque antecedentibus haud absimile est; nisi quod totum hirsutie candida obductum sit, *baccæque* luteo claro colore infectæ.

Ex horto Domini Morgan Westmonasterienſis *plurimis abhinc annis & hoc & proxime præcedens accepimus; cujusnam vero soli sint incolæ nobis non constat. Tanquam varietates ne habeantur; semen enim unius alterum non producit.*

4. Solanum *glabrum Indicum baccis aurantiacis, Nelen-tsjunda, Hort. Mal. Part. 10. p. 145.* *Caules foliaque* lenia conspiciuntur. Et *forma*, & *floribus*, & *baccis* vulgari conforme est; ast *baccæ* sex vel septem, ut in antecedentibus fasciatim conjunctæ, aurantii aquei sunt coloris, *seminibus* compressis subrotundis &, ut in aliis, reniformibus, refertæ.

5. Solanum *vulgari simile Africanum foliis frequentibus & profundius crenatis, Par. Bat. Prod.* Hujus *folia* frequentiora & præcedentium ut plurimum minora, per ambitum in profundiores & crebriores lacinias denticulata sunt. Alias à vulgari non differt. *E* Batavia *accepimus.*

6. Solanum *vulgaris fructu, foliis Capsici, Aguara-guiya, Pis. Hist. Brasil. c. 76.* Sponte in agris & devijs nascitur, atque in arentibus locis maxime luxuriat. *Folio* est mucronato; *flosculo* exiguo & albicante, quo excusso, *baccæ* succedunt exiguæ, & eleganter copulatæ, quæ ubi maturuerint nigrum colorem induunt, ita ut non tantum facie externa *Solani* vulgaris baccas æmulentur, sed & virtute & efficacia illis simillimæ existant.

7. Solanum *pomiferum fructu rotundo molli, C. B. P. Poma amoris, Dod. Ger. Pomum amoris fructu rubro, Park. Parad. Mala aurea odore fœtido, quibusdam Lycopersicon, J. B. Tumatle Americanorum, Guil. pap.* Bicubitalem & tricubitalem plerunque *caulem* surrigit, facile procumbentem, subhirsutum, teretem, ramis multifidum,

multifidum, *foliis* ſeptum frequentibus, è viridi colore pallidis, & parum hirſutis, firmis pediculis innitentibus, ac ſingularibus inciſuris *Agrimoniæ* proximis, alatis, parvulis quoque foliorum particulis intercedentibus. Inter folia tres aut quatuor *flores* luteopallidi, *Solani vulgaris floribus* majores utcunque ſimiles, in paribus oblongis, ramoſis pediculis eminent; quibus ſuccreſcunt *poma* mollia, orbiculata, paullatim depreſſa, pulchre rubentis coloris, *Ceraſis* maximis majora, cute exterius tenerrima, interius *pulpa* humenti referta, qua operiuntur *ſemina* quamplurima, parva, depreſſa, obrotunda, carnoſa quaſi villoſitate donata. *Radix* annua eſt craſſaque, & tenuiter fibratis proceſſibus ſub tellure diſpergitur. Tota planta gravem & ingratum ſpirat odorem, caput tentantem. *V. icon. tab. æn.* 1.

8. Solanum *pomiferum fructu rotundo molli parvo rubro plano, Hort. Reg. Bleſ. Poma amoris fructu Ceraſi, Hort. Reg. Par.* Tota planta præcedenti minor eſt, ejuſque fructus *Ceraſi* parvi magnitudinem non ſuperat.

9. Solanum *pomiferum fructu rotundo aureo plano.* Germanam faciem habitumque vulgatioris, quod fructu rubro eſt, pomi omnino repræſentat, colore ſolo excepto, qui in hoc totus *luteus* eſt, ſine aliqua rubedinis tinctura. *C. Bauh.* aliam exprimit varietatem quæ *albos* profert *fructus.*

10. Solanum *pomiferum ſeu Poma amoris fructu ſtriato & ſulcato aureo, Hort. Reg. Bleſ.* Hoc quoque nihilo à cæteris diſtinctionem agnoſcit præterquam forma fructuum, qui frequenter inæquales & quaſi bini ſunt vel terni ſimul juncti, iique profundis ſtriis ſulcati. Omniumque harum ſpecierum ſemina (non enim ex eodem ſemine oriuntur) humida *pulpa* pariter occultantur. *V. icon. tab. æn.* 1.

In inſula Jamaicenſi, *aliiſque plagis calidioribus* Indiæ *Occidentalis, ſponte naſcentes reperiuntur hæ ſpecies.*

11. Solanum *maxime tomentoſum ſpinis carens Virginianum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 316. *Fig.* 1. Planta hæc procerior, *Virginiæ* alumna, *caules* edit erectos, varie brachiatos, quibus *folia* integra, nonnunquam marginibus inæqualibus paullulum ſinuata, inordinatim rarius naſcuntur, una cum ipſis caulibus, tomento candido, nulliſque ſpinis, omnino amicta. Ramuſculi *floribus* plurimis, corymbatim diſpoſitis, pallidis, *Boraginis* minoribus, acutis terminantur.

12. Solanum *Æthiopicum maxime tomentoſum, caule ſolummodo, non foliis aculeatum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 316. *Fig.* 2. Ad eundem modum quo & cæteris hujus ſortis aſſurgunt huic *cauliculi, ſpinis* rectis, rigidis, muniti. His *folia* marginibus paulliſper undulatis petiolis vix uncialibus adhærentia, inſident mollia, adeo denſa *lanugine* obſita, ut tractantibus velut è panniculo compoſita videri poſſint. *Flores* parvi, obtuſiores, è *calycibus* foliaceis quinquepartitis emergentes, *fructus* parvos orbiculares præcedunt.

13. Solanum *tomentoſum Canarienſe ſpinoſum fructu Ceraſorum forma & magnitudine, D. Pluk. Phyt. Tab.* 316. *Fig.* 3. Hujus *caules* oriuntur cubitales, *ſpinis* brevibus aduncis armati; & (quod in hoc genere obſervabile eſt) florum petiolis etiam continuantur ſpinulæ, foliorum vero *pediculi* nervique iis carent. *Folia* tenuiora quodammodo ſunt ſinuata; alia omnino plana apparent, cordiformia, & mucronata, *tomento* molli candido utrinque obducta. *Flores* ſunt parvi cærulei, pentapetaloides, racematim congeſti; quibus *fructus* ſuccedunt rotundi, læves, *Ceraſi* magnitudine, *ſeminibus* pallidis, exiguis, compreſſis, referti.

14. Solanum *annuum nigricans Virginianum ſpinoſiſſimum, late ſe ſpargens flore cæruleo, glabrum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 62. *Fig.* 3. *Solanum pomiferum fruteſcens Africanum ſpinoſum nigricans, Boraginis flore, foliis minus profunde laciniatis, ſpinis multo longioribus, majoribus & crebrioribus horridum, D. Raii Hiſt.* 1799. Hujus *ſtipites* ramulique longius diffuſi, glabri, ſpinis quamplurimis, longis, rectis, tanta crebritate obſiti ſunt, ut contigui pene videantur. *Folia Acanthi* fere in modum diviſa & inæqualiter laciniata, atrovirentia, glabra, palmaria, in coſtis nerviſque conſimilibus ſpinis ab utraque parte armata. *Flores* in petiolis pluribus racematim diſpoſiti, pentapetaloides, cærulei ſunt. E *ſeminibus* pallidis compreſſis ortum eſt; hyems vero nimis properans fructus colorem videndi copiam negavit.

15. Solanum *pomiferum fruteſcens Africanum ſpinoſum nigricans Boraginis flore, foliis profunde laciniatis, Hermanni, Hort. Lugd. Bat. Solanum ſpinoſum arboreſcens Capitis Bonæ Spei, Breyn. Faſcic.* Huic Solano ſuppingitur *radix* alba, lignoſa, perennis, longo & obliquo reptatu diſperſa. Ex hac fruticat *caulis* lignoſus, ſeſquicubitalis, ramoſus, in viridi colore nigricans, *aculeis* mordacibus undique armatus. *Folia* promit atroviridia, oblonga, profunde laciniata, *coſtis* ab utraque parte ſupparibus ſpinis obſeſſis; *flores* ad ramorum cacumina pentapetaloides, *Boraginis* facie, ex cæruleis pallentes; *baccas Pomi amoris* amplitudine & forma, primum virides, dein flavas, & ex maturitate in nigrum degenerantes colorem, foventes *ſemina* compreſſa, orbiculata, fuſca, in pulpa flaveſcente, viſcida, acri, amara, nauſeoſa & viroſa. *V. icon. tab. æn.* 1.

Ad foſſarum margines locique aliis incultis Promontorii Bonæ Spei *ſponte provenit. In hortis tam per ſemina quam ramorum circumpoſitionem vel ſubmerſionem commodiſſime propagatur.* Herman.

16. Solanum *ſpiniferum fruteſcens ſpinis igneis Americanum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 225. *Solan. pomif. Portoricenſe ſpinoſum foliis integris aureis ſpinis armatum, Par. Bat. Prod.* Ad eundem modum quo & præcedens fruteſcit, ramulique inferiore parte *ſpinis* acutis, rectis, è luteo ad igneum colorem tendentibus, æque ac foliorum petioli nervique, armati; *folia* tres quatuorve uncias longa, pollicem lata, molli lanugine tecta, in mucronem deſinentia, recta ſunt & indiviſa. *Flores petiolis* longis, è foliorum *alis* provenientibus inſiſtunt plurimi, cærulei, monopetali, flores *Boraginis* referentes. Hos *fructus* parvi rotundi, in racemulum congeſti, excipiunt.

In inſula Barbadienſi *aliiſque* Caribæis *ſponte naſcitur.*

17. Solanum *Americanum perenne ſubincanum fructu pyriformi longiore ſpinis plurimis armatum, D. Pluk. Phyt. Tab.* 225. *Caules* ſpinis horridis armantur. Folia ſatis lata, ſubincana, quercina diviſura, aſt acutiore, nervos habent ſpinoſos; *floreſque* ad *Boraginis* pene figuram accedentes. *Fructus* ſuccedunt congenerum longiores, plures eidem pediculo inſidentes, pyriformes.

Huc forte ſpectat Huitz-Tomatzin S. Tomal ſpinoſa Recchi, 108. *Aut Coabuilxochitl, ejuſd.* 371.

18. Solanum *incanum Chinenſe minus ſpinoſum floribus parvis fere umbellatis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 62. *An Zambal frutex Indianus, Zan.* 208? Hujus *caules* ſpinis quamplurimis longioribus acutis, non minus quam foliorum pediculi, muniuntur. *Folia Acanthi* diviſura prædita, latiuſcula ſunt, eorumque nervi *ſpinas* emittunt. *Flores* in ſummis caulibus exſtant plurimi *Solanorum* ritu, pentapetaloides, è quinis petalis anguliſve, aliis acutioribus conflati, quodammodo reflexi & corymbatim diſpoſiti.

19. Solanum *tuberoſum eſculentum, C. B. P. Papas Peruanorum, Eyſt. Papas Americanum, J. B. Battata Virginiana, Ger. Park. Par. Arachidna Theophraſti forte, Papas Peruanorum, Cluſ. Hiſt. Caulem* habet duorum triumve cubitorum, craſſum, anguloſum, ſtriatum, leviter hirſutum, in multos ramos infirmos, in terram, niſi adminiculo ſuſtineantur, procumbentes brachiatum; ex quorum *alis pediculi* craſſi, anguloſi, flores ſuſtinentes, prodeunt. *Flores* autem monopetali ſunt, uncialis latitudinis, quinquanguli, exterius è purpura candicantes, interius pallidiores, lineis vel radiis quinis ſubflavis vel herbaceis longius diſcurrentibus; ex quorum medio *ſtamina* flava, quina, in umbonem coeuntia, *ſtylo* prominente ſubviridi, aliorum *Solanorum* ritu exeunt. Hos *fructus* rotundi excipiunt, plures ſimul quaſi ex racemo dependentes, longis pediculis donati, quorum aliqui *parvæ nucis*, alii *Avellanæ* magnitudine, immaturi atrovirentes, maturi atrorubentes, rarius albi & ſtriati, humida & albicante *pulpa* pleni, quæ & *ſeminibus* multis parvis, planis, ſubrotundis, conferta eſt. *Folia* promit ex atris purpuraſcentia, villoſa, quæ deinde explicata viridem contrahunt colorem, alata, ex quatuor aut quinis conjugationibus, latiuſculis & ſubrotundis compoſita, quibus impar unum, reliquis majus, *alam* claudit. *Radix* tuberoſa eſt, aliquando pugni magnitudine, aliquando oblonga, aliquando minima, inæqualis, quibuſdam veſtigiis inſignita, unde germina anno ſequente emerſura ſunt, *cute* tenui fuſca aut atrorubente tecta, *medulla* ſive carne firma & alba. Ad caulis exortum *radices* plures fibroſæ, oblongæ, albicantes, per terram ſparſæ, quandoque & profunde deſcendentes, quibus & aliæ tuberoſæ *radices* adnaſcuntur; ita ut plantæ hyemem verſus erutæ, ultra quadraginta (alii quinquaginta notarunt) *tubera* diverſæ magnitudinis notaverimus; quorum majora in uſus edules ſervantur, & minora propagationis cauſa terræ committuntur. *Radices* etiam variis partibus ſectæ, ex quolibet oculo ſeu veſtigio regerminant, novæque plantæ exinde pullulant. *V. icon. tab. æn.* 1.

E Virginia, *nomine* Openauck *vel* Openawk *in* Angliam *delatum, & exinde per* Europam *ſparſum eſſe fertur. D.* Jo. Baniſter, (*qui duodecim ad minimum annorum ſpatio aerem* Virginienſem *hauſit*) *in ſcriptis ſe nunquam ibi offendiſſe, certum reddidit: an alius* Americæ *provinciæ, aut* Hiſpaniæ, *alumnum ſit necne quærendum. In hortis noſtris ſatis familiariter luxuriat.*

20. Solanum *tuberoſum Mexicanum foliis Mali Limoniæ, Xaltomatl ſeu Tomatl arenoſum, Recchi* 297. Species eſt Solani peregrina, *radice Battatæ, Aſphodelive; caulibus* multis; *foliis Limoniæ Mali*, ſed minoribus; *fructuque hortenſis Solani.* Ubique provenit (ait auctor) nec ullum refugit cœlum aut ſolum.

21. Solanum *Americanum Strychnodendro accedens fructu medio (ante maturitatem) quaſi fiſſo, D. Pluk. Phyt. An Solanum fruteſcens Braſilianum foliis Capſici, baccis rubris, Par. Bat. Prod?* In ramulos lignoſos *Strychnodendri* ſeu *Amomi Plinii* æmulos fruteſcit, & cubitalem & bicubitalem altitudinem aſſequitur. *Folia* tres unciæ partes latitudine æquant, & longitudine ſeſcunciam, ex angusto principio in medietate dilatata & in mucronem terminata, viridia, & *Amomi* rigidiora & breviora, ſine ordine cauliculis gracilibus adnata. E foliorum ſinubus *flores* prodeunt albi, parvi, *Solanorum* forma, nunc ſingulares, nunc plures in racemulum congeſti, petiolis inſiſtentes; quibus marceſcentibus, *baccæ Solani vulgaris* magnitudine, ante maturitatem, uno præſertim latere quaſi fiſſæ, maturæ vero in rotunditatem impletæ, aurantii coloris aut ex luteo in rubicundum vergentis, ſuccedunt.

Qualis terra ei ſit ſpontanea, nobis non eſt compertum. Apud nos frigoris impatiens eſt.

22. Solanum *Virginianum rubrum maximum racemoſum baccis torulis canaliculatis, Nobis. Solanum magnum Virginianum rubrum, Park. Solanum racemoſum tinctorium Americanum foliis & ſeminibus Amaranthi, Hermanni. Radicis* loco *capita* habet magna, ſummam tellurem occupantia, apophyſibus plurimis craſſis, albis, in altum & late diffuſis; unde *caules* læves, brachiali craſſitie, humanam altitudinem attingentes, in ramulos diviſi, ut plurimum rubentes, oriuntur. *Folia* his adnaſcuntur palmum & amplius lata, glabra, oblonga, *Amaranthi* figura, ſed ampliora, mollia, ad rubedinem (præſertim in autumno) inclinantia. Superioribus ramis adhærent *pediculi* longi, quibus racemulum longum ſpicamve conſtituentibus inſident *floſculi* pentapetaloides, ex albo in rubrum colorem vergentes, ſtellatim diſpoſiti. Iſtis autem dehiſcentibus, *baccæ* nigricantes circumſcriptione rotundæ, compreſſæ, in octo, novem, plus minus, ſulcos ſeu canaliculos diviſæ, totidemque *ſemina* aliquantulum compreſſa, ſplendentia, *Amaranthi* majora, continentes, *pulpa* elegantiſſimo purpuraſcenti colore tincta occultantur. *V. icon. tab. æn.* 1.

Virginienſes Poke & Pakan *appellant, folia cocta ſæpiuſcule comedentes. Nobis tranſmiſerunt ſemina, ex quibus ſatis plantæ facile luxuriant; hyemem vero rigidam radicum capita fere nuda ægre tolerant. In* Jamaica *ſponte provenit.*

23. Solanum *Barbadienſe racemoſum minus, tinctorium, Circææ foliis mollibus & incanis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 112. *Fig.* 2. *Amaranthus baccifer Indicus minor Circææ foliis & facie, hort. Beaumont.* Forte *Heliotropium Curaſſavicum Scammonii foliis mollibus ſubhirſutis, Par. Bat. Prod. Solanum racemoſum Americanum minus, D. Sloane.* Hoc quod in horto *Chelſeiano* à nobis primum obſervatum eſt, *caules* edit cubitales, *foliis* petiolis uncialibus inſidentibus, ornatos. Iſta autem è rotunda baſi in uncialem & biuncialem latitudinem extenduntur, in mucronem abeuntia, & *Circææ Lutetianæ* formam rite æmulantia, mollia, pallide virentia, breviſſima *lanugine* pubeſcentia. *Flores* ſummis ramulis innaſcentes, *ſpicam* longam tenuem conſtituunt; hi enim parvi ſunt, è petiolis gracilibus dependentes, pallidi, quinquefariam diviſi & acuti. *Fructus* nobis nondum viſus eſt, qui purpuraſcente ſucco repletus eſſe exiſtimatur.

In ſylvis Jamaicæ & Caribæarum *inſularum ubique copioſe oritur. D.* Sloane.

Solanorum racemoſorum Vires & Uſus.

Solanum vulgare *qualitatem frigidam & nonnihil aſtringentem poſſidet. Externe applicatum capitis dolores & æſtus febriles ſedat. Inflammationibus, ulceribus, & mammarum cancro medetur; ob quam facultatem* ſuccus *ipſius unguenta & cataplaſmata ingreditur.*

Quod ſpectat Solanum 19. ſeu tuberoſum eſculentum, Battatam Virginianam vulgo dictum: Radicis tubera *eſculenta, olim ab Hiſpanis in* Europam *advecta, plurimis in locis in culinares uſus propagantur, & Angliæ quibuſdam in locis frequenter in cibos veniunt, maxime vero in* Hibernia, *ubi ſortis tenuioris indigenæ, ut plurimum deſidioſi & ignaviæ dediti, his ſolis propemodum, utpote nullo fere negotio ſeu labore cultis, per magnam anni partem ſe ſuſtentant. Cibus eſt temperatus, & facilis concoctionis, bonum & ſatis copioſum alimentum præbens.*

Solani

Solani 7. Pomi amoris vulgo dicti mala *cum universa planta refrigerant, aliquanto tamen minus quam* Mandragoræ. *Poma (viz. immatura) à nonnullis cum pipere, sale, & oleo præparata ac cocta eduntur. Præbent autem corpori alimenti quidem perquam exiguum, & hoc ipsum parvum ac vitiosum.* Dod. Succus *apud* Jo. Bauhin. *commendatur incipienti epiphoræ, fluxionibusque oculorum fervidis glaucoma facturis; item erysipelatibus ignibusque sacris. Ipsa vero* poma *in oleo cocta adversus scabiem vim habent.* Oleum *arte Chymica eis extractum contra partes igne, vel alia quavis re candente ustas percommodum; idem temporibus & carpis inuctum somnum conciliat.*

Solani 15. Pomiferi fruteſcentis Africani ſpinoſi nigricantis *dicti* radicem, *quam acrem & ſubamaram deprehendi, exemplo* Hottentottorum, *ad Hydropicorum aquas per urinam educendas, ex decocto præſcripſi magno ſemper ægrotantium levamine.* Pulpam *vero baccarum virulentam reperi, inducentem capitis gravedines, torpores, dolores, furorem, denique ipſam necem. Ita* Hermannus Hort. Lugd. Bat. Cat.

PLANTÆ BACCIFERÆ

Polyſpermæ.

CAPUT II.

Solanum monocarpon fructu nudo.

Hoc Solanorum *caput ſingulari fructu nudo aut veſica incluſo donatorum, vel* annua *vel* perennia *continet, quæ quidem variis denominationibus gaudent. Annua plurima, majoribus fructibus & diverſiformibus prædita,* pomifera *dicantur, qualia* Melongena & Mala inſana, *à noxia frigidaque facultate dicta. Ex his genera ſunt plura confimilia, vel* non ſpinifera *vel* ſpinifera, *quorum variæ, annis noviſſime elapſis, ex* Indicis *aliiſque terris calidioribus, in lucem prodierunt ſpecies.*

Solana veſicaria appellantur, quod folliculi fructus continentes, *veſicæ inflatæ* ſint ſimiles: vel (ut *Plinius*) quoniam *veſicæ* & calculis proſunt. *Alkakengi* in officinis dicitur *Solanum hoc monocarpon* forte quia apud *Arabes* & *Mauros Alcaquengi* appellatur, vel forſan à corrupto *Græco* vocabulo ἀλικάκαβον· Στρύχνος· ἀλικάκαβος & φυσαλὶς *Dioſc.*

TABULA II. SECT. XIII.

Solanum monocarpon
- *nudum*
  - *annuum Pomiferum*
    1. *Fructu oblongo, C. B. P. Mala inſana, Dod. Ger. Melongena, Matth. Lob.*
       Variat fructu albo, purpureo, luteo.
    2. *Magno fructu ex albo & atropurpureo nitente, foliis & calyce ſpinoſis, D. Pl. Phyt. Tab. 226. Solan. pomif. fructu nigro ſpinoſum, C. B. P.*
    3. *Indicum fructu longiſſimo eduli, Fockii Fockii dictum Javanenſibus, Bontii.*
    4. *Fructu incurvo, C. B. P. J. B.*
    5. *Peregrinum fructu rotundo, C. B. P. J. B.*
    6. *Spinoſum fructu rotundo, C. B. P. Pomum Hierichunticum, Imperati. Chunda, Hort. Mal.*
    7. *Indicum fructu parvo rotundo corallinorubro, Scheru-Schunda, Hort. Mal. Part. 2.*
    8. *Folio rotundo tenui, C. B. P. Cachos Indorum Monardi, Lugd.*
    9. *Spinoſum maxime tomentoſum, Bocc.*
    10. *Zeylanicum ſpinoſum folio amplo incano, ad pediculum ſtrictiori, D. Pluk. Phyt. Tab. 226.*
    11. *Barbadienſe ſpinoſum foliis villoſis, fructu aureo rotundiore, Pyri parvi inverſi forma & magnitudine, D. Pluk. Phyt. Tab. 226.*
    12. *Fructu rotundo birſuto, foliis utrinque ſpinoſis & birſutis, flo. albo, Nobis. Juripeba Braſilienſ. Marcgrav. p. 89. Anaſchunda, Hort. Mal.*
        Idem Amer. flo. ex lacteo & cæruleo mixtis, H. L. B.
    13. *Indicum ſpinoſum atrovirens & undique glabrum, foliis Branchæ urſinæ diviſuris, D. Pluk. Phyt. Tab. 62.*
    14. *Fructu rotundo ſtriato duro, C. B. P. J. B. Mala Æthiopica, Dod. Ger.*
  - 15. *Fruticoſum bacciferum, C. B. P. Amomum Plinii, Ger. Lob. icon. Strychnodendron, Eyſt.*

- *vesicarium*
  - *perenne*
    16. *Vulgatius repens, Nobis. Solanum halicacabum, Matthioli. Alkakengi, Lob.*
    17. *Radice crassa Mexicanum flore luteo. Coztomatl sive Solanum pallens, Recchi, 203.*
    18. *Sinuato folio acutiore Mexicanum, Coyotomatl sive Vesicaria Mexicana, Recchi, 204.*
    19. *Flore pulchre luteo, fructu minore pendente, Bontii, 149.*
    20. *Somniferum verticillatum, C. B. P. Solanum somniferum, Matth. Dod.*
    21. *Verticillatum fructu erecto minore, Nobis. Alkakengi Mexicanum, Recchi, 296.*
  - *annuum*
    22. *Indicum erectum folio leni, Nobis. Indicum erectum, Eyst. Halicacabum Indic. rectum, Park.*
    23. *Indicum vesica tenuiore, Pee-jnota-jnodein, Hort. Mal. Tom. 10. p. 141.*
    24. *Virginianum procumbens folio lanuginoso, Nobis. Virginiense procumbens, Park.*
    25. *Indicum minimum, Hort. Lugd. Bat.*
    26. *Curassavicum Solano Antiquorum simile, foliis Origani subincanis, Par. Bat. Prod.*
    27. *Americanum caule quadrangulo, folio stramoniæ, Tomatl sive Planta actinosa, Recchi, 295.*

Solana pomifera annua.

1. Solanum *pomiferum fructu oblongo, C. B. P. Mala insana, Dod. Ger. Trag. Mala insana Syriaca, Park. Melanzana fructu pallido, Eyst. Melongena, Matth. Adv. Lob. Cam. Nila-barudena, Hort. Mal. Part. 10. p. 147. Radix fibris* annuis superficialibus est multifida; *caulis* teres, subhirsutus, pedalis, purpurascens, in *ramulos* brachiatus; circa quem *folia* erumpunt palmaria, è latitudine oblonga, in ambitu inæqualiter sinuata, obscure virentia, *pulvisculo* quodam seu lanugine velut farina albicante aspersa, pediculis crassis insidentia. Et caulis, & petioli, venæque majores foliorum purpurascunt, nonnunquam *spinulis* raris obsitæ. *Flores* pariter ac *folia*, crassis, firmis ac subinde spinosis aliquantum pediculis nituntur, forma quidem *Solani flores*, sed multo majori & radiata specie æmulantes, senis ut plurimum petalis dilute purpurascentibus *staminula* lutea, erecta, meditullii circumdantes. Postea sequuntur oblongi, ovalis magnitudinis, *fructus*, è flavis candicantes seu albidopallidi, velut in quibusdam congeneribus plantis, saturate purpurascentes, epidermide levissima, tenera, succosaque intus pulpa complectentes *semina* alba, rotunda, depressa, sinum ad latus patientia, ut in congeneribus fieri amat. *V. icon. tab. æn. 2.*

In pluribus regionibus calidioribus nascitur; fructusque (uti Cucumeres apud nos) comeduntur in acetariis. Sed apud nos raro ad maturitatem perveniunt.

2. Solanum *pomiferum magno fructu ex albo & atropurpureo nitente, foliis & calyce spinosis, D. Pluk. Phyt. Tab. 226. Solanum pomiferum fructu nigro spinosum, C. B. P. Solanum pomiferum fructu spinoso, J. B. 619. Melanzana nigra, Rawolf. Browne-jolly nostratibus dicta.* Cum proxime præcedenti convenit hoc. *Folia* frequentius plana, interdum vero sinuata & quasi dentata, quorum nervi spinis raris utrinque sunt obsiti. *Floret* ad eundem modum. *Calyx* foliaceus, ex quo fructus dependet obtusus & oblongus spinulis armatus, quales in proxime priori non observantur. *V. icon. tab. æn. 2.*

3. Solanum *Indicum fructu longissimo eduli, Fockii Fockii Javanensibus dictum, Bontii.* Hujus *folia* hirsutiora sunt & quasi lanam superinductam gerentia; *flores* aliorum congenerum similes; *fructus* longe grandiores, utpote qui cubiti longitudinem quandoque excedant, crassitudineque brachium humanum facile æquent; corticeque adeo lævi operti ut speculi modo humanam effigiem remittere possit. Pleni sunt intus *seminibus* minutis, prout contingit. *Fructus* porro in his regionibus (ait auctor) non solum sunt edules, verum etiam delicatissimi saporis, si coquantur cum vino & pipere, eundemque gustum obtinent quem & *Cinaræ* basis.

Hujus est & *alia species sylvestris fructu plane sphærico*, & ubi maturuit *flavo*, cum domesticus purpureo sit, vel grandinis instar albo, sapore amaro, ut non nisi ab Apris & Rhinocerotibus devoretur. Porro hujus plantæ *caulis* plane spinosus est, unde imprudenter non secus ac *Rubus* attingi non debet. *Bont.*

4. Solanum *pomiferum fructu incurvo, C. B. P. J. B. De hoc Rawolfius in itiner. Part. primæ Cap. 4. Halepi* reperiuntur tria genera *Melanzanorum quæ & Arabibus Melongena & Bedengia* dicuntur *cinerea, lutea, & rubella*; longitudine & curvitate longis *Cucurbitis* similia.

5. Solanum *peregrinum fructu rotundo, C. B. P. Hyoscyamus peregrinus, Dal. Lugd. Belingela, Pis. Hist. Brasil. Marcg. p. 24. Caulis* ei partim erectus, partimque procumbens, ut in prima specie, purpurascit. *Folia* lata sunt & sinuata. *Flos* lacteus est, dilute purpureis *venis* intertextus, monopetalus, in quinque *radios* congestus, cum *staminibus* in umbilico eminentibus, luteis. *Fructus* rotundus, magnitudine *sylvestris pomi*, aut etiam pomi *Colocynthidis*, lævis, splendens, exterius albicans, multis *striis* viridibus, vel etiam exterius viridis & partim purpurei coloris ornatus, ubi vero maturuerit, flavi.

Coctus cum oleo & pipere fructus comeditur; saporemque habet Citri.

6. Solanum *spinosum fructu rotundo, C. B. P. Pomum de Hiericho Melongenis congener, J. B. Pomum Hierichunticum, Imperati. Chunda, Hort. Mal.* Trium pedum altitudinem non superat. Stipites virides, *spinis* sparsi; *folia* in lacinias pauciores sinuata, in superficie parum aspera, pilis minutissimis obsita, rubescentia quoque in petiolis & costis, quodammodo spinosa; *flores* è cæruleis purpurascentes; *corcula* in medio flava; *fructus* rotundi, glabri, colore in totum flavodiluto, ac *pulpa* viridi succulenta, quæ linguam adurit ac pungit, donati.

7. Solanum *Indicum pomiferum fructu parvo rotundo corallinorubro. Scheru-schunda & Cheru-Chunda, Hort. Mal.*

Mal. Part. 2. *p.* 67. Ad altitudinem ſeſqui vel duorum pedum, ramis in latum ſparſis, aſſurgit, ejuſque *caules* ſpinoſi non rubeſcunt. *Folia* cum foliis congenerum probe conveniunt, piloſa ac aſpera nonnihil, atque ſpinoſa, paucioribuſque & minus cuſpidatis *laciniis* ſinuata. *Flores* omnino minores, dilute cærulei & ſubpurpuraſcentis coloris, *venula* albicante ſtriati. *Corculum* in medio flavum eſt. *Fructus* parvi ſunt, rotundi, glabri, arcte inferius *calycibus* ſuis comprehenſi, primo virides, tunc flavi, dein corallinorubri, quibus *ſemina* cæterorum ſeminibus conformia.

8. Solanum *pomiferum folio rotundo tenui*, *C. B. P. Cachos Indorum Monardi*, *Lugd.* Miſſum ſibi idem *Monardes* fuiſſe teſtatur plantæ ſemen, plurimæ apud *Indos* æſtimationis, *Cachos* vocatæ. Naſcitur arbuſti modo; inſigni virore prædita eſt; *folio* rotundo, & tenui. *Fructum* fert *Mali inſani* ſimilem, altera parte ſeſſilem, altera turbinatum, cinerei coloris, grati ſaporis & acrimoniæ expertis, minutum admodum ſemen continentem.

Invenitur duntaxat in Peruanis *montibus.*

9. Solanum *ſpinoſum maxime tomentoſum*, *Bocc. Solanum ſpinoſum Indicum Boraginis flore*, *Icon Roberti. Solanum foliis & caule ſpinoſis*, *D. Moriſ. Prælud. Bot.* *Radix* hujus *Solani* longe lateque prorepit. *Caulículos* promit pedales, ſubinde ſeſquipedales, *aculeis* mordacibus ſeu pungentibus frequenter armatos; *folia* per nervorum longitudinem, inferne & ſuperne conſimilibus *ſpinis* infeſta, in margine leviter ſinuata, ex utraque parte pingui *tomento* obſeſſa; *flores Boraginis* facie; *capſulas* ſeminis atque *fructus capparis* forma.

10. Solanum *Zeylanicum ſpinoſum folio amplo incano ad pediculum ſtrictiori*, *D. Pluk. Phyt. Tab.* 226. Forte *Solanum ſpinoſum pomiferum indicum*, *album*, *ſive foliis Hyoſcyami albi majoris*, *Breyn*, *Prod.* 1. *Foliis* à cæteris facile dignoſcetur hæc ſpecies; quæ ſatis lata ſunt, ſuperficie villoſa, & *ſpinulis* in nervis prædita, *laciniis* cuſpidatis paucis ſinuata, ex anguſto principio, petiolorum vice ſe dilatantia & in apicem mucronatum deſinentia.

11. Solanum *Barbadienſe ſpinoſum foliis villoſis*, *fructu aureo Pyri parvi inverſi forma & magnitudine*, *D. Pluk. Phyt. Tab.* 226. Forte *fructus Indicus Pyriformis granis intus nigris Cucurbitini generis*, *J. B.* Huc forte etiam ſpectat *Tlalamatl Recchi*, *p.* 420. Hoc Solani genus, ex Inſula *Barbadienſi* circa *Bridgetowne* collectum, nobis attulit *Jacobus Rede.* *Caules* ei ſarmentoſi, non ſolum hirſutie, ſed ſpinis acutis armati, parvi digiti craſſitudinem æquant. *Folia* pediculis longis ſpinoſis inſidentia, pariter hirſuta & ad nervos ſpinoſa, latiore baſi quam quæ congeneribus eſt prædita, in ambitu inæqualiter ſunt dentata. De *floribus* nihil comperimus. *Fructus* non è foliorum *alis*, ſed ex ipſis caulibus emergunt, de petiolis brevibus & recurvis dependentes, aurei coloris, à lata ſede rotunda in mucronem deſinentes, *pyri* inverſi figura, læves, *ſeminibus Solani* ſimilibus, rotundis, parvis, compreſſis, in *pulpa* latitantibus, referti.

12. Solanum *pomiferum Indicum fructu rotundo hirſuto*, *foliis utrinque ſpinoſis & hirſutis*, *flore albo*, *Nobis. Ana-ſchunda*, *Hort. Mal. Part.* 2. *p.* 65. Forte *Juripeba Braſilienſibus*, *Marcgrav. p.* 89. *Radix* fibroſa & capillata; *ſtipes* quatuor quinqueve digitorum ut plurimum craſſitiem æquat, ſpinoſus, piloſus ac viridis, *corculo* molli, ſubviridi in medio præditus, ad altitudinem quatuor pedum aſſurgens. *Rami* tortuoſi, & ſpinoſi tranſverſis, aculeatis, longiuſculis, albicantibus *ſpinis* denſe muniti, ac puſilla *lanugine* obſiti. *Folia* quæ petiolis oblongis craſſis, rotundis, piloſis ſeu lanuginoſis ac ſpinoſis, proveniunt in ſtipite è ramis, prægrandia ac majora quam quæ in cæteris ſpeciebus, in *lacinias* cuſpidatas majores, ſex, ſeptem, plus minus diviſa. *Coſtæ* in utraque parte foliorum ſpinis muniuntur. *Flores* qui ſupra originem foliorum atque etiam hinc inde in ramis & ipſis petiolis foliorum, petiolis brevibus proveniunt, ſunt *ſtellæ* in totum candidæ, pentapetaloides, odoris nullius. In medio *corculum* eſt flavum, in pyramidem ſe erigens, cum *ſtylo* in medietate. *Fructus* rotundi ſunt, *pilis* denſis, longis, ſurrectis, ac nonnihil hirſutis, ex albicante colore flaviuſculis, undique circundati, ac ſubaſperi, flavi coloris. Intra pulpam numeroſa *ſemina* continentur, pallida, compreſſa. *V. icon. tab. æn.* 2.

Ex ſeminibus Indicis, *è* Batavia *receptis*, *natum habemus.*

Idem etiam eſt *Americanum flore ex lacteo & cæruleo mixtis*, *Hort. Lugd. Bat.*

13. Solanum *ſpinoſum atrovirens & undique glabrum*, *foliis Branchæ urſinæ diviſuris*, *D. Pluk. Phyt. Tab.* 62. *Solanum ſpinoſum pomiferum Indicum fructu echinato*, *foliis Cardui ſive Acanthi ſpinoſi*, *Breyn. Prod.* 1. Speciоſam hanc plantam è ſeminibus ex *India* Occidentali allatis natam, in Horto Celſiſſimi Ducis *Beaufordienſis*, *Badmintoniæ*, in Com. *Gloceſtrienſi*, obſervavimus. *Caulis* ei erectus, glaber, viridis, trium quatuorve pedum altus, in ramulos aliquot divaricatus. *Folia* ampliſſima, pedalis pene longitudinis, in *lacinias* cuſpidatas & *Branchæ urſinæ* diviſura inciſa, gerit; cujus etiam latitudinem, glabritiem, mollitiem, colorem atrovirentem, pariterque ad pediculum anguſtiam obtinent. *Pediculi* nervique foliorum, ſpinis aliquot ſublutеis utrinque armantur. *Flores* pallide cærulei è *calycibus* ſpinoſis prodeunt; quibus *fructus* rotundi, pulpoſi, *ſeminibus* referti, ſuccedunt.

Altera etiam erat hujus varietas ſpecieſve, *foliis ſaturate virentibus*, conformibus, & ſpinoſis, *minoribus* tamen, in humiliore planta creſcentibus.

14. Solanum *pomiferum fructu rotundo ſtriato duro*, *C. B. P. J. B. Mala Æthiopica*, *Dod. Ger. Solanum pomiferum*, *Lob. Eyſt. Tab.* *Radix* ei annua, inutilis, fibrata; *caulis* erectus, cubiti altitudine, paullo ſupra radicem in brachia dilatatus, quem *folia* veſtiunt atrovirentia, quam reliquorum congenerum minora, in ambitu inæqualibus angulis notata, media coſta brevibus per intervalla ſpinulis inſignita. *Floſculi* in longis, recurvatis pediculis, juxta ſinus foliorum emergunt, albicantes, *Solani* ad inſtar angulares ac quandoque reflexi. Aliquot *ſtamina* media, ſublutea, coacervata in meditullio, conicam figuram conſtituunt. His ſuccedunt *fructus* toroſi, rotunditatis orbicularis, *Pomi amoris* magnitudine, colore è phœniceo hilari rubro perfuſi, in ambitu ſulcati, & *ſtriis* profundis canaliculati. Duriore pulpa quam quæ in congeneribus exiſtit includuntur *ſemina* plurima *Solani* ſimilia, rotunda, depreſſa. *V. icon. tab. æn.* 2.

15. Solanum *fruticoſum bacciferum*, *C. B. P. Amomum Plinii*, *Lob. icon. Ger. Solanum fruticoſum*, *Geſn. Tab. Solanum fruticoſum Americanum dictum Amomum Plinii*, *Park. Strychnodendron*, *Eyſt. Strychnodendros*, *J. B.* Cum hæc Planta fruticibus præ lignoſa ſua ſubſtantia aliquomodo accedat; inter eos collocari poſſe aliquandiu cenſuimus. Quum vero altera quæpiam ei conſors non detur, & floribus, fructibus, facultatibuſque adeo accurate Solanis reſpondeat, viminaque ſua herbacea, tenuia, cognationem cum hac *Solanorum* familia ſibi vindicent; propterea diſſociare haud conſultum judicavimus.

Radices ei lignoſæ ſunt, albicantes; *ſtipites* quoque lignoſi, è viridi cinereo cortice tecti, bicubitales, in ramulos plurimos, graciles, viridiuſculos, diffuſi. Circa hos crebra *folia* anguſta, ſaliginea, aut *Capſici* minoris ſimilia, ſaturato virore prædita, & in ambitu quorundam leviter quaſi circumroſa, mucronata, fortuito poſitu adhærent. *Flores* inter folia tenuibus, ſingularibus hærent pediculis, monopetali, albi, in quinque angulos acutos, *Solani vulgaris* ritu, aliquantulum reflexos, diviſi, totidemque apicibus luteis umbilicum prominentem componentibus, donati; quibus ſubnaſcuntur *baccæ*, *Corallii* ad inſtar præ maturitate rubentes, *Ceraſi parvi* magnitudine, in ſucculenta *pulpa* foventes *ſemina* ſubrotunda, parva, compreſſa, *Solanorum* ſimilia.

Julio & Auguſto menſibus apud nos floret; & autumno & hyeme hybernaculis ornamenti gratia ſervatum, fructus coccineos ad maturitatem perducit, foliaque retinet. In Madera *Inſula ubique ſponte provenit.* D. Sloane.

Solana fructibus folliculis membranaceis, veſicæ inflatæ ad inſtar, incluſis.

16. Solanum *veſicarium vulgatius repens fructu & veſica rubra, Nobis. Solanum balicacabum, Matth. Ad. Lob. Lugd. Ger. Solanum veſicarium, Dod. Solanum balicacabum vulgare, J. B. Alkakengi, Lon. Solanum balicacabum ſive Alkakengi vulgare, Park. Germinum* repullulantium ſobolem hinc & inde diffundit, *radicularum* proſerpentium ope. *Cauliculi* cubitales ſunt, è rotundis anguloſi, ſubrubentes nonnunquam, & per intervalla, quaſi nodis geniculorum diſtincti; ſecundum quos, in oblongis pediculis, naſcuntur *folia*, *Solani majoris* aut *vulgatioris* conformia, bina frequenter ſimul juncta, mollia, breviſſima lanugine tecta. *Flores* alæ illorum porrigunt, ex una baſi monopetalos, ſubalbidos, in quinque angulos dilatatos, unguis humani latitudinis; quibus delapſis, *veſiculæ* ſuccedunt turbinatæ, & per longitudinem *nervis* aliquot virgatæ, primo ſubvirides, deinde ex rubicundo colore phœniceæ, complectentes intus, ad veſiculæ baſin, *fructus* rotundos, *Ceraſorum* magnitudine, concolores, carnoſos, & pulpoſos, *ſeminibus* ſubrotundis, planis, albeſcentibus, *Solanorum* ſimilibus refertos. *V. icon. tab. æn.* 3.

In parietinis locis umbroſis, aliquantulum humentibus, quandoque circa agrorum margines, in Germania, Auſtria, & Italia *ſponte naſcitur; in* Anglia *vero in hortis alitur, in quibus importuna luxurie adoleſcit.*

17. Solanum *veſicarium radice craſſa Mexicanum flore luteo, Coztomatl ſive Solanum pallens, Recchi*, 203. Herba eſt *folia* fundens *Solani* ſimilia, cujus eſt ſpecies; *caules* fulvos, luteumque *florem*, unde nomen; *fructum* contentum in *veſicis*; *radicem* vero craſſam, longam, candentem & ſurculoſam. *Vid. icon. tab. æn.* 3.

18. Solanum *veſicarium ſinuato folio Mexicanum, Coyotomatl ſeu Tomatl Coyoti, Veſicaria Mexicana, Recchi*, 204. Herba eſt *folia* proferens *Solani* ſimilia, altera parte ſinuoſa, hirſuta, & pinguia; *caules* prælongos, quadratos, purpuraſcentes, & quaternis *ſtriis*, totidemque inſignes *dorſis*; *fructum* in *veſicis* magnis, & quinque angulorum contentum, glutinoſum, orbicularem, & parem *Nucibus Ponticis*, refertum *ſemine* exili & longiuſculo, *paleis* perſimili, initio amarum, ſed cum adoleverit dulcem atque edulem; *radicem* vero magnam & ſurculoſam. *V. icon. tab. æn.* 3.

19. Solanum *veſicarium flore pulchre luteo, fructu minore pendente, Bontii*, 149. Planta hæc nobilis circa fluminum ripas copioſe naſcitur, *floribus* donata pulchre flavis. Iſtis minores paullo, in plagis calidioribus *veſiculæ* ſuccedunt; in quibus *ſemen* continetur. *Folia* apparent recta, anguſta, *Capſici* æmula, utrinque mucronata; *veſicæ* angulares, reliquorum congenerum veſicis obtuſiores.

20. Solanum *ſomniferum verticillatum, C. B. P. Solanum verticillatum, J. B. Matth. Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Dod. Adv. Lob. Forte Solanum ſomniferum Antiquorum, P. Alp. Exot. Somniferum Antiquorum verum, Park.* Ad duorum aut trium pedum altitudinem ſubinde attollitur. *Caules* ejus craſſi, rotundi, duriuſculi, in *ramos* nonnunquam diſtributi, molli *lanugine* hirſuti, *foliis* veſtiuntur multis, ſubpinguibus, latis, oblongis, *Mali Cotonei* majoribus, alioqui ſimilibus, è regione adnatis. *Flores* ad genicula oriuntur, tres, quatuor, & interdum plures, & verticillatim diſpoſiti, pallidi, anguloſi, monopetali, caules ambiunt; quibus ſuccedunt *folliculi* membranacei, oblongi, minores, ſinguli *baccam* parvam, rotundam, rubri & ex rubro crocei coloris, *ſeminibus* exiguis refertam, continentes. *Radix* ſubeſt longa, craſſiuſcula, vivax. *V. icon. tab. æn.* 3.

Naſcentem videbat Cluſius *hanc plantam in inferiore arce urbis* Malacæ, *vulgo* Malagæ *dictæ, ad mare Mediterraneum in* Hiſpania *ſitæ, loco petroſo & inter rudera. Frigus apud nos agre patitur.*

21. Solanum *veſicarium verticillatum fructu erecto minore, Alkakengi Mexicanum, Recchi. Caulis* ultra cubitalem altitudinem exſurgit, viridis, rotundus, lignoſus. *Folia* non longe ab *radice* per totum caulem, longo pediculo adnaſcuntur, admodum *Peti minoris* ſimilia, viridia, craſſa; & ex quavis ala nova foliorum ſoboles enaſcitur. Longitudo internodii eſt duorum digitorum. Ex *alis* ſuperioribus *floſculi* multi, exigui, pallidi, prodeunt, pediculo breviſſimo, ut adnati videantur. Inde *veſiculæ* ſequuntur, ſimiles noſtræ *veſicariæ*, quoad figuram & colorem, ſed minores longe; nec enim *Avellanæ* magnitudinem aſſequuntur: hæ caulem totum quaſi circumſtant. *Baccæ* veſiculis incluſæ, *Piſum cordatum* æquant magnitudine, ſed rubent, noſtræ *Veſicariæ* ſimiles; ſapor non ita gratus, ſed longe amarior. *Semina* alba, plana, renibus ſimilia, ut in noſtro *Alkakengi, Recchi*, 196. *V. icon. tab. æn.* 3.

Præcedenti multum accedit. Conſimile ſi non idem è Virginia *tranſmiſſum eſt.*

22. Solanum *veſicarium Indicum erectum folio leni, annuum, Nobis. Halicacabum Indicum erectum, Park. Solanum veſicarium Indicum, C. B. P. Solanum ſive Halicacabum Indicum, J. B. Caulem* habet geniculatum, anguloſum, ſeſquicubitalem, in multos *ramos* diffuſum; *folia Solani vulgatioris*, viridia, aſt anguſtiora, glabra, in ambitu parum laciniata; *florem* quinquangularem, ex albido luteum, cujus meditullium purpurea *ſtamina*, cum nigricantibus & cæruleis apicibus, & fundum *maculæ* quinæ nigricantes vel purpuraſcentes occupant. *Veſiculæ* quoque *vulgaris Halicacabi* ſunt ſimiles, ſed plane virides, acutiores, & obſoletum quandoque purpureum colorem impreſſione ſolari excipientes. Intus *baccæ* grandes ſervantur, & frequenter ubi plene maturuerint capacitatem veſicæ ad rupturam uſque implentes. *Semina* parva, aliorum ſimilia ſequuntur. *V. icon. tab. æn.* 3.

23. Solanum *Indicum veſicarium veſica tenuiore, Pee-jnota-inodein, Hort. Mal. Part.* 10. *p.* 141. Rami ſurrecti,

ſurrecti, altitudinem trium pedum excedunt. *Folia* latiora, in mucronem definentia, oblongiora, denſius ſunt capillata, & longioribus *pilis* obſita. *Flores* parvi ſunt, ad fundum interius in orbem, quinque notis rubrofuſcis ſignati. *Folliculi* ſtrictiores; *baccæ* minores, *ſeminibus*, ſed aliquantulum minuſculis repletæ.

24. Solanum *veſicarium Virginianum procumbens annuum folio lanuginoſo, Nobis. Halicacabum ſive Alkakengi Virginienſe, Park. Camaru herba, Marcgrav.* 120. *Piſ. Hiſt. Braſil.* 223. *Inota-inodien, Hort. Mal. Part.* 10. *p.* 139. E *radice* inutili, fibrata, annua, *caulis* oritur ſatis craſſus anguloſus, nodoſus, viridis, *pilis* albis veſtitus, qui in multos ſe expandit ramos, itidem nodoſos, qui & ramulos profundunt reclinatos, ut plurimum binos ſibi oppoſitos. Ad nodos *folia* enaſcuntur duo vel tria, dilute viridia, ad tactum mollia, longis pediculis innitentia, figura fere cordis, craſſo modo in ambitu dentata. Ad exortum foliorum, in proprio pediculo, ex thecula rotunda, prodeunt *floſculi* parvi, pallide flavi, unica quidem parte conſtantes, ſed in quinque angulos expanſi. Intra florem ſunt quinque *maculæ* purpureæ, quaſi ungues, & quinque *ſtaminula* itidem purpurea. *Floſculi* ſe claudentes, *ſtellam* quinquangularem accurate referunt; poſt quos ſequitur *fructus* pallide flaveſcens, *Ceraſi* magnitudine, *folliculo* pallido, anguloſo, breviore & tumidiore, incluſus. Pediculi fructus haud ita longus, ac vulgaris, atque itidem purpureus. *V. icon. tab. æn.* 3.

25. Solanum *veſicarium Indicum minimum, Hermanni, Hort. Lugd. Bat. Cauliculi* dodrantales, tenues, glabri, crebros in ramos diducti, media ſui parte humi ſunt procumbentes. *Folia Solani vulgaris* ſimilia, ſed multo minora, atroviridia, acuminata, in margine aliquando integra, nonnunquam leviter crenata. Ad horum ſinus prodeunt ſubinde in cauliculis quinquifidis *flores* parvi, pallide flaveſcentes, monopetali, in quinque angulos acutos diſſecti, & ad fundum fuſcis *maculis* inſcripti. Hos excipiunt *veſiculæ* herbaceæ, anguloſæ, minores; quibus includitur *bacca* concolor referta *ſeminibus* depreſſis, pallidis, in *pulpa* virenti, acri & amara. *Collectum ex incultis ſordidis aridis* Malabaræ & Zeylonæ, *in hortum invexit D.* Hermannus, *ubi ex ſeminibus deciduis quotannis propagatum eſt.*

26. Solanum *veſicarium Curaſſavicum Solano antiquorum ſimile, foliis Origani ſubincanis, Par. Bat. Prod.* Huic *ramuſculi* ſunt plurimi tenuiores, nunc erecti, nunc reclinati; quibus *folia* inferius adhærentia modice ſunt ſinuata; alia ſubrotunda, integra, *Origani* foliis conformia. *Flores* ſunt pallidi, aliorum congenerum minores, quinis maculis purpuraſcentibus ad umbilicum notati; quibus *veſicæ* minores obtuſæ, *fructum* ex viridi luteum, acinis plurimis exiguis, compreſſis, repletum, includentes ſuccenturiantur.

In horto Honoratiſſ. D. Vicecomitis de Falkland *aſervatum eſt.*

27. Solanum *veſicarium Americanum caule quadrangulo, folio Stramoniæ minori, Miltomatl Recchi*, 295. ubi & aliæ numerantur ſpecies. *Tomatl* ſeu Planta acinoſa inter *Solani* ſpecies connumerari poteſt. *Folia* apparent latiuſcula, in ambitu *laciniis* paucis *Stramoniæ* in modum ſinuata. *Fructus* jucundi ſunt aſpectus, qui adeo intumeſcunt, ut nucibus Juglandibus paullo ſint majores, primo virides, in pallidum tandem colorem degenerant, veſicamque diloricant. *V. icon. tab. æn.* 3.

De aliis Solanis dictis Annotatio.

Solanum *lethale, Dod. Ger. Park. Manicum multis. Melanoceraſos, C. B. P. &*
Solanum *ſomniferum, C. B. P. Solani lethalis aliud genus, Dod.* Cap. 4. quærenda ſunt.

Solanum *quadrifolium bacciferum, C. B. P. Herba Paris, J. B.* & aliæ congeneres plantæ tryphyllæ: cum nec floribus, nec ſeminibus nec habitu cum Solanis genuinis conveniant, ad caput quartum rejiciuntur.

Solanum *ſcandens ſive Dulcamara, C. B. P.* Cum planta ſit lignoſa, ſcandens, ad *Suffrutices* bacciferos potius accedit; ſi quis vero hiſce ſuis congeneribus conjungere voluerit, ipſe non multum refragabor.

Solanum *pomo ſpinoſo rotundo & longo, C. B. P. Ejuſque varietates, &*
Solanum *Mexicanum flore magno, C. B. P. Mirabilia Peruviana, Ger.* Quoniam nullam omnino cum *Solanis* affinitatem habent, nec cum aliis plantis *Europeis*; ad Heteroclytas ablegandæ ſunt.

Vires & Uſus.

Mala inſana *quod ſpectat:* fructus virides *cocti, & conditi* (*ſicut & Malorum Æthiopicorum dictorum*) *nonnullorum menſis apponi feruntur, ſed utrorumque fructus ut nociva ac prava alimenta à medicis condemnantur.*

Solanum veſicarium Alkakengi & Halicacabum dictum, *haud pluſquam mediocriter frigidum & ſiccum cenſetur. Tam* folia *quam* fructus *ignibus ſacris convenientiſſime illiniuntur. Ægilopas, capitis dolores, tuſa atque impoſita ſanant. Succus gallinarum cortalium fimo ſubactus & linteolo appoſitus Ægilopis præſentaneo eſt remedio.*

Celebre remedium eſt adverſus nephriticos dolores & calculoſos affectus; vias urinarias lubricat; calculos & arenulas educit; renibus exulceratis ſanandis confert; urinæ acrimoniam temperat; ſtranguriam & dyſuriam tollit; proinde multis compoſitis medicamentis quæ ad jecur, veſicam, & renes accommodantur, miſcetur. Quod fructus *cieat urinas tam notum eſt ruſticis* Palatinis (*inquit* Caſp. Hofm.) *ut totos manipulos geſtent & avide devorent. In vino infuſus aut ſero lactis decoctus aſſumptus, adverſus morbum Regium efficaciſſimus exiſtimatur*, Dioſc. *Auctore. In pulverem etiam redactus & ex vino albo aut Juniperino hauſtus, ad urinam evacuandam, ac hydropicos, ictericos, podagricos & colico dolore laborantes auxiliandos, valde proficuus eſt. Ad morbum articularem ſedandum & per urinam educendum, à multis laudatur. Sed de his plura apud* D. Soame.

Solanum 20. viz. ſomniferum verticillatum, C. B. P. *baſce virtutes poſſidet.* Radicis cortex, *auctore* Dioſc. *in vino potus, drachmæ pondere, vim habet ſomniferam, opio tamen mitiorem.* Fructus *valde urinam ciet; unde corymbi numero duodecim hydropicis exhibentur, plures enim mentis alienationem faciunt.*

Solanum 21. Alkakengi Mexicanum dictum quod ſpectat: Radicis *amariſſimæ pulvis ad drach.* 1. *unciis* 4. *vel* 5. *aquæ frigidæ potius quam tepidæ injectus, & ventriculo jejuno, vel ſub noctem à non cænato hauſtus, movet corpus κάτω & quandoque ἄνω, duratque aliquando* 4. *vel* 5. *dies, donec viz. morbus tollatur. Sic tollit obſtructiones, morbos ventriculi, ejuſque dolores; auxiliatur morbis matricis; calculum veſicæ rumpit; doloribus colicis & iſchiadicis ſubvenit, movet edendi appetitum; juvat & facilem reddit partum. Poteſt infantibus unius anni exhiberi: nam pharmacum eſt ſeciriſſimum. Hæc & plura vide ſis in* Hiſt. Mex. p. 296.

PLANTÆ

PLANTÆ BACCIFERÆ

Polyſpermæ.

CAPUT III.

Solanum urens Capſicum dictum.

CÁpſicum *Gr.* Καψικὸν *dicitur a* Κάπτω *mordeo, quod* ſemen *comeſtum mordeat, imo adurat ſua acredine,* Plin. Piper Indicum *nominatur, eo quod tam ſemen quam ipſa cutis* Piperis *ſaporem & acrimoniam præ ſe ferat.* Siliquaſtrum *porro audit, quod ob* Piperis *ſaporem* Piperitidis *nomine donatur.*

Utrum *Solanum* ſit proprie dictum necne, in dubium à nonnullis trahitur; *flores* vero albi, pentapetaloides, umbilico ſuo prominente luteo, id minime diffitentur; foliaque haud multum. *Fructus* quoque parum abludit, aſt diverſiformis, nunc longus, iſque rectus vel dependens, craſſus vel gracilis, rectus vel incurvatus, brevis, latus, cordiformis, rotundus vel major vel minor; colore variatur, utpote vel *viridi, ſubniger, ruber, rutilus, ruſſus, croceus, flavus* & rarius *albus; ſemina* continet albicantia, compreſſa, plurima, dum immatura, *membranulis* humidis & pulpoſis nutrita; perfecta tamen ſicciora videntur, *cute* membranacea & coriacea tecta: quæ æque ac ſemina, mordaci facultate prædita eſſe, guſtanti facile deprehenduntur.

TABULA III. SECT. XIII.

Solanum urens Capſicum dictum, ſiliqua

propendente

rubra ſive

1. *Piper Indicum vulgatiſſimum, C. B. P. Piper Indicum medium, Eyſt.*
2. *Piper Indicum maximum longum, Eyſt.*
3. *Minus 3. Recchi, 136.*
4. *Gracili longa Corallii coloris, Tzinquahuyo 5. Recchi, 136.*
5. *Longa ampliore & dulciore Mexicanum, Teſochilli 6. Recchi, 136.*
6. *Piper Indicum ſiliquis oblongis recurvis, C. B. P. Cluſ. Cur. poſt.*
7. *Siliquis recurvis minus, Eyſt.*
8. *Piper Indicum longum ventre tumido, ſiliqua per ſummum tetragona, S. B. Par.*
9. *Piper Indicum ſiliquis rotundis, C. B. P.*
10. *Siliqua lata rugoſa, C. B. P.*
11. *Mali Æthiop. fruct. magno ſtriato.*
12. *Siliqua cordata, C. B. P. Eyſt.*
13. *Siliqua olivari, Cluſ. Cur. poſt.*
14. *Siliqua rotunda Ceraſorum forma, majus & minus, Cluſ. Cur. poſt.*
15. *Piper Indicum Pomi amoris forma, C. B. P. Rotundum maximum, Eyſt.*
16. *Piper Indicum fructu aculeato majus, C. B. P. 9. ſive roſtrum Strobili, Recchi, 137. Idem minus, C. B. P. 10. ſive roſtrum paſſerinum, Recchi. Rotundum aculeatum, Eyſt.*

flava ſive

17. *Piper Indicum ſiliqua flava oblonga, Eyſt.*
18. *Lata.*
19. *Ovali figura.*

erecta

annuum ſive

20. *Piper Indicum ſiliquis oblongis, C. B. P.*
21. *Pyramidale majus, C. B. P.*
22. *Minus, C. B. P.*
23. *Exiguum. Cluſ.*
24. *Siliqua bifurcata, C. B. P.*
25. *Siliquis rotundis, C. B. P.*
26. *Rotundum max. obtuſum, C. B. P.*
27. *Rotund. minus parum acuminatum, C. B. P.*
28. *Cordatum majus & minus, C. B.*
29. *Siliquis Ceraſi forma, C. B. P.*
30. *Piper Indicum caule piloſo, flore majore, C. B. P.*

perenne

31. *Piper Indicum ſiliqua erecta olivari, Hort. Reg. Par.*
32. *Piper Barbadienſe fructu Berberidis.*
33. *Braſilianum fructu minimo ſubrotundo, Cluſ. Cur. poſt.*

Capſica ſiliquis propendentibus.

1. Solanum *urens Capſicum dictum ſive Piper Indicum vulgatiſſimum, C. B. P. Piper Indicum ſeu Calecuticum ſive Piper ſiliquaſtrum, J. B. Capſicum Cluſ. in Monard. Axeì ſive Capſicum Monardi. Chilli ſive Piper Indicum ſiliquoſum,*

ſiliquoſum, Recchi, 134. *Piper Indicum medium, Eyſt.* E *radice* gracili, annua, ac fibroſa, *caulis* aſſurgit pedalis & cubitalis, (in calidioribus regionibus bicubitalis & altior) viridis, anguloſus, erectus, ac in multa *brachia* diviſus. *Folia* longis ſubnixa pediculis, crebra, integra, viridia, glabra, Solani vulgaris longiora, magiſque acuminata, marginibus æqualibus prædita, incondito ordine eundem conveſtiunt. *Flores* ſingulatim paribus pediculis, nunc è ramuſculorum angulis, nunc è foliorum alis prodeuntibus, nituntur, parvi, è quinis *petalis* albis, ut plurimum ſtellatim diſpoſitis conſtructi, *umbilicum* in medio prominentem, plerumque flavum, interdum vero herbidum, circumdantibus. Iſtis ſubjiciuntur *fructus* digiti humani longitudine, propendentes, & *ſiliquarum* ſpeciem monſtrantes, Corallii colore & nitore reſplendentes, coriaceo cortice velati; in quorum medio nervis humidis & carnoſis affiguntur glomeratim longo ordine *ſemina* plurima, compreſſa, è flavis palleſcentia, *guſtu Piperis* acri, quali eſt & ipſa *ſiliqua*; totaque planta eodem ſapore non deſtituitur. *Fructus* nonnunquam *lutei coloris* conſpiciuntur. *V. icon. tab. æn.* 2.

Ob uſus quotidianos domeſticos apud Indos *frequenter ſeritur; & orexi excitandæ, commendandiſque ferculis ſuppetias fert, adeo ut nullam ſit reperire menſam ſine* capſico: *unde fit ut in noſtrum orbem transferatur, ibique & in hortis, & in vaſis fictilibus, ornamenti gratia ſeratur.*

2. Piper *Indicum longum maximum, Eyſt.* Facies & habitus herbæ (uti & aliarum inferius explicandarum ſpecierum) primum genus æmulatur, niſi quod hujus *fructus* omnium longiſſimus, deorſum ſpectans, ac in mucronem ſubinde recurvatum cogatur, qui ſi recta propendet figura, *hinnuli* potiſſimum *cornu* refert, auctore *Cluſio*. *V. icon. tab. æn.* 2.

3. Capſicum *ſive Piper Indicum oblongum minus* 3. *Recchi.* Fructuum parvitate à proxime ſuperius explicato præcipue dignoſcitur. Huic ſimile videtur *Milchilli* 7. *Recchi*, 136. *Capo-Malago, H. Mal. Part.* 2. *Fig.* 56.

4. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliqua longa gracili Corallii coloris, Tzinquahuyo* 5. *Recchi*, 136. Montanum eſt; vocatur ab *Haitinis* ob ſimilitudinem formæ & coloris *Corallium*; gracile eſt & quinque digitos longum.

5. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliqua longa ampliore & dulciore Mexicanum, Teſochilli* 6. *Recchi* 136. *Maſſeum* item à mollitie vocatur. Longum & amplum eſt, particeps dulcedinis, rubri coloris, atque adeo mitis acrimoniæ, ut cum placentis ex *Indico* tritico paratis mandi conſueſcat; multumque & optimum exiſtimatur ab Indis ſuppeditare nutrimentum.

6. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliquis oblongis recurvis, C. B. P. Piper Indicum ſiliquis recurvis, Cluſ. Cur. poſt.* Hujus plantæ naſcendi modus ab eo qui præcedentibus competit haud diſcrepat; *fructus* tamen ſatis longus & craſſus, rubicundi coloris, dependens, *mucronem* habet recurvatum; totaque *ſiliqua* falcata eſt. *V. icon. tab. æn.* 2.

7. Capſicum *ſive Piper Indicum minus ſiliquis recurvis, Eyſt. Capſicum recurvis ſiliquis, Dod. Parvitate* tantum & *gracilitate*, & *ſiliquarum* ſurſum verſus recurvatarum *figura* à proxime ſuperius explicato diſtinguitur.

8. Capſicum *ſive Piper Indicum longum ventre tumido, ſiliqua per ſummum tetragona, Schol. Bot. Par.* Inter ampliora numeretur hoc *Capſicum*, cujus *fructus* longus, non acuminatus, ut in præcedentibus, ſed ventre quaſi inflato tumido donatus, in tres quatuorve partes ſulcoſve diviſus, conſpicitur, aurei coloris.

9. Capſicum *ſive Piper Indicum propendentibus ſiliquis rotundis, C. B. P. Piper Indicum ſeu Siliquaſtrum fructu propendente rotundo, Cluſ. Cur. poſt.* Ubi Cl. auctor varias ſpecies à Patre *Gregorio de Regio* Fratre *Capucino* receptas exhibet; inter quas numeratur hæc, quæ foliis & floribus ab aliis non dignoſcitur: ſed in *fructibus* orbiculatis, corallini coloris, juglandis fere magnitudinis, diſcrimen facile cernitur.

10. Capſicum *ſeu Piper Indicum ſiliqua lata ac rugoſa, C. B. P. Lob. Cluſ. Cur. poſt. Fructum* gerit inſtar *veſicæ* rugoſæ, aliquantulum latum & longum, nec ullam *cordis* formam refert. Ruber autem is fructus eſt, non ingrati odoris, utpote qui *Iridis ſylveſtris* minoris, ſive *Armeniaci Mali* odorem referat.

11. Capſicum *ſive Piper Indicum latifolium Mali Æthiopici fructu magno ſtriato, D. Pluk. Phyt. Tab.* 227. Brachiali *caulis* altitudine exſurgit. *Folia* aliorum cogenerum foliis conformia, latiora tamen ſunt; *fructus* ſatis amplus, orbiculatus, compreſſus, binas uncias latus, *Solani* aut *Mali Æthiopici* in modum profunde ſulcatus, ut pileum cauſiamve nexam perſpicue referat, unde *Bonnet Pepper* noſtratibus dictum eſt.
Non ſolum ex Inſulis Bermudenſibus & Barbadienſibus, *ſed ex* Aleppo *etiam recepimus.*

12. Capſicum *ſeu Piper Indicum ſiliqua cordata, C. B. P. Cluſ. Cur. poſt. Eyſt. Foliorum* & *caulis* ſpecie orbiculatum ante poſitum refert. *Fructus* coriaceus è maturitate rubedinem contrahit, & oblongam *cordis humani* figuram affectat. *Seminum* parvitas à cæteris leviter variat. Eſt & majus & minus. *V. icon. tab. æn.* 2.

13. Capſicum *ſiliqua olivari, C. B. P.* Hujus *fructus* formam *olivarem* ſortiuntur, unde & nomen inditum. Et ad *ſextam* Siliquaſtrorum rotundiorum propendentium ſpeciem, à *Cluſ.* è tractatu *Patris Gregorii* mutuatam & delineatam, rejiciendum videtur.

14. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliqua rotunda Ceraſorum forma, C. B. P. Piper Indicum ſiliquis rotundis propendentibus parvis, Eyſt. Folia* proxime ſuperius explicati foliis paullo minora & anguſtiora ſunt. *Caulis* longitudine & forma nihil cedit. *Fructus Ceraſum* vel *Amomum Plinii* ſeu *Strychnodendron* æmulantes, poſt virorem demum rubedinem induunt. *Eſt & majus & minus. V. icon. tab. æn.* 2.

15. Capſicum *ſeu Piper Indicum Pomi amoris forma, C. B. P. Piper Indicum rotundum maximum, Eyſt.* Hæc ſpecies *folia* parva primo provenientia cito relinquit, & latitudinem quandam ſuccedentia obtinent; crebra etiam ſunt & faſtigiata, ſine ordine cauli inſidentia. *Fructus* infra *pomorum aureorum* amplitudinem, rotundi, rimis paucis ſeu ſulcis diſtincti, deorſum penduli, primum virides, & poſtmodum ſub maturitate grato rubore corallii nitorem affectantes.

16. Capſicum *ſive Piper Indicum fructu aculeato majus, C. B. P. Piper Indicum rotundum aculeatum, Eyſt. Piper Ind.* 9. *ſive Roſtrum Strobili Recchi*, 137. A ſuperioribus differt ſaltem *fructu* rubro ſubrotundo, dependente, & inferius in innoxium quaſi *aculeum* ſeu ſtamen abeunte. *V. icon. tab. æn.* 16.
Eſt & hujus *minor ſpecies*, quæ Roſtrum paſſerinum à *Recchio* nominatur; cujus *fructus* parvus ſphæricus ruber *aculeum* tenuem jam ſupra explicati ſimilem è centro exſerit: alioquin nullum agnoſcit diſcrimen.

17. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliqua flava vel aurea oblonga, Eyſt. C. B. P.* Cum eo quod *medium* ſeu *vulgatiſſimum* nuncupatur, plantæ habitus ac *ſiliquarum* terram verſus ſpectantium congruit; præter coloris flavedinem, quam *Cl. Cluſ. in Scholiis ad Monard. Simplic. Orient. Hiſt. fol.* 341. in omnibus generibus ſe obſervaſſe confirmat.

18. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliqua flava lata, C. B. P. Piper Indicum aureum latum, Eyſt.* *Fructu* ſiliquato, coriaceo, latiore & vegetiore, de promiſſioribus *pediculis* dependenti, atque ad aureum colorem inclinante, quo *Aurantia mala* probe matura refert, à proxime priore variat: alias nulla diverſitas inſignis notari poteſt.

19. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliqua flava ovali, C. B. P. Piper Indicum ſiliquis flavis, Eyſt.* Nomen fructus formam indicat; nec aliud ullum à cæteris diſcrimen agnoſcit.

In Inſulis Caribæis, Maderis, *aliiſque occidentalibus calidioribus plagis ſponte naſcentes reperiuntur variæ iſtæ ſpecies à* 12. *huc uſque incluſive expoſitæ.*

Capſica ſiliquis erectis.

20. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliquis ſurrectis & oblongis, C. B. P. Piper oblongum erectum, Cluſ. Cur. poſt. Piper Indicum medium longum erectum, Eyſt. Siliquæ* inter longos fructus mediam ferme habent magnitudinem, & mucrones ſurſum ſpectantes. Folia, flores, & ſemina, nihil diſcrepant. *Vid. icon. tab. æn.* 2.

21. Capſicum *ſive Piper Indicum pyramidale majus, C. B. P. Piper oblongum erectum pyramidale majus, Cluſ. Cur. poſt. Caulis* multifariam brachiatur. *Fructus* tres aut amplius digitos tranſverſos longus, latiore baſi quam quæ in congeneribus deprehenditur, in mucronem ſurrectum & ſurſum verſus ſpectantem aſſurgit, initio viridis, deinde ruber. *Vid. icon. tab. æn.* 2.

22. Capſicum *ſive Piper Indicum pyramidale minus, C. B. P. Cluſ. Cur. poſt. Fructus* pyramidis forma, dimidia ex parte minor quam præcedentis, non adeo mucronatus exiſtit.

23. Capſicum *ſive Piper Indicum pyramidale minimum, Eyſt. Exiguum pyramidale, Cluſ. Cur. poſt. Folia* minora & anguſtiora, *Amomi Pliniani* foliis proxime reſpondent. *Flores* ſunt parvi. *Capſulæ* graciliores, præ maturitate rubentes, ſurſum ſpectant, vix tranſverſum digitum longitudine ſuperantes, parva *ſemina*, priorum conformia, continentes.

24. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliqua bifurcata, C. B. P. Piper Indicum bifurcata ſiliqua, Eyſt.* *Foliis* & facie primo reſpondet; ſed *fructu* ſurſum erecto, longo, craſſiore, qui ſuperius in obtuſum apicem nonnunquam bifurcatum, & ſubinde pluribus tuberculis ſeu ſulcis diſtinctum abit, diſcrimen agnoſcit. *V. icon. tab. æn.* 2.

25. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliquis ſurrectis rotundis, C. B. P. Piper rotundum majus ſurrectum, Cluſ. Cur. poſt. Piper Indicum maximum rotundum erectum, Eyſt.* Folia mediam magnitudinem obtinent. *Flores* congenerum plantarum ſimiles ſunt. *Fructus* amplitudine quodammodo *Piperis Indici maximi rotundi* deorſum penduli fructui cedit, ac cœlum verſus à pediculo ſuo erigitur, initio virore & lævore placens, & poſt maturitatem rubedine, *ſemina* cognatis generibus competentia intra ſe fovens. *V. icon. tab. æn.* 2.

Huc ſpectant varietates proxime ſequentes, quas utpote ſola fructuum forma diſcrepantes, ex proprio cuique titulo facile exploratas habueris. Sunt autem

26. Capſicum *ſive Piper Indicum maximum obtuſum, C. B. P.*
27. Capſicum *ſive Piper Indicum minus parum acuminatum, C. B. P.*
28. Capſicum *ſive Piper Indicum cordatum, majus & minus, C. B. P.*
29. Capſicum *ſive Piper Indicum ſiliquis Ceraſi forma, C. B. P.*
30. Capſicum *ſive Piper Indicum caule piloſo, flore majore, C. B. P. Piper Indicum caule pilis albis pradito, Cam.*

31. Capſicum *ſive Piper Indicum perenne ſiliqua Olivæ magnitudine & forma.* In fruticem bicubitalem adoleſcit, & ramulis tenuibus *Strychnodendri* ſimilibus ſe ſpargit. *Folia* aliorum hujus familiæ foliis anguſtiora, iſtius non abſimilia ſunt; *flores* etiam conformes. *Fructus* uncialis & ſeſcuncialis longitudinis, *olivarum* formam exprimentes, rubri coloris, ſurſum ſpectant, hybernaculaque hyeme ornant. *Folia* non decidunt, neque perit *radix*, ut in cæteris, ſed per multos annos durat.

In horto Batavico Fageliano *primum quod ſcimus cultum fuit; poſtea vero in horto Viri Rev. D. D.* Uvedale *Botanici peritiſſimi* Enfeldiæ *in* Mediorum Saxonum *Comitatu adſervabatur.*

32. Capſicum *ſive Piper Barbadienſe fructu Berberidis acerrimo. An Capſic. Amer. perenne fructibus oblongis erectis minimis rubris, H. Beaumont?* Hæc ſpecies quam ex Inſula *Barbadienſi* recepimus, perennis eſt, & ſubſtantiam lignoſam adipiſcitur; *viticuli* tamen tenues & *folia* conſpiciuntur anguſta & mucronata. *Fructus* dilute rubri coloris, parvi ſunt, in mucronem acutum abeuntes, & fructum *Berberidis* magnitudine vix ſuperantes. Forte *Piper ſiliqua parva Braſilian. J. B.* 944. *In Inſulis* Caribæis *aliiſque plagis calidioribus, in ſylvis & ſepibus paſſim reperitur.*

33. Capſicum *ſive Piper Braſilianum fructu erecto è rotundo oblongo minimo, Cluſ. Cur. poſt. Capſicum minimis ſiliquis, Dod. Pimienta de Braſil, Monardi. Capſic. arboreſcens Orientale fructibus oblongis parvis erectis, P. B. P. Caulis* erectus in cubitales *ramulos* dividitur, gracilior tamen quam vulgaris. *Folia* haud multum anguſtiora ſunt; *flores* conſimiles; quibus decidentibus, ſuccedit *fructus* exiguus, ruber, ovalis figuræ, continens multa ſemina plana, exigua, acerrima. Toto anno flores & fructus profert.

Hoc forte idem eſt quod nomine Haw Pepper & Curran Pepper *ex Inſula* Barbadienſi *æque ac* Canarienſi *habemus comparatum.*

Temperamentum

Temperamentum & Vires.

Summam acrimoniam & ſupra modum excalefactoriam vim habet, & raro in Europeis *officinis admittitur.* Americani *indigenæ & inter illos degentes* Europei piperitide *frequenter ad ciborum condimentum utuntur, vimque habere volunt ad frigidum ventriculum corrigendum; & faciles concoctiones promovendas; ad flatus diſcutiendos; orexim excitandam, &c.* Hernandez in Hiſt. Mex. *tum vires, tum ex immodico uſu incommoda enarrat. Siquis vero plura deſideret de noxiis qualitatibus, de* filiquarum *præparandi modo, quo corrigantur & innoxiæ fiant, & de ipſis denique facultatibus ad plenum traditis: adeat elegans commentariolum quod Latinum fecit* Car. Cluſius, *& in* curas poſteriores *tranſcripſit.*

PLANTÆ BACCIFERÆ

Polyſpermæ.

CAPUT IV.

Solanis affines Plantæ. Mandragora, Strumum Solanum lethale Belladonna dictum, Herba paris, iiſque affines, & Coilophyllum Americanum.

PLantæ hoc Capite contentæ Solanorum fructum *quadantenus æmulantur;* floribus *vero habituque omnino diſſidentibus accuratius perpenſis, inter genuina* Solana *non eſt cur deputemus.*

Μανδραγόρας ἢ ἀντίμηλον ἢ Κιρκαία Dioſc. *l.* 4. *c.* 76. Mandragora *quod ad* mandras *pecorum aliaſque ſpeluncas provenit;* Pythagoræ *ἀνθρωπόμορφον dicitur, à radicibus, quæ* humanum *truncum & artus nonnihil referunt; quæque implexæ crura bina & clunes quaſi diſpertitos oſtentant.* Strumum *à foliorum facultate, ſtrumis ac tumoribus diſſipandis idonea dicitur.* Solanum lethale *ab effectu ſomnifero vulgo appellatur.* Belladonna *etiam nuncupatur, quia mulieres ex eo fucum conficiunt, quo faciem oblinunt, ad rubedinem tollendam & pulchritudinem quandam conciliandam. Hanc* Theophraſtus *cum* Mandragora *conjungere videtur; cui quidem facultatibus reſpondet. Solano* congener tetraphyllum, Nobis. Herba paris, J. B. *& vulgo dictum.* Caule *ſuo erecto indiviſo; foliis quaternis horizontaliter diſpoſitis; & bacca ſimplici in medio ſe erigente, facile dignoſcitur.* Triphyllum *etiam datur.* Coilophyllum ἀπὸ τῆς κοιλότητος τῦ φύλλυ, i. e. *à cavitate folii Plantam quandam* Americanam *nominare placuit. Hujus folia, floribus fructibuſque deſtituta,* Cluſius *accepit, &* Limonio congener *appellavit.*

TABULA IV. SECT. XIII.

- *Mandragora*
  1. *Mas, Dod. Trag. Mandragora fructu majore, C. B. P.*
  2. *Fructu rotundo minore, Nobis. Mandragora flore ſubcæruleo purpuraſcente, C. B. P. Fœmina, Cluſ. Hiſp. & Hiſt.*
  3. *Fructu Pyri, C. B. P. Mandragoras fœmina, Trag. Matth. Dod.*
- *Strumum ſeu Solano congener flore campanulato*
  4. *Vulgatius latioribus foliis, Nobis, Solanum lethale, Dod. Ger. Cluſ. Solanum μελανοκέρασος, C. B. P. Belladonna, Cluſ. Pan.*
  5. *Folio anguſtiore, Nobis. Solanum ſomniferum bacciferum, C. B. P. Solani lethalis aliud genus, Dod.*
- *Solano congener non ramoſum*
  6. *Tetraphyllum, Nobis. Solanum quadrifolium bacciferum, C. B. P. Herba paris, Matth. Dod. J. B.*
  - *Triphyllum*
    7. *Canadenſe, Cornuti.*
    8. *Virginanum flore tripetalo atropurpureo in foliorum ſinu, abſque pediculo ſeſſili.*
    9. *Braſilianum, C. B. P. & Prod.*
  10. *Monophyllum Aconiti folio, flore albo, Nobis. Papaveri affinis montana Aconitifolia Ranunculi nemorenſis radice, Hort. Lugd. Bat.*
- *Coilophyllum Virginianum*
  11. *Breviore folio, flore purpuraſcente, Nobis. Limonio congener, Cluſ. Park.*
  12. *Longiore folio erecto, flore luteolo.*

1. Mandragora *fructu majore, C. B. P. Mandragora mas, Dod. Trag. Matth. Lob. Lugd. Cam. Mandragoras mas, J. B. Mas vulgatior, Park. Radix* longa, albida, in terram alte demiſſa, frequenter bifurcata, nonnunquam vero in terna & quaterna crura longa diviſa, *fibris* aliquot per totam adnexis, veſtitur; & cum apophyſibus longis à corpore pendentibus, *humanum corpus* quadantenus refert. Ex hujus capite protruduntur primo vere plurima *folia* mollia, viridia, pedalis latitudinis & duplicatæ longitudinis, in mucronem acutum deſinentia, oris veluti criſpis & ſuperficie inæquali & quaſi tophoſa, narcotici fœtidique odoris, abſque pediculis, humi in orbem procumbentia. Inter hæc, quaſi è foliorum centro, prodeunt *flores* uncialis longitudinis, ex quinis longis è viridi colore albeſcentibus petalis mucronatis, conſtructi, pediculis ſingularibus

palmaribus appendentes, & è *calyce* herbaceo pentagono emergentes. His ſuccedit *fructus* ſphæricus, (ſeu *Malum* rotundum) *Aurantii minoris* magnitudine, lutei croceive coloris, lævis, ſucculentus; in cujus pulpa, *ſemina* latiuſcula & craſſiuſcula, renalia conduntur. *Fructus* maturus ſuave olet, aut (ut magis proprie loquar) præ nimia ſuavitate, *melonum* ad inſtar nimis maturorum, ingratus ſit noxiuſque. *V. icon. tab. æn. 2.*

In calidioribus regionibus Europeis, *in ſylveſtribus & montoſis ſponte provenit. Menſe Januario pullulant folia; Aprili floret, & Julio ſemina perficit.*

Parkinſonus *noſtras Mandragoram marem alteram* propoſuit; cujus *folia* ex viridi cinereo colore obducta eſſe & aliquantulum complicata teſtatur, & quam in horto Honorat. *D. Wooton Cantuariæ* obſervavit. Nihil de *floribus* addidit.

2. Mandragora *fructu rotundo minore, Nobis. Mandragora flore ſubcæruleo purpuraſcente, C. B. P. Mandragora fœmina, Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Eyſt. Radices* promiſſæ pedales & longiores, capillaribus *fibris* hirſutæ, interdum bifidis vel trifidis proceſſibus demiſſis, crurum modo inter ſe convolutis diſterminantur. *Folia* præcedentis anguſtiora, minora, & nigriora, magis etiam rugoſa criſpaque & in acutum quiddam coacta, humi expanſa. Inter hæc longi *pediculi* exſiliunt, per terram ſtrati, quibus inſident *flores*, *Melopeponum* floribus forma fere ſimiles, coloris ex cæruleo purpuraſcentis. Iſtis ſuccedunt *fructus* rotundi, *Veſicariæ* fructu triplo majores, maturitate palleſcentem ex luteo colorem adquirentes, odorati, ſucci pleni, *ſemine* abundantes plano, quali etiam turgent *Mandragoræ Maris fructus*, ſed minore nigrioreque.

Supra Gades, *& in aliis* Bœticæ *locis uliginoſis, Februario menſe florentem, & paullo poſt fructum matureſcentem, obſervavit* Cluſius.

3. Mandragora *fructu Pyri, C. B. P. Fœmina, Dod. Lob. Cam. Folia* anguſtiora ſunt & minora, nigrioraque; *fructus* pallidiores, minores, turbinati, *Sorbi* aut *Pyri* effigie, ſed non minus odorati; *radix* quoque prolixa, foris amplius nigricans. *Dod. V. icon. tab. æn. 2.*

4. Solano *congener flore campanulato vulgatius latioribus foliis, Nobis. Solanum lethale, Dod. Ger. Cluſ. Solanum μελανοκέρασος, C. B. P. Solanum manicum multis, ſive Belladonna, J. B. Belladonna, Cluſ. Pan. Caules* ſurgunt pollicares, hirſuti, bicubitales, ramoſi, nunc virides & nonnunquam è ſubrubro colore nigricantes. Hos conveſtiunt oblonga *folia*, palmaria, mollia, majora latioraque quam *Solani. Flores* oblongi, cavi, campaniformes, in quinque lacinias in ore diviſi, obſcuro lurido colore tincti, *venis* herbidis & purpuraſcentibus ſtriati, *calyci* herbaceo, pentagono, amplo, inſidentes. *Floribus* dehiſcentibus, *fructus* apparet primo viridis, deinde ſplendide nigricans, lævis, ſingulis unicus, *Ceraſi* mediocris magnitudine, exiguo *ſemine* gravidus. *Radix* longa, magna, albicans, diuturna ac vivax, in propagines plures repentes diſtributa. *V. icon. tab. æn. 1.*

Circa ſylvas, juxta parietes, ſepimentaque agrorum, aliiſque perinde parum cultis ac deſertis reperitur locis; umbroſa amat. Menſibus Junio & Julio floret; Auguſto rident maturæ baccæ.

5. Solano *congener flore campanulato, folio anguſtiore; Nobis. Solani lethalis aliud genus, Dod. Solanum ſomniferum bacciferum, C. B. P. Somniferum alterum, Park. Foliis* eſt quam præcedens anguſtioribus, venoſis, deorſum reclinatis; *caule* anguloſo; *floribus* oblongioribus calathi ſpecie, marginibus crenatis, è pediculo dependentibus; quibus ſuccedunt ſingulares *baccæ* nigræ, aut ex nigris purpuraſcentes, *ſeminibus* refertæ, media parte *calyci* denticulato inhærentes. *Radix* grandis, ſtrumoſa, & albicans eſt. *V. icon. tab. æn. 1.*

Matthiolus *Solanum iſtud* (ut appellat) *agro exire* Goritienſi, *in monte* Salvatino *inter ſaxa perhibet.*

6. Solano *congener non ramoſum tetraphyllum, Nobis. Solanum quadrifolium bacciferum, C. B. P. Herba paris, Ger. Park. J. B. Radix* tenuis, longiuſcula, geniculis aliquot articulata, fibris aliquot enaſcentibus, oblique ſerpit, alicubi interdum progerminans. *Caulis* inde erigitur pedalis, teres, ſingularis, ſolidus, inferius purpuraſcens, ſuperius viridis; atque circa hunc *folia* quaterna, binas uncias lata, in mucronem abeuntia, ſubtus ſplendentia, horizontaliter & decuſſatim diſpoſita ſunt. In faſtigio, binarum unciarum intervallo, ſupra hæc, *floſculus* prodit herbaceus, *foliolis* quaternis, anguſtis, veluti calycis ſui alabaſtris, inſidens; inter quorum duorum quælibet *foliolum* tenuiſſimum acutiſſimumque ejuſdem coloris intercedit. *Stamina* pro foliorum numero octona, longa, acuta, viridia, additamentis croceis obſita. In medio ſeſſilis eſt *bacca*, ad quadrangularem formam ex rotunda accedens, atropurpurea aut nigricans; ex cujus umbilico quaterna *filamenta* concoloria emicant. *Semina* intus plurima, non adeo ac *Solanorum* compreſſa, includuntur.

In ſylvis opacis ac aliis umbroſis, pingui ac læto ſolo reperitur. Aprili menſe è terra exit; Maio floret, eodem exeunte & Junio decurrente baccam perficit. V. icon. tab. æn. 1.

7. Solano *congener triphyllum Canadenſe. Solanum triphyllum Canadenſe, Cornuti.* Pedem altus huic ſurgit *cauliculus* teres, & viridis, qui in medio tribus foliis adverſis inter ſe, latioribus, & in obtuſum mucronem deſinentibus, coloriſque obſcure virentis intercipitur. Ultra hæc nudus tranſilit *caulis*, qui in ſummo *florem* unicum geſtat, ſex *foliis* conflatum, quorum tria ſubjecta tota viridia ſunt, & brevia; tria vero ſuperiora longiora & latiora ex atro colore purpuraſcunt. Naſcitur in eorum medio *pomum* exiguum, quod maturitate pullum & nigrum redditur, *ſeminibus* parvis, *Solani hortenſis* æmulis turgens. *Sapor* huic dulcis. *Radix* non per ſummam tellurem errat, ut noſtratis, ſed in tuberculum conglobatur. Hæc fere *Cornut.*

8. Solano *congener triphyllum Virginianum flore tripetalo atropurpureo in foliorum ſinu, abſque pediculo ſeſſili, Cat. D. Baniſt. ſtirp. Virgin. Radix* ei tuberoſa, oblonga, *Avellanæ* magnitudinis, *annulis* plurimis notata, & *fibris* inde dependentibus prædita. Ex hujus ſuperiore parte *ſquamulæ* oriuntur foliaceæ, quæ caulis fundum obvolvunt. *Caulis* lævis, teres, palmarem altitudinem vix ſuperans, *folia* geſtat in ſummo terna, ex oblongis ſubrotunda, venis quinque per longitudinem decurrentibus notata. In horum centro ſeſſilis eſt *flos*, ternis *foliolis* anguſtis, viridibus, *calycis* vicem alabaſtrorumve præſtantibus; & tribus ſuperſtratis *petalis* uncialis longitudinis, purpuraſcentibus, cum *ſtaminulis* meditullium ambientibus, craſſiuſculis & luteolis, numero ſex, conſtans.

Hanc plantam una cum aliis tranſmiſſis à D. Jo. Baniſter *ipſi poſſidemus.*

9. Solano *congener tryphyllum Braſilianum, Nob. Herba paris tripbyllos Braſiliana, Park. Solanum triphyllum Braſilianum, C. B. P. & Prod.* 91. Ex *radice* tenui oblonga, oblique ſerpente, *cauliculus* exſurgit ſingularis, glaber, palmum ſuperans; circa quem *folia* terna, ex uno centro prodeuntia, & in latus ſparſa, *Solani tetraphylli* ſimilia, latiora tamen, uncias quatuor lata, quinque longa, ex rotunditate acuminata, tenuia, lævia, venoſa protruduntur. Supra hæc porro cauliculus unciarum quatuor aſſurgit, cui tria *folia* uncias tres longa, longeque anguſtiora inſident, *calycis* inſtar ſuſtinentia *florem* magnum, album, venoſum, ex tribus petalis, uncias duas longis, & fere unciam latis, compoſitum.

Hos

Hoc in ſylvoſis Braſiliæ, *apud* Tououpinambaultios, *copioſe reperitur*, C. B. *Naſcitur etiam in* Canada, *auctore* Parkinſono.

10. Solano *congener monophyllum aut diphyllum Aconiti folio, flore albo, Nobis. Papaveri affinis montana Ranunculi nemorenſis radice, Hort. Lugd. Bat. Aconitum humile bifolium, ſive Aconitifolia flore albo unico Leucoii campanulato, fructu Cynosbati, Mentzel.* qui & figuram ejuſdem cum fructibus ſculptam exhibuit. *Radix* alba nodoſa, *flagellis* plurimis, lateralibus, calami ſcriptorii craſſitie, & exinde *fibris* demiſſis, ſub telluris ſuperficie, reptatu ſe plurimum ſpargit. *Caules* eriguntur ſolidi, ſemipedales, frequentes, & ſingulares. In ſummo faſtigio unicum inſidet *folium*, circumſcriptione rotundum, umbilicatum, glabrum, pallide virens, in quinque vel ſex lacinias profundas ad centrum pene diviſum, cum aliis paucis ſegmentis etiam laciniatum, & *Aconiti hyemalis* vulgo dicti folium proxime repræſentans. Planta luxuriante, in bina conſimilia folia ſingulari pediculo proprio caulis ſe dividit; è quorum angulo emergit *petiolus* uncialis, *florem* ferens album, hexapetalum, cernuum, ſatis amplum, cito vero deciduum, cum decem aut duodecim *ſtaminulis*, ſtylum circumambientibus. Flore decidente, *ſtylus* craſſeſcit, & demum *Cynosbati fructus* formam & magnitudinem acquirit; cujus apex aliquid fungoſum aut muſcoſum retinet. *Fructus* initio viridis, per maturitatem flaveſcit, parumque rubeſcit, cuteque ſatis craſſa intra ſe corpuſculum *Fragi* maturi forma, *ſemina* exigua in ſuperficie ſuſtinens & tenui baſi innixum claudit.

Hæc planta ex America *allata eſſe putatur; ſed nihil certi & explorati de hac re traditur. Aprili menſe floret, & Maio fructum (qui raro provenit) perficit; unde* May Apple *à nonnullis nominatur.*

11. Coilophyllum *Virginianum breviore folio, flore purpuraſcente, Nobis. Limonio congener Cluſii, Ger. emac. Park. Limonium peregrinum foliis forma florum Ariſtolochiæ, C. B. P. Cluſius folia* hujus plantæ monſtroſæ à *Claudio Conier* Pharmacopæio *Pariſienſi* accepit; ſed quia *flores* minime deſcripſerit, notitiam imperfectam reliquit. *D. J. Baniſter* noſtras è *Virginia* plantas utriuſque ſpeciei cum delineationibus tranſmiſit; quæ plantæ, ſicut & aliæ plurimæ paludoſæ, culturam reſpuere videntur. *Radix* obliqua, fuſca, dura, fibrata, *folia* prima emittit plana, binas & ternas uncias longa, rigidiuſculæ & coriaceæ ſubſtantiæ, viridia, in ſemicircularem formam abeuntia, humum petentia. Alia folia ſtatim proveniunt, numero decem & duodecim, palmaria & longiora, cava, *Ariſtolochiæ* floris formam pene referentia, proportione adhibita, ut digitum pollicemve intus recipiant, tumente alvo & velut paleari prædita, gibboſo dorſo, infima parte anguſto, ſenſimque in laxitatem creſcente, ſuprema parte laxiore & aperto, quaſi in hemicyclum formata, interne multis craſſis venis ex atro purpureo colore diſtincta. In ſuprema folii parte *labrum* latum ſubrotundum eſt, ſubtus hirſutie molli pubeſcens, operculi vicem præſtans, cardinis motu donatum, quo os cavitatis frequenter contegitur. *Caulis* è foliorum centro erigitur rectus, pedalis, nudus, *florem* unicum cernuum in ſummo ſuſtinens, cui quinque *foliola* viridia, uncialia, ad appoſitionem latiuſcula, mucronata, *alabaſtrorum* loco ſubjiciuntur. *Flos* ipſe ex quinis *petalis* unciam cum ſemiſſe longis, linguæ in modum ſe dilatantibus, obtuſis, ſaturate purpureis, ſerici inſtar mollibus, componitur, quorum centrum numeroſa *ſtamina* brevia, cum *apicibus* ſuis flaveſcentibus occupant, *fructum* tenerum ambientia, qui in pollicarem craſſitiem intumeſcens, ex rotunda pentangularem formam obtinet, externe ſcabrum, intus carnoſum, & pulpoſum, in quo *ſemina* plurima parva conduntur. *Fructus* in apicem prodigioſum definit, qui ubi ſemuncialem longitudinem acquiſerit, in latum pentagonum quaſi florem monopetalum (non adeo diviſum atque *Parkinſoni* figura exprimere videtur) binas pene uncias latum, ſe expandit, & operculi arcuati, umbellæ aut conopæi forma, quod vaſculo ab aeris injuriis defendendo idoneum eſt, vicem præſtat. Inter ſingulos operculi angulos *petala* aſſurgunt & inflexa illud operiunt, (unde reſultat figura *Ephippii muliebris ſedi* ſimilis.) Confeſtim ea decidunt, manentibus quinque calycis ſeu floris involucri *foliolis*.

Frigidis & udis locis, ſed non ſpongioſis inter vaccinia gaudet.

12. Coilophyllum *Virginianum longiore folio erecto, flore luteolo. Limonio congener alterum foliis longis erectis, Baniſt.* Huic *folia* recta, (non ut in præcedenti, gibboſa) erecte aſſurgentia, tubuloſa, pedalem, bipedalem, amplioremque altitudinem acquirunt, ex anguſta tenuique baſi in conicam reverſam figuram ſe dilatantia, ut in quibuſdam orificium unciale, biunciale, & interdum latius, ſecundum folii longitudinem, apertum ſit; *nervis* rectis, rigidiuſculis ſe ſtabilientibus, per totam longitudinem decurrentibus. In ſummo uniuscujuſque ad unum latus, labrum tegumentumve prominens enaſcitur, quod in his ſpeciebus operculum eſt, quod divina providentia ad obtegendam & defendendam plantam à pluviarum injuriis ſtatutum videtur, & theculam ſcloppeti, aut vaſis lignei operimentum haud inepte refert. *Caulis* aſſurgit rectus, elatior, *florem* unicum in ſummo ſuſtinens, pallide luteum, cujus petala quina, longitudinaliter convoluta (cum in altero plana ſint) *fructus* umbellam, alterius ſimilem, pentagonam, inter angulos flectentia, omnino ſuperintegunt.

Vires & Uſus.

In quo gradu conſiſtat Mandragoræ *frigiditas, in exceſſu vulgo poſita, diſputat* Hoffmannus; *atque ex emolliendi facultate eam non ignavo frigore torpere colligit; additque quod ſapor amarus, qui tam in* pomo, *quam in* radice *eſt, arguat calorem, quem teſtatur etiam odor vel è longinquo caput feriens. Tam* poma *quam* radix *vim narcoticam habent, aut habere creduntur. Eſt autem hæc, auctore* Dodonæo, *in* cortice radicis *major, quam in reliquis partibus:* poma *enim mitiora, cum pipere & aliis perinde calidis cocta, edi poſſe feruntur.* Dod. Pempt. 3. l. 4. c. 29. *Veteres quidem* radicis corticem *in hypnoticis & anodynis uſurparunt, recentiores vero eum rejiciunt, aut omnino negligunt, ac proinde vis illa ſomnifica ex modernis medicis haud facile probari poteſt. Sed quantacunque ſit vis narcotica in* radice, *in* pomis *tamen nulla eſt: nam ſæpius experimentum fecit* Jo. Terrentius Lynceus Romanus, *atque idem confirmatum habuit ab amico & Symmyſta ſuo doctiſſimo* Jo. Fabro *in Romano Athenæo Profeſſore, qui coram ſuis auditoribus magnum* pomum *una cum* ſeminibus *jejunus abſumpſit, ſine ullo vel ſomni vel alterius mali ſigno minimo; & ut experimentum eſſet certius, jejunus uſque ad prandium, per aliquot nempe horas permanſit, & à vino, ne vis pharmaci debilitaretur, abſtinuit.*

Partium omnium facultates enumerat Dioſcorides, *ſed apud modernos vix alia quam* radicis cortex *commendatur, qui potens habetur ad tumores duros & ſcirrhoſos emolliendos.* Folia *quoque in unguento populneo officinas ingrediuntur.*

Strumum ſive Solanum lethale, *Dod.*

Folia *dura carcinomata molliunt impoſita, quod aliquoties cum ſucceſſu præſtitum, inquit, novi. Laudatur apud* Galenum in lib. 8. de ſimp. med. fac. *quaſi vim habens ad ulcera maligna nomaſve curandas, ſi foris emplaſtri modo illinatur, ſed & in his* radicis cortex *palmam præripit.* Baccæ *comeſtæ in ſummum vitæ periculum homines conjiciunt, & plerumque mortem tenellis adferunt. Adoleſcentuli duo* Lugduni Batavorum *in horto medico ex imprudentia baccas duas treſve, opinantes Ribeſios eſſe nigros, devorarunt, ac altero quidem die alter obiit, altero admodum periculoſe laborante, qui evaſit. Hæc de pueris illis narravit* Jo. Bodæus à Stapel; *& ſimiles de aliis adoleſcentulis apud alios auctores exſtant hiſtoriæ: nam nullis fere in locis crevit, quin aliquando baccarum pulchritudine pueros deceperit.*

Hoc Solanum *calidum eſſe contendit* Cl. Wepferus, *probatque ex ſymptomatis in puero excitatis, qui* baccas *imprudenter comederat. Idem &* vulgare Solanum, *receptam opinionem arguens, calidum ſtatuit.* Vid. Hiſt. Cicut. aquat. p. 229.

Solano congener tetraphyllum Herba paris dictum.

Inter Alexipharmacas reponitur, & contra venena, peſtem, morboſque peſtilentes valere perhibetur. Baccæ *quidem recipiuntur ad compoſitionem* Pulveris Saxonici, *qui contra peſtem ac venena primum in* Saxonia *celebris antidotus evaſit.*

Baccæ & herba *extrinſecus impoſitæ ad inflammationes, ulcera, tumores, ac ſpeciatim ad bubones peſtilentiales maturandos commendantur.*

Oleum *in quo* baccæ *coquuntur hæmorrhoidibus ſanandis prodeſt.*

Baccarum ſemine *fatuos ac deliros factos priſtinæ ſanitati reſtitutos novit* Matthiolus.

PLANTÆ BACCIFERÆ

Tripyrenæ frutices mentientes.

CAPUT V.

Ebulus *ſive* Sambucus herbacea, *&* Periclymenum herbaceum.

EBulus & Ebulum, *forte ex* Ebulo Hiſpaniæ *inſula, notante* Iſidoro, *nomen ſortitur.* Sambuco ἄκρᾳ *vocitata non multum abſimilis eſt; atqui ſi* caules *molles hyeme contabeſcentes ſpectaveris, ad* herbacea genera *forte non incongrue traduxeris.* Sambucus *humilis & pumila appellatur;* χαμαιάκτη *humilis eſt, longe Sambuco brevior, & ad* herbacea genera *propius accedens,* Dioſc.

Periclymeno accedentes plantæ ſunt quatuor: prima *in* Norwegia, Suecia, Angliæque *borealibus locis reperta, folia habet* Periclymeni; *uti etiam* ſecunda Braſilienſis Ipecacoanha *dicta,* Marcgr. & Piſ. Tertia Malabarica *foliis* Periclymeni *rotundioris.* Quarta Braſilienſis *floribus congeſtis rubris,* Camara *dicta,* Marcgr. & Piſ. *Adjicienda &* quinta Virginiana *floribus & fructibus* Periclymeni *vulgatioris.*

TABULA V. SECT. XIII.

Ebulus ſive Sambucus herbacea
1. *Vulgaris repens, Nobis. Sambucus humilis ſive Ebulus, C. B. P. Ebulus Matth. Trag.*
2. *Foliis laciniatis, C. B. P. Ebulus laciniata, Ponæ Ital.*
3. *Exotica Marrubii aquatici laciniati foliis, Hort. Pat.*

Periclymeno accedens planta
4. *Monanthos noſtras, Nob. Chamæpericlymenum, Park. Ger. Cuſ. Periclymenum 3. ſive humile, C. B. P.*
5. *Braſilienſis floſculis congeſtis albis, Nobis. Ipecacoanha Braſilienſibus, Piſ. Marcgr.*
6. *Utriuſque Indiæ foliis Periclymeni rotundioribus, fructu bipyreno, Karinta-kali, Hort. Mal. Tom. 10. p. 41.*
7. *Braſilienſis Monthæ foliis, floribus congeſtis rubris. Camara-tinga, Marcgr. Piſ.*
8. *Virginiana longifolia floribus ochroleucis, & fructibus Periclymeni vulgatioris.*

1. Ebulus *ſive Sambucus herbacea vulgaris repens, Nobis. Sambucus humilis ſive Ebulus, C. P. B. Ebulus ſive Sambucus herbacea, J. B. Ebulus ſive Sambucus humilis, Ger. Park. Ebulus, Dod. Matth. Trag. Lugd. Lob. Tab. Radix* longa, albida, digitalis craſſitudinis, ſub terra longe lateque repens, ſe ſpargit. *Caules* fundit bicubitales & tricubitales, è quadratis anguloſos; ad cujus ſingula genicula è regione naſcuntur *folia* alata, ex tribus quatuorve conjugationibus ad rachim annexis, imparique extremo foliolo compoſita. Horum ſingula Sambucinis longiora & acutiora, odore graviore prædita ſunt. *Flores* in ſummitatibus umbellatim ad inſtar florum *Sambuci* congeruntur, monopetali, albi, quinquepartiti, ferrugineis in medio apicibus, quos *ſtamina* ſuſtinent

ſuſtinent candida. His dehiſcentibus, *baccæ* ſuccedunt è rubris nigricantes, *Sambuci* ut plurimum majores, pulpoſæ, tria *ſemina* arillaſve in ſe continentes; quibus autumno matureſcentibus, folia cauleſque omnino pereunt & coaleſcunt. *Fructus* ſparſim proveniunt, ut & in aliis plantis repentibus, quibus natura aliam incrementi præparationem ſtatuit, videre licet. *V. icon. tab. æn.* 3.

Exit paſſim in locis humentibus incultis, ſecus vias, & agrorum margines, ubi importuno reptatu mire ſe propagat. Julio menſe floret, & autumno ſemen perficit.

2. Sambucus *humilis ſive Ebulus foliis laciniatis, C. B. P. Ebulus laciniata, Ponæ Ital.* Hujus Plantæ habitus præcedenti proximam eam eſſe facile demonſtrat, *folia* tamen in tenuiſſimas lacinias diſſecta, *Sambuci laciniato folio, C. B. P.* &c. ad inſtar ſelinoidem formam obtinent; quibus facile dignoſcitur. *Floret* ad eundem modum quo & præcedens.

Ex horto Nobiliſs. Contareni C. B. *accepit. In horto Regio* Pariſienſi *cu'ta eſt.*

3. Sambucus *humilis ſive Ebulus exotica Marrubii aquatici laciniati foliis, Hort. Pat. D. Pluk. Phyt. Tab.* 221. *Fig.* 5. Dom. *Doody* Pharmacopæius inſignis, & Botanicus apprime gnarus hujus exemplar conquiſivit; quod *folia* diſtincta demonſtrat, in eo quod *lobata* ſint, & non plurifariam & tenuiter diviſa, ut in præcedenti. Quælibet *ala* latiuſcula, in profundas *lacinias* diſſecta, *Marrubii aquatici laciniati foliolum* exprimit. *Floret* ad eundem modum quo & cæteræ congeneres plantæ. *V. icon. tab. æn.* 3.

4. Periclymeno *accedens planta monanthos noſtras, Nobis. Chamæpericlymenum, Park. Ger. Pennæi. Cluſ. Hiſt. Periclymenum humile, C. B. P. Minus, Tab. Periclymenum parvum Prutenicum Cluſii, J. B. Radix* ei tenuis *fibras* ſpargens, præ reptatrice facultate vicinis locis ſe propagat. *Cauliculos* emittit palmares & dodrantales, graciles, quibus quatuor, ſex, rarius octo adhærent *folia* ex adverſo per intervalla ſita, *Aſcyri* aut *Androſæmi* foliis ſimilia, in mucronem deſinentia, quinque nervis inſignioribus ab ipſo pediculo ad mucronem excurrentibus. E ſupremorum foliorum cavitatibus duo veluti ramuli exeunt binis foliis, eodem modo quo in caule, diſpoſitis prædiți, qui & in cacumine quaterna alia *folia* geſtant. Ex iſtorum ramulorum medio pediculus nudus exit, & *florem* tetrapetalum album, plurimis ſtaminulis in medio donatum, ſuſtinet, & flori *Pyrolæ* antedictæ *Graminis Parnaſſi* vulgo appellatæ, (niſi quod in iſto quinque conſpiciuntur petala) pene ſimilem; inque hujus medietate *baccæ* rubræ, racematim cohærentes, ſucculentæ, naſcuntur, quæ *Prutenis* ruſticis circa *Gedanum* vulgo *Dantiſcum* appellatum ſalivam movent, ſed manducatæ ſcabiem generare vulgo creduntur, *Hoiero* auctore.

In Northumbriæ *montibus* Chevioticis *dictis, ad latus occidentale ſeptentrionalis partis altiſſimi montis, abunde provenit. In* Norwegiæ & Sueciæ *maritimis locis copioſe naſcitur.*

5. Periclymeno *accedens planta Braſiliana floſculis congeſtis albis Ipecacoanha, Piſ.* 101. *Marcgr.* 17. Præcedenti *caulibus* & *foliis* haud multum abſimilis eſt, quæ ex *radice* ſpithameæ longitudinis & amplioris, nodoſa ſeu geniculata, multis *filamentis* prædita, *caulem* emittit ſemipedalem, teretem, lignoſum, lentum, coloris cinereſcentis, partim terræ incumbentem aliaſque radices agentem, partim ſurrectum. Huic *folia* binatim adhærent; in ſummitate vero ſex, ſeptem, aut octo ut plurimum *folia* inſident, ſuperius ſaturate viridia, inferius dilutiora. E medio foliorum in proprio pediculo enaſcuntur decem, duodecim, aut quindecim *floſculi* in capitulum digeſti, parvuli, albi, pentapetali, & totidem *ſtaminulis* albis donati. Poſt *flores* ſequuntur totidem *baccæ* brunnæ, magnitudine *Ceraſi ſylveſtris*. Bacca autem continet intus *pulpam* albam, ſucculentam, cum *duobus* granis ſeminibuſve duris, flaveſcentibus, lenticularis figuræ.

Amat hæc planta humidas ſylvas, & propterea in hortos tranſlata nullum capit incrementum.

6. Periclymeno *accedens planta utriuſque Indiæ foliis Periclymeni rotundioribus, fructu bipyreno, Nobis. Karinta-kali, Hort. Mal. Part.* 10. *p.* 41. *Violæfolio baccifera repens, flo. albo pentapetaloide, fructu rubro dicocco, D. H. Sloane.* In petroſo pulverulentoque naſcitur fundo. *Radix* fibrata, repens. *Folia* in petiolis oblongis, virididilutis, aqueis, interius nonnihil planis, ac *pilis* barbatis proveniunt, rotunda, parum oblonga, fuſcoſatura, *coſtulis* parum eminentibus obſita, odoris & ſaporis expertia. *Flores* in petiolis viridialbicantibus, oblongis, rotundis, ſuperne terni proveniunt, ad exortum *foliolis* parvis, cuſpidatis ſuccincti, ſtelliformes, monopetali, quinquepartiti, collo oblongiuſculo ex *calyce* exſilientes, candidiſſimi, nullius odoris. *Calyx* quinquefolius eſt & cuſpidatus. *Fructus* ſunt *baccæ* rotundæ, primum virides, dein rubeſcentes, intus pauxilla aquea carne repletæ, & cum illa duobus officulis albicantibus, uno latere, quo ſibi mutuo accumbunt, plano, altero convexo.

In umbroſis denſis opacis & humidioribus ſylvis Jamaicæ *Inſulæ ubique reperitur.*

7. Periclymeno *accedens planta Braſilienſis floribus congeſtis rubris, Camara-tinga, Piſ. Marcgr. Caulis* hujus hirſutus in multos expanditur ramos. *Folia* habet ſerrata, *Menthæ* criſpæ ſimilia, ſed magis ſplendentia, leni hirſutie prædita, & ad tactum mollia, bina ſibi invicem ubique oppoſita, quodlibet brevi pediculo inſidens. In extremitate ramorum, uti & ad exortum foliorum ad caulem proveniunt oblongi pediculi aliquot, juxta ſe poſiti, multos *floſculos* habentes rubros. Poſt flores ſequitur *uvula, baccis* plena viridibus, magnitudine baccarum *Sambuci*, & uvula cum baccis ſimilis eſt fructui *Chamæpericlymeni Cluſii* ante explicati. *Flos* inſignis odoris, & ipſa herba ſuperat odore *Mentham.*

Datur & *altera floribus flavis.*

8. Periclymeno *affinis planta Virginiana floribus ochroleucis, fructu Periclymeni vulgatioris. Solanum ſomniferum, Baniſt. Radicis* loco hæc planta quam à *D. J. Baniſter* accepimus, longas *fibras* in uno capite congeſtas habet; ex quibus oriuntur *caules* pedales & ampliores, teretes, molli hirſutie pubeſcentes, in ſex octove nodos diſtincti. Ex horum quolibet bina naſcuntur *folia* oppoſita, tres quatuorve uncias longa, mucronata, poſt medium, unam aut alteram lata, & ad caulem in anguſtiam petiolum mentientem protracta, brevique lanugine obſita. *Flores* in inferioribus geniculis, & foliorum alis (vix unquam in ſuperioribus) *calyculis* foliaceis quinquepartitis inſidentes, & florum *verticillatarum* plantarum in modum adhærentes, oblongi ſunt, tubuloſi, in quinque lacinias diviſi, ſulphurei ſeu ochroleuci coloris. His marceſcentibus, *fructus* ſubeſt flavus, ovalis, pulpoſus, tribus longiuſculis officulis, *Periclymeni* ſubfruteſcentis ſimilibus, intus incluſis. *Caulis* hyeme totus perit, & anno ſuccedente à radice exoritur. *V. icon. tab. æn.* 3.

Hanc nomine *D. Tinkers-weed* indito è *Virginia* accepimus. *Junio menſe floret, & Auguſto fructus flavus aurantiive coloris emicat. Vid. icon. tab. æn.* 3.

Semina alterius hujus generis majora à *D. Baniſter* recepimus, qui *Solanum verticillatum latifolium molle, floribus obſolete rubris, baccis luteis*, appellavit: ſed cum planta penes nos non ſit, ideo impræſentiarum de ea ἀπίχω.

Ebuli

Ebuli Vires & Uſus.

Ebulus *viribus ſuis cum* Sambuco *convenit. Calidum ſiccumque temperamentum obtinere ſcribit* Dioſc. *Tum deſiccandi tum conglutinandi modiceque digerendi vim poſſidere perhibet* Galenus. Folia, flores, fructus, ſemen, & radices *in uſum veniunt; ex quibus varia concinnantur medicamenta, præcipue ad hydropicorum aquas ducendas utilia.*

Succus radicis *aut* foliorum *intro aſſumptus ſtomacho nauſeoſus, cum moleſtia purgat, viſceraque perturbat; cinnamoni vel nucis moſchatæ momento cum ſaccharo addito, mitior fit, alvoque aquam detrahit; ideoque aquæ cutem ſubire incipienti & frigidæ tuſſi utiliſſimum eſſe confirmat* Tragus.

Radices *aut earum* cortex *vino infuſus & aſſumptus, potenter aquas prolicit, & hydropicis proficuum eſt remedium.*

Electuarium ex fructu *paratur ſtomacho gratius.* Salam *in eſſentia vegetabilium Sect. 5. p.* 164. *Idem* Matthiolus *quoque obſervat & commendat.*

Teneri & recentes Ebuli *turiones decocti, inque cibo ſumpti, alvum emolliunt; pituitam ac bilem ducunt; hepaticis, ſpleneticis, calculoſis, & hydropicis proſunt. In vino decocti, adjecto melle, ac per aliquot dies poti, frigidæ & ſiccæ tuſſi minuendæ conducunt; vitia pectoris purgant, & quoſvis craſſos lentoſque humores incidunt.*

Aqua florum, foliorum, *aut* radicum *deſtillata hydrope & tympanitide laborantibus, mane & veſperi potanda, cum ſucceſſu exhibetur. Eadem anginæ gargarizatu opitulatur.*

Oleum *etiam ex Ebulo paratur, quod illitum ad articulorum junctura rumque dolores mulcendos apprime idoneum eſt.*

Folia *tuſa & cataplaſmatis in modum applicata ambuſtiones ſanant; tumores emolliunt; inflammationes mitigant; doloreſque podagricos ſedant. Iiſdem uſibus &* flores *tepefacti inſerviunt.*

Folia Ebuli *per noctem in aqua vel cocta vel macerata, ſi eo decocto locus aſpergatur, pulices & muſcas enecare traduntur.*

PLANTÆ BACCIFERÆ

Polypyrenæ.

CAPUT VI.

Polygonatum *ſeu* Sigillum Solomonis.

POlygonatum *Græcis* πολυγόνατον, *dicitur quod radix multa genicula* (τὰ γόνατα) *habeat.* Sigillum Solomonis *in officinis vulgo vocatur, haud dubie quod in radicibus quædam veſtigia ſigilli inſtar impreſſa appareant, quorum ſingulis imprimitur nota delapſi caulis. Alii vero exiſtimant appellatam hanc plantam ſigillum, eo quod ſugillationibus medeatur.*

Polygonati notæ ſunt *radices* nodoſæ; caules reclinantes; *folia* nervoſa, ut plurimum duplicem ſeriem conſtituentia; *flores* oblongi, cylindracei, exinde dependentes; & fructuum loco *baccæ.*

TABULA VI. SECT. XIII.

- *Polygonatum*
  - *latifolium*
    - *non ramoſum*
      1. *Vulgare, C. B. P. Polygonatum vulgo ſigillum Solomonis, J. B. Idem caulibus rubentibus, Hort. Lugd. Bat.*
      2. *Majus vulgari ſimile, J. B. Maximum, C. B. P. Idem caulibus rubentibus.*
      3. *Vulgari ſimile minus. Polygonatum humile Anglicum, Raii ſynopſ.*
      4. *Flore majore odoro, C. B. P. 2. Cluſ. Hiſt.*
      5. *Flore pleno odorato Muntingii.*
      6. *Hellebori albi foliis, C. B. P.* πλατύφυλλον *vel ſecundum Cluſ. Pan.*
      7. *Virginianum erectum ſpicatum flore ſtellato fertile, Nobis. Polygonatum ſpicatum fertile, Cornut.*
      8. *Virginian. erectum ſpicatum flore ſtellato ſterile, Nobis. Polygonatum ſpicatum ſterile, Cornuti.*
    - *ramoſum*
      9. *Americanum ramoſum & racemoſum, Nobis. Polygonatum racemoſum, Cornuti.*
      10. *Perfoliatum Braſilianum, C. B. P. & Prod.*
      11. *C. B. P. Polygonatum 3. Cluſ. Pan. Latifolium quartum, Cluſ. Hiſt.*
      12. *Flore luteo majus, Cornuti.*
      13. *Flore luteo minus, Cornuti.*
  - *anguſtifolium*
    - *non ramoſum*
      14. *C. B. P. Polygonatum anguſtifolium, J. B. Minus; Dod. Ger.*
    - *ramoſum*
      15. *C. B. P. J. B. Polygonatum 4. anguſtifolium ramoſum, Cluſ. Pan. 2. Hiſt. Minus, Thalii.*

1. Polygonatum

1. Polygonatum *latifolium vulgare, C. B. P. Cluſ. Hiſt. Polygonatum vulgo ſigillum Solomonis, J. B. Polygonatum, Ger. Matth. Vulgare, Park.* *Radix* oblonga, candida, frequentibus veluti articulis nodoſa, digitalis craſſitudinis, haudquaquam recte deſcendit, ſed per tranſverſum oblique progreditur, *fibraſque* ſubtus demittit. *Caulem* emittit cubitalem, tenuem, lævem, viridem, nullis ramis brachiatum, ſed ſimplicem, in ſummitate reclinantem & velut arcuatum; in quo binis ſeriebus, alternatim diſpoſita ſunt *folia* latiuſcula, oblonga, ſuperne viridia, inferne cæſio colore obducta, nervis per longitudinem decurrentibus notata. Ex unoquoque folii ſinu ſive annexu proveniunt *flores*, à pediculo ſemunciali aut unciali, in pedicellos breves ſubinde diviſo, ſingulares, bini, ternive, ab inferiore parte caulis una & continua ſerie dependentes, cylindracei, albidi, oris herbidis, in ſena ſegmenta diviſis, quibus totidem adnaſcuntur apices crocei. Hiſce decidentibus, *baccæ* oriuntur virentes, mox glaucæ, *corymbis hederaceis* pares, aut paullo etiam majores, in quibus *ſemina* ſena vel ſeptena ſubrotunda, dura, continentur. *V. icon. tab. æn.* 3.

In ſylvis & umbroſis, ad ſepes & juxta earum margines, non modo in montoſis ſed & in planis naſcitur; non ſolum exteris regionibus, ſed in Comitatibus Angliæ Bercherienſi & Hantonienſi *copioſe provenit.*

Idem nonnunquam reperitur *caulibus purpuraſcentibus.*

2. Polygonatum *majus vulgari ſimile, J. B. Latifolium maximum, C. B. P. Latifolium primum, Cluſ. Hiſt. Majus, Park.* Forma ſimile pene vulgari eſt, in duplo majorem tamen altitudinem excreſcit; ampliora habet *folia*; longe plures *flores*; majores *baccas*; craſſiores *caules* & *radices*, auctore *Cluſio.*

Idem etiam occurrit *caulibus rubentibus* aut *purpuraſcentibus.*

3. Polygonatum *minus vulgari ſimile, Polygonatum humile Anglicum, Raii Synopſ.* A *vulgari* parvitate ac humilitate tantum differt. *Philippo More* hortulano, qui in ſylvis agri *Hantonienſis* collegit, acceptum debemus.

4. Polygonatum *latifolium flore majore odoro, C. B. P. Majus flore majore, Park. Latifolium 2. Cluſ. Hiſt. Ger. Dod. Polygonatum minus flore majore, C. B. P. & Prod. Polygonatum floribus ex ſingularibus pediculis, J. B. idem eſſe videtur.* E *radice* vulgaris conſimili, aſſurgit *caulis* brevior & erectior, *foliis* latiuſculis crebrius veſtitus; de quo dependent *flores*, nunc ſingulares, nunc plures, majores, & odore floris *Spinæ Appendicis* ſeu *Oxyacanthæ* vulgo creditæ donati. *Baccæ* deinde ſphæricæ majores proveniunt præ maturitate nigricantes. *V. icon. tab. æn.* 3.

5. Polygonatum *latifolium flore pleno odorato Muntingii, Hort. Reg. Par. Sigillum Solomonis flore pleno, Dodart. Mem.* 115. *Radicibus* pluribus oblique actis luxuriat hæc ſpecies. *Caulis vulgaris* altitudinem æquans, parum reflexus, anguloſus, *foliis* paucioribus & longioribus, nervoſis, rarius veſtitur; è quorum exortu *flores* ex albidis virides, majores, campaniformes, ſed diviſi, multiplici petalorum ſerie impleti, odore medicato aut emplaſtri, non ingrato, præditi, petiolis ſingularibus affiguntur.

Ex horto Muntingii Groningenſis *primum obtinuimus. V. icon. tab. æn.* 4.

6. Polygonatum *latifolium Ellebori albi foliis, C. B. P. Polygonatum amplitudinis foliorum Ellebori albi, J. B. Maximo folio, Park.* πλατύφυλλον *vel* 2. *Cluſ. Pan.* 3. *latiore folio, Eid. Hiſt. Caulis* in majorem aſſurgit altitudinem, non adeo rectus, ſed magis inflexus. *Folia* duplo ſunt ampliora quam reliquorum, ad *Ellebori albi* foliorum amplitudinem nonnunquam accedentia, dura, nervoſa, lævia, dilutius virentia, neque ſubtus incana. *Flores* reliquorum congenerum ſimiles gerit, inodoros tamen, neque ex ſingularibus petiolis ſingulos, ſed binos aut plures, ex oblongiore pediculo dependentes, ut in vulgari, cujus etiam ſimilem *fructum* habet.

Creſcit copioſe in umbroſis locis inter Brunnam & Weyſpach, *aliiſque vicinis montanis ſylvis ſupra* Viennam Auſtriæ. *V. icon. tab. æn.* 3.

7. Polygonatum *Virginianum erectum ſpicatum flore ſtellato fertile, Nobis. Polygonatum ſpicatum fertile, Cornuti. Virginianum, Park.* *Radice* conſtat alba, tenuiore, raro capillata, ex longioribus intervallis geniculata, repente. *Caulis* aſſurgit pedalis & altior, è cujus utroque latere *folia* exeunt inæquali ſitu diſpoſita, *vulgaris* facie, acutiora tamen, pinguiora, & minus nervoſa, nec ſubtus incana, ſed grata, & pellucida viriditate utrinque micantia. *Flos* ſupremis cauliculi foliis ab exortu abditus deliteſcit, nec ante apparet, quam illa ab invicem diducantur. Tunc autem plures albi *floſculi* caulis faſtigio circumpoſiti *ſpicam* efformant; ſinguli quinque aut ſex *foliolis* conſtant, ſtellatim diſpoſitis. Excuſſo flore, *globuli* tenues ſuccedunt, *baccaſque* rotundas excurrentes lineæ plurimum commendant, quæ non mediocrem ſubeunt præ maturitate mutationem; ſenſim enim rufeſcunt, donec omnino rubeant. *V. icon. tab. æn.* 4.

8. Polygonatum *Virginianum erectum ſpicatum flore ſtellato ſterile, Nobis. Polygonatum ſpicatum ſterile Cornuti, Park.* Præcedenti affine eſt, tenuior vero apparet planta. *Flores* albi ſtellati, ſpicatim in ſummo naſcuntur, & dum ſe explicant, *Aſteriſci* effigiem ſignant. Filamenta quoque tenuia foliis interſeruntur.

E Virginia *adferuntur hæ duæ ſpecies, quæ Maio menſe flores proferunt.*

9. Polygonatum *ramoſum & racemoſum ſpicatum, Nobis. Polygonatum racemoſum, Cornuti. Racemoſum Americanum, Park.* *Radice* firmatur craſſa, ſubalbida, pluribus *internodiis* extuberata, nec paucioribus capillata *fibris*. *Caule* aliquando ſimplici, nonnunquam etiam, ſed raro, duplici, eoque rotundo atque atropurpurante in duo cubita elevatur. *Folia* habet latiſſime expanſa, nervoſa, duriora, nigriora, & rugoſiora. In apice caulis uvæ floridæ ſimulachrum apparet. Mollia filamenta dilute pallentia, floſculorum loco petiolis inſident, & fere vigent octiduo, quo elapſo, ſuccedunt *acini* rotundi, baccarum *Juniperi* magnitudine, eximiam uvam componentes. Flaveſcunt hi per initia, & mille *notis* quaſi ſanguineis interpunguntur, longe vero poſtea maturitatem adepti, evaneſcentibus maculis iſtis, toti in *Ceraſorum* ruborem tranſeunt. Eorum pulpa dulci ſapore linguam afficit, *ſeminaque* alba continet ſubrotunda, quibus ſatis, vel leviſſima adhibita opera planta facile pullulat. *Cornut. V. icon. tab. æn.* 4.

10. Polygonatum *perfoliatum Braſilianum, C. B. P. & Prod.* Hoc *caule* eſt bicubitali, ſtriato, *folia perfoliatæ* modo tranſeunte; foliis pallide virentibus, tenuibus, nervoſis, uncias duas latis, quatuor longis; *flore* magno, albo, ex *foliis* quinque anguſtis, binas uncias longis compoſito, qui de longo tenuiſſimo pediculo dependet. *Fructum* non vidit auctor.

Hoc in Braſilia *apud* Tououpinambaultios *crevit, eſtque à D.* Burſero *ſummiſſum.* C. B.

11. Polygonatum *latifolium ramoſum, C. B. P. J. B. ſive* 4. *Cluſ. Park. Ramoſum, Ger. Folia* huic per *cau-*

lem cubitalem ramoſque (quos una parte *Perfoliatæ* ad inſtar complectuntur) *Polygonati* foliis ſimilia æqualiaque, acutiore mucrone, venoſa, mollia, alternato ſitu digeruntur. Ex horum uniuſcujuſque ſinu longus exit pediculus, unicus, nutabundus, tenuis, cui inhæret *flos* majuſculus, *Lilii convallium* flori ſimilis, laciniatis oris extrorſum reflexis, quem in inferiore parte nigricantibus quibuſdam *maculis* aſpergi, odore propemodum *Oxyacanthæ Cluſius* perhibet. *Fructus Polygonati minoris* ſive *anguſtifolii* fructui ſimilis, trigonus initio, & viridis, per maturitatem vero oblongior & rubeſcens, parvaque *Corna* interdum æquans; in quo multa grana albicantia congeruntur. *Radix* à *Polygonati vulgaris* radice differt; nam neque craſſa neque adeo candida, ſed exilis & nodoſa, ſive in frequentes nodos extuberans, pluribus craſſis *fibris* conſtat; quod & in nonnullis *Thalictrorum* ſpeciebus obſervare licet. *V. icon. tab. æn. 4.*

In umbroſis montis Wecſel *ſylvis, deinde in* Dureſtein *inter ſaxa invenit* Cluſius.

12. Polygonatum *ramoſum flore luteo majus Cornuti, Park. Sigillum Indicum flore luteo, Stapelii.* Hujus *Polygonati* ſtatim gracilis in exortu *caulis*, teres, & glaber palmarem fere longitudinem aſſequitur; mox in duos ramos diducitur, quorum ſinguli in plures poſtea diviſi, cubitalem ſæpe longitudinem ſuperant. *Folia* caulem pervio utrinque ductu ita excipiunt, ut *Perfoliatæ* ad inſtar, medium penitus obvallent. Lævia hæc ſunt, oblonga, venoſa, & extrema parte obtuſa, pallidiſſimeque virent. De ſupremo caulículorum apice, & ipſorum etiam foliorum ſinubus, incurvo deorſumque nutante pediculo *flos* luteus propendet, è ſex anguſtis, ſed longioribus *petalis* compoſitus. In interna floris parte ſiliquæ rudimentum, cum adnatis corniculis, ſexque longa ſubluteaque *ſtamina* deliteſcunt (quæ tum demum viſu percipiuntur cum flos ſemet explicuerit) ubi defloruerit planta, hoc ſurſum flectitur. *Semen* albidum *ſiliqua* coriacea, primo viridi, deinde furva, triangulariſque formæ concluditur. *Radix* non adeo craſſa eſt, nec adeo candida atque præcedentium, ſed ſola *fibrarum* copia denſius contexta capillatur, nec proinde latius graditur, ut ſuperiorum. *V. icon. tab. æn. 4.*

Floret ineunte menſe Junio, & Julio ſemina perficiuntur.

13. Polygonatum *ramoſum flore luteo minus, Cornuti.* Adeo præcedenti ſimile hoc eſt, ut peculiari deſcriptione non indigeat: cum ſola fere *foliorum* figura ab eo deflectat, quippe quæ & anguſtiora multo & longiora ſint, ac etiam in *mucronem* deſinant acutiſſimum. *Flore* quoque nonnihil variat, utpote multo pallidiore; alias prorſus ſimile eſt.

Ex nova Francia *delatæ ſunt hæ duæ ſpecies.*

14. Polygonatum *anguſtifolium non ramoſum, C. B. P. Anguſtifolium, J. B. Park. Minus, Lob. Ger.* Alba *radix* geniculatim incedit. *Caules* cubito altiores, aliorum non ramoſorum ſimiles, ſed in his *folia* multis numeris anguſtiora, *Rubiæ* foliis paria, lævia, venoſa, viridia, cum aliqua cærulei coloris tinctura, quaterna aut quina radiatim ex caulium geniculis enaſcuntur, ut & herbacei *flores Polygonati vulgaris* ſimiles, ſuccedentibus *baccis* minoribus præ maturitate rubris granulis albis, duris, reliquorum inſtar repletis. *V. icon. tab. æn. 4.*

In montanis quibuſdam Stiriæ *pratis circa frutices & in umbra, abunde naſcitur. In ſylvoſis & montoſis prope* Genevam *ſponte oritur.*

15. Polygonatum *anguſtifolium ramoſum, C. B. P. J. B. Ger. Park. Sextum ſive anguſtifolium 2. Cluſ. Hiſt. Caulem* habet cubitalem, anguloſum, in multas tenues *alas* diviſum, quæ æqualiter ex ſingulis angulis exoriuntur, quaternæ interdum, nonnunquam & quinæ, pro angulorum qui in caule ſunt numero. *Ramuli* tenues, longis & anguſtis *foliis* obſiti ſunt, binis, ternis aut quaternis, æqualiter in circuitu prodeuntibus; in quibus *flores Polygonati* proxime ſuperius deſcripti ſimiles, paullo tamen minores, de brevi pediculo dependentes, inter foliorum *alas* ſparguntur. Iſtis ſuccedit *fructus* rotundus ruber, *pulpa* plenus, aliquot *oſſea grana* continens. *Radix Vulgaris* ſimilis eſt, candida, nodoſa, propagines ad latera fundens, & candicantibus *fibris* obſita. *V. icon. tab. æn 4.*

In Sileſia, *ex iiſdem locis quibus* Rubus *ſaxatilis oritur*, Achilles Cromerus *eruit*, & Cluſio *miſit.*

Polygonati Vires & Uſus.

Radices *miſtam tum facultatem tum qualitatem habere aſſerit* Galenus. *Ac in receſſu habere atrimoniam cum aſtrictione, & ſalis volatilis participare perhibet* Ettmul. *Quamobrem externe in uſu coſmetico primatum ducunt: cum vino enim cocta vel infuſa & illita, maculas cutis abigunt; abſtergunt; cutemque dealbant. Unde & inter aquas coſmeticas, aqua* foliorum radicumve Polygonati Liliorumque alborum deſtillata, *ad nitorem faciei conciliandum, mulierculæ uti conſueverunt.*

Radix *tuſa ſugillationibus, contuſionibus, plagis, livorique faciei tepide applicatur; baſin cataplaſmatis conſtituit; brevique tempore medetur.*

Vulnerarium eſt egregium; ad fracturas oſſium aut venarum ſanandas, aut quaſcunque fluxiones ſiſtendas, nihil habetur utilius.

Radix *lacte inciſa & cocta, cui* Symphyti majoris *radix addetur, puerulis herniis laborantibus, ac ad menſes albos ſiſtendos cum ſucceſſu adhibetur. Intoque ſumpta irruptionibus, quacunque corporis parte accidentibus, utiliter applicatur. Imo & in cereviſia cocta, in arthritide, infantumque epilepſiis commendatur;* D. Hermanno *auctore.*

PLANTÆ

PLANTÆ BACCIFERÆ

Polypyrenæ.

CAPUT VII.

Lilium convallium & Monophyllum.

Lilium convallium *dicitur à loco natali, quod in convallibus & opacis creſcat*; Callionimus *vocatur, à pulchritudine & utilitate: hinc* Lilium inter ſpinas & Lilium convallium Solomonis.

Hoc foliis *ſuis geminis*; caule *nudo, non ramoſo*; floribus *parvis campanulatis, à cæteris* bacciferis *facile dignoſcitur.*

Monophyllum *ideo vocatur, quod cum primum prodit,* unico *ſit* folio, *ſed cum cauleſcit,* folia *habeat* bina.

TABULA VII. SECT. XIII.

Lilium convallium
- *majus*
  1. *Vulgare, J. B. Lilium convallium album, C. B. P. Park.*
  2. *Flore rubente, C. B. P. Flore incarnato, Eyſt.*
  3. *Anguſtifolium.*
  4. *Latifolium, C. B. P. & Prod.*
  5. *Alpinum flore majore odoratiore, Cam. Alpinum, C. B. P.*
  6. *Cum plurimis florum ordinibus, J. B.*
- 7. *Minus, C. B. P. Unifolium, Dod. Monophyllum, Ger.*

1. Lilium *convallium vulgo, J. B. Lilium convallium album, C. B. P. Park. Lilium convallium, Matth. Dod. Trag. Caſ. Cam. Ger. Lilium convallis vel ſylveſtris, Brunf. Callyonimus vel Chamæcitinus, Geſn. Hort. Radicibus* tenuibus, tenacibus, albeſcentibus, reflexis, geniculatis, & fibratis, Graminis modo ſe reſtibili fœcunditate propagat, *caules* emittens palmares, binis longis *foliis Polygonati* folia quodammodo referentibus, longioribus tamen & lævibus, præditos; & ex inferiori caulium tenui involucro, pediculum ſeu ſtylum longum, qui ſuperius longa ſerie, *floſculos* rotundos, concavos, parve nolæ effigie, nutantes, ſecundum oras in ſex *lacinias* reflexas diviſos, odoratiſſimos, albos, profert; quibus confeſtim marceſcentibus, *baccæ* rubræ globulares, *ſemina* ſubrotunda, dura intus continentes, ſuccedunt. *V. icon. tab. æn.* 4.

Sylvoſis umbroſis & montoſis gaudet; in variis Angliæ *comitatibus invenitur, æque ac tranſmarinis. Maio menſe floret.*

2. Lilium *convallium floribus rubentibus, C. B. P. J. B. Flore incarnato, Eyſt.* E rubro ad purpureum colorem vergunt *flores,* & odore minus valent; cæteris notis ſuperioris familiam refert.

3. Lilium *convallium anguſtifolium* ſuperioribus bene notis anguſtiora profert *folia,* viridia, & in acutiorem mucronem definentia; alias à *vulgari* non differt.

Ex Weſtmorlandia D. T. Lawſon *nobis miſit, ad pontem* Waterfall *& alibi à ſe repertum.*

4. Lilium *convallium latifolium, C. B. P. & Prod. Radicibus* eſt tenuibus, longis, repentibus; *caule* pedali; *foliis* ternis, viridibus, nervoſis, ſubrotundis, lævibus, palmaribus, uncias quatuor latis, ad baſin *caulem fiſtulæ* in modum ambientibus; *floribus* magnis, albis, rotundis, hiantibus, reflexis, & odoratis; quibus *fructus* rotundus, rubens, *ſemen* durum continens, ſuccedit.

In hortis quibuſdam colitur. C. B.

5. Lilium *convallium Alpinum flore majore odoratiore, Cam. Majus flore albo odorato, Eyſt. Alpinum, C. B. P. Park. Magnum, J. B.* Quod à præcedenti differat, aſſerere non poſſumus; *flores vulgaris* duplo majores & odoratiores eſſe feruntur.

6. Lilium *convallium cum pluribus florum ordinibus, J. B.* Non alia huic folia, quam vulgari ſylveſtrique *Lilio convallium*; at *coliculus* inter ea ſurgens, non uno contentus eſt *florum* ordine, ſed utrinque producit flores, uncialibus & ſemuncialibus pediculis, pendulos & nutabundos, vulgaris ſimiles, quorum unicuique ad exortum pediculo *ligula* albicans, paris cum eo longitudinis, apponitur.

7. Lilium *convallium minus, C. B. P. Unifolium, Dod. Cam. Tab. Monophyllum, Ad. Lob. Ger. Henophyllum vel Monophyllum, Geſn. Hort. Gramen Parnaſſi, Matth. Bifolium primum, Lon. Unifolium ſive Ophris unifolia, J. B.* Reptando *fibrillas* profert tenuis *radicula,* ſubdulcis, candida; unde frequenter *folia* ſingularia, unciam plus minus lata, in mucronem definentia, nervoſa, pallida, tenuibus pediculis propriis inſidentia, proveniunt. *Cauliculi* vero floreſcentes, tres quatuorve uncias longi, binis *foliis*, & *ſpica floſculorum* candidorum ſtellatorum ornantur, nullius aut exigui *odoris. Baccæ* ſequuntur exiguæ, per maturitatem rubentes. *Vid. icon. tab. æn.* 4.

Floret quo tempore & Lilia convallium *vulgaria, aut paullo poſt. In plurimis* Belgii & Germaniæ *ſylvis ſponte naſcens reperitur, ſed non in* Anglia.

Lilii Convallium Vires & Uſus.

Flores *præſertim in officinis veneunt, quos calidæ & ſiccæ qualitatis eſſe ſtatuit* Dodonæus, *effectuſque arguunt. Odore conſtant gratiſſimo, qui conſiſtit in ſubſtantia ſalina admodum volatili. i. e. ſubſtantia volatili ſpirituoſa: hinc inter cephalica medicamenta & ad ſpirituum vigorem reſtaurandum ac adverſus morbos frigidos nervoſque relaxandos, primum tenent locum. In apoplexia, epilepſia, paralyſi, vertigine, ſyncope, morbo comitiali, aliiſque capitis doloribus feliciter exhibentur.*

Sunt qui cum ſpiritu Lil. convallium *eſſentiam parant pro ſcopo analeptico reſtaurativo.* Ettmul. *Ad morbos prædictos* conſervam florum *commendat* Sim. Paulli.

Radix *dulcis ac aromatica, cum floribus in pulverem redacta, naribuſque admota, pituitam elicit, & tanquam errhinum præſtantiſſimum habetur.*

Huic Plantarum ſeriei Aſparagos & Corrudas (*de quibus agitur in primo Vol. prioris limine*) *adjici debere nonnulli forte exiſtimaverint. Et quidem ſi Lectori huc revocare videbitur, ipſe nihil repugnaverim.*

PLANTÆ BACCIFERÆ

Semper virentes Ὁλοφυλλομονόκαρποι.

CAPUT VIII.

Ruſcus ſive Bruſcus, Laurus Alexandrina, & Hippogloſſum.

RUſcus Italis Bruſcus *nuncupatur quaſi* ruſſus, *à colore fructus ad rufum inclinantis, dilutius tamen rubentis.*

Ruſco folia *ſunt* buxea, *aut* Myrti *ſimilia, rigida tamen & pungentia* (*unde* Oxymyrſine *à nonnullis nuncupatur*) *quorum medio* flos fructuſque *ruber arcte adhærent.*

Laurus Alexandrina *ab* Alexandria Troadis, *ubi mons eſt* Ida, *circa quem frequentiſſime naſcitur, eſt denominata.*

Hippogloſſum & Biſlingua *dicitur à liguli foliis mediis inhærentibus, aut quod cuilibet folio alterum inſit foliolum* linguam *referens.* Bonifacia *vocatur, forte à copia* bonorum *quæ humano corpori affert.*

TABULA VIII. SECT. XIII.

1. *Ruſcus, Matth. C. B. P. J. B. Ruſcus ſive Bruſcus, Ger.*

Laurus Alexandrina
- *folii medio*
  - 2. *Ligula inſidente, Nobis. Hippogloſſum, Matth. Ger. Laurus Alexand. fructu folio inſidente, C. B. P.*
  - 3. *Fructu folio inſidente, C. B. P. Laurus Alexandrina, J. B.*
- *fructu ad extremitatem racemoſo*
  - 4. *Anguſtifolia ramoſa, Nobis. Laurus Alex. fructu è ſummitate caulium prodeunte, Hort. Reg. Par.*
  - 5. *Peruviana Myrtifolia, Coca-Peruina, Recchi.*

1. Ruſcus, *Matth. C. B. P. J. B. Trag. Tab. Lob. Eyſt. Park. Ruſcus ſive Bruſcus, Ger.* μυρσίνη ἀγρία, & ὀξυμυρσίνη, & μυρτάκανθα. *Radices* albæ, duræ, in capitula congeſtæ, multas à ſe *fibras* craſſiuſculas, longas effundunt. Inde *caules* plurimi, virides, ſtriati, fractu contumaces, firmi, calami ſcriptorii craſſitie, cubitales & bipedales, in ramuſculos plurimos diviſi, aſſurgunt. His *folia* myrtina, *Buxi* non minora, in acutum *aculeum* tendentia, robuſta, rigida, pungentia, alternatim ac ſatis confertim adhærent, & in medio *floribus* minutis, ſtellatis, ex albido colore herbaceis obſidentur, exiguis *ſtaminulis* purpuraſcentibus circumpoſitis. Iſtis evanidis, proveniunt *baccæ* rubentes, rotundæ, *Aſparagi* baccis ampliores, foliis mediis inhærentes, quæ nunc unicum, nunc bina officula perdura & cornea ſervant. *V. icon. tab. an. 5.*

In ſepibus & ſylvis variis Angliæ *reperitur. In ſylvis in comitatibus cum* Bercherienſi *tum* Oxonienſi *haud longe à* Readingo *oppido, aliiſque copioſe naſcitur.*

2. Laurus *Alexandrina folii medio ligula inſidente, Nobis. Hippogloſſum, Matth. Ger. Dod. Lob. Hippogloſſum & Biſlingua, Park. Bonifacia & Biſlingua, J. B. Laurus Alexandrina fructu pediculo inſidente, C. B. P. Laurus Taxa, Hiſt. Lugd. Caulibus* ſe erigit pedalibus, rotundis, viridibus, lentis, ſtriatis, fractu vero contumacibus, à variis *radicis* albicantis, ac oblongis ramoſis *fibris* ſe diſpergentis, nodoſis capitibus duris prodeuntibus. Hos conſcendunt *folia*, unciam plus minus lata, in mucronem producta, dura, rigidiuſcula, atrovirentia, per longitudinem crebris *nervis* virgata. Singulorum foliorum medio *gloſſarium* ſeu *ligula* folioſa, parva, inſidet; ſub qua, in tenui pediculo, nervo à ſinu folii latioris exeunte lirato, appendet *flos* exiguus, ſtellatus

ſtellatus, pallidus, *Ruſci* haud abſimilis. Poſt *florem* evanidum, pendet *bacca* rubra, *Aſparagi* major, *ſemini* officulum quodlibet, ſubrotundum obvelans. *V. icon. tab. æn. 5.*

In Ungariæ *montibus ſylvoſis & umbroſis* Cluſius *detexit*, & *in* Liguriæ *Alpibus* (Urbinati *agro*) *ſponte provenit. Apud nos in hortis ſervatur.*

3. Laurus *Alexandrina fructu folio inſidente, C. B. P. Laurus Alexandrina J. B. Lob. Ad. Part. alt. Laurus Alexandrina & Chamædaphne, Col.* E *radicibus* albis, nodoſis, & lignoſis, *Ruſci* non incongruis, magis vero in latum ſparſis, & fibris plurimis demiſſis, proveniunt caules lenti, virides, *Ruſci* aut *Hippogloſſi* tenuiores, recti, cubitales; quibus *folia Hippogloſſi* pene paria, latiora tamen & rotundiora, molliora, in mucronem deſinentia, hilarique virore prædita, alternatim, ut plurimum, interdum vero tria quatuorve radiatim adhærent, venulis non in longitudinem recta per folia protenſis, ſed divaricatis. E mediis foliis nunc ſuperna nunc prona parte, *folioli* tenuis *rudimentum* enaſcitur, è cujus etiam exortu, pediculus unus aut alter, tenuis, ſemuncialis, *florem* parvum, pallidum, ſtellatum, proferens erumpit. Is autem in *fructum* rubrum, rotundum, *officulum* plerumque ſingulare album continentem, oculum piſcis repræſentantem, tranſmutatur. Idem ramus, cum foliis ſuis viridibus, per varios annos durat; ſicut & cæteræ hujus familiæ ἀπφυλλομενόκαρποι. *V. icon tab. æn. 5.*

Plantæ hujuſce ramulis uſi eſſe putantur antiqui, corollaſque laureas quibus heroum tempora redimere ſoliti ſunt ex iis confeciſſe.

Parkinſonus *noſtras alterius* Laurus Alexandrinæ à Chamædaphne vera Dioſcoridis *diſtinctæ* (*etiam quoad ſpeciem*) *mentionem fecit. Nos vero in* Jo. Bauhini & Columnæ *ſpecifice diſtingui pernegantum ſententiam ultro concedimus.*

4. Laurus *Alexandrina anguſtifolia ramoſa fructu ad extremum racemoſo, Nobis. Laurus Alex. ramoſa fructu è ſummitate caulium prodeunte, Hort. Reg. Par. Baccis in extremis ramulis dependentibus, Breyn. Prod. Hippogloſſum foliis anguſtiſſimis, baccis ex oblongis petiolis in extremo ramulorum dependentibus, Mentz.* Speciosiſſima hæc planta *radicum* loco *fibras* craſſiores & carnoſiores, in altum deſcendentes, è *capitulis* duris naſcentes, habet, quæ *Aſparagi* in modum *turiones* longos emittunt. Iſti ad binorum cubitorum altitudinem exporrecti, in plurimos *ramuſculos* virides, lentos, alternatim poſitos, divaricati, ſe non iterum dividentes, aſſurgunt, atque his *folia* plurima Laurina, præcedentium foliis acutiora & longiora, ut anguſtiora videantur, utrinque lævia & per totum annum virore ſplendentia, ut plurimum torta & incurvata, inordinatim adhærent. *Flores* pallidi, globulares, in *baccas* rotundas, in racemulum quaſi congeſtas, ad ramulorum terminationes provenientes, tranſmutantur; quarum quælibet unicum *ſemen* album, durum, ex oſſea aut cartilaginea materia compoſitum, continet. *V. icon. tab. æn. 5.*

Clariſſ. D. Moriſon *in Præludiis ſuis Botanicis, Laurum Alexandrinam fructu longis pediculis caulibus alligato, his verbis explicat:* Sola hac nota diſtinguitur quod *fructuum* ſeu baccarum *pediculi* unciales aut biunciales à *caulibus* pendent; in reliquis autem, folio aut pediculo baccæ fructuſve inſident. An eadem ſit jam memorata necne judicet Lector.

5. Laurus *Alexandrina Peruviana Myrtifolia, Coca-Peruina Recchi, p.* 302. Herba eſt *Coca-Peruina*, ut audio, *inquit auctor*, quatuor ſpithamas plus minuſve longa, *foliis Myrti*, ſed paullo majoribus, mollioribuſque, diluti viroris, & in quibus alterius minoris folii imago eſt expreſſa, *ſemine* vero racematim dependente, & *Myrti* inſtar, cum matureſcere incipit, vergente in rubeum colorem, & tandem nigricantem; quo tempore *folia* colliguntur, in cratibuſque exſiccantur, & reconduntur in uſum.

Vires & Uſus.

Ruſci radices *potiſſimum uſurpantur, quæ temperate calidæ ſunt ac eſſentiæ tenuis, mediocriter quoque reſicantiv.* Quinque radicum aperientium *ordinem in officinis claudunt. Vino coctæ & exhauſtæ renum dolores & veſicæ ſedant; ſtillicidio ac urinæ difficultati, ictero, hydropi, capitiſque doloribus medentur. Brevi, calculoſis & uterinis affectibus elevandis mire proſunt.*

Amatus Luſitanus *radicum uſum quotidianum prædicat ad infarctus & obſtructiones tollendas; in quo caſu & ipſi non parum conferre multoties experti ſumus, inquit* Jo. Bauh. *Harum quoque præcipuum uſum celebrat* Dodonæus.

Ad hydropem matricis, ſcrotique intumeſcentiam curandam, de Ruſci radice *inſignes vide relationes apud* Jo. Bauh. T. 1. pag. 582.

Folia *caulesque exſiccati, in pulverem redacti ac lacte exhibiti, ad curandas hernias efficaciſſimi ſunt.*

Cauliculi *recentes* Aſparagorum *vice ad urinam ciendam ac obſtructiones reſerandas in cibo ſumuntur; ſed ob amaritudinem in medicina potius quam cibo petuntur.*

Hippogloſſum Lauruſque Alexandrina *iiſdem pollent viribus.* Radices *diureticæ ſunt; ſtillicidio urinæ auxiliantur; partuſque accelerant,* Dioſcoride *auctore. Officinarum vero cellulas non implent.*

PLANTÆ BACCIFERÆ

Perennes foliis deciduis.

CAPUT IX.

Arum & Dracontium.

ARum & Aron *nominarunt ab a, quod significat similitudinem, & ῥοὰ Malum punicum; eo quod producat fructum persimilem granorum Mali punici.* Arisara *sunt* Ara minora, *figura & viribus cum majoribus conventientia.* Dracontium, Dracunculus, & Serpentaria, *nuncupatur à maculis purpureis & albis, quæ in caule visuntur, ita ut* Anguem *plane referat. Hoc ut plurimum* polyphyllum *est.*

Arum vel *monophyllum* vel *polyphyllum* his notis à cæteris dignoscitur: *Radices,* ut plurimum, tuberosæ, acerrimi gustus; *flores* monopetali vaginatim *pistillum* in medio amplectentes; quibus *baccæ* racematim nascentes succedunt.

TABULA IX. SECT. XIII.

Arum

monophyllum

Sagittariæ foliis sive auritis

1. *Vulgare maculatum & non maculatum, Park. Arum, J. B. Arum officinarum, Lob.*
2. *Latifolium, Eyst.*
3. *Venis albis, C. B. P. Arum majus Veronense, Lob.*
4. *Indicum bicubitale amplo flore, Hort. Reg. Bles.*
5. *Byzantinum, Clus. Hist. C. B. P. J. B.*
6. *Orientale majus flore maculato.*
7. *Orientale minus flore maculato.*
8. *Montanum, Prosp. Alp. Exot.*
9. *Minus Orientale longius auriculatum, Rawolf.*
10. *Ægyptiacum flore albo moschum redolente, H. L. Bat.*
11. *Arborescens, Car. Plumier. Arum Brasil. arborescens folio Sagittariæ, Par. Bat. Prod.*
12. *Minus ex Insula Barbadiensi, D. Pluk. Phyt.*
13. *Minus Indicum foliorum auriculis reflexis, Nelenschena, Hort. Mal.*
14. *Minus Orient. rotundioribus foliis, Rawolf.*
15. *Humile latifolium sive Arisarum latifolium majus, C. B. P.*
16. *Latifolium colubrinum repens, Icon. Paris.*
17. *Indicum aquat. cum pistillo rubro, pediculo globulo adhærente, Hort. Mal. Part. 11. p. 33.*
18. *Sive Arisarum Indicum petræum humile radice fibrosa pistillo rubro adhærente, granulis purpurascentibus, Nelenschena, Hort. Mal. Part. 11. p. 33.*

foliis non auritis

minus

19. *Rotundifolium Potamogeiti folio, Bocc.*
20. *Sive Arisarum angustifolium, Rawolfii.*
21. *Sive Arisarum angustifolium Dioscoridis forte, C. B. P.*
22. *Sive Arisarum fol. longis angustiss. gramineis flori succedentibus, Mentz.*
23. *Sive Dracunculus palustris radice arundinacea, C. B. P. Dracunculus aquaticus, J. B. Dod. Eyst.*
24. *Aquat. fol. in acumen desinentibus fructu viridi Virginiana, Banist.*

majus

25. *Caulescens Lapathi foliis, Nob. Dracunculus major, Matth.*
26. *Foliis rigidis angustis & acuminatis, Car. Plumier, p. 47.*
27. *Indicum Lapathi foliis crispatis, H. Mal. Part. 11. p. 45.*
28. *Hederaceum amplis foliis perforatis, Car. Plum. p. 40.*
29. *Caulescens Cannæ Indicæ foliis, C. Plum. p. 45.*
30. *Sive Dracontium amplis foliis cordatis, radice nodosa rubra, C. Plum. p. 48.*
31. *Maximum quod vulgo Colocasia Ægypt. C. B. P. Colocasia, J. B. Arum Ægyptiac. rotunda crassa radice, Prosp. Alp.*
32. *Ægyptiacum μακρόριζον, Prosp. Alp.*
33. *Ægyptiacum transversa radice, Icon. Par. Prosp. Alp. de Plant. Ægypti.*
34. *Ægypt. rotund. & minus repente radice, Icon. Par.*
35. *Palustre Malabar. fol. Nymphææ, rad. arundinacea, H. Mal.*

36. *Colocaſia dictum mont. hederaceum ſterile latifolium, Car. Plum. p. 57.*
37. *Colocaſia dict. hederaceum ſterile & laciniatum, C. Plum. 38.*
38. *Colocaſia dict. hederaceum ſterile anguſtifolium, C. Plum. 39.*
39. *Colocaſia dictum hederaceum ſterile minus folio cordato, C. Plum. 39.*
40. *Nymphææ foliis eſculentum, D. Sloane. Braſſica foliis Nymphææ, Cajoua, J. B. 835.*

41. *Diphyllum foliis biſſectis rigidis & ſulcatis, Car. Plumier. p. 43.*

triphyllum
42. *Dracunculus & Serpentaria Braſiliana, C. B. Prod.*
43. *Piſtillo atrorubente Virginianum.*
44. *Sive Ariſarum triphyllum pene viridi Virginianum. Forte Ariſarum humile Virginianum, D. Pluk. Phyt. Tab. 148.*
45. *Et auritum, C. Plumier. p. 41.*

polyphyllum
46. *Sive Dracunculus polyphyllos, C. B. P. Dracontium majus, Dod.*
47. *Dracunculus & Serpentaria dictum caule non maculato humilius, H. L. Bat.*
48. *Serpentaria major, ſive Dracunculus major polyphyllos, Marcgr.*
49. *Mexicanum, Hoaca-Xochitl dictum, Recchi, 377.*
50. *Sive Ariſarum Virginianum Dracontii foliis, pene viridi longo acuminato, D. Pluk.*
51. *Malabaricum minus radice globoſa Katu-Schena, Hort. Mal. Part. 11. p. 41.*
52. *Minor, Luph Arabum, & Dracunculus minor, Rawolf.*
53. *Hederaceum, Car. Plumier. p. 49.*
54. *Zeylanicum caule glabro viridi diluto maculis albis notato, Cat. Hort. Amſt. Schena, Hort. Mal.*
55. *Dracontium & Serpentaria dictum folio ramoſo, Pæoniæ inſtar caule lævi, Par. Bat. Prod.*
56. *Dracontium & Serpentaria dictum folio ramoſo Pæoniæ inſtar, caule aſpero Zeylanicum, Par. Bat. Prod. Mulenſchena, Hort. Mal.*
57. *Et pentaphyllum minus Indicum, Rumphal Planta Orient. Zan.*

58. *Aro affine Indicum, Ardabar planta orientalis, Zan. Hiſt. Bon. c. 12.*

1. Arum *vulgare maculatum & non maculatum, Park. Arum, J. B. Arum officinarum, Lob. Arum vulgare, Ger. Arum vulgare non maculatum* 3. *& Arum maculatum maculis candidis vel nigris* 2. *C. B. P. Radix* huic plantæ vulgari tuberoſa eſt, ex rotunda oblonga, alba, pollicem craſſa, carnoſa, *fibris* non carens, multiſque adnatis exiguis veluti *bulbulis*, quibus ſe propagat. Ex hac autem *folia* primo vere exſurgunt palmaria, longa, lævia, acuminata, & *Sagittariæ* ſimilia, *auriculis* dependentibus prædita, nunc immaculata, viridia, & utrinque ſplendentia, nunc *maculis* nigricantibus, fuſcis, nunc albicantibus *lituris* veluti ſugillata, petiolis propriis infidentia. *Scapus* inter hæc exit ſemipedalis, involucrum membranaceum, foliaceum, latum, mucronatum, pallide vireſcens, oblongum, proferens, *leporinæ auriculæ* æmulum, amplectens in medio *piſtillum* longum, purpuraſcens, ſuperiore parte glabrum, inferiore piloſum. His autem *Aprili* menſe dehiſcentibus, *uva* apparet, primo viridis, è *baccis* pulchre per maturitatem rubentibus & ſuccoſis emicans. *Semen* in his unum aut alterum exiguum duriuſculum includitur. Tota planta guſtus eſt acerrimi. *V. icon. tab. æn. 5.*

Naſcitur hoc Arum frequens in ſylvis & ad ſepes, locis præſertim umbroſis. Flos membranaceus cum piſtillo Aprili apparet, & cito evaneſcit; baccæ Julio & Auguſto menſibus racemos erectos conſtituentes, matureſcunt.

2. Arum *latifolium, Eyſt.* Cum præcedenti convenit. *Folia* latiora *Sagittam* referentia, *venulis* quibuſdam ad peripheriam obtuſam protenduntur. *Radice* nititur tuberoſa, oblonga, multis propaginibus ſtipata. *V. icon. tab. æn. 5.*

3. Arum *venis albis, C. B. P. Arum majus Veronenſe, Lob. Arum venis albis maximum Italicum, Hort. Reg. Par.* Planta hæc vulgari major, latiora & ampliora (conformia tamen) profert *folia*, *venis* albicantibus ſtriata. *Scapus* medius *floris* vice, *theculam* membranaceam ſpecioſiorem, *piſtillum* craſſiorem ex albido ſubflavum ambientem, profert.

Ex horto Lugd. Bat. ipſi accepimus.

4. Arum *Indicum bicubitale amplo flore, Hort. Reg. Bleſ. Folia* habet ampla, *cannacori* æmula, è quorum gremio ſurgit *caulis* bicubitalis, in ſummo gerens *florem* amplum, *Lilii* candidi flore multo majorem, unifolium. Huic deciduo ſuccedunt racematim *grana* plurima rubra, ſpicatim ſe invicem contingentia, vulgaris (ut paucis dicam) ritu diſpoſita. *D. Moriſ.*

5. Arum *Byzantinum, Cluſ. Hiſt. C. B. P. J. B. Park. Cl. Cluſius* à *Conſtantinopoli* hanc plantam accepit, cujus *radix Ari vulgaris* ſimilis erat, ſed major. *Folia* primo erumpentia rotundiora apparebant, dein longiora & majora protulit. In quibuſdam plantis, licet ex eadem matre abruptis (unicum enim tuber *Conſtantinopoli* auctor acceperat) folia erant nigris exilibus *maculis* diſtincta, in aliis minime. *Flos* colore variabat; nam plantæ maculis nigris notata folia habentes, *penicillum* purpureum folliculo incluſum habuerunt, aliæ vero candicantem, atque poſtremæ *folia* ante hyemem plerumque germinare ſolebant, alterius primo vere duntaxat.

6. Arum *Orientale majus Dracontii flore maculato.* Hoc *Ari rarum* genus munere Cl. & Rev. Viri *D. D. Huntington*, cum ſuccedente etiam, ex *Aleppo* tranſmiſſum habemus. *Folia* immaculata, viridia, pedalem longitudinem ſuperant. *Folliculus* membranaceus longior & amplior *piſtillum* longiſſimum, acutum, nigricans, ambiens, externe pallide vireſcit, intus vero ex pullo colore rubeſcit, *maculiſque* nigris totus ſugillatur. *Flos* iſte poſt aliquot dies apertus, teterrimmum edit odorem, ut in *Dracontio majori* obſervare licet. *Baccæ* rubeſcentes, majores, racematim congeſtæ, ut in vulgari, ſequuntur.

7. Arum *Orientale minus flore maculato.* Hujus *folia* longa, præcedentis anguſtiora ſunt, immaculata. *Vagina* ſeu thecula foliacea, longa, acuta & anguſtior eſt, extra vireſcens, intus è rubeſcente aut punicante colore nigris quoque maculis infecta. *Piſtillum* longum, tenue, cornutum, nigreſcit. *Radices* ampliores, lateraliter ſtolonibus ſe propagant, ut in aliis congeneribus fieri amat.

8. Arum

8. Arum *montanum, Prosperi Alpini Exot. Radices* majores, radiculis fibrosis aliisque prorsus parvis *Colocasiis* strongylorrhizis persimiles, sex septemve ad summum singulæ *folia* producunt ampla, longis pediculis prædita, ad *Personatiæ* quam *Ari vulgaris* folia magis accedentia, elegantioriſque viriditatis. Inter hæc *caulis* exit rectus, dodrantalis, crassitie fere digiti minoris, cum involucro *Ari vaginæ* simili, sed longiore & latiore, cum *flore Ari* & *fructibus*, sed longe minoribus. *Radix* rotunda, & in germen acutum declinans, exterius tenui cute tegitur, obscure fulvescente, intus candida, eximiæ acrimoniæ; exterius autem quosdam globulos parvos per totam superficiem sparsos habet, qui suo tempore germinant, non secus atque *Colocasia*.

9. Arum *minus Orientale longius auriculatum, Rawolf. Hort. sicc.* 101. Huic *folia* haud magna sunt, superiore parte angusta, inferius vero in longas auriculas, non descendentes, sed lateraliter extensas distribuuntur. *Flos* vulgaris minor est flore.

10. Arum *Ægyptiacum flore albo Moschum redolente, Hort. Lugd. Bat. Folia* ei sunt inter *Ara* latissima, & non uti *Colocasiorum* umbilicata. *Floret* ad eundem modum quo tempore & reliqua congenera, ipse vero omnino albus est, odorem *Moschi* spirans. Atque his notis à cæteris facile dignoscitur.

11. Arum *arborescens Sagittariæ foliis, Car. Plumier. Hist. Plant. Americ. p.* 44. *fig.* 60. *Arum Brasilianum arborescens folio Sagittariæ, Par. Bat. Prod. Aninga-iba, Pis. l.* 4. *c.* 49. *Arum majus caulescens aquaticum Brasilianum, Icon. Paris.* Nova hæc *Ari* species, in humidis *Americanis* proveniens, *radicem* habet bipedalem, brachiali crassitudine, foris albicantem. *Scapus* ei assurgit binos pollices crassus, quinque pedes altus, firmus, rotundus, & arundinaceus, *cortice* viridi tectus, geniculis quasi & internodiis distinctus. *Folia* è summitate nascuntur, quinque vel sex numero, *Sagittariæ* in modum aurita, late expansa, *lineolis* venisve per limbum decurrentibus notata, petiolis pedalibus insidentia. *Flos Ari* similis inter pediculos exit, inferius cordiformis, superius mucronatus, extus viridis, intus exalbicans, in fundo rubescente colore tinctus, *pistillum* involvens luteolum. *Fructus* succedunt racematim congesti, ut in cæteris, subdulces, & gustui non ingrati, adeo ut à muribus aliisque animalibus esitentur.

12. Arum *minus Sagittariæ foliis ex Insula Barbadiensi, D. Pluk. Phyt. Tab.* 49. *An Arum minus Zeylanicum Sagittariæ foliis, Par. Bat. Prod?* *Tajacoba* 2. *Marcgr. p.* 35. *Pis. p.* 95. *Arum minus esculentum Sagittariæ foliis viridinigricantibus, D. Sloane. Radix* subrotunda, tuberosa, *lineolis* transversis notata, *fibrisque* enascentibus affixa est. Pediculi palmares, *folia* angusta, sagittæ formam referentia, in tres angulos acutos terminata, sustinent. Ex horum medio assurgit *caulis*, Arorum ritu, *flore* membranaceo, pistillum involvente præditus; cujus colorem ex planta ficca colligere non licet.

13. Arum *minus Indicum foliorum auriculis reflexis, Nelenschena, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 39. *fig.* 20. *Radix* alba, pugnum crassa, *cauliculos* emittit rotundos, spithamam plus minus longos, qui *folia* oblonga, ligonem oblongum ac è rotundo cuspidatum referentia, gestant. *Flores* sunt *Ari* similes, intra folliculum, *stylum* seu *pistillum* caudatum vulgaris longius & acutius, recondentes. *Fructus* in racemis succedunt, primo virides, ea parte qua extra nodulos emicant, contractiores & albicantiores.

14. Arum *minus Orientale rotundioribus foliis, Rawolf. Hort. sicc.* 100. *Foliis* præsertim distinguitur; quæ præcedentium minora, breviora, & rotundioribus cuspidibus circumscripta sunt.

15. Arum *humile sive Arisarum latifolium majus, C. B. P. & Arisarum alterum ejusdem. Arisarum latifolium, Park. Latifolium quibusdam, J. B. Arisarum latifolium, Clus. Hisp. Dod. Arisarum primum, Clus. Hist. Folia* expandit *Ari* similia, minora tamen, aut *Convolvuli* majoris albi foliis conformia, mollia, viridia, hederaceis angulis circumscripta, & *venis* plurimis transversim discurrentibus donata, oblongis pediculis innixa. *Caulis* palmaris, *colubrinis maculis* notatus *florem* oblongum, *Ari* multo minorem, cum vagina seu involucro suo cucullato & incurvato, extrema parte fusci coloris, (*pistillo* parvo purpurascente incluso) sustinet. Uva sequitur ubi maturuerit rubens. *Radix* est *Ari* similis, sed minor, foris ex fusca nigricans, *fibris* quibusdam superiori parti adnexis, gustu acri, sed non atque in *Aro vulgari* adeo vehementi.

In Italiæ & Galloprovinciæ *locis umbrosis, necnon in collibus* Lusitaniæ, *sponte provenit.*

16. Arum *latifolium colubrinum repens, Icon. Paris.* Hujus figura plantam præcedenti pene similem repræsentat. *Radix* non solum *filamentis* sub terra repit & se propagat, sed tubercula quoque cum *fibrillis*, per intervalla quædam adhærentia conspiciuntur. Ad singula interstitia oriuntur *cauliculi* pediculive, *colubrinis* & anguinis *maculis* omnino guttati & interstincti, quorum quidam *folia* vulgaris *Ari* minora, sed conformia profundunt, & alii utpote paullo altiores, *flores Aristolochiæ* floribus similes, sed majores, *pistillum* parvum ex ore monstrantes, sustinent.

17. Arisarum *Indicum aquaticum cum pistillo rubro, pediculo globulo adhærente, Nir-tsjenbu, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 32. *fig.* 16. Planta aquatilis est. *Radix* aquosa, carnosa, albicans, plurimis *fibris* albicantibus se fundo aquæ affigens. *Folia* caulibus, qui ex radice oriuntur, ac viridialbicantes, molles & intus fungosi sunt, surrecta insident, superiori parte viridia, inferiori, ubi multis eminentibus obducuntur costis è rubro colore cæruleſcentia, hastiformia, crassiola. *Flores* caulibus, qui ex radice oriuntur, insident in propriis suis ac viridibus involucris, suntque *ligulæ* oblongæ, rotundæ, albicantes, carnosæ, quæ pedunculo strictiore, ex crasso rotundo, rubro, ac bulbulis scabroso nodo, emicant. *Hort. Mal.*

18. Arisarum *Indicum petræum humile radice fibrosa, pistillo rubro adhærente, granulis purpurascentibus, Nelenschena minor, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 33. *fig.* 17. Plantula est humilis, nascens in arenosis & petrosis. *Radix fibris* oblongis, albicantibus, vestitur. *Folia* in petiolis versus inferiora incurvatis, candidis, aqueis, theciformis cavitatis, superiora versus viridibus proveniunt; oblonga sunt, angusta, obtusa, *cuspide* sinuosa, utrinque nonnihil nitentia. *Florum* loco, in oblongo, folioso, theciformi, viridiluto involucro, cujus *collum* inferius inflatum est & rubescit, & hiatu è vertice versus inferiora, se magis magisque aperit, reconditus est *stylus* oblongus, rubescens, superiori parte *capitulo* flavo, inferiori in colli foliacei parte *gemmulis* oblongis, flavoruffis obsitus, paullo infra capitulum nodo theciformi, qui oblongus & gemmulis quasi granulatus, incarnatus & subpurpureus est, circumdatus. *H. M.*

19. Arisarum *Potamogeiti folio, Bocc. Radice* & *caule* maculato cum aliis *Arisari* speciebus congruit; at *folia* unciam lata, duas longa, subtus paullulum nervosa & per terram sparsa, quadantenus *Potamogeiti rotundifolii* sunt similia. *Flos* brevior, & radii textoris instar apertus, exili *pistillo* piloso prægnans, extremo mucronato & hami modo adunco.

Natales illi Saccæ & Panormi *in ſylvula* Sanctæ Mariæ *à* Jeſu *fratrum ſtrictioris obſervantiæ* Sancti Franciſci. *Bocc.*

20. Ariſarum *anguſtifolium, Rawolfii, quod medium vocitetur.* Hoc in horto ficco à *Rawolf.* in Oriente collecto pag. 99. obſervatur. Similis *Ari* eſt *radix* ſubrotunda, unde collum exoritur longum, in quinque aut ſex *folia* ſe dividens, recta, digiti humani longitudinem ac latitudinem non excedentia. *Floribus* hoc exemplar deficiebatur.

21. Ariſarum *anguſtifolium Dioſcoridis forte, C. B. P. Ariſarum anguſtifolium, J. B. Ger. Dod. Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Tenuifolium, Cam. Longifolium, Park.* Quina aut ſena ſunt ei *folia*, dodrantem longa, *Tragopogonis* anguſtiam obtinentia, lævia quoque ac ſplendentia. *Vagina* ſive involucrum anguſtum & longum, è terra abſque pediculo aſſurgens, intus purpuraſcit. *Piſtillus*, qui ex eo prodit, tenuis, longus, immo vagina longior, (*Junci craſſioris* in modum) ex purpureo colore nigricat; juxta quem tandem inferius, prope terræ ſuperficiem, ac ſubinde profundius, aliquot *acini* in exiguam *uvam* conformantur, initio ut aliorum congenerum virentes, dein rubentes. *Radix* globoſa & candida, qualis eſt & ante explicatorum.

In Italia *circa* Romam, *ac in* Dalmatia, *ſponte proveniens reperitur.*

22. Ariſarum *foliis longis anguſtiſſimis, gramineis, florem ſuccedentibus.* Hoc in Inſula *Elba* collegit *D. Mentzelius*, & in Pugillo Rariorum Plantarum exhibuit.

23. Dracunculus *paluſtris radice arundinacea, C. B. P. Dracunculus aquaticus, J. B. Dod. Eyſt. Matth. Arum paluſtre, Geſn. Hort.* Bulboſam, pro aliorum *Dracunculorum Arique* ingenio *radicem* non habet, ſed digitalis craſſitudinis, prælongam, geniculatam, tranſverſo ſitu limoſo paluſtrium locorum ſolo incumbentem, cui quidem affigitur ex articulis demiſſa fibrarum *ſobole* numeroſa, boſtrychi ſeu cincinni inſtar. *Folia* ex eiſdem enaſcuntur, pediculis dodrantalibus hærentia, hederaceis paria, (immo majora) figura quoque ſimilia, nullis per ambitum angulis, in acutum quiddam definentia, polita, venoſa. *Fructus* in brevi pediculo ſupra atque una cum uno foliorum prodit, initio quidem exiguis candidiſque *ſtaminibus* (quæ florum vicem præſtant) circumdatus; excreſcit inde in *racemum*, primum viridem, cum maturuerit rubentem, *Ari* uva minorem, at non minus acrem.

In uliginoſis paluſtribuſque locis, in ipſis frequentiſſime paludibus ac reſidibus aquis, in Belgio & Germania, *non infrequens naſcitur.*

24. Arum *aquaticum foliis in acumen deſinentibus, fructu viridi, Plantam hanc* Virginiæ *alumnam nobiſcum communicavit D.* Jo. Baniſter. *Radix* arundinacea & geniculata, folia è rotunda baſi, in acutum mucronem definentia emittit; fructuſque virides. An vero in rubedinem præ maturitate tranſmutentur necne, parum eſt nobis compertum.

Ara majora foliis integris.

25. Arum *majus cauleſcens Lapathi foliis, Nobis. Arum cauleſcens Rumicis agreſtis foliis ſibi invicem implicatis, Virginianum, D. Pluk. Phyt. Dracunculus major, Matth. Dracunculus Biſtortæ folio, C. B. P. Dracunculus major* in umbroſis circum ſepta gignitur, *Matthiolo* auctore, Lib. 2. cap. 160. *Caulem* habet rectum, lævem, duum cubitorum, baculi craſſitudine, verſicoloribus *Draconum* maculis purpureis emicantibus; *folia Rumicis* ſimilia ſibi invicem implicata; *fructum* in ſummo caule racemoſum, coloris primum cineracei, mox præ maturitate in croceum & purpureum vergentis; *radicem* prægrandem, rotundam, candidam, *cortice* tenui veſtitam.

Non ſum neſcius ipſam hujus *Dracunculi* exiſtentiam in dubium à multis trahi. Verum doctiſs. *D. Plukenetius* hunc in modum dubium diluit: *Hunc ſe nec dum vidiſſe ingenue fatetur graviſſimus auctor* [*ſcil.* Caſp. Bauhinus] *de quo* [dracunculo] Dodonæus, *Edit. Lat. an in rerum natura ſit, dubitat, & ſi ſit,* Biſtortæ *ſpeciem eſſe* contendit. *At Adverſaria inveniri negant.* Guiland. *in ſuo* Theo. *quæſito prætextu, ut doctior videretur,* Matthiolum, *tantum virum, & de re herbaria optime meritum, effinxiſſe ſcribit. Sed de Clariſſimo* Matthiolo *me longe meliora augurari juvat, cum & ejuſdem Plantæ ex* Virginia *nobis allatæ veram effigiem præſtare litet.*

Hujus caulis interdum maculatus, interdum non; aliorum penis eſt albus, aliorum ater, ſicut in vulgari Aro. Pluknet.

26. Arum *Americanum majus foliis rigidis anguſtis & acuminatis, Car. Plumier. p. 47. fig. 62. Radices* habet ex *fibris* craſſiuſculis in ſeſe complicatis compoſitas. Ex his *folia* ſeſquipedem longa, tres pollices plus minus lata, acuminata, rigida, gladiata, virentia, & quodammodo convoluta, dorſoque eminenti, pediculo unciali inſidentia emergunt. Inter iſthæc pediculi alii, ſatis longi, teretes, oriuntur; quorum quilibet *piſtillum*, novem aut decem uncias longum, unamque craſſum, in mucronem definentem, lineis ſpiralibus & tranſverſis interſectum, ſuſtinet. Piſtilli autem unaquæque quadra *baccam* intus viſcoſam, guſtu urente, coloris amethyſtini cum rubedine commixti, *ſemine* uno aut altero incluſo, continet. Ipſe piſtillus *thecula* foliacea longa, & anguſta, nervoſa, *Ari* vulgaris in modum involvitur.

In locis humidis ad radices arborum reperitur.

27. Arum *Indicum Lapathi foliis criſpatis, Karin-pola, Hort. Mal. Part. 11. p. 45. fig. 23. Radix* hujus plantæ aquaticæ oblonga, craſſa, & carnoſa, *fibris* albicantibus inſtructa. *Folia* mollia, lenia, oblonga, in cuſpidem definentia, in oris nonnihil criſpata, *pediculis* longis, tenuibus inſident. *Flores* in propriis caulibus ampli ſunt ac virides, fungoſi, cochleatim quaſi turbinati, *cuſpide* intorta, carnoſi, exterius ſcabri, purpureorubri, interius rugoſi, rubroſanguinei. *Globulus* qui floribus deciduis in fundo colli apparet, rubeſcit, ſpiris inſtructus, juxta ſpirarum tractum granulis eminentibus, ſuperne planis ac rufeſcentibus, obductus.

28. Arum *Americanum majus hederaceum amplis foliis perforatis, Car. Plumier. p. 40.* Arum hoc peregrinum, *Hederæ* in modum, arbores vicinas aſcendit. *Scapus* pollicaris, quaſi ſquamoſus, petiolis filiorum deciduis notatus apparet, aliquantulum quoque ſulcatus, *radiculis* quamplurimis hederaceis, brevibus, quibuſdam etiam longioribus, quibus arborum truncos amplectitur, mollibus & carnoſis, enaſcentibus, donatur. *Folia* protruduntur plurima vertice tenus, ampla, pedem & ſeſquipedem longa, novem decemve uncias lata,

è rotunda baſi mucronata, lævia, pediculis craſſiuſculis adhærentia, coſtaque media eminenti, *nerviſque* aliis ex ipſa oblique decurrentibus, prædita; & (quod in iis inſigne) inter nervos prædictos oblique ductos, foramina, ut plurimum ovalia, inæqualia, ſatis magna, ut folia quaſi vulnerata, & in ambitu fimbriata, ſinus oculorum referant, cernuntur. E caulis ſummitate *flos Ari* ſimilis ſe prodit, extus vireſcens, intus flaveſcens, ſplendens, qui ubi ſe aperuerit, *fructus* cylindraceus, ſemipedalis, unciam craſſus, carnoſus, tenerrimus & politus, ſpicæque *Frumenti Indici*, aurei coloris, haud abſimilis, patefit.

In Inſula Martinica, *ad rivulum ad* Caſtrum Sancti Petri *ducentem, menſe Maio, detexit auctor. Clematidem Malabarenſem foliis Vitis colore Dracunculi appellavit C. B. P. Brevi, idem eſt Lignum colubrinum primum* Acoſtæ, Lugd. *Lib.* 18. *c.* 140.

29. Arum *Americanum majus cauleſcens Cannæ Indicæ foliis, Car. Plumier. p.* 45. *fig.* 61. *Aminga altera Braſil. Piſ. l.* 4. *c.* 49. *Arum caule geniculato, Cannæ Indicæ foliis, ſummis labris deguſtantes mutos reddens, D. Sloane.* Cannæ *ad ripas fluminis Caurwo Sacchari Cannis ſimiles, venenoſæ & linguam ſupra modum inflantes & loquendi facultatem impedientes,* Laet. p. 646. *The dumb Cane.* Huic *radix* brachiali eſt craſſitie, longa, *fibris* adnexis. *Caulis* tripedalis & amplior erigitur, rotundus, bipollicaris, pediculis quoque foliorum delapſis notatus, lacteo quaſi *ſucco* plenus. Summitatem erga naſcuntur *folia* tenera, lævia, pedem longa, dimidium lata, in mucronem deſinentia, & ad petiolum ſeſquipedalem poſita, rotunda, recenti viridique colore tincta, *nervis* obliquis à coſta media decurrentibus. *Fructus* piſtilluſve ſubluteus, novem pollices longus, *folio* membranaceo, externe pallide vireſcenti, intus purpuraſcenti, involutus. Ipſæ *baccæ* rubeſcentis ſunt coloris.

Humida, ſylvoſa & umbroſa loca Inſulæ Martinicæ *amat. In locis humidioribus Inſulæ* Jamaicæ *ubique reperitur.*

30. Arum *majus ſive Dracontium Americanum amplis foliis cordatis, radice nodoſa rubra, Car. Plum. p.* 48. *Fig.* 63. Planta hæc inſignis, in truncis arborum, ad modum *Viſci arborei*, præſertim naſcitur. *Radicem* habet brachialem, pedem longam, *Muſco* ut plurimum obtectam, curvam, nodoſam, pulvere rufeſcente obductam, *fibris* exinde natis arborem comprehendentem. *Folia* 7. vel 8. ampliſſima, cordiformia, lævia, membranacea, viridia, & mucronata, longis pediculis innitentia, profert. Alios emittit *pediculos* rotundos, bipedales, *fructus* ſuſtentantes, pedalis longitudinis, cylindraceos; quos *flores* foliacei, membranacei, ipſis breviores, amplectuntur. Ipſi autem teneri ſunt, coloris violacei, *lineis* ſpiralibus ſe invicem oblique interſecantibus notati.

31. Aron *maximum Ægyptiacum quod vulgo Colocaſia, C. B. P. Colocaſia, J. B. Cluſ. Lugd. Eyſt. Faba & Lotus Ægyptiaca Bellonii. Arum magnum & Pampina Paradiſi Siculorum, Cæſ. Culcas Ægyptiorum & Colocaſia Strongylorrhiza, (i. e.) rotunda craſſa radice, Proſp. Alp. Talaſſe Javanenſibus, Jo. Iſador. du Bry. p.* 15. *Radix* inferius in craſſam, grandem, ſubfuſcam, ex rotunda oblongatam maſſam extuberat, cui inſident *capita* turbinata rotunda prope effigie, ſubtus longas, craſſas *fibras* à ſe ſpargentia, atque è lateribus parvas ſubrotundas ſoboles emittentia. Superius vaginatim *pediculi* carnoſi evolvuntur, ſuſtinentes *folia* lævia, viridia, prona parte pallidiora, *Nymphææ* foliorum facie donata, niſi quod in mucronem deorſum vergentem oblongentur; adulta *Perſonatæ* amplitudinem quandoque attingunt, ubi ſurſum tendunt, ſinuata, & coſtis eminentibus diſperſis, tenuium venularum quaſi undulas intermiſtas exhibentia. Hoc in *Ægypto, Creta,* & *Cypro* Inſulis, locis natalibus, raro aut nunquam *flores* proferre fertur, *Alpino, Bellonio,* aliiſque teſtantibus; unde factum ut *Ægyptios* ipſi irridentes rogarent ut *flores fructuſque Colocaſiæ* oſtenderent: verum hæc non movent quo minus credamus *Colocaſiæ* etiam in his locis *flores* ſuppetere; ſiquidem flores ei in ſolo *Italico* natos fuiſſe & *Imperatus* & *Fab. Columna* teſtes αὐτόπται diſerte pronuncient. Primum *cauliculus* exit rectus, rotundus, Aſparagi craſſitie cum *foliis*, iſtiuſque plantæ concolor in cujus apice *vagina* ſeu involucrum cernitur, minus quam in Aro, ad extremitatem admodum ſubtile, undique clauſum, coloris aurei, cui viride quiddam admiſcetur. Hoc bidui ſpatio ſeſe in longum explicat, *florem Ari* modo excludit, digiti minoris longitudine, macropiperis craſſitie, colore candido, ac veluti ſerpentis linguam foris ex ore exſertam imitantem. Ubi vero tridui ſpatio emarcuerit, *botrus* acinoſus ut in Aro, ſuccedit. *Guſtus* fervidus, ſed *Ari* multum remiſſior. *V. icon. tab. æn.* 6.

In rivulis & aquoſis, non ſolum in Ægypto, *(ubi incolæ, ob uſus culinares attente & diligenter colunt) ſed & in* Creta, Cypro, Sicilia, *ſponte naſcitur. In agro* Salernitano *invenit* F. Donatus *Eremita, aquoſo loco declivi ſupra portam dictam* dell' Annunciata, *auctore* Columna.

Idem *cauliculis nigricantibus Zeylanicum exhibuit Cl.* Hermannus *in horto ſuo* Lugd. Bat.

32. Arum *Ægyptiacum* μακρόῤῥιζον, *Proſp. Alp. Exot. p.* 231. *ſive Colocaſia longa radice. Arum Ægypt. longa radice, Icon. Par.* Hoc & ſecundum ſe totum & quoad ſingulas partes proxime ſuperius explicato longe minus eſt: *folia* ſiquidem longe minora cernuntur, tenuiora, & magis in acumen deſinentia, coloriſque vireſcentis dilutioris; *pediculi* itidem ſunt longe ſubtiliores. *Guſtus* totius plantæ multo acrior acutiorque. *Radix* longe gracilior, exterius obſcurior, intus non ita alba ac alterius conſpicitur, *ſaporis* acrioris; per rectum autem in terra manere videtur, ſeu jacere ut *Betæ* radix. Hoc ſterile genus eſſe putatur. *V. icon. tab. æn.* 6.

33. Arum *Ægyptiacum tranſverſa radice, Icon. Par. Proſp. Alp. de Plant. Ægypti.* Cum præcedentibus hoc convenit; cauliculis enim, foliiſque amplis umbilicatis, ſeu non ad centrum laciniatis exornatur. *Radix* vero craſſa & carnoſa, *Iridis* in modum, tranſverſim ſe propagat, terramque occupat.

34. Arum *Ægyptiacum rotundum & minus repente radice, Icon. Pariſ. Radix* ei longa, oblique acta, in *nodos* rotundos & protuberantes geniculata cernitur; è cujus ſuperiore & majore parte, *caules foliaque* qualia congeneribus ſunt, minora tamen & in acutiores angulos protracta, oriuntur. Iſthæc *flores Ari* ſimiles, ſed minores, cum *piſtillo* longo & acuto, ad exortum amplectuntur.

35. Arum *paluſtre Malabaricum folio Nymphææ, radice arundinacea, Weli-ila, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 43. Planta eſt aquatica. *Radix* craſſa, *fibris* denſis, longis, ruffis, capillatis, in orbem veſtita, hinc inde à latere *fibras* oblongiores, craſſiores, geniculatas, ad novæ plantæ productionem emittens. *Caules* exeunt plures, virides, fungoſi, tubuloſi, molles. *Folia* oblonga ſunt & prægrandia, Colocaſiæ forma, ſaporis adurentis, ſed cocta in eduliis. In cacumine propriorum caulium, in *theca* ſeu *involucro* flavorubeſcente, ceu croceo, ſpithamam ferme longo, involutum & reconditum eſt *capitulum* oblongum, craſſiuſculum, duriolum, *globulis*, ſeu gemmulis condenſis, flavorubeſcentibus, ceu croceis, in oris dentatis, obſitum. Plura legenda loco citato.

36. Arum *Colocaſia dictum montanum hederaceum ſterile latifolium, Car. Plumier. p.* 57. *Colocaſio* hæc *hederacea*

racea dicitur, eo quod *caules* ejus pollicari craſſitie, internodiis pedalibus geniculati, ſtriati, & radiculis ad nodos provenientibus, rupes & arbores (quod utique hederæ ingenium eſt) vicinas ſcandant. E ſingulis nodis *pediculi* emergunt longi, minimi digiti craſſitie, *folia Colocaſiæ Ægyptiacæ* conformia, lævia, pallide virentia, amplitudine etiam æqualia gerentes. *Flores* ejus nondum obſervare licuit. *Guſtus* totius fervidiſſimus eſt, & incommoda ſua acrimonia fauces mire exulcerat.

In ſylvis Inſulæ Nevis *reperitur. D.* Sloane.

37. Arum *Americanum Colocaſia dictum hederaceum ſterile & laciniatum, C. Plumier. p.* 38. *Arum maximum altiſſimas ſcandens arbores foliis Nymphææ laciniatis, D. Sloane.* Ad eundem modum quo & præcedens, *radiculas* è *caulium* arundinaceorum geniculis protuberantibus emittit. *Pediculi* ſunt proxime ſuperius explicati pediculis longiores & craſſiores. *Folia* pari amplitudine, eademque conſiſtentia prædita, profunde vero ad dimidium uſque inter *nervos* à coſta media oblique decurrentes laciniata ſunt.

38. Arum *Americanum Colocaſia dictum hederaceum ſterile anguſtifolium, C. Plumier. p.* 39. Hujus *caules* tenuiores, frequentioribus *geniculis* interſecti, *radiculis* etiam enaſcentibus, donantur. *Folia* pedem circiter longa, dimidium ad baſin lata, ſubrotundis *auriculis* ſagittata, & in mucronem definentia, nervorum textura cum aliis conveniunt; ad quorum margines etiam *fimbria* per longitudinem decurrit.

39. Arum *montanum Americanum Colocaſia dictum hederaceum ſterile minus folio cordato, C. Plumier. p.* 39. *Scapus* aſſurgit craſſiuſculis, geniculatis, præcedentium magis ramoſis, quibus, & *radiculis* ſuis vermicularibus, *Labruſcæ* in modum arbores conſcendit. Cuilibet nodo adnaſcitur *petiolus* ſemipedalis, ad exortum canaliculatus, *folium* palmare, cordiforme, glabrum, pallide vireſcens, *limbo* rufeſcente circumſcriptum ſuffulciens. *Flores* harum jam dictarum ſpecierum, quemadmodum in *Colocaſia Ægypt.* raro producuntur.

In ſylvis umbroſis Inſularum Caribæarum & Jamaicæ *frequens oritur. D.* Sloane.

40. Arum *minus Nymphææ foliis eſculentum, D. Sloane. Arum Ceylonicum minus cauliculis nigricantibus & viridantibus foliis Colocaſiæ ſimilis, Commelin. Cat. Amſt. p.* 37. *Braſſica Braſiliana foliis Nymphææ, C. B. P. Braſſica foliis Nymphææ Cajoua, J. B. Tom.* 2. *p.* 835. Vidi in *Leri* Hiſt. Amer. Cap. 73. *Braſſicæ* genus quod ſylveſtres homines vocant *Cajoua*, quo in juſculis interdum utuntur. *Folia* ſunt ei lata & pene Nymphææ ſimilia. Idem *J. B.*

In agris Inſulæ Jamaicæ *ubique diligenter excultum provenit, D.* Sloane *monente.*

41. Arum *hederaceum Americanum foliis biſſectis rigidis & ſulcatis, C. Plumier p.* 43. Hoc *caulibus* pollicem cum dimidio craſſis, & deceſſu foliorum notatis, & nodoſis, *cortice* cinereo, pulverulento, tectis, *filamentiſque* longis exeuntibus, arbores vicinas fortiter & arcte comprehendit. In horum ſummitate *folia* numero ſeptem vel octo, pediculis propriis, ſeſquipedalibus, ad baſin latis, adhærentia, bipedalia, & longiora, octo pollices lata, à mucrone poſt dimidium diviſa, bina *folia Lilii convallium* ſimul juncta quodammodo referunt. *Nervus* medius ad laciniam aſſurgit, rigidus; à quo alii minores excurrunt, & bina quaſi folia, *Salviæ minoris* ad inſtar diviſa, plicata, rigida, & lucida conſtituunt. Cum foliis alii oriuntur *pediculi* ſemipedales, binis terniſve articulationibus diviſi, totidemque *foliis* concavis, longis, cinerei coloris, ornati. Hæc *fructus* cylindraceos involvunt, capillis criſpis, fuſcis, inſtratos; quibus evaneſcentibus, *fructus* ipſe intumeſcens & denudatus, *angulis* quadratis, & figura *crucis S. Andreæ* donatis, in uniuſcujuſque quadræ medietate eleganter notatur.

42. Arum *triphyllum ſive Serpentaria triphylla Braſiliana, C. B. P. & Prod. Dodart. Ariſarum triphyllum majus & elatius Braſilianum, Par. Bat. Prod.* *Radix* ei rotunda à capite ſeu ſumma parte multas tenues, albicantes *fibras* emittit. *Caulis* inferius *membrana* laxa maculoſa tegitur. Folii *pediculus* palmaris & lævis eſt, in cujus ſummo *folium* tenue, albide virens, fibroſum, ſubrotundum, trifidum (ſed in fundo *Hepaticæ nobilis* in modum junctum) in exquiſitum apicem definens, à duabus partibus inferioribus, & quidem inferne ſinum obtinens. Porro folium quodlibet uncias binas cum dimidia latum, longitudine vero uncias quatuor ſuperat. *Flos Serpentariæ majoris* forma, ſimiliter pediculo triunciali donatus, longitudine unciarum quinque, latitudine ſeſcunciali, atrorubens, ſtriatus, *venis* albicantibus per medium maxime extrinſecus excurrentibus, *piſtillo* nigricante, oblongo, quod *ſpicam* tandem producit è parvis rubicundis granis compoſitam, & *membranis* longis foliaceis cinctis.

A Canada *miſſa eſt, auctore* Dodartio.

43. Arum *triphyllum Virginianum flore pallido, piſtillo atrorubente.* Hoc à *D. Jo. Baniſter* è *Virginia* tranſmiſſum eſt. *Radicem* habet *Ari* ſimilem, ſubrotundam, tuberoſam, non ſine adnexis *fibris*. *Caulis* ex apice oritur dodrantalis & pedalis, inferius maculatus, erectus, politus; in quo *folium* expanditur in tres partes diviſum. Harum autem quælibet quatuor uncias longa, binaſque lata, utrinque mucronata, quatuor *venis* per longitudinem decurrentibus, plurimiſque *fibrillis* intermiſtis, notatur. *Flos* in proprii pediculi palmaris ſummo, *Ari vulgaris* ritu, pallide vireſcit, *piſtillum* in medio ex atro purpuraſcentem, haud longum continens. *V. icon. tab. æn.* 5.

44. Arum *minus triphyllum ſive Ariſarum pene viridi Virginianum.* Planta hæc trifoliata, minor eſt, & humilior; floret ad eundem modum quo & congenera; *piſtillus* vero pallide viret. Forte idem genus in iconibus ſuis exhibuit *D. Pluknet. Tab.* 148. Idem & *Arum triphyllum humilius & minus, Par. Bat. Prod.*

45. Arum *hederaceum triphyllum & auritum, C. Plumier. p.* 41. *Arum max. ſcandens geniculat. & trifoliatum foliis ad baſin auriculatis, D. Sloane.* Facultatem *Arorum* antea inauditam ſcandentem obtinet etiam hoc genus, quod in ſylvis humidis inſulæ *Dominicæ* vulgo *San Domingo Plumier* detexit, & icone 58. exhibuit. Inter majora cenſetur; *ſcapus* enim pollicem plus minus craſſus, longus ac teres, annulis circuliſve prominentibus dividitur; è quorum unoquoque longa filamentoſa *radicula* ſingularis enaſcitur, quibus arbores aſcendit, iiſque cohæret & coaleſcit. *Folia* ſummitatem erga, pediculis bipedalibus inſidentia, proveniunt; hæc autem in quinas partes dividuntur, media enim novem decemve pollices longa, latitudine ſemipedali, binas habet laterales, quibus ſingulis auricula ſubnaſcitur ſubrotunda. Conſimilibus pediculis inſident *flores* Ariformes, qui involutam *theculam* membranaceam & foliaceam, novem decemve uncias longam, dilute virentem, ſuſtinent, & in fundo flammeum colorem demonſtrant. *Piſtillus* in medio ad ſeptem octove pollicum altitudinem aſſurgit, cylindraceus, inferius coloris coccinei, & ſuperius aurei, *lineis* ſpiralibus decuſſatim notatus,

notatus, ſuturas quadratas componentibus, quarum quadræ variis coloribus eleganter depictæ ſunt. Quælibet pars rupta *ſuccum* effundit lacteum, ſatis viroſum & acrem.

In ſylvis majoribus Inſularum Caribæarum & Jamaicæ *frequenter occurrit. D.* Sloane.

46. Arum *polyphyllum ſive Dracunculus polyphyllus, C. B. P. Dracontium majus, Dod. Ger. Eyſt. Anguina Dracontia, Adv. Lob. Et Serpentaria colubrina. Dracunculus major vulgaris, J. B. Caulis* altitudo trium eſt pedum; craſſitudo pollicaris; color ex herbaceo palleſcens. Ille vero *ſerpentis* ſpecie è longinquo intuenti quaſi horrorem incutiens, pullis, luridis, verſicoloribus *lituris* ſive *maculis* conſpergitur; alioquin plane lævis & glaber, ſubnixus *radice* albida, rotunda, carnoſa, ſucculenta, & in ſobolem parvam lateralem extuberante, ſuperne aliquot craſſiuſculis proceſſibus fibrata. *Folia* ampla in oblongis ſimul & craſſis, lævibus, caulis ritu, quem amplexibus veluti fulciunt, verſicoloribus *pediculis* hærentia, ex una baſi in partes ſenas vel plures molles, in ambitu rugatas & *Oxylapathi criſpati* folia æmulantes, diremta, pariter *maculis* albicantibus in medio notantur. Summus *ſcapus* è *vagina* foliacea, ſtriata, & inferius *cuculli* papyracei inſtar convoluta, ſuperne vero expanſa, & in mucronatam formam deſinente, intus obſcure punicante, atque foris pallide herbacea, *piſtillum* cornutum, è puniceo colore nigricantem depromit, *Ari vulgaris* in modum, ſed majorem. Faſtigio caulis ſub thecæ cucullaceæ membranula *fructus* adnaſcitur, compactioris *uvæ* racemulum referens, & primo *baccas* virides, poſt *Ari* ad inſtar baccarum rubentes, rotundas, nec illis abſimiles profert. Hæ vero intus cohibent *ſemina* rotunda, ferventia ac mordacia. *Flos* ipſe poſt tertium diem valde fœtet. *V. icon. tab. æn. 5.*

Menſe Maio aut Junio provenit.

Variat *foliis variegatis, Schol. Bat. Par.*

47. Arum *polyphyllum Dracunculus & Serpentaria dictum, caule non maculato humilius, Cat. Hort. Lugd. Bat.* Cum præcedenti convenit; *caulis* tamen pallide vireſcens & immaculatus, pedalem altitudinem raro ſuperat; qui *folia* conformia, pallidius virentia ſuffulcit. *Flos* omnino minor, ac brevior, arcuatim incavatus, & extus & intus pallide vireſcens, *piſtillum* albicantem multo minorem amplectitur.

48. Serpentaria *major ſive Dracunculus polyphyllus Braſilienſis, Erva de Sancta Maria Luſitanis Marcgravii, 27. Caulibus* aſſurgit ad duorum pedum altitudinem, rotundis, digitum craſſis, ex viridi, flavo, & albo colore variegatis, inſtar *ſerpentis*. Quilibet ex his *folium* gerit circumferentia folii *Pæoniæ*, in quatuor aut quinque lacinias diſſectum; continetque quælibet *lacinia nervum* craſſum & varie in ambitu exſectum, pluſquam *Hieracii* aut *Chondrillæ* folia. Sunt autem folia glabra & viridia; interque ea exſurgit caulis *florem* ſuſtinens, ut in reliquis, è cujus ſummitate prodit *vagina* pedem aut amplius longa, plus quinque digitis craſſa, in extremo acuminata. Hæc ubi ſe aperuerit, pediculum ſatis craſſum monſtrat, ad quem *ſpicæ* in modum, ut in *Milio Indico*, compoſita ſunt *grana, Milii* magnitudine, ſtriata, rotunda, ſucculenta, è quinque aut ſex particulis compoſita, primo viridia, tunc flava, & *punctulis* rubris ſubtilibus variegata, ubi maturuerint rubra. In his granis continetur *ſemen* figuræ ovalis, nuclei interioris *Ceraſi* magnitudine. *Radix* rotunda eſt, *pomum* majus æquans, aut etiam ſuperans, *cuticula* ex albo colore rufeſcente tecta, ſuperius ubi caules erumpunt multa habens filamenta. Saporis eſt acris inſtar *Ari*.

49. Arum *polyphyllum Mexicanum Hoaca-Xochitl Recchi, 377. Hiſt. Mex.* Cl. hujus operis auctores plurimas Plantas inſignes exhibuerunt; tanta tamen brevitate deſcriptas, ut quam in claſſem earum quamplurimæ ſint conjiciendæ haud facile conſtitueris. Hoc *Arum* de quo jam agimus, *radice, folioque* diviſo, *Dracontium noſtras vulgare* æmulatur. *Fructus* in racemulum naſcens exprimitur, & fortaſſe flos *Ari* ſimilis foliaceus præceſſit.

50. Arum *ſive Ariſarum Virginianum Dracontii foliis, pene viridi longo acuminato, D. Pluk. Phyt. Tab.* 271. Hoc quod è *Virginia* à *D. Jo. Baniſter* tranſmiſſum eſt, *caule* aſſurgit tenuiori, cui *folium*, ut plurimum ſingulare, digitatum, in quinas ſenaſve partes rectas & oblongas diviſum, pediculo longo adhærens, inſidet. Ad eundem exortum etiam enaſcitur *petiolus* alter gracilis, *Ari theculam* membranaceam, brevem, ſuſtinens, quæ *piſtillum* tenuem & acutum, viridiſque coloris, triplo fere ipſa longiorem, amplectitur.

51. Arum *Malabaricum minus polyphyllum radice globoſa, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 41. *Katu-ſchena Incolis, quaſi Schena ſylveſtris. Radix* duriola, ruffa, fibroſa, unicum emittens *caulem*, & duum ferme digitorum tranſverſorum intervallo, inferiora verſus, brevem demittens pedem, cui nova *radix* adnaſcitur, quæ, priori emortua, ad propagationem novæ remanet plantæ. *Caulis* ſimplex eſt, viridiſilutus, ſtriatus, aqueus, in nullos cauliculos diviſus, inferius intervallo trium quatuorve tranſverſorum digitorum albicans & extuberans, ſupra extuberantiam tenuior. Tria ex illius ſummitate prodeunt *folia*, quorum duo lateralia in duas majores lacinias, ad quas minores adhuc laciniæ appendent, dividuntur rotundiolis oris, in cuſpidem contracta, tenuia, mollia, in utraque parte viridiſiluta, linguam urentia. *Floribus* deſtituitur, inquit auctor.

52. Arum *polyphyllum minus, Luph Arabum, & Dracunculus minor, Rawolf. Hort. ſicc.* 94. Minor & humilior hæc planta *folia* diviſa gerit. Pars media reliquorum congenerum multo latior, laterales vero anguſtiores & tenuiores cernuntur.

In Perſia *D.* Rawolfius *collegit.*

53. Dracontium *hederaceum polyphyllum, C. Plumier, p.* 49. Ad eundem modum quo & cæteræ hujus familiæ plantæ arbores ſcandit. *Folia* verſus ſummitatem pediculis quatuor pedes longis inſidentia, tres pedes longa ſunt, & in novem decemve partes rectas digitata, in medio vero integra & non ad centrum uſque laciniata, lævia. *Flores* petiolis brevioribus & tenuioribus adhærent. *Fructus* piſtilluſve pedum longus & ad baſin pollicem craſſus, mucronatus, nutans, & deorſum ſpectans, *lineis* ſpiralibus oblique per totam tranſeuntibus inſcriptus eſt. Hic antequam erumpat, *flore* foliaceo, membranaceo, *Arorum* ritu involvitur.

In Americæ *plaga* Martinica *detexit auctor.*

54. Arum *polyphyllum Dracunculus & Serpentaria dictum Ceylonicum, caule glabro viridiſiluto, maculis albis notato, Cat. Hort. Amſt. Schena, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 35. *Bramanibus* dicitur *Surno*, arenoſis gaudens, altitudine trium quatuorve pedum. *Radix* prægrandis, plana, rotunda, ſpithamam ferme longa, craſſa, cubitum pene lata, quæ in eduliis eſt & in foro divenditur, ſaporis aquei & nonnihil pungentis. *Caulis* exſurgit unicus, ſuperne in tres *ramulos*, qui hinc inde *ſurculos* minores emittunt, & in duos etiam craſſiores aliquando divaricantur, diviſus; ſuntque & caules & ramuli teneri, molles, glabri, viridiſiluti, albicantes, *undulis* viridiſuſcis variegati. *Folia*, quæ ramos ſurculoſque caulis, in quos dividitur, inveſtiunt, oblongo-rotunda ſunt, anguſta, ſuperius cuſpidata, viridiclara, ex inferiore parte caulis prodeuntia. *Flores* filio ante

ſunt

ſunt quam patri, proveniuntque in *capitulo* oblongo, quod cum folioſo, craſſo, albicante, intuſque ſubrubeſcente involucro e radice exſurgit, ſuntque *gemmæ* flaveſcentes capitulo circumpoſitæ, quarum inferiores majores, ſuperiores minores. Illis deciduis, caulis foliis veſtitus prodit. Tempore pluvioſo tantum reperitur, æſtivo cum inferiori parte radicis emoritur, cujus ſuperior pars fibris circumdata eſt & remanet, & denuo in craſſam excreſcit radicem. *Hort. Mal.*

55. Arum *Polyphyllum Dracontium & Serpentaria dictum folio ramoſo Pæoniæ inſtar, caule lævi, Par. Bat. Prod.* Planta hæc procera *caulem* edit rectum, ſucculentum, politum, haud adeo inſigniter maculatum. *Folia* apparent ampla, pedem lata, varie digitata & laciniata, ita ut *Pæoniæ* diviſuram obtineant.

56. Arum *Polyphyllum Dracontium & Serpentaria dictum folio ramoſo Pæoniæ inſtar caule aſpero Zeylanicum, Par. Bat. Prod. Zeylanicum caule aſpero maculis viridifuſcis & virididilutis albicantibus pulchre notato, Commelin. Caule ſcabro punicante, Par. Bat. Prod. Mulenſchena, Hort. Mal. Part.* 11. *p.* 37. Cæteris elatius eſt, ad altitudinem ferme quinque pedum aſſurgens, maxima ex parte cum præcedenti conveniens; ſed *radix* grandior eſt; *caulis* craſſior, fere in plures ramos divaricatus, numeroſioribus *foliis* veſtitus; in cortice, qui exterius virididilutus, albicans, undulis viridifuſcis perfuſus, pulchre variegatus, denſis aſperiſque & extuberantibus gemmis obſitus, inciſus uberiorem aquæ copiam exſtillans, linguam acerrime pungens & lancinans. *Hort. Mal.*

57. Arum *pentaphyllum Indicum Rumphal dictum Zanoni.* Clariſſ. auctor in Hiſtoria ſua *Bononienſi* p. 170. Fig. 78. hanc plantam in lucem edidit. *Radix* ſubrotunda eſt, *fibris* nonnullis adnatis. Illi bina oriuntur *folia* propriis pediculis longis inſidentia, in quinas partes obtuſas radiatim diviſa. *Caulis* inter ea erigitur politus, qui *florem* integrum *Ari* ſimilem flavi coloris, & ex rubro maculatum, odoris acuti, ſuſtinet. Ex hujus autem meditullio exit *lingua* ad modum linguæ *Serpentinæ* coloris ſubflavi. *V. icon. tab. æn.* 5.

58. Aro *affine Indicum Ardabar dictum, Zan. c.* 12. Herba eſt quæ facit *radicem* ſimilem *Ari* noſtri, cum aliquibus parvis *radicibus* appenſis. Ex hac naſcitur *virga* aculeis viridibus circumdata, quæ extollitur ad ſex palmos. In vertice gerit pyramidem ex *baccis* viridibus compoſitam, ad ſimilitudinem *Cupreſſi*; quæ ubi maturuerint, rubeſcunt, cum palla in medio. *Folia* duo ſunt, & à radice unde habent originem, æqualiter extolluntur, unum in aliud inſitum; ex quorum medio exit *virga* vel caulis habens *folia* ad formam ſemicirculi, cultrive calceolarii, coloris qui in viridi rubeſcit, nigris maculis aſperſa, & pulcherrima viſu. *Fructus* & *radix* ſunt calidiſſimi, quibus *Indi* utuntur contra morbos frigidos. Ita fere *Zan. V. icon. tab. æn.* 6.

His fortaſſe haud inepte ſubjungantur *Piperis herbacei* variæ ſpecies, *Saururi* dictæ. *C. Plumier.*

Temperamentum & Vires.

Ari radices & *herbam in cibum ceſſiſſe* Theophraſtus *aliique prædicant.* Sim. Paullus *pro cæli diverſitate opido variare herbarum qualitates aſſerere videtur. Sed Auctores iſti fortaſſe alias ſpecies mitiores intelligunt, ut infra docebimus.*

Arum *vero noſtras* vulgare, *præſertim quod* maculata *habet* folia, *acerrimum eſt & cauſticum. Hinc* folia *maſticata veſicas excitant in lingua; ſal enim volatile habent acerrimum & penetrantiſſimum,* Cl. Ettmullero *monente. Stomachicum eſt & pectorale, ad inveterata pectoris vitia movenda maxime utile; ſuſpirioſis morbiſque pituitoſis laborantibus, aſthmaticis, ac tuſſientibus prodeſt; à phlegmate & atra bile ſtomachum purgat; diſcutiendi & extenuandi quoſvis craſſos lentoſque humores facultate præditum eſt, ac pituitam viſcidam (potiſſimum in bronchiis) incidit & reſolvit.*

His facultatibus præditum ſaleque quale diximus abundans antiſcorbuticum eſt inſigne, æque ac diureticum; frigidiſque uterinis morbis tollendis percommodum.

Radix *tuſa, ſive ſicca ſive recens ac ad minus drachmæ pondere ſumpta, remedium eſt præſtantiſſimum ac minime fallax adverſus venenum & peſtem,* Trago *auctore. Quidam tantundem adjiciunt* Theriacæ.

Succus *herbæ expreſſus, menſura cochlearis, aut majore, potus, eaſdem habet facultates. Quod ſi illi parum aceti admiſceris quo minus linguam vellicet, perinde valet. Atque idem de radice judicium eſto.*

Noſtrates mulieres, *inquit Jo. Bauhinus,* ex Ari radicibus ſtillatitias aquas ad fucum parant, quas ad faciem erugandam illuſtrandamque magnis laudibus efferunt. Id quod etiam efficaciter præſtat inſolatus radicum ſuccus, Ceruſſæ ſpeciem inferens, quem *Gerſa* vulgo nominant, is ſiquidem mirum in modum carni ſplendorem & candorem conciliat. Eadem aqua ſuccuſve, quævis veterata ulcera purgat ſanatque.

Arum Ægyptiacum Colocaſia dictum *calidum quoque eſt, multo tamen remiſſiore gradu. A* Turcis Afris *aliiſque orientalibus populis* radices *frequentiſſime ad ventris victum adhibentur, atque à mancipiis expetuntur ac celebrantur.*

Arum polyphyllum Dracontium *dictum quiddam* Aro vulgari *perſimile obtinet, tum* foliis *tum* radice: *caterum illo tum acrius eſt tum amarius, ac proinde calefactorium magis & tenuioribus partibus. Habet etiam levem quandam adſtrictionem; quæ quandoquidem cum prædictis duabus qualitatibus, acri ſcil. & amara, conjuncta eſt, medicamentum factum eſt utique maxime efficax. Nam viſcera omnia expurgat, craſſos potiſſimum & lentos ſuccos extenuans.*

Recens radix *ferventi cinere toſta & illita, dolorificas & tumentes hæmorrhoides curat. Reſolvit ita ſcirrhoſos tumores, ſtrumas & chæradas, & lienis duritiem emollit. Cum melle & ſimo caprino illinitur utiliter partibus podagra affectis, nervorumque contuſionibus.*

Aqua foliorum cauliumque deſtillata inter alexipharmacas & pectorales præſtantiſſimas in officinis habetur.

PLANTÆ BACCIFERIS

Affines radicibus orbiculatis, pericarpiis globosis seminibus pluribus refertis.

CAPUT X.

Cyclamen.

CYclamen & Cyclaminus ἀπὸ τῦ κύκλυ *h. e. orbe seu circulo,* à radicis *orbiculari seu circulari forma dicitur.* Panis porcinus *appellatur quoniam* porci *hujus herbæ radicem quærunt; aut quia in similitudinem panis effigiatur.* Arthanita *est vocabulum* Arabicum, *atque hoc nomine indito in officinis venum prostat.*

Cyclamen est planta humilis ἄκαυλος *radice* orbiculata; *foliis* maculatis; *florum* nutantium *petalis* reflexis; *fructu* rotundo pediculo in spiram convoluto innascenti.

TABULA X. SECT. XIII.

Cyclamen

- *vernum folio*
  - *orbiculato*
    1. *Radice maxima, foliis inferne rubentibus* 3. *C. B. P. Cyclamen Romanum, Eyst.*
    2. *Flore minore ruberrimo, foliis inferne rubentibus, Coum Herbariorum, H. R. Par.*
    3. *Orientale Cornuti, Catmer Boubour Turcarum.*
    4. *Oblonga radice* 10. *C. B. P. Cyclaminus odoratus μακρόριζος, Clus. Hist.*
    5. *Album* 12. *C. B. P. Vernum flore albo, Lob. Clus. App. alt. Cur. Post.*
    6. *Luteum* 11. *C. B. P. Cyclaminus flore luteo vernus, J. B.* 553.
  - *angulosо*
    7. *C. B. P.* 4. *Cyclaminus flore rubro graciliore, J. B.* 554.
    8. *Radice Castaneæ magnitudinis* 8. *C. B. P. Cyclaminus Constantinopol. Clus. Pan. & Hist.*
    9. *Triplici viriditatis serie vario, maximis floribus albis, imo osculo purpurascente, Antiochenum nuperorum, Cat. H. R. Par.* 63.
    10. *Idem flo. maximis omnino niveis, H. R. P.*
    11. *Folio amplo, flore albo, basi purpurea, Persicum dictum, C. H. R. P.* 63.
    12. *Idem flo. carneo, basi purpurea, H. R. P.*
- *æstivum folio*
  - *orbiculato*
    13. *Inferne purpurascente* 1. *C. B. P. Cyclamen vulgare, Eyst.*
    14. *Idem flore saturatius purpurascente, C. B. P.*
    15. *Idem flore pleno, Hort. Lugd. Bat.*
    16. *Inferne ex viridi pallente* 2. *C. B. P. Cyclamen odorato flore,* 2. *Clus. Hist.*
  - *angulosо*
    17. *Odoratum folio maculato* 5. *C. B. P.*
    18. *Idem folio paullo longiore vixdum maculato, flore duplici purpurascente, Romanum recentiorum, C. H. R. P.* 63.
    19. *Radice exigua* 9. *C. B. P. Hermodactylus quorundam, Trag.*
- *autumnale fol.*
  - *orbiculato*
    20. *Circumroso folio subtus rubente odoratiss. flo. carneo Corcyrarum, C. H. R. P.* 62.
    21. *Lucido molliori & crenato, suave rubente flore Syriacum, C. H. R. P. H. L. B.*
  - *angulosо*
    22. *Sive Hederæ folio* 6. *C. B. P. Cyclaminus folio angulosо, J. B.* 553.
    23. *Idem flore albo.*
    24. *Angusto, Park. Par.*
    25. *Sive folio hederæ polyanthos* 7. *C. B. P. Byzantinus alter πολυανθὴς, Clus. Hist.*

26. *Cyclamen vernum spurium, Clus. Hist. App. alt. auct.* 1289. *Cyclamen foliis Violariæ, radice cordis effigie* 13. *C. B. P.*

Cyclamina

Cyclamina vernalia.

1. Cyclamen *radice maxima, foliis inferne rubentibus* 3. *C. B. P. Cyclamen Romanum radice maxima, flore carneo, Eyst.* *Radice* nititur magna, fusca, orbiculata, quodammodo compressa, tuberosa, ternorum prope pugnorum amplitudinem excedente, aut (quod vere de *Belgico Cyclamine* notatur) magnum *Rapum* æquante, *fibris* tenuibus raris circumquaque obsita, & aliquot quasi rudimenta caulium mentiente. Inde erumpunt longis & varie contortis, carnosis pediculis innitentia *folia* hederacea seu *Asarina*, in mucronem obtusum collecta, vel quædam magis in longitudinem protracta, prona parte rubentia, supina læte virentia, in ambitu leviter crenata. *Flores* paribus pediculis, in summitate reflexis, sustinentur, nutantes, ex una basi subtus concava, & *Stylum* pallidum tenuem è medio exserente, in quina aut plura *petala* sursum spectantia, divulsa, integra vero in fundo, carnei diluti coloris. Ubi vero deciderint, *pediculus* magis in varias spiras convolvitur; *capitulumque* gerit rotundum, *semine* inæquali ex fusco fulvescente refertum. *V. icon. tab. æn. 7.*

2. Cyclamen *vernum minus orbiculato folio inferne rubente, flore minore ruberrimo, Nobis. Cyclamen hyemale foliis inferne rubentibus, purpurascente flore, Coum Herbariorum, Cat. Hort. Reg. Par. 63.* Minoribus adnumeretur hujus *radix* tuberosa, compressa, foris fusca, *fibris* nonnullis exinde descendentibus prædita. *Folia* rotunda, unciam plus minus lata, *Cochleariæ* forma, subtus rubentia, superne virentia, maculis quibusdam cinereis aspersa, petiolis palmaribus, ad radicem tenuioribus, insidentia, una cum *floribus* brevibus, rubicundi coloris, petiolis quoque imbellibus, tenuibus adhærentibus, è superiore radicis parte oriuntur. Floribus dehiscentibus, *pediculi* in spiras, ad terram usque convolvuntur; *vasculumque seminale* rotundum, *Pisi majoris* magnitudine, *granula* plurima fusca, angulosa includit; quibus maturis, rumpitur cuticula, & ejiciuntur semina, quæ (sicut in aliis hujus familiæ) jam *tubercula* sunt; ex iis enim satis *foliola* primo oriuntur, absque germine, quemadmodum in aliis videre licet. *V. icon. tab. æn. 7.*

Exeunte Februario, Martio & Aprili mensibus floret. Semina Junio perficiuntur.

3. Cyclamen *Orientale Katmer Bouhour Turcarum, Cornuti, cap.* 21. *Tuber* hoc habet ampliſſimum, inque ejus media fere parte vulgaris similes, sed longiores exstant *petioli* teretes, carnei coloris, quorum alii foliis, floribus ornantur alii, & eodem momento ambo pullulant. *Folium* hederaceum est, nec angulosum, in ambitu tenuissime serratum; illud atropurpurascit à terra, superne pingitur diversa viriditate, in qua etiam albicant *maculæ*. *Flos* è calyce quinque *foliolis* compositio exit. Varietas in eo multiplex est: nunc quippe *foliis quinque* constat *flos* (alias pure *candidus*, alias *coloſſinus*, & ima parte elegantissime *purpurascens*.) Nunc foliorum numerus duplicatur; iste flos etiam totus *albus* est, aut hujus pars infima *purpureo* colore fimbriatur. *Folia* hæc petalave longiora sunt multo & angustiora nostratium: initio quidem dum è *calyce* erumpunt, simul intorta deorsum nutant, nec multo post latius diffusa sursum reflectuntur, ac veluti *corollam* formant, cui cavum quiddam odoratissimum subest, à quo singula *folia* profluunt; nec enim unum seorsim decidere potest, quin & universa concidant. Statim atque flos decidit, *pediculi* in spiram *serpentium* more convolvuntur, & *semen* progignunt rotunda capsula inclusum. *V. icon. tab. æn. 7.*

Floret Aprili mense. Semina Julio matureſcunt, & fere quod anni reliquum est foliis destituitur. A Constantinopoli *allatum est.* Cornut.

4. Cyclamen *oblonga radice* 10. *C. B. P. Cyclaminus longius radicatus, Eyst. J. B.* 552. qui quærit an diversa sit species. *Cyclaminus odoratus μακρόῤῥιζος, Clus. Hist.* *Radicibus* vulgare refert, nisi quod à suo rotundo tubere, prolixo & quasi nodoso, tenuiter fibrato processu, sursum versus protendatur. *Folia* magis circinatæ rotunditatis sunt, obtuse mucronata, & tenuiter circum crenata, superius aliorum more virentia & albidis *maculis* infecta, inferius rubentia. *Flores* paullo sunt strigosiores & magis rubore perfusi, satis odorati. *V. icon. tab. æn. 7.*

5. Cyclamen *vernum album* 12. *C. B. P. Vernum flore albo, Lob. Clus. Cur. post* 29. *Folia* majora, sescunciam longa, tantundem circa pediculum lata, angustiora tamen circa mucronem, per oras aliquantulum angulosa, prona parte omnino rubescentia, supina vero viridia, sed frequentibus *maculis* albis aspersa. Sub extremum Aprilem & ineunte Maio *flores* profert, qui longe minores quam in ullo *Cyclaminis* genere, ejusdem tamen formæ cum illius qui rubellum fert florem, eumque odoratum, sed nivei prorsus candoris, suaviterque (ut & illius) spirantes. *Semina* ad eundem modum quo & congenera profert.

6. Cyclamen *vernum luteum* 11. *C. B. P. Cyclaminus vernus flore luteo, J. B.* 553. *Hist. Lugd. Cyclaminus flore luteo, folio Hederæ in Regione Bosnæ, Anguil. Cyclaminus luteo flore, folio mucronato verno tempore, in Narbonæ montibus, Lob. in Adv.* Ex Synonymis variis planta hæc cognitu facilis est.

7. Cyclamen *folio angulosо* 4. *C. B. P. Cyclaminus flore rubro graciliore, J. B. Tom.* 3. *p.* 554. *Cyclamen vernum, Eyst. Cyclamen verno tempore florens, Clus. Hist.* 265. *Flores* hujus vulgari saturatiores esse *Clusius* auctor est, paulloque graciliores. *Folia* congenerum minora, in ambitu fere crispa, & foliorum *Hederæ* formam imitantia, tenuiora tamen, supina parte candicantibus *maculis* aspersa, angulorum etiam mucronibus albicantibus, prona omnino purpurascentia.

Alia est hujus *varietas longiore folio* prædita. *V. icon. tab. æn. 7.*

8. Cyclamen *radice Castaneæ magnitudinis* 8. *C. B. P. Cyclamen Byzantinum, Clus. Pan. & Hist.* 264. *Radices* orbiculares *Castaneæ* magnitudinis, valde tersum expolitumque *corticem* habent. *Folia* prona parte pulcherrime purpurascentia, & supina candicantibus *maculis* infignita, paucioribus tamen angulis prædita. *Martio* mense *flores* purpurascentes, & albos profert.

Pluribus in locis montis Capouladou *sub buxis inter rupes, haud longe à* Monspelio, *D.* Magnol. *invenit.*

9. Cyclamen *vernum angulosо folio triplici viriditatis serie vario, maximis floribus albis, imo osculo purpurascente, Antiochenum nuperorum, Cat. Hort. Reg. Par.* 63. Varietas ejusdem forte est *Cyclamen odoratum Antiochenum humile ampliſſimo flore rubro Robini, Lob. Illust.* 123. Humile, amplo *flore* pallido, imo rubro, *foliis* amplis & surrectis est. *Flores* edit ternos in uno foliato *caulículo*. *Bulbus Cyclaminis verni* similis, sed multo major, crassioribus *fibris* donatur. *Lobelius* flores initio Novembris proferre asserit.

10. Idem

10. Idem *floribus maximis omnino niveis, Cat. Hort. Reg. Par.*

11. Cyclamen *hyeme & vere florens folio anguloſo, amplo flore albo, baſi purpurea, Cat. H. R. P. 63.* *Folia* huic ſaturatiore colore viridi, obſcurioribuſque *maculis* notantur, congenerum etiam foliis latiora. *Flores* titulus indicat.

12. Idem *flore carneo, baſi purpurea, C. H. R. P. 63.*

Cyclamina æſtiva.

13. Cyclamen *orbiculato folio inferne purpuraſcente 1. C. B. P. Cyclamen vulgare, Eyſt. Odorato purpureo flore, Cluſ. Pan. & Hiſt. Cyclaminus folio rotundiore vulgatior, J. B. 551. Cyclamen vulgare folio rotundiore, Park. Cyclaminus, Matth. Dod. Tab. Cyclamen orbiculato folio, Ger.* *Radix* prope globoſa eſt, è fuſca nigricans. *Folia* Violarum ritu rotunda, viridia ſunt ac leviter circumſerrata, prona parte purpuraſcentia. *Flores* ſaturate purpuraſcunt, colore illo quem *Plinius Coloſſinum* vocat, & ſuavem odorem, minuſque vehementem emittunt. Iſtis deciduis, *capitulum* ſpiris pediculorum ſe convolventibus inſidet, ſubrotundum, mucronatum, inæquali ac è fuſco fulveſcente *ſemine* refertum, quod tamen citra aliorum ſeminum naturam (*Cl. Cluſ.* annotante) non in germen ſed in tuberculoſam radiculam, demum folia emittentem, convertitur, ut in aliis hujus generis fieri amat.

14. Idem *flore ſaturatius purpuraſcente*, & rarius *albo* reperitur. *C. B. P.*

15. Idem etiam *flore pleno, Hort. Lugd. Bat.*

16. Cyclamen *orbiculato folio inferne ex viridi pallente 2. C. B. P. Cyclamini odorati altera ſpecies, Cluſ. Pan. Cyclamen odorato flore 2. Cluſ. Hiſt.* Hoc præcedenti plane ſimile eſt: pauciora tamen ſemper *folia* proferre conſpicitur, eaque non purpuraſcentis coloris ſubtus, ſed albicantis quodammodo, aut palleſcentis, cui viridis miſtus, ut in *Aſari* averſis foliis notare licet.

Nulli ſunt Pannoniæ & Auſtriæ *ſylvoſi montes, nulli ſaltus, aut interdum in montium acclivitatibus uda prata, quæ iis non abundent. In ſaxoſis etiam montibus aut rupibus quæ Pinaſtrorum ſylvas alunt, copioſe naſcentes hæ ſpecies reperiuntur.*

17. Cyclamen *odoratum æſtivo ſolſtitio florens folio maculato 5. C. B. P. Cyclamini odorati duplex varietas, Cluſ. Hiſt. 264.* Binas has varietates hunc in modum *Cluſ.* deſcribit aſſerens: Priorem habere *folia* albis *maculis* obſcure notata, averſa parte rubentia, aliquantulum anguloſa; *flores* ſaturatius purpuraſcentes. *Alteram folia* promere averſa parte virentia, adverſa *maculis* albis, iiſque valde conſpicuis aſperſa, rotundiora ſuperioribus, & *flores* dilutiores; utroſque autem ſuaviſſimi odoris, nares etiam procul ferientis. Utrique hoc peculiare, quod vetera *folia* retineat, donec nova naſcantur. *V. icon. tab. æn. 7.*

Flores ipſo ſolſtitio æſtivo proferri incipiunt, & ad autumnale uſque Æquinoctium perſeverare obſervantur.

18. Idem *folio paullo longiore vixdum maculato, flore duplici purpuraſcente, Romanum recentiorum, Cat. Hort. Reg. Par. 63.*

19. Cyclamen *radice exigua 9. C. B. P. Cyclamen parva radice, J. B. 555. Hermodactylus quorundam, Trag. Cyclaminus montis Juliani cujus Meſues meminit, Ang. Cyclaminus radice Avellanæ, Cluſ. Pan. Æſtivus, Hiſt. 265.* Hunc ipſe nondum ſe vidiſſe fatetur; *radix* vero parva, *Avellanæ* magnitudine eſt, æſtate *florem* vulgaris majorem proferens, & *in declivitate montis naſcens qua iter faciendum eſt* iis qui *Roma Florentiam* proficiſcuntur, ultra pontem *Milvium*, ſecundum rivum *Aque traverſe* dictum.

Cyclamina autumnalia.

20. Cyclamen *autumnale orbiculato circumroſo folio ſubtus rubente, odoratiſſimo flore carneo, Corcyrarum, Cat. Hort. Reg. Par. H. L. Bat.*

21. Cyclamen *autumnale folio ſubrotundo lucido molliori & crenato, ſuave rubente flore, Syriacum, C. H. R. P. & H. L. B. Forte Cyclaminum quod vocant montis Libani, Cornuti, 211.* *Folia* & *flores* ſimul emittit autumno. *Flos* ut amplior reliquorum omnium, ita minore copia ſubnaſcitur; coloſſini coloris eſt quidem, ſed dilutiſſimi. *Folia* habet ampliſſima, quæ *cordis* effigiem repræſentant, tenuiſſime in ambitu ſerrata; ſupra verſicoloribus viriditatis *maculis* picta, è terra cum primum obſcure emergunt punicantia.

22. Cyclamen *autumnale Hederæ folio 6. C. B. P. Cyclaminus folio anguloſo, J. B. 553. Cyclaminus inodoro purpuraſcente flore, Cluſ. Hiſt. 265. Cyclaminus ſerotinus foliis hederaceis, Eyſt.* Amplis, fuſcis, & in latitudinem aliquantum preſſis, tuberoſis, conſtat *radicibus*, *Romani Cyclaminis* propemodum æmulis. Pediculi oblongi, contorti ſunt. *Folia* hederacea poſt marginis angularis ambitum magis acuta producuntur, viridia, & *maculis* in medio albeſcentibus infecta. *Flores* quinis *petalis* ſurſum reflexis, carneo colore aut hilariore rubedine tinguntur, habitu vegetiore præditi; quibus deciduis, *cauliculi* ſive *petioli* ſubrubentes qui eos ſuſtinebant, ſeſe contrahunt, & in orbiculos cæterorum ad inſtar ſe convolvunt, & in ſumma tellure per totam hyemem cum theca ſua qua *ſemina* continentur (quæ *Maio* menſe ſuccedente matura ejiciuntur) procumbunt. *V. icon. tab. æn. 7.*

23. Idem non infrequenter invenitur *flore albo.*

24. Cyclamen *autumnale folio anguſto, Park. Par.* Cum præcedenti convenit hæc ſpecies, utpote quæ *radicibus, floribus*, modoque creſcendi, non diſſimilis ſit; *folia* tamen non tot angulis conſtant, ſed triangulare formam, cum mucrone longius producto, retinent, marginibus nunc rectis, nunc circumroſis; ſuperficieque viridibus argenteis *maculis* inſignita.

E ſeminibus ſatis variæ producuntur *varietates* quoad foliorum formam externam, maculationiſque diſpoſitionem; *flores* vero conformes conſpiciuntur. Pulchritudo foliorum, menſibus hyemalibus, necnon vernalibus, hortis egregio ornamento eſt. *V. icon. tab. æn. 7.*

25. Cyclamen

25. Cyclamen *folio hederaceo polyanthes 7. C. B. P. Cyclamen Byzantinum πολυανθὲς, Cluſ. Hiſt.* Hoc (referente *Cluſio*) *foliis* gaudet hederaceis, prædicti autumnalis vulgaris non diſſimilibus; *radices* vero grandiores, *floreſque* majori copia produci aſſerit, numero 20. 50. imo & 200. An talis fœcunditas ſpeciei arguat diverſitatem necne, quærendum. *V. icon. tab. an. 7.*

26. Cyclamen *vernum ſpurium, Cluſ. Hiſt. App. alt. auct.* 1289. *Cyclamen foliis Violariæ radice cordis effigie* 13. *C. B. P. Cyclaminus vernus ſpurius flore luteo, J. B.* 554. *Venereus* è *Pyrenæis* montibus erutam aliam Plantam mittebat (*Cluſio* auctore) quam flavos flores proferre ſcribebat, & *Cyclaminum* vernum nominabat, quia ejus *radix* diverſam habebat formam: nempe *cordis*, ut vulgo pingitur, quodammodo referebat. Prodibat autem ex hujus Plantæ radice, uncialis longitudinis *cauliculus* tubi pennæ gallinaceæ craſſitudine, purpuraſcens, qui ſumma tellure in ternos aut quaternos *ramulos* dividebatur, tenues, virides, quorum longiſſimi tres uncias non excedebant. Hos obſidebant *folia* viridia, longiuſculo pediculo ſubnixa, *Violæ martiæ* foliis perſimilia, ſeptem nervis prædita, in extremo mucronata. Longiores ramuli circa ſummum faſtigium binos aut ternos *floſculos* herbacei coloris *Junio* menſe ferebant, iis fere ſimiles, quos *Ribes vulgare fructu rubro* ferre ſolet, in quibus flava quædam *ſtamina* apparebant.

Temperamentum & Vires.

Calidum ſiccumque eſt Cyclamen; *aperiendi, attrahendi, ac digerendi facultatem obtinet. Pituitam lentam & craſſam ſumptum purgat; icterum ſanat, experientia certa, præſertim ſucco cum oxymelite vel œnomelite ſumpto, & oportune deinde diligenter corpore. Sudores movet; menſes provocat; & medicamentis abortum inferentibus admiſcetur. Uſus rarus eſt internus, omnia perturbans; externe autem recens* ſuccus *abdomini illitus laxat in hydrope: idemque per nares attractus ſternutamenta ciet, caputque purgat; aurium quoque xylo involutus & injectus dolores ſedat. Linteo exceptus & ano blande applicatus in affectibus hæmorrhoidalibus leniendis plurimum valet.*

Unguentum item præbet quod externo uſu laxat & purgat; ſpleniſque duritiem, ut & ſtrumarum reſolvit.

Finis Sectionis decimæ tertiæ Partis tertiæ.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis

PARTIS III. SECTIO XIV.

De Plantis Capillaribus.

PLantas capillares epiphylloſpermas *ſeu* dorſiferas, floſculis muſcoſis & ſeminibus pulverulentis, *quaſi veſiculis, per maturitatem in binas partes deſilientibus, incluſis*; *maculis lineiſve fuſcis aut ferrugineis in prona foliorum parte naſcentibus, huc referre conſtituimus.* Acaules *etiam haud improprie appellentur*: caulis *enim proprie loquendo, eſt pars Plantæ folia floreſque ſuſtinens, ex omni latere æqualis, ſeu utrobique ejuſdem formæ. In his vero pars antica ſulcata & compreſſa eſt, cum poſtica pars elevetur & in convexam ſuperficiem aſſurgat. Pars quidem ſuſtentans (quocunque nomine appelletur) quamvis proxime radicem nuda ſit, & caulis vicem ſupplere videatur; tamen illa omnino eadem in folium excurrit, & ſic ut ſimplex pediculus, folii nervum conſtituit.*

In Sectionibus præcedentibus Plantarum claſſes & diſtinctiones a ſeminibus & fructificandi modo *potiſſimum deduximus: verum hic deficientibus notis iſtis a floribus & ſeminibus petitis, ad alios diſcriminandi modos adigimur. Nam licet* veſiculæ ſeminales (*ſicut & ipſa* ſemina) *microſcopii beneficio viſibiles fiant: cum tamen in diverſis diverſæ non ſint, vel parum inter ſe diſcrepent, ſpecificam diſtinctionem haudquaquam effecerint. Partes autem ſeminiferæ adeo minutæ ſunt ut nudos oculos utcunque acutos fugiant; ſed punctis ſeu eminentiis iſtis pulverulentis, quæ in foliorum pinnarumve dorſo naſcuntur microſcopio ſubjectis,* tubercula *quædam cernuntur* reniformia, *ſummitati digiti humani (prout per vitrum lentiforme ſpectantur) quoad craſſitudinem æqualia, & cuticula ruffa ac veluti ſquamata obducta. An his præcedant flores, vel cuticula obvelans floris loco ſit, nobis non conſtat. Sed tuberculorum cuticula defluente, rugata & ſulcata apparet congeries, e quamplurimis oviculis veſiculiſve ovali fere figura compoſita; horum enim unumquodque per ambitum faſciola membranacea, funiculo contorto ſimili, pene circumſcriptum eſt. Hæc ovicula (ſeu capſulæ oviformes) per ſiccitatem in medio fiſſura diviſa ſunt, & in lunatam curvaturam ſe explicantia ferrum equinum quodammodo repræſentant, & de ſinu uniuſcuſque ſic aperto, ſemina plurima minutiſſima, nudis oculis inconſpicua, ſed vitris interpoſitis ſinapios magnitudine, oblonga tamen, deſiliunt. Hæc nuperrime* Cl. D. Tournefortius Profeſſ. Reg. Pariſ. *& verbis & elegantiſſimis iconibus apte ſatis expreſſit. Nec multo ante alii microſcopiis uſi plurimum hac ex parte cum lucis tum ornamenti rei botanicæ conciliarunt; imprimis D.* Guil. Cole Briſtolienſis, *qui paucis abhinc annis optimis vitris uſus ſumma cura ac pari ſucceſſu, tum capſulas, tum illis effuſa ſemina examinavit. Ejus autem exquiſitæ obſervationes Latine redditæ proſtant in* D. Raii Hiſt. *Tom.* 1.

Quod

Quod Capillares *ex hiſce ſeminibus propagari queant, non eſt cur quiſpiam dubitet: ipſemet enim, experimenti cauſa, folia* Linguæ cervinæ *longiora ac veteraſcentia collegi, & pulverem averſis foliis adhærentem ſolo humido & umbroſo adſperſi, quem mox cruſtæ muſcoſæ ibidem naſcenti digitis leviter infrixi; qua abſoluta ſemente, anno ſuccedente plantæ innumeræ, foliolis tenellis & primo ſubrotundis, ſuccreverunt; adeoque nec labor meus irritus factus eſt, nec ſpes decepta.*

Quod ad numerum Capillarium *attinet, non poterit non obſervare Lector, familiam jam duplo vel triplo auctiorem fieri, additis nempe intra paucos annos plurimis raris & elegantioribus ſpeciebus majoribus noſtris ignotis, quarum longe maximam partem Inſulæ* Americanæ *nuperis Botanicis ſuppeditavere.* D. H. Sloane. M. D. Coll. Med. Lond. *nec non* R. S. Socius, *& utriuſque ſocietatis ſuæ decus, quamplurimas propriis manibus in Inſula* Jamaicenſi *collegit, & in* Angliam *redux ſecum attulit. Harum (ut & cæterarum iſtius Inſulæ) Catalogum accuratiſſimum nuper edidit, & pleniorem quam promiſit Hiſtoriam, opus quidem exoptatiſſimum, propediem expectamus. Inter collectanea rariora celeberrimi nec minus generoſi quam periti Botanici* D. Guil. Sherard. L.L.D. Capillares *plane miras ac novas, & numero multas, obſervavimus, quas ipſe pro humanitate ſua jam diu cuſtodiæ noſtræ permiſit.* Rev. Carolus Plumier *in Hiſtoria Plantarum* Americ. Gallico *idiomate nuper edita, & iconibus magnis illuſtrata, numeroſam propaginem exhibuit. Alii denique viri Botanices Studioſi, & rerum naturalium indagatores ſeduli, e* Virginia, *Inſula* Barbadienſi, Bermudenſi, *aliiſque locis, varias ad hanc claſſem pertinentes, plures ad alias, comparaverunt.*

Quamvis autem magna fuit ſpecierum acceſſio; Claſſes tamen generales ſub quibus omnes coercentur, non multæ ſunt. 1^um. *genus* folia *profert* recta, integra; *ut* Lingua cervina *eique affines infra nominandæ.* 2^um. *profert* folia recta, ſemiintegra, *h. e.* inciſuris latioribus ac minus profundis *donata,* alterno ordine poſitis, & utrinque quaſi undulatim ſerpentibus; *ejuſque pars averſa rubigine ſquaminulata ſeu furfuroſo pulvere tota obducitur; ut* Aſplenium *ſive* Ceterach. 3^um. Polypodium *continet, cujus* folia ex alis longioribus *conſtructa, non ad coſtam penitus inciſa ſunt,* maculis ruffis ferrugineiſve in dorſo notata, *quibus a præcedenti diſtinguitur.* 4^um. *Genus ſub ſe* Capillares *habet, quarum* foliorum alæ ad coſtam uſque diviſæ ſunt, *ad baſin latiores, ut plurimum* auriculatæ, & in mucronem exeuntes, lanceam quodammodo referunt, *atque idcirco* Lonchitides (*quaſi* ἀπὸ τῆς λόγχης) *vulgo appellantur.* 5^um. *comprehendit* Filices, *quarum* alæ pediculo pallido inſidentes, *diſtincte partitæ ſunt vel ad mediam coſtam rachimve ſemper diviſæ. Diſtinguuntur autem in* non ramoſas, & ramoſas; *aliæ ſunt* pinnulis haud profunde ſciſſis & quaſi dentatis; *aliæ* profundis & ad nervum ipſum inciſis. 6^tum. *complectitur* Adiantum, *pediculis politiore nitore nigricantibus,* ramoſum & non ramoſum, *quod* Trichomanes *vulgo dictum. Proximo loco ſuccedunt paucæ non* tergiferæ, Filices floridæ *dictæ, quibus peculiare eſt pulviculum ſeminalem, qui pulchris thyrſis racematim adhæret, in ſummo vertice proferre. His ultimo adjiciuntur, ut congeneres,* Lunaria & Ophioglоſſum. *Atque ita abſolvitur tota* Capillarium *ſeries, ut infra luculentius patebit.*

DE PLANTIS CAPILLARIBUS

Epiphylloſpermis.

CAPUT I.

Lingua cervina *ſive* Phyllitis.

LIngua cervina *à foliis cervi linguam referentibus dicitur. Eadem &* Phyllitis *Græce* φυλλῖτις *quaſi* ἀπὸ τῶν φύλλων *i. e.* foliis, *quod tota planta (cum ſit caulis florumque viſibilium expers) non aliud quam* ceſpes *quidam* folioſus *eſſe videatur.*

Lingua cervina *Europea* eſt Planta folioſa, acaulis, dorſifera ſive epiphylloſperma, *foliis* rectis, longis, integris, *coſtis* areoliſve obliquis, pulverulentis, & ſeminiferis, averſa parte donatis. *Americana* vero, *foliis* etiam rectis & integris prædita, fructificandi modo diſcrepat.

TABULA I. SECT. XIV.

Lingua cervina ſive Phyllitis

- *Europea*
  - *major*
    1. *Vulgaris, Cluſ. Hiſt. Officinarum, C.B.P. Phyllitis ſive Lingua cervina, J. B. 756. Scolopendria vulgaris, Trag.*
    2. *Multifido folio, C. B. P. Phyllitis polyſchides, J. B. 757.*
    3. *Altera folio velut extremis laciniis acutis innaſcente, Hort. Reg. Par.* Altera datur etiam varietas, *foliorum extremis laciniis obtuſis & dentatis.*
    4. *Folio in orbem per ſummum involuto, H. R. P.*
    5. *Sive maxima undulato folio auriculato per baſin, H. R. P. Hæc marginibus ſerratis & non ſerratis eſt.*
    6. *Latifolia per margines undulata, Nobis. Phyllitis criſpa, J. B.*
    7. *Uno pediculo bifolia, H. R. Par.*
  - *minor*
    8. *Criſpa uno pediculo trifolia, H. Reg. Par.*
    9. *Medio folii obtuſi nervo in aculeum deſinente, H. R. P.*
    10. *Auriculis extenſis, Nobis. Minor Triumfetti, p. 6.*
  - *anguſtifolia*
    11. *Lucida folio ſerrato & fere criſpo, H. R. P.*
    12. *Major ſua lanugine foliorum lacinias involvente, H. R. P.*
    13. *Sive minima folio undulato, H. R. P.*
    14. *Saxatilis Virginiana per ſummitates foliorum prolifera, Baniſterii. Phyllitis non ſinuata minor apice folii radices agente, D. Sloane Cat. Jamaic. p. 14.*
- *Americana*
  - *major*
    15. *Indica latiſſimis foliis planis Muſæ facie, Nobis. Scolopendria Indiæ Orientalis Muſæ facie, Breyn.*
    16. *Indica foliis Limonii obtuſioribus, Nobis. Polypodium Indicum foliis Limonii obtuſioribus, Breyn. Cent. 1.*
    17. *Indica foliis longis mucronatis pediculis longis inſidentibus, Nobis. Polypodium Indicum Scolopend. facie ſecundum, Breyn. Cent. 1. Et Forte Polypodium Indicum Scolopendriæ facie foliis mucronatis modo tripartitis, Breyn.*
    18. *Arboribus innaſcens folio non ſinuato tenuiori rotundis pulverulentis maculis averſa parte punctato, D. Sloane, p. 14.*
    19. *Non ſinuata foliorum limbis leviter ſerratis, D. Sloane, p. 14. Lingua cervina longo lato ſerratoq; folio, C. Plum. p. 22. fig. 39.*
    20. *Foliis acutis & ad oras ſummitatum pulverulentis, C. Plum. p. 28. fig. 40.*
    21. *Longiſſimis & anguſtiſſimis foliis, Plum. p. 28. fig. 41.*
  - *minor*
    22. *Scandens foliis anguſtis, D. Sloane, p. 15. Phyllitis ſcandens cauliculis ſquamoſis, Plum. p. 29. fig. 42.*
    23. *Scandens ſalicinis foliis acuminatis viridibus Jamaicenſis.*
  - *minima*
    24. *Scandens Muſci facie foliis membranaceis ſubrotundis, D. Sloane. p. 15. Adiantum muſcoſum Lichenis petræi facie, Cor. Plum. p. 34. Fig. 50.*

1. Lingua *cervina vulgaris, Cluſ. Hiſt. Cam. Lingua cervina officinarum, C. B. P. Phyllitis ſive Lingua cervina, J. B. Vulgaris, Park. Phyllitis, Matth. Dod. Scolopendria vulgaris, Trag. Radicibus* modoque creſcendi omnes *Phyllitidis Europeæ* ſpecies conveniunt. *Radix* enim nodoſa, è ſquamis craſſiuſculis quaſi compacta eſt, extus ex ruffo colore nigricans, intus ſubviridis, numeroſis capillaribus *fibris* inde enaſcentibus donata. Ex hac *folia* decim aut duodecim, nunc plura, nunc pauciora, abſque caulibus, ſed pediculis biuncialibus, caſtanei coloris, adnata, plana, integra, glabra, longitudine (plus minus) pedali, latitudine biunciali, in mucronem

mucronem definentia, recta, & linguam extentam quodammodo referentia, hilaris viriditatis, emergentia, ut plurimum ex erectis nutantia, humum petunt. Horum autem posticæ partes, *lineis* areolisve, vermiculis à rachi oblique applicatis similibus, primo pallidis, deinde ex luteis rufescentibus notantur, quæ *florum seminumque* minutissimorum congeries est, uti superius exposuimus. *V. icon. tab. æn.* 1.

Locis humidis, umbrosis, & saxosis, puteis, ad rupium rimas & fossas montanas, præsertim ubi aquæ sparguntur, per totam fere Angliam *gaudet; lociſque obscuris folia virorem per totum annum retinent, & sero autumno semina perficiuntur.*

2. Lingua *cervina multifido folio, C. B. P. Phyllitis polyschides, J. B. 757. Phyllitis laciniata, Clus. H. Phyllitis multifida, Ger.* Hujus *folia* cum proxime præcedentis affinitatem habent, extima vero parte in tres quatuorve lacinias dissecta & divisa sunt. *V. icon. tab. æn.* 2.

Cum præcedenti & locis consimilibus interdum reperitur. Tanquam varietas haberi debet; nec enim ætati ascribendæ sunt hujus laciniæ, quanquam ita statuat Dodonæus. *Quædam etiam sequentes vix esse species distinctæ, sed potius luxuriantis naturæ ludibria agnoscendæ sunt.*

3. Lingua *cervina altera folio velut extremis laciniis acutis innascente, Hort. Reg. Paris.* Hæc in plures, longiores, & angustiores lacinias acutas digitatur. Ejus altera datur varietas, *foliorum extremis laciniis obtusis & dentatis.*

4. Lingua *cervina major folio in orbem per summum involuto, H. R. P. Foliis* donatur satis longis; laciniæ autem quæ ad extremitates cernuntur, adeo contractæ & in se convolutæ sunt, ut orbicularem formam convexam pene constituant.

5. Lingua *cervina seu Phyllitis latifolia per margines undulata, Nobis. Phyllitis crispa, J. B.* Pallidioris est coloris quam vulgaris, & folia ei recta sunt, mucronata, marginibus undulata, & quodammodo crispata. Atque his dignoscitur à congeneribus.

6. Lingua *cervina maxima undulato folio auriculato per basin.* Elegans hæc Planta quam ex horto *Parisiensi* nos comparavimus, *folia* profert perampla, pallide virescentia, recta, integra, binis *auriculis* subrotundis ad basin dependentibus prædita, & marginibus plenis, adeo sinuatis ut anicularum collare multiplex quodammodo referant. Horum in dorso nullæ lineæ seminiferæ conspiciuntur. *V. icon. tab. æn.* 1.

7. Lingua *cervina major ex uno pediculo bifolia, H. R. Par.* Hujus *pediculus* à folii basi se dividit, & quælibet pars per ejusdem longitudinem decurrens, ad nervum medium constituendum apta nata est, ita ut bina *folia* eidem pediculo innascentia, recta appareant.

8. Phyllitis *minor crispa uno pediculo trifolia, H. R. Par.* Speciosissimæ hujus speciei *folia* longitudinem præcedentium vix assequuntur (dodrantalem enim raro superant) quorum *pediculi* primo emergentes, simplices, in tres ut plurimum, interdum vero plures, interdum pauciores partes se dividunt, totidemque *folia*, à principio plana, & in dorso aliarum ritu, *areolis* virgata, sustinent; sed superius in varias lacinias & incisuras consciſſa, & tanta serraturarum copia onerata, ut tota crispata in extremitatibus appareant. *Vid. icon. tab. æn.* 1.

9. Lingua *cervina medio folii obtusi nervo in aculeum definente, H. R. Paris.* Hæc *Phyllitidis* minor species *folia* profert recta, integra, in ambitu serrata, non in acutum mucronem (ut in aliis fit) sed in rotundum obtusum quiddam terminata, *lineis seminiferis* paucioribus in dorso notata; & (quod huic plantæ peculiare est) *nervus* medius in summitate acutus, è folii medio erumpit & partitus exstat. *V. icon. tab. æn.* 1.

10. Lingua *cervina sive Phyllitis minor auriculis extensis, Nobis. Phyllitis minor Triumfetti. Folia* integra breviora, mucronata ad eundem modum quo & reliquarum congenerum, è *radice* oriuntur, marginibus quodammodo crispis, & interdum inæquali serratura sinuata, recta, & binis *auriculis* acutis, ad basin enascentibus, ad triangularem formam quadantenus accedentia, vulgaris spissiora, splendide in superiore parte virescentia, inferiore vero albescentia. *Ad Hemionitidem vulgarem C. B. multis accedit.*

Novam hanc speciem Jo. Baptista Triumfetti *M. D.* Bononiensis, *in observationibus de ortu ac vegetatione Plantarum, icone & descriptione, exhibuit.*

11. Lingua *cervina angustifolia lucida folio serrato & fere crispo, H. R. Par.* Huic *folia* atrovirentia sunt, satis longa, aliarum congenerum multo angustiora, ad margines frequentibus incisuris sinuata & fere crispa, *lineis* brevioribus, sed latioribus ferrugineis, in aversa parte notata. *V. icon. tab. æn.* 1.

12. Lingua *cervina angustifolia major sua lanugine foliorum lacinias involvente, H. R. P. Foliis* donatur longis, angustis, laciniis ferruginea pulverulenta materia plenis copiose amictis, atque ita contractis ut rarissime appareant expansa.

13. Phyllitis *minima folio undulato, H. R. Paris.* Elegans & omnino distincta hæc species *folia* habet angustiora & aliarum congenerum breviora, auriculis destituta, in mucronem acutum abeuntia, à costa media, (quæ ruffa *lanugine* & ante & pone obducitur) insigniter ad margines undulata, non serrata, *lineisque* plurimis *seminiferis* brevioribus, sed turgidioribus, fuscis, in dorso insignita.

14. Phyllitis *saxatilis Virginiana per summitates foliorum prolifera, J. Banisterii. Phyllitis non sinuata minor apice folii radices agente, D. Sloane. p.* 14. Anno 1680. ab amico singulari *D. Jo. Banister*, rerum non tantum Botanicarum, sed & aliarum naturalium investigatore impigerrimo, è *Virginia* hæc *Phyllitidis* rarissima species nobis transmissa est. *Folia* ei angustissima, ad basin semuncialem latitudinem non excedentia, & in filamentosam angustiam post dimidium contracta, dodrantali longitudine, tenuia, virentia, pediculis pallidis gracilibus innitentia, *maculis* tenuibus fuscis ex adverso notata, à *radice* eriguntur. Demum, natura propagandi causa *folia* nutare docet, quo fit ut summitates terram attingentes *radiculas* agant, novæque plantæ inde pullulascant. Istæ autem decursu temporis idoneo radicibus ad alimentum attrahendum satis confirmatæ, à matre relinquuntur. *V. icon. tab. æn.* 1.

Quandoquidem hujus folia recta, in dorso notata sunt, & speciebus Europeis *hactenus saltem conveniunt: propterea huc referendam eam esse judicavimus, alias inter* Americanas *mox secuturas deputandam.*

Phyllitides Americanæ *pulvere ſeminifero dorſo innaſcente, ſed non lineis obliquis, quales in* Europeis *cernuntur, notatæ.*

15. Phyllitis *Indica maxima latiſſimis foliis planis Muſæ facie, Nobis. Scolopendria Indiæ Orientalis Muſæ facie, Breyn. Cent. 1. p. 129.* Conſtat hoc genus *radice* fibroſa, obſcure cinerea ſeu fuſca, & ex foliorum jam conſumptorum venis & nervis, qui materiam ferrugineam levem, ſpongioſam, fibrarum putrefactarum tanta copia eaque figura offerunt, ut eas antequam accuratius conſideraveris, *radices* muſcoſas & lanuginoſas exiſtimares. Ex venarum & nervorum horum reliquorum medio multa in orbem ordinata, *Muſæ* junioris non diſſimilia, pediculis ferme carentia, prodeunt *folia* longitudine fere cubitali, & latitudine quantam palmus immo & ſeſquipalmus implere ſolet; ſubſtantia *Scolopendriæ*, tenuia, & membranacea, colore ex ſubalbido viridantia & ad *Olivarum* conditarum vergentia. Horum quodlibet *nervus* præter morem craſſus & validus, ex purpuraſcente cinerei coloris, diſſecat, à quo rurſus utrinque innumerabiles, denſæ & ſubtiles *venæ*, linearum inſtar, in lateribus folii nonnihil ſurſum tendentes, in teneram uſque qua cinctæ ſunt *fimbriam* ſparguntur. In centro vero foliorum juxta radicem *hirſuties* quædam rigida, atra & ſplendida, velut lana aduſta, in globum *Juglandis* magnitudine conglomerata, occultatur. An vero foliorum pars ſupina, *Scolopendriæ* in modum vulgaris, pulverulentis *areolis* ruffis virgata ſit necne, hactenus nec quidquam, ut neque de natura & viribus percipere potui. Ita fere *Breyn.* *V. icon. tab. æn.* 1.

16. Phyllitis *Indica repens foliis Limonii obtuſioribus, Nobis. Polypodium Indicum foliis Limonii obtuſioribus, Breyn. Cent.* 1. *Radix* longa, repens, tenuis, valida, ſaturate viridi colore. *Folia* pediculis brevioribus ſuffulciuntur, & non multo longiora quam ſeſquipalmum ſunt, duas circiter aut tres uncias lata, ſubſtantia & forma quidem *Phyllitidis vulgaris*, ſed duriora, ſolidiora, & retuſa, *Limonii Matthioli* formam pene æmulantia. In hujus foliis reſiccatis, ſi ſole adverſo perſpiciantur, *punctula* innumera, juxta extremam fibrarum criſpitudinem apparent; quæ flores imperfectos in utero ante partum ſuffocatos arguere videntur. *Breyn. Vid. icon. tab. æn.* 1.

17. Phyllitis *Indica major repens foliis longis mucronatis, pediculis longioribus inſidentibus, Nobis. Polypodium Indicum Scolopendriæ facie* 2. *Breyn. Cent.* 1. *Radice* nititur longiore, tenuiore, ac magis albicante, minutioribus etiam *tuberculis*, & *acetabulis* prædita; ex qua *folia* pedalia longiorave, pediculis longis ſplendentibus ſuffulta pronaſcuntur *Phyllitidis vulgaris* facie, in mucronem autem longiſſimum ſubinde convexum deſinentia, & juxta baſin faſtigiata. Horum nonnulla ad *Hemionitidis* folia propius accedunt, atque in lacinias tres dividuntur. Hæc forſan Cl. auctorem eo moverunt ut *Polypodii Indici Scolopendriæ facie ſecundi ſpeciem alteram appellaret, Breyn. Cent.* 1. qui his verbis deſcribit: *Aliam* adhuc ſecundi ſpeciem aſſervo, *foliis* in tres quoque lacinias diviſis, cujus *lacinia* media ſive maxima in ambitu flammæ in modum laxe ſerrata vel potius undulata eſt. An autem ſpecies diverſa, vel idem *Polypodium Indicum Scolopendriæ facie ſit ſecundum* affirmare non audeo. *V. icon. tab. æn.* 1.

18. Phyllitis *arboribus innaſcens folio non ſinuato tenuiori rotundis pulverulentis maculis averſa parte punctato, D. Sloane, Cat. Jam. p.* 14. *Polypodium foliis Linguæ cervinæ majus, C. Plumier, p.* 26. *fig.* 38. *Charapetl, Hernand. p.* 363. *Forte Polypodium Indicum Scolopendriæ facie primum ſeu foliis acutis, Breyn. Cent.* 1. *Radix* digitali craſſitudine, longa, intus vireſcens, *Polypodii* in modum, nodis extuberantibus prædita eſt, *fibriſque* plurimis enaſcentibus, truncis arborum veterum & ſenio confectarum, inſtar *Viſci* præcipue (D. *Sloane* monente) innaſcitur. *Folia* exſtant pediculis brevibus ſuffulta tres pedes longa, binas ternaſve uncias lata, recta, modice undulata, & mucronata, *linea* altera ad margines tota fimbriata, & hilari virore donata, pediculis curtis inſidentia, qui in coſtam mediam continuantur, unde *venæ* obliquæ & parallelæ lateraliter decurrunt; interque has binæ *macularum* pulverulentarum rotundarum ſeries conſpiciuntur.

In Inſula Jamaicenſi, *in collibus umbroſis, prope* Hope River *in* Liguanee D. Sloane, *& in inſulis* Antillis C. Plumier *invenit.*

19. Phyllitis *non ſinuata foliorum limbis leviter ſerratis, D. Sloane. p.* 14. *Lingua cervina longo lato ſerratoque folio, Plum. p.* 27. *fig.* 39. E *radicis* ſoliditate numeroſæ *fibræ* nigricantes breves, complicatæ excreſcunt. *Folia* emergunt integra, duos treſve pedes longa, & tot uncias lata, in mucronem etiam deſinentia, in ambitu dentata, ſuperne viridia, inferne *lineis* pulverulentis fuſcis, ad *venas* obliquas hærentibus, notata.

In ſylvis magnis mediterraneis inſulæ Jamaicæ D. Sloane, *& in inſula* Martinica C. Plum. *collegit.*

20. Lingua *cervina foliis acutis & ad oras ſummitatum pulverulenta, C. Plum. p.* 28. *fig.* 40. Huic *radix* craſſiuſcula, ex implexis brevioribus *fibris* enaſcentibus compoſita, ſex ſeptemve *folia* promit recta, pedem longa, ex anguſto principio in uncialem latitudinem ſeſe in medio dilatantia, & in mucronem acutiorem deſinentia, *nervo* nigricante per medium longitudinaliter tranſeunte, margine una vel altera denticulatione gradatim inciſo, & poſt dimidium *limbo* pulverulento, ruffo, turgeſcente, prætexto.

In inſula Dominica C. Plumier *ſponte naſcens reperit.*

21. Lingua *cervina longiſſimis & anguſtiſſimis foliis, C. Plum. p.* 28. *fig.* 41. *Radix* muſcoſa ex *fibris* brevioribus *folia* emittit anguſtiſſima, recta, tres pedes longa, pergameni ſoliditate prædita, ſupina parte viridia, & è contra *lineis* plurimis tranſverſis, ab utroque margine naſcentibus, notata.

In inſula Dominica *collegit* C. Plumier.

22. Phyllitis *minor ſcandens foliis anguſtis, D. Sloane. p.* 15. *Phyllitis ſcandens cauliculis ſquamoſis, C. Plum. p.* 29. *fig.* 42. Plurimos edit *cauliculos* hederaceos, ſcanſiles, fibroſis *radiculis* adnatis, quibus arbores ſcandit, & cortice è ſquamis filamentoſis, anguſtis, creberrimis, acuminatis, ſubfuſci aut caſtanei coloris compoſito, tectos. *Folia* laurina, ſarmentis alternatim poſita adhærent, recta, tres quatuorve uncias longa, pollicem lata, nonnunquam undulata, & in mucronem abeuntia, ſuperne virentia, inferne vero inter nervos *maculis* pulverulentis leucophæis, verrucarum inſtar rotundis, rarius conſperſa.

In ſylvis mediterraneis inſulæ Jamaicæ D. Sloane *obſervavit, & in inſula* Martinica & Dominica *detexit* C. Plumier. *In Collectaneis* D. Sherardi, *è* Jamaica *allata habetur hæc planta.*

23. Phyllitis *minor ſcandens ſalicinis foliis acuminatis viridibus.* Hæc quæ ſervatur in horto ficco locupletiſſimo

tiſſimo *D. D. Sherard*, & ex inſula *Jamaicenſi* delata eſt, *viticulos* profert graciles, læves, *radiculis* hinc inde enaſcentibus præditos, quibus ſine dubio arbores aſcendit. His ad uncialem intercapedinem, adnaſcuntur *pediculi* latiuſculi, compreſſi, unciales, qui viticulos vaginatim amplecti videntur, & *folia* ſaliginea, tres quatuorve uncias longa, ſemunciam lata, & ſe in mucronem acutum ſenſim anguſtantia, tenera, utrinque viridia, ad unum latus ſpectantia, ſuſtinent.

24. Phyllitis *ſcandens minima Muſci facie, foliis membranaceis ſubrotundis, D. Sloane. p. 15. Adiantum muſcoſum Lichenis petræi facie, Plum. p. 34. Fig. 50. Filix Hemionitis lichenoides Americana Fungi auricularis Cæſalpini æmula, radice reptatrice, D. Pluk. Alm. 155. Tab. 285. 3.* Elegans planta jam nominata, *radiculas* habet *Graminis canini* in modum repentes, graciles, *fibris* nigricantibus adnexis, quibus rupes arborumque truncos, in humidis & umbroſis locis, comprehendit. Ex his proveniunt *folia* brevia, uncialem aut ſeſcuncialem longitudinem non ſuperantia, pollicemque lata, & *Lichenis vulgatioris cinerei, C. B.* foliis quodammodo conformia, ſuperius ſubrotunda, inciſuris quibuſdam diſſecta, marginibus ſerrata, & *membrana* pulverulenta circumcincta, viridia, *lineis* rectis veniſve ab inferiore parte ad extremitates notata, & flabelli coſtarum ad inſtar, nonnulliſque aliis tranſverſim decurrentibus, inſignita. Hæc *Fuco maritimo noſtro Galli pavonis pennas referenti, C. B.* venis tranſeuntibus, haud multum diſſimilis eſt.

His adjiciantur quædam affines plantæ non niſi nomine tenus compertæ, quarum uberiorem notitiam ex Hiſtoria Jamaicenſi *V. Cl. D. D.* Sloane *auſpicijs in lucem proditura partum iri ſperamus. Nec dubitare fas eſt quin accuratiſſime deſcriptas eas exhibiturus ſit plantas quas ſolo natali provenientes ipſe oculis notaverit.*

Phyllitidi *ſcandenti affinis major folio craſſo ſubrotundo.* Truncis arborum altiorum vel rupibus humidioribus mediterraneis ubique fere innaſcitur. *D. Sloane.*

Phyllitidi *ſcandenti affinis minor folio craſſo oblongiori.* In ſylvis mediterraneis Inſulæ *Jamaicæ* naſcitur.

Phyllitidi *ſcandenti affinis minima folio craſſo oblongiori.*

Phyllitidi *ſcandenti affinis minor graminifolia folio oblongo acuminato, foliorum pediculis alis exſtantibus acutis.*

Phyllitidi *ſcandenti affinis major graminifolia folio oblongo acuminato foliorum pediculis alis exſtantibus acutis.* Idem hiſce tribus quod & ſecundæ proxime ſuperius memoratæ natale ſolum eſt.

Phyllitidi *ſcandenti affinis minor foliis ſubrotundis acuminatis ex adverſo ſitis.* Truncis arborum innaſcebatur prope ripas fluminis *Rio d' oro* dicti. *D. Sloane.*

Phyllitidi *affinis Indica foliis Ari, Hort. Mal. Part. 12. Tab. 10. Radices* parvæ, ruſſæ, duræ, fibroſæ, ſaporis aquei, odoris muſcoſi. *Folia* plura ſimul è radice proveniunt; quorum *pediculi* longi, rotundi, firmi, lignoſi, nigri, nitentes, hinc inde *lana* floccida, candida, veſtiti, ubi primo progerminant, penitus illa obducti, quæ poſtea perit. *Folia* juniora formam harpagonis referunt, viridia, lana candida tecta, deinde fuſceſcunt, oblonga, tenera, glabra, in acutum quiddam deſinentia, duobus circulis circa pedem inciſa, dura, nitentia, ſine coſtis vel venis conſpicuis; cauli pediculove videntur affixa, non inſerta. Nunquam floret, diu ſuperſtes eſt. *Folia* toto anno decidunt, & denuo proveniunt.

Phyllanthos *Americana planta è ſingulis foliorum crenis flores proferens, Par. Bat. Prod.* Planta hæc elegans in *Horto Regio Hamptonienſi* adſervata, *Phyllitidis* in modum *folia* plurima, integra, dodrantem longa, rigida, viridia, acuta, ſemuncialem latitudinem non ſuperantia, ad margines *crenis* rarius dentata, pediculis pene deſtituta, profert. Ex horum ſingulis crenis, ac ipſo crenæ angulo *tuberculum* maculave fuſca pulverulenta, qualis in dorſo aliarum plantarum *capillarium* adhæret, enata eſt. *Cl. D. Plukenetius Tab. 247.* iconem plantæ exhibuit, caule pediculove aſſurgentis, cui per intervalla alterna poſitione adnaſcuntur *folia* jam dictarum *phyllitidum* foliis conſimilia, ſex ſeptemve numero, ex uno eodemque exortu in caule provenientia. Fortaſſe ab ea quæ in Horto antedicto viſa à nobis eſt, non differt, ſed maturiore ſtatu collecta videtur fuiſſe.

Hemionitidi *affinis Americana epiphyllanthos folio ſimpliciter pinnato, Hippogloſſi æmulo, radice reptatrice ligneſa, ad foliorum crenas florida, D. Pluk. Tab. 36.* Hujus *folium* in ſculptis editum, pinnatum, ex ſeptem octove *alis* alternatim & per intervalla rachi medio adhærentibus, unaque extremum claudente, uncialis aut biuncialis longitudinis, utrinque acuminatis & rhomboideam formam conſtituentibus, conſtat. Uniuſcujuſque *alæ* bina latera angulum acutum pediculum verſus efformantia, ut plurimum plana ſunt, & à medio ſine obtuſis angulis in mucronem aſſurgentia, dentata, & ſecundum denticulationes limbo pulverulento notata apparent.

Temperamentum & Vires.

Lingua cervina *modice refrigerat & ſiccat; adverſus lienis affectus percommode adhibetur: & propter aſtringentem qualitatem quam prodit ſapor ejus acerbus, dyſenteria exagitatis prodeſſe concludit* Galenus. Folia *in vino pota ſerpentum morſibus adverſantur, auctore* Dioſcoride. *Adverſus rachitidem inter alias nonnullas* capillares *huic malo ſubvenientes commendatur.*

PLANTÆ

PLANTÆ CAPILLARES

Foliis ut plurimum integris.

CAPUT II.

Hemionitis.

HEmionitis *Græcis* ἡμιονῖτις *quasi mularia, quod hæc planta mulis* (τοῖς ἡμιόνοις) *gratissimum pabulum ſuppeditet.*

Hemionitis eſt *Linguæ cervinæ* proxima *foliis* ut plurimum integris, brevioribus tamen, & in hederaceos angulos expanſis, quorum *nervi* à ſummo petiolo ſeu centro ad margines diſtribuuntur.

TABULA II. SECT. XIV.

Hemionitis
- *folio integro*
  - *longiore*
    1. *Vulgaris, C. B. P. Hemionitis vera, Cluſ. Hiſt. Dod. Ger.*
    2. *Dupliciter auriculato, Nobis. Hemionitis minus vulgaris, C. B. P. Peregrina, Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Park. Ger.*
  - *hederaceo*
    3. *Luſitanica anguloſo folio, Tournefortii.*
    4. *Americana lineis ſeminiferis tenuiſſimis in dorſo notato, Nobis. Hemionitis peregrina foliorum ſegmentis ſinuatis longioribus & magis acuminatis, ſive Hederæ folio anguloſo, D. Sloane. p. 15. D. Pluk. Alm. 155. Tab. 287. 4.*
    5. *Hirſuto & magis diſſecto ſive Ranunculi folio, D. Sloane. p. 14. Hemionitis aurea hirſuta, C. Plum. p. 23. Fig. 33.*
- 6. *Maxima trifolia, C. Plum. p. 22. Fig. 32. Filix ſive Hemionitis dicta Caribæarum, ampliſſimis foliis trifoliata, D. Pluk. Alm. 155. Tab. 291.*
- 7. *Maxima quinquefolia, C. Plum. p. 22. Fig. 31.*

1. Hemionitis *vulgaris. C. B. P. Hemionitis, J. B. Dod. Hemionitis vera, Cluſ. Hiſt. 214. Major, Ger. Park.* Hemionitis Phyllitidi ſimilis foret, niſi *folia* ejus in inferiore ſede latiora eſſent, & utrinque angulos haberent prominentiores, veluti *Ari* ac *minoris Dracunculi.* Sunt enim inferius lata & ſemicirculi inſtar, fere dimidiatæ ac διχοτόμῳ Lunæ in modum, aut ſinu *Ariſtolochiæ* ſimili excavata, reliqua parte anguſtiora, tres quatorve uncias longa, & in acumen deſinentia; anteriore etiam ſuperficie lævia ac viridia. A tergo quædam vermiculorum ſpecie ipſis quoque adhærent. *Radices Phyllitidis* haud diſſimiles, è pluribus tenuibus *fibris* demiſſæ, auctore *Dodonæo.* *V. icon. tab. æn. 1.*

2. Hemionitis *integro folio dupliciter auriculato, Nobis. Hemionitis peregrina, Cluſ. Hiſp. & Hiſt. Ger. Park.* Hujus *folium* præcedentis omnino reſpondet folio, niſi quod inferiore ſede ac circa baſin duplices veluti apophyſes utrinque habeat. Si cui *Phyllitidem auriculatam* appellare lubeat, eum reprehenſione dignum eſſe minime crediderim. *V. icon. tab. æn. 1.*

In Italia *ſponte naſci dicitur* Hemionitis, *unde & exſiccatam habemus.*

3. Hemionitis *Luſitanica hederaceo anguloſo folio, Nobis. Hemionitis Luſitanica elegantior, Tournefortii Elemens Bot. p. 436. Folia* palmaris & amplioris latitudinis, in quinque angulos, medio nonnihil longiore, *Hederæ helicis* in modum dividuntur; latiora tamen, & prona parte *Linguæ cervinæ* ritu, *areolis* pulverulentis, à quinis nervis, angulos extendentibus, ad margines oblique tendentibus, inſignita.

4. Hemionitis *Jamaicenſis hederaceo folio, lineis ſeminiferis tenuiſſimis in dorſo notato, Nobis. Hemionitis peregrina foliorum ſegmentis ſinuatis longioribus & magis acuminatis, ſive Hederæ folio anguloſo, D. Sloane. p. 15. D. Pluk. Alm. 155. Tab. 287. 4.* Hujus *folia* præcedentis omnino conformia ſunt, & cordato ſinu ad baſin ad eundem modum donata, ſupina parte lævia, ſed è contra, quamplurimis *lineis* tenuiſſimis obliquis, rectis, creberrimis eleganter decurrentibus, notata, quibus potiſſimum differt à congeneribus.

E Jamaicenſi *inſula acceptam habemus.*

5. Hemionitis *hirſuto & magis diſſecto ſive Ranunculi folio, D. Sloane. p. 14. Hemionitis aurea hirſuta, Car. Plum. p. 23. Fig. 33. Filix Hemionitis dicta Saniculæ foliis villoſa, D. Pluk. Alm. 155. Tab. 291. Fig. 4.* E *radicibus* comoſis, nigricantibus, oriuntur novem decemve *folia,* pediculis rectis, ſemipedalibus plus minus, teretibus, rubeſcentibus, inſidentia, in biuncialem latitudinem extenſa, & in quinque angulos, *Ranunculi Saniculæve vulgaris* in modum diviſa, denticulis ſubrotundis ſerrata, ſuperne ex hirſutie viridia & ſplendentia; inferne vero inter *pilos albidos* quibus ſcatent, & quibus pediculi & folia veſtiuntur, *pulvere* ex fuſco aureo implentur; & (quod obſervatu dignum eſt) è folii medio ſeu nervo, nonnunquam *foliolum* alterum pullulans, in tres partes frequenter diviſum, ejuſdem conſiſtentiæ, adhærens, enaſcitur.

In ripis umbroſis torrentis cujuſdam ſylvæ inter locum dictum 2. Mile Wood *& villam* Savannæ Jamaicenſis, *invenit D.* Sloane. *In conſimilibus locis inſulæ* Martinicæ *legit* C. Plumier.

6. Hemionitis *maxima trifolia, C. Plum. p. 22. Fig. 32. Filix ſive Hemionitis dicta Caribæarum ampliſſimis foliis trifoliata, D. Pluk. Alm. 155. Tab. 291. Forte Hemionitidi affinis Filix major trifida auriculata pinnis latiſſimis ſinuatis, D. Sloane. p. 18. Et Caticaa ſive Polypodium, Piſ. p. 233.* E *radiculis* capillaceis, nigricantibus,

tibus, exſurgunt *pediculi* læves, ad nigredinem tendentes, ſemipedales, *folia* terna, aut unum tripartitum ſuſtinentes; medio aſſurgente majori, pedem pene longo, dimidium lato, circa medium denticulatione utrinque gradum æmulante, ſinuato. *Folia* hæc membranacea, tenuia ſunt, viridia, lævia, & *maculis* pulverulentis, verrucarum inſtar, inter *venas* obliquas & curvatas, à coſta media decurrentes, ordinatim in dorſo inſignita.

In Inſulis Martinica & Dominica C. Plumier *ſponte naſcentem detexit.* Cl. D. Sloane *ſuam in Inſula* Jamaicenſi *prope locum* Orange Walk *dictum legit.*

7. Hemionitis *maxima quinquefolia, C. Plum. p. 22. fig. 31. Radix* ei à *filamentis* quamplurimis enaſcentibus compactilis, pediculos emittit læves, pallidos, altitudine tripedali. Horum quilibet *folium* ſuſtentat quinquepartitum, cujus media pars pedem circiter longa, ſemipedemque lata, in mucronem definit. *Alæ* ex adverſo naſcentes, nonnihil minores, integræ, quodammodo ſinuatæ atque inferiores auricularum ſpecie, ſinu inſectæ ſunt, pallide virentes, & in dorſo minutiſſimo pulvere nigreſcente conſperſæ.

In ſylvis humidis & ad rivulos Inſulæ Dominicæ C. Plumier *detexit.*

Hemionitis *Aſari folio, D. Sloane, p. 14.*

Hemionitis *foliis atrovirentibus maxime diſſectis, ſive Filix Geranii Robertiani folio, D. Sloane. p. 15. Hemionitis profunde laciniata, ad oras pulverulenta, Plum. p. 24. fig. 34. &*

Filix Hemionitis *dicta Americana ſpecioſa, folio ſecuris Romanæ figuram æmulante, D. Pluk. Alm. 155. Tab. 36.*

Quandoquidem hæ plantæ jam nominatæ *pediculos* proferunt nitore ſplendido nigricantes, oraſque pulverulentas, ad *Adianti* familiam potiori jure attinere judicavimus, & *Adianta monophylla* appellare placuit. De quibus infra ſuo loco.

Vires & Uſus.

Hemionitis *eſt herba ſplenetica, & iiſdem pollet viribus quibus &* Lingua cervina.

PLANTÆ CAPILLARES

Foliis rectis ſinuatis, ſeu ſemiintegris.

CAPUT III.

Aſplenium *ſive* Ceterach.

A Splenium & *Aſplenon Græcis* ἀσπληνον, *quod herba ad curanda vitia* ſplenis *idonea ſit.* Scolopendria *à foliorum forma nuncupatur; nam Animalculo ex genere multipedum, quod Græcis* σκολοπένδρα *dicitur, ſimilia ſunt.* Ceterach Arabes *appellant; atque hoc nomine in officinis venum proſtat.*

1. Aſplenium *ſive Ceterach, J. B. Ceterach officinarum, C. B. P. Aſplenium, Matth. Dod. Lob. Turn. Caſt. Hiſt. Lugd. Scolopendria, Trag. & Tab. Radicum* loco tenues, ſubnigræ, inter ſe complicantur *fibrillæ. Folia* in orbem expanſa, digiti humani longitudine, æque ac latitudine, recta, pediculis brevibus adnata; qui quidem pediculi in coſtam mediam exporriguntur. Ad margines profunde ſinuata ſunt folia, inciſuris ſuis rotundis alternatim & ordine diviſa, ſeu quavis lacinia adverſus medietatem oppoſitæ, ſed non ad coſtam uſque inciſa; ſuperius glabra & virentia, inferius molli *lanugine* ruſſa, & pulverulenta, non *maculis* lineiſve tantum, ut in aliis, ſed penitus obducta & contigua, unde coriacea quaſi craſſities iis conciliatur. *Folia* exſiccata *crenis* involvuntur, & in teretem formam contrahuntur, quam & in officinis venalia conſervant.

In rupium aridarum rimis, ſaxoſis, vetuſtiorum murorum fiſſuris, præſertim in Wallia *& occidentalibus* Angliæ *comitatibus, paſſim provenit, totoque anno viret. V. icon. tab. æn. 2.*

2. Scolopendriæ *ſive Aſplenii facie planta Æthiopica ſummis pinnis acuminatis, ſubtus ſericea lanugine ex ruſſa candicante villoſa.* Ex itinere in *Africa* ſuſcepto, D. *Alex. Browne* Chirurgus peritiſſimus, Plantam hanc nobis novam, cum aliis plurimis rarioribus, ad reditum attulit, & cum *D. D. Plukenetio,* tunc temporis *Almageſtum* ſuum edituro, communicavit, qui & icone *Tab.* 313. ſculpi curavit, & in libro citato p. 336. hoc nomine deſcriptionem continente exhiberi voluit.

Aſplenii Temperamentum & Vires.

Facultatem leviter reſiccantem habet Aſplenium, *& nonnihil calefacientem. Lienem tumidum minuit, ſeu reſedat; malo hypochondriaco, aliiſque morbis quorum ſedes in liene depravato vulgo ſtatuitur, corrigendis conducit; hepar expurgat; & ictericis convenit; calculos comminuit, urinam & menſes pellit; fœminis tamen haud commendabile ſi (quod ſuſpicari pronum eſt) conceptionem impediat, & ſterilitatem inducat.*

Commendatur extrinſecus ad vulnera & ulcera exſiccanda.

PLANTÆ EPIPHYLLOSPERMÆ

Foliis rectis profunde inciſis, ſed non ad coſtam diviſis.

CAPUT IV.

Polypodium.

POlypodium *Græc.* πολυπόδιον à radice *dicitur, quæ* tubercula, cirros, & acetabula, Polyporum *ſimilia oſtendit. Ideo* Polypodium *vocatur quaſi* πολύπους, *multipes.*

Polypodium vulgo habetur planta epiphylloſperma, *radice* repente, nodoſa, prædita, cujus foliorum *inciſuræ* rotundæ & profundæ mediam coſtam non attingunt, ſed folium ſecundum coſtam continuatur. Alias novas extraneas ſpecies propter conformitatem foliorum, utcunque *radices fibratæ* aliud ſuadent, huic ſeriei adjungere & *Polypodia* appellare libuit.

TABULA III. SECT. XIV.

Polypodium

minus

1. *Vulgare, C. B. P. Polypodium majus, Dod.*
2. *Americanum pinnulis rariſ ſubtus cinereis, D. Sloane. p. 16. An Polypodium radice tenui & repente, C. Plum. p. 25. Fig. 36?*
3. *Virginianum foliorum inciſuris obtuſioribus. An Filix Polypodium dicta minima Virginiana platyneuros, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 289?*
4. *Virginianum vulgari ſimile pinnulis ſerratis. An Filix Poypodium dicta major ſerratis foliis Virginiana, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 287?*
5. *Virginianum foliis brevioribus ſubtus argenteis, Nobis. Filix Polypodium dicta minima Jamaicenſis foliis averſa parte ferrugineo pulvere Aſplenii ritu circumquaque reſperſis, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 289.*
6. *Virginianum tenerius foliis minutim ſerratis.*
7. *Americanum medium foliis variis pinnulis obtuſis, binis macularum ordinibus inſignitis, Nobis. Filix non ramoſa Scolopendrioides, Plum. p. 7. f. 11. Lonchitis Aſplenii facie pinnulis variis, viz. ſubrotundis & ex utroque latere auriculatis, D. Sloane. 16.*
8. *Cambrobritannicum lobis foliorum profunde dentatis, Nobis. Filix ampliſſima lobis foliorum laciniatis Cambrica, D. Pluk. Phyt. Tab. 30.*
9. *Romanum lobis inæqualiter ſinuatis, Nobis. Filix Polypodii facie, Triumfetti.*

majus

10. *Virginianum Oſmundæ facie tenerius, Nobis. Filix Indica Polypodii facie, Mentzelii. Filix Indica vel Herba viva foliis Polypodii, S. Paulli.*
11. *Jamaicenſe elatius alis longioribus punctis aureis averſa parte notatis, Nobis. Polypodium majus aureum, C. Plum. p. 25. Fig. 35. Polypodium altiſſimum, D. Sloane. p. 15.*
12. *Africanum pediculis folioſis, lobiſque planis, Nobis. Filix Africana maxima Polypodii facie, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 179. 1.*
13. *Indicum foliis latiſſimis, Commelin. Panna-kelengo-mara-vara, Hort. Mal. Part. 12. Tab. 11.*
14. *Indicum arundinacea radice, foliis latiſſimis ut plurimum perforatis, Nobis. Ellettadi-Mara-vara, Hort. Mal. Part. 12.*
15. *Indicum ſive Exoticum folio Quercus, C. B. P. Polypodium Indicum, Cluſ. Exot. J. B.*
16. *Indicum radice craſſa, petiolis ſpinoſis, Welli-panna-kelengu-mara vara, Hort. Mal. Part. 12. Tab. 12. & 13.*

1. Polypodium *vulgare, C. B. P. Park. Polypodium, J. B. Radix* ſub terræ ſuperficie reptat, digito tenuior, altius *fibras* ſuas ex *tuberculis* quibus plurimis ſcatet demittens, colore foris buxeo, intus fere herbaceo, ſapore dulci, tandem acerbo & adſtringente, & *acetabulis* iis ſimilibus quæ in *Polyporum* ac ſeparium cirris apparent, & quæ foliorum pediculis inde decidentibus notantur. *Folia* hinc oriuntur recta, pediculis longis gracilibus, lævibus, inſidentia, dodrantem longa, binas uncias lata, altis inciſuris obtuſis ſecta, ſed non ad coſtam uſque diviſa, nec dentata, anteriore parte viridia, lævia; à poſteriore veluti adhærentibus *verrucis* pulverulentis, è luteo colore fuſcis, ſeriebus per lobi nervum ordine diſpoſitis, leviter exaſperantur, quæ *floſculos* luteos, & deinde *ſemina* minutiſſima, aliorum hujus familiæ ſimilia, reniformia ſervant. *V. icon. tab. æn. 2.*

In veterum arborum carie exeſarum caudicibus, tum & ſuper veteres muros, ac ædium tecta, non infrequens occurrit; ſubinde in ſylvis & aggeribus reperitur. Quod in veterum Quercuum caudicibus enatum eſt, in medicina à quibuſdam immerito commendatur.

2. Polypodium *minus pinnulis rariſ ſubtus cinereis, D. Sloane, p. 16. Polypodium radice tenui & repente, C. Plum. p. 25. fig. 36. Vulgari* plurimis accedit; *radices* tamen tenuiores, *Graminis canini* in modum repentes, inter Muſcum rupes tegunt. *Folia* breviora, conſimili diviſura, *maculis* aureis in dorſo notantur.

In ſylvis Jamaicenſibus, *nec non inſulæ* Dominicæ *rupibus naſcens reperitur.*

3. Poly-

3. Polypodium *Virginienſe minus foliis obtuſioribus. An Filix Polypodium dicta minima Virginiana platyneuros, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 289?* Minor apparet hæc ſpecies, *foliis* brevioribus, *ſegmentiſque* obtuſioribus donata, quibus præcipue dignoſcitur. *V. icon. tab. an. 2.*

4. Polypodium *Virginianum vulgari ſimile pinnulis ſerratis. Filix Polypodium dicta major ſerratis foliis Virginiana, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 287. 1.* Hujus *folia* amplitudinem *Vulgaris* æquant, & *maculis* conſimilibus prona parte inſigniuntur; *ſegmenta* vero quodammodo acutiora, ad oras dentata ſunt.

5. Polypodium *minus Virginianum foliis brevioribus ſubtus argenteis, Nobis. Filix Polypodium dicta minima Jamaicenſis foliis averſa parte ferrugineo pulvere Aſplenii ritu circumquaque reſperſis, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 289.* Huic *radices* ſunt tenuiores, nigricantes, numeroſis enaſcentibus fibris præditæ. *Pediculi* emergunt villoſi, breviores, folia minora, breviora, & obtuſiora ſuſtinentes; quæ in dorſo lanuginoſa pulverulenta materia, argentei coloris, *punctuliſque* aureis reſperſis, penitus *Aſplenii* in modum obteguntur. *V. icon. tab. an. 2. Elegantem hanc ſpeciem è* Virginia *acceptam habemus.*

6. Polypodium *Virginianum tenerius & minus foliis minutim ſerratis.* Teneriora ac tenuiora, utrinque viridia ſunt hujus *folia*, pediculis brevioribus innitentia. *Lobi* ad eundem modum quo & in aliis diviſi, marginibus argute ſunt denticulati, quibus ab aliis differt. *V. icon. tab. an. 2.*

7. Polypodium *Americanum medium foliis variè, pinnulis obtuſis binis macularum ordinibus inſignitis, Nobis. Lonchitis Aſplenii facie pinnulis variis, viz. ſubrotundis & ex utroque latere auriculatis, D. Sloane.* Mirum in modum transformatur hæc planta: primo enim *coſtæ* cernuntur pallidæ, in orbem diſpoſitæ, palmares & dodrantales, ad extremitates humum petentes, ubi *radices* agunt, plantæque novellæ exinde pullulant. Ex his enaſcuntur *alæ* nunc ex adverſo, nunc alternatim poſitæ, lata baſi ſeſſiles, obtuſæ, diſtinctæ ac pene ſubrotundæ crenis rotundiuſculis denticulatæ: quo ſtatu *D. D. Pluknetius* accepit & *Adiantum ſive Filicem trichomanoidem Jamaicenſem pinnulis auriculatis dentatis ad baſim amplioribus, radiculas ex nutante apice in terram demittentem Almageſto ſuo pag. 9.* appellavit, & *Tab. 253.* iconem exhibuit. Poſtea *folia* emittit erecta, dodrantalia & longiora, qua de cauſa *D. D. Pluknetio Filicifoliam Lonchitidis facie Jamaicenſem ad baſim uniuſcujuſque pinnæ binis auriculis obtuſis donatam ambitu æquali & averſa parte ferrugineis punctis duplici ordine notatam*, nominare placuit. Deinceps *folia* maturitatem acquirentia, recta, *Polypodii* ritu, non ad coſtam uſque diviſa ſunt; quæ primo & radicem verſus, brevibus inciſuris laciniantur, medioque uncialibus, unde breviores contrahuntur, folia mucronata ſuperne atrovirentia conſtituentes; inferne vero quælibet inciſura binis punctorum exiguorum ordinibus notata eſt. Hoc *Filicem non ramoſam ſcolopendroidem C. Plumier* nominavit, & *fig. 11.* ſculptam exprimit. D. Pluknetius *Filicem Jamaicenſem ſimpliciter pinnatis foliis Aſplenii, averſa parte duplici ſerie punctorum notatis*, denominavit, & *Tab. 290.* icon. edidit.

Ex Inſula Jamaicenſi Jacobus Harlow *D. Arthuri Rawdon Baronetti Hortulanus collegit*; & *unam pro tribus plantis diſtinctis* (*quæ erat hominis inſcitia*) *attulit. Curioſiſſimus vero ſcrutator* D. D. Sloane *errorem correxit, & veritatem enucleatam humaniter nobiſcum communicavit.*

8. Polypodium *Cambrobritannicum lobis foliorum profunde dentatis, Nobis. Filix ampliſſima lobis foliorum laciniatis Cambrica, D. Pluk. Phyt. Tab. 30.* Ampliſſimum hoc *Polypodium radicibus Vulgaris* ritu repentibus, fuſcis, nodoſis, capillaribus donatur; unde *pediculi* læves, graciles, ad eundem modum in coſtam mediam, glabram attolluntur. *Folia* utrinque viridia, inferne vero pallidiora, & frequenter immaculata, *Vulgaris* longiora & ampliora ſunt, interdum pedali longitudine & pari latitudine prædita, primam alarum diviſionem conſimilem obtinentia. Quælibet vero *ala*, unciam plus minus lata, in profundas *lacinias* inæquales, & ſerratas, ac in mucronem acutum abiens, diſſecatur; quarum copia recenſque per totam hyemem viriditas elegans hortis præbent ornamentum. *V. icon. tab. an. 2.*

Anno 1668. à Richardo Kayſe Briſtolienſi hæc grata Planta, à ſe de rupe ſylvatica, prope Caſtrum Dennis Powis *dictum haud longe à* Villa Caerdiff *nominata, in Comitatu* Glamorganenſi, *collecta, mihi primo allata eſt.*

9. Polypodium *Romanum lobis inæqualiter ſinuatis, Nobis. Filix Polypodii facie, Triumfetti.* Huic *pediculi* ſunt graciles, antica parte ſulcati & poſtica convexi, glabri, qui longitudinem foliorum adæquant, quæ quidem dodrantalia ſunt, quorumque coſtas medias pediculi conficiunt. His autem adnaſcuntur *alæ*, ad baſin longiores, & gradatim breviores, ut formam pyramidalem quodammodo efficiant, & ſibi invicem per folii partem coſtæ adhærentem, *Polypodiorum* ritu, adnectantur. Unciales iſtæ plus minus exiſtunt, ut plurimum ſimplices, & *laciniis* nunc brevioribus, nunc longioribus ſinuatæ; interdum vero bifidæ naſcuntur. In extremitate vero folia integra, indiviſa, dentata, & mucronata exeunt, in tergo *areolis* paucis brevibus, pulverulentis, oblique actis, inſignita.

Roma *Cl. D. D.* Sherardus *attulit.*

10. Polypodium *Virginianum majus Oſmundæ facie tenerius, Nobis. Filix Indica Polypodii facie, Mentzelii. Filix Indica vel Herba viva foliis Polypodii, Sim. Paulli. Filix ſive Polypodium Indianum foliis profunde ſinuoſis Marrubii aquatici æmulis, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 30. Filix Indica Oſmundæ facie, Bod. à Stapel. in Theophraſt. 320.* E *radicibus* digitali craſſitie, nodoſis, oblique germinantibus, necnon adnaſcentibus fibris præditis, proveniunt *folia*, quæ adhuc tenera primoque emergentia, ſummitates circumflectuntur, fuſca *lanugine*, quæ deinde perit ac decidit, veſtita; poſtea in ampliorem latitudinem quam quæ præcedentibus competit expanduntur, tenuia, pallide virentia, lævia, lobis oppoſitis ſatis latis, integris, ſinuatis, donata, & tanta tenuitate, ut tacta aut minime compreſſa, cito marceſcant ac pereant, unde *S. Paulli* nomen *Herbæ vivæ* impoſuit. Fructificandi modum nondum obſervare licuit, quanquam per varios annos è *Virginia* receptum, cultum habemus. *Folia* appropinquante hyeme pereunt, & ſuccedente vere revireſcunt. *V. icon. tab. an. 2.*

11. Polypodium *Jamaicenſe majus & elatius, alis longioribus, punctis aureis averſa parte notatis, Nobis. Polypodium majus aureum, C. Plum. p. 25. fig. 35. Polypodium altiſſimum, D. Sloane 15. Radix* pollicari craſſitie, nonnunquam pedem longa, obliqua, nodoſa, carnoſa, & varie divaricata, intus ſubviridis eſt, numeroſis, villoſis, tenuibus *ſquamis* aureis obſita. *Folia* oriuntur præcedentis haud multum abſimilia, pedalia, non ad coſtam uſque diſſecta, in quinque aut ſex *loborum* integrorum, unciam latorum, longorum, modice ſinuatorum paria diviſa, longiore extremitatem claudente. Hi duplici punctorum aureorum pulverulentorum ſerie in dorſo notati ſunt.

Hoc in Inſula Martinica C. Plumier *obſervavit, & proxime præcedenti comparat.*

12. Polypodium *majus Africanum pediculis folioſis, lobiſque planis, Nobis. Filix Africana maxima Polypodii facie, Par. Bat. Prod. Forte etiam Filix Africana lobis profunde inciſis & mucronatis, Ejuſd. P. B. P. inter addenda, D. Pluk. annotante, Alm.* 153. *Tab.* 179. 1. Elegans hæc planta in Horto Regio *Hamptonienſi* adſervata, à *radice* reſtibili *pediculos* emittit alatos, rectos, in altum aſcendentes *membrana* foliacea ſinuata & modice criſpata, ex utroque latere veſtitos. Poſt dimidiam longitudinem, in alas longas planas, integras, alterno ſitu poſitas, triuncialis longitudinis, mucronatas, (primo vero exortu breviores) ſe expandit; & (quod huic familiæ proprium) folia non ad rachin uſque diſſecta ſunt.

13. Polypodium *Indicum foliis latiſſimis, Commelin. Panna-kelengo-mara-vara, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 11. *Panna* commune nomen eſt omnium illarum Plantarum, quæ cum *Filice arboreâ* aliquo modo conveniunt. Plures hujus plantæ ſunt ſpecies, hæ autem cognomine *Maravaræ* indito veniunt. *Radix* rotunda, longa, craſſa, exterius fuſca, & muſcoſa *lanugine* obſeſſa, qua ſe arboribus affigit. *Folia* plurima è radice proveniunt, cancellatim fuſcis & pene nigris venis pertexta, admodum rigida, vitri inſtar, nullo modo flexibilia, primo viridia, deinde ruſſofuſca, admodum nitentia, circa radicem duabus eminentibus ſubrotundis *auriculis* criſpata, lata, in acutum quiddam apice ſpinoſo pedetentim definentia, humoris pene expertia, ſerratim inciſa. *Coſta* media in adverſa parte eminet. Præterea diverſi è radice protruduntur *caules* ad altitudinem duorum cubitorum, conſtantes ex nitente, fuſca, dura, ſemicirculata & inflexibili *coſta*, utrimque *foliis* alata, quæ cum prioribus in omnibus conveniunt, niſi quod dimidio longiora ſunt. Nec flores, nec fructus fert hæc planta, ſemper virens, per multos annos ſuperſtes; circa tempus pluvioſum quam maxime progerminat; immo toto anno. *Radices* vetuſtiores funis inſtar arbores obvolvunt. *Folia* vix pereunt, ab omnibus inſectis immunia. *Plura loco citato occurrunt.*

14. Polypodium *majus Indicum arundinacea radice, foliis latiſſimis ut plurimum perforatis, Nobis. Ellettadi-Mara-vara, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 20. & 21. *Radix* ſeſquidigitum craſſa, rotunda, geniculata, caudarum inſtar magnorum nigrorum agreſtiumque *ſcorpionum*, alba, viridipallida; intus fungoſa, admodum aquea, hinc inde multis craſſis, curvis carnoſiſque *radicibus*, ab illa parte qua albeſcit obſeſſa, quibus ſe corticibus arborum affigit, inteſtina referentibus glabra & nitentia, odoris ſylveſtris & muſcoſi, ſaporis ingrati, adſtringentis. *Folia* plura numero ex radicis extremitate proveniunt, quorum *caules* admodum glabri, cavi, virides, nitentes. Illis *folia* inſident ſimplicia, oblongoangusta, tres pedes longa, duoſque & dimidium lata, viridiclara, fungoſa, glabra, admodum nitentia. *Caulis* ab ima parte ad ſupremam excurrit. *Coſta* media in averſa parte eminet. *Folia* inter coſtas profunde ſunt inciſa; & multis in locis magnis *foraminibus*, vel ocellis, veluti feneſtris perforata, decidua, illic loci radicem conſtituunt, *geniculis* interſtinctam; & illa quoniam in vertice ſemper nova producit *folia*, quæ iterum *folia*, illaque iterum novas conſtituunt *radiculas*, & hæ continuo rurſum proſerpunt: hinc fit ut arbores totæ pene ab hac planta obtegantur. Nec flores, nec fructum fert, per multos annos ſuperſtes, imo tantum non perennis, arbores pene ſuffocans.

15. Polypodium *exoticum folio Quercus, C. B. P. Polypodium Indicum, Cluſ. Exot. l.* 4. *c.* 17. *J. B.* 740. *Park. Petrus Pavius M. D. Lug. Bat.* Profeſſor primarius hanc elegantem Plantam ex *India Orientali* allatam accepit. *Radice* nitebatur ſex uncias longa, unam pene craſſa, hirta quemadmodum *Europei Polypodii* radices, ferruginei coloris, & eodem modo in ſumma tellure oblique repente. Ex hac tria prodibant *folia*, quorum tertium reliquis duobus minus, bina autem majora undecim uncias longa erant, à medio nervo ſatis craſſo folii longitudinem ſecante utroque latere in quinque pene unciarum latitudinem expanſa, per oras laciniata, inſtar foliorum *Quercus* in novellis ſurculis natorum, quæ plerunque ampliora iis quæ vetuſtis ramis innaſcuntur, eſſe ſolent. E medio illo nervo alii minores in lateribus oriebantur uſque ad laciniarum extremitates protenſi; inter quos multiplices *venulæ* reticuli inſtar contextæ & ſeſe invicem ſecantes excurrebant, quæ magnam venuſtatem folio conciliabant. Firma autem erant ea folia, coloris ex ſpadiceo fuſci, qualis in *Quercus* ſiccis foliis conſpicitur; in infima parte brevi pediculo è radice emergentia, etiam aliqua ex parte eam tegentia, quia ſtatim ab ortu in latera ſe ſpargebant. *Radix* manducata *Polypodii* ſaporem quodammodo retinebat, minus tamen dulcem, ſed levi quadam acrimonia præditum, quem ex calidioris regionis (in qua planta nata) intemperie, aut ex vetuſtate forſan contraxerat. *V. icon. tab. æn.* 1.

16. Polypodium *Indicum radice craſſa, petiolis ſpinoſis, Welli-panna-kelengu-Mara-vara, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 12. & 13. *Radix* longa, craſſa, ſubrotunda, nodoſa, aſpera caſtaneofuſca, rigida, lignoſa, intus cinerea, *filamentis* nigricantibus, fortioribus, nervoſis pertexta, *ſucco* albo limpido, mucaginoſo repleta. Odor ei gravis eſt, injucundus, limoſus; ſapor amarus, adſtringens, & ſummopere ardens. *Caules* tres quatuorve ſimul ex extremitatibus radicis proveniunt, ad altitudinem octo vel novem pedum exſurgentes, indiviſi, *Nucis Indicæ* ſimiles; in exteriore parte ſpinoſi, fuſci, nitentes, admodum duri, interiore multis filamentis in longitudinem ſuffulti. *Folia* oris non ſerratis, magno numero ex caule proveniunt, cui, mediante coſta rigidiori ordine decuſſato affiguntur, tres digitos lata, viridiclara, rigida, duas ſpithamas longa, alatim expanſa, ſiccata diu durantia, etiam in aperto aere, ad amarum vergentia. *Odor* muſcoſus eſt. Nec *flores* nec *fructus* unquam viſui objiciuntur; ſed veteraſcente planta ex adverſo foliorum *lanugo* quædam ruffa invenitur, pulvere repleta; quæ ſeminis locum ſupplet.

Incolæ ex ramis hujus plantæ ſepimenta Hortorum & Agrorum conficiunt.

Polypodium *foliis linguæ cervinæ majus, C. Plumier. Tab.* 38.
Polypodium *Indicum foliis Limonii obtuſioribus, Breyn. Cent.* 1.
Polypodium *Indicum Scolopendriæ facie ſecundum, Breyn. Cent.* 1.
Polypodium *Indicum Scolopendriæ facie, foliis mucronatis modo tripartitis, Breyn.*
Folia proferunt recta & indiviſa, & inter *Phillitides*, Cap. 1. quærenda ſunt.
Polypodium *Iluenſe Lugd. J. B. Park.* Vide *Filix non ramoſa alis non uſque ad nervum diviſis Cap.* 7.

Tempe-

Temperamentum & Vires.

Temperate calidum eſt, ſed magis quam mediocriter ſiccum. Humores craſſos ac viſcidos incidit, digerit, & per alvum educit; melancholicis, hypochondriacis, ſpleneticis, & ſcorbuticis affectibus amovendis commendatur. Rariſſime autem per ſe exhibetur, ſed additur decoctis, cum purgantibus, & appropriatis alternantibus infuſum. Hæc de radice *intelligenda; nam* folia *reſpuunt officinæ.*

Radix *trita, ſi* Dioſcoridem *audiamus, luxatis partibus efficaciter illinitur; & adverſus rimas quæ inter digitos fiunt vim habet.*

Ad arthritidem univerſalem, referente Dodonæo, *à* Menapiis *aliiſque* Rheni *ac* Moſæ *accolis plurimum commendatur; hujus enim decocto continuis aliquot diebus utuntur, quo ſuperfluos humores abſumi & reſiccari poſſe ſperant. Vid.* Dod. *Pemp.* 3. *l.* 5.

PLANTÆ CAPILLARES

Non ramoſæ alis Lanceam quodammodo imitantes.

CAPUT V.

Lonchitis.

LOnchitis *Græcis* λογχίτις *à pinnarum foliorum figura nomen accepit, nam* Græcis λόγχη *eſt Lancea; ideo* Lonchitis *dicitur quia* alæ *à lata baſi* lanceæ *inſtar in acutum mucronem terminantur.*

Lonchitis eſt planta capillaris erecta, *alis* ad nervum medium diviſis, ad baſin latioribus, & in mucronem longum deſinentibus, ut plurimum dorſiferis, auriculatis, dentatis, vel non dentatis. Ex his quædam *ſemina foliolis* tenuioribus propriis & diſtinctis ſcatentia proferunt.

TABULA IV. SECT. XIV.

Lonchitis foliis { *dorſiferis* { *dentatis, auriculis* { *ſimplicibus* {

1. *Aſpera major, Matth. Lonchitis aſpera, C. B. P. Lonchitis altera cum foliis denticulatis ſive Lonchitis altera, J. B.*
2. *Pinnulis anguſtioribus leviter denticulatis, ſuperiore latere auriculatis, D. Sloane,* 16. *Lonchitidi majori aſp. Matth. valde accedit.*
3. *Aſpera Zeylanica alis falcatis, leviſſime denticulatis, Nobis. Filicifolia Lonchitis aſpera maxima Indorum, D. Pluk. Tab.* 30. *Filix Zeylanica Lonchitidis facie, Breyn. Cent.* 1. 189.
4. *Jamaicenſis glabra pinnulis alternis profundius dentatis ſuperiore latere auriculatis, Nobis. Ad Lonchitidem glabram minorem Plum. fig.* 28. *ſpectat.*
5. *Major alis latioribus leviter denticulatis ſuperiore latere auriculatis, D. Sloane, p.* 16. *Lonchitis glabra major, C. Plum. p.* 18. *fig.* 27.
6. *Jamaicenſis alis longis dentatis & acutis ſuperiore latere auriculatis, binis macularum ordinibus inſignitis, Nobis. Filix non ramoſa Jamaicenſis pinnatis foliis integris ſerratis ad baſim apophyſi parva donatis, ſubtus duplici ordine punctorum ferrugineorum agminatim inſignitis, D. Pluk. Alm.* 154. *Tab.* 285.
7. *Aſpera major exotica auriculis à pinnulis amplis dentatis pene diſſectis, Nobis. Lonchitis auriculata & ſerrata, C. Plum. p.* 20. *Fig.* 29.
8. *Altiſſima pinnulis utrinque ſive ex utroque latere auriculatis, D. Sloane, p.* 16. *Lonchitis glabra minor, C. Plum. fig.* 28.
9. *Virginiana minor pinnulis oblongis anguſtis auriculatis ab invicem longe diſtantibus pediculo nigreſcente, Nobis. Filix Virginiana pinnulis oblongis anguſtis auriculatis tenuiſſime crenatis, longe ab invicem diſtantibus non ſpinoſa, D. Pluk. Alm.* 152. *Tab.* 89. *Vide etiam Tab.* 286. 1.
10. *Americana minor pinnulis alternis obtuſioribus modice dentatis & ſuperiore latere pulverulentis.*
11. *Minor alis crebris non crenatis inferiore latere auriculatis, Nobis. Filix minor in pinnas tantum diviſa crebras non crenatas inferiore latere auriculatas, & rotundis pulverulentis areolis averſa parte notatas, D. Sloane,* 18.

- *aliis ſterilibus aliis fructiferis,*
  - 12. *Virginiana minor pinnulis alternis ſubrotundis ad baſin utrinque auriculatis, Nobis. Filix parva Virginiana pinnulis productioribus ſubrotundis aſperis, ad baſim auriculatis utrinque, D. Pluk. Tab.* 287.
  - 13. *Tenuifolia parva Jamaicenſis pinnulis oppoſitis profunde dentatis & utrinque auriculatis, Nobis. Filix Jamaicenſis non ramoſa ex una radice ceſpitis inſtar contexta pediculis numeroſis, foliis auriculatis profunde ſectis, D. Pluk. Tab.* 283.
  - *binis*
    - 14. *Americana major pinnulis alternis longioribus ſerratis quatuor punctorum pulverulentorum ordinibus inſignitis, Nobis. Filix latifolia non ramoſa foliis gladiformibus ſerratis, Plum. p.* 10. *fig.* 15.
    - 15. *Scandens Braſiliana pinnulis eleganter laciniatis, Tournefort. Elemens de Bot.* 430. *Filix ſcandens perpulchra Braſiliana, Breyn. Cent.* 1. *Phyllitidi multifidæ affinis Filix ſcandens in pinnas tantum diviſa oblongas anguſtas laciniatas, D. Sloane.* 19.
  - *non dentatis*
    - 16. *Juxta nervum pulverulenta, C. Plum. p.* 20. *fig.* 29. *Filix minor in pinnas tantum diviſa crebras non crenatas auriculatas & lineis pulverulentis averſa parte notatas, D. Sloane,* 18.
    - 17. *Americana major alis longiſſimis non ſerratis ad baſin auriculatis oppoſitis & ad oras pulverulentis, Nobis. Filix non ramoſa longiſſimis anguſtis & ad baſim auriculatis foliis, C. Plum. p.* 12. *fig.* 18.
    - 18. *Americana glabra alis latioribus & brevioribus crebrius diſpoſitis, Nobis. Filix minor in pinnas tantum diviſa ex adverſo ſitas, oblongas lataſque non crenatas, infimis ad baſim auriculatis, D. Pluk.* 18.
    - 19. *Minor Jamaicenſis pinnulis anguſtis, ad baſim auriculis rotundis donatis.*
    - 20. *Minor pinnulis anguſtis crebris tenuibus atrovirentibus, D. Sloane. p.* 16. *Polypodium nigrum tenuius ſectum, C. Plum. p.* 26. *fig.* 37. *Filix ſive Lonchitis Jamaicenſis Polypodii folio pediculis nigris, D. Pluk. Alm.* 152.
    - 21. *Minor Jamaicenſis alis anguſtis crebris atrovirentibus tenuibus utrinque auriculatis.*
- *aliis ſterilibus aliis fructiferis,*
  - 22. *Vulgatior folio vario, Nobis. Lonchitis altera foliis Polypodii, J. B. Lonchitis aſpera minor, C. B. P.* 319. *Park. Lonchitis aſpera, Ger.*
  - 23. *Major Virginiana folio vario, alis Polypodii in modum conjunctis. Lonchitis major Polypodii facie, Cat. Virg. Baniſt.*
  - 24. *Virginiana folio vario, alis longioribus acutis. Lonchitis maxima foliis planis, Baniſt. Cat. Virgin.*
  - 25. *Africana alis crebrius diſpoſitis ſeſſilibus & ad baſin rotundis, planis ac variis. Filix minor Lonchitidis facie, Par. Bat. Prod.*

Lonchitides ſimpliciter auriculatæ.

1. Lonchitis *aſpera major, Matth. Ger.* 1140. *Lonchitis aſpera, C. B. P. Lonchitis altera cum foliis denticulatis ſive Lonchitis altera, Matth. J. B. Aſpera major Matthioli, Park. Lonchitis altera mas, Tab. Radice* nititur multiplici, ſubrubente, *fibriſque* dependentibus, perinde ac in *Phyllitide. Folia* primo emergentia pedi paſtoralis inſtar reflectuntur, & lanugine fuſca pertexuntur, & ſe aperientia in ſpithameam longitudinem exporrecta ſunt. *Alæ* ad coſtam ligatæ non penitus adnaſcuntur, ſed brevi hærent pediculo, unciales plus minus, quadrantem latæ, forma falcata, gibbo deorſum ſpectante, & *denticellis* ſpinulis ſimilibus circumquaque exaſperata, & *auricula* ſimplici ad baſin, ſuperiore latere ſeu ſurſum ſpectante, prædita. Quælibet ala (præſertim in ſuperiore parte) *punctis* ferrugineis pulverulentis, duplici ordine notatur. In Phytographia *Cl. Pluknetii* Tab. 89. *Filix parva Cambrobritannica pinnulis latis auriculatis brevibus acuhata,* exhibetur; quæ diverſitas plantis natu minoribus ejuſdem ſpeciei ex ſententia *D. Llhwyd* inventoris aſcribenda eſt. *V. icon. tab. æn.* 2.

Ex Alpium jugis, ut & Montis Baldi *eruitur.* Monſpelii *etiam in montibus circa* Gangem *ſponte naſcens reperitur. In ſummis jugis* Arvoniæ, *v. g.* Clogwyn y Garnedh y Grîb Gôch Trygvylchau, D. Llhwyd *legit & nobis tranſmiſit.*

2. Lonchitis *pinnulis anguſtioribus leviter denticulatis ſuperiore latere auriculatis, D. Sloane,* 16. *Filix ſive Lonchitis aſpera Jamaicenſis noſtrati ſimilis foliis tamen longioribus à latere tantum ſuperiori auriculatis, argutis per ambitum & creberrimis denticellis ſpinoſa, D. Pluk. Alm.* 152. Habitus totius præcedenti conformem oſtendit eſſe; *alarum* vero crebrius naſcentium crena quælibet in *ſpinulam* longiorem definens exaſperatur. Atque his præcipue dignoſcitur.

E Jamaicenſi *Inſula* D. D. Sherard *comparavit, cujus munificentiæ debemus acceptam.*

3. Lonchitis *aſpera Zeylanica alis falcatis leviſſime denticulatis & ſuperiore latere auriculatis, Nobis. Filicifolia Lonchitis aſpera maxima Indorum, D. Pluk. Tab.* 30. *Filix Zeylanica Lonchitidis facie* 10. *Breyn. Cent.* 1. 189. Cum præcedentibus hæc convenit; *foliorum* tamen *alæ* longiores rarius ſunt diſpoſitæ, minutiſſima & acutiſſima denticulatione ſerratæ, ſuperiores etiam in dorſo *maculis* pulverulentis majoribus aureis, contiguis, aſperguntur.

4. Lonchitis *Jamaicenſis glabra pinnulis alternis profundius dentatis, ſuperiore latere auriculatis. Fortè Filix ſeu Lonchitis aſpera Jamaicenſis pinnula lata brevi anguloſa, D. Pluk. Alm.* 152. Planta hæc pedalis & altior *alas* profert ſatis latas, integras, glabras, falcatas, alternatim ſitas; quarum primæ breves, & gradatim unciales

ales & ſeſcunciales cernuntur, ad baſin latæ, in mucronem acutum definentes per ambitum in profundas *denticulationes* acutas ſerratæ. Iſtarum infima lacinia, in ſuperiore latere major & eminentior, *auriculæ* vicem ſupplet, ac in quibuſdam inferior etiam, oblique à ſuperiore acta, altius quodammodo inciſa, *auriculam* mentitur. Hæ *alæ* binis punctorum ferrugineorum ordinibus in dorſo maculantur.

Elegans hæc planta in collectaneis D. D. Sherard *adſervatur.*

5. Lonchitis *major pinnis latioribus, leviter denticulatis, ſuperiore latere auriculatis, D. Sloane, p. 16. Lonchitis glabra major, C. Plum. p.* 18. *Fig.* 27. Ceſpitis inſtar complicata *radix* è numeroſis *fibris* contexta, *petiolos* producit bipedales, læves, ſubfuſcos, plurimis *alis* alternis, triuncialibus & quadruncialibus, pollicem plus minus latis, fœniſecæ in modum formatis, exiguis rotundis *crenis* ad oras ſerratis, in baſi ſubrotundis, in ſuperiore parte prominentioribus, inferiore vero oblique abſciſſis; in dorſo non *punctis*, quemadmodum in aliis fit, ſed *areolis* oblongis à nervo medio oblique decurrentibus, notatis.

In Jamaicæ *Inſulæ mediterraneis montibus provenire auctor eſt D.* Sloane. *In Inſulis* Antillis *legit* Car. Plumier.

6. Lonchitis *Jamaicenſis alis longis dentatis & acutis, ſuperiore latere auriculatis, binis macularum ordinibus inſignitis, Nobis. Filix non ramoſa Jamaicenſis pinnatis foliis integris ſerratis, ad baſin apophyſi parva donatis, ſubtus duplici ordine punctorum ferrugineorum agminatim inſignitis, D. Pluk. Alm.* 154. *Tab.* 285. Hujus *alæ* longæ, rectæ, & acutæ, alternatim poſitæ, ad margines *crenis* rotundiuſculis ſerratæ ſunt. Quælibet autem *crena* minutim dentata eſt, & quæ ad baſin proxima major, alias ſupereminet: unaquæque etiam crena macula ferruginea in dorſo ſignatur.

Hæc ad Filicem latifoliam non ramoſam foliis gladiformibus ſerratis, Plum. Tab. 15. *quodammodo accedit.*

7. Lonchitis *aſpera major exotica, auriculis à pinnis amplis dentatis pene diſſectis, Nobis. Lonchitis auriculata & ſerrata, C. Plum. p.* 10. *Fig.* 29. Ad ſeſquipedalem altitudinem aſſurgit hæc ſpecies, petiolis ut plurimum ruffa *lanugine* obſitis; quibus alternatim *alæ* biunciales & triunciales, præcedentium obtuſiores, ad oras crenatæ, adnaſcuntur; & quælibet crena in unam binaſve (quarum major in *ſpinulam* abit) denticulationes ſe dividit; & (quod huic peculiare eſt) inferior lacinia inciſura uſque ad nervum diſſecatur, & apophyſin eminentiorem in ſuperiore parte diſtinctam auriculæ vice relinquit.

Hanc in horto Chelſeiano *nonnullis abhinc annis collegi. In Inſula* Dominica C. Plumier *reperit. Huic haud multo abſimilem varietatem, ſed denticulationibus profundius laciniatam, in Alpibus* Cambrobritannicis *ſponte naſcentem, detexit* D. Lhwyd.

8. Lonchitis *altiſſima pinnulis utrinque ſive ex utroque latere auriculatis D. Sloane, p. 16. Lonchitis glabra minor, C. Plum. p.* 19. *Fig.* 28. E *radice* craſſiuſcula (adnexis *fibris*) proveniunt *petioli* bipedales, ad ſemipedalem altitudinem nudi, tunc *alis* alternis, infimis brevioribus, aliiſque nonnihil longioribus, aviculæ pennis non diſſimilibus, in ambitu minutim dentatis & falcatis, inordinatim hærentibus, crebrius diſpoſitis & ſeſcunciam longis, ornati. *Alæ* in dorſo, margines verſus, binis *macularum* pulverulentarum fuſcarum ordinibus notantur.

In inſulis Antillis (C. Plumier *monente*) *frequens occurrit.*

9. Lonchitis *Virginiana minor pinnulis oblongis anguſtis auriculatis, ab invicem longe diſtantibus, pediculo nigreſcente, Nobis. Filix Virginiana pinnulis oblongis anguſtis auriculatis, tenuiſſime crenatis, longe ab invicem diſtantibus, non ſpinoſa, D. Pluk. Alm.* 152. *Tab.* 89. Et fortaſſe quæ *Tab.* 286. *Fig.* 1. ſculpta eſt, ad eandem ſpectat, ſi non eadem. Planta hæc quam è *Virginia* tranſmiſſam habemus, dodrantalis eſt, *radice* & *petiolis* cum *Adianto* conveniens. *Alæ* imæ, haud longe à radice provenientes, breves ſunt, quæ citra petioli meditullium in uncialem longitudinem extenduntur; tunc breviores, ut mucronem pyramidalem conſtituant: hæ enim anguſtæ, ad oras argute ſerratæ, ſuperiore latere auriculatæ, ſupina parte glabræ, prona vero, binis *macularum* fuſcarum ordinibus, tanta amplitudine ut contiguæ totam alam pene obtegant, inſignitæ ſunt.

10. Lonchitis *Americana minor pinnulis alternis obtuſioribus, modice dentatis, & ſuperiore acie pulverulentis.* Elegans hæc parva ſpecies, inter rariora D. D. *Sherardi* obſervata, & ex Inſula *Jamaicenſi* delata, *petiolos* profert graciles, ad nigredinem tendentes, modice lanuginoſos, palmares & dodrantales. His alterno ſitu adhærent *alæ* tenues obtuſiores, ſemunciam, at vix unciam longæ, *falcæ* in modum quodammodo curvatæ, utrinque glabræ, ſuperiore latere ad baſin auriculatæ, quarum juniores concinna ſerratura dentatæ; adultiores vero ab auricula, acie concava, membrana ſeminifera fimbriantur, ad extremitates obtuſas dentatæ; ſed in inferiore latere convexo planæ conſpiciuntur.

11. Lonchitis *minor alis crebris non crenatis, inferiore latere auriculatis, Nobis. Filix minor in pinnas tantum diviſa crebras non crenatas, inferiore latere auriculatas, & rotundis pulverulentis areolis averſa parte notatas, D. Sloane* 18. Hæc notis Cl. D. *Sloane* accurate expreſſa eſt, quibus ab aliis facile dignoſci queat.

In Jamaica *provenit.*

Lonchitides utrinque auriculatæ.

12. Lonchitis *Virginiana minor pinnulis alternis ſubrotundis, ad baſin utrinque auriculatis, Nobis. Filix parva Virginiana pinnulis productioribus, ſubrotundis aſperis, ad baſin auriculatis utrinque, D. Pluk. Tab.* 287. Minimum hoc *Lonchitidis* genus, nec palmarem altitudinem, nec binis ſuis *alis* expanſis pollicarem latitudinem attingens, *petiolos* habet pertenues; quibus affiguntur *alæ* parvæ, ſeſſiles, (quarum inferiores breviores & ſubrotundæ ſunt) aliæ è regione, aliæ alternatim poſitæ, obtuſæ, in margine crenatæ, *auriculis* ad baſin ſurſum & deorſum ſpectantibus præditæ. *Solum natale titulus indicat.*

13. Lonchitis *tenuifolia parva Jamaicenſis pinnulis oppoſitis profunde dentatis & utrinque auriculatis, Nobis. Filix Jamaicenſis non ramoſa, ex una radice ceſpitis inſtar contexta, pediculis numeroſis, foliis auriculatis profunde ſectis, D. Pluk. Tab.* 283. *Trichomanis vulgaris* in modum, in orbem ſparguntur è *radice* comoſa *petioli* plurimi pallidi, graciles, palmares & dodrantales; quibus per intervalla, binatim ut plurimum, naſcuntur *alæ* tenues, ſemunciales & breviores, *laciniis* paucis dentatæ, & ad baſin auriculis anguſtis exiguis, ab ala diviſis & inciſis donatæ.

Ex Inſula Jamaicenſi *delatam habemus.*

14. Lonchitis *Americana major alis alternis longioribus ſerratis, quatuor punctorum pulverulentorum ordinibus inſignitis, Nobis. Filix latifolia non ramoſa foliis gladiformibus ſerratis, C. Plum. p.* 10. *Fig.* 15. *Radix* decem

decem duodecimve *petiolos* pene quadratos, è viridi colore fuſcos, quatuor pedes longos emittit; per quos alternatim & ad pollicarem intercapedinem, poſitæ cernuntur *alæ* ſemipedem longæ, integræ, unciam ad baſin latæ, ubi margines utrinque prominentes *auricularum* vicem ſupplent, in ambitu dentatæ, & in acutum quiddam ſenſim deſinentes, *nervo* inſigni per medium decurrente; ſecundum quem quatuor *punctorum* pulverulentorum ordines propaginibus diſtinctis in dorſo inſigniuntur.

Ad rivulos in nemoribus Dominicæ *Inſulæ ſponte naſcitur.* C. Plum.

15. Lonchitis *ſcandens Braſiliana pinnulis eleganter laciniatis, Tournefort. Elem. de Bot.* 430. *Filix ſcandens perpulchra Braſiliana, Breyn. Cent.* 1. *p.* 185. *Phyllitidi multifidæ affinis Filix ſcandens in pinnas tantum diviſa oblongas anguſtas laciniatas, D. Sloane, p.* 19. *Tsjeru-valli-panna, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 65. *Tab.* 33. Palmam ſane inter *Filices* jure merito obtinet *Braſiliana* hæc elegantiſſima, quæ vicinis fruticibus aliiſque rebus advolvitur, & ab imis ad ſumma repit, ſarmentorum ope rigidiuſculorum, ſplendentium, è viridi colore ſpadiceorum. Ex his per intervalla palmaria longiorave *noduli*, contrariis ſemper inter ſe, breviſſimis, naſcentes pediculis progenerantur, hirſuti; quorum ſinguli utrinque coſtam ejuſdem coloris cujus eſt & ſarmentum proferunt hirſutam, palmarem, & ſeſquipalmarem, *foliolis* viridantibus elegantiſſimis alterno poſitu alatam. Quodlibet vero foliolorum aliquo modo *Convolvuli folio Althææ* foliis conveniens, parvo hirſutoque *pediculo* innititur, in tres plerumque diviſum lacinias; utpote in duas breviores obtuſas, *denticellis* quatuor, quinque, vel ſex, longis, radiatis, unamque longam, nonnunquam ſeſcuncialem (è medio brevium exorientem) *denticulis* utrinque inſtar *Priſtis* roſtri ab imo ultra medium, atque inde uſque ad extremum cacumen *crenis* ſubtiliſſimis præditam. Denticuli dicti omnes anguſti ſunt, *Coryli nucamentorum* figura, in ſuperiore latere *ſquamulis* criſpulis arctiſſime atque curioſe veſtiti, ſubtiliſſimis, ferruginei coloris, inter quas *granula* orbicularia, *Selaginis primæ Thalii* magnitudine & figura occultantur. *Breyn.* *V. icon. tab. æn.* 3.

In Inſulæ Jamaicæ *parte ſeptentrionali arbores ſcandentem obſervavit D.* Sloane.

Lonchitides non dentatæ.

16. Lonchitis *juxta nervum pulverulenta, C. Plum. p.* 20. *Fig.* 29. *Filix minor in pinnas tantum diviſa crebras non crenatas auriculatas, & lineis pulverulentis averſa parte notatas, D. Sloane.* *Radix* congenerum non abſimilis, *petiolos* producit pedales & ſeſquipedales, pallidos. *Alæ* integræ, ſeſſiles, ut plurimum paribus, (nonnunquam enim alternatim) ipſis adhærent; binæ quarum conjugationes inferiores breviores, tertiæ biuncialis & triuncialis ſunt longitudinis, ad baſin latæ & ſubrotundæ, planæ, in mucronem falcatim deſinentes; cæteræque minores in metæ figuram efformantur. Hac nota vero à cæteris cognitu facilis eſt, quod juxta *nervum medium* uniuſcujuſque *alæ*, & ſecundum longitudinem, *linea* pulverulenta ferruginea & ſeminifera in dorſo adnaſcatur.

E Jamaicenſi *Inſula* Cl. D. D. Sherardus *acquiſivit.* C. Plumier *in Inſulæ* Dominicæ *nemoribus naſcentem obſervavit.*

17. Lonchitis *Americana major alis longiſſimis non ſerratis, ad baſin auriculatis, oppoſitis, & ad oras pulverulentis, Nobis. Filix non ramoſa longiſſimis anguſtis & ad baſim auriculatis foliis, C. Plum. p.* 12. *Fig.* 18. E *radice* nigra, capillacea, dura, oriuntur *pediculi* ſubfuſci coloris, quatuor quinqueve pedum altitudine; quibus ex oppoſito apponuntur *alæ*, à coſta expanſæ, ſemipedem longæ, ex utroque latere auriculatæ, anguſtæ, in acutum quiddam terminatæ, pallide virentes, & per margines, averſa parte, *linea* pulverulenta, cinerea, fimbriatæ.

Ad rivulos Inſulæ Dominicæ *ſponte naſcens copioſe provenit.* C. Plum.

18. Lonchitis *Americana glabra alis latioribus & brevioribus crebrius diſpoſitis, Nobis. Filix minor in pinnas tantum diviſa ex adverſo ſitas, oblongas, lataſque, non crenatas, infimis ad baſin auriculatis, D. Sloane. p.* 19. In collectaneis *D. D. Sherardi* reperitur hæc ſpecies pedalis, quæ à coſta media pallida & nonnihil lanuginoſa, *alas* ex oppoſito naſcentes, unciam longas, & ſemunciam latas, ex utroque latere ad baſin auriculatas, in obtuſum mucronem deſinentes, planas, pallide virentes promit; *alæ* autem in eo quod penes nos eſt exemplari nullis notantur maculis ſeminiferis.

In ſylvis mediterraneis montanis Inſulæ Jamaicæ *collegit* D. Sloane.

19. Lonchitis *Jamaicenſis elatior pediculis molli lanugine pubeſcentibus, alis brevioribus utrinque auriculatis rarius diſpoſitis, Nobis. Filiciſolia Lonchitidis facie Jamaicenſis ad baſin uniuſcujuſque pinnæ, binis auriculis donata, ambitu æquali & averſa parte ferrugineis punctis duplici ordine notata, D. Pluk. Alm.* 152. *Tab.* 286. *Pediculos* emittit è *radice* reſtibili, *filamentis* craſſiuſculis fibrata, tenues, ſeſquipedales & bipedales, ad radicem glabros, in ſuperiore parte (præſertim juniorum) molli hirſutie brevi pubeſcentes. His *alæ* adhæreſcunt breves, ad ſummum vix unciales, ſatis latæ & obtuſæ, in quibuſdam è regione, in aliis fortuito poſitu à ſe invicem longæ diſſitæ, oris æqualibus, & ad baſin auriculis ſubrotundis donatæ, & in averſa parte, *punctorum* ferrugineorum exiguorum, binis ordinibus diſpoſitorum, inſignitæ.

E Jamaica *tranſmiſſam habemus.*

20. Lonchitis *minor Jamaicenſis pinnulis anguſtis longis, ad baſin auriculis rotundis donatis.* Pedalis & dodrantalis hæc planta, *pediculos* profert pallidos, *lanugine* brevi fuſca pubeſcentes, *alis* plurimis planis, ſeſcunciam longis, culmi anguſtia præditis, plerumque oppoſitis, à nervo *venis* quamplurimis ſubtiliſſimis notatis (impari longiore extremum claudente & in acutum quiddam deſinente) ornatos. Horum in dorſo nullæ maculæ ſeminiferæ conſpiciuntur.

Inter rariora D. D. Sherard *è* Jamaica *comparata adſervatur.*

21. Lonchitis *minor pinnulis anguſtis crebris tenuibus atrovirentibus, D. Sloane, p.* 16. *Polypodium nigrum tenuius ſectum, C. Plum. p.* 26. *fig.* 37. *Filix ſive Lonchitis Jamaicenſis Polypodii folio pediculis nigris, D. Pluk. Alm.* 152. *Radix* digiti craſſitudine, oblique acta, nodoſa, & *acetabulis* è deceſſu pediculorum præcedentium compoſitis, duplici ſerie, in ſuperiore parte inſignita, *capilliſque* nigricantibus demiſſis donata eſt. *Folia* inde aſſurgunt recta, pedalia, quandoque etiam bipedalia, è plurimis *alis* anguſtis uncialem longitudinem ſuperantibus, lata baſi ſibi invicem contiguis, & tanto numero, ut ex utroque coſtæ latere ſexaginta atque etiam plures, pectinis dentium ſepis ad inſtar diſpoſitæ, enumerentur. Quælibet etiam *lacinia*, qua ab altera ad coſtam

coſtam uſque diviſa eſt, adverſus medium oppoſitæ *alæ*, immutabili ſerie poſita obſervatur. Superne alæ amœnam quandam oſtendunt viriditatem, inferne vero, unaquæque duplici *punctorum* ordine inſignitur.
In Jamaica *collectam ſervamus. In Inſulis* Antillis C. Plumier *legit.*

22. Lonchitis *minor Jamaicenſis non dentata alis anguſtis crebris atrovirentibus, utrinque auriculatis.* Pedalis circiter eſt hæc *Lonchitis* tenuior, *petiolis* aſſurgens plurimis, qui cito à *radice alis* veſtiuntur, ſemper alternatim poſitis. Harum autem primæ in inferiore parte naſcentes, perbreves, parvæ, & gradatim ad uncialem longitudinem exporrectæ, anguſtiſſimæ ſunt, biniſque *auriculis* acutis conſpicuis, ad appoſitionem, & quamplurimis *punctulis* minimis ferrugineis pulverulentis in dorſo ornatæ.

Lonchitides foliis aliis ſterilibus, aliiſque fructiferis.

23. Lonchitis *vulgatior folio vario, Nobis. Lonchitis altera foliis Polypodii, J. B. Lonchitis aſpera minor, C. B. P. Park. Lonchitis aſpera, Dod. Ger.* *Radix* nigricans multiplicibus tenuibus *capillamentis* confibratur. Ex hac plurima protruduntur *folia*, ad primum exortum aliarum plantarum *capillarium* in modum recurva, poſtea cum ſe explicuerint, dodrante longiora, ab utraque parte pluribus ac multo crebrioribus *alis* quam *Polypodium vulgare*, anguſtioribus, inciſuris ad coſtam uſque diviſis, planis non dentatis, oppoſitis, à lata baſi in mucronem abeuntibus donata. Horum in medio aliud ſurgit foliorum genus, quæ recta, longiora, raris cæſuris, ſatiſque longo intervallo diſtantibus, ſcalarum gradus imitantur, averſa parte pulvere *Filicum* ferrugineo aſperſa, *J. Bauh.* recte id notante. *V. icon. tab. æn. 2.*
In ſcrobibus ac foſſis, locis uliginoſis & putridis, umbroſis, paſſim occurrit. Perpetuo viret; æſtate viget.

24. Lonchitis *major Virginiana folio vario, alis Polypodii in modum conjunctis.* Planta hæc hactenus incognita, è *Virginia* recepta, pedalis eſt altitudinis. *Folia* promit ampla, lobata, alis integris biuncialibus, planis, & mucronatis, unaque extremum claudente, è foliacea membrana, ſecundum coſtam mediam, *Polypodii* ritu, alternatim emergentibus prædita. Præter hæc alia oriuntur *folia*, ex alis anguſtioribus, rarius diffitis, pulverulentis, præcedentis vulgaris in modum, compoſita. *V. icon. tab. æn. 2.*

25. Lonchitis *Virginiana folio vario, alis longioribus acutis.* Hæc pariter terræ *Virginienſis* incola elatior apparet planta, cujus folia *alas* inferiores proferunt triuncialis longitudinis, aliaſque aſſurgentes breviores, ut pyramidalem figuram conſtituant, ad baſin ſubrotundas, ſemunciam latas, in mucronem acutam ſenſim ſe anguſtantes, ex utroque latere virides, per coſtam mediam alternatim diſpoſitas. Inter hæc alia aſſurgunt *folia*, quorum *alæ* anguſtiores, acutiores, & rarius diſpoſitæ ſunt, ſuperne virides, à nervo medio oblique ſed eleganter venoſæ; inferne vero, fuſca, pulverulenta materia omnino obtectæ. *V. icon. tab. æn 2.*
Hujus folia latiora à Lonchitidis juxta nervum pulverulentæ C. Plum. fig. 29. foliis haud multum abludunt.

26. Lonchitis *minor Africana alis crebrius diſpoſitis ſeſſilibus & ad baſin rotundis planis ac variis. Filix minor Africana Lonchitidis folio pinnulis auriculatis planis, D. Pluk. Alm. 152. Tab. 89. Filix Africana minor Lonchitidis facie, Par. Bat. Prod.* E denſiſſimo ceſpite oriuntur *folia* plurima recta dodrantalia, ſtatim à *radice alis* oppoſitis ornata; hæ autem inferiores breves ſunt, deinde medium circiter in uncialem longitudinem exporriguntur, & poſtea gradatim in acutum mucronem contrahuntur, creberrime diſpoſitæ ut ſibi invicem contiguæ incumbant, immo 30. vel 40. alarum conjugationes coſtæ frequenter adhæreant, planæ, ad baſin latiuſculæ, ſubrotundæ, ſeſſiles, & in mucronem acutum ſenſim terminatæ, ſpiſſiori virore, perpetua fronde lucentes. Præter hæc alia oriuntur *folia*, ex anguſtioribus *alis* conſtructa in quibus *pulveris ſeminiferi* ſpecies conſpicitur, quemadmodum & in aliis hujus diſtributionis plantis.
In horti Regii celeberrimi Hamptonienſis *ornamentum ſervatur.*

Vires.

Lonchitis *ut & aliæ Capillares ad lienis vitia ſummovenda commendatur. Vulneribus inſuper glutinandis idonea eſt, quibus nempe impoſita facit ut ne inflammentur.*

PLANTÆ CAPILLARES

Filices dictæ.

CAPUT VI.

Filix non ramoſa alis integris.

FIlix *dicitur quaſi* fælix, *quod in locis incultis fæliciſſime proveniat & luxuriet, viciniſque enectis plantis latiſſime ſe diffundat.*
Vel Filix *dicta ex* fio & lix, *id eſt aqua, nempe quod fiat ex aqua corupta: nam* lix *proprie dicitur aqua cineri permixta; & herba hæc oritur in campis & locis ſabuloſis & ſterilibus, quaſi cinere obſitis.*

Plantæ Capillares ſive *epiphylloſpermæ* hactenus deſcriptæ *folia* geſtant aut *integra, ſemiintegra,* aut ad ſummum *alas auriculis præditas habentia.* De *Filicibus* deinceps ſermonem inſtituamus; quæ quidem appellatio à quibuſdam ſcriptoribus, imo recentioribus, totam *Capillarium* ſeriem pene comprehendit. Nos quo magis

magis Lectorem demereamur, præter præcedentes jam dictas, quas characteribus propriis & distinctis supra explicuimus, hanc longe patentem familiam in quatuor capita redigere constituimus.

Filices aliis plantis hac Sectione contentis elatiores sunt, ut plurimum, atque ita distribuuntur ut sint vel *non ramosæ*, eæque vel *alis à costa media nascentibus & pectinatim expansis, integris*, donatæ; vel *alis non ad nervum medium*; vel *ad nervum usque medium, pinnulis divisis* præditæ; vel *ramosæ*.

TABULA V. SECT. XIV.

major

1. *Sive Americana maxima aurea lobis alternis planis, Nobis. Lonchitis paluſtris maxima, D. Sloane, p. 15. Filix paluſtris aurea foliis Linguæ cervinæ C. Plum. p. 5. fig. 7.*
2. *Sive Americana maxima lobis oppoſitis acutioribus, ad margines pulverulentis, Nobis. Filix latifolia ad margines pulverulenta, C. Plum 6. fig. 8.*
3. *Sive Amer. maxima nodoſa lobis integris mucronatis modice ſinuatis, Nobis. Filix latifolia nodoſa, C. Plum. p. 4. fig. 6.*
4. *Amer. maxima lobis integris acutioribus ad margines rotundius crenatis maculis rotundis pulverulentis aſperſis, Nobis. Filix major in pinnas tantum diviſa oblongas lataſque crenatas à baſi rotundiore ad apicem ſe ſenſim anguſtantes, D. Sloane, p. 17. Filix latifolia non ramoſa nigris tuberculis pulverulenta, C. Plum. p. 6. fig. 9.*
5. *Amer. major alis integris raris amplis profundius crenatis, ad quemlibet nervum obliquum binis macularum ordinibus notatis, Nobis. Filix major in pinnas tantum diviſa raras oblongas lataſque crenatas, D. Sloane, 18. Filix latifolia non ramoſa rotundius crenata, C. Plum. p. 7. fig. 10. Huic conſimilem in collectaneis D. Sherard invenimus, lobis oppoſitis non crenatis, ſed nonnunquam ſinuatis.*
6. *Indica ala media ſinuata & longiſſime exporrecta. Panna-mara-maravara, Hort. Mal. Part. 12. Tab. 19.*
7. *In pinnas tantum diviſa raras latiores oblongas ſtriatas, ex adverſo ſitas & non crenatas, D. Sloane, p. 18.*
8. *Serratis Braſiliana 6. Breyn. Cent. 1. p. 188. Filix an Polypodium Margrav. l. 1. c. 2. p. 2?*

Filix non ramoſa

9. *Jamaicenſis ſcandens pinnatis Fraxini foliis, Nobis. Filix Jamaicenſ. pinnatis Fraxini foliis tenuiſſime crenatis apicibus mucronatis, D. Pluk. Alm. 153. Tab. 286. Filix ſcandens latifolia ſerrata, Plum. p. 8.*
10. *Eadem foliis non crenatis, D. Sloane p. 18.*
11. *Eadem foliorum apicibus obtuſis & ſubrotundis, D. Pluk. Tab. 286.*
12. *Alis longis ſalicinis alternis non crenatis, Nobis. Filix major in pinnas tantum diviſa oblongas anguſtaſque non crenatas, D. Sloane 18.*
13. *Altera longiſſimis anguſtiſſimis & ad baſin foliolis foliis, C. Plum. p. 12. fig. 19.*
14. *Jamaicenſis trifoliata anguſtifolia pediculo lævi.*

minor

15. *Ruffa lanugine tota obducta in pinnas tantum diviſa raras non crenatas ſubrotundas, D. Sloane, p. 19.*
16. *Cretica alis longis anguſtis integris minutim dentatis, Nobis. Phyllitis ramoſa, Alpini Exot.*
17. *Altera Americana alis longis anguſtis integris limbo pulverulento donatis, Nobis. Lonchitis ramoſa limbo pulverulento, C. Plum. 30.*
18. *Serratis Zeylanica 5. Breyn. Cent. 1. p. 188.*
19. *Non ſerratis Zeylanica minor 8. Breyn. Cent. 1. p. 188.*
20. *Serratis Cap. Bon. ſpei 7. Breyn. Cent. 1. p. 188.*
21. *In pinnas tantum diviſa crebras plerumque ex adverſo ſitas oblongas lataſque crenatas, D. Sloane, 18.*
22. *In pinnas tantum diviſa raras oblongas lataſque crenatas, D. Sloane, 18.*
23. *Jamaicenſis alis uncialibus acuminatis & dentatis nunc latioribus nunc anguſtioribus, Nobis. An Lonchitis Aſplenii facie pinnulis variis, D. Sloane, p. 16?*
24. *Jamaicenſis alato pediculo Fraxinellæ foliis crenatis, radice repente, D. Pluk. Alm. 154. Tab. 287.*
25. *Sive Chamæfilix marina Anglica, Obſ. Lob. 474. Icon. 814. Filicula maritima ex Inſulis Stœchadibus, C.B. P.*
26. *Jamaicenſis Trichomanoides pinnulis ad baſin ſtrictioribus & auritis, Nobis. Adiantum ſive Filix Jamaicenſis Trichomanoides pinnulis auriculatis ad baſim ſtrictioribus & rarius dentatis major, D. Pluk. Alm. 9. Tab. 253. Trichomanes foliolis dentatis ſuperiore latere auriculatis, D. Sloane, p. 16.*
27. *Jamaicenſis alis ad petiolum anguſtis minutiſſime dentatis, Nobis. Adiantum ſive Filix Trichomanoides Jamaicenſis pumila pinnulis auriculatis ad petiolum anguſtis per ambitum minutiſſime denticulatis, D. Pluk. Alm. p. 9. Tab. 251.*
28. *Alpina Pedicularis rubræ foliis ſubtus villoſis, Raii ſynopſ. p. 46. Ad Dryopteris Dal. J.B. ſpectat.*

1. Filix

1. Filix *Americana maxima aurea non ramoſa alis integris alternis planis, Nobis. Lonchitis paluſtris maxima, D. Sloane Cat. Iam. p. 15. Filix paluſtris aurea foliis Linguæ cervinæ, C. Plum. p. 5. fig. 7. Incolis Caribæis Hamama ligra.* Inſignis hæc nova planta *radices* habet craſſas, *fibris* quamplurimis rubeſcentibus demiſſis donatas. *Pediculos* promit rectos, novem decemve pedes altos, parvi digiti craſſitudine, antica parte profunde canaliculatos, poſtica rotundos, duros, rigidos, læves, & politos, non ramoſos. Ex unoquoque latere alterno ſitu, ad palmarem intercapedinem, viginti plus minus proveniunt *folia* ſeu *alæ* ſimplices, pedalis & ſeſquipedalis longitudinis, binos pollices latæ, linguæ longæ forma, obtuſæ, petiolo brevi inſidentes, & nervo medio rigido eminente, decurrente, rigidiuſculæ, & membranaceæ ſubſtantiæ ſpeciem exhibentes, planæ, virides. Harum quædam ſummitatem erga naſcentes, *lanugine* holoſerica, *Typhæ* ſuperficiem fuſcam æmulante, pulvere aureo conſperſa, omnino in dorſo conveſtiuntur.

Ex Inſula Jamaica *advectam habemus. In inſularum* Martinicæ & Dominicæ *locis paludoſis ſponte naſcentem obſervavit* C. Plumier.

2. Filix *Americana maxima lobis oppoſitis acutioribus ad margines pulverulentis, Nobis. Filix latifolia ad margines pulverulenta, C. Plum. p. 6. fig. 8.* Ad eandem ad quam proxime præcedens aſſurgit altitudinem, lociſque conſimilibus naſcitur. *Alæ* longiores, ex adverſo poſitæ ſeſquipedalem acquirunt longitudinem, ad baſin ſubrotundæ, & in mucronem acutum terminatæ, firmæ, laurinæ, pallide virentes, *venis* quamplurimis oblique à nervo medio parallelis decurrentibus prædite. Ad margines autem *limbo* ferrugineo pulverulento totæ ornantur.

In Inſula Dominica, *ad rivulos naſcens, paſſim provenit.* C. Plumier.

3. Filix *Americana maxima non ramoſa nodoſa lobis integris mucronatis modice ſinuatis, Nobis. Filix latifolia nodoſa, C. Plum. p. 4. fig. 6. Radix Polypodii* in modum proſerpens, nodoſa eſt, cavitatibus à pediculis defluentibus compoſitis ordine donata, nec non *fibris* tenuibus enaſcentibus & adnexis. *Pediculi* oriuntur quatuor pedes alti, poſtica parte turgidi, colore è viridi fuſco tincti, *ſquamiſque* nigricantibus conſperſi. Superior pars novem decemve nodis protuberantibus, duris, ad triuncialem diſtantiam per intervalla confirmatur; è quibus binatim proveniunt *alæ* integræ, foliis *Linguæ cervinæ* haud multum abſimiles, decem uncias longæ, integræ, in acutum quiddam deſinentes, ad oras nonnihil undulatæ; à coſta media, plurimis *lineis* veniſve ſibi invicem appropinquantibus parrallelis, decurrentibus, notatæ.

In Inſula Dominica *invenit* C. Plumier, *ſed rarius.*

4. Filix *Americana maxima, non ramoſa, lobis integris acutioribus, & ad margines rotundius crenatis maculis rotundis pulverulentis aſperſis, Nobis. Filix major in pinnas tantum diviſa oblongas lataſque crenatas, à baſi rotundiore ad apicem ſe ſenſim anguſtantes, D. Sloane. p. 17. Filix latifolia non ramoſa nigris tuberculis pulverulenta, C. Plum. p. 6. fig. 9. Pediculis* aſſurgit rectis, ad binorum triumve cubitorum altitudinem. In his alternatim diſponuntur *alæ* octo circiter uncias longæ, ſeſcunciam latæ, integræ, mucronatæ, in ambitu rotundis *denticulationibus* ſerratæ. In inferiore parte *nervus* eminet nigricans, è quo *venæ* obliquæ concolores excurrunt, ſingulares, maculis rotundis pulverulentis, ſex ſeptemve numero, ſimplici ordine inſignitæ.

In Inſulæ Martinicæ *ſylvis provenientem reperit* C. Plumier.

5. Filix *Americana major non ramoſa alis integris amplis profundius crenatis, ad quemlibet nervum obliquum binis macularum ordinibus notatis, Nobis. Filix major in pinnas tantum diviſa raras oblongas lataſque crenatas, D. Sloane,* 18. *Filix latifolia non ramoſa rotundius crenata, C. Plum. p. 7. fig. 10.* Longitudine trium pedum ſunt hujus *pediculi* læves, qui in *folium alamve* ſex ſeptemve pollices longam, binoſque latam, utrinque mucronatam terminantur; aliæ laterales, alternatim poſitæ, tres quatuorve pollices non ſuperant, in ambitu *ſerratura* rotunda, ſatis ampla, denticulatæ. In dorſo *lineæ* oblique à medio tranſeuntes, duplici *punctorum* ferrugineorum ſerie notantur.

In Inſula Dominica *collegit* C. Plumier.

Huic conſimilem in Collectaneis D. D. Sherard *invenimus lobis oppoſitis, non crenatis, ſed interdum ſinuatis, donatam.*

6. Filix *non ramoſa Indica, ala media ſinuata & longiſſime exporrecta, Panna-mara-mara-vara, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 19. *Radix* ab una parte excurrit curva, nodoſa, plurimis *fibris* nigris, & circa inferiorem partem coriacea hirſutie, qua ſe corticibus arborum affigit, obſeſſa, *odoris* gravis & ingrati. *Caules* plures ex radice proveniunt, ad altitudinem quatuor vel quinque pedum, tenues, glabri, nitentes. His duæ affiguntur *alarum* ſeries, ſex ſeptemve numero, quæ forma & figura diverſæ ſunt; juniores tenues, parvum digitum longæ, duos latæ, in acutum quiddam deſinentes, poſteriore parte rotundiores, rigidæ, fuſcovirides, nitentes, ad oras glabræ, cum *coſta* in utraque parte eminente; vetuſtiores ſeſe ad ſeſquiſpithamam extendunt, quando margines ſerratim inciduntur, coſtæque altius extuberant.

7. Filix *major in pinnas tantum diviſa raras latiores oblongas ſtriatas ex adverſo ſitas non crenatas, D. Sloane, p.* 18. *Pediculos* emittit pallidos, graciliores, cubitales, quorum ſuperior pars *alarum* quinque vel ſex paribus (una extremum claudente) ornatur; hæ autem tres uncias longæ ſunt, pollicemque latæ, utrinque mucronatæ, ſeſſiles, *lineis* quamplurimis parallelis, à nervo medio decurrentibus ſignatæ, ex utroque latere virides. In noſtri exemplaris dorſo nullæ vel *maculæ* vel *lineæ pulverulentæ* obſervantur.

8. Filix *non ramoſa foliis integris ſerratis Braſiliana 6. Breyn. Cent. 1. p.* 188. *Filix an Polypodium Marcgrav. l. 1. c. 2. p. 2.* Herba hæc unico *caule* aſſurgit in trium circiter pedum altitudinem, recto, continente *folia* indirecte ſibi invicem oppoſita, ſeu potius alternatim poſita, circiter quatuor digitos longa, anguſta, acuminata, & in ambitu ſubtiliſſime ſerrata, atque in poſtica parte ſecundum nervum in longitudinem ubique *brunna aſpergine* variegata.

9. Filix *ſcandens Jamaicenſis pinnatis Fraxini foliis, Nobis. Filix ſcandens latifolia ſerrata, C. Plum. p.* 8. *fig.* 12. *Filix Jamaicenſis pinnatis Fraxini foliis tenuiſſime crenatis, apicibus mucronatis, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 286. *Filix major ſcandens in pinnas tantum diviſa oblongas lataſque crenatas, D. Sloane p.* 18. *Viticulis* hederaceis, *fibriſque* inde naſcentibus, arbores aſcendit. Sarmenta parvi digiti magnitudine, ſolida ſunt & tenacia, numeroſis *ſquamulis* anguſtis, fuſcis, acutis, laxis, & membranaceis cooperta. Ex his *pediculi* oriuntur cubitales & bipedales, tenues, pallide virentes, alis *Fraxini vulgaris* non abſimilibus in ambitu dentatis onuſti, numero vero pluribus, ut quatuordecim aut quindecim earum *conjugationes*, imparque claudens in eodem pediculo naſci obſerventur.

In insulis Martinica & Dominica C. Plumier *detexit, sed neque ipse meminit nec exemplaria quæ penes nos sunt pulverem seminiferum exhibent. Nostri exemplaris alæ alternatim frequenter nascuntur, quas* C. Plumier *semper ex adverso nasci pronunciat.*

10. Eadem *foliis non crenatis, D. Sloane Cat. Jam. p.* 18.

11. Eadem *foliorum apicibus obtusis & subrotundis, D. Pluk. Tab.* 286.

12. Filix *non ramosa alis longis salicinis alternis non crenatis, Nobis. Filix major in pinnas tantum divisa oblongas angustasque non crenatas, D. Sloane,* 18. *Pediculi* hujus speciei in bipedalem altitudinem attolluntur, pallidi, satisque rigidi, & striati. His adnascuntur *alæ*, tres quatuorve uncias longæ, semunciam latæ, *Salicis* in modum acutæ, non crenatæ, quadragenæ propemodum numero, alternatim adhærentes. Istarum autem in dorso nondum observatus est pulvis.

In Collectione præclara D. D. Sherard *Plantarum è* Jamaica *acceptarum reperitur hæc elegans species.*

13. Filix *altera longissimis angustissimis & ad basin foliosis foliis, C. Plum. p.* 12. *fig.* 19. Hæc à cæteris cognitu facilis est; in altum enim attollitur, *alæque* longissimæ, angustissimæ, & acutissimæ, crebrius dispositæ, pectinis in modum costæ adhærent; ad quarum quamlibet appositionem bina *foliola*, sursum & deorsum spectantia, adnasci cernuntur; bini etiam alarum longarum margines linea pulverulenta ferruginea ornantur.

Ad rivulos Insulæ Dominicæ *hanc plantam copiose provenientem detexit* C. Plumier.

14. Filix *Jamaicensis non ramosa trifoliata angustifolia caule lævi.* Politioribus nitentibus *pediculis* castanei coloris assurgit hæc speciosissima planta pedalis, cubitalis, & interdum altior, erecta, è *radice* nigrescente capillacea proveniens. *Alæ* cæterarum hujus familiæ alis dissimiles cernuntur; inferiores enim trifoliatæ, earumque distributio quælibet angusta, culmi latitudinem raro superat, media triuncialem, binæque laterales biuncialem longitudinem possident; quæ in *caulis* meditullio nascuntur, bisectæ, longæ quoque & angustæ; & superiores singulatim pediculo brevi alternatim insident, supina parte glabræ, nitentes, prona vero *pulvere* aureo *seminifero* (adultiores intelligimus) totæ obductæ conspiciuntur.

Raram hanc Plantam è Jamaica *comparatam humanitati* D. D. Sherardi *acceptam debemus.*

Filices non ramosæ minores alis integris.

15. Filix *minor ruffa lanugine tota obducta, in pinnas tantum divisa raras non crenatas subrotundas, D. Sloane Cat. Jam. p.* 19. Distincta hæc planta pedalis & cubitalis est, *pediculis* rectis, duris, pene teretibus, fuscis, assurgens, ruffa mollique *lanugine* ab imo ad summum usque obductis. His, nunc è regione, nunc fortuito positu, per intervalla nascentes apponuntur *alæ*, pollicem circiter longæ, latiusculæ, integræ, non serratæ, lobatim dispositæ (impari extremitatem claudente) superius virides, *birsutie* brevi pubescentes, inferius vero aurei coloris, *lanugine* etiam densa obtectæ.

Hanc Jacobi Harlow *à D.* Arthuro Rawdon *Baronetto in Insulam* Jamaicensem *ad plantas colligendas missi industria detectam D. D.* Sherard *consecutus, cum D. D.* Sloane *& nobiscum pro sua humanitate communicavit.*

16. Filix *Cretica minor non ramosa, alis longis angustis integris minutim serratis, Nobis. Hemionitis multifida, C. B. P. Hemionitis altera, Dal. Lugd. Hemionitis altera, Dal. Filici floridæ similis, J. B. Phyllitis ramosa, Alpini Exot. Lingua cervina ramosa, Col. Pediculis* lævibus, gracilibus, pallidis, dodrantalibus, è *radice* capillacea in caput congesta assurgit. *Alæ* ut plurimum septem, interdum novem, angustæ, digiti humani longitudine, integræ, in ambitu minutim dentatæ, pallide virentes, glabræ, lobatim dispositæ, *rachi* seu nervo medio accrescunt: nonnunquam etiam duæ inferiores, à petiolo brevi cui insident, in alias secundarias dividuntur. In dorso *pulverem* (uti in aliis) nascentem, nobis adhuc observare non licuit. *V. icon. tab. æn.* 1.

In Creta *Insula ac* Ilva *sponte provenit. An Filix non ramosa foliis integris* Zeylanica *Breyn. ab hac distinguatur necne, quærendum.*

17. Filix *minor altera Americana alis longis angustis integris, limbo pulverulento donatis, Nobis. Lonchitis ramosa limbo pulverulento, C. Plum.* 30. Cum præcedenti *pediculis* suis pallidis, *aliisque* longis angustis enascentibus, convenit; in hac vero *alæ* nullo modo sunt dentatæ, sed ad oras *limbo* pulverulento fusco notatæ. Ex his etiam aliæ secundariæ frequentiores enascuntur.

18. Filix *non ramosa foliis integris serratis Zeylanica 5. Breyn. Cent.* 1. *p.* 188. qui breviter duntaxat his verbis exhibuit. Cum *Hemionitide altera Dalechampii* adeo convenit, ut ab eadem non nisi *foliis*, quæ majora & argutius crenata, discernenda sit.

19. Filix *non ramosa foliis integris non serratis Zeylanica minor 8. Breyn. Cent.* 1. 188. qui hunc in modum describit: De hac *caulem* accepimus pedalem, quintæ similem, *foliis* vero multo craffioribus, atque solidioribus, magis venosis, & in mucronem obtusum exeuntibus, in quibus *crenæ* nullæ conspiciuntur.

20. Filix *non ramosa foliis integris serratis Capitis Bonæ Spei 7. Breyn. Cent.* 1. 188. Mediam inter *Filicis non ramosæ foliis integris Zeylanicæ & Brasilianæ* faciem obtinet. *Breyn.*

21. Filix *minor in pinnas tantum divisa crebras, plerumque ex adverso sitas oblongas latasque crenatas, D. Sloane Cat. Jam. p.* 18.

22. Filix *minor in pinnas tantum divisa raras, oblongas latasque crenatas.* Hæ *Filices* novæ, quas *Cl. D. Sloane* in sylvis mediterraneis *Jamaicæ* Insulæ sponte nascentes reperit & collegit, characteribus accurate exhibitis clare innotescunt.

23. Filix *minor non ramosa Jamaicensis alis uncialibus acuminatis nunc latioribus nunc angustioribus. An Lonchitis Asplenii facie pinnulis variis, D. Sloane p.* 16? E *radice* fibris nigricantibus complicata exoriuntur petioli dodrantales & pedales, læves, graciles, ad dimidium propemodum nudi, unde ad summum usque acutum, *alis* è regione sitis, plus minus uncialibus, ex angusto principio statim se dilatantibus, & in acutum mucronem abeuntibus (nonnunquam tamen obtusis & subrotundis) per margines dentatis, & *areolis* pulverulentis, oblongis, à nervo medio oblique transeuntibus, notatis, paribus ut plurimum octo, quarum infimæ longiores

longiores ſunt, ornantur. Hæ *alæ* quoad anguſtiam & latitudinem, cacuminis acutiem obtuſamque hebetationem plurimum variant.

Hujus notitiam collectioni D. D. Sherardi *deberi agnoſcimus.*

24. Filix *Jamaicenſis alato pediculo Fraxinellæ foliis crenatis, radice repente, D. Pluk. Alm.* 154. *Tab.* 287. Humilis hæc planta palmarem aut ſpithameam altitudinem non excedens, è *radice* tenui, oblique *Graminis Canini* in modum repente, exſilit. *Pediculi* apparent compreſſi palmares, *membranula* foliacea ex utroque latere decurrente fimbriati ſ quibus *alæ* unciales, ſatiſque latæ, in ambitu nonnihil dentatæ, nunc mucronatæ, nunc obtuſiores & ſubrotundæ, alternatim poſitæ, novem ut plurimum decemve numero, adhæreſcunt.

E Jamaica *delatam poſſidemus.*

25. Chamæfilix *marina Anglica, Obſ. Lob.* 474. *Icon.* 814. *J. B.* 737. *Park. Filicula maritima ex Inſulis Stœchadibus, C. B. P. Filix marina Anglica, Park. Filicula petræa fœmina ſive Chamæfilix marina Anglica, Ger. emac.* E *radice* filamentis ſuis comoſa, *Trichomanis* pene in modum, in orbem ſparguntur *pediculi* glabri, nitentes, palmares, & per luxuriam dodrantales, inferius nudi, aliſque deſtituti. Namque in ſuperiore parte adjunguntur *alæ* rigidiuſculæ, alterno ſitu poſitæ, numero 20. vel 24. unguis parvi digiti humani amplitudine, oblongæ, *trapezii* fere figura, anguſta baſi oblique actæ, nonnihil obtuſæ, in ambitu dentatæ, ſupina parte virides, prona vero argentea ſpecie lucentes, & *areolis* ferrugineis, pulverulentis, oblongis, turgidiuſculis, oblique à nervo medio exſtantibus, notatæ. *V. icon. tab. æn.* 3.

Toto anno ut plurimum vireſcunt hæ plantæ. *Hæc è rupium fiſſuris ſponte proveniens, in Inſula* Angleſey, *Comitatu* Cornubiæ, Suſſexiæ, *aliiſque locis* Angliæ & Cambrobritanniæ (*recte id notante* Lobelio) *reperitur.*

26. Chamæfilix *Jamaicenſis Trichomanoides alis oblongis ad baſin ſtrictioribus & auritis, Nobis. Adiantum ſive Filix Jamaicenſis Trichomanoides pinnulis auriculatis, ad baſin ſtrictioribus & rarius dentatis major, D. Pluk. Alm.* 9. *Tab.* 253. 5. *Trichomanes foliis dentatis ſuperiore latere auriculatis, D. Sloane p.* 16. Cum proxime præcedenti multum hæc convenit; *alæ* vero quodammodo anguſtiores, in obtuſum quiddam deſinentes, in ſuperiore latere *auriculam* parvam demonſtrant, & inferiore parte planæ conſpiciuntur, *areolis* oblongis ferrugineis in dorſo inſignitæ.

27. Filix *minor Jamaicenſis alis ſubrotundis, ad pediculum anguſtis, minutiſſime dentatis, Nobis. Adiantum ſive Filix Trichomanoides pumila pinnulis auriculatis, ad petiolum anguſtis, per ambitum minutiſſime denticulatis, D. Pluk. Alm. p.* 9. *Tab.* 251. 4. Hæc à præcedentibus dignoſcitur, primo humilitate, ut quæ tres uncias altitudine non ſuperet; deinde alis paucioribus donatur; eæque ex anguſto principio ovales fere fiunt, & in ambitu minutiſſime denticulatæ.

28. Filix *Alpina Pedicularis rubræ foliis ſubtus villoſis, D. Raii Synopſ.* Hujus Plantulæ hactenus incognitæ notitia *D. Ed. Llhwyd*, rariorum naturæ inveſtigatori impigerrimo, debetur, qui in perambulationibus ſuis fæliciſſime detexit. *Radix* hujus Plantæ exiguæ, *capillis* nigricantibus comata, *pediculos* emittit pallidos, ad radicem ruffa *lanugine* obſitos, tenues, nunc unciales, nunc biunciales ad terram reclinantes, & ad ſummum tres quatuorve pollices raro ſuperantes. His adhærent *alæ* minimæ, lata baſi ſeſſiles, in triangularem figuram pene efformatæ, ex adverſo per intervalla diſpoſitæ, ad margines crenatæ, ſuperiore parte glabræ, inferiore vero pulverulenta materia fuſca, qualis in *Aſplenio* conſpicitur, omnino obtectæ.

Ad Dryopterin Dal. J. B. p. 737. *aliquomodo accedit.*

In udis ſcopulis Clogwyn y Garnedh *dictis, juxta ſummitatem montis* Gwydhuæ *totius* Cambriæ *altiſſimi, prædictus* D. Llhwyd *collegit.*

PLANTÆ CAPILLARES

Filices dictæ non ramoſæ.

CAPUT VII.

Filices *hoc Caput continet* non ramoſas, *quæ à coſta media pediculove* alas *ſimplices, binis ſeriebus, pectinis dentium ſepis ad inſtar expanſas, in ambitu diſſectas, ſed non ad nervum medium uſque (qui per alam unamquamque excurrit) diviſas, proferunt. Sunt autem vel* majores, *vel* minores.

TABULA VI. SECT. XIV.

major
1. *Latifolia laciniata & ad lacinias molliter aculeata, Plumier p.* 4. *fig.* 6.
2. *Jamaicenſis lobis longis quercinis Polypodii diviſura.*
3. *Pinnulis Lonchitidis obtuſis & ad oras pulverulentis, C. Plum. p.* 10. *fig.* 14. *Filix ramoſa major pinnulis longis acutis raris falcatis, D. Sloane p.*22.
4. *Latifolia caudata pinnulis Lonchitidis dentatis, C. Plum. p.* 9. *fig.* 13.
5. *Latius dentata major, C. Plum. p.* 11. *fig.* 16.
6. *Americana alis oppoſitis longis anguſtis profunde dentatis, Nobis. Filix non ramoſa major ſurculis crebris, pinnis longis anguſtis, D. Sloane,* 19. *Filix non ramoſa latius dentata minor, C. Plum. p.* 11. *fig.* 17.
7. *Jamaicenſis alis crebris longiſſimis & anguſtiſſimis.*
8. *Surculis raris pinnulis longis anguſtis rariſſimis, D. Sloane* 19.
9. *Tenuiſſime & profunde denticulata Montbelgardica, J. B.* 739. *Aculeata minor, C. B. P. & Prod.*

10. *Braſi-*

Filix non ramoſa alis non uſque ad nervum diviſis,

10. *Braſilienſis foliis Aſplenii acutioribus* 2. Breyn. *Cent.* 1. 187. *Filix non ramoſa major ſurculis crebris, pinnulis brevioribus anguſtis, D. Sloane, p.*20.
11. *Guyanenſis foliis Aſplenii obtuſioribus* 3. Breyn. *Cent.* 1. 187.
12. *Indica major alis longis rotundius crenatis, binis macularum ordinibus ad oras notatis, Arana-panna, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 31.
13. *Pyramidalis Chinenſis, Muſ. Pettiver.* 54. *Filicis è China genus molle, auricula ad pinnulæ baſim ſuperne producta, ſummo folio longius mucronato, D. Pluk. Tab.* 80. 2. *Filicis ſpecies è China delata, Raii Hiſt. p.* 1853.
14. *Pyramidalis Madraſpatana elegans pinnulis ſerratis, Muſ. Pett.* 55.
15. *Mas vulgari ſimilis pinnulis amplioribus planis non crenatis Virginiana, D. Baniſt. Pluk.* 172. 2. *Forte Kari-beli-panna-maravara, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 17.
16. *Zeylanica foliis integris Filici vulgari ſimilis* 4. Breyn. *C.* 1. 188.

minor

17. *Cambrobritannica pediculo pallidiore, alis infimis deorſum ſpectantibus. Forte Filix Fontis admirabilis, ad marem vulgarem non ramoſam accedens non dentata major, J. B.* 739. *Et Filix fontana major.*
18. *Paluſtris mas pinnulis obtuſioribus planis, ex Inſula Bermudenſi, D. Pluk. Tab.* 243.
19. *Pumila paluſtris Virginiana, D. Pluk. Alm.* 151. *Tab.* 284.
20. *Jamaicenſis humilior acuta, alarum pinnulis inferioribus brevioribus.*
21. *Americana pulverulenta alis oppoſitis ad baſin decuſſatim naſcentibus, Nobis. Filix pulverulenta pinnulis obtuſe dentatis, C. Plum. p.* 17. *fig.* 25.
22. *Iluenſis alis Aſplenii, Nobis. Lonchitis* 3. *ſive folio Ceterach, C. B. P.* 359. *Lonchitis aſpera Maranthæ, J. B.* 744. *Et Polypodium Iluenſe ejuſdem,*748.
23. *Alpina tenerior alis latiuſculis brevioribus integris profunde dentatis, Nobis. Lonchitis aſpera Iluenſis, Dal. Lugd.* 1221.
24. *Jamaicenſis pediculis villoſis, alis amplioribus oppoſitis quercinis, Nobis. Filix non ramoſa pediculo hirſuto Coriandri foliis Americana, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 284.
25. *Jamaicenſis hirſuta Sorbi aucupariæ folia quodammodo referens, Nobis. Filix Jamaicenſis foliis ſemel ſubdiviſis pinnulis obtuſioribus coſtæ adnaſcentibus, Sorbi aucupariæ folia quodammodo referentibus, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 291.
26. *Jamaicenſis rachi folioſo Cicutariæ latifoliæ fœditiſſimæ folio quodammodo conveniens, pinnulis amplis mucronatis circa margines ſerris latiuſculis profunde ſinuoſis, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 289. 4.
27. *Sive Chamæfilix Jamaicenſis in pinnas tantum diviſa, ala longiore nervum claudente, Nobis. Filix ſive Polypodium Jamaicenſe Hydropbylli Morini fere diviſuris, ſummo folio raris denticulis profunde crenato, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 289.

Filices non ramoſæ majores alis non ad nervum uſque diviſis.

1. Filix *latifolia laciniata & ad lacinias molliter aculeata, Car. Plumier p.* 4. *fig.* 5. *Pediculos* tres quatuorve pedes altos, è *radice* craſſa & nigricante, fibrata, provenientes, profert. His *alæ* pedem longæ, tres uncias latæ, in mucronem definentes, dilute virides, in lacinias, ſed *Polypodii* in modum, non ad nervum medium uſque diviſæ, in ambitu crenatæ, molliterque denticulatæ, adhærent; & (quod huic proprium videtur) ad uniuſcujuſque laciniæ baſin, *aculeus* ſingularis conſimili conſiſtentia enaſcitur.
In ſylvis humidis Inſulæ Dominicæ *hanc ſponte naſcentem* C. Plumier *invenit.*

2. Filix *non ramoſa major Jamaicenſis lobis longis quercinis Polypodii diviſura.* Ad tripedalem pediculis ſuis pallidis aſſurgit altitudinem. *Alæ* fortuito poſitu, nunc alternatim, frequenter etiam è regione ſitæ, rarius diſpoſitæ, iis adnaſcuntur, dodrantem longæ, non ad nervum uſque diſſectæ, ſed *inciſuris* uncialibus, obtuſius & quercino more ſinuatis, diviſæ, & in dorſo binis *punctorum* exiguorum ferrugineorum ordinibus notatæ. Juniora & teneriora *folia* humiliora ſunt, & *Polypodii* ritu, non ad coſtam uſque partita; ſed folium præſertim in ſuperiore parte continuatur, unde excurrunt *laciniæ* laterales.
Hanc in Collectaneis D. D. Sherard *è* Jamaica *acceptam ipſi obſervavimus.*

3. Filix *pinnulis Lonchitidis obtuſis & ad oras pulverulentis, C. Plum. p.* 10. *fig.* 14. *Filix ramoſa major pinnulis longis acutis raris falcatis, D. Sloane, p.* 22. *Filix non ramoſa Jamaicenſis pediculo albicante, alis Marrubii aquatici fere diviſuris, quarum pinnulæ à tergo linea candidiſſima aſpergine conflata & per ambitum ducta ornatæ ſunt, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 290. *Radices* piloſæ longæ, cinerei ſunt coloris. Quinque aut ſex inde oriuntur pediculi bipedales, canaliculati, pallidi, & albeſcentes; qui octo novemve *alarum* per duum unciarum intervalla, alternatim poſitarum, dodrantem longarum, duaſque uncias latarum, profunde ſed non ad nervum uſque ſectarum, paribus ornantur. Quælibet lacinia *falcæ* & *Lonchitidis* in modum curvata, ab inferiore & ſuperiore latere cinereo *limbo ſeminifero* tecta, ad mucronem vero denudata exit.
E Jamaica *probe exſiccatam ipſi accepimus.*

4. Filix *latifolia caudata pinnulis Lonchitidis dentatis, C. Plum. p.* 9. *fig.* 13. Huic ſunt nigricantes *radices* comatæ; *pediculi* bipedales, læves, ſubfuſci coloris. *Alæ* inde oriuntur paucæ, nempe ſex ſeptemve, ex adverſo poſitæ, ſeptem octove uncias longæ, binaſque latæ, pallide virentes, in *lacinias* falcatas diviſæ & dentatæ, quæ in *caudam* tres uncias longam, folioſam, terminantur, qualis in ſummitate etiam enaſcitur.
Ad rivulum prope Caſtrum regale, in Inſula Dominica, C. Plumier *collegit.* Adiantis *fortaſſe haud inepte adnumeretur.*

5. Filix *non ramoſa latius dentata major, C. Plum. p.* 11. *fig.* 16. *Cauliculi* ad humanam pene altitudinem, è *radice*

radice nigreſcente provenientes, calami ſcriptorii craſſitie, læves, caſtanei coloris, exporrecti ſunt, qui decem duodecimve alarum conjugationes, ad biuncialem intercapedinem, alterno ſitu poſitas, gerunt. Hæ autem dodrantem longæ, unciam plus minus latæ, in *denticulationes* planas, ſatis latas, at in mucronem deſinentes, diſtribuuntur; earumque *pinnulæ* inferiores, à nervo medio provenientes, binis *macularum* pulverulentarum ordinibus notantur.

In inſula Dominica, *ad rivulos, ſylviſque humidis, hanc ſpeciem naſcentem obſervavit* C. Plumier.

6. Filix *non ramoſa Americana major alis oppoſitis longis anguſtis profunde dentatis, Nobis. Filix non ramoſa major ſurculis crebris, pinnis longis anguſtis, D. Sloane* 19. *Filix non ramoſa latius dentata minor, C. Plum. p.* 11. *fig.* 17. Forte *Filix Bermudenſis non ramoſa petræa pinnulis acutioribus planis hirſutie pubeſcentibus, D. Pluk. Alm.* 151. *Tab.* 244. Ad præcedentem quodammodo ſpectat hæc *Filix*, quoad omnes vero partes minor evadit; bipedalem enim altitudinem raro attingunt *pediculi* palleſcentes in quibus crebrius diſpoſitæ, è regione naſcentes, pectinatim à coſta media expanſæ ſunt *alæ* longæ tenues, in plures minoreſque denticulationes ad dimidium quoque diſſectæ. Harum autem quælibet pinnula binis *macularum* ferruginearum exiguarum ſeriebus notatur.

Locis conſimilibus naſcentem cum præcedente detexit C. Plumier. *E* Jamaica *quoque accepimus.*

7. Filix *non ramoſa Jamaicenſis elatior alis crebris longiſſimis anguſtiſſimis dentatis. Ramulus* hujus *Filicis* ſpecioſæ inter rariora *D. D. Sherardi* adſervatur. Pediculum ille demonſtrat pallidum, rectum, & forte haud mediocri altitudine donatum: in hujus autem palmari longitudine viginti quatuor *alæ* ſemipedem longæ, anguſtiſſimæ, quadrantem unciæ latitudine non excedentes, ad margines profundius ſerratæ, ſurſum ſpectantes, & alternatim poſitæ, adnaſcuntur.

8. Filix *non ramoſa major ſurculis raris, pinnulis longis anguſtis rariſſimis, D. Sloane p.* 19. *Pediculos* profert rectos, pallidos, tripedales; quibus alternatim ad uncialem diſtantiam adnaſcuntur *alæ* rectæ quatuor uncias longæ, quadrantem latæ, ad oras denticulationibus ſatis latis & obtuſis ſerratæ. Ad harum porro unamquamque denticulationem *linea* exigua à nervo medio decurrit, cui binæ *punctorum* pulverulentorum ſeries accreſcunt.

Ad fluvii cujuſdam inſulæ Jamaicenſis *ripas naſcentem* D. Sloane *collegit.* Ja. Harlow *etiam inde attulit.*

9. Filix *tenuiſſime & profunde denticulata Montbelgardica, J. B.* 739. Magnitudine non cedit *vulgari Filici mari non ramoſæ; foliorum* ei haud diſpar poſitus, verum criſtati folii portiunculæ valde ſunt concinnæ, anguſtæ, profundis & argutis *denticulis* inciſæ; criſtæ vero toti coſtæ annexæ alternatim oriuntur; ſimilis eſt *Rhæticæ*, quæ tenuior, aliquid ſimilitudinis habet cum noſtro *Adianto albo officinarum folio Filicis.*

Provenit in ſylvis prope Montbelgardum, *item in monte* Maſmunſter, *menſe Octobri, ac in monte* Rosberg, *necnon in valle fontium acidorum* Greisbachiana. J. B.

10. Filix *non ramoſa Braſilienſis foliis Aſplenii acutioribus* 2. *Breyn. Cent.* 1. *p.* 187. An *Filix non ramoſa major ſurculis crebris, pinnulis brevioribus anguſtis, D. Sloane p.* 20. ? Hæc *Filici fontis admirabilis, ad marem vulgarem non ramoſam accedenti, non dentatæ* (cujus figura pro *Filicis tenuiſſime & profunde denticulatæ Montbelgardicæ*, errore Typographico poſita) *J. B.* perſimilis eſt; major tamen pinnuliſque arctius pennata.

11. Filix *non ramoſa Guyanenſis foliis Aſplenii obtuſioribus* 3. *Breyn. Cent.* 1. *p.* 187. Obſervatur magis hirſuta quam antecedens, atque obſcurius virens, *pinnulis* obtuſioribus, *punctula* rariora habentibus.

12. Filix *Indica major alis longis rotundius crenatis, binis macularum ordinibus ad oras notatis, Arana-panna, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 31. *Caules* ex *radice* ſimplices exſurgunt, rotundi, interius lato *ſulco* profunde ſtriati, rigidi, lignoſi, ſpadiceorubri. *Folia* in duabus ſeriebus geminata proveniunt, pedunculis breviſſimis, cæterum alias oblongoanguſta, in cuſpidem deſinentia, in oris angulis rotundis exciſa, rigida, viroris vividi ac nitentis, maxime in ſupina parte ubi coſta eminet, in adverſa duæ ovorum ſeries extuberant, quæ rotunda, croceofuſca, rubra, oram folii circumcingunt & in recta parte veſtigia ac notas imprimunt, aſpectui jucunda.

13. Filix *pyramidalis Chinenſis, Muſ. Petiver. Cent.* 1. 54. *Filicis è China genus molle, auricula ad pinnulæ baſim ſuperne producta, ſummo folio longius mucronato, D. Pluk. Tab.* 30. *fig.* 2. *Filicis ſpecies è China delata, Raii, H. Pl.* 1853. Filix hæc mollis quam *D. Petiver* è *China* acquiſivit, *pediculum* coſtamque mediam habet rectam, cui fortuito poſitu & pene è regione ſitæ ſunt *alæ* rectæ inde per intervalla extenſæ, quarum inferiores longiores, & aſſurgentes minores contrahuntur, (longiore tamen extremitatem claudente) ut pyramidalem formam efficiant. Quælibet enim è lata ſua baſi in mucronem deſinit, *laciniis* obliquis denticulata, primaque *lacinia* in ſuperiore parte eminentior *auriculam* mentitur.

14. Filix *pyramidalis Madraſpatana elegans pinnulis ſerratis, Muſ. Petiver.* 55. Hæc nova *Filicis* ſpecies à *D. Sam. Browne*, circa Portum Africanum *S. Georgii* naſcens collecta, erecta quoque eſt, *alis Filicis* ritu pectinatim, ex utroque latere exeuntibus, rectis, longis, ex adverſo poſitis, prædita; & (quod huic peculiare videtur) *alæ* jam dictæ, anguſtæ, æqualem latitudinem à baſi (extima lacinia in mucronem deſinente excepta) retinent, ad margines *denticulationibus* modice profundis ſerratæ.

15. Filix *mas vulgari ſimilis pinnulis amplioribus planis non crenatis Virginiana D. Baniſter. D. Pluk. Tab.* 172. 2. *Forte Kari-beli-panna-maravera, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 17. Hæc quam *D. Baniſter* propria manu delineavit, & Rev. admodum in Chriſto Patri ac D. D. *Henrico* Epiſcopo *Londinenſi* tranſmiſit, primo intuitu *Filicem marem* noſtram *vulgarem* quadantenus refert; *alæ* vero longæ, vix è regione naſcentes, *pinnulis* non ad nervum uſque diviſis, donantur, ſed inciſuris tantum obtuſis, non ſerratis; & per nervulum ſingulæ inciſuræ materia pulverulenta oblonga infigniuntur.

16. Filix *Zeylanica non ramoſa foliis integris Filici vulgari ſimilis* 4. *Breyn. Cent.* 1. *p.* 188. A *Filice mare vulgari* eo tantum differt, quod *alarum criſtæ* aliæ aliis innaſcantur.

Filices minores non ramoſæ alis non ad nervum uſque diviſis.

17. Filix *minor Britannica pediculo pallidiore, alis inferioribus deorſum ſpectantibus.* Forte *Filix Fontis admirabilis ad marem vulgarem non ramoſam accedens non dentata, J. B.* 739. Et *Filix fontana major, C. B. P.*

Distincta hæc species *pediculos* è *radice* emittit pedales ut plurimum, nunc breviores, nunc longiores, graciles, pallidos, *lanugine* fusca sparsim asperſos. His in superiore parte adnascuntur *alæ*, modo non è regione positæ, *laciniis* profundis ad nervum usque propemodum divisæ, in vetustioribus modice, sed tenerioribus nequaquam serratis. Quælibet *denticulatio* pinnulave binis *punctorum* pulverulentorum aureorum ordinibus in dorso notatur. Brevi, tribus notis potissimum compertam hanc speciem habeas: 1°. *alæ* primæ, inferius nascentes, deorsum spectant: 2°. Conjugationes secundæ longiores, basin pyramidalem suppeditant: 3°. *Alæ* omnes, præter infimas, lata basi sessiles, sibi invicem contiguæ, *Polypodii* fere in modum, costam mediam convestiunt.

Dryopteris candidæ Dod. *nomine in Horto* Groningensi *hanc primum collegi. Postea ex borealibus Comitatibus* Angliæ *quibus D.*Tho. Lawson *legit, accepi. D.* Ed. Llhwyd *è* Britannicis *montibus eruit, & nobiscum communicavit.*

18. Filix *palustris mas pinnulis obtusioribus planis, ex Insula Bermudensi, D. Pluk. Phyt. Tab.* 243. Erecta hæc planta, *alas* præcedentis haud multum absimiles profert, *laciniis* obliquis profunde dentatis; primæ vero breviores, tunc ad medium longiores excrescunt, unde iterum gradatim, conicam figuram conficientes, contrahuntur.

19. Filix *pumila palustris Virginiana, D. Pluk. Alm.* 151. *Tab.* 284. *Pediculos* edit semipedales, ut plurimum rectos, tenues. *Alæ* ex adverso positæ, cum binis lateralibus extenduntur, profunde dentatæ, sed non serratæ, pediculis brevibus insidentes. Primæ laciniæ uniuscujusque alæ, à rachi provenientes, longiores, *auricularum* speciem præ se ferunt; inferior autem conjugatio brevior est, secunda longissima, postea aliæ in pyramidalem abeunt figuram.

20. Filix *Jamaicensis humilior acuta alarum pinnulis inferioribus brevioribus.* Pedalis hæc Planta *pediculos* habet pallidos, læves, quibus inordinatim apponuntur *alæ* biuncialis longitudinis, acutæ, profunde sed non ad nervum usque sectæ, modiceque serratæ; primaque divisio, costæ mediæ proxima, in superiore parte, cæteris longior, profundius est dissecta. In inferiore vero parte omnino breviores sunt laciniæ, & in dorso *maculis* pulverulentis ferrugineis, reliquarum congenerum amplioribus, notatæ.

In Collectaneis Cl. D. D. Sherard *è* Jamaica *recepta adservatur hæc Planta.*

21. Filix *Americana pulverulenta alis oppositis ad basin decussatim nascentibus, Nobis. Filix pulverulenta pinnulis obtuse dentatis, C. Plum. p.* 17. *fig.* 25. *Radix* è *squamis* imbricatim compacta, *fibris* cinereis in terram affigitur. Pallide virentes emittit pediculos, pene teretes, tenues, pedem circiter altos. *Alæ* iis adhærent oppositæ, quarum longiores quæque meditullium occupant, ac biuncialem longitudinem non excedunt; cæteræ alæ, ad utramque terminationem spectantes, breviores, ad margines profunde incisæ & dentatæ sunt. Inferioribus autem divisiones ex utroque latere longius enascuntur, ut trifoliatæ quasi appareant, & decussatim positæ exeant; supina parte virides, glabræ, prona vero *maculis* oblongis pulverulentis insignitæ.

In Insula Martinica C. Plumier *legit.*

22. Filix *minor Iluensis non ramosa alis Asplenii. Lonchitis* 3. *sive folio Ceterach, C. B. P.* 359. *Lonchitis aspera Maranthæ, J. B.* 745. *Et Polypodium Iluense ejusdem,* 748. *Lonchitis altera Maranthæ, Clus. Hist.* 212. *Lonchitis aspera Iluensis, Lugd. Rami* dodrantales in spadiceo colore nigricant splendentque, ex ruffa lanuginosa *radice* prodeuntes, cui longæ nigræque capillares *fibræ* numerosæ subjiciuntur. Nudi supra medium sunt rami, inde vero summo tenus breves exeunt pediculi, *foliis* amicti, quæ avulsa, plane dicas *Asplenio*, vulgo *Ceterach* dicto, detracta; tam arcta est similitudo divisionum *lanuginis* in parte inferiore, *alarumque* in *Scolopendriæ* formam convolutionis.

In Stiriacarum *Alpium locis editis & saxosis nascitur, auctore* Clusio.

23. Filicula *Alpina tenerior alis latiusculis brevioribus integris, profunde dentatis, Nobis. Lonchitis aspera Iluensis, Dal. Lugd.* 1221. Cujus figura hanc nostram plantam bene exprimit. *Radicula* è *cirris* compacta, subfusca, *pediculos* promit palmares & sesquipalmares, tenues, pallidos, *pulligine* quadam asperſos. Horum unusquisque post dimidium *alas* habet teneras, integras, vix unciam longas, latisque latas, ex acuto quodam in mucronem obtusum abeuntes, & in ambitu profunde dentatas, alias è regione, alias alternatim per intervalla positas, quarum in dorso pulverulentam materiam nascentem nondum observare nobis licuit.

E Rupibus Husvae *dictis in* Nantfrancon *prope Ecclesiam* D. Perysii *in* Avornia, *ad summitatem montis* Britannici *altissimi* Snowdon *dicti*, D. Llhwyd *collegit, cujus munificentiæ debemus acceptam.* Figura 4. D. *Pluk. Phyt. Tab.* 179. eandem etiam exprimit, nomina vero alteri plantæ adhiberi debent.

24. Filix *minor Jamaicensis pediculis villosis, alis amplioribus oppositis quercinis, Nobis. Filix non ramosa pediculo hirsuto, Coriandri foliis Americana, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 284. Hujus *pediculi* è *radicula* fibrata, fusca, ad dodrantalem altitudinem oriuntur, subfusci coloris, molli hirsutie brevi pubescentes. His *alarum* decem plus minus conjugationes, ut plurimum ex adverso, nonnunquam tamen inordinatim sitæ, adhærent. *Alæ* unciales sunt, latæ, præsertim ad basin, obtusæ, & rotundis *incisuris quercinis* profunde laciniatæ; eæque quæ *maculas* pulverulentas ferrugineas in adversa parte ostendunt, frequenter angustiores & profundius dissectæ cernuntur.

Hanc D. D. Sherard *è* Jamaica *acquisivit.*

25. Filix *Jamaicensis hirsuta Sorbi aucupariæ folia quodammodo referens, Nobis. Filix Jamaicensis foliis semel subdivisis pinnulis obtusioribus costæ adnascentibus, Sorbi aucupariæ folia quodammodo referentibus, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 291. *Radicula* hujus *Filicis* cum *fibris* suis concoloribus nigricat. Tota planta dodrantalem longitudinem non superat, cujus pediculis pallidis, lævibus, tria quatuorve *alarum* paria sunt, unumque conforme extremitatem claudit. Quælibet *ala* binos pollices longa, unciam lata est, in mucronem acutum desinens, in ambitu profundis laciniis oblique dentata, superficie modice villosa prædita. His *linea* à nervo medio oblique transiens, ad extremitatem uniuscujusque denticulationis extenditur, ita ut *folia* alata majora magisque luxuriantia *Sorbi aucupariæ* folia quadantenus referant.

E Jamaica Jacobus Harlow *attulit, unde &* D. D. Sherard *eandem obtinuit.*

26. Filix *Jamaicensis rachi folioso, Cicutariæ latifoliæ fœditissimæ folio quodammodo conveniens, pinnulis amplis mucronatis circa margines serris latiusculis profunde sinuosis, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 289. 4. Cum præcedenti quoad habitum hæc convenit; *alæ* vero *Polypodii* in modum, sibi invicem junctæ, quodammodo angustiores,

angustiores, oblique etiam dentatæ apparent; ex his inferiores quæque profundius sectæ, ad ramificationem tendunt.

27. Filix *minor sive Chamæfilix Jamaicensis in pinnas tantum divisa, ala longiore costam claudente, Nobis. Filix sive Polypodium Jamaicense Hydrophylli Morini fere divisuris, summo folio raris denticulis profunde crenato, D. Pluk. Alm.* 153. *Tab.* 289. Hæc pro modulo suo ampla profert *folia*; palmaris enim & dodrantalis est, *pediculis* lævibus gracilibus donata. In horum superiore parte nascuntur sex septemve *alæ*, uncialis & biuncialis longitudinis, è regione nascentes, acutæ, (longiore quadam ad extremitatem assurgente) in ambitu profunde dentatæ; atque inferiores, luxuriante planta, in *alas* secundarias se dividunt.

Hanc ex Insula Jamaicensi D. D. Sherard *comparavit.*

Filicum Temperamentum & Vires.

Filicem *utramque* (marem *ac* fæm.) *calidam amaram ac siccam, paullulumque astringentem facultatem obtinere auctor est* Dodonæus; *nec in utraque virtutes sunt dissimiles, ex sententia* Galeni.

Pulvis radicis *inspersus ulceribus claudendis conducit; idem interne sumptus tænias & lumbricos pellit.* Succus *expressus adversus ambusta vim habet. In Lienis affectibus quibuscunque multum prodesse traditur: nam ex vegetabilibus omnibus spleneticis palmam facit dubiam, inquit* Ettmull.

Forestus *decoctum sequens ut arcanum sui Præceptoris* Benedicti Faventini *laudat, quod proponitur à* Sennerto in cap. de Scirrho & *duris Lienis tumoribus: Recip. rad. Filicis unc.* 1. *Cuscutæ drach.* 11. *coque in vini potentis unc. viii. ad tertiæ partis consumptionem. Colatura propinetur.*

PLANTÆ CAPILLARES

Filices dictæ non ramosæ.

CAPUT VIII.

ABsoluta doctrina *Filicum non ramosarum, aliis* vel *integris,* vel *non ad nervum usque divisis,* donatarum; eas jam prosecuturi sumus, quarum *alæ in pinnulas distinctas ad nervum usque dissectæ sunt.* Vel *majores* eæ sunt vel *minores.*

TABULA VI. SECT. XIV.

Filix non ramosa pinnulis ad nervum usque divisis

major

1. *Arborescens pinnulis dentatis, C. Plumier p.* 1. *fig.* 1.
2. *Palustris maxima dentata, C. B. P. & Prod.*
3. *Surculis raris brevioribus, pinnulis crebris latis brevibus non aculeatis, D. Sloane p.* 20.
4. *Jamaicensis pediculo fusco spinoso, Sorbi aucupariæ pinnulis.*
5. *Lusitanica palustris Lonchitidis folio, Tournefort. Elemens de Bot.* 429.
6. *Dentata, C. B. P. Filix vulgo mas dicta, sive non ramosa, J. B. Filix mas, Ger. Vulgaris, Trag.*
7. *Mollis sive glabra vulgaris mari accedens, J. B.* 738.
8. *Pinnulis angustis raris profunde dentatis, Ger. emac. Filix non ramosa petiolis tenuissimis & tenuissime dentatis, C. B. P. Filix Rhætica tenuissime dentata, J. B.* 740.
9. *Tenuissime secta ex monte Ballon, J. B.* 739.
10. *Baccifera, Cornuti.*
11. *Pinnulis latiusculis longioribus in profundiores denticulos divisis. Filix mas ramosa pinnulis dentatis, Ger. emac.*
12. *Pinnulis latis densis minutim dentatis, Ger.* 1129. *Mas aculeata nostras alis expansis, muscosa lanugine aspersa, D. Pluk. Phyt. Tab.* 180. *Forte Filix Lonchitidi affinis, J. B.* 739.
13. *Villosa pinnulis profunde dentatis, C. Plumier p.* 16. *fig.* 24.
14. *Africana humilis spinosa pinnulis latioribus minus patula, Hort. Reg. Hamp. D. Pluk. Phyt. Tab.* 180.
15. *Mas pinnulis latis auriculatis spinosis, Ger. Forte Filix mas aculeata major, C. B. Prod.*
16. *Aculeata major pinnulis auriculatis crebrioribus, foliis integris angustioribus, Raii synops. p.* 48.

17. *Sylvatica repens, Nobis. Filix querna, C. B. P. Filix minor non ramosa, J. B.* 740. *Dryopteris Penæ & Lob. Dryopteris, Adversar. Ger. emac.* 1135.
18. *Sive Filicula Chinensis ad Filicem palustrem minorem accedens D. Petiver, Raii H.* 1853.
19. *Aculeata Lonchitidis æmula nostras, D. Llhwyd.*

minor

20. *Saxatilis pervenuſta foliis punctatis, ſive Adiantum Maderenſe foliis Filicis, caule tenui candicante, D. Pluk. Alm.* 150. *Tab.* 284. 4.
21. *Staffordienſis elegans foliorum apicibus multiſciſſis, D. Pluk. Tab.* 151.
22. *Alis acutioribus tarſiſque latioribus in tenuiores lacinias diviſis.*
23. *Longifolia tarſis raris pinnulis longis tenuiſſimis & oblongis laciniis fimbriatis D. Sher. R. Syn.* 51.
24. *Jamaicenſis minor alis obtuſis, pinnulis criſtatis profunde ſciſſis, Nobis. Filix pinnulis criſtatis, C. Plum. p.* 16. *fig.* 25.
25. *Elegans Adianto nigro accedens ſegmentis rotundioribus, Raii Synopſ. App.*
26. *Maritima humilior pediculis pallidis, ſegmentis rotundioribus, Nobis. Adiantum marit. ſegmentis rotundioribus, Schol. Bot. Par.*
27. *Sive Filicula Alpina criſpa, C. B. Filix ſaxatilis criſpa, Ponæ.*
28. *Nigris maculis punctata, C. B. P. Filix pumila ſaxatilis altera Cluſii, Park.*
29. *Saxatilis caule tenui fragili, Raii Synopſ. An Adiantum album Filicis folio, J. B?* 741.
30. *Saxatilis omnium minima elegantiſſima, Hort. R. Par. D. Pluk. Tab.* 89.
31. *Sive Filicula Cambrobritannica pinnulis Cicutariæ diviſura donatis.*

Filices non ramoſæ majores alarum pinnulis ad nervum uſque diviſis.

1. Filix *arboreſcens pinnulis dentatis, Car. Plumier pag.* 1. *fig.* 1. *Forte Filix arboreſcens Oviedi, Hiſt. Ind. l.* 9. *c.* 14. Planta hæc inſignis ſatiſque miranda, quoad habitum ſui totius, primoque intuitu, *Palmulam* quodammodo refert. *Stipite* enim aſſurgit erecto, octo decemve pedes alto, (ſemipedem diametro implente) ad extremitates pene æquali, *cortice* ſquamato ex fuſco cinereo obtecto, *lineis* obliquis ſpiraliter ambientibus, decuſſatim interſectis, *notis* quadrangularibus, ſuiſque cavitatibus (pediculorum præcedentium delapſorum veſtigiis quæ perpetuo retinet) ordinatim inſignito. In *caudicis* tranſverſim ſecti meditullio ſubſtantia apparet carnoſa, candida, firma, dulcis, *ſucco* viſcoſo repleta, *venis* nigreſcentibus, lignoſis, tenacibus, reticulatim decurrentibus donata. *Palmæ* quoque in modum, in ſummitate, in orbem diſponuntur *folia*, quæ è pediculis rectis, ad exortum tres pollices craſſis, & ſeſe attenuantibus, decem circiter pedes longis, lævibus, iiſque *alis Filicis maris vulgaris* ſimilibus, (ex utroque nervi latere *pinnulis* oppoſitis, dentatis, creberrime naſcentibus, in ſuperiore parte viridibus, inferiore vero binis macularum pulverulentarum ordinibus notatis) exſurgunt.

Plurimas hujus ſpeciei ſoboles in inſula Martinica, *ad rivulorum margines, & in ſylvis humidis naſcentes*, C. Plum. *reperit.*

2. Filix *paluſtris maxima dentata, C. B. P. & Prod. p.* 150. *Radice* (inquit Auctor) eſt omnium *Filicum* craſſiſſima, duos pugnos ſuperante, nigra, velut ex craſſiſſimis *ſquamis* compacta, & multis *fibris* nigris capillata; unde exſurgunt *folia* plura, atrovirentia, tres cubitos ſuperantia, in latus ampliſſime expanſa; quorum *pediculus* rufeſcens, anguloſus, cavus inſtar oblongi auriſcalpii ex radice prodit, qui ubi pedalem altitudinem adeptus eſt folioſus redditur, ad modum *Filicis maris vulgaris*: nam veluti ex plurimis *pinnis*, ſecundum margines crenatis, & ad unum pediculum cohærentibus componuntur. Verum ad radicem, inter media *folia*, plura foliorum rudimenta cubitalia, veluti futurorum principia, conſpiciuntur, eo modo quo in *Filice florida* ſive *Oſmunda* dicta, circa ſummos ramulos apparent; à qua tamen differt, quod *Oſmunda caules* edat, & caulium ſummis veluti flores ſive *ſeminum* rudimenta adhæreant; & *folia* habeat latiora, & haudquaquam per margines ſerrata.

Hanc locis paluſtribus circa thermas Marchicas *copioſe obſervavit Auctor.*

3. Filix *non ramoſa major ſurculis raris brevioribus, pinnulis crebris latis brevibus non aculeatis, D. Sloane p.* 20. *Pediculis* bipedalibus, pallidis, antica parte ſulcatis, poſtica rotundis, in inferiore parte glabris, ſuperiore & per ætatem minoribus *lanugine* brevi pubeſcentibus, rectis, aſſurgit. His alternatim & ad pollicarem intercapedinem numero triginta & quadraginta apponuntur *alæ*, tres quatuorve pollices ad *folii* baſin longæ; ſed quæ ſuperius naſcuntur, breviores, in pyramidis effigiem efformatæ, in pinnulas pene unciales ad nervum medium uſque à ſe invicem diſſectas, oblongas, in ambitu dentatas, alterno ſitu nervo affixas, eaſque *Lonchitidis* alas pene æmulantes, dividuntur; ſupina parte obſcurius, pronaque (qua in exemplaribus noſtris nullæ cernuntur *maculæ ſeminiferæ*) dilute virides.

E Jamaica D. D. Sherard *acquiſivit, & pro ſolita humanitate nobiſcum communicavit.*

4. Filix *Jamaicenſis non ramoſa, pediculo fuſco ſpinoſo, Sorbi aucupariæ pinnulis.* Ad eundem modum quo & proxime præcedenti, conſimilique altitudine, oriuntur pediculi læves, caſtanei coloris, in inferiore parte & ad alarum originem uſque, *ſpinulis Rubi ſylveſtris* in modum, ſparſim armati; inter *alas* vero, iis deſtituti; quæ quidem *alæ* præcedentis ſimiles ſunt, *Sorbique aucupariæ* non incongruæ, pinnuliſque diſtinctis profundius dentatis, alatæ.

Raram hanc plantam inter rariores D. D. Sherard *è* Jamaica *collectas obſervare licet.*

5. Filix *Luſitanica paluſtris Lonchitidis folio, Tournefortii Elemens de Botanique* 429. Pedali altitudine excreſcit *pediculus* pallidus, gracilis. Huic poſt dimidium adnaſcuntur tres quatuorve *alarum* conjugationes, (una longiore extremitatem claudente) tres quatuorve uncias longarum, anguſtarum, & acutarum, *pinnulis* ad nervum uſque diviſis, in mucronem deſinentibus, ad oras mitioribus *denticulis* crenatis, ſed tanta ad baſin, *Lonchitidis* in modum, latitudine, ut ſibi invicem contiguæ & ex utroque latere virides conſpiciantur, donatarum. Binæ *alæ* inferiores in ſecundarias, ex inferiore parte naſcentes, nonnunquam ramificantur.

In Luſitaniæ *locis humidis naſcentem collegit* D. D. Tournefortius Pariſienſis, *qui libere cum* D. D. Sherard *communicavit.*

6. Filix *non ramoſa dentata, C. B. P. Filix vulgo mas dicta ſive non ramoſa, J. B.* 737. *Filix mas, Ger. Dod.*

Dod. Matth. Filix mas non ramoſa pinnulis latis denſis minutim dentatis, Ger. emac. 1129. *Mas vulgaris, Trag. Park.* Menſe Aprili, Auctore *Trago*, aliquanto ſerius apud nos, multos promit *aſparagos*, primo exortu inflexos, (ut in aliis *Filicibus* fere fit) cano *capillitio* obductos; atque ii progreſſu temporis abeunt in *folia* ampla, bicubitalia, crebra, recta, frangi facilia, diluto colore virentia, ferruginea *lanugine* averſa parte hirſuta, alis ſeu tarſis ex quibus componuntur, mediæ coſtæ alternatim adnaſcentibus, non conjugatim, longius diſtantibus quam in proxime ſequenti, in pinnulas ſeu criſtas latas, & lata baſi nervo tarſi medio adnaſcentes, obtuſas, circa margines dentatas diviſis. *Linea* nigra nervum uniuſcujuſque alæ medium ſuperne producta notat. Singulæ pinnulæ ſupina parte *venulis* inſignes ſunt, prona duplici ordine *punctorum* ferrugineorum. *V. icon. tab. æn.* 3.

In locis humidis & umbroſis, aggeribus ſepium, & conſimilibus, paſſim occurrit.

7. Filix *mollis ſive glabra Vulgari mari non ramoſæ accedens, J. B.* 738. Rectis ſurgit & ſimplicibus *pediculis Filicis vulgaris* in modum, ſed glabris penitus, omnique hirſutie deſtitutis. *Tarſi* particulares in *ſegmenta* dividuntur duplo fere longiora, longius multo ab invicem diſtantia, mucrone acutiore, modo æqualibus marginibus, modo obiter profundius inciſis, nullo tamen ordine, nec ſerratis aut dentatis. Hanc ſua mollities à *vulgari* diſtinguit, & *ſegmentorum* modo dictorum varietas. *Circa* Tigurum *legit Auctor.*

8. Filix *mas non ramoſa pinnulis anguſtis raris profunde dentatis, Ger. emac. Filix non ramoſa petiolis tenuiſſimis & tenuiſſime dentatis, C. B. P. Filix Rhætica tenuiſſime dentata, J. B.* 740. In ſeſquicubitalem præterpropter altitudinem attolluntur huic *pediculi* tenues, à *radice* muſcoſa *lanugine* obſiti. *Alæ* alternato ordine iis adhærent. *Pinnulæ* multo anguſtiores, molles, non plane ex adverſo reſpondentes, in *ſegmenta* tenuia dentatæ, rarius diſpoſitæ, in averſa parte perexiguis *punctulis* ferrugineis ſignatæ ſunt. *V. icon. tab. æn.* 3.

In foſſis humidis & umbroſis, ſylviſque aquoſis, gignitur.

9. Filix *tenuiſſime ſecta ex monte Ballon, J. B.* 739. *Folia* cubitorum aliquot ferrugineo muco obſeſſis pediculis innaſcuntur. Iſti in ramos particulares diviſi, non plane ex adverſo reſpondentes, palmares præterpropter & ſeſquipalmares ſunt; & eorum unuſquiſque *criſtas* habet alternatim poſitas, ſemunciales, & duarum unciarum, in ſegmenta exigua per extremam oram crenata ſubdiviſas.

Hanc in Vogeſi *montis parte* Ballon *qua ex fodinis argenti dictis* Gerardmegni *conſcendi ſolet, menſe Auguſto reperit* Jo. Bauh.

10. Filix *baccifera, Cornuti. Filix ſaxatilis baccifera Americana, Park. Dryopteris* inſtar enaſcitur, ac ſenſim in cubitum erigitur, pennatis *foliis*, in ambitu crenatis, luteovirentibus; quæ creſcunt utrinque ad caulem non facile flexilem citra rupturam, pone rotundum, ante excavatum *ſinu* exiguo, per totam longitudinem exporrecto. *Seminum* etiam rudimenta poſticis foliis adhærent; inter quæ ſparſim eminent rotundi *globuli*, nunc bifidi, virides initio, deinde nigri, guſtu ſuavi, *Polypodii* fere *radicis* ſaporem referentes, qui tandem maturi vix tactum patiuntur, ſed ſponte decidentes terræ infiguntur, unde nova ſuccreſcit ſoboles. *Radice* nititur è multis contexta *fibris* capilloſis, colore fuſcis & guſtu ſubacerbis. *Cornut. V. icon. tab. æn.* 3.

In America ſeptentrionali *paſſim inter ſaxa provenit. Pullulat Aprili menſe ineunte, baccæ media æſtate matureſcunt; folia Novembri marceſcunt, ſola per hyemem ſuperſtite radice.*

Tenuis eſt planta, pinnulis aliſque anguſtis, octavæ ſimilibus, minoribus tamen donata. Globuli quæ baccæ dicuntur, ad alarum exortum ſingulatim ac ſparſim proveniunt. Iſti autem ſunt excrementitia quædam materia, qualis & in aliis plantis haud infrequenter reperitur, & proinde ad inſectorum potius quam plantarum productionem (quantum ab exemplaribus à D. D. Sherard *allatis conjicere licet) eos facere crediderim. Inſuper bina ſeminum genera in eadem planta naſcentia vix adhuc obſervata ſunt.*

11. Filix *non ramoſa major pinnulis latiuſculis longioribus in profundiores denticulos diviſis, Nobis. Filix mas ramoſa pinnulis dentatis, Ger. emac.* Curvato principio, pro aliarum *Filicum* more, & rufeſcentibus lanuginoſis pediculis vernali tempore oritur, qui poſtea rachi ſimplici in cubitalem altitudinem eriguntur, lanuginemque prædictam deponunt. *Alæ* tres quatuorve uncias longæ, ut plurimum oppoſitæ, per intervalla diſpoſitæ, iis adhærent; his enim *pinnulæ* alternatim ſitæ adnaſcuntur, quarum quæ ad appoſitionem proximæ, pene unciales, cæteræ breviores fiunt, ut *alam* acutam efficiant, oblongæ, obtuſæ, in profundiores & acutiores denticulos ſerratæ, immo in inferioribus *laciniæ* nonnunquam ad nervulum uſque diſſecantur, quæ adeo cauſa fuit, cur *ramoſæ* titulo & *Goodyerus* & *Gerardus* hanc plantam inſignierint. Singulæ *pinnulæ maculis* ferrugineis, quales in congeneribus cernere eſt, inſigniuntur. *V. icon. tab. æn.* 3.

In Suſſexiæ *comitatu* D. Goodyer *primus obſervavit; deinceps in aliis & meridionalibus & ſeptentrionalibus* Angliæ *æque ac* Walliæ *plagis, viz. locis humidis & petræis reperta eſt.*

12. Filix *ad ramoſam accedens paluſtris, muſcoſa lanugine aſperſa, pinnulis acutioribus, Nobis. Filix mas aculeata noſtras alis expanſis, muſcoſa lanugine aſperſa, D. Pluk. Alm.* 151. *Tab.* 180. 1. Forte *Filix tenuiſſime ſecta ex monte Ballon, J. B.* Proxime præcedenti ſimilis eſt; humilior tamen eſt hæc planta pallidiore virore prædita. *Pediculos* edit graciles, pedales, muſcoſa *lanugine* fuſca ut plurimum tectos. Alæ è regione ſitæ ſunt. *Pinnulæ* latiuſculæ in tenuiores lacinias ſectæ, in acutiores mucrones abeunt; *maculaſque* ex fuſcis aureas magis ubertim provenientes oſtendunt. Infimæ etiam *alæ*, ad eundem modum, ad pinnulæ nervulum uſque diviſæ, ramificandi ſpeciem præ ſe ferunt.

In locis paludoſis præſertim ſolo putrido, non ſolum circa Oxoniam *ſed & aliis comitatibus* Angliæ *provenit.*

13. Filix *villoſa pinnulis profunde dentatis, C. Plum. p.* 16. *fig.* 24. *Pediculis* aſſurgit bipedalibus, *pilis* nigricantibus & muſcoſis ſquamatim obſitis. Horum tertia pars inferior alis deſtituitur; ſuperius vero, ex adverſo, ad uncialem intercapedinem poſitæ, tres quatuorve uncias longæ, unamque latæ, enaſcuntur *alæ*, quibus pinnulæ oblongæ, obtuſæ, in ambitu profundis rotundiuſculiſque *crenis* dentatæ, in dorſo *maculis* rotundis pulverulentis notatæ affiguntur.

In Inſula Dominica, *rarius naſcentem, reperit* C. Plumier.

14. Filix *Africana humilis ſpinoſa pinnulis latioribus minus patula, D. Pluk. Tab.* 180. *Pediculi* muſcoſa *lanugine* aſperſi oriuntur, pedales, pallidi; quibus alternatim alligantur *alæ* in mucronem acutiorem deſinentes. Hæ ex *pinnulis* ſatis latis, lævibus, viridibus, in ambitu dentatis, ſine ordine adnexis, compoſitæ ſunt, tanta acutie, ut *ſpinulam* quælibet denticulatio mentiatur. Unaquæque autem pinnula binis *macularum* ordi-

nibus in dorſo notatur. Et (quod huic peculiare videtur) pinnula quæque in ſuperiore parte multo latior & eminentior, *auriculam* quodammodo refert, cum inferior anguſtior ac veluti deficiens appareat.

In Horto Regio Hamptonienſi *adſervatur hæc ſpecies.*

15. Filix *mas pinnulis latis auriculatis ſpinoſis, Ger. emac.* Forte *Filix mas aculeata major, C. B. P. & Prod.* Hæc à cæteris cognitu facilis eſt; *pediculi* enim cubitales, *coſtæque* mediæ, muſcoſa fuſca *lanugine* obteguntur. *Alæ* utrinque expanſæ, alternatim poſitæ, præcedentium alis breviores, duas uncias longitudine raro ſuperant, *pinnulæque* lucidæ, glabræ, integræ, breviores, & rotundiores ſunt, in ambitu minutim dentatæ, & in *ſpinulam* acutam quælibet terminata; & (quod huic proprium videtur,) *pinnulæ* primæ, ad exortum naſcentes, præſertim ſuperius ſpectantes, longiores cæteris, altius eminent, & *auricularum* ſimilitudinem induunt. In dorſo *punctis* ferrugineis rotundis notantur. *V. icon. tab. æn.* 3.

In locis umbroſis humidis, in foſſis & petroſis, per varios Angliæ *comitatus reperitur.*

16. Filix *aculeata major pinnulis auriculatis crebioribus, foliis integris anguſtioribus, Raii Synopſ. An.* 1696. *p.* 48. *Folia* hujus integra præcedentis folia longitudine interdum æquant, latitudine tamen iis cedunt. *Tarſi* utrinque ſeu ſurculi mediæ coſtæ ſeu rachi adnaſcentes, in hac breviores ſunt, crebriores, & ſibi invicem propiores quam in illa. *Pinnulæ* itidem crebriores ſunt & plerunque contiguæ, majores etiam & acutiores, texturæ denſioris & ſolidioris, unde non ita ſubito flacceſcunt, pallidiores porro, nec adeo obſcure virides, glabriores denique & velut politæ. Surculorum in uno folio 35. & plura numeravimus paria, pinnularum in uno ſurculo 15. aut 16.

In aggeribus ſepium umbroſis circa Brantream *oppidum* Eſſexiæ *frequenter obſervavit Cl.* Raius.

Filices non ramoſæ minores pinnulis ad nervum uſque diviſis.

17. Filix *non ramoſa minor ſylvatica repens, Nobis. Filix ſaxatilis foliis non ſerratis, C. B. P.* 358. *Filix minor non ramoſa, J. B.* 740. *Dryopteris Penæ & Lob. Dryopteris, Adverſar. Ger emac.* 1135. *Filicis genus primum parvum in montibus, Cæſ.* E *radice Graminis canini* ingenio & magnitudine prædita reptatrice, nigreſcente, *fibriſque* plurimis capillaribus complexis, atris donata, aſſurgunt *pediculi* pallide virentes, & graciles, ſpithamam plus minus alti, palmari longitudine, nudi, læves, & politi. In ſuperiore parte excreſcunt *alæ*, ut plurimum conjugatim, nonnunquam autem inordinatim ad uncialem diſtantiam ſitæ, ſeſcunciales, nitidæ, læves, læte virentes, pinnulis brevibus ad baſin latis, mucronatis, non dentatis, paribus numero 10. vel 12. Et *Polypodii* aut *Scolopendriæ* in modum unaquæque *lacinia* acuta adverſus medium oppoſitæ pinnulæ diſſecatur, ac nulla non *ala* ſeu denticulatio, in dorſo, velut ad margines planos, *punctulis* pulverulentis aureis, crebra & eleganti ſerie ſignatur. *V. icon. tab. æn.* 4.

In loſis paludoſis, præſertim ſylvaticis, ad pedes montium, ſolo putrido, v. g. in ſylva Murley *dicta, duos lapides ab* Oxonio *diſſita; aliiſque & ſeptentrionalibus æque ac occidentalibus Comitatibus* Angliæ, *ſponte oritur.*

18. Filix *minor, ſive Filicula Chinenſis ad Filicem paluſtrem accedens minorem D. Petiver, Raii Hiſt.* 1853. Plantam non vidi, ſed hunc in modum deſcribit *D. Raius:* Oſtendit nobis *D. Petiver Filiculæ* ſpeciem *è China* delatam, quæ plurimum accedere videtur ad *Filicem minorem paluſtrem*, verum extremum folium in longiorem mucronem procurrebat, & *Lonchitidem* diviſura ſua æmulabatur.

19. Filix *aculeata Lonchitidis æmula noſtras, D. Llhwyd.* *Radix* veluti in caput coacta, quemadmodum in *mare vulgari*, multis *fibris* ferrugineis capillatur. Ex hac prodeunt *pediculi* pedales, *coſtæ* mediæ vicem præſtantes, ruffa lanugine muſcoſa penitus obſiti. Juxta radicem incipit *alarum* ad baſin latarum, ac in mucronem deſinentium productio, quarum infimæ breves, aliæ unciales, alternatim exeunt, glabræ, rigidiuſculæ, & ex ſex circiter *pinnularum* conjugationibus compoſitæ, quæ extremitatem erga conjunguntur; cæteræ ſubrotundæ, crebrius diſpoſitæ, ſibi invicem quadantenus incumbunt; & quælibet in *ſpinulam* acutiſſimam, innoxiam tamen, exit; & quæ *rachi* medio proxime adhæret, in ſuperiore parte aliis major, elatior ac eminentior (ipſa etiam auriculata) *Lonchitidem* cum *auricula* ſua aliquatenus repræſentat; & in dorſo, præſertim eæ quæ à radice magis remotæ & ſummitatem verſus naſcuntur, *punctis* farinaceis ferrugineis notatæ ſunt.

In montibus Cambrobritanicis D. Llwyd *feliciſſime detexit, & nobiſcum communicavit.*

20. Filix *ſaxatilis pervenuſta foliis punctatis, ſive Adiantum Maderenſe foliis Filicis, caule tenui candicante, D. Pluk. Alm.* 150. *Tab.* 294. 4. Hujus *pediculus* rectus, tenuis, pallidus, & pene albeſcens, ſpithameæ circiter longitudinis, aſſurgit. *Alæ* inferiores ſeſcunciales ſenſim poſtea in breviores contrahuntur, & in pyramidalem figuram efformatæ, ex oppoſito fere naſcentes, è *pinnulis* integris, parvis, oblongiuſculis, modice crenatis, per intervalla diſpoſitis, in dorſo *maculis* notatis, conſtant.

21. Filix *Staffordienſis elegans foliorum apicibus multiſciſſis, D. Pluk. Alm.* 150. *Tab.* 284. Inter *Filices* pulchra hæc planta ſpecioſiſſima apparet, quam D. *Tho. Willughby Baronettus* rei Botanicæ perquam gnarus, in porticu *Eccleſiæ* antiquæ *Lichfeldianæ* ſponte naſcentem detexit. *Radice* nititur capillacea, labyrintheo contextu multiplicata; ex qua *pediculi* oriuntur recti, læves, pallidi, dodrantales & pedales. His *alæ* uncialis & biuncialis longitudinis, alterno ordine ut plurimum, numero 40. vel 50. plus minus apponuntur; quarum inferiores breviores, mediæque longiores, ſenſimque in mucronem attenuatæ, diluto colore virentes è pinnulis concinnis anguſtis, integris tamen, in ambitu dentatis, crebrius naſcentibus, compoſitæ cernuntur; & (quod huic peculiari ornamento eſt) *nervus medius* cujuſlibet alæ binatim vel ternatim in extremitate ſe dividit. Porro quælibet ala rurſus in alias minores, folioſa materia dentatas, digitata multifariam ſcinditur. *Coſta* etiam media in ſummitate, ampliore diviſione corniculata eſt & multiſciſſa; *punctulaque* exigua ferruginea, tanto ordine in dorſo ſignata ſunt, ut totius elegantiæ haud parum conferant.

22. Filix *minor non ramoſa alis acutioribus tarſiſque latioribus in tenuiores lacinias dentatis.* Hujus *alæ* alternatim ſitæ & in rachi ſeu nervo medio rarius diſpoſitæ, biunciales & triunciales, in acutiorem mucronem terminantur. *Pinnulæ* ut plurimum è regione, interdum vero inordinatim poſitæ, breves, latiuſculæ, oblongæ, integræ, in acutiores *lacinias* dentatæ, *maculas* habent paucas pulverulentas, oblongas, in dorſo ſparſim ſignatas.

Inter alias plantas Jamaicenſes D. Sherardi *reperitur.*

23. Filix

23. Filix *Americana non ramoſa tenerior pinnulis vere capillaceis, ſive Filicis genus ex Inſula* Jamaicenſi *molliuſculum foliis tenuiſſime pennatis, D. Pluk. Alm. p.* 150. Tenues ſunt huic *pediculi* pedales, quibus *alæ* unciales, aut circiter, rarius per intervalla alternatim diſpoſitæ adhærent. Ex his inferiores & ſuperiores breviores, mediæque longiores evadunt. Hæ autem *pinnulis* exiguis acutis, adeo profunde in capillaceas *lacinias* diſſectis conſtant, ut *Mei Athamantici* tenuitatem penitus obtineant; earumque dorſo nulla, quantum obſervare licuit, materia pulverulenta inhæret.

Hanc D. D. Sherard *ad reditum ſuum ex* Hibernia, *pro ſolita humanitate, mihi monſtravit, & quantum memini, ſe inibi collegiſſe confirmavit, quanquam nomen à Cl.* Pluknetio *inditum longe aliud ſuadere videatur.*

24. Filix *minor Jamaicenſis alis obtuſis, pinnulis criſtatis profunde ſciſſis, Nobis. Filix pinnulis criſtatis, C. Plum.*

25. *Rutæ muratiæ accedens Filix minor non ramoſa pinnulis ſubrotundis profunde ſciſſis, D. Sloane* 21. *Radices* habet capillatas; *pediculos* pedales; *alas* unciales & biunciales, alternas, crebrius diſpoſitas, pallide virentes, obtuſas, *pinnulis* ſubrotundis, profundius ſectis, *maculiſque* pulverulentis oblongis in dorſo notatis ornatas.

In Inſula Dominica C. Plumier *invenit.* E Jamaicenſi *Inſula D. D.* Sherard *acquiſivit.*

25. Filix *elegans Adianto nigro accedens, ſegmentis rotundioribus, Raii ſynopſ.* Hæc planta *Adianto nigro*, primo intuitu, quodammodo reſpondet, non ramoſa tamen. E *radice* duriuſcula, *capillamentis* nigricantibus complicata, emergunt *petioli* dodrantales, læves, è viridi in caſtaneum colorem ad radicem vergentes, ad dimidium uſque nudi. Horum autem alternatus ortus *alas* emittit unciam longas, quarum 18. circiter conjugationes folium continet; ac unaquæque *ala* in ſeptem octove *pinnularum* rotundiuſcularum, in ambitu dentatarum paria ſe dividit; eæque in dorſo *maculis* farinaceis, adeo latis, ut totam fere cooperiant, notantur.

Ex Inſulæ Cæſareæ *vulgo* Jerſey *dictæ, rupibus collectam D. D.* Sherardus *primo attulit. Dein in Porticu Eccleſiæ* Adderburienſis *Com.* Oxon. *quæ ſeptentrionem ſpectat, reperta eſt.*

26. Filicula *maritima humilior pediculis pallidis ſegmentis rotundioribus, Nobis. Adiantum maritimum ſegmentis rotundioribus, Schol. Bot. Par.* Præcedenti haud multum diſſimilis eſt hæc ſpecies; *pediculi* vero pallidi & albeſcentes, palmarem longitudinem raro ſuperant. His *alarum* vix ex oppoſito naſcentium, nec unciam longarum, è tribus quatuorve pinnulis pallide virentibus, & extremitatem erga ſimplicibus, conſtructarum paria decem circiter numero, è petiolis veluti exiguis emergentia adhæreſcunt. Dorſo *maculæ* pulverulentæ oblongæ & anguſtæ, oblique actæ, accreſcunt.

A Pariſiis *D. D.* Sherardus *detulit.*

27. Filicula *Alpina criſpa, C. B. P. Filix ſaxatilis criſpa, Ponæ Mont. Bald. Ital. p.* 224. *Latin.* 101. E *radice* villoſa, nigreſcente *folia* mollia exeunt, profunde inciſa & dentata, dodrantalia, ſed ut plurimum minora, in ſuperiore quidem parte nigreſcentis coloris, inferiore vero pallidi; quibus *pulviſculus* quidam annectitur. *Pon. V. icon. tab. an.* 4.

28. Filix *ſaxatilis non ramoſa nigris maculis punctata, C. B. P. Filix pumila ſaxatilis altera Cluſii, Park.* Nitida hæc planta tenuior *pediculos* habet rectos, graciles, dodrantales, initio virides, deinde ad nigredinem radicem verſus, inclinantes, ad medium pene nudos. His ſparſim per intervalla *alæ* unciam longæ, frequenter ex oppoſito (nonnunquam enim inordinatim poſitæ) adhærent; quarum decem aut duodecim conjugationes totam longitudinem occupant. *Pinnulæ* iis alternato ordine accreſcunt, parvæ, latiuſculæ, oblongæ, & mucronatæ, ad margines profunde dentatæ, & in dorſo *punctulis* perexiguis nigricantibus, creberrimis, pulverulentis aſperſæ. *V. icon. tab. an.* 4.

In locis montoſis & ſaxoſis per varios comitatus & ſeptentrionales & occidentales Angliæ, *ſatis frequens reperitur.*

29. Filix *ſaxatilis caule tenui fragili, Raii Synopſ. An Adiantum album Filicis folio, J. B.* 741? Forte *Dryopteris candida, Dod. Hiſt. Lugd.* Cum præcedenti & habitu modoque creſcendi convenit; humilior tamen & palmaris eſt, graciliore *pediculo*, pallide virenti, tenero, fractuque facili donata, nec tanta macularum copia in dorſo inſignita. Folia ſunt teneriora, *pinnulis* profunde ſectis, facile marceſcentibus donata.

Ad muros antiquos & rupes, in borealibus Angliæ *plagis variis naſcens occurrit.*

30. Filix *ſaxatilis non ramoſa minima, Raii. Radix* tenuiſſimis *fibrillis* complicata, *folia* exſerit palmaria & longiora, anguſta, è *tarſis* ſeu alis ſemuncialibus 14. aut pluribus, hinc inde ad utrumlibet coſtæ ſeu nervi medii latus, ſtatim à radice adnexis, alterno potius quam contrario ſitu compoſita. *Alæ* longiores è quatuor aut quinque pinnularum exiguarum, obtuſarum & in extremitate nonnihil crenatarum *conjugationibus* conſtant, extrema ala in folium anguſtum procurrente. *Pediculus* & coſta media, in ficca planta glabra & alba videntur.

E petrarum rimis verſus ſummitatem montis Salevæ *prope* Genevam, Cl. Raio *monente, exit, ubi & D. D.* Sherardus *collegit.*

31. Filicula *Cambrobritannica pinnulis Cicutariæ diviſura donatis.* Ad *Onopterin majorem, Tab. p.* 474. quodammodo ſpectat. Planta hæc palmaris & altior *pediculis* conſtat tenuiſſimis, è viridi in caſtaneum colorem vergentibus, muſcoſa lanugine nonnunquam aſperſis. Hi à *radice* ad dimidium uſque nudi ſunt. Superiori parti non ferme conjugatim (interdum enim fortuito poſitu) per intervalla, octo circiter *alarum paria* adnaſcuntur, è *pinnulis* tenuibus, profunde ſectis compoſitarum. Quælibet *ala* fragmentum *Cicutariæ tenuifoliæ* quadantenus refert; pulvere tamen ferrugineo *Filicum* ritu in dorſo conſperſa.

E rupibus celſiſſimi montis Snowdon, *loco* Clogwyn du yn yr Ardhu *ab incolis dicto*, D. Llhwyd *legit, & humaniſſime nobiſcum communicavit.*

PLANTÆ CAPILLARES

Filices dictæ ramoſæ.

CAPUT IX.

FIlices *de quibus præcedenti capite ſermo fuerat,* ſimplici *ſolummodo* pediculo *rachive donatæ ſunt,* alis *tamen* ad nervum uſque diviſis, *ut ad* ramoſas *quodammodo ſpectent. His ſubjungendæ ſunt* ramoſæ, *quarum pediculi à radice aſſurgentes bis ſubdividuntur; in* ramos *ſcilicet; & quilibet* ramus *in* alas; *& unaquæque* ala *in* pinnulas *diviſa exit.*

TABULA VII. SECT. XIV.

Filix ramoſa

major

1. *Arboreſcens caudice ſpinoſo, pinnulis latis mucronatis Polypodii diviſura, Nobis. Filix arborea latifolia aculeata, C. Plum. p. 3. fig. 3.*
2. *Americana major caudice ſpinoſo, pinnulis acutis amplis Lonchitidis in modum falcatis. Filix latifolia ramoſa cauliculis nigris & ſpinoſis, C. Plum. 4.*
3. *Repens vulgatiſſima, Nobis. Filix ramoſa major pinnulis obtuſis, non dentatis, C. B. P. 357. Filix major ſive ramoſa repens, J. B. Filix fœmina, Matth. Ger.*
4. *Fœmina ſive ramoſa pinnulis anguſtis obtuſis non dentatis, impari ſurculum terminante longiſſima, D. Sloane 24. Filix ramoſa pinnulis longiuſculis partim auriculatis, Car. Plumier p. 14. fig. 22.*
5. *Malabarica alis integris alternis acutis, rotundius crenatis, Para-panna-maravara, Hort. Mal. Part. 12. Tab. 15. An Filix non ramoſa ſcandens pinnulis latis longis crebris obtuſis & dentatis, D. Sloane 20?*
6. *Pinnulis roſtratis, C. Plum. p. 14. fig. 21.*
7. *Africana pinnulis Lonchitidis parvis, Hermanni.*
8. *Fœmina ſive ramoſa major dichotoma pinnulis Lonchitidis ſed longis anguſtis non dentatis, D. Sloane 24. Filix furcata pinnulis longiuſculis non dentatis, C. Plum. p. 13. fig. 20.*
9. *Africana floridæ ſimilis in ambitu foliorum argute denticulata, D. Pluk. Tab. 181. An Filix Africana vel Monomotapenſis ramoſa fœmina, Hort. Beaumont?*
10. *Hirſuta ramulis raris pinnulis Aſplenii, ſcil. crebris latis brevibus non dentatis, D. Sloane 23. Filix ramoſa villoſa major crenis rotundis dentata, Car. Plumier p. 15. fig. 23.*
11. *Alpina Myrrhidis facie Cambrobrit. D. Llhwyd. Pluk. Tab. 89.*
12. *Bermudenſis elegans pinnis rarioribus profunde dentatis ſpelunca rupium innaſcens, caulicu'is muſcoſa lanugine refertis, D. Pluk. Tab. 294.*
13. *Jamaicenſis Cicutæ majoris foliis, Adianti nigri vulgaris pinnulis amplioribus.*
14. *Jamaicenſis Adianti nigri pinnulis anguſtioribus.*
15. *Jamaicenſis Fumariæ foliis, pediculis & rachi medio aculeatis, D. Pluk. Alm. 156.*

minor

16. *Canarienſis humilior ramoſiſſima Adianti nigri foliis viridioribus, Nobis. Filix ramoſa Canarienſis Rutæ murariæ pinnulis anguſtis altius inciſis, mediæ coſtæ alternatim alligatis, D. Pluk. Alm. 156. Tab. 296.*
17. *Malabarenſis arboribus innaſcens Rutæ murariæ facie, Kal-panna-maravara, Hort. Mal. Part. 12. Tab. 16.*
18. *Saxatilis maritima noſtras, Raii Hiſt. 151.*
19. *Saxatilis nigris maculis punctata, C. B. P. 358. Filicula petræa fœmina 3. Tab. Filix pumila ſaxatilis 1. Cluſ. Hiſt. 212. Filix ramoſa minor, J. B. 741.*
20. *Rachi medio, ramuliſque alis brevibus foliaceis veſtitis Virginiana, Nobis. Filix Virgin. non ramoſa foliis planis partim & dentatis rachi medio apophyſibus foliaceis plerumque ex oppoſito per intervalla eleganter adnexis, D. Pluk. Tab. 284.*
21. *Sive Filicula fontana Rutæ murariæ facie tenerifolia, D. Pluk. Tab. 181. An Filicula montana minor, C. B. P. 158?*

minima

22. *Sive Filicula petræa Rutæ facie, Nobis. Adiantum album, Tab. Ruta muraria, C. B. P. J. B. Ger. Ruta muraria ſive Salvia vitæ, Park.*
23. *Sive Adiantum ἀχρόστιχον, Thalii. Filix ſaxatilis quinta ſive corniculata, C. B. P. Filix ſaxatilis Tragi, J. B.*

Hæc locis ſaxoſis variat, unde

Filix corniculata Vulgari longe major corniculis latis pulverulentis pedem longa.
Filix corniculata media foliis quidem latis ſed ut Adiantum diſſectis.
Filix corniculata minor vulgaris corniculis trifidis.
Minima corniculis vix conſpicuis, Mentzelii.

24. *Sive Adiantum novum Germanicum Rutæ murariæ facie, Breyn.*
25. *Foliis in oblongum ſciſſis pediculo viridi, C. B. P. 355. Adiantum album tenuifolium Rutæ murariæ accedens, J. B. 743.*
26. *Foliis inferioribus Coriandri, cæteris Rutæ murariæ vel Fumariæ, Schol. Bot. Par.*

1. Filix

1. Filix *arboreſcens caudice ſpinoſo ramoſa, alis latis mucronatis, Polypodii diviſura, Nobis. Filix arborea latifolia aculeata, C. Plum. p.* 3. *fig.* 3. *Radix* ei dura, quamplurimis nigricantibus *fibris* comata, truncum nonnunquam emittit humani corporis craſſitudine, *ſpinis* brevibus, craſſiuſculis, nigreſcentibus, obſitum; interdum *pediculos* duntaxat prodit, binos pollices craſſos, nigricantes, tres quatuorve cubitos altos, ſpiniſque armatos, ubi minores fiunt, & in tres ramulos ſe dividunt; ex quibus qui medietatem occupat, rectus apparet & indiviſus, laterales vero in duos alios finduntur, ut totum folium quinquifidum conſpiciatur ampliſſimum. Hiſce ramulis jam dictis, alternatim ut plurimum apponuntur *alæ* pedalis pene longitudinis, *pinnulis* exſtantibus uncialibus & biuncialibus, ſed *Polypodii* in modum, non ad nervum uſque diviſis, acutis, lævibus, fuſcoviridibus, per ambitum minime crenatis & quodammodo ſinuatis, quorum in dorſo *pulvis ſeminifer* non naſci obſervatur.

E Jamaica *acceptam habemus. In inſula* Martinica *admirandam hanc plantam ſponte naſcentem reperit* C. Plumier.

2. Filix *Americana major caudice ſpinoſo, pinnulis acutis amplis Lonchitidis in modum falcatis, Nobis. Filix latifolia ramoſa cauliculis nigris & ſpinoſis, C. Plum.* 4. Ad quatuor pedum altitudinem erigitur *caudex* rectus, teres, ſtriatus, nigricans, *ſpinulis* acutis, præcedentis longioribus, circumquaque obtectus. *Ramuli* inde alternatim excreſcunt, longaſque coſtas emittunt; quibus *folium* ipſum *Polypodii* in modum per medium continuatur, ſed in latas & acutas pinnulas *Lonchitidis* more falcatas, modiceque dentatas, ſibi invicem veluti adhærentes, diviſum, ac in dorſo binis ordinibus *punctorum* ferrugineorum notatum eſt.

3. Filix *ramoſa repens vulgatiſſima. Nobis. Filix ramoſa major pinnulis obtuſis non dentatis. C. B. P. Filix major ſive ramoſa repens, J. B. Filix fœmina, Matth. Dod. Ger. Fœmina vulgaris, Park.* Θηλυπτερὶς & νυμφαία πτερὶς *Græcis.* Filix *hæc* vulgatiſſima *in deſertis, ſylvoſis, & ſterilibus agris nimis frequens naſcens reperitur, unde Horatius:*

Neglectis urenda Filix innaſcitur agris.

Radix reptatu importuno, digiti craſſitudine, terram occupat, *ſucco* glutinoſo repleta, *medulla* verſicolore notata ut tranſverſim & oblique inciſa, præſertim à ſuperiore parte, bicipitis Aquilæ ſpeciem quandam præ ſe ferat. *Pediculi* inde oriuntur humana altitudine in ramos diviſi, *alis* oblongis, *pinnuliſque* anguſtis ornati; ſed in dorſo materia pulverulenta invenitur, & margines reflexi *ſemina* copioſa cuſtodiunt. Nam elongatis utriuſque membranis folii fit quaſi nidus ſeminum, *Malpighio* annotante. Adeo frequens & omnibus nota eſt, ut prolixa non indigeat deſcriptione.

Varietatem ejuſdem è Virginia *acceptam habemus, cujus pinnulæ, ad exortum baſinve longiori inciſura præditæ, velut auriculatæ apparent.*

4. Filix *fœmina ſeu ramoſa pinnulis anguſtis obtuſis non dentatis, impari ſurculum terminante longiſſima, D. Sloane p.* 24. *Filix ramoſa pinnulis longiuſculis partim auriculatis, C. Plum. p.* 14. *fig.* 22. *Vulgatiſſimam Filicem* primo intuitu quodammodo refert; *ramulis* vero magis extenſis exit. *Radix* piloſa fuſca *pediculos* edit glabros, ad rubedinem tendentes, in ramulos longos non ferme è regione ſitos, brachiatos. Hi in alios ſecundarios pedem plus minus longos dividuntur, *alis* integris uncialibus rectis, unciæ quadrantem latis, alternatim poſitis, longioreque extremum claudente ornatos; harum autem margines *limbo Roriſmarini* foliorum ad inſtar notatæ ſunt.

In inſula Dominica *legit* C. Plumier.

5. Filix *ramoſa Malabarica alis integris alternis & acutis rotundius crenatis, Para-panna-mara-vara, H. Mal. Part.* 12. *Tab.* 15. *An Filix non ramoſa ſcandens pinnulis latis longis crebris obtuſis & dentatis, D. Sloane p.* 20? *Radix* fuſcoruffa, rotunda, geniculata, piloſis veſtita *fibrillis*, pollicem craſſa. *Caules* viridiclari, ſuccoſi. *Ramuli* alternatim adnaſcuntur, atque his *folia* ſeu pinnulæ integræ, pollicem latæ, in acutum mucronem definentes inordinatim quoque adhærent, quarum *crenæ* oblique actæ rotundæ ſunt, & averſa parte globulorum ſeminiferorum vice, rugoſis, fuſcis, obliquis lineis illarum ſemina obducuntur. Iſthæc autem avolantia & in arbores impingentia novas plantas producunt. Non tam diu ſuperſtes eſt hæc ſpecies ac aliæ, biennio enim vel ad ſummum triennio radices intereunt.

Arbores grandiores laterum montium mediterraneorum convolventem reperit D. D. Sloane *qui* non ramoſam *appellat*; Para *tamen* Malabarice *ramum ſignificat.*

6. Filix *ramoſa pinnulis roſtratis, C. Plum. p.* 14. *fig.* 21. E nigris capillaceis *fibris* compoſita eſt *radix*, & plurimos emittit *pediculos* duros & lignoſos, rubeſcentes, læves, quatuor pedes altos, in ramulos alternos diviſos. Ramuſculi longiores pedalem longitudinem implent, *alis* ſeſcuncialibus, alternatim quoque poſitis, ornati, qui in pinnulas breves, ad baſin latas, acutas, & aviculæ *roſtri* in modum curvatas, ſubdiviſi ſunt.

Inſulæ Dominicæ *alumna eſt.* C. Plumier.

7. Filix *Africana ramoſa pinnis Lonchitidis parvis, D. Hermann.* Ab Amico plurimum honorando *D. D. Hermanno, P. M.* ramulum hujus diſtinctæ *Filicis* accepi, quæ *pediculum* oſtendit pallidum, in ramos diviſum. His *alæ* adnaſcuntur, hac ratione inter ſe irregulares, quod nonnunquam longæ ſunt & in *pinnulas* à nervo medo naſcentes diviſæ; aliis interea pinnulis tantum ſimplicibus, nunc longioribus, nunc brevioribus, donatis. Pinnulæ iſtæ *Lonchitidis* inſtar oblongæ, anguſtæ & falcatæ evadunt, in ambitu denticulationibus concinnis extremitates erga ſerratæ; ſed appoſitionem verſus, margo *limbo* pallido *ſeminifero* reflexus conſpicitur.

8. Filix *Africana fœmina ſive ramoſa major dichotoma pinnulis Lonchitidis, ſed longis anguſtis non dentatis, D. Sloane p.* 24. *Filix furcata pinnulis longiuſculis non dentatis, Plum. p.* 13. *fig.* 20. Rariſſima hæc *Filicis* ſpecies *radicem* habet fibratam, nigreſcentem, & *pediculos* duos pedes altos, rubeſcentes, *ſpinulis* acutis ſquamatim obſitos. In ramulos laterales, è regione naſcentes iſti ſe dividunt, & eorum quilibet bifurcatam diviſionem patitur, & ab unaquaque diviſione dichotomam iterum diviſionem ſubit. His ramulis jam dictis, à primo uſque exortu, *alæ* unciales, anguſtæ, integræ, crebrius diſpoſitæ, (ut ſibi invicem contiguæ ſint) e binis lateribus pectinis ad inſtar provenientes, adhærent, & *Taxi* ramuſculum quodammodo referunt. Dichotoma ſua diviſione ſemper obſervata, à cæteris notu facilis eſt hæc planta.

In Inſula Martinica, *ſed rarius naſcentem obſervavit* C. Plumier. *In Inſulæ* Jamaicenſis *prato* Moneque Savanna *dicto, & via qua illuc tenditur è monte* Diablo *deſcendendo copioſe reperitur.* D. Sloane.

9. Filix

9. Filix *Africana floridæ ſimilis in ambitu foliorum argute denticulata, D. Pluk. Phyt. Tab.* 181. *An Filix Africana vel Monomotapenſis ramoſa fœmina, Hort. Beaumont?* *Pediculus* ei aſſurgit rectus, rigidus, glaber, qui in ramos oppoſitos per intervalla ſe dividit. His *alæ* unciales anguſtæ, per margines dentatæ, ſeſſiles, alterno ſitu poſitæ, oblique actæ, adhæreſcunt.

10. Filix *ramoſa major birſuta ramulis raris, pinnulis Aſplenii, ſcil. crebris latis brevibus ſubrotundis non dentatis, D. Sloane p.* 23. *Filix ramoſa villoſa major crenis rotundis dentata, C. Plum. p.* 15. *fig.* 23. *Radix* in locis humidis & ad rivulos naſcens, grandibus *Filicum* aliarum in modum *filamentis* comata, *pediculos* promit ſubfuſcos, quatuor circiter pedes altos, poſtica parte rotundos, antica vero ſulcatos. Ex horum quolibet *ramuſculi* ſeſquipedem longi, per intervalla inæquali ſitu exeunt; quibus *alæ* alternatim etiam poſitæ, duos pollices longæ, & ampliores, ſenſim in mucronem deſinentes, adhærent, quæ *pinnulis* oblongis, & obtuſis crenis ſubrotundis dentatæ, ſuperne læte virentes, inferne vero *macularum* ferruginearum binis ſeriebus tortuoſe inſigniuntur. Tota planta pilis aliquantulum tortis, rubeſcentibus, amicitur.

In Inſula Jamaicenſi *ſponte naſcentem reperit* D. Sloane. *In Inſula* Dominica *legit* C. Plumier.

11. Filix *Alpina Myrrhidis facie Cambrobritannica, D. Llhwyd.* E *radice* ſolida, necnon complurimis enaſcentibus fibris, oriuntur *pediculi* recti, pedales, muſcoſa fuſca *lanugine* ſquamatim diſpoſita obſiti. Hi ubi palmarem altitudinem aſſecuti ſint in *ramulos* laterales, non ferme è regione, ad uncialem intercapedinem ſitos, ſe dividunt; quorum inferiores palmares ſunt, alii aſſurgentes ſenſim breviores pyramidalem figuram conficiunt. *Alæ* inde pronaſcuntur acutæ, aliæ alternatim, aliæ ex adverſo poſitæ, è *pinnulis* latiuſculis, in ambitu denticulationibus acutis profunde dentatis compoſitæ, quæ in dorſo punctulis ferrugineis rotundis inſigniuntur. Totum folium *Myrrhidis majoris* odoratæ ramuſculum quadantenus refert.

E montibus Cambrobritannicis D. Llhwyd *propria manu collectam attulit.*

12. Filix *Bermudenſis elegans ramoſa pinnis rarioribus profunde dentatis ſpelunca rupium innaſcens, caulículis muſcoſa lanugine refertis, D. Pluk. Tab.* 244. Elegans hæc *Filix*, præcedenti haud multum diſſimilis, *pediculis* aſſurgit erectis, molli *lanugine* tenuiore denſe conferta obſitis. Iſti in *ramulos* oppoſitos extenſos, ac ſecundarias *alas* alternatim ſitas, *pinnulaſque* oblongas, acutas, & profunde dentatas, iis conjugatim adhærentes, ordine diviſi exſtant.

13. Filix *ramoſa Jamaicenſis Cicutæ majoris foliis, ſive Adianti nigri vulgaris pinnulis amplioribus. Filix* hæc inter ſpecioſiſſimas numeranda, *pediculos* habet erectos, pallidos, glabros, tripedalem altitudinem attingentes. Ex his, per longa intervalla, alterno ſitu, exeunt *ramuli*, primo pedales, deinde aliarum *Filicum* in modum breviores, ut mucronem in ſummitate conſtituant: horum enim quiſque *alis* plurimis longis & acutis, fortuito poſitu, amictus, *pinnulis* longis glabris, profunde dentatis, crebrius diſpoſitis, ornatur, ita ut *Adianti nigri vulgaris* folium unuſquiſque *ramuſculus* quadantenus referat, aut totam potius *Cicutam majorem*, ramulis ſuis in bipedalem latitudinem æque ac altitudinem expanſis, æmuletur. *Harum exemplaria ampliſſima D. D.* Sherard è Jamaica *aſſecutus eſt, ſed fructificandi modum iis proprium obſervare nobis non licuit. Igitur ἐπέχω.*

14. Filix *Jamaicenſis ramoſa Adianti nigri pinnulis anguſtioribus.* Minor præcedenti apparet hæc planta alias conſimilis, ejuſque *ramuli* è regione interdum naſcuntur, totaque nec pedalem altitudinem nec latitudinem ſuperat. *Alæ* ſuæ extenſæ, pinnulæque acutiores, crebrius ordineque diſpoſitæ, formoſiſſimum præbent ſpectaculum.

15. Filix *Jamaicenſis Fumariæ foliis, pediculis & rachi medio aculeatis, D. Pluk. Alm.* 156. Inter exoticas portentoſaſque *Filices* quas Americæ Plagæ nobis ſuppeditavere, hæc de qua ſermo, non infimum tenet locum; cujus *radix* è fibrillis fuſcis complicata, *pediculos* emittit politos, glabros, rigidiuſculos, à radice nudos, ubi plene adoleverint. Pedales enim habemus, ac tripedales, qui fortaſſe ſcandentem facultatem demum obtinent, & ſpinulis brevibus recurvis & innoxiis hinc inde, ſed rarius ſparſis, ornati ſunt. Ex his per longa intervalla, aliis nempe palmarem, aliiſque ſemipedalem intercapedinem, admittentibus, nunc ex oppoſito, nunc alternatim emergunt *ramuſculi*, *foliolis* quamplurimis tenuiter diviſis, varieque complicatis onuſti, ut *Fumariæ vulgaris* figuram ſinguli aptiſſime repræſentent.

Inter rariores D. D. Sherard è Jamaica *acceptas hanc habemus.*

Filices ramoſæ minores.

16. Filix *Canarienſis humilior ramoſiſſima Adianti nigri foliis viridioribus, Nobis. Filix ramoſa Canarienſis Rutæ murariæ pinnulis anguſtis altius inciſis, mediæ coſtæ alternatim alligatis, D. Pluk. Alm.* 156. *Tab.* 296. Nova hæc *Filix* ramoſiſſima ex *Inſulis Canaricis* nuper allata & in horto Regio *Hamptonienſi* ditiſſimo adſervata, denſiſſimum ceſpitem *foliorum* ſpithamam longorum, hilari virore præditorum, conſtituit. *Pediculos* emittit pedales, à *radice* nudos, tunc in ramos alternos longe expanſos diviſos. Hi rurſus in alios minores brachiati, atque alarum vice, adeo profunde ſecti, & in pinnulas oblongas, ex acutis obtuſas ſunt diſtributi, ut in ternas vel quaternas diviſiones ramificentur. *Alæ* autem menſe Auguſto, quo videndi copia auſpicato nobis facta eſt, nulla in dorſo materia pulverulenta notabantur.

17. Filix *Malabarenſis, arboribus innaſcens, Rutæ murariæ facie, Kal-panna-mara-vara, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 33. *Tab.* 16. *Radix* tenuis fibrata, rupes ac arbores apprehendit. *Caulis* ſimplex è *radice* exſurgit ad altitudinem pedis, in multos ſe dividens ramos, viridiclarus, hinc inde *pilis* obſeſſus. Iſti autem rami multa producunt *folia* oblonga, ab anteriore parte obtuſa, tribus quatuorve *punctis* rotundiolis profunde inciſa. *Coſta* media in averſa parte eminet; in qua plura oblonga ruffofuſca ſeſe exhibent *ova ſeminalia.* Admodum tenera eſt hæc planta, umbram amans.

18. Filix *ramoſa ſive fœmina minor noſtras, Nobis. Filix ramoſa maritima noſtras, Raii Hiſt.* 151. *Radix* ei duriuſcula non repens, *fibris* adhærentibus complicatur. *Pediculi* inde oriuntur dodrantales & pedales, tenues, pallide virentes, in ramos rectos parium in modum & ex oppoſito naſcentes diviſi. In his *pinnulæ* unciales aut circiter, anguſtæ, per ambitum *Filicis vulgaris fœminæ* in modum profunde, ſed non ad nervum uſque dentatæ, aliæ è regione, aliæ alternatim, crebrius diſpoſitæ ſunt, ut ſibi invicem ut plurimum ſint contiguæ. Brevi, *Filicem vulgarem* primo intuitu quodammodo refert, quoad omnes tamen partes minor, elegantioreque ſtructura ſuperbiens.

E murorum

E murorum horti Hoſpitii Grayenſis Londini *fiſſura ſponte naſcentem primum obſervavi. Rupibus etiam in Occidentali parte* Angliæ *maritimis adhærens reperitur.*

19. Filix *ſaxatilis ramoſa nigris maculis punctata, C. B. P. Filix pumila ſaxatilis* 1. *Cluſ. Hiſt. Park. Filicula petræa fœmina* 3. *Tab. Filix ramoſa minor, J. B. Dryopteris Tragi, Ger. emac.* Parietinas & rudera ſequitur, *radicem* habens labyrintheo contextu varie implexam, *Polypodii* radice tenuiorem, repentem & in obliquum ſe ſpargentem, nigram, raris *fibris* tenuibus & duris capillatam. *Caulículi* tenues, ex viridibus fuſci, erecti, dodrantales, poſt dimidium nudi, in tres partes primo diviſi, ramulis adeo extenſis, ut triangularem figuram *folia* brevia efforment. His pinnatim adnaſcuntur *alæ*, pinnulis aliis ad nervum ſectis, aliis non adeo profunde diviſis, quarum ſingulæ binis *macularum* rotundarum ferruginearum ordinibus in dorſo notantur. *Vid. icon. tab. æn.* 4.

E rupibus & ſaxoſis locis humidis & umbroſis, variis Angliæ *comitatibus ſeptentrionalibus, æque ac tranſmarinis, ſponte oritur, & foliis brevibus* Geranii Robertiani *penitus inſtar, donatur.*

20. Filix *minor Virginiana rachi medio ramuliſque alis brevibus foliaceis veſtitis, Nobis. Filix Virginiana non ramoſa foliis planis partim & dentatis, rachi medio apophyſibus foliaceis (plerumque ex oppoſito) per intervalla eleganter adnexis, D. Pluk. Alm.* 151. *Tab.* 284. Forte *Filix mas rachi ſive nervo medio alato, D. Bamſter Cat. Virgin.* Hæc, quam *Cl. Plukenetius* in lucem eruit, *radicem* habet ſolidam, non repentem, *fibris* adnexis; è qua aſſurgunt pediculi ad eundem modum quo & in proxime præcedenti, poſt dimidium nudi, recti, ubi in ramuſculos primos, tres uncias longos, quadratim fere extenſos, brachiati, & aſcendentes breviores ſunt; eorumque decem circiter conjugationes triangularem formam, (ſuprema conjugatione in acutum mucronem terminata) gradatim naſcentes, componunt. Sed (quod huic proprium videtur) ad exortum uniuſcujuſque ramuſculi æque ac uniuſcujuſque *alæ, membrana* foliacea, plana, anguloſa, oblonga, non per totam coſtam perducta, rachi ſeu nervo medio oppoſite adhæret. Ex hujus meditullio *ramulus* exit, qui *alis* oblongis, integris, ad baſin latiuſculis, in mucronem acutum definentibus, in ambitu ſerratis, alternatim ſitis, ornatur.

21. Filicula *fontana Rutæ murariæ facie tenerifolia, D. Pluk. Alm. p.* 150. *Tab.* 181. *An Filicula fontana minor, C. B. P.* 358? Hanc è *Virginia* (ni fallor) accepi, quæ *pediculis* donatur tenuibus, aliis palmaribus, aliis dodrantalibus, albeſcentem colorem obtinentibus. Ex his *ramuſculi*, nunc è regione, nunc alternatim, duos aut tres pollices longi, virides, teneri, proveniunt; qui *alis* obtuſis, trientem aut ſemunciam longis fortuito poſitu & veluti petiolo brevi adhærentibus, ex ternis quaterniſve pinnularum exiguarum, ſubrotundarum, tenerrimarum, in ambitu argute denticulatarum conjugationibus compoſitis, ornantur.

Filices ramoſæ minimæ.

22. Filicula *petræa Rutæ facie, Nobis. Adiantum album, Tab. Ruta muraria, C. B. P. J. B. Ger. Dod. Salvia vitæ, Adv. Lob. Lugd. Ruta muraria ſive Salvia vitæ, Park. Radice* tenuibus è *fibris* complicata conſtat. Pediculos edit complures tenues, ſemipalmares & palmares, è fuſcis virides; ex quorum tum lateribus tum extremitatibus ramatim naſcentia exeunt *folia, Rutæ* hortenſis graveolentis quoad formam ac diviſionem ſatis ſimilia, per ambitum crenata, anteriore parte lævia, virentia, averſa vero ferruginea pulverulenta materia *punctulis* ſignata per totum obſita. *V. icon. tab. æn.* 5.

In parietibus, rupibus ac muris vetuſtis, præſertim locis raro à ſole illuſtratis, quibus biberno frigore non extinguitur, per varias Angliæ, *& potiſſimum* Walliæ, *tranſmarinaſque plagas ſponte naſcitur.*

23. Filicula *corniculata ſive Adiantum ἀκρόστιχον, Thalii. Filix ſaxatilis quinta ſive corniculata, C. B. P. Filix ſaxatilis Tragi, J. B.* Hanc quæ in Septo Regio *Edinenſi* provenit tanquam ſpeciem à præcedenti diſtinctam non agnoſcimus; ex eadem enim *radice* naſcentia habemus *folia* genuina, *Rutæ* ſimilia, aliaque in binas ternaſve partes corniculave acuta, unciam longa, pulvere ſeminifero obducta. Ea autem (natura ſic ludente) quibuſdam in locis ſaxoſis, præ luxurie, varietatem oſtendunt, qualem in *Apio hortenſi* aliiſque plantis *umbelliferis plurifariam diviſis*, (quibus hac facultate quodammodo reſpondet) videre licet. Hinc apud *Mentzelium*

Filix *corniculata Vulgari longe major corniculis latis pulverulentis, pedem longa.*
Filix *corniculata media foliis quidem latis ſed ut Adiantum diſſectis.*
Filix *corniculata minor corniculis trifidis.*
Filix *minima corniculis vix conſpicuis. Et fortaſſe*

24. Adiantum *novum Germanicum Rutæ murariæ facie, Breyn. Cent.* 1. qui verbis hiſce exprimit: Hoc à *radice* plurimis *cirris* nigris capillata, *coliculos* triginta vel plures ſpargit dodrantales, tenues, juxta radicem nigricantes, reliqua vero parte virentes, & in tertia ſuperius parte *foliolis* anguſtioribus, hilariore virore præditis, inque *lacinias* longiores, anguſtiores quam *Rutæ murariæ* diſſectis, ornatos. Convenit multis cum ſuccedenti, à quo tamen manifeſte differt.

25. Adiantum *foliis in oblongum ſciſſis pediculo viridi* 3. *C. B. P.* 355. Et forte *Adiantum album Filicis folio, ejuſdem. Adiantum album tenuifolium Rutæ murariæ accedens, J. B.* 743. Pedales ex *radice* emittit ſed tenues *caules*, qui ſuperius in ramulos alternos fere dividuntur, atque hi denuo ſæpius in alios minores, nullo fere ordine; foliis *Rutæ murariæ* dimidio minoribus, inciſis, pulchre viridantibus, tenerioribus, mollicellis. *J. B. V. icon. tab. æn.* 5.

E monte Gotthardo *ad* J. Bauhinum *attulit* Hen. Cherlerus. *Ex montibus* Cambrobritannicis *idem fortaſſe eruit* D. Llhwyd.

26. Filicula *ſive Adiantum foliis inferioribus Coriandri, cæteris Rutæ murariæ vel Fumariæ, Schol. Bot. Par. p.* 4. Forte *Lunaria botryites ramoſa Sileſiaca Cam. J. B. Lunaria racemoſa multifido folio, C. B. P. Breyn. Cent.* 1. *Lunaria minor ramoſa, Cluſ. Pan. & Hiſt. Lunaria minor botryitis πολύφυλλος, Thal. Lunaria* non ſolum *foliolis* ſuis curvatis *Lunam creſcentem* refert, ſed & *racemus ſeminifer* eidem cauliculo inſidet, è cujus medio, cum foliis ipſis, furcatim provenit. Hæc de qua jam agimus, huic familiæ propria, *folia* promit à *radice fibris* capillata, primo provenientia ſubrotunda, petiolis inſidentia, *Geranii columbini vulgaris* effigie, unguis humani latitudine, in ambitu dentata. *Folia* ſecundaria latiuſcula, *Coriandri* æmula, alata, uncialia, & biuncialia

& biuncialia ſunt; ac inter ea oriuntur *pediculi* erecti, tenues, glabri, palmares, & altiores, prioreſque ſuperantes; qui in folia plurifariam *Rutæ* in modum, aut *Fumariæ vulgaris* potius diviſa, ramificantur. *Vid. icon. tab. æn. 5.*

Rara hæc planta in Collectaneis tranſmarinis D. D. Sherard *adſervatur.*

Temperamentum & Vires.

E Plantis capillaribus *hoc capite contentis,* 22. Adiantum album *ſive* Ruta muraria *vulgo dicta ſola in officinis uſum habet. Ea vero temperamento ac viribus* nigro *ſive* vero Adianto *accedit, ac proinde laudatur in tuſſe, in reſpirandi difficultate, in urina difficili, in calculoſis affectibus,* &c.

In cura Scorbuti præſtantiſſimam agnovit & expertus eſt D. Michael. *Sunt qui ad puerorum enterocelas commendant, & valde efficacem referunt, ſi quadraginta continuis diebus* aridus ejus pulvis *ſumatur.*

PLANTÆ CAPILLARES

Epiphylloſpermæ ramoſæ pediculis politis nigris.

CAPUT X.

Adiantum nigrum ramoſum.

ADiantum *Græcis* Ἄδιαντον *quaſi ab* ἀ *priv. & διαίνω humecto, irrigo, madefacio, quod aquis immerſa non madeſcat hæc planta.*

Capillus Veneris *dicitur quia pulchros reddit* capillos, *vel quia hæc planta virgulis nigris lenibus & ſplendentibus, quaſi* capillis *prædita ſit; quocirca* Trichomanes *quibuſdam dicitur.*

Adiantum eſt Planta *capillaris pediculis* politiore nitore nigricantibus donata, *foliiſque* ſiccis aqua non madeſcentibus: eſtque vel *ramoſum,* vel *non ramoſum. Ramoſa* hoc caput comprehendit, quorum *radices* conſimiles è *fibris* nigris *cirriſque* plurimis implexis contexuntur.

TABULA VIII. SECT. XIV.

Adiantum nigrum ramoſum pinnulis

- *latioribus & obtuſioribus*
  - *majus*
    1. *Jamaicenſe Lonchitidis falcatis foliis, pediculis ſplendentibus nigris, D. Pluk. Alm. p.* 11. *Tab.* 253.
    2. *Pulverulentum & falcatum, C. Plum. p.* 32. *fig.* 47.
    3. *Pinnulis Lonchitidis ſerratis minus, C. Plum. p.* 32. *fig.* 48.
    4. *Sive maximum foliis ſive pinnulis obtuſis varie ſed pulcherrime ſinuatis & dentatis, D. Sloane p.* 22. *Adiantum nigrum ramoſum & bacciferum, C. Plum. p.* 31. *fig.* 45.
    5. *Foliis Trapezii dentatis, C. Plum. p.* 31. *fig.* 46.
  - *minus*
    6. *Foliis Coriandri, C. B. P. Adiantum ſive Capillus Veneris, J. B. Capillus Veneris verus, Ger.*
    7. *Coriandri folio Adianto vero affine pediculo pallide rubente Sibbaldi Prod. Scot. Raii.*
    8. *Fruticoſum Æthiopicum pinnulis amplis ſubrotundis ſuperne dentatis media pinnarum parte petiolis inſidentibus, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 253. 2.
    9. *Fruticoſum Chalepenſe alis ſubrotundis in ambitu argute denticulatis. Capillus Veneris minor ex Aleppo.*
    10. *Fruticoſum Coriandri folio Jamaicenſe pediculis foliorum politiore nitore nigricantibus, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 254.
    11. *Fruticoſum Bermudenſe ſummis ramulis erectis & in metæ formam faſtigiatis, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 124. *Adiantum nigrum majus ramoſum Coriandri folio, D. Sloane* 23.
    12. *Fruticoſum Americanum ſummis ramulis reflexis & in orbem expanſis, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 124. *Adiant. Amer. Cornuti.*
    13. *Chinenſe perelegans folio flabelliformi cum rubedine perfuſo, D. Pluk. Alm.* 11. *Tab.* 4. *Adiant. folio Coriandri ramoſum, Raii.*
    14. *Barbadienſe auriculatum ſegmentis craſſioribus minutiſſime denticulatum, D. Pluk. Alm.* 11. *Tab.* 125.
- *acutioribus*
  15. *Maximum foliis ſive pinnulis obtuſis tenuibus regulariter minutiſſime & pulcherrime ſectis, D. Sloane* 22. *An Filix exotica prælongis & anguſtis ramulis denticulata, D. Pluk. Tab.* 181. 3?
  16. *Foliis longioribus pulverulentis pediculo nigro, C. B. P. Adiantum nigrum*

grum officinarum, J. B. Varietas foliis duplo majoribus ſaturatæ magis viriditatis, cauliculis quoque longioribus & nigrioribus, Sibbaldi.

17. *Narbonenſe foliis longioribus & acutioribus pulverulentis pediculo nigro, Schol. Bot. Par. D. Pluk. Tab.* 124.

18. *Chinenſe tenuiter diviſum pinnulis minimis obtuſis plerumque biſidis, Raii Hiſt. App.* 1854. *D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 4.

19. *Exoticum Rutæ murariæ æmulum pinnulis oblongis anguſtis in ſummitate tripartitis, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 73.

20. *Africanum Rutæ murariæ æmulum ſegmentis longioribus acutis, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 123. *fig.* 6.

21. *Jamaicenſe pellucidum pinnulis anguſtis crebrioribus ut plurimum peltatis, apice filamentoſo è medio exeunte.*

22. *Americanum pulvere candidiſſimo aſperſum, Breyn. Cent.* 1. *p.* 190. *Adianto nigro ſimile albiſſimo pulvere conſperſum, C. Plum. fig.* 44.

23. *Seu Dryopteris Chinenſis lanuginoſa D. Petiver, Raii Hiſt. App. p.* 1854.

1. Adiantum *Jamaicenſe Lonchitidis falcatis foliis ramoſum, pediculis ſplendentibus nigris, D. Pluk. Alm.* 11. *Tab.* 253. *Adiantum nigrum ramoſum pinnulis Lonchitidis ſerratis minus, C. Plum. p.* 32. *fig.* 48. *Radices* capillares *filamentis* nigricantibus pertenuibus, ceſpitis inſtar contextis gaudent. *Pediculi* politiore nitore nigreſcentes rigidi, huic cum omnibus *Adianti* ſpeciebus inferius tractandis, communes ſunt. Hoc quidem pediculos emittit pedalem ac interdum bipedalem altitudinem attingentes, in *ramulos* alternos palmares & dodrantales, lateraliter diſtributos. *Alæ* iis alternatim poſitæ adhærent, pollicem circiter longæ, in inferiore parte *linea* recta plana ab exortu provenientes, ſuperiore vero *Lonchitidis* in modum eminentiores eriguntur, ut ſemuncialem latitudinem obtineant, & mucronatæ evadant, integræ & quodammodo falcatæ. Harum teneriores, à ſuperiore præſertim parte, margine ſunt dentatæ; aliis vero adultis *limbus* craſſior pulverulentus per totum marginem ſuperiorem, ac dimidium duntaxat inferioris, decurrit.

Ex Inſula Jamaicenſi *acceptum habemus. In inſula* Dominica *legit* C. Plumier.

2. Adiantum *nigrum ramoſum pulverulentum & falcatum, C. Plum. p.* 32. *fig.* 47. *Et D. Sloane.* Præcedentium in modum excreſcit, *pediculis* vero *lanugine* pulverulenta obſitis. *Ramuli* ſolummodo recti, non in alios diviſi *alas* gerunt alternas, breviores, obtuſiores, & non dentatas, à ſuperiore latere limbo craſſiuſculo pulverulento ferrugineo præditas.

3. Adiantum *nigrum pinnulis Lonchitidis ſerratis minus, C. Plum.* 48. Hujus *ramuli* (quorum inferiores nonnunquam in alios ſe dividunt) alterni *pediculis* nigris politis inſidentes, *pinnulas* proferunt *Lonchitidis* pene in modum ad baſin latas, & in mucronem deſinentes, ſuperiore præſertim latere rotundius crenatas. Crena autem unaquæque *pulvere* ferrugineo ſignatur.

In inſula Dominica *reperit auctor.*

4. Adiantum *nigrum ramoſum maximum foliis ſive pinnulis obtuſis varie ſed pulcherrime ſinuatis & dentatis, D. Sloane p.* 22. *Adiantum nigrum ramoſum & bacciferum, C. Plum. p.* 31. *fig.* 45. *Pediculis* aſſurgit tripedalibus & altioribus, poſt dimidium in *ramulos* alternos, longos, rectos, diviſis. Hi in *alas* longas & acutas ad uncialem intercapedinem, atque eæ in *pinnulas Lonchitidis* in modum integras, ab inferiore parte curvatas, ſemunciales, extremitatem verſus crenatas, ſubdividuntur, ac in ſuperiore latere binis laciniis profundis, ut plurimum, ſecantur. Cuilibet porro laciniæ *macula* pulverulenta, rotunda, rugoſa, *baccam* æmulans apponitur.

In inſula Dominica *ad rivulum naſcens* C. Plumier *reperit.*

5. Adiantum *ramoſum foliis trapezii dentatis, C. Plum. p.* 31. *fig.* 46. *Adiantum nigrum non ramoſum majus ſurculis raris pinnulis denſis craſſis minimis criſtatis & Trapezii in modum figuratis, D. Sloane p.* 21. An *Filicis exoticæ prima ſpecies ſeu Filix non ramoſa Braſiliana pinnulis criſtatis, Breyn. Cent.* 1. *p.* 187? Bipedalibus & tripedalibus exſurgit *pediculis* ſplendentibus nigris politiſſimis, in *ramulos* nonnunquam pedales, nitidiſſimos, brachiatis, & *alis* integris, pollicem pene latis, è quatuor lateribus irregularibus, *Trapezii* in modum efformatis, conſtantibus, ornatis. Unaquæque ala, binis lateribus extremum angulum conſtituentibus, & à petiolo remotis in *crenas* ſubrotundas denticulatur. Quælibet *crena pulvere* fuſco *ſeminifero* obducitur, cum duo reliqua latera plana & æqualia, *petiolis* tenuibus inſidentia conſpiciantur.

E Jamaica *allatam hanc ſpeciem elegantem habemus.*

6. Adiantum *foliis Coriandri, C. B. P. Adiantum ſive Capillus Veneris, J. B. Capillus Veneris verus, Ger. Adiantum verum ſive Capillus Veneris verus, Park. Adiantum, Matth. Dod. Hiſt. Lugd. Adiantum Syriacum Tab. Nigrum, Theophraſt. Plin.* Muſco ruſſoque ceſpiti implexæ ſunt *capillares radicum fibræ* nigræ. *Pediculi* exeunt multi, tenues, nigri, dodrantales, aut etiam cubitales, in *ramos* ſtamineæ tenuitatis diviſi, per quos tremulo filo appenſa viſuntur crebra *folia* mollicella tenellaque, lævia, Coriandrinis primitus erumpentibus ſimilia, nec magnitudine multum cedentia, ex rotundis fere triangularia, ſectionibus ſubrotundis, per extremum rarioribus, altioribus cæſa. Ad inciſuras foliorum vetuſtiorum materia pulverulenta ad cinereum colorem vergens, marginibus veluti reflexis occultatur. *V. icon. tab. an.* 5.

Locis umbroſis ac humidis gaudet, in parietibus, petroſis, ſecus fontes & aquarum ſcaturigines, circa puteos & conſimiles locos, per totum annum viret; opaca vero ſolique expoſita refugit. Non ſolum in Italia, Gallia Narbonenſi, *ac plagis calidioribus, ſed & in* Germania *ac* Belgio *reperitur.*

7. Adiantum *Coriandri folio Adianto vero affine pediculo pallide rubente, Sibbaldi Prod. Scot.* Cum proxime præcedenti convenit; Planta vero è *Scotia* miſſa, in ramulos non adeo diviſa conſpicitur, ſed è pediculis tenuioribus, ad rubedinem tendentibus, *folia Coriandrina* profunde ſecta, tenera, lobata ſolummodo emergentia cernuntur. *Cl. auctor in hiatu ſaxi in colle ad occidentem lacus dicti* Loch-coat *prope urbem* Limnuchum *invenit.*

8. Adiantum *fruticoſum Æthiopicum pinnulis amplis ſubrotundis, ſuperne dentatis, media pinnarum parte petiolis inſidentibus, D. Pluk. Alm.* 10 *Tab.* 253. 2. Hanc plantam nomine *Capilli Veneris majoris* indito ex *Aleppo* accepimus. A *pediculis* nigris in ramuſculos diviſis prodeuntia *folia* ſubrotunda, unguis humani latitudine

tudine, in paucas rotundas *lacinias* ſuperiore parte inciſa, & petiolis perexiguis utrinque plana, per alarum medietates inſidentia & accreſcentia conſpiciuntur.

9. Adiantum *fruticoſum Chalepenſe minus alis ſubrotundis in ambitu argute denticulatis. Capillus Veneris minor, ex Aleppo.* Humilior hæc planta dilute viridis, *pediculos* habet graciliores, ut *ſeti equini* tenuitatem pene obtineant, in *alas* diviſos,, & *petiolis* tenuiſſimis ſubdiviſos, quibus *folia* latiuſcula ſubrotunda, in paucas *lacinias* altius diſſecta, in ambitu crenis exiguis minutim ſerrata, adnectuntur.

10. Adiantum *fruticoſum Coriandri folio Jamaicenſe pediculis foliorum politiore nitore nigricantibus, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 254. Huic pedales & ſeſquipedales ſunt *pediculi* duri, politiſſimi, nigerrimi, in *ramulos* plurimos alternos tenuiſſimos divaricati. His erectiori poſitu, *petiolis* crinis gracilitate, rigidiuſculis tamen, donatis, inſident *foliola*, ad quadrangularem formam vergentia, quæ ab angulo inferiore & acutiore, ubi proveniunt plana, ſuperius vero crenata ſunt. *Crenæ* autem reflectuntur, & *lunulæ creſcentis* figura *materia ſeminifera* pulverulenta adhæret.

In Jamaicenſi *Inſula collectum habemus.*

11. Adiantum *Bermudenſe fruticoſum ſummis ramulis erectis & in metæ formam faſtigiatis, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 124. *Adiantum nigrum majus ramoſum Coriandri folio, D. Sloane p.* 73. *Pediculis* ſplendentibus nigris, & forte non vulgarem altitudinem aſſequentibus aſſurgit; ramum enim ſeſquipedalis longitudinis, in ramulos rectos ad baſin longiores, & ſenſim in breviores contractos ita ut formam pyramidalem acutam conſtituant diſtributum, nobiſcum humaniter communicavit *D. Petiver.* Horum petiolis tenuiſſimis foliola ad appoſitionem acutiora, & ſuperiore parte in terna & quaterna *ſegmenta* altius inciſa, concinnis *denticulationibus* ſerrata, adnaſcuntur.

12. Adiantum *Americanum ſummis ramulis reflexis & in orbem expanſis, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 124. *Adiantum Amer. Cornuti, Cap.* 7. Huic è *radice* puſilla, *capillamentis* nigris fibrata, *cauliculi* exeunt atropurpurei, in cubitum ſe attollentes, ſeptemque aut octo *ramulis* diviſi, & in orbem expanſi, latiſſime ſe ſpargunt; adnaſcentibus interim proceſſibus quamplurimis, qui cum ramulis leviter ad extremitatem criſpantur. *Folia Adianti vulgaris* ſimilia ſunt, ſed ampliora, *Galli criſtam* referentia; ſunt enim infima parte linea curva clauſa, ſuperiori nonnullis ſinubus lacinioſa, omnia contrariis pediculis denſa inter ſe & ex adverſo. Singulorum foliorum pars altera grata viriditate lucet, altera *punctulis* fuſcis exaſperatur. Sapor idem qui & noſtrati parum acerbus. Haud dubio *Adiantum fruticoſum Braſilianum, C. B. Prod. p.* 150. idem eſt, qui folia ei alternatim naſci ſcribit, qualia ſunt omnia nobis adhuc viſa, quæ è *Virginia* aliiſque plagis *Americanis* ſeptentrionalibus accepimus. *V. icon. tab. æn.* 5.

13. Adiantum *Chinenſe perelegans ramoſum folio flabelliformi cum rubedine perfuſo, D. Pluk. Alm.* 11. *Tab.* 4. *Adiantum foliis Coriandri ramoſum, Raii Hiſt. app.* 1853. In *ramuſculos* expanduntur ejus *pediculi* palmares & dodrantales. His alternatim *foliola* ab baſin acuta ac in ſuperiore parte rotunda, *flabelli* exigui expanſi formam exprimentia, alia marginibus plana, alia aliquantulum inciſa & dentata, *limbo* ſeminifero reflexo prædita, petiolis capillaribus inſidentia, eleganti ſpectaculo apponuntur.

Hoc D. Petiver *è* China *acquiſivit.*

14. Adiantum *Barbadienſe auriculatum ramoſum majus ſegmentis craſſioribus minutiſſime denticulatum, D. Pluk. Alm.* 11. *Tab.* 125. Novam hanc *Adianti* ſpeciem ex *Inſula Barbadienſi* à *Jacobo Rhode*, ad Plantas colligendas eo à nobis miſſo ac occupato, advectam habemus. *Pediculis* dodrantalibus & pedalibus, atropurpureis, *lanugine* quadam brevi conſperſis, aſſurgit. *Ramuſculi* tres quatuorve pollices longi, indiviſi, inde alterno ſitu ramificantur; atque iis *folia*, unciam plus minus longa, ab exortu in quadrantis unciæ latitudinem expanſa, & veluti in *auriculam* ſuperiore parte prominentia, & in obtuſum mucronem anguſtata, concinna tenuique ſerratura per totam ſuperiorem partem ac dimidiam inferioris lineæ ut plurimum dentata, ſeſſilia, alternatim, ad ſemuncialem intercapedinem, adnaſcuntur.

Adianta nigra ramoſa pinnulis acutioribus.

15. Adiantum *nigrum ramoſum maximum foliis ſive pinnulis obtuſis tenuibus regulariter minutiſſime & pulcherrime ſectis, D. Sloane p.* 22. *An Filix exotica prælongis & anguſtis ramulis denticulata, D. Pluk. Phyt. Tab.* 181? *Pediculi* glabri nigreſcentes, craſſiores, & robuſtiores, erecti, altius huic attolluntur. Ex his contrario ſitu & per longa intervalla, *ramuli* laterales proveniunt, qui in *pinnulas Cicutæ* pinnularum pene æmulas, acutas, & in ambitu dentatas, alias alternatim, aliaſque è regione, lobatim diſpoſitas (impari extremitatem claudente) ſubdividuntur.

16. Adiantum *foliis longioribus pulverulentis pediculo nigro, C. B. P. Adiantum nigrum officinarum, J. B.* 742. *Dryopteris nigra, Dod.* 466. *Onopteris mas, Ger. Adiantum nigrum vulgare, Park. Radix* è *fibris* nigricantibus inter ſe complicatis emiſſa, mediocris eſt craſſitudinis, quæ ſubinde nova germina molitur. *Cauliculi* pediculive dodrantales, (nunc longiores nunc breviores) firmi nigreſcentes inde oriuntur, quibus inæquali ortu adnectuntur *alæ* unciales & biunciales, in acutum mucronem abeuntes, ac in *pinnulas* oblongas, è latitudine acutas & dentatas, ſuperna parte atrovirides, inferna vero pulverulentis maculis oblongis, oblique actis conſperſas, diviſæ. *V. icon. tab. æn.* 5.

In locis petroſis, ac præſertim umbroſis, vetuſtis parietibus, ad radices arborum foſſarumque aggeres, ſolo præcipue argilloſo, haud infrequens, tum in Anglia *tum exteris regionibus, perpetua fronde virens, reperitur.*

Hoc ſecundum ſolum & cœlum magnitudine variat; hinc *Adiantum nigrum foliis duplo majoribus, ſaturatæ magis viriditatis, cauliculis quoque longioribus & nigrioribus,* Sibbaldi *Hiſt. Nat.* Scot.

17. Adiantum *Narbonenſe foliis longioribus & acutioribus pulverulentis pediculo nigro, Schol. Bot. Par. D. Pluk. Tab.* 124. Species hæc diſtincta, *Pariſiis* detecta, & à Cl. D. D. *Sherardo* inde allata, cum præcedenti alias conveniens, altius, ita ut bipedale ſit, nigricantibus ſuis pediculis, nonnunquam aſſurgit; foliaque ampliora ex tenuioribus, copioſioribuſque *alis* ac *pinnulis*, magiſque ramoſis & diviſis, atrovirentibus, ac tenuioribus *lineis* ferrugineis in dorſo notatis, conſtructa ſunt. Atque his notis dignoſcitur.

18. Adiantum *nigrum Chinenſe tenuiter diviſum pinnulis minimis obtuſis plerumque bifidis, Raii Hiſt. App.* 1854. *D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 4. Forte *Adiantum minus foliis in ſummitate retuſis, C. Plum. p.* 34. *fig.* 50.

D. Petiver

D. Petiver hanc ſpeciem è *China* delatam acquiſivit, & cum *Cl. Raio* communicavit, qui his verbis deſcribit. Hujus *cauliculus* ſeu ſcapus folii medius *ramulos* emittit alternos, in *ſurculos* pariter alternatim poſitos diviſos, & hos demum in *pinnulas* minimas ab anguſto principio paullatim dilatatas, ad ſummum uſque quod latiuſculum & plerunque bifidum eſt. *Pinnularum parvitate* & *figura* ab omnibus nobis cognitis *Adianti* ſpeciebus diſtinguitur, adde & frequenti diviſura.

19. Adiantum *exoticum Rutæ murariæ æmulum pinnulis oblongis anguſtis in ſummitate tripartitis, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 73. *f.* E pediculo *Adianti* ritu aſſurgenti, rarius alterno ſitu naſcentes proveniunt *alæ* in ternas, & ut plurimum ternatim, in longas partes ex anguſta origine diviſæ. Harum quælibet terminatio latior & obtuſa, in tres veluti *crenas* rotundas, quarum media altior, diſſecatur.
D. Parry *Chirurgus* Londinenſis *cum auctore communicavit.*

20. Adiantum *Africanum Rutæ murariæ æmulum ſegmentis longioribus acutis, D. Pluk. Alm. p.* 10. *Tab.* 123. 6. Figura *Cl. Pluknetii* ramulum, non ramoſum pronunciandum, anguſtum, in mucronem acutum abeuntem, demonſtrat. Pediculo recto, alternatim & per intervalla adhærent *alæ* unciam circiter longæ non in pinnulas, ſed anguſtas longas & acutas partes *laciniaſve*, ab exortu integras diviſæ.
Hujus exemplar à D. Patricio Adair *obtinuit auctor.*

21. Adiantum *Jamaicenſe ramoſum & pellucidum pinnulis anguſtis crebrioribus ut plurimum peltatis, apice filamentoſo è medio exeunte.* An *Adiantum ramoſum ſcandens pinnulis ſive foliis oblongis profunde laciniatis pellucidis, D. Sloane p.* 22? Quoad *alarum* divaricationes *pinnularumque* formam, præcedenti quodammodo ſimile eſt. *Folium* totale dodrantale cernitur, *alis* pinnuliſque longis anguſtis, crebrius diſpoſitis ornatum. Inferiores ramuſculi mediis ſunt breviores, cum in proxime ſuperiori longiores evadant; ſed (quod huſc proprium videtur) tenuia & omnino pellucida ſunt *folia*; *pinnulæque* pulvere ſeminifero in dorſo non notatæ, ſed plurimæ *pelta* quadam oblonga fuſca malleolove craſſiuſculo, latiuſculo depreſſo capite terminantur, & (quod ornamento eſt) ſpinula capillacea ex ejuſdem meditullio naſcens erigitur.
E Jamaica D. D. Sherardus *obtinuit.*

22. Adiantum *Americanum pulvere candidiſſimo aſperſum, Breyn. Cent.* 1. *Adianto nigro ſimile albiſſimo pulvere conſperſum, C. Plum p.* 30. *fig.* 44. *Filix non ramoſa minor caule nigro, ſurculis raris, pinnulis anguſtis dentatis raris brevibus acutis ſubtus niveis, D. Sloane p.* 20. *Filix Americana elegans ſive Adiantum Calomelanos folio Filicis Americanum majus, D. Pluk. Alm.* 150. *Tab.* 124. *An Avenqua Luſitanis major, Marcgr?* Fortaſſe duæ vel tres plantæ, aut ad minimum varietates, ſub ſynonymis jam citatis comprehenduntur. Planta enim à *Ja. Rhede* in Inſula *Barbadienſi* collecta & inde tranſmiſſa, *Adianti pediculis* lucidis nigris, pedalibus & cubitalibus aſſurgit, à *radice* nudis. His è regione ut plurimum (interdum enim fortuito poſitu) viginti circiter alarum conjugationes adnectuntur. Ex iſtis mediæ ſunt longiſſimæ, biuncialem longitudinem raro ſuperantes, aliæque aſſurgentes breviores, mucronem in ſummitate conſtituunt acutum. *Alæ* jam dictæ, non in ramos diviſæ, ſed rectæ & acutæ exeunt; quibus pinnulæ integræ ad baſin latiuſculæ, mucronatæ adhæreſcunt, ac harum latiores & quæ coſtam mediam verſus inſident, laciniis paucis profundis denticulatæ ſunt; omneſque ſuperne glabræ ac virides conſpiciuntur, inferne vero *pulvere* candido omnino amictæ.
Alteram varietatem è Jamaica *tranſmiſſam habemus, habitu conformem, niſi quod* pinnulæ *ad exortum* anguſtiores, *ac in ambitu* ſerratæ *ſint.*
Planta etiam à *C. Plumier* exhibita *alas* promit ad baſin ac primo provenientes, multo cæteris longiores, ut folium totale forma appareat triangulari præditum & *pinnulas* latiores, in profundiores *lacinias* diſſectas, exprimat.

23. Adiantum *nigrum ſeu Dryopteris Chinenſis lanuginoſa, Raii Hiſt. App.* 1854. Hoc novum *Adiantum D. Petiver* primus comparavit & *Cl. Rato* impertivit, qui hunc in modum deſcripſit: Hujus *folia* totalia longiora & anguſtiora ſunt, ratione habita quam *Dryopteris nigra Officinarum* in ramulos ex adverſo plerumque ſitos diviſa ſervat; at *pinnulæ* in ramulis alternatim plurimum diſpoſitæ ſunt; hæc autem diviſura ſua *folium Quernum* quodammodo imitantur. *Pediculi* ut in *Dropteride vulgari*, ex ſpadiceo nigricant. Verum hæc planta inſigni nota ab omnibus nobis hactenus viſis *Capillarium* ſpeciebus differt, quod non *pediculi* tantum, ſed *pinnulæ* ſeu *folia* ipſa *hirſuta* & *lanuginoſa* ſunt.

Temperamentum & Vires.

Plurimum laudatur Adiantum ſextum *ſive verum, quod miti calore & frigore temperato ſit, & æqualiter de utraque qualitate participet. Uſurpatur in thoracis affectibus; pulmones aperit; viſcidi humoris exitum promovet; reſpirandi difficultatem tollit; aſthmaticis, tuſſientibus, pleuritide & peripneumonia laborantibus prodeſt. Hepatis quoque ac lienis obſtructiones reſerat; calculos renum atterit; meatus urinarios extergit; atque alvi fluxionibus ſiſtendis conducit. Secundas ac menſtrua ciere dicitur, ſed contrarium ſuggerit* Rulandus *in* Theſauro Med. *Nam decoctum cum vino bono uſque ad conſumptionem tertiæ partis, non modo expertum, ſed divinum pronunciat remedium in abortu præcavendo. Extrinſecus capitis furfures detergit, capillos auget & alopeciam curat; ad ſtrumas quoque & abſceſſus digerendos tanquam utile laudat* Galenus.

PLANTÆ CAPILLARES

Epiphylloſpermæ non ramoſæ ſeu alatæ pediculis politis nigris.

CAPUT XI.

Adiantum nigrum non ramoſum.

TABULA IX. SECT. XIV.

Adiantum non ramoſum ſive Trichomanes

majus
1. *Indicum longioribus & acutioribus foliis ad oras dentatis alternis, Nobis. Nella-panna-maravara, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 37. *fig.* 18.
2. *Jamaicenſe Lonchitidis amplioribus foliis, pediculo atronitente, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 252. *Trichomanes majus nigrum pinnis leviter dentatis Trapezii figura, D. Sloane p.* 17.
3. *Nigrum pinnis Trapezii figura latiſſimis tenuibus, D. Sloane* 17.
4. *Indicum alis amplioribus petiolis inſidentibus, Avenka, H. Mal. Part.* 12. *p.* 72. *Tab.* 40.
5. *Amer. alis longioribus ſerratis, Tancapatz Recchi,* 407.
6. *Americanum alis amplioribus obtuſis, ex anguſto principio ſeſe dilatantibus & dentatis, Nobis. Polytrichum ſaxatile dentatum, C. Plum. fig.* 50.
7. *Maritimum ſegmentis anguſtioribus Caribæarum, D. Pluk. Alm.* 9. *Tab.* 124.
8. *Bermudenſe ſerratis foliis auriculatum, D. Pluk. Tab.* 125.
9. *Radiatum, C. Plum. p.* 33. *fig.* 49. *Adiantum Jamaicenſe pinnulis auriculatis ramoſum quinis ramulis ex eodem cauliculi puncto expanſis ornatum, D. Pluk. Tab.* 253.

medium
10. *Sive Polytrichum officinarum, C. B. P. Trichomanes ſive Polytrichum, J. B. Trichomanes, Park. Trichomanes mas, Ger.*
11. *Bifurcato pediculo, tenuioribus foliis dentatis, Nobis. Trichomanes ramoſum, J. B. Fœmina, Tab.* 477.

minus
12. *Minus alis oblongis & acutis profunde laciniatis. An Maritimum ſegmentis rotundioribus, Schol. Bot. Par. Adiantum mas, Tab. D. Pluk. Alm.* 9. *Tab.* 73. 6?

13. *Alis foliorum triangularibus integris dentatis. Forte Trichomanes foliis mucronatis profundius incifis, ſive folio pyramidali, D. R. Sibbald.*

1. Adiantum *non ramoſum majus Indicum longioribus & acutioribus foliis ad oras dentatis alternis, Nobis. Nella-panna-maravara, Hort. Mal. Part.* 12. *p.* 37. *fig.* 18. *Radix* nihil aliud eſt quam maſſa vel faſciculus multarum *fibrarum, filamentorum* capillarium, & *radicularum*, quæ fuſconigræ, lignoſæ, muſcoſa quadam hirſutie complicantur. *Odoris* autem ſunt gravis, ſaporis ſubamari, limpido humore repletæ. *Caules* plures ſimul è radice exſurgunt ad altitudinem trium quatuorve pedum, ſimplices, indiviſi, rotundi, glabri, caſtaneofuſci, nitentes, rigidi, lignoſi, ab una parte plani, ſed *lacinia* excavati; adhuc teneri ſummitates circumflectuntur & corrugantur, fuſca lanugine, quæ deinde perit, veſtiti, ſine odore & ſapore. *Folia* oblongoangusta ſunt, gradatim utrinque inciſa, in acutum deſinentia, dura, rigida, erecta. *Coſta* folium inæquale dividens, in adverſa parte eminet, *Hort. Mal.*

2. Adiantum *Jamaicenſe Lonchitidis amplioribus foliis non ramoſum, pediculo atronitente, D. Pluk. Alm.* 10. *Tab.* 252. *Trichomanes majus nigrum pinnis leviter dentatis Trapezii figura, D. Sloane p.* 17. E *radicibus* nodoſis, fuſcis, *Polypodii* tenuioribus, horizontaliter repentibus, *fibrilliſque* adnaſcentibus, proveniunt *pediculi* politiſſimi nigri, dodrantales & pedales, binas partes à *radice* nudi, in tertia *alis* lævibus, ſuperne atrovirentibus, inferne è cinereo colore viridantibus, unciam & ſeſcunciam longis, dimidiam latis, ſeſſilibus, crebrius & alternatim diſpoſitis, ut ſibi invicem incumbant, integris, in mucronem abeuntibus, in ambitu minutim ſerratis, ſuperiore parte ad baſin veluti in auriculas aſſurgentibus, alati ſunt, quarum octo novemve pares, (una impari extremitatem claudente) totum folium componunt. Quædam *folia* vetuſtiora & ad maturitatem perducta, oras habent *limbo* pulverulento reflexas.

E rupium commiſſuris Inſulæ Jamicenſis *eruit, necnon in ſylvis mediterraneis ſaxoſis naſcens collegit, D.* Sloane.

3. Trichomanes *majus nigrum pinnis Trapezii figura latiſſimis tenuibus, D. Sloane p.* 17. quocum ut & nobiſcum inſignem hanc plantam *D. D. Sherard* pro ſolita ſua humanitate communicavit. Atronitentibus ac ſplendentibus aſſurgit *pediculis* dodrantalibus & pedalibus, qui quatuor ut plurimum alarum conjugationes per intervalla diſpoſitas, unamque extremum claudentem, geſtant. Harum unaquæque duas uncias longa, pollicem plus minus lata, *venis* ſubtiliſſimis ab exortu extenſis notata, veluti quadrangularis *Trapezii* figuram quodammodo exprimit, ac in ambitu raris *laciniis* dentata exiſtit.

4. Adiantum *Indicum alis amplioribus ſubrotundis petiolis inſidentibus, Avenka, Hort. Mal. Part.* 12. *pag.* 72. *Tab.*

72. *Tab.* 40. Plantula iſthæc ad altitudinem cubiti naſcitur in arenoſis. *Caules* ex *radice* lignoſa & fibroſa plures exſurgunt, ſimplices, tenues, lignoſi, duri, rigidi, rotundioli, ſpadiceonigricantes, glabri & nitentes. *Folia* in ſuperiori parte caulium in duabus provenientia ſeriebus petiolis tenuiſſimis, ſurrectis, ſpadiceonigricantibus, nitentibus, prædita, lata ſunt, anterius ora convexa, cauli obverſa, tenuia, lenia, mollia, *venis* ſtriata. Nullius vel ſaporis vel odoris gratia commendabilis eſt hæc planta.

5. Adiantum *nigrum Americanum non ramoſum alis longioribus ſerratis Tancapatz Recchi*, 407. *Iconem conſulito Lector.* Ita enim brevitati ſtuduit auctor, ut ex ejus deſcriptione vix diſtinctionem hujuſce plantæ à congeneribus liceat colligere. Ita autem ille: *Caulis* coloris caſtanei, *rami* obſcure virent, inſperſis rubris *punctis*. Planta tota ſimilis *Adianto nigro Lobelii.* *V. icon. tab. æn.* 4.

6. Adiantum *Americanum alis amplioribus ex anguſto principio ſeſe dilatantibus & dentatis, Nobis. Polytrichum ſaxatile dentatum, C. Plum. fig.* 50. *Trichomanes foliolis dentatis ſuperiore latere auriculatis, D. Sloane p.* 17. *Adiantum ſive Filix Trichomanoides Jamaicenſis pinnulis auriculatis ad baſin ſtrictioribus & rarius dentatis major, D. Pluk. Tab.* 253. Hujus *radix* fibrata *pediculos* læves nigricantes diverſæ altitudinis emittit; infimi enim tres pollices vix ſuperant, & qui è medio oriuntur ſeſquipedalem acquirunt altitudinem. His ex adverſo poſitæ adhærent *alæ* plus minus unciales; inferiores enim minores ſunt, mediæque longiores, ab anguſto exortu ovales, extremum verſus dentatæ; mediæ ac ampliores, longis *lineis* craſſiuſculis pulverulentis in dorſo inſigniuntur quibus & inferiores ac ſuperiores deſtituuntur.
E rupibus humidis Inſulæ Dominicæ *legit* C. Plumier.

7. Adiantum *maritimum ſegmentis anguſtioribus Caribæarum, D. Pluk. Alm.* 9. *tab.* 124. Cum præcedenti multis convenit; *alæ* tamen auguſtiore baſi conſtant; oblongæ illæ ſunt, & à ſuperiore parte ſolummodo paucioribus *crenis* dentatæ, longius per intervalla pediculis inſident.

8. Adiantum *Bermudenſe minus non ramoſum pinnulis obtuſis & dentatis Lonchitidis in modum auriculatis, Nobis. Adiantum ſive Trichomanes Bermudenſe maximum ſerratis foliis auriculatum, D. Pluk. Alm. p.* 9. *Tab.* 125. *Trichomanis vulgaris* ritu (quo major aliquantulum apparet hæc planta) *pediculis* nigricantibus, ex *radice fibris* capillata provenientibus, ſemipedalem longitudinem attingentibus, plurimis in orbem expanſis, aſſurgit. His *alarum* paria numero triginta vel quadraginta, è binis lateribus è regione naſcentia, accreſcunt. Unaquæque porro *ala* unciæ quadrantem aut paullo longior eſt, auguſta, obtuſa, in ambitu, præſertim à ſuperiore parte, dentata, & ad appoſitionem *Lonchitidis* forma auriculata conſpicitur.
In peregrinationibus Ja. Rhede *collectum eſt, à quo tranſmiſſum habemus.*

9. Trichomanes *Americanum radiatum, Nobis. Adiantum ramoſum radiatum, C. Plumier, p.* 33. *fig.* 49. *Adiantum nigrum majus non ramoſum ſurculis è pediculi communis ſummitate tanquam è centro prodeuntibus & ſtellæ in modum radiatis, D. Sloane p.* 22. *Adiantum Jamaicenſe pinnulis auriculatis ramoſum quinis ramulis ex eodem cauliculi puncto expanſis ornatum, D. Pluk. Tab.* 253. A cæteris facile dignoſcitur hæc ſpecies elegantiſſima. Radiculis congenerum conſimilibus donatur. *Pediculi* inde oriuntur tenues, nigræ, capillaceæ, duræ ac rigidæ, palmares & ſemipedales; è quorum ſummitate quinque, ſex, ſeptemve folia, tres quatuorve digitos longa, *Trichomanis* in modum, ſed alterno ſitu alata, ſtellatim & eleganti ordine radiatim extenſa, pronaſcuntur. Singulæ *alæ* exiguæ, oblongæ, *ſurculis* adhærentes, marginibus minutiſſime denticulatis, baſique auriculata, *Lonchitidem* quodammodo æmulantur, crebrius diſpoſitæ, ut ſibi invicem contiguæ evadant; ac in centro *roſa* quadam foliacea ſubſtrata anguli ſupplentur.
In Jamaicæ *Inſulæ parte ſeptentrionali* D. Sloane *collegit; ac in* Martinica C. Plumier *reperit.*

10. Trichomanes *ſive Polytrichum officinarum, C. B. P. Trichomanes ſive polytrichum, J. B. Trichomanes, Park. Dod. Trichomanes mas, Ger.* Capillata nigricanteque *radice* & conferta nititur. *Foliola* habet ad coſtam ſemipedalem aut digitalem, teretem, rigidiuſculam, fragilem, atrorubentem ſplendentemque adnexa plurima (impari folio extremam *alam* claudente) parva, ſubrotunda, in ambitu nunc crenata, nunc nullis crenis conſpicua, interdum criſpa, ſuperne virentia, inferne ruffo *pulviſculo* aſperſa, è regione poſita, ſapore mixto, adſtringente, ſubdulci. *V. icon. tab. æn.* 3.
Diuturnum ac vivax eſt, nec hyemis injuria offenditur. Locis humidis & umbroſis, vetuſtis parietibus ac muris, & ſaxoſis aliis ut plurimum gaudet.

11. Trichomanes *minus bifurcato pediculo, tenuioribus foliis dentatis, Nobis. Trichomanes ramoſum, J. B. Fœmina, Tab.* 477. Hujus *pediculi* in orbem expanſi, ad radicem rubentes, ſed aſſurgentes viridi colore ornati, quandoque etiam, medium circiter, binatim dividuntur. Iſtis *alæ* ſeu foliola ſubrotunda, parva, pallide virentia, teneriora, molliora & ad oras dentata, ab adverſa parte *punctulis* exiguis, fuſcis exaſperata adhærent. *V. icon. tab. æn.* 3.
Ab hac planta *Trichomanes caule viridi foliis ſerratis, Mentzelii. Trichom. montanum coſta viridi foliis altius inciſis, Raii ſynopſ. Minus & tenerius, C. B. P. Minus album, J. B. folio crenato, Sibbaldi*, non ſpecifice differre arbitror; nec *D. Llhwyd*, qui in Alpibus *Britannicis* pluries obſervavit ac legit, alter ſentit.

12. Trichomanes *minus alis oblongis & acutis profunde laciniatis. An Adiantum maritimum ſegmentis rotundioribus, Schol. Bot. Par?* Icon *Adianti maris, Tab. p.* 474. huic noſtræ plantæ non male reſpondet, niſi quod noſtræ *alæ* acutiores in profundiores *lacinias* ſectæ ſint.

13. Trichomanes *minus alis foliorum triangularibus integris dentatis. Pediculis* congenerum conſimilibus donatur. *Alæ* etiam ex adverſo poſitæ, lata baſi non dentata præditæ ſunt, duoque latera, pyramidalem formam conſtituentia ac in mucronem abeuntia, ſerrata conſpiciuntur. Hæc forte eadem eſt Planta quam *D. R. Sibbald* in Hiſtoria ſua *Scotiæ* naturali nomine *Trichomanis foliis mucronatis profundius inciſis, ſeu folio pyramidali*, memoravit; *è Scotia enim ipſi accepimus.* *V. icon. tab. æn.* 3.

Trichomanis Uſus.

Trichomanes decimum *ſeu* vulgatiſſimum *eſt una è quinque Capillaribus officinarum, ſicut &* Capillus Veneris verus, *cui temperie & facultatibus reſpondet, & ejus loco in ſyrupis & decoctis uſurpatur.*

PLANTÆ

PLANTÆ CAPILLARES

Epiphylloſpermæ pediculis atronitentibus, foliis integris.

CAPUT XII.

Adiantum foliis integris *ſive* monophyllum.

Adiantum à Filicibus cæteriſque hujus Sectionis affinibus, non ſolum *radicibus fibris nigricantibus* comatis, ſed & *pediculis* ſuis *politiſſimis* nigris, fragilibus, tenuibus, *capillos* referentibus, dignoſcitur: his enim characteribus novæ hæ ſpecies, hactenus nobis incognitæ, gaudent atque inſigniuntur.

1. Adiantum *monophyllum foliis Aſari rotundis crenatis ſubtus per limbum ſeminiferis, Nobis. Hemionitis Aſari folio, D. Sloane p. 14. Filix Hemionitis dicta Maderenſis pediculis ſplendentibus nigris crenatis foliis Aſari rotundioribus, crenarum ſegmentis oblongoquadratis, ob ſemina adnaſcentia per ambitum circumcirca reflexis, D. Pluk. Alm. 155. Tab. 287.* Planta hæc inter *epiphylloſpermas* monſtroſa & à cæteris in ſolidum diverſa, è *radice* nodoſa, oblique ſparſa, *fibrillis* adnexis complicata, *pediculos* emittit palmares & dodrantales ac interdum altiores, graciles, læves, è caſtaneo colore nigricantes. Horum cujuſque ſummitas *folium* ſingulare *Aſari Violariæve* in modum integrum, circinatæ rotunditatis, biuncialis plus minus magnitudinis, ſinu aperto ad centrum pediculumve ſectum, unde *lineæ* venæve rectæ ſubtiles, veluti à centro ad limbum uſque decurrunt, ſuperne viride, ac inferne è viridi ad cinereum colorem ſpectans, ſuſtinet; & (quod inſigne admodum eſt) ad oras *crenis* oblongoquadratis dentatum eſt; atque unaquæque *crena* pulvereofuſco *ſeminifero dorſo* reflexa, ornerata & ornata eſt.

Raram hanc plantam Ja. Harlow, D. Arthuri Rawdon *Baronetti hortulanus ex Inſula* Maderenſi *attulit; ab eo D. D.* Sherardus *comparatam nobiſcum communicavit.*

2. Adiantum *monophyllum Americanum foliis profunde laciniatis, ad oras pulverulentum, Nobis. Hemionitis profunde laciniata, ad oras pulverulenta, C. Plum. p. 24. fig. 34. Hemionitis folio atrovirente maxime diſſecto, ſeu Filix Geranii Robertiani folio, D. Sloane p. 15. Filix Hemionitis Americana Petroſelini foliis profunde laciniatis, D. Pluk. Alm. 155. Tab. 286.* E *fibris* capillaceis nigris conſtat *radix*, quæ *pediculos*, ſex ſeptemve numero, promit *Adianti* ſimiles, nigros, ſplendentes, rectos, palmares & ſpithameos. Unuſquiſque pediculus *folium* ſuſtinet membranaceum ac pergamenæ veluti conſiſtentia præditum, palmaris & amplioris latitudinis, primo à centro in ternas, deinde in alias laciniâs anguſtas, *Geranii Robertiani* pene in modum longioribus vero ſegmentis acutis regulariter diviſum. Folia vetuſtiora & majora, ſuperne virentia ſunt; inferne vero *limbus* pulverulentus ferrugineus ad margines per varias lacinias ac ſectiones decurrit.

In ripis umbroſis torrentis ſylvæ Jamaicenſis *naſcens D.* Sloane *collegit. D. D.* Sherardus *exemplaria ſibi exinde comparavit.*

3. Adiantum *monophyllum Antegoanum ad oras pulverulentum, Platani in modum diviſum, lacinia media longius producta, Nobis. Filix Hemionitis Americana ſpecioſa, folio ſecuris Romanæ figuram æmulante, D. Pluk. Alm. 155. Tab. 36. 4.* Inſigni figura prædita ac ornata eſt hæc planta, quam *D. Pluknetio* ſculptam exhibere placuit. *Pediculo* recto, glabro aſſurgit, qui ad extremum folii mucronem percurrit. *Folium* autem ex utroque latere in latas bifurcatas partes in angulos expanſas ad baſin ſe dividit; ſecundus gradus minor in binos angulos acutos, à ſuperiore parte horizontaliter ſectos, exit; tertius ex minoribus angulis conſtruitur, ubi ſemuncialem poſſidet latitudinem, & deinceps in acutam cuſpidem biuncialem attollitur, ut totum *ſecuris Amazoniæ* ſeu *Romanæ* forma, eleganti ſpectaculo, efformetur. Per ambitum ac per omnes angulos, *limbus* latiuſculus pulverulentus per totum decurrit.

Plantæ *Capillares* floribus muſcoſis & ſeminibus pulverulentis, (ut antea docuimus) in *dorſiferas* vel *botryitides* dividendæ veniunt. *Dorſiferas* ſeu *epiphylloſpermas*, quibus averſa foliorum parte, vel rotundis punctis, vel maculis areoliſve oblongis, aut per oras decurrentibus, flores ſeminaque adnata ſunt, capitulis præcedentibus in genera ac ſpecies diviſas, tractavimus. Impræſentiarum reſtat ut *Botryitides*, quæ vulgo *Filices floridæ* nominantur, explicemus; quæ ab antedictis hac nota eſſentiali diſcrepant, ac ſuccedentes plantas naturali ordine præcedunt; quod *folia alæve* utrinque *nudæ ſint* ac *planæ*, nulloque pulvere inſignitæ, ſed ſummis ramulis *materia pulverulenta*, flores & ſemina continens, ſimul in racemulos denſe congregata exeat.

CAPUT

CAPUT XIII.

Filix botryitis *ſive* florida.

TABULA X. SECT. XIV.

Filix Botryitis ſive florida

major
1. *Pinnulis non dentatis ex adverſo naſcentibus, Nobis. Filix ramoſa non dentata florida, C. B. P. Filix floribus inſignis, J. B. Filix florida ſive Oſmunda regalis, Ger.*
2. *Virginiana pinnulis non dentatis alternatim poſitis, Nobis. Filix Virginiana non dentata florida foliis alternis & in ſummo caule ſeminibus occultatis, D. Pluk. Tab.* 181.
3. *Virginiana per totam caulis longitudinem floreſcens.*

minor
4. *Sive filicula petræa florida Anglica foliis plurifariam diviſis, Nobis. Adiantum album floridum ſive Filicula petræa criſpa perelegans, Raii. Adiantum album criſpum Rutæ murariæ facie, Sibbaldi. Adiantum album criſpum Alpinum Schwenckfeld. J. B.* 753.

1. Filix *botryitis ſive florida major pinnulis non dentatis ex adverſo naſcentibus, Nobis. Filix ramoſa non dentata florida, C. B. P. Filix floribus inſignis, J. B.* 786. *Filix paluſtris, Dod. Pemp.* 463. *Cæſalp. Filix latifolia, Cordi. Oſmunda, Adv. Lob. Filix florida ſive Oſmunda regalis, Ger. Oſmunda regalis ſive Filix florida, Park.* Ex uno perplexarum *radicum* longarum, nigricantium, digitos humanos quadammodo referentium, durarum ac tenacium, ſquamatim extra diſpoſitarum ceſpite craſſo, (unde Anglicè *Finger-Ferne* & nonnunquam *Fox-Ferne* indigenis appellatur) *caules* tollit bicubitales; & ad hominis altitudinem naſcentes, virides, glabros, ſtriatos, ramis patulos. Hinc *alæ* exoriuntur pinnatis octo novemque conjugationibus foliorum (impari uno numerum claudente) conſtantes. Singularia autem folia omnia ſurſum ſpectant, trium quatuorve unciarum longitudine, ſemunciam lata, ex principio latiore ſenſim attenuata, in obtuſum tamen utcunque mucronem definentia, nervo per longum decurrente, exporrectis in margines (qui integri ſunt, nec crenis ſecti) infinitis oblique venulis. Summi *ramuſculi*, foliorum alarumve vice, ſeſquipalmares ac ſpithameos *thyrſos*, ex denſis *racemulis* liguliſque oblongis ferrugineis fuſciſve, ac *floribus & ſeminibus* pulverulentis, compoſitos, ſuſtinent. Porro *ſemina* matura, proprio humidoque ſolo decidentia; plantulas primo pullulantes *foliolis* rotundis præditas, deinde trifariam, & poſtea in plures *ramulos alaſque* diviſas, proferunt. *V. icon. tab. æn.* 4. *In locis paluſtribus variis, ſylvoſis ac foſſis, putrido ſolo, Comitatu* Bercheriæ, *aliiſque & occidentalibus ac ſeptentrionalibus* Angliæ & Galliæ *plagis, provenit. Æſtate viget. Hyeme marceſcunt folia, radixque reſtibilis eſt.*

2. Filix *botryitis ſive florida major Virginiana pinnulis non dentatis alternatim poſitis, Nobis. Filix Virginiana non dentata florida foliis alternis & in ſummo caule ſeminibus occultatis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 181. Et *foliis*, & *racemulis* ſeminiferis in ſummo naſcentibus, modoque creſcendi, proxime præcedenti reſpondet, niſi quod *alæ* non è regione, ſed alterno ſitu rachi ſeu nervo medio adhæreſcant.

3. Filix *botryitis Virginiana major per totam caulis longitudinem floreſcens.* Hujus plantæ exemplar à *D. Jo. Baniſter* in *Virginia* collectæ tranſmiſſum habemus. *Folia* fortaſſe diſtinctis pediculis, uti fit in quibuſdam aliis hujus Sectionis, geſtat. *Scapus* enim noſtri exemplaris ſeſquipedalis, *lanugine* pulla veſtitus, antica parte ſulcatus, rectè aſſurgere videtur. Huic ad uncialem intercapedinem, ab imo pene ad ſummum uſque, ac fortuito poſitu adnaſcuntur alarum vice *racemuli* unciales & ſeſcunciales *pulvere* ferrugineo *ſeminifero* omnino obſiti; in quibus nulla materia folioſa obſervatur. *V. icon. tab. æn.* 4.

4. Filix *botryitis minima ſive Filicula petræa florida Anglica foliis pluriſariam diviſis, Nobis. Adiantum album floridum ſeu Filicula petræa criſpa, Rati. Adiantum album criſpum Rutæ murariæ facie, Sibbaldi. Forte Adiantum album criſpum Alpinum Schwenckfeld. J. B.* 753 ? *Cl. Raius* apte hunc in modum deſcripſit: *Radix* ei firmiter in terram depacta plurimis *fibris* rufeſcentibus conſtat, guſtui amara. *Folia* ex eadem radice multa, longis *pediculis* inſident, palmaribus ſcilicet aut ſemipedalibus, ſatis firmis, glabris, virentibus, ipſa quoque obſcurius virentia quam reliquarum hujus generis, ramoſa & varie diviſa, *Adianti albi* folia magnitudine & diviſura ſua nonnihil referentia, majora utcunque atque profundius & argutius ſecta. Sunt autem duum generum: alia *ſegmentis* ſeu pinnulis latioribus conſtant, ſuntque tenuiter inciſa & *Coriandri* ſeu *Petroſelini criſpi* folia quadantenus referunt; alia *ſegmentis* longis, anguſtis, ad margines undique reflexis, & *flores* dictos *Oſmundæ regalis* referentibus. *Sapor* foliorum acris & calidus. *Vid. icon. tab. æn.* 4.

Rara hæc & perelegans planta in Agro Weſtmorlandico *prope* Orton *vicum ac alibi, ad macerias & muros antiquos è lapidibus nulla calce commiſſis extructos, quibus eo loci agros äiſterminant, copioſe provenit. Invenitur etiam in arduis & excelſis montis* Snowdon *rupibus in* Cambria *ſeptentrionali, ubi &* D. Llhwyd *legit ac miſit.*

Filicis botryitidis *ſive* Oſmundæ Vires & Uſus.

Radix *hujus & calida eſt & ſicca, ſed minus quam ſuperiorum* (*h. e.* Filicis maris *ac* fœm.) *Utilis habetur ac præſertim quæ medietatem tenet non modo vulneratis, ſed & cæſis, ruptis, ex alto deturbatis, decocta vel etiam tuſa, & ſum liquore aliquo ſumpta.* Dod. Pempt.

Radices *ad hernias ac ulcera exploratiſſimi ſunt commodi. Quinetiam colicis & ſpleneticis plurimum conferunt. Nonnihil calido ſunt & acri guſtu, odoris non ingrati,* Lob. Adv.

In cura Rachitidis *(ante hoc ſeculum morbi infantum ac puerorum inauditi) plurimum celebratur, & inter efficaciſſima auxilia reponitur.*

Huic etiam adjiciuntur aliæ Capillares *in eodem morbo præpotentes, quas ſemel hic nominare ſufficiat; viz.* Aſplenium, Filix mas, Trichomanes, Ruta muraria, & Lingua cervina, *ut ſupra.*

De uſu ac præſcriptis formulis conſule D. D. Gliſſon & Mayow.

PLANTÆ SEMINIBUS

Pulverulentis donatæ, capillaribus affines.

CAPUT XIV.

Lunaria botrytis.

Lunaria *recentioribus dicta à* foliis lunæ creſcentis *in modum falcatis. An veteribus cognita fuerit necne ambigitur.* Lunaria botrytis *à racemoſo (βοτρυώδει) flore ac* fructu *nuncupatur.*

Lunaria minor planta eſt humilis, à *Capillaribus* haud multum abludens, ſpiſſior vero ac ſucculentior, foliorum *alis falcatis* prædita. Nuperi vero anni plures alias ſpecies produxere, quæ huic foliorum characteri non adeo reſpondent; ſed pro nota habeatur eſſentiali, quod *caulis pediculuſve* medius, ſub initium folii, cujuſcunque ſit formæ, in alterum ſe dividat, ita ut alteri parti *folia*, alteri *flores* racematim congeſti *ſeminaque* adnaſcantur.

TABULA XI. SECT. XIV.

Lunaria
- *minor*
  1. *Racemoſa & vulgaris, C. B. P. Lunaria botrytis, J. B. Lunaria minor, Matth. Ger. Park. Fuchſ. Lugd. Cæſ. Lunaria, Trag. Dod. Racemoſa, Adv. Lob.*
     Foliis & racemo diviſis prædita interdum per luxuriam apparet; unde Lunaria botrytis minor multifida, J. B.
  2. *Racemoſa Adianti folio, Breyn. Cent.* 1. *p.* 184.
  3. *Racemoſa Matricariæ folio, Breyn. Cent.* 1. *p.* 184.
  4. *Rutaceo folio, C. B. P. Lunaria botryoides foliis rutaceis Fumariæ, aliiſque minutim & varie inciſis, Mentz.*
- *major*
  5. *Botrytis elatior Virginiana pinnulis tenuiſſimis & Cicutariæ in modum diviſis.*
  6. *Elatior Jamaicenſis Adianti folio, duplici ſpica, D. Sloane p.* 14. 1. *Adiantum ſaxoſum floridum, C. Plum.*
  7. *Elatior Jamaicenſis Matricariæ folio, duplici ſpica, D. Sloane p.* 14. 2.
  8. *Elatior Americana hirſuta pinnis Lonchitidis integris, duplici ſpica, Nobis. Lonchitis hirſuta florida, C. Plum.*

1. Lunaria *racemoſa minor & vulgaris, C. B. P. Lunaria botrytis, J. B. Lunaria minor, Matth. Ger. Park. Fuchſ. Lugd. Cæſ. Lunaria, Trag. Dod. Lunaria racemoſa, Adv. Lob. Lunaria petræa, Taura paſtoribus, quod vaccæ hac deguſtata, taurum requirant, Geſn. de Lunaria. Oſmunda foliis lunatis, Tournefortii. Radix* ei parva fibroſa, ſucculenta, è luteo fuſco colore tincta, in capitulum congeſta eſt; ex qua *pediculus* cauliſve exit ſingularis, palmaris, nunc altior, nunc humilior, ſecundum ſolum quo creſcit, teres, craſſus, glaber, pallide virens, medietatem circiter in binas partes ſe dividens, quarum altera *folium* pingue & ſucculentum, in alas, ſuperiore parte gibboſas & ſubrotundas, ac inferiore falcatas (una folii extremitatem claudente) ad ῥάχιν ſive coſtam naſcentes, diviſum, geſtat; altera tenerior à pediculo ſub initium folii prodit, quam *alæ* prædictæ primo amplectuntur, mox in biuncialem & triuncialem altitudinem aſſurgentem. In hujus faſtigio *floſculi* pullulantes ac egerminantes, ſpiſſi, virides, racematim cohærent; qui temporis decurſu fuſcum colorem obtinentes, ac dehiſcentes, attactu aut levi flatu impulſi, in *ſemina* minutiſſima tranſmutantur, ac *pulverem* tenuiſſimum demittunt; *cauliſque* perit.

In herbidis montoſis, montium ac colliculorum declivibus, ſolo præſertim arenoſo ad humiditatem vergente, ad montem Shotover *dictum, haud longe ab* Oxonio, *aliiſque & ſeptentrionalibus & occidentalibus* Angliæ *plagis, æque ac tranſmarinis, reperitur. Sub finem Aprilis, Maio ac Junio inveniri poteſt: cæteris anni menſibus operam ludit qui nuſquam apparentem requiſierit.*

Foliis & racemo diviſis nonnunquam per luxuriam variare reperitur: unde *Lunaria racemoſa ramoſa major, C. B. P. Lunaria botrytis minor multifolia, J. B. p.* 711.

2. Lunaria *racemoſa minor Adianti folio, Breyn. Cent.* 1. *p.* 184. *fig.* 93. Vulgari foliis laciniatis (cujus effigies apud *Camerarium* in *Matthiolo* Germanice edito, ſub nomine 11. exſtat) per omnia ſimilis eſt præter *folia*, quæ *Capilli Veneris* ſive *Adianti foliis Coriandri, C. B.* in modum eleganter ſunt diſſecta. *Breyn. Naſcitur in montibus* Caſſubiæ, *ſed admodum rara. V. icon. tab. æn.* 5.

3. Lunaria *racemoſa minor Matricariæ folio, Breyn. Cent.* 1. *p.* 184. *fig.* 94. Montium *Caßubiæ* eſt incola, unde ſatis copioſe eruitur. Cauliculi in omnibus modo dictis magis curti ſunt quam in *vulgari*, racemis brevioribus, magiſque ramoſis, ac foliis brevioribus, plures in lacinias anguſtiores diſſectis, *Matricariæ* haud imparibus onuſti. *V. icon. tab. æn.* 5.

4. Lunaria

4. Lunaria *minor rutaceo folio, C. B. P. Lunaria botryitis πμικόφυλλος, Jungermann. in Cat. Altdorf. Lunaria botryoides foliis rutaceis Fumariæ, aliisque minutim & varie incisis, Mentz. Pugil.* Non desunt qui distinctionem inter hanc ac *Filiculam* sive *Adiantum foliis inferioribus Coriandri, cæteris Rutæ murariæ vel Fumariæ, Schol. Bot. Par.* superius, ad calcem Cap. 9. memoratam, quærunt, nec facile nodum expediunt. Nec desunt qui cum *Lunaria botryitide ramosa Silesiaca, J. B.* confundere videntur. Sed quibus utramque plantam videndi facta fuerit copia; hi quid inter *Filicem* illam atque hanc *Lunariam* interfit, proprio utrique perpenso charactere facile deprehendent.

Per Germaniam *locis apricis graminosis & arenosis, quandoque provenire scribit Mentzelius.*

5. Lunaria *botrytis elatior Virginiana pinnulis tenuissimis & Cicutariæ in modum divisis.* Lunaria hæc elegantissima à *D. Jo. Banister* in *Virginia* collecta & nobis transmissa, in pedalem attollitur altitudinem. *Caulis* pallide virens, palmaris, integer assurgit, erectus, qui Lunariæ ritu se dividit, ac in *folium* palmare præterpropter, è *ramusculis* biuncialibus alternis, (his rursus in alas unciales, cum pinnulis suis acutis conjugatim positis, *Tanaceti* folia quodammodo referentes divisis) compositum sese expandit; foliumque totale ex lata basi in mucronem abiens *Cicutariæ Myrrhidisve* folio haud dissimile est. Ex eodem cauliculo & ad folii exortum erigitur *pediculus* tenuior, octo novemve uncias longus, nudus, nisi in summitate, qua *Lunariæ minoris* consimilem *racemulum* è punctis aciniſve congestis constantem, pallidum, pyramidalem, biuncialem, suffulcit. *V. icon. tab. æn.* 4.

6. Lunaria *elatior Adianti folio, duplici spica, D. Sloane p.* 14. *Adiantum saxosum floridum, C. Plum. p.* 29. *fig.* 43. *Radix* hujus plantæ speciosæ tenuis, oblique acta, fusca, *fibris* concoloribus demissis donata, *pediculum* emittit nunc singularem, nunc binos, graciles, politos, à radice subfusco & superius dilute viridi colore tinctos, sesquipedem longos, ab infima parte nudos, post dimidium in ramulos brachiatos. Horum primi & inferiores quatuor quinque pollices longi, extensi, basin constituunt, & sensim breviores ad mucronem exeuntes, alternatim positi, assurgentes pyramidalem triangularemve formam efficiunt. Quilibet etiam ramulus, cum *pinnulis* suis uncialibus, *aliisque* adnascentibus acutis, ab *Adianti nigri vulgaris* ramulo haud multum abludit. E pediculis prædictis erectis, *Lunariæ* genuinæ dispositione, sub ramusculorum exortu, bini *pediculi*, sex & nunquam novem uncias longi, tenuiores, in *racemulos Tamarisci floreſcentis* spicas unciales quodammodo referentes, divisi, & ex granulis primo pallidis, deinde ferrugineis, constantes, exeunt.

In Jamaica *infra urbem* St. Jago de la Vega *dictam ad ripam fluminis* Rio Cobre *nuncupati, supra rupem creſcentem observavit D.* Sloane. *D. D.* Sherard *inde quoque comparavit. In insula* Dominica C. Plum. *legit.*

7. Lunaria *elatior Matricariæ folio, spica duplici, D. Sloane p.* 14. *Alis racemulisque* latioribus & obtusioribus, *Matricariæ* vulgaris æmulantibus, donatur hæc planta, quam Cl. Auctor iisdem in locis quibus & priorem nascentem invenit.

8. Lunaria *elatior Americana hirsuta pinnis Lonchitidis integris, duplici spica, Nobis. Lonchitis hirsuta florida, C. Plum. p.* 18. *fig.* 26. Huic *radix* fibrillis comata existit. *Pediculi* sex septemve numero pedales, fragiles, virides, *pilis* brunni coloris vestiti, ex eodem radicis capite assurgunt. Horum superiori parti è regione positæ adnascuntur *alæ* integræ, sesquunciam longæ, semunciam latæ, mucronatæ, per ambitum dentatæ, ac superiore latere *Lonchitidis* in modum eminentiore præditæ; supina parte virides, glabræ; prona vero *pilis* albescentibus onustæ. Ex alarum principio enascuntur bini alii *pediculi* semipedales, tenues, sericea *lanugine* tecti, qui *racemulis* biuncialibus pyramidalibus, spicatim nascentibus, erectis, terminantur.

In Insula Martinica *sponte nascentem detexit Auctor.*

Temperamentum & Vires.

Hujus plantæ refrigerandi & reficcandi facultati vis astrictoria adjuncta est; vulneribus sanandis idonea est, & in recentibus agglutinandis magnæ efficaciæ. Ophioglossum *ipso aspectu & facultate eximia vulnera ferruminandi, ulceraque & luxata cogendi, vel æmulatur, vel superat,* Lobelio *id affirmante in* Adverſ.

Miris celebratur laudibus ad puerorum enterocelas curandas, teste Matthiolo. *Dysentericis utilis est; superfluentes mulierum purgationes supprimit; & albos præter naturam fluores sistit.*

PLANTÆ SEMINIBUS

Pulverulentis donatæ, capillaribus affines.

CAPUT XV.

Ophioglossum.

Ophioglosso floris arguta cuspis *linguam serpentis* exsertam imitata nomen impertivit, fictum quidem ex vocabulo *Germanico*, quod est *Natterzunglin* & *Schlangenzungen*, *Jo. Bauh.* monente. Quidam *Lingulacam Plinii*, l. 25. c. 11. esse opinantur.

Ophioglossum *vulgatum, C. B. P. Ophioglossum, Trag. Matth. Dod. Ger. Ophioglosson, J. B. Ophioglossum, sive Enneaphyllum, Adv. Lob. Unifolium, Amati. Lingua vulneraria, Cordi. Lingua serpentina, Cæs. Cast. Ophioglossum sive Lingua serpentina, Park.* Cum *Lunaria prima* seu *vulgatiori*, quoad consistentiam, pediculumque a folii exortu in alterum divisum, convenit *Ophioglossum:* radicula enim dense fibrata, filamentisque satis crassis subluteis cirrata, cauliculum fulcit in oblongum, surrectum, pingue & nullis venis liratum, integrumque folium carnosum, læve, pallide virens, unciam latum, duas longum, ovale fere, obtusum, dorso convexo abeuntem; è cujus pediculo

diculo & folii veluti ſinu, *ſtylus* exit tenuis, rectus, anguſtus, acutus, *Serpentis linguam* eliminatam referens, qui folium ipſum altitudine ſuperat, & extremitatem verſus nonnihil tumidiuſculus, limæ ſcobinæve ad inſtar denticulatus, in folii cavitate quodammodo deliteſcit; primo virens & folio concolor, demum vero in rubedinem mutatur, pulviſque ſubtiliſſimus ſemina continens effluit.

In paſcuis humidioribus, pratis paluſtribus ac montium declivibus, Aprili ac Maio menſibus, ſatis frequens reperitur; & ad uſque Junium quandoque viget; paullo poſt folia marceſcunt; radix tamen vivax.

Hanc Plantam ratione magnitudinis differre, circa oppidum Furſtenwaldiam, *deprehendit* Mentzelius. Hinc

Ophioglossum
- *Minimum quod ultra unciam cum ſua lingua & foliolo non aſſurgit. Forte Ophioglossum minus ſubrotundo folio, C. B. P. & Prod. J. B.*
- *Medium biunciale. Folium habet longius, & linguam ultra tres uncias excreſcentem.*
- *Majus. Folium obtinet plus quatuor uncias longum & unam cum dimidia latum, lingua in altum ſatis ſe erigente.*
- *Trilingue quoque necnon bilingue interdum variat; & hinc Ophioglossum abortivum, Lob. icon.*
- *Anguloſo folio, C. B. J. B. Cui folium uncias tres longum ſeſcunciam latum, ad exortum utrinque dilatatum & anguloſum eſt.*

Temperamentum & Vires.

Paullo minus frigidum eſt quam ſiccum, quoad utramque vero qualitatem moderatum. De nomine ac virtutibus ſilent veteres; ab recentioribus inter nobiliores herbas vulnerarias reponitur. Uſus ejus internus in decoctis & potionibus vulnerariis; externus in oleis & unguentis, tum ad vulnera, tum ad ulcera uſtaque ſananda, accommodatis. Ad tollendas hernias puerorum tanquam utile laudatur. Herbæ pulverem *aliquot diebus exhibitum ramices omnes curare poſſe affirmat* Baptiſta Sardus.

FINIS.

PLANTARUM
Hiſtoriæ Oxonienſis,
PART. III. SECT. XV.
De Plantis Heteroclitis *ſive* Anomalis.

QUum reliquas omnes ex herbacea materia conſtructas Plantas in hoc altero volumine complecti decreverimus; jam finitis 14. *Sectionibus, in quibus continentur omnes molles ac herbaceæ quotquot per notas characteriſticas ad certa genera reduci poterant, poſtremo in loco novus ac difficilis nobis incumbit labor ut eas (eo quem admittent ordine) recenſeamus, quæ regulis Methodi hactenus obſervatæ non obtemperant. Sed ne Lector opus hoc mancum & imperfectum exiſtimet, id addita anomalorum doctrina (quantum nos penes eſt) abſolvere conabimur. Poſtulat ergo ſuſcepti operis ratio, ut de iis nunc ſermonem inſtituamus, quæ ob diſparem partium, præcipue ſeminalium ſtructuram, ſub nullo ſummo genere præcedentium ſe coerceri ſinunt; nec in ſimilibus claſſibus diſponi queunt, cum in omnibus deſiderentur peculiares quædam notæ, quæ communicabiles ſint diverſis ſpeciebus ſub eodem genere coordinandis; ob quam rationem* Heteroclitæ, Anomalæ, *ſeu* irregulares, & Plantæ ſui generis *nominantur. Ad quarum calcem* Plantas *quaſdam quoque adjecimus* minus perfectas, *quarum ſemina & flores vixdum vel nondum lynceis oculis patuerunt, & notis illis fortaſſe careant, quibus deficientibus* Plantæ Imperfectæ *habeantur, quales ſunt* Fungi Fuci & Corallinæ, &c. *quibus Phytographiæ noſtræ agmen claudimus. Propoſitum vides noſtrum, Lector erudite; unum hoc te moneo, & ad rem ipſam venio. Scias velim, quod quando numeri paginas notantes, poſt Auctoris nomen ponuntur (quiſquis is ſit) a nobis citati, quique plantæ (cujus nos nomen tantum indigitamus) exhibet deſcriptionem; apud eundem etiam auctorem plantæ ejuſdem icona eſſe exhibitam: quod tamen in hac ſolummodo operis noſtri Sectione decima quinta debes animadvertere.*

Plantarum Heteroclitarum *ſive* Anomalarum Elenchus.

- *Plantæ heteroclitæ ſive anomalæ ſunt vel*
  - *terreſtres quibus*
    - *ſub uno flore monopetalo unicum vaſculum unumque ſuccedit ſemen.*
      - *Mirabile Peruvianum.*
      - *Plumbago.*
      - *Dentariæ facie planta monopetalos &c.*
      - *Limonium.*
      - *Seſamoides.*
      - *Juncaria.*
      - *Piper, Betle & Saururus.*
    - *poſt ſingulum florem loculamenta bina, ſemina continentia ſuccedunt.*
      - *Acanthus ſive Branca urſina.*
      - *Xanthium.*
      - *Acopa Dioſc. Trifol. paluſtre, CB.*
      - *Plantaginella paluſtris.*
    - *Singulo flore evanido terna ſunt loculamenta ſemina ſervantia.*
      - *Vulneraria alata Blattariæ flore Valer. Græca.*
      - *Ephemerum phalangioides.*
    - *Singulis floribus vaſculum ſuccedit ſeminale in quatuor cellulas diviſum.*
      - *Stramonium.*
      - *Lyſimachiæ purp. Americ. adfinis procumbens.*
      - *Glaux maritima.*
      - *Stellaria aquatica.*

- *ſub flore pentapetaloide plurima ſemina ſuccedunt, ſunt aut*
  - *Siliquiferæ*
    - *Apocyni variæ ſpecies.*
    - *Aſclepias.*
    - *Pſeudo-apocynum.*
    - *Clematis Daphnoides.*
    - *Volubilis Amer. capreolata.*
  - *vel*
  - *vaſculiferæ*
    - *Hyſſopifolia.*
    - *Lyſimachiæ purp. affinis.*
    - *Paronychiæ facie planta Virginiana.*
    - *Camphorata.*
    - *Cuſcuta.*
    - *Reſeda.*
    - *Luteola.*
- *incerti generis*
  - *Clematis herbacea.*
  - *Aniſum ſtellatum.*
  - *Ribes verum.*
  - *Amomum.*
- *inferioris ordinis*
  - *Lichen.*
  - *Muſcus.*

vel aquaticæ

- *floribus tripetalis*
  - *Sagittaria.*
  - *Stratiotes.*
  - *Plantago aquatica.*
- *aliæ incerti generis*
  - *Millefolium aquaticum.*
  - *Ros ſolis.*
  - *Tribulus major.*
  - *Equiſetum.*
  - *Lens paluſtris.*

Sequuntur & aliæ minus perfectæ

- *terreſtres*
  - *Fungi.*
- *aquaticæ*
  - *Fucus.*
  - *Alga.*
  - *Corallina.*
  - *Corallium.*
  - *Alcyonium, &c.*

SECTIONIS DECIMÆQUINTÆ

Diſtributio prima.

De Plantis quibus ſub uno flore monopetalo, unicum vaſculum unicumque ſuccedit ſemen.

Mirabile Peruvianum, Plumbago, Dentariæ facie planta monopetalos, Limonium, Seſamoides, Juncaria, Piper, Betle & Saururus.

CAPUT I.

Mirabile Peruvianum.

Mirabile Peruvianum eſt *planta ſui generis*, radice longa, craſſa, carnoſa, nigra: *folia* Populo nigræ ſunt ſimilia, ad baſin ſubrotunda, in mucronem deſinentia, Solani mollitie prædita. *Flores* pulcherrimi, monopetali, pollicem lati, fundo tubuloſi, frequenter rubri vel lutei ſunt; nunc rubri albedine varie mixti, interdum dimidiatim, plus minus à centro ſtriati, maculati & punctati, tanta varietate ut duos conſimiles videre non liceat; & hinc *Mirabilis & Admirabilis* nomen planta obtinuit. Et qui luteo colore tinguntur, perinde ac qui rubedine permixti ſunt, mire variant flores; ſolis radiorum impatientes & cito marceſcentes, qui autumnum verſus quotidie renovantur. Quibus dehiſcentibus ſingulo ſingulum ſuccedit *ſemen* ſubnigrum, anguloſum, Ceraſi officuli magnitudine; perianthio calycive inſidens.

Carolus Plumier qui Plantarum quarundam Americanarum nuperam Hiſtoriam edidit, *Jalappam* in Officinis uſitatam, & ex America deportatam ſpeciem hujus Plantæ eſſe aſſerit, unde *D. Tournefortius Jalap* vocitat.

Mirabile Peruvianum { *Ger.* 343. *Admirabilis Peruviana flore rubro, Cluſ. Hiſt.* 88. *Mirabilis Peruviana flore purpureo, Piſ.* 208. *Herman. Munting. Jaſminum rubrum, Dal. Lugd.* 1433. *Jaſminum Indicum ſive Flos mirabilis Peruvianus Eyſt.* 772. *Jaſminum Mexicanum ſive Flos Mexicanus multis J. B. Tom.* 2. 814. *Solanum Mexiocanum flore magno, C. B. P. Flore rubro, Ambroſ. Jalap, Plumier. Tournefort. El. Bot. Tlaquilin, Hernand.* 279. Vide icon. tab. æn. 1

Idem flore luteo, & albo, mire variegato.

Flore rubro minore. Solanum Mexiocanum flore parvo, C. B. P. Solanum Mex. Jaſminum Indicum dictum flore minore, C. B. Prod. Mirabilis Peruv. minor, Munting. Atzoyatl ſive Mirabilis Mexicana Hernand.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT II.

Plumbago *ſive* Dentillaria.

PLumbago & *Molybdæna* à foliorum colore plumbeo & ſubcœruleo, dicitur; & quia hæc herba vibices i. e. ſigna verberis in humano corpore livida, tollit, ut quidam volunt. *Camſha* Arabibus. *Dentillaria* & *Dentellaria* etiam quia ad dentium dolores mitigandos, quemadmodum *Pyrethrum* adhibetur, nuncupatur.

Folia *non dentata, latiuſcula, fervidi ſaporis, plumbei ſunt coloris.* Flores *pentapetaloides, nonnunquam etiam hexapetaloides, tubuloſi,* è calycibus *longiſſimis, hirſutis erumpentes, proveniunt: quorum ſingulo unicum* ſemen *oblongum ſolidum, glabrum, nigricans incluſum eſt.*

Plumbago {
1. *Plinii, Ger.* 1254, *Plumbago quorundam, Cluſ. Hiſt.* 124. & *Hiſt. Caſt. Tab. Molybdæna Plinii, Ang. Dentaria ſive Dentillaria Rondeletii & Narbonenſium, Adv. Lob. J. B.* 941. *Tripolium, Dioſc. Col.* 161. *Lepidium Dentillaria dictum, C. B. P. Lepidium Monſp. Dentillaria dictum, Park.* 855. Vid. icon. tab. æn. 1.
2. *Americana viticulis longioribus ſempervirentibus ex Vera Cruce, Hort. Reg. Hampt. Plumbago ſive Dentillaria Lychnioides ſylvatica ſcandens flore albo D. Sloan. Cat. Iam. Anonyma* X. *Hernand. p.* 335. *Et forte Tumba-Codiveli, H. Mal. Part.* 10. *Tab.* 8. *Malabarica major floribus miniato-rubris, Schetti-Codiveli, H. Mal. Part.* 10. *Tab.* 9.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT III.

Dentariæ facie planta monopetalos fructu rotundo monopyreno, Nobis. Dentariæ affinis Echii flore, capſula rotunda, Moriſ. Prælud. Bot. Dodart. Hydrophyllum Morini. Dentariæ affinis polymorphe Hydrophyllum Morini dicta, D. Pluk. Alm. Singularis Aconiti ſpecies folio Tanaceti, ex Alpibus Tridentinis cum floribus albicantibus. Mich. Rupert. Beſler. Gazophylac. Rer. Natural. 7. E radicibus nodoſis folia proveniunt pediculis palmaribus & dodrantalibus inſidentia, pentaphylla, longa, dentata, & *Dentariæ pentaphyllæ* æmula: *flores* ſummis caulibus naſcuntur albi monopetali, oblongi; quibus ſuccedunt *capſulæ* rotundæ hirſutæ, in quarum ſingula *ſemen* continetur unicum, rotundum, durum, Viciæ magnitudine. *Vid. icon. tab. æn.* 1.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT IV.

Limonium.

Limonium *dicitur quod* ὀν λειμῶσι *in pratis & ſalſis maritimis proveniat.* Neuroides, *nervoſus, validus, a caulibus ſuis ſolidis, a quibuſdam nuncupatur.*

PLanta eſt in clivis & ſalſis maritimis proveniens: *folia* humi ſtrata: caules nervoſi, fractu contumaces: *flores* pentapetaloides, parvos, multos ſimul congeſtos, è calycibus, floſculis fere ſimilibus, membranaceis, emergentes profert: quibus ſingulis ſingulum ſuccedit *ſemen.* Limonia ſunt vel foliis obtuſis ad radicem naſcentibus & exinde expanſis, vel caulibus foliоſis; aut foliis gramineis, quorum flores congregati globulum conſtituunt.

Limonium

ramoſum caulibus nudis

1. *Maritimum majus, C. B. P. Vulgatius majus, Park.* 1234. *Limonium, Ger.* 411. *Matth. Adv. Lob. Limonium majus multis, aliis Beben rubrum, J. B.* 876. *Valerianæ rubræ ſimilis pro Limonio miſſa, Dod. Pempt.* 351. Vid. icon. tab. æn. 1.
2. *Maritimum medium Anglicum, Park. Lob. Illuſt. Minus maritimum noſtras Pluk. Alm. Maritimum majus alterum ſerotinum Narbonenſe, H. R. P.*
3. *Minus maritimum Oleæ folio C. B. P. Minus, J. B.* 877. *Parvum, Ger.* 411. *Narbonenſe parvum, Park.* 1234. *Parvum Narbon. Oleæ folio, Lob. Rawolf. Hort. ſicc.* 189.
4. *Parvum Bellidis minoris folio, C. B. P. Dodart, Mem. Limonium pumilum, Cluſ. Hiſt. parvum, Ger.* 411.
5. *Maritimum minimum, C. B. P.* 2. *Prod. Minimum, Park. J. B. Magnol. Minimum unciale, Mentz. Bocc.* 25.
6. *Folio cordato Siculum, Bocc. p.* 64. *Raii Itin.*
7. *Maritimum minus foliis cordatis, C. B. P.* 1. *Prod. Minus foliis cordatis, Park. J. B. App.*
8. *Reticulatum ſupinum, Bocc.* 83. *Raii It. Magnol. Pluk. Tab.* 44.
9. *Luſitanicum foliis lanceolatis. Tournefort. El. Bot.*
10. *Hiſpanicum Plantaginis foliis bullatis. Tourn. El. Bot.*
11. *Hiſpanicum Plantaginis foliis glabris, Tourn. El. Bot.*
12. *Floſculis elegantiſſimis Franciſci de Honuphriis. Raii.*
13. *Minus annuum Bullatis foliis vel Echioides, Magnol.* 157. *R. It.*
14. *Valentinum Statices folio capite conglomerato, Tourn. El. Bot.*
15. *Luſitanicum Auriculæ Vrſi folio, Tournef. El. Bot.*

ramoſum caulibus foliоſis

16. *Lignoſum Siculum Gallas ferens, Bocc.* 33. *R. It. Lignoſum Halimi folio gallifer. Hort. Catholic.*
17. *Lignoſum gallis viduum, Bocc.* 32. *Raii, It.*
18. *Arboreum Hiſpanicum Portulacæ marinæ foliis, Tourn. El. Bot.* Vid. Icon. tab. æn. 1.
19. *Marinum fruticoſum hirſutum, Bocc.* 25. *Raii, It.*
20. *Fruticoſum non hirſutum, Magnol. App. Fruticoſum minus glabrum, Pluk. Phyt. Tab.* 200.
21. *Hiſpanicum articulatum & caſium, Tourn. El. Bot.*
22. *Africanum elatius, Park.* 1235. *Et humile ejuſd. Lob. Illuſt. Limonium peregrinum caule appendicibus criſpis adaucto, Pluk. Alm.*
23. *Ferulaceo folio, Griſley. Limonium Hiſpanicum multifido folio, Tourn. El. Bot. Ferulæ folio Boelii, Park. Ericæ facie polygonoides Africana pentapetalos, viticulis in creberrima capillamenta ſquamulis conflata diffuſis, Pluk. Phyt. Tab.* 28. Vid. icon. tab. æn. 1.
24. *Minus denſa caulium fæniculacea veluti coma, Lel. Triumf. An Limonium minimum comatum elegans, Pluk. Tab.* 42?
25. *Maritimum villoſis foliis Luſitanicum, Pluk. Alm. Limonium Lychnitis coronariæ foliis, Griſley.*
26. *Peregrinum foliis Aſplenii, C. B. P. Limonium peregrinum Rawolfii, Park.* 1235. *Cluſ. Cur. poſt* 33. *Limon. quibuſdam rarum, J. B. Tom.* 3. *App.* 878. *Folio ſinuato Ger.* 412. *Cichoreum globulare, Imperat. Limonium Syriacum, Eyſt.* 533. *Elegans Limonii genus, Dal. Lugd. App.* 35.

27. *American. longo obtuſo folio, flore albo globoſo, Nobis. Statice Americana* 12. *Park. Cornuti.*
28. *Luſitanicum Scorzoneræ folio Tournefortii, El. Bot. Hoc primum nobis oſtendit Botanicus inſignioris notæ, Cl. D. D. Preſton.*
29. *Majus flore globoſo, Nobis. Caryophyllus montanus major, flore globoſo, C. B. P. Statice,*

aphyllocaulon gramineum globosum.

Statice, Lugd. Caryophylleus flos aphyllocaulos sive junceus major, J. B. Gramen marinum mediterraneum majus, Statice quibusdam, Park. 1279. *Caryophyllus mediterraneus, Ger.* 602. Vid. icon. tab. æn. 1.

Idem flore albo, Hort. Reg. Par.

30. *Valentinum statices folio capite conglomerato, Tournef.* Præcedenti rigidior & fruticosior est planta. Folia longa angustiora sunt.

31. *Medium flore globoso, Nobis. Schol. Bot. Par.*

32. *Minimum vulgatius flore globoso, Nobis. Caryophyllus montanus minor, C. B. P. Caryophyllus marinus minimus, Lob. Ger.* 602. *Caryophylleus flos aphyllocaulos vel junceus minor, J. B. Tom.* 3. 36. *Caryophyllus marinus minimus flore globoso, H. R. B. Scabiosa montana globoso flore, gramineis foliis angustioribus, H. R. Par. Caryophyllus minimus flore globoso, S. B. P. Gramen marinum, Park.* 1279.

33. *Lusitanicum capillaceo folio majus. Statice Tournefort.*

34. *Lusitanicum capillaceo folio minimum. Statice, Tournefort.*

35. *Maritimum humillimum folio capillaceo rigido. Statice Tournefortii Elemens Bot.*

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT V.

Sesamoides.

Sesamoides est planta varie ab Auctoribus nominata, montosis gaudens, perrennis procumbens, tenuifolia, monopetalos, at floribus in angulis divisis donata, quibus singulis decidentibus, singulum succedit semen durum, oblongum.

Sesamoides

1. *Floribus ex albo purpurascentibus, Nobis. Reseda alba minor, C. B. P. Sesamoides parvum Salmanticum, Clus. Ger.* 493. *Lob. Obs.* 190. *Eyst.* 778. *Muscipula Salmantica minor, Park.* 636. *Sesamoides parvum sive Ocymoides minimum, Dal. Lugd.* 683.

2. *Floribus albis. Nobis. Sesamoides Salmanticum parvum alterum, Clus. Reseda Linariæ foliis, C. B. P. & Prod.*

3. *Procumbens nostras montanum Linariæ folio floribus albicantibus, Nobis. Linaria adulterina, Ger.* 555. *Linaria montana flosculis albicantibus, C. B. P. Pseudo-linaria montana alba, Park.* 459. *Anonymos Lini folio, Clus. Hist.* 324. *J. B. Tom.* 3. 161. Vid. icon. tab. æn. 1.

Folia caulesque pallido-virentes sunt; flores parvi pentapetaloides albicantes summis seminibus insident.

4. *Linariæ folio glaucum Pyrenaicum flore stamineo, Nobis. Reseda Linariæ folio glauco Pyrenaica, Schol. Bot. Par. Pluk. Phyt. tab.* 207. Planta hæc tenuibus suis caulibus procumbit, & foliis tenuibus glaucis, nonnunquam ad appositionem tenuiter auriculatis ornata est. *Flores* Resedæ in modum spicatim nascuntur, pallide flavescentes, qui staminulosorum speciem ostendunt, unusquisque vero singulum profert semen. E *Gallia* acceptam habemus. *V. icon. tab. æn.* 1.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT VI.

Juncaria à Junceorum cauliculorum forma & gracilitate à *Clusio* appellata est. *Folia* cauliculis è regione adnata sunt, tenuia; *Flores* albescentes paleacei: *semenque* exile nigricans succedit.

Juncaria *Salmanticensis, Clus. Hist.* 74. *Ger.* 1115. *Park.* 453. *Lob. Obs.* 462. *Juncaria, J. B.* 723. *Rubia Linifolia aspera, C. B. P. Synanchicæ species Juncaria Salmant, Clus. Dal. Lugd.* 1185.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT VII.

Piper, Betle, & Saururus.

Piper πίπερι ἀπὸ τῦ πέπτειν concoquere Græcis dictum eſt. Ab Arabibus *Fulfel* & *Fulful* appellatur; cujus fructus pleriſque terrarum plagis, inter aromata celeberrimus, & ad cibaria condienda, ob excalefacientem facultatem, ſtomacho gratiſſimam, pluribus expetitur. *Caulibus* donatur infirmis, reptantibus, ut abſque adminiculo pedamineve conſiſtere nequeat: quapropter ad arbores, quas ſcandit, calidioribus Regionibus & Orientalibus ac Occidentalibus frequenter feritur. *Folia* è ſingulis geniculis naſcuntur ſingularia, cordiformia vel ſubrotunda, in mucronem deſinentia, plana. *Flores* monopetali, *Unedonis* ad inſtar, cavi, circa extremitates in quibuſdam tripartiti, aliis ſpeciebus quinque vel ſexpartiti, pediculis arcte adhærentes, longas conſtituunt ſpicas: qui *petioli* non è foliorum alis, ſed è geniculis, è regione plerumque naſcuntur: hos excipiunt *fructus* rotundi, per inſolationem ſiccitatemque duri; alii fervidiore, alii mitiore ſapore præditi, ſpicis longis caudati, lineis tranſverſum decurrentibus diſtincti, ut ſauræ Lacertæve caudam ſpicæ longæ excreſcentes referant, unde *Saururi* nomen haud improprie quibuſdam ſpeciebus tributum eſt.

Piper — *acrius ſpica* — *ſimplici*

1. *Rotundum nigrum, C. B. P. Cord. Caſ. Piper nigrum, Matth. Garz. Cluſ. Aromat. Hiſt. p.* 183. *Exot.* 19. *J. B.* 182. *Ger.* 1538. *Piper nigrum vel album, Park.* 1603. *Piper nigrum Acoſtæ, Dal. Lugd. App.* 6. *Malago-Codi, H. Mal. Part.* 7. *Tab.* 12. *Lada aliis Molanga ſive Piper mas, Piſ. Mantiſſa aromat.* 180.
2. *Rotundum album, C. B. P. Album, Matth. Lob. Garz. Cluſ. aromat.* 183. *Lugd. Cord. Ger.* 1538. Quod nihil aliud eſſe quam nigrum ante inſolationem, & decorticationem, Piſ. in Mantiſſa ſua Aromat. edocet. *Cluſius* vero in ſua, Hiſt. Aromat. aliique, fructus differre ſcribunt, quemadmodum Uvæ aliæque baccæ, quarum quædam ſpecies albos, aliæ rubros producunt fructus.
3. *Abortivum ſive inane, C. B. P. Piper Abortivum, Braſma, J. B. Caſ. Piper quod lingua Malavarica à* Canara *nomen ſumpſit, Garz. Canari, Piſ. Piper Canarinum, i. e. ruſticanum, Frag. Lugd. Linſchot.* Hoc à pipere rotundo nigro non ſpecie differre exiſtimatur: grana enim ſunt inania & caſſa, fortaſſe abortiva & immatura, Park. recte annotante.
4. *Longum Orientale, C. B. P. Caſt. Piper longum, Cluſ. Arom. Hiſt.* 183. *Exot.* 20. *J. B.* 186. *Park.* 1604. *Lob. Lugd. Ger.* 1539. *Garz. Cord. Macropiper minus, Tab. Matth.* 433. *Piper Monardi,* 340. *Pimpilini ſive Piper longum, Piſ. Aromat.* 183. *Buyobina, Piperis longi prima ſpecies, Recchi. Cattu-Tirpali, Hort. Mal. Part.* 7. *Tab.* 14.
5. *Longum Occidentale dimidii pedis longitudine, C. B. P. Piper Monardi. Piper longum Occidentale, Caſt. Macropiper majus, Tab. Matth.* 433. *An Piperis longi* 2. *ſpecies Tlatlancvaye, Recchi,* 126?
6. *Longum folio nervoſo pallide viridi humilius, D. Sloan. Cat. Iam. Longum anguſtiſſimum ex Florida, C. B. P. Piper Longum Felfel, Alpino. Piper ex Florida, J. B.* 187. *Arbor Piperifera fructu longo Floridiana; Ionſt. Dend. Piper frutex Amer. ſpica longa gracili, Pluk. Tab.* 215. *Saururus arboreſcens fructu adunco, Plumier, Cap. & Fig.* 58. *Buyoſamo* 4. *ſpecies Recchi.*
7. *Longum arboreum altius folio nervoſo minore ſpica graciliore & breviore, D. Sloan. Piper racemoſum caudatum ex Guinea, C. B. P. Piper caudatum Orientale, Park.* 1604. *Piper caudatum, Adv. Cluſ. Arom. Hiſt.* 184. *Ger.* 1539. *J. B.* 185. *Piper caudatum ſive Nhandu Morg. Piſon,* 197. *Piperis nova ſpecies Imperat. Arbor Piperifera fructu longo Braſilienſ. Ionſt. Dend. Piper frutex Amer. ſpica longa gracili, Pluk. Phyt. Tab.* 215. *Saururus Americanus major foliis Plantagineis. Plumier, Cap. & Fig.* 57.
8. *Sylveſtre Orientale gracili longiſſimaque ſpica. Amolago, Hort. Mal. Part.* 7. *Tab.* 16. *Piperi longo ſimilis Piſtolochiæ foliis abſque pediculis Madraſpatana, Iaborandi,* 4. *Piſ.* 216. *Hiſt. Braſil. p.* 216. *Pluk. Tab.* 104. Huic multum convenire videtur. Ex munificentia D. Gyfford accepimus.
9. *Longum Occidentale perforatis foliis, Buyoſamo ſive Piperis longi* 3. *ſpecies Recchi.*

10. *Longum*

multiplici
10. *Longum racemoſum malvaceum, D. Sloan. Aguaxima & Malva d'Iſco Luſitanis, Piſ.* 197. *Saururus arboreſcens foliis amplis cordatis non umbilicatis, Plum. Cap. & Fig.* 73. Vid. icon. tab. æn. 1.
11. *Sive Saururus arboreſcens foliis amplis rotundis & umbilicatis, Plum. Cap. & Fig.* 74.
12. *Oblongum nigrum, C. B. P. Piper Æthiopicum, Matth.* 434. *Park.* 1604. *Lob. Caſt. Lugd. Tab. Carpeſium, Cord. Piperis aliud genus Æthiopicum, Frag. Piper Æthiop. ſiliquoſum, J. B.* 187. *Piper Æthiop. ſive Vita alba, Ger.* 1539.

ſimplici
13. *Longum foliorum nervis decurrentibus tenuioribus & mollioribus*, Betle *dictum, Nobis. Piper rotundum Recchi*, 163. *Betre ſive Betelle, J. B. Ger.* 1540. *Tambu Avicen. Betre ſive Tembul, C. B. P. Betre, Betle, Betele ſive Betble, Park.* 1615. *Betre ſeu Betle, Cluſ. Arom. Hiſt.* 176. *Betel ſive Tembul. Matth. in Dioſc.* 43. *Beetla-codi Hort. Mal. Part.* 7. *Tab.* 15. Vid. icon. tab. æn. 1.
14. *Longum Occidentale minoribus foliis, ſapore & odore carentibus, 5. ſpecies Recchi.*
15. *Inſipidum majus Malabaric. Cattu-Molago. Hort. Mal. Part.* 7. *Tab.* 13.
16. *Longum folio nervoſo latiori & tenuiori atroviridi, D. Sloan. Saururus fruteſcens foliis Plantaginis fructu breviori, Plum. Cap. & fig.* 66.
17. *Sive Saururus hederaceus cauliculis maculoſis major, Plum. Cap. & fig.* 66.
18. *Sive Saururus repens lanceolatus ad nodos villoſus, C. Plum. Cap. & fig.* 78.
19. *Sive Saururus minor procumbens botryitis folio craſſo cordato, C. Plum. Cap. & fig.* 72.
20. *Longum arboreum foliis latiſſimis, D. Sloan.*
21. *Longum humilius fructu è ſummitate caulis prodeunte, D. Sloan. Mecaxchitl, Recchi.* 144. *Saururus humilis folio carnoſo ſubrotundo, C. Plum. Cap. & fig.* 70.
22. *Longum minimum herbaceum, ſcandens rotundifolium, D. Sloan. Saururus repens folio orbiculari Nummulariæ facie, C. Plum. Cap. & fig.* 69.
23. *Sive Saururus hederaceus triphyllus folio rotundo, C. Plum. Cap. & fig.* 68.

multiplici
24. *Sive Saururus hederaceus cauliculis maculoſis minor, C. Plum. Cap. & fig.* 67.
25. *Sive Saururus alius humilis folio carnoſo acuminato, C. Plum. Cap. & fig.* 71.

SECTIONIS XV.

PLANTARUM ANOMALARUM

Diſtributio ſecunda.

De Plantis quibus poſt ſingulum florem, bina loculamenta ſemina continentia ſuccedunt.

Acanthus ſive *Branca urſina*, *Xanthium*, *Acopa Dioſc.* & *Plantaginella paluſtris.*

CAPUT VIII.

Acanthus *ſive* Branca urſina.

Acanthus Græcis Ακανθος, quaſi ſpinis horrens, ſic à ſylveſtri ſpecie dicitur. Acanthus mollis ſeu *Branca urſina*, quaſi brachium urſinum, à ſimilitudine quam ejus folia habent cum anterioribus Urſorum pedibus, nuncupatur. *Marmoracia* quoque dicitur ſativa, quod ejus folia cum coronularum & labiorum curvitate exterius reflexa Marmoreis Columnarum Corinthiacarum capitulis inſculpebantur: quam confictionem *Callimacho* Lithoglypho inſigni Corinthiaco, primo inventori, *Catatechno* cognominato, *Vitruvius* tribuit; qui à corbe in ſarcophagum virginis collocato, & tegula cooperto, loco quo accidentaliter ſuccrevit *Acanthus*; cujus folia emergentia, orbemque circumnaſcentia Opifex peracutus obſervans, & foliorum fiſſuris & flexura delectatus, ſenſum accepit, & in Columnarum ornamenta, hodie noſtris oculis oblata, amplificavit, poſteriſque imitanda propoſuit.

Acanthus

Acanthus Planta eſt *ſui generis*, floribus irregularibus albis, è calyce ſpinoſo erumpentibus, caulique ſeſſilibus, ſeminibus binis, fructibus glandibus quercinis extus ſimilibus, intus vero bivalvibus, donata: emolliens eſt & lævi colliſione digitis cedit, ac in mucilaginem facile conteritur.

Acanthus
- *ſpinoſus*
  1. *Sive aculeatus, C. B. P. Acanthus ſylveſtris, Park.* 992. *Dioſc. Plin. Branca urſina aculeata, Lob. Carduus Acanthus ſylveſtris aculeatus, Ger.* 1147. *Carduus Acanthus ſive Branca urſina ſpinoſa, J. B. Tom.* 3. *p.* 77. *Acanthus ſpinoſus, Eyſt.* 622. *Acanthus ſylveſtris ſpinoſus, Matth. in Dioſc.* 500. *Branca urſina ſive Acanthus aculeatus, Lob. Obſ.* 477. *Dal.* Vid. icon. tab. æn. 2.
  2. *Medius rarioribus & brevioribus aculeis donatus, D. Fagon.* Rara hæc ſpecies è ſeminibus amiciſſimi & Rev. D. D. *Huntington* in Orientali ſuo itinere collectis, nobiſque communicatis, primo orta eſt.
  3. *Dioſc. verus ſativus Rawolfii*: in cujus collectaneis Orientalibus numero 182. obſervata planta eſt. Folia longa ſunt & anguſta, indiviſa, ad quorum margines ſpinæ naſcuntur. Floret eodem modo quo cæteri.
- *non ſpinoſus*
  4. *Sativus vel mollis Virgilii, C. B. P. Sativus Lob.* 477. *Ger.* 114. *Park.* 992. *Dal. Lugd.* 1443. *Carduus Acanthus ſive Branca urſina, J. B. Acanthus lævis, Eyſt.* 624. *Acanthus, Matth.* 499.

5. *Acanthoides Hyſſopi latioris folio Canarienſis, Ecbolii Indici ſive Adhatodæ cucullatis floribus æmula. Hyſſopifolia, ex Inſulis Fortunatis, D. Pluk. Phyt. Tab.* 280.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT IX.

Xanthium.

Xanthio ἀπὸ τῆ ξανθὰς ποιῶν τὰς τρίχας nomen inditum, ab effectu, quidam volunt, quod rufet capillum. *Lappa* & *Bardana minor* à ſeminibus ſpinoſis veſtibus adhærentibus, etiam nuncupatur. σφαγὶς, inſuper i. e. *Jugularis*, quia morbis gulæ, ſtrumis ſc. medeatur, dici ſolet.

Planta eſt anomala, foliis latiuſculis, mollibus, floribus caſſis & inutilibus, ſtaminuloſis, & fructibus duris, oblongis, ſpinoſis, infra aliquantulum remotis & adnaſcentibus, binis ſeminibus, in ſingulo loculamento ſingulis, donata, annua.

Xanthium
1. *Sive Lappa minor, J. B. Tom.* 3. *p.* 572. *Xanthium Matth. Anguill. Lob. Obſ.* 319. *Lappa minor Xanthium, Dod. Pempt.* 39. *Dioſc. C. B. P. Xanthium & ſtrumaria, Lob. Adv. Bardana minor, Ger. Emac.* 809. *Xanthium ſive Bardana minor, Park.* 1223.
2. *Elatius & majus Americanum, fructu ſpinulis aduncis armato. Lappa Canadenſis minori congener ſed procerior, Hort. Reg. Par.* E Virginia, Carolina, & Jamaicenſi Inſula accepimus. *V. icon. tab. æn.* 2.
3. *Spinoſum Atriplicis folio, Tournefort. Spinoſum Luſitanicum, C. B. P. Addend. Pluk. Tab.* 223. Folia in longas tenueſque lacinias inciſa, non ſpinoſa ſunt, ſed bis ternæ ſpinæ longæ, aureæ ad pediculi exortum naſcuntur. *V. icon. tab. æn.* 2.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT X.

ACopa *Dioſcoridis. Trifolium fibrinum, C. B. P. J. B. Dod.* 780. *Trifolium paludoſum, Ger.* 1194. *Park.* 1212. *Trifolium fibrinum paluſtre, Caſt. Tab. & Germanorum. Menianthes paluſtre Theophraſti* 4. *Hiſt.* 11. *Hiſt. Lugd.* In aquis & paludibus gaudet. *Folia* trifoliata latiſſima, fabacea ſunt: *Flores* ei menſe Maio in thyrſum diſpoſiti, albi, pentapetaloides, intus filamentis criſpatis ornati exeunt. *Capſulæ* ſeminales ſubrotundæ, in duas partes aperiuntur, abſque membrana diſterminante, ſed ad latera nutriuntur ſemina glabra, ſubrotunda, nigreſcentia, Milio majora, quæ menſe Julio matureſcunt.

Antiſcorbutica hæc planta eſt inſignis: adverſus morbos articulares, hydropicos affectus, alioſque plurimos mira eſt efficaciæ: de quibus plura lege apud Simon. Paulli & Ephem. German. An. 4. 5. 12. *&c.* Vid. icon. Tab. æn. 2,

PLAN-

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XI.

PLantaginella *paluſtris*, *C. B. P. Plantago aquatica minima, Cluſ. Hiſt. Park.* 1244. *Alſine paluſtris repens foliis lanceolatis floribus albis perexiguis, D. Pluk. Tab.* 74. *Alſine paluſtris exigua foliis lanceolatis, Plantaginellæ aquaticæ inſtar, floſculis albis vix conſpicuis, Mentz.*

A foliis ſuis Plantaginem quodammodo referentibus dicitur. Locis ſabuloſis & lacunis, ubi per hyemem aquæ ſtagnarunt, hæc plantula reperitur, quæ videtur annua. Ei ex *radice* exigua fibrata, *folia* petiolis uncialibus & biuncialibua innixa, ſpathæ chirurgicæ aut ligulæ forma, parva, oblonga, proveniunt; ac ſimul cum iſtis alii pedicelli, aliquantulum tamen breviores, exeunt, quorum ſinguli ſingulum *floſculum* pentapetalum albeſcentem, exiguum, ſuſtinent: atque his ſuccedunt *capſulæ* ſeminales ſubrotundæ, in binas partes ſe dividentes, & ſemina minuta fuſca exinde decidunt. Nonnunquam per luxuriam in cauliculos procumbentes ramificatur; ſed ut plurimum tota planta palma contegi poſſit. Nec inter *Alſinas* nec *Plantagines* locum obtinet. *Vid. icon. tab. an.* 2.

SECTIONIS XV.

Sive PLANTARUM ANOMALARUM

Diſtributio Tertia.

De Plantis quibus ſub ſingulo flore terna ſubſunt loculamenta ſemina ſervantia.

Vulneraria alata Blattariæ flore cæruleo, Valeriana Græca vulgo dicta, & Ephæmerum phalangioides.

CAPUT XII.

VUlneraria *alata Blattariæ flore cæruleo, Nobis. Valeriana Græca, Ger.* 1076. *Park. Theat.* 123. *Paradiſ.* 388. *Valeriana cærulea, C. B. P. Valeriana Græca quorundam flore cæruleo, J. B. Tom.* 3. 212. *Valeriana Græca flore cæruleo, & albo, Eyſt.* 590. *Polemonium, Tournef. El. Bot.* 61. Planta hæc vulgo nota foliis eſt ſemper-virentibus alatis, non dentatis; *caules* ei ſunt erecti bipedales: *flores* plurimi cærulei in cymis corymbatim diſpoſiti, pentapetaloides, aperti, unguis humani latitudine expanduntur; *vaſculum ſeminale* turbinatum, in tria loculamenta diviſum, *ſemina* plurima, fuſca, oblonga continet.

In ſylvis quibuſdam noſtris borealibus, ſed rarius, æque ac Germanicis, ſponte naſcens reperitur. In Hortis non ſolum ob florum ſpecioſorum ornamentum, ſed pro planta vulneraria inſigni accepta eſt, unde vulgo *Herbæ charitatis* titulum obtinuit.

Flores in *album colorem* variant, quemadmodum alii cærulei.

Huic forte haud inepte adjiciatur *Matlalxochitl, Recchi*, 383. Quæ conſimilis videtur Planta, *flores* vero è luteo rubeſcunt. Hujuſmodi plantam è *Virginia* tranſmiſſam habemus.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XIII

Ephemerum Phalangioides.

EPhemeri *nomen à floris imbecillitate, ad ſecundum uſque diem non permanentis, planta hæc ſortita eſt.* Virginianæ ſpecies, gramineis vel porraceis foliis donatæ, nec radice nec caulibus repunt: *Flores*, æque ac calyces ſubjecti, ſeu perianthei, tripetali ſunt. *Vaſculum ſeminale* oblongum in tria loculamenta diviſum eſt, quo *ſemina* granis triticeis ſimilia, ſed minora, conduntur. Aliæ ſpecies è caulium geniculis humi procumbenti-

bus, radices agunt; quarum diverſæ ex utraque India, nuperis annis in Europam importatæ ſunt: quorum foliorum vel latiorum vel anguſtiorum pediculi latiuſculi, vaginæ ad inſtar caulem amplectuntur. *Semina* oblonga, triangularia, fuſca, rugoſa ſunt.

Una ſpecies *monopetalos*, altera dipetalos detecta eſt.

- *Ephemerum Phalangioides*
  - *monopetalon*
    1. *Virginianum floſculis arbuteis bullatis aureis in ſpicam diſpoſitis, D. Pluk. Tab. 174. 5. Phalangium ſpicatum floſculo arbuteo bullato aureo, D. Baniſter.* Folia ei latiuſcula è radice fibrata exeunt, mucronata, pallide virentia, humi radiatim procumbentia, unde ab incolis *Starr-graſs* appellatur. Tota planta acris & aromatici guſtus eſt.
  - *dipetalon*
    2. *Benghalenſe ſerpens folio ſubrotundo brevi, Pluk. Tab. 27.*
    3. *Africanum annuum flore dipetalo, H. L. B. Dipetalon Braſilianum foliis Gentiani aut Plantaginis, Marcgr. Raii Hiſt.* Vid. icon. tab. æn. 2.
  - *tripetalon*
    - *non repens*
      4. *Virginianum gramineum flore cæruleo minore, Nobis. Allium ſive Moly Virginianum, C. B. P. App. Phalangium Virginianum Tradeſcanti, Ger. 49.* Vid. icon. tab. æn. 2.
      Idem flore rubente. Phalangium Virginianum flore purpureo, H. R. Par.
      Idem flore albo, ibid.
      5. *Virginianum gramineum flore ampliore-cæruleo, rubro, & albo, H. R. P.*
      6. *Malabaricum porrateis foliis purpuro cæruleum, Talli-Pullu, Hort. Mal. Part. 9. Tab. & Cap. 63.*
      7. *Malabaricum anguſtifolium ramoſius flor. è perſico colore cæruleis, extus albeſcentibus, Nelam-pullu, H. Mal. Part. 10. Tab. & Cap. 19.*
    - *repens*
      8. *Virginianum Potamogeitonis folio, flo. cæruleo, Nobis. Phalangium ramoſum Virgin. procumbens foliis amplis. Zan. fig. 35. Phalangium Virginianum Stapelii. Potamogeiton foliis bullatis, Commelin. in notis. Nic-valli-pullu, H. Mal. Part. 10. tab. & Cap. 12.*
      9. *Zeylanicum Alſines mediæ foliis procumbens, Par. Bat. Prod.*
      10. *Madraſpatanum minimum ſecundum caulem quaſi ex utriculis floridum, D. Pluk. tab. 174. Nir. Pulli H. M. Tab. 13.*
      11. *Madraſpatanum longiſſimo Anguſto folio, Nobis. Ephemerum Phalangioides Madraſpatanum minimum fol. peranguſtis perfoliatum, D. Pluk. Tab. 27. Forte Acaxacan Potamogeiton Mexicanum 1. Recchi, 263.*
  - *hexapetalon*
    12. *Malabarenſe repens capſula ſeminali triquetra in longum ſtriata, D. Pluk. Alm. Veetla-caitu, H. Mal. Part. 7. Tab. 58.*

SECTIONIS XV.

Sive PLANTARUM ANOMALARUM

Diſtributio Quarta.

De Plantis quarum ſingulis floribus terna ſunt loculamenta ſemina ſervantia.

Stramonium, Lyſimachiæ purpureæ adfinis Amer. Glaux exigua maritima, & ſtellaria aquatica.

CAPUT XIV.

Stramonium.

Stramonium & *Stramonia* in utraque India ſponte naſcens, Planta annua eſt, magna, ramoſa, & narcotica: *folia* ampla fætida, ſolani mollitie prædita: *Flores* monopetali, tubuloſi, calathiformes: *fructus* magni, ut plurimum ſpinoſi, in quatuor partes æquales, diſſepimento membranarum diviſi, ſeminibus compreſſis repleti ſunt.

1. *Majus*

Stramonium flore

simplici

1. *Majus album & vulgatius fructu oblongo ſpinoſo, Nobis. Stramonia altera major ſive Tatura quibuſdam, J. B. Tom. 3. 624. Solanum fœtidum pomo ſpinoſo oblongo, C. B. P. Stramonium ſpinoſum, Ger. 348. Fœtidum Matth. 228. Stramonium majus album, Park. 360. Datura Turcarum, Eyſt. 788. Datura 1. forte C. Acoſtæ, 289.*
2. *Majus purpureum, Park. Par.* Caules & pediculi ex ferrugineo colore purpuraſcunt; pallido-cæruleo tinguntur; aliis non differt.
3. *Humilius caule ſpadiceo flore ſimplici, toto externe purpuraſcente intus candido, Lel. Triumfetti. Forte Nila-hummatu, Daturæ Malabar. 2. ſpec.*
4. *Pomo craſſioribus & robuſtioribus ſpinis armato, H. L. B. Stramonium ferox, Boer. 50. Datura Cochinenſis ſpinoſa, Zan. 76.* Vid. icon. tab. æn. 2.
5. *Sive Datura pomo ſpinoſo rotundo, longo flore, H. L. B. Stramonium fructu rotundo deorſum ſpectante & aſpero, Fab. Col. Solanum pomo ſpinoſo rotundo, longo flore, C. B. P. Stramonia multis dicta ſive pomum ſpinoſum, J. B. Tom. 3. 624. Nux Methel, Matth. 225. Avicen. Fuchſ. Geſn. Hort. Stramonia, Dal. Lugd. 629. Stramonium peregrinum, Ger. 248.*
6. *Curaſſavicum humilius Hyoſcyami folio, Par. Bat. Prod. Stramonium minus ſive Nux Methel flore albo, Park. Hummatu 1. Hort. Mal. Part. 2. Fig. 28. Tlalpatl, Hernand. in Recchi, 278.*
7. *Sive Datura Indica foliis Malabathri, Breyn. Cent. 1. Cap. 55. & Fig. 55.* Vid. icon. tab. æn, 2.
8. *Fœtidum Malabaricum ſemine pallido, pomo glabro, flo. ſimplici violaceo, Hort. Lugd. Bat.*

duplici

9. *Ægyptiacum, fœtidum ſemine pallido, pomo ſpinoſo rotundo, flore violaceo ſimplici, duplici, triplici H. L. Bat. Solanum fœtidum pomo ſpinoſo rotundo ſemine pallido, C. B. P. Datura Ægyptiaca flore pleno. Ponæ, Ital. Datura Contareni, Proſp. Alp. Exot. 167. Stramonium fructu rotundo, foliis per ambitum Xanthii modo inciſis, Col. Stramon. Ægypt. flore gemino, altero alteri innato, C. B. Du Bry. Stramonium minus flore geminato purpurante, Nila-hummatu, Daturæ Malabar. 3. Spec.* Vid. icon. tab. æn. 2.
10. *Indica flore amplo albo pleno, Breyn. Prod. 2. Datura Turcarum triplici calyce exerto, coloris candidiſſimi, Hyacinth. Ambroſin. 195.*

E *foliis*, aut eorum ſucco, cum axungia decocto, unguentum paratur, quod vim habet præſtantiſſimam, adverſus ignem ferveſcentem uſtularum, membrave corporis aduſta; ad quæ medenda optimi eſt uſus. *Semen* narcoticum eſt, quod pulveriſatum & aſſumptum, mentem turbat & alienat, & pro 24. horarum ſpatio ſomnum inducit; quod impudicæ mulieres maritis exhibent, & eo mentis non compotes reddunt, dum amaſiis fruantur.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XV.

CApraria *Curaßavica Cabritta vulgo, Par. Bat. Prod. Gratiolæ affinis fruteſcens, Amer. foliis Agerati, ſive Veronicæ erectæ majoris, Breyn. Prod. 2. Lyſimachiæ purpureæ adfinis Americana procumbens Anonidis vernæ fruteſcentis folio ſingulari glauco, D. Pluk. Tab. 98. 4. Capraria* dicitur quia capræ hanc plantam pro pabulo avide petunt. In Americæ variis plagis ſponte naſcitur: in Græcia quoque D. Wheeler invenit, ubi *Curſermont* à Turcis nuncupatur, D. Pluk. annotante. *Flores* pentapetaloides, albi ſunt, quibus excuſſis, vaſcula ſeminalia oblonga, in quatuor partes diviſa, ſemina perexigua continent.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XVI.

GLaux *exigua maritima, Ger. 562. Adv. Lob. J. B. Glaux maritima, C. B. P. Glaux maritima minor, Park. 1283. Glaux exigua, Dod.* Frequens ad oras maritimas occurrit. *Folia* profert exigua, ſibi oppoſita; è quorum alis, ſecundum cauliculos humi ſtratos, *floſculi* proveniunt in fundo integri, quinquefariam in margine diviſi, parvi, coloris carnei, nonnunquam etiam albi. *Vaſcula ſeminalia* ſuccedunt, quæ dum immatura, compreſſa, & ſiliculis *Veronicæ* ſimilia, apparent; denique turgeſcunt & turbinata exeunt, ac per exſiccationem in quatuor partes partita ſunt, quibus inſunt *grana* exigua oblonga. Planta perennis radicibus quodammodo repentibus ſe propagat.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XVII.

STellaria *aquatica, Park.* 1258. *Alſine aquis innatans fol. longiuſculis, J. B. Tom.* 3. 786. *Millefolium aquaticum ſtellatum, ſive Stellaria aquatica, C. B. P. Ger.* 830. Limoſis foſſis & ſtagnantibus aquis paſſim reperitur. *Cauliculi* graciles in ramulos diducti ſunt: *foliola* oppoſita, ſemiunciam longa, per intervalla in caule diſpoſita, ex anguſto principio, paululum dilatata ſunt, & in obtuſum terminant; quorum extrema & ad ſummitates ſita in roſam ſtellatim coacta, (unde nomen) aquarum ſuperficiem coronant: & in foſſis & paluſtribus quibus diſceſſit aqua, folia obrotunda apparent, magiſque conferta. *Floſculi* è ſingulis foliorum alis ſinguli dipetali, albeſcentes exeunt: hos excipiunt *vaſcula ſeminalia* ex rotunditate paululum compreſſa, quatuor lineolis altius impreſſis, in quatuor partes diſtincta.

Stellaria *aquatica foliis longis tenuiſſimis Raii Synopſ.* Forte *Alſine aquatica ſurrectior*, *J. B.* 786. Satis frequens cum priore naſcitur; *folia* vero per longiora intervalla à ſe invicem diſſita ſunt. Hujus generis *Cl. D. D. Sherardus* exemplaria foliis tenuiſſimis, longiſſime exporrectis donata, ex Hibernia attulit.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XVIII.

GRaminifolia *paluſtris, repens, vaſculis granorum Piperis æmulis, Raii Syn. Muſcus aureus capillaris, inter foliola folliculis rotundis quadripartitis, Pluk. Tab.* 48. 1. Exigua hæc planta per terram repit *foliis* capillaceis. In alis foliorum globulos ſeſſiles profert, granorum *Piperis* magnitudine fere, *ſeminibus* albis refertos. *Vaſcula* quadripartita ſunt, multa *ſemina* minuta continentia. Flores nondum obſervavit *D. Doody*, qui in puteis ubi per hyemem aquæ ſtagnarunt, prope fontes medicatos *Strethamenſes* reperit.

SECTIONIS XV.

PLANTARUM ANOMALARUM

Diſtributio Quinta.

De Plantis floribus pentapetaloidibus donatis quibus ſingulis dehiſcentibus, plurima ſuccedunt ſemina; ſunt vel

- *Siliquiferæ*
  - *Apocynum.*
  - *Aſclepias.*
  - *Pſeudo-Apocynum.*
  - *Clematis Daphnoides.*
  - *Volubilis Americana capreolata.*
- *vel*
- *Vaſculiferæ*
  - *Hyſſopifolia.*
  - *Lyſimachiæ purpureæ affinis.*
  - *Camphorata.*
  - *Paronychiæ facie Planta Virginiana.*
  - *Cuſcuta.*
  - *Reſeda.*
  - *Luteola.*

CAPUT

CAPUT XIX.

Apocynum.

APocynum *ἀπὸ τοῦ κυνὸς nomen accepit, eo quod cibo datum canum impetus cohibeat, eosque enecet.* *παρδαλιαγχὲς etiam à Pantheris enecandis appellatur. Lac enim quod ex qualibet parte rupta manat, exurentis facultatis, fervidissimum & perniciocissimum est.*

Plantæ *Apocyni* nomine notæ, nobis exoticæ sunt; plurimæ tamen species in Hortis servantur; quarum *folia* vel latiora, vel angustiora, binatim nascuntur, lacteo succo turgentia. *Flores* sunt pentapetaloides, i. e. quinquefariam in margine divisi, integri tamen in fundo: quibus *siliquæ*, aliis tumidiores, aliis tenuiores, in plerisque speciebus geminatim petiolis appensæ; intus *seminibus* compressis, lanugine mollissima & subtilissima, ut plurimum candida, coronatis & latentibus coacervatæ, succedunt. Quæ lanugo ad cubilia & cervicalia paranda, trechedipnaque culcitranda, nec non ad ignem excipiendum è silice excussum, indigenis idonea est.

Apocyna sunt vel erecta, vel scandentia; latifolia vel angustifolia; siliquis tumidioribus vel strictioribus: quibus notis propositis, omnibus & singulis communibus, ad tautologiam vitandam, è nominum variis epithetis & synonymis, singularum varietatum distinctiones Lectori facile appareant.

Apocynum erectum — *latifolium* — *siliqua* — *tumidiore*:

1. *Majus Ægyptiacum flore luteo spicato, Breyn. Prod. 2. Apocynum Syriacum, J. B. Tom. 2. p. 132. Lapathum Ægypt. lacteſcens siliqua Asclepiadis, C. B. P. Beidel-Ossar Alpini de Plant. Ægypt. & Beidelsar, 36. Apocynum Syriacum, Clusii, Ger. 899.*
2. *Medium peregrinum flore umbellato ex obsoleto dilute purpurascente, petalis reflexis, Breyn. Prod. 2. Apocynum majus Syriacum rectum Cornuti, 91. Rectum Amer. latifolium, Park. 386. Beideloſſar Veslingii, Obs. in Alp.*
3. *Idem acutiore folio flo. purpurascente, ex Aleppo.*
4. *Majus Indicum flore concavo amplo carneo suave-purpurascente, Breyn. Pr. 2. Apocyn. latifol. Ægypt. incanum erectum floribus magnis pallide violaceis, P. B. P. Ericu, Hort. Mal. Part. 2. Tab. 31. Waraghaha Zeylonensibus dicta.*
5. *Ex Surinama folio subrotundo rigido lucido.* In collectaneis, D. D. Sherard observatur.
6. *Malabaricum arborescens Limonis folio, flore ex flavo rubescente, siliquis maximis, Nelem-pula, Hort. Mal. Part. 9. Tab. 5.*
7. *American. radice Pæoniæ ad instar glandulosa, foliis limonii formam referentibus, Tepezentle seu spica Maizii montana, Recchi, Hist. Mex. 223.*
8. *Amer. tuberosum foliis Pyri, siliquis spinosis. Quaquahutzontic. Recchi, 250.*
9. *Amer. obtusis foliis flore albicante. Cananan-Tez-coquensis, Recchi, 362.*
10. *Amer. tuberosa radice non incanum fol. rigidioribus latis subrotundis, floribus albis, intus purpureis summo cauli corymbum magnum efformantibus, D. Pluk. Tab. 77. Fig. 1. Apocyn. erect. non ramos. latiore folio, florum umbellis albicantibus, D. Banister.*
11. *Minus umbella florum candida, Cat. Virgin. D. Banist.*

Apocynum erectum — *latifolium* — *siliqua* — *strictiore*:

12. *Folio rotundiore flore ex albo pallescente, J. B. 134. Apocyn. 1. latifol. Clus. Lob. Adv. Periploca Græca foliis latioribus hederaceis, Lob. Obs. Apocynum 1. latifol. folio subrotundo, C. B. P. Latifolium non repens, Park. 385.*
13. *Non ramosum, folio subrotundo, umbellis florum rubris, Cat. Virgin. D. Banister.*
14. *Canadense ramosum flore è viridi albicante, siliqua tenuissima, Nobis. Canadense maximum flo. minimo herbaceo, Hort. Reg. Bles. Virginianum flo. herbaceo, siliqua longissima & tenuissima, D. Moris. Prælud. Bot.*
15. *Ramosum Virginianum caule subrubente, Esulæ raræ foliis siliquis & flosculis albis tenuissimis ad extremitates conjunctis, D. Pluk. Tab. 260. 4. Apocyn. ramos. siliquis tenuissimis binatim ad extremitates junctis, D. Banist. Apocyn. rectum foliis Esulæ raræ, Jonquet.* Huc reduci debet *Apocynum marit. Venetum Salicis folio, flore albo*, quod inter Tithymala inadvertenter adnumeratur. *Et Apocynum maritimum Venetum Salicis folio flore purpurascente.*
16. *Canadense foliis Androsæmi, H. R. Bles. Foliis Androsæmi majoris, Bocc. 32. Amer. fol. Androsæmi majoris, flore Lilii convallium suave rubente, Hort. Reg. Par. Dodart. Mem.*
17. *Maximum foliis amplis, rotundis, flo. candido, siliquis longis, Belutta-kaka-kodi, Hort. Mal. Part. 9. p. 7.*
18. *Indicum floribus parvis flavescentibus umbellatim dispositis, siliquis nigricantibus oblonge striatis. Kaka-kodi, Hort. Mal. Part. 9. p. 11.*
19. *Portoricense fruteſcens foliis crassis hastæ cuspidi similibus, Hort. Beau-*

mont. Tithymalus Portoricenſis fol. craſſis haſtæ cuſpidi ſimilibus, Par. Bat. Prod.

20. *Arboreum Laurifolium ſiliquis Nerii Madraſpatanum, forte Codaga-pala, Hort. Mal. Part. 1. fig. 47. Arbor Malabarica lacteſcens Faſmini flore odoro ſiliquis oblongis, D. Arnold. Seyn. in notis.*
21. *Arboreum ad Eleagni faciem accedens Canarienſe ſiliquis binis Nerii æmulis, (Cornicar Inſulanis vulgo) apicibus recurvis, D. Pluk. Tab. 260. 3. An Nelem-pala, H. Mal. Part. 9. fig. 4?*

Apocyna erecta anguſtioribus foliis.

Apocynum erectum — *Anguſtifolium floribus.*

albis

22. *Elatius Salicis anguſto folio, immaculatis floſculis in umbellam diſpoſitis, folliculis piloſis, Pluk. Tab. 138. 2.*
23. *Africanum Salicis latiore flore niveo, Hermanni.*
24. *Curaßavicum triphyllum floſculis albis, P. B. P. H. R. Hampton, D. Pluk. Tab. 139. 1.*
25. *Idem tetraphyllum, P. B. P. H. R. Hampt.*
26. *Quadrifolium Nerii foliis floribus albis minimis,* In Collect. D. Sher.
27. *Non ramoſum Roriſmarini foliis, umbellis florum candidis, D. Baniſt. Cat. Virgin. Hort. Chelſ.*
28. *Amer. Verbaſci folio flore candicante Cenanam-tezcoquenſi ſeu Mater ſpicæ Mazii, Recchi, 185.*

luteis

29. *Salicis latiori folio umbellatum floribus aurantiis, D. Pluk. Tab. 188. 3. Apocynum Curaßavicum fibroſa radice floribus aurantiis Chamænerii foliis latioribus, C. B. Prod.*
30. *Curaſſavicum fibroſa radice floribus aurantiis Chamenerii foliis anguſtioribus, P. B. P. D. Pluk. Tab. 76. 6. An Apocynum erectum minimum anguſtifolium, Amer. flo. umbellato aurantio, petalis reflexis, Breyn. Prod. 2? Apocynum minus non lacteſcens caule & foliis hirſutis, floribus ſaturate luteis, D. Baniſter?*
31. *Novæ Angliæ ſubhirſutum tuberoſa radice flo. aurantiis, Hort. Lugd. Bat. App. Apocynum Canadenſe anguſtifolium floribus aurantiis, D. Moriſ. Prælud. Bot.*
32. *Tuberoſum floribus ex luteo vireſcentibus folliculis pubeſcentibus Africanum, ex Cod. Compton, D. Pluk. Tab. 137. 6.*

rubeſcentibus

33. *Non ramoſum Aſclepiadis folio, umbellis florum rubentibus, Cat. D. Baniſter.*
34. *Canadenſe viride floribus umbellatis minoribus rubicundis, Hort. Lugd. Bat. Rectum minus Canadenſe, Cornuti, 93. Rectum anguſtifolium, Amer. minus, Park.*
35. *Africanum tuberoſum, latiori ſalicis folio, folliculis hirſutis, flore pallide punicante, è Cod. Compt. D. Pluk. Tab. 139. 1.*
36. *Amer. Pæoniæ radice nodoſa, fructu ſpinoſo, Yztac-patli Recchi, 450.*
37. *Africanum foliis undulatis, Hermanni, à quo accepimus. Forte etiam Apocyn. erect. foliis plicaturis undulatim tortis D. Baniſt. à quo ſemina habemus.*
38. *Petræum ramoſum Salicis folio venoſo, ſiliqua medio tumente, D. Pluk. Tab. 261. 3.*
39. *Serrato Salicis folio Amer. ex Cod. Compt. D. Pluk. Tab. 241.*

Apocyna Scandentia.

40. *Braſilianum amplexicaule fructu magno Beidelſaris, Ibati Braſil. Margr. Raii. Apocynum amplexicaule fruteſcens Braſil. cortice albo fungoſo, Par. Bat. Prod.*
41. *Majus ſiliqua oblonga tumida & glabra, C. Plum. Fig. 95.*
42. *Amer. arboreſcens ſiliqua maxima, Hort. Lugd. Bat. App.*
43. *African. fol. ſubrotundo, Hermanni.* Hoc ad D. D. Uvedale Anno 1690. tranſmiſſum eſt.
44. *Flore variegato ſiliquis Ericu ſimilibus, Ada-Kodein, H. Mal. Part. 9. 420.*
45. *Floſculis albis capſulis magnis planis tumentibus, D. Baniſt.*
46. *Mexican. fol. cordi-formibus ſive fœmina, Micuacanica diuretica amara, Recchi, 239.*
47. *Amer. ſolani foliis mucronatis, Tlallantlacvacvitlapilli, Recchi, 238.*
48. *Idem foliis latioribus ſive mas.*
49. *Malabaric. flore rubeſcente, ſiliquis longiſſimis & anguſtiſs. Palvalli, H. Mal. Part. 9. Fig. 12.*
50. *Indicum folio oblongo glabro, flore ex albo vireſcente, Kudici-Kodi, H. Mal. Part. 9. p. 13. Et Wallia-pal-valli, Ejuſd. p. 15.*
51. *Indicum folio ex viridi diluto, ſiliquis oblongis cuſpidatis, Katu-pal-valli, H. Mal. Part. 9. p. 17.*
52. *Indicum floribus viridi dilutis, geniculis caulium faſciatim adhærentibus, Nanſiera-patſia, H. Mal. Part. 9. p. 21.*

53. Ma

53. *Malabaricum folio cordiformi, floribus viridi-dilutis, umbellatim diſpoſitis, ſiliquis oblongis & obtuſis, Watta-Kaka-Kodi, Hort. Mal. Part. 9. p. 25.*
54. *Incanum Madraſpatanum Violæ Martiæ foliis, floribus purpureis, D. Pluk. Tab. 137. 3.*
55. *Amplexicaule, J. B. 135. Apocynum 3. latifol. Cluſ. Scammoniæ Monſpelienſ. affinis, Park. 167. Foliis acutioribus, C. B. P. Apocynum ſive Periploca prior, Dod.*
56. *Scammoniæ facie Monſpeliacum foliis rotundioribus, H. L. Bat. Apocynum latifol. 4. Scammonea Valentina, Cluſ.*
57. *Scammonii Monſp. varietas, Lob. Obſ. 341. Eyſt. 682. Monſpeliaca dicta, Park. 164. Monſpeliaca foliis rotundioribus, C. B. P. Monſpel. parvo flore, J. B. 136. Scammonia Monſpelienſis, Ger. 867. Chiapparazza amara Panormitanis, Hort. Cathol.*
58. *Scammoniæ facie foliis ad baſin cordatis, & veluti auriculatis, in cuſpidem longam & anguſtam prodeuntibus.* Ex Hort. Pat. olim collect.
59. *Scammoniæ facie Malabaricum folio ad baſim cordato, & in oblongam cuſpidem latiorem protracto.* Auſpiciis D. Gyfford habemus.

Apocynum ſcandens folio

60. *Scammoniæ Monſpeliacæ foliis Curaſſav. H. R. Hampt. An Wattou-valli, H. Mal. Part. 7. Tab. 32?*
61. *Virginianum rugoſum pullis amplis floribus, capſulis alatis, Nobis. Apocynum ſcandens capſulis alatis Baniſt. Apocynum hirſutum ſcandens Amer. flo. amplo purpureo, D. Pluk. Tab. 76. 5.*
62. *Indicum minus Nummulariæ foliis Breyn. Ephem. German. Raii Hiſt. Apocynum ſcandens Africanum Convolvuli minoris folio & caule hirſutis, D. Pluk. Tab. 137. 4. Forte Apocynum ſcandens Africanum hirſutum, P. B. P.*
63. *Americanum foliis Vincæ pervincæ acutioribus floribus umbellatis carneis, Yocotzochitl. Recchi, Hiſt. Mex. 445.*

anguſtiore

64. *Sive Periploca ſcandens folio oblongo flore purpuraſcente, J. B. Tom. 2. 133. Apocynum folio oblongo, C. B. P. Anguſtifolium repens, Park. 386. Dal. Lugd. 1731. Apocynum 2. anguſtifolium, Cluſ. Periploca repens anguſtifolia, Ger. 902. Apocynum foliis Oleandri, Anguill. Periploca ſerpens anguſtiore Periclymeni folio, Col. Periploca ſcandens anguſtiore folio, Lob. Obſ. 357.*
65. *Salicis folio, C. B. P. Apocyno affinis Secamone flore albo, J. B. 134. Apocyn. 2. ſpec. alt. Cluſ. Forte Yzpatli. Recchi, 466.*
66. *Glabrum foliis atroviridibus flore parvo nigricante, Nobis. Aſclepias flore nigro, C. B. P. Ger. 898. Park. 388. Tab. Lob. Aſclepias flore nigro quorundam, J. B. 140. Vincetoxicum flore nigro, Cap. Ep. Apocynum, Dioſc. Fab. Col. Phytobas. Apocynum Aſclepiadis folio flore nigro, H. L. Bat. Aſclepias alt. flo. nigro, Lob. Obſ. 356. Aſclepias nigra, Dal. Lugd. 1145.*
67. *Amer. Scammonii foliis anguſtioribus candicantibus floribus, Neicotlalpatli Topocenſi vomitoria, Recchi, 221.*
68. *Radice tuberoſa Promont. Bon. ſpei, è Cod. Compt. D. Pluk. Tab. 138. 4.*
69. *Siliquis ſpinoſis D. Baniſt.*
70. *Malabaricum floribus oblongis, ventre tumidis, umbellatim & in coronulis reflexis eleganter diſpoſitis. Njota-njodien-valli, Hort. Mal. Part. 9. Tab. 16.*
71. *Fruticoſum Geniſtæ Hiſpanicæ facie, floribus lacteis odoratis, D. Sloan. Cat. Iam.*
72. *Minus flore albo, ſingulis petalis viridi ſtria notatis, D. Sloan. Cat. Iam.*

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XX.

Aſclepias.

Aſclepias ab *Æſculapio* Inventore dicitur. *Vincetoxicum* quod venena vincat, & contra ea adhibeatur. *Hirundinaria* à ſiliquarum forma, appellatur, quæ ſe aperientes, plumoſum ſemen oſtendunt, caudæ extenſæ hirundinis volitantis ſimile: aut ab integra ſiliqua medio tumida, quæ totum corpus ejuſdem quodammodo refert.

Aſclepias cum Apocynis connectatur, ſi non iis adnumeretur; omnibus enim (viribus exceptis) convenit. Inter *Alexipharmaca* numeratur; cujus ſuccus mitior, limpidus, ad flavedinem tendit.

Aſclepias

1. *Flore albo, C. B. P. Ger. 898. Park. 388. Aſclepias ſive Vincetoxicum multis floribus albicantibus, J. B. 139. Aſclepias, Lob. Obſ. 356. Vincetoxicum, Matth. Dal. Lugd. 1144.*
2. *Anguſtifolia flore flaveſcente, Vallot, H. R. Par.*
3. *Siliqua bifido mucrone, C. B. P. Aſclepias Cretica, Cluſ. Hiſt. App. 1.*
4. *Aizoides aphylla flore Fritillariæ, ſiliquis longis anguſtis erectis, Nobis. Apocynum humile aizoides ſiliquis erectis Africanum Hermanni, H. L. B. 52. (ubi bene deſcribitur) Fritularia craſſa Promont. Bon. ſpei, Stapelii in not. in Theophraſt. 335.*
5. *Eadem cauliculis longiſſimis, denticulis rarioribus donata, Hort. Reg. Hampt.*

Aſclepias flore nigro, de qua lege Cap. proxime præcedens de Apocyno ſcandenti.

Aſclepias eſt ſcrophularum antidotus, & in hydrope præſens remedium, Ephem. Curioſ. German. Tom. 2. p. 154.

PLAN-

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXI.

Pſeudo-apocynum.

HActenus de *Apocynis* genuinis ſermo fuit, quorum *ſemina* pappo ſeu *lanugine* coronata, *folliculis* longis conduntur. Ad ea tandem pervenimus quæ folliculos longos, frequenter etiam geminatim naſcentes, poſt ſingulos *flores* evanidos, producunt, *ſeminibus* quoque compreſſis imbricatim diſpoſitis, confertos, *lanugine* vero omnino deſtitutis, ſed alis membranaceis tenuibus, hinc illinc lateraliter, pennarum avicularum inſtar extenſarum præditis. Erecta vel ſcandentia ſunt hæc Pſeudo-apocyna eodem plane modo quo genuina.

Pſeudo-apocynum ſemine

- *compreſſo & alato*
  - *ſcandens*
    1. *Hederaceum Amer. tubuloſo flore phæniceo Fraxini folio, Nobis. Gelſeminum hederaceum Indicum, Cornuti*, 102. *Raii. Gelſeminum Indicum flo. phæniceo, Ferrar. Flor. Cult.* 199. *Pſeudo-apocynum Virginian. aliis Gelſeminum maximum Amer. flo. phæniceo, Park.* 1679. *Clematis hederacea bucananthos ſiliquoſa Indica, D. Pluk. Alm. Clematis Amer. Fraxini folio ſcandens flore phæniceo, Breyn. Prod.* 2. *Bignonia Amer. Fraxini folio. Tournefort.*
    Flos triuncialis phæniceus tubuloſus eſt: ſiliquæ pollicem craſſæ, dodrantem longæ ſunt. Hederæ in modum, radiculis è geniculis naſcentibus ſcandit. *Eſt & majus & minus.*
    2. *Claviculatum tetraphyllum Barbadienſe flore luteo tubuloſo, inodoro, brevioribus foliis, Nobis. Apocyno affine Gelſeminum Indicum hederaceum tetraphyllum folio ſubrotundo acuminato, D. Sloan. Clematis quadrifolia flore Digitalis luteo, claviculis aduncis, ſiliquis longiſſimis ſemine alato, Plum. Fig.* 94. *Clematis myrſinites amplioribus foliis Amer. tetraphyllos, D. Pluk. Tab.* 163. 2.
    3. *Americanum capreolatum tetraphyllum, tubuloſo flore, foliis longioribus, Nobis. Clematis Amer. Digitalis flore tetraphyllos, P. B. P. Clematis tetraphylla Americana, Zan. Fig.* 28. *Bocc. Tab.* 15. *Dodart. Mem. Clematis ſiliquoſa Lathyroides Limonii odore claviculata flore Digitalis, inteſtini coloris, D. Pluk. Alm. Bignonia Americana capreolis donata, ſiliqua breviori, Tourn. El. Bot.*
  - 4. *Siliquis compreſſis Virginianum, D. Baniſt.* Ad aquas naſcitur; arbores ſcandit: ſemina fuſca ſunt alata, unciam longa.
  - 5. *Laurifolium Virginianum. Forte Tecomaxochtl. Recchi*, 408. *Caudicem habet gracilem, & ſarmentoſum, flores tubuloſos, ſiliquas longas compreſſas, ſemina compreſſa fuſca ampliora, D. Baniſt.*
  - 6. *Folliculis maximis obtuſis, ſeminibus ampliſſimis albis membranaceis.* Ejus ſiliqua in Muſæo Courteniano obſervata, dodrantem longa eſt, ovalis fere figura, ſeminibus duas uncias longis, ſatiſque latis referta. Huc ſpectat, *Palega-pajanelli, Hort. Mal. T. Fig.* 77. quod arboreſcit, & *folia* profert Phaſeoli in modum trifoliata, nunc pentaphyllea: *flores* tubuloſos ex albicanti colore ſubflavos, odore fætido: *ſemina* lato-rotunda & valde plana, ac lata membrana pellucida albicante circumcincta: *fructum* forma velut Machæræ, tres ſpithamas longa, lata unum palmum, incluſum.
- *erectum*
  - 7. *Barbadienſe, Lignum album Barbadienſe dictum. Siliquæ ſunt tenues, dodrantem longæ, ſeminibus membranulis albis alatis, refertæ.*
  - 8. *Jamaicenſe ſeminibus minoribus alatis albis, J. Harlow.*
  - 9. *Arboreſcens non lanigerum lacte dulci prægnans, obtuſis integris foliis Zeylanicum. Kirindi-walli, Hermanni.*
  - 10. *Indicum latifolium flore rubeſcente, interius candido, ſiliquis oblongis anguſtis, venis in longitudine ſtriatis, Kametti-valli, Hort. Mal. Part.* 9. 23.
  - 11. *Virginianum alternis Aſclepiadis foliis, flo. pallide cæruleo, radice craſſa, D. Pluk. Tab.* 115. 3. *Forte Moyotliayacatli, Recchi* 388.

non compreſſo

- 12. *Scandens anguſto Roriſmarini folio, ſemine oblongo rubente, Henojo ab incolis nominatum. Ex Inſulis Fortunatis accepimus. Succus ei limpidus, D. Pluk. Tab.* 261. 2. *Nondum floruit apud nos.*
- 13. *Indicum myrtifolium flo. parvis tetrapetalis, purpuro-rubris, ſeminibus oblongis in ora exteriore cuſpidibus crenatis, Par. param, H. Mal. Part.* 9. *p.* 29.
- 14. *Cylindraceo articulatim conjuncto, non pappoſo, D. Baniſt.*

PLAN-

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXI.

Clematis daphnoides *ſive* Vinca pervinca.

Clematis à Sarmentis ſeu flagellis ſuis lentis viridibus, quibus vicina ſcandit & amplectitur, dicitur; κλῆμα κλήμαλος enim ſarmentum ſignificat, *δαφνοειδὶς* à *foliis* rigidiuſculis laurinis, perpetuo fronde virentibus, (ad diſtinctionem ab aliis *Clematidibus* conſtituendam) appellatur. *Vinca pervinca*, à vinciendo & pervinciendo nominatur, eo quod alias herbas vinciat, eorumque locum occupet.

Adverſus morbos, quibus ſiſtendi ac adſtringendi vis petitur, adhibetur; ut in hæmorrhoidibus, hæmorrhagiis, dyſenteriis &c. ſpaſmumque mire ſubigit.

A *cauliculis* lentis, *ſarmentoſis*, viridibus; *foliis* laurinis; *floribus* pentapetaloidibus amplis, quibus binæ *ſiliquæ corniculave, ſemina* longa continentia, ſuccedunt, facile dignoſcitur.

Clematis Daphnoides

1. *Major, C. B. P. Dod. Cam. Latifolia, Cluſ. Hiſt. Clematis Daphnoides major flore cæruleo & albo, J. B.* 132. *Clematis ſive pervinca major, Lob. Obſ.* 560. *Pervinca major, Eyſt. Clematis daphnoides latifolia ſive Pervinca major, Park.* 318. *Ger.* 894. Vide icon. tab. æn. 2.
2. *Minor, C. B. P. Ger. Lob. Obſ.* 560. *Vinca pervinca, Lon. Lugd. Clematis prima, Matth.* 680. *Provinca vulgo, Cæſ. Clematis daphnoides minor, J. B. Tom.* 2. *p.* 130. *Eyſt. Vinca pervinca vulgaris, Park.* 381. *Ger.* 894.

Variat floris colore, albus enim eſt, cæruleus, purpureus, violaceus, ſimplex, & flore altero alteri innato, & interdum pleno, nonnunquam etiam mixtus & variegatus eſt.

Elegantem etiam varietatem Groningiæ primum vidi, *foliis anguſtioribus, ex albo & viridi eleganter variegatis.*

Ac ex Horto cultiſſimo D. D. Uvedale *habemus acceptam,* foliis rotundioribus, *alteram* varietatem foliis argenteo, *alteramque* foliis ex auro variegatis.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXII.

Volubilis *Americana capreolata, Plantagineis foliis, ſiliquis longis Moſchum olentibus, Nobis. Tlilxochitl ſeu Flos niger, Aracus aromaticus Recchi,* 38. *Vaynillas Hiſpanis à vaginarum ſimilitudine, Piſ. Mantiſſ. Aromat. Lathyri Mexicani ſpecies, Amman. Vanilias Piperis arbori Jamaicenſis innaſcens, D. Pluk. Tab.* 320. 4. *Lobus aromaticus ſubfuſcus Terebinthi corniculis ſimilis, C. B. P. Lobus oblongus aromaticus, Cluſ. Exot. Siliqua Thymiamatis odore, & Lobus longus aromaticus odore Belzivini J. Bauh.*

Capreolis ſcandit hæc herba, qui adverſus exortum *folii* ſingularis plantaginei, undecim uncias longi, ſex lati, carnoſi, ad genicula enaſcuntur; ac una cum folio, etiam binæ *ſiliquæ* ſex uncias longæ, anguſtæ, pene teretes, unctuoſæ, *Moſchum* aut Balſamum genuinum redolentes, dependent. Calidis humentibuſque regionibus Indiæ Occidentalis, provenit. Arbores amplectitur, & prædictas ſiliquas verno tempore profert.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXIII.

Hyſſopifolia *ſive Gratiola minor, C. B. Prod.* 108. *Hyßopifolia, C. B. P. Hyßopifolia aquatica, J. B.* 792. *Gratiola anguſtifolia Ger.* 581. *Gratiola anguſtifolia ſive minor, Park.* 220. *Graß Poley, Cordi.* Planta eſt dodrantalis, erecta, *foliis Hyſſopi* pene æmula, (unde nomen) *floribus* parvis pentapetaloidibus, rubentibus; *vaſculis* turbinatis, minuta *ſemina* ſubnigra continentibus, donata, annua.

In aquoſis & ad vias, ubi per hyemem aquæ ſtagnarunt, fictili præſertim ſolo, provenit.

Hyſſopifolia *minor, vel potius Thymifolia maritima, J. B. Tom.* 3. 792. *C. B. Prod. Gratiola minima, Bot. Monſp.* Simplici lignoſa contorta *radicula* nititur, *caulem* tollens palmarem, alias dodrante altiorem, in ramos diductum, quibus crebra *folia Camphoratæ* ſimilia, ſurſum vergentia inſident; ex quorum ſingulorum ſinu, ab imo ad ſummum uſque criſtatæ *ſiliquæ* perexiguæ rubentes, *Hyſſopifoliæ* majores, *ſemine* refertæ minuto, ex albo flaveſcente: *flos* eo præcedentis minor, qui vix facile diſcerni poſſit.

In vineis maritimis & ad vinearum margines prope *Gramontium* in agro *Monſpelienſi* ſponte provenit, & *J. B.* & *D. Magnol.* annotantibus.

Hyſſopoides *Montana flore pentapetaloide, Violæ purpureæ colore & odore, Agerati foliis, Nobis. Ageratum purpureum,*

purpureum, Dal. J. B. 144. *Park.* 79. *Ageratum ſerratum Alpinum, C. B. P. Lyſimachiæ purpureæ affinis Agerati foliis glabris, D. Pluk. Alm. Moſchatella cærulea, Cordi.* Radice eſt brevi capillata, ſubflava: *foliis* parvis numeroſis circa radicem ſparſis, *Agerato* ſimilibus, guſtu ſubamaris, antrorſum ſubobtuſis: ob quam ſimilitudinem, quidam nec *flores* nec *capſulas* ſeminales obſervantes, *Ageratum* vocant. *Cauliculis* eſt plurimis per ſaxi crepedines pendulis, ſaxumque aulæorum inſtar ornantibus & contegentibus: *flore Viola*, purpureo, copioſiſſimo, ſuaviſſime olente: *ſemine* minuto, in oblongis vaſculis. *J. B.*

In montibus *Saleve* & *Thuiri, Genevæ* vicinis ſponte naſcens reperitur. In *Helvetia* etiam provenit. *Julio* menſe *flores* odoratiſſimos profert.

Lyſimachiæ purpureæ affinis, *Agerati foliis villoſis, D. Pluk. Alm. Ageratum ſerratum Pyrenaicum hirſutum, Schol. Bot. Par.*

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXIV.

Camphorata.

CAmphorata ab odore acuto & medicato dicitur: nam herba digitis fricata odorem Camphoræ ſimilem ſpirat.

Camphorata *hirſuta, C. B. P. Camphorata Monſpelienſium, J. B. Tom.* 3. 379. *Adv. Lob. Cam. Tab. Park.* 568. *Chamæpeuce, Anguill. Selagi Plinii ſive Camphorata, Lugd.* *Radicem* habet pollicaris fere craſſitudinis, multorum capitum, *caules* emittentem lignoſos, craſſiuſculos, cubitales aut breviores, ramoſos, ſubhirſutos, albicantes, per quos viſuntur nodi alternatim poſiti; è quorum ſingulis confertiſſima prodeunt *foliola*, trientem unciæ longitudine non excedentia, tenuia, piloſa, mediocriter rigida, odore aromatico, ſapore aliquantulum acri, *J. B.*

Auguſto & Septembri menſibus florens herbaceum producit *vaſculum*, ex quo quatuor parva ſtamina prodeunt, quorum quodlibet apicem rubrum, vel potius roſeum in medio ſulcatum ſuſtinet: ſuccedit flori *ſemen* nigrum oblongum fere ut in *Iva Moſchata Magnol.* In ſqualidis & arenoſis locis viæ *Frontignani* & circa *Perauls* ſponte naſcitur.

2. Camphorata *glabra, C. B. P. Chamæpeuce & Camphorata minor, Lugd. Park.* Præcedenti ſimilis eſt, hirſutie excepta.

3. Camphorata *altera magis hirſuta, Breyn. faſcic.* *Forte Camphoratæ hirſutæ ſimilis fruticulus Æthiopicus foliolis ex uno punctu confertiſſimis, flore confertiſſimis, flore parvo tubuloſo niveo pentapetaloide, D. Pluk. Alm. Tab.* 273. 2.

4. Camphoratæ *congener, C. B. P. Anthyllis altera Italorum, Lob. Lugd. Camphoratæ congener, ſive Anthyllis altera Italorum, Park.* 568. *Ger.* 623. *Camphorata altera, Tab.* Æſtate media, imo & autumno, in ſatorum marginibus ſparſim provenit, *Magnol.* *Cauliculos* edit nunc erectos, nunc procumbentes: *folia* creberrima ſunt, alterno ſitu, anguſtiſſima, acuta, in ramulis minoribus (qui in caule numeroſiſſimi ex alis foliorum egrediuntur) adeo conferta, ut totum fere contegant.

5. Camphoratæ *ſimilis longius radicata, Breyn. faſcic. An Camphoratæ effigie Planta Africana, D. Pluk. Tab.* 273. 1? Humilis hæc planta, *cauliculis* hirſutie pubeſcentibus prædita, *folia* iis præcedentium aliquantum latiora proferre videtur.

6. Camphoratæ *congener ſive Anthyllis altera Æthiopica, ſummis virgulis tomentoſa, D. Pluk. Alm. Tab.* 273. *An Corios folio Africana, Breyn. faſcic?* In Promontorio Bonæ ſpei collegit Ornatiſſimus Vir, & Chirurgus peritiſſimus *D. Alex. Brown*, qui libere communicavit. Fruticoſior apparet planta, *floribus* in *capitulis* magis congeſtis, quam in aliis, qui ex alis foliorum præſertim naſcuntur.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXV.

PAronychiæ facie *Planta tetrapetaloides Virginiana flore cæruleo.* Palmarem hanc plantam è *Virginia*, à *D. Jo. Baniſter* tranſmiſſam habemus, quæ à *radice* tenui, *folia* profert exigua, oblonga, è latitudine mucronata, iis *Paronychiæ vulgaris* non diſparia, & ad eundem modum humi in orbem ſtrata: inter quæ *caules* eriguntur graciles, glabri, qui ad binarum unciarum altitudinem geniculum efformant, & foliolis duobus tribuſve ornati ſunt, ubi *cauliculi* in duos & interdum tres tenuiores erectos, pollicem unum aut alterum longos, ſe dividunt: quorum ſingulorum ſummitatibus *flos* unicus, longus, tenuis, tubuloſus, ore apertus, & in quatuor partes profunde diviſus & expanſus, coloris cærulei, inſidet.

PLAN-

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXV.

Cuſcuta.

ALia Planta huic conſimilis nondum comperta eſt: è *ſemine* enim nigricante, *Portulacæ* pari, cauliculis filamentoſis tenuibus lævibus aſſurgit *Cuſcuta, foliis* omnino deſtituta: hiſce *cauliculis*, ut plurimum rubeſcentibus, Plantas vicinas, cujuſcunque generis, circumvolvit, & *radiculis* ſuis exiguis è flagellis filamentiſve denticulorum ad inſtar enaſcentibus, earundem corticem penetrat & iis adhæreſcit; *radicemque* propriam primam terræ commiſſam, negligens & expugnans, amittit; & ex aliarum corticibus nutrimentum poſcit & exugit, alieniſque ſumptibus victitat. *Flores* ex filamentis per intervalla naſcentes glomerulis ac nodis adhærent monopetali, albeſcentes, in quatuor, interdum quinque partes diviſi, & *ſemina* nigricantia, *Portulacæ* ſimilia, pericarpiis ſubrotundis contenta, ſuccedunt; quibus in arvis decidentibus, nimio incremento, quotannis renovatur, hæc planta agricolis incommoda.

Cuſcuta

1. *Park.* 10. *Matth.* 879. *Cluſ. Caſſuta ſive Cuſcuta, J. B.* 266. *Cuſcuta major, C. B. P. Caſſytha, G. ſn. Caſſutha, Fuchſ. Turn. Dod. Dal. Lugd.* 1683. *Epithymum ſive Cuſcuta minor, C. B. P.* A vulgari non ſpecifice differre putatur; ſed ob defectum nutrimenti ex Plantis ficcioribus, tantam non amplitudinem quantam ea quæ Viciis Fabis &c. innaſcitur acquirit.
2. *Syriaca maxima.* Hæc è ſeminibus ſubrotundis, ex una parte ut plurimum compreſſis pallidis, Raphani minoribus, ex *Aleppo* receptis orta eſt; cujus viticuli glabri, per longa intervalla nodoſi, perticæ proceræ applicati, *Lupuli* craſſitie, ac modo eandem circumvolvebant, & ab ejuſdem ſummitate ad terram uſque revoluti erant, & longitudinem 8. ulnarum attingebant. Hyeme nimis feſtinante flores non perfecit ſed periit.
3. *Ramis arborum innaſcens Caroliniana, filamentis lanugine tectis, Muſ. Courteen, D. Pluk. Tab. 26. 5. Forte Camambaya Braſilienſis, Marcgrav.*
4. *Lendigineſa tenuiſſimis cirrhis, è terra Mariana, D. Pluk. Tab. 26. 6. Cuſcuta Amer. ſuper arbores ſe diffundens, Raii.*
5. *Baccifera Barbadienſium à maritimis, D. Pluk. Tab. 172. 2. Forte Acatsja-valli, Hort. Mal. Part. 7. Tab.* 44.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXVI.

Reſeda.

RESEDA à reſedandis doloribus dicta cenſetur: collectiones namque & inflammationes omnes diſcutere *Reſedam* ſcribit *Plinius*.

Reſeda foliis ſuis ceranoidibus, *Erucam Naſturtiumve*, primo intuitu quodammodo refert: *flores* vero ſpicatim naſcentes, ex ſex anguſtis petalis radiatim diſpoſitis, cum ſtaminulis, ac in medio triplici ſtylo eminente, conſtant. *Vaſculum ſeminale* oblongum membranaceum, anguloſum, ſubviride, urceoli effigie, ore ſemper aperto, donatum eſt; ac in ejuſdem cavitate *ſemina* parva ſubnigra continentur.

Reſeda

minor

1. *Lutea, J. B.* 467. *Reſeda vulgaris, C. B. P. & Naſturtium ſylveſtre Erucæ affine. Ejuſdem. Eruca Naſturtio cognata tenuifolia, Lob. Reſeda minor ſive vulgaris, Park.* 823. *Reſeda Plinii, Ger.* 277. *Eyſt.* 382. *Erucago Apula trifida & quinquifida, Col.* 269. *Reſeda lutea, Dal. Lugd.* 1199.
2. *Criſpa Gallica, Bocc. Tab.* 41. *Reſeda Maſſilienſis foliis latioribus criſpis, D. Pluk. Tab. 55. 4.*
3. *Humilis Monſpeliaca foliis inferioribus integris, Nobis. Phyteuma, J. B. Tom. 3. pag.* 386. *Reſedæ affinis Phyteuma, C. B. P. & Prod.* 42. *Reſeda affinis Phyteuma Monſpelienſium dicta, Park.* 823. *Phyteuma Monſpelienſium, Adv. Lob.*

major

4. *Latifolia flore luteo, Hort. Reg. Bleſ. Reſeda maxima, Lob. Obſ.* 110. *Ger.* 277. *Forte Reſeda latifolia minor Alpina flore albo flaveſcente, D. Pluk. Tab.* 219.
5. *Alba, J. B. Reſeda foliis Calcitrapæ flore albo, H. R. P. Reſeda candida, Dal. Lugd.* 1199.

Ad *Reſedæ* familiam fortaſſe *Lutea maxima Cretica fœcunda & ſterilis, Park. Luteola herba folio cannabino, & Luteola herba ſterilis, C. B. P. Lutea maxima Cretica*, Hon. Belli, J. B. 466. *Cannabis lutea fertilis & ſterilis*, Contareni; (*De quibus cum* Cannabe, *præcedenti volumine, p.* 433. *ſermo eſt*) *potiori jure, ſeminibus perpenſis, una cum ſuis conſortibus revocentur.* Folia plantarum præcedentium *Cannabina* in eum errorem quoſdam induxerunt Auctores, ut eas *Cannabis* nomine inſignire minime dubitaverint.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXVII.

Luteola.

LUteola *herba Salicis folio*, C. B. P. *Lutea quibusdam Plinii*, J. B. 265. *Luteola*, Lob. Obs. 190. Ger. 494. *Lutum herba*, Dod. *Lutea vulgaris*, Park. 603. *Herba lutea*, Dal. Lugd. 501. Et *Pseudo-struthium*, Matth. Ejusd. 1812. A luteo colore quo pannos tingit dicitur. *Folia* recta, longa, viridia, angusta, crispata ut plurimum sunt; *Flores* longis spicis nascuntur, è luteo colore subviridi tincti, staminulosi: *calyx* durus, viridis, ternatim divisus, invertitur, & *semina* subfusca exigua intus conduntur.

Ad lanas tingendas, infectoribus utilis est, pannos enim rudes & albos, cum alumine hæc herba decocta, luteo colore tingit; cæruleos autem viridi, idque magis minusve intenso, quo saturatior, dilutiorve fuerit color cæruleus.

SECTIONIS DECIMÆQUINTÆ PLANTARUM ANOMALARUM

Distributio sexta.

De Plantis terrestribus incerti generis.

Clematis herbacea, Anisum stellatum, Ribes verum Arabum, & Amomum.

CAPUT XXVIII.

CLematidis appellatio Plantis variis scandentibus, & lignosis & herbaceis, tributa est: Herbaceæ hoc loco solum memorandæ veniunt; quæ ut plurimum tetrapetalæ sunt calyceque carentes; *saporis* fervidissimi, *seminibus* plurimis, capreolo comoso coronatis: quibus conditionibus conveniunt aliæ quædam *Clematides* sarmentis lignosis præditæ, quæ ea de causa inter *Suffrutices* potiori jure recensendæ sunt.

1. *Sive Flammula Jovis surrecta alba*, J. B. 127. *Flammula erecta*, C. B. P. *Flammula*, Matth. 680. Lugd. 1171. Clus. Pan. & Hist. *Flammula Jovis surrecta*, Park. 382. Ger. 888. *Flammula altera surrectior*, Lob. Obs. 345.
2. *Maritima*, C. B. P. *Quæ* 1. *in Prod. Clematis Anguill.*
3. *Alpina Geranii folio*, C. B. P. *Quæ* 2. *in Prod. Clematis cruciata Alpina*, Pena, D. Pluk. Tab. 84. 7.
4. *Cærulea erecta*, C. B. P. *Cærulea Pannonica secunda*, Clus. Pan. & Hist. *Clematis Pannonica flore cæruleo surrecta*, J. B. 129. *Pannonica*, Clus. major, Park. 38. *Clematis major Pannonica*, Ger. 889.
5. *Minor Pannonica*, Park. 382. Ger. 889. *Clematis altera minor longifolia*, Lob. Obs. 345. Dal. Lugd. 1434.

   Floribus donantur cæruleis, rarius albis.
6. *Peruviana*, C. B. P. *Clematitis novum genus Cucumeris foliis Virginiana*, D. Pluk. Tab. 163. 3. Ad modum *Dulcamaræ* viticulis suis scandit; *folia* in mucronem desinentia, pene triangularia, ambitu dentata, *Convolvulum Althææ folio* C. B. quodammodo referunt; *Flores* umbellatim & corymbatim summitatibus nascuntur, parvi, staminulosi, D. Banist.
7. *Mexicana urens Solani foliis, Chilmachatl sive Yaba*, Recchi, 140. *Mexicana Ocimi foliis dentatis angulosis, floribus pilosis in pappos ex albo purpurascentes abeuntibus, Cocotemecati*, Recchi, 141.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXIX.

ANisum *Philippinarum Insularum sive Novi orbis*, Clus. Hist. *Zingi fructus stellatus sive Anisum Indicum*, J. B. Tom. 1. 485. *Anisum peregrinum*, C. B. P. *Anisum Exoticum Philippinarum Insularum*, Park. 1569. *Anisum Indicum stellatum*, Ger. De cujus *foliis* & *floribus* nihil dicitur; *fructus* vero & *semina* summis cauliculis umbellatim dispositi sunt; & singulæ umbellulæ vice, *semina* seu *siliquæ* stellatim, ex septem vel

vel octo radiis, unciam diametrice latæ, compositæ nascuntur; ac unaquaque siliqua sive radius, quasi triangularis, tumidus, crassiusculus, durus, & fuscus, fragrantis *Anisi sapore & odore*, gradu tamen magis intenso, est præditus, frequenter siliquæ vacuæ sunt & inanes; quibusdam tamen *semen* unicum læve, splendens, cineracei coloris, grano triticeo simile deprehenditur.

Hujus *semina* cum *siliquis*, nuperis annis, ob usus insignes, in *Angliam* à Mercatoribus copiosè importata sunt: *Cholicos* enim dolores mire adversantur, flatum discutiunt, frigus pellunt & urinam evocant: brevi, ventriculum ob frigus imbecillem afflictum & cruciatum, optime confirmat, corpusque reficit.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXX.

Ribes *verum Arabum*, *J. B. Tom.* 2. *p.* 99. In Herbario vivo collectaneisve Doctissimi *D. Rawolfii*, inter Plantas è monte *Libani* collectas, numero 170. observata est hæc Planta; quæ à *radice* longa, crassa, carnosa, duo emittuntur *folia* iis *Rhabarbari veri* prorsus similia conspiciuntur, nisi quod superficie aspera prædita sint. Quoad flores & semina nihil adhuc memoratum est.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXXI.

Amomum.

De *Amomo herbaceo* loquimur. Apud Avicennam, *Amomum* Arabibus *Hamama*, nihil aliud est quam pes columbinus. Planta enim hæc humilis ex pluribus brevibus ramusculis, *foliolis* multis imbricatim dispositis, cum *floseulis* parvis stellatis in summitatibus nascentibus, constat; cujus portiones superius partitæ, molles, ac ad radicem conjunctæ, pedem columbinum hirsutum quodammodo referunt. *David Antiochenus* insignis medicus dicit quod *Amomum* sive *Hamama* est planta lignea, complicata, sicut *Botrys*, fulvescens, aureola, acris, acuta, boni rutacei odoris, ab una radice ramificata, fractu dura, bene aromatica, quæ nascitur in *Armenia* & *Cilicia*. Ea quæ est in *Syria* est viridis, & tenuis, estque varietas ad flavedinem inclinans cito fragilis. Utræque hæ species parvæ sunt.

Nascitur in *Nisan*, & *flos* rubescit ut *flos viola*. Plura lege in *Itinere mundi D. Hyde*, *p.* 102. 103. & *Garz. tap.* 30.

Amomum, Del. Lugd. 1814. *Amomum spurium foliosum, C. B. P. Amomum verum quorundam, J. B.* 208. *Amomum vel Amomus, Matth.* 53. *Amomum quorundam, Clus. Aromat. Hist.* 199.

SECTIONIS XV.

PLANTARUM ANOMALARUM

Distributio septima.

De Plantis aquaticis incerti generis.

Sagittaria, Plantago aquatica, Stratiotes, Tribulus aquaticus, Umbilicus aquaticus Chinensis, Lens palustris, Ros solis, & Equisetum.

CAPUT XXXII.

Sagittaria.

Perspicuum est plantæ hujus Etymon: à *folio* enim tricuspidatis, in unum mucronem cuspidemve superne, ac in duas deorsum desinentibus, & sagittam referentibus, *Sagitta* & *Sagittaria* appellatur. In aquis nascitur: *flores* albi emicant tripetali: *semina* nuda, compressa pilis rotundis, spinulis innoxiis armatis, conglomerata sunt.

Sagittaria
- *Europæa*
  - *major*
    1. *Aquatica, C. B. P. Sagitta major, J. B.* 790. *Matth. Dod. Tab. Sagittaria major, Ger.* 416. *Sagittaria major latifolia, Park.* 1247. *Phleos mas latifolia, Sagitta major, Dal. Lugd.* 1016. Folia aquis profundioribus innatantia recta ſunt, auriculis, deſtituta, ac nunc una, nunc binis auriculis, cuſpide in longitudinem pedalem & ſeſquipedalem exporrecta, donata.
  - *minor*
    2. *Latifolia, C. B. P. Sagitta, J. B.* 789. *Sagitta minor, Matth. Ger.* 417. *Dal. Lugd.* 1016. *Dod. Tab. Adv. Lob. Sagittaria minor latifolia, Park.* 1247. *Ab hoc Gramen bulboſum aquaticum, C. B. Prod. p.* 4. *non abludit,* plantis enim tenere naſcentibus, antequam ad aquæ ſuperficiem aſſurgunt, tubercula à radicibus pendentia frequenter conſpiciuntur.
    3. *Aquatica anguſtifolia, C. B. P. Tab. Sagitta minor anguſtifolia, J. B.* 790. *Park. Phleos mas ſive Stæbe Theophraſti anguſtifolia, Dal. Lugd.* 1016. Hæ tres jam memoratæ vix ſpecifice differre videntur.
    4. *Aquatica omnium minima anguſtifolia, D. Pluk. Raii Synopſ.* Prope Palatium Archiepiſc. Cantuarienſ. ad Thameſin apud Lambetham copioſe provenit.
- *Exotica*
  5. *Major folio obtuſo floribus minoribus albicantibus. Culitamara, Hort. Mal. Part.* 11. *Tab.* 45. *Sagittariæ foliis planta conglomerato fructu monopyreno Coriandri fere figura, D. Pluk. Tab.* 220.
  6. *Virginiana obtuſiore lato folio, floribus minoribus albis.* Vid. icon. tab. æn. 4.

7. *Sagittaria quodammodo ſimilis planta Madraſpatana floribus medio caule quaſi ex utriculo prorumpentibus, D. Pluk. Phyt. Tab.* 220. 8. Vid. icon. tab. æn. 4.

8. *Sagittaria ſimilis planta paluſtris Virginiana, ſpica florum cærulea D. Baniſter.* Vid. icon. tab. æn. 4.

9. *Sagittariæ affinis Malabarenſis latiſſimo folio, floribus ex albo trifoliatis, Commelin. Ottel-ambel, Hort. Mal. Part.* 11. *Tab.* 46.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXXIII.

Plantago aquatica.

Plantago aquatica
1. *Major, Ger.* 417. *Park.* 1245. *Plantago aquatica latifolia, C. B. P. Plantago aquatica, J. B. Tom.* 3. 787. *In aquis & ad aquarum margines paſſim provenit. Folia* palmaria ſunt Plantaginea (unde nomen:) *Caulis* ramoſus in comam diffuſus: *Flores* parvi tripetali præcedunt *ſemina* compreſſa, *Milio* vix majora.
2. *Minor, Park.* 1245. *Aquatica humilis, Ger.* 417. *Aquatica anguſtifolia, P. B. P. Aquat. humilis, anguſtifolia, J. B. Tom.* 3. 788. In foſſis aquoſis & paludoſis locis putridis, ſed non admodum frequens invenitur hæc planta dodrantalis: *Flores* parvi tripetali, pallide carnei: *ſemina Ranunculi* in modum, capitulis rotundis glomerati ſunt.
3. *Minor ſtellata, Ger. Emac.* 417. *Plantago aquatica minor muricata, Park.* 1245. *Damoſonium ſtellatum, Dal. J. B. Flores* tripetali ſunt, caduci, ex albido colore ſubcarnei, iis congenerum ampliores; quibus defluentibus, *vaſcula* ſtellata, ex ſex ut plurimum radiis, ſtimuli calcaris ad inſtar conſtructa ſuccedunt: ac in ſingulo radiolo, *ſemen* parvum oblongum, unum aut alterum incluſum eſt. Foſſis paludoſis, inque ſtagnantibus aquis, ſed rarius; v. g. ericetorum aquis inter *Hounſloe & Colebrook, Middleſexiæ Oppida*, ſponte naſcens, & ſatis copioſe reperitur.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXXIV.

Stratiotes.

STratiotes *ſive Militaris aizoides, Park.* 1249. *Aloe paluſtris Stratiotes, C. B. P. Aloe ſive Aizoon paluſtre, J. B. Tom.* 3. 786. *Militaris Aizoides, Ger.* 825. Hæc Planta ex *foliis* ſuis longis, rectis, carnoſis, ad margines dentatis; *floribus* tripetalis albis; *ſeminibus* flavis, locoque nativo, nimirum ſtagnantibus aquis; à cunctis facile dignoſcitur.

Stratiotes *Ægyptiaca, J. B. Tom.* 3. 787. *Stratiotes aquatica vera, Park.* 1249. *Lenticula paluſtris* 6. *ſive Ægyptiaca, vel etiam Stratiotes aquatica foliis Sedo majore latioribus, C. B. P. Heybalem elmaora, quaſi dicas aqueſum Sedum. Stratiotes Dioſcoridis Alpin. de Plant. Ægypt.* 42. Vid. icon. tab. æn. 4.

Foſſis *Ægyptiacis* provenit, & ſuper aquas ſine caule natat, atque pro *radicibus* fibras aquis dependentes habet. *Folia* tantum profert, quorum exteriora binas uncias longa ſunt, & alia gradatim breviora, *Sedi majoris* aut *Roſæ* in modum expanſa; *Cynogloſſi* lanugine & albedine, præſertim inferiori parte, obſita; quæ mucronata ut plurimum icones exhibent. E *Madraſpatana* vero, beneficio *D. Gyfford* exemplar nobis eſt, quod *folia* obtuſa & in rotunditatem formata, per extrema, exhibet, qualia icon apud *Park. pag.* 1249. bene exprimit.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXXV.

Lens paluſtris.

Lens & *Lenticula* à foliorum circinatorum medioque tumidorum forma, nomen habet. *Hydrophaos* etiam quibuſdam appellatur, quia aquis vivat: aquarum enim ſuperficiem, locis ſtagnantibus & foſſis non fluentibus, viridi colore totam obtegit. *Folia* (ſi ita dicam) parva ſunt rotunda, & ſibi invicem contigua adhæreſcunt; unde fibrillæ capillares aquis dependentes nutrimentum hauriunt; ac in autumno prona pars punctulis ex fuſco viridibus tumentibus obtegitur, quæ veſiculæ eſſe, quibus continentur ſemina, creduntur.

Refrigerantis temperiei eſt, & adverſus *Podagræ* dolores, ac ad inflammationes ſedandas adhibetur. In *M. S. D. D. Bates* ſecretum nuper invenitur, ad icterum curandum per infuſionem *Lentis paluſtris* in vino albo, per novem dies mane præbendo.

1. Lens paluſtris *vulgaris, C. B. P. J. B.* 786. *Lens paluſtris, Ger.* 829. *Trag. Tab. Lens paluſtris ſive aquatica vulgaris, Park.* 1262.

2. Lenticulam *paluſtrem majorem, Batavi in Catalogis ediderunt.*

3. Lenticula *aquatica triſulca, C. B. P. J. B.* 786. *Hederula aquatica, Ger. Paluſtris, Tab. Ranunculus hederaceus aquaticus, Park.* 1216. Hæc non ſolum aquæ ſuperficiem occupat, ſed ipſa aqua immerſa & fluitans reperitur. *Folia* in tres angulos acutos diviſa ſunt, unde filamenta foliacea, ad alia folia connectenda ramificantur.

4. Lenticula *paluſtris latifolia punctata, C. B. P. & Prod.* 158. *Park.* 1263. *Lens paluſtris Patavina, J. B.* 785. *Foliis* eſt copioſis ſubrotundis, eleganter virentibus, conjugatim in ramulis digeſtis, ſuperne punctis minutiſſimis notatis: his inferne lenticulæ aliquando ſingulæ, aliquando ternæ & quaternæ, filamentis aquis innatantibus adhærent. In foſſis *Patavinis*, ac in *Sileſia*, aliiſque locis naſcens obſervatur.

5. Lens *paluſtris quadrifolia, J. B.* 785. *Park.* 1262. *Lenticula paluſtris quadrifolia, C. B. P. Lens paluſtris altera, Matth. Lenticula paluſtris* 2. *Tab. Lemma Theophraſti, Lugd.* Plantam hanc è *Madraſpatana* collectam habemus: inque *Alſatia* aliiſque regionibus ſponte naſci dicitur. In aquarum ſtagnantium fundo *radix* oblique repit, unde fibræ in limum demittuntur, ex qua pediculi nudi aſſurgunt ſingulares, dodrantales, & altiores, ſecundum aquæ profunditatem, quorum ſingulorum extremis adhærent, aquæ ſuperficie innatantia, quaterna *folia* triquetra, per extremum lata, angulis acutioribus ad pediculum coeuntibus, circa vero pediculorum exortum, numeroſa, ſemiuncialibus pediculis nixa cohærent *grana* nigra dura, *Lentibus* majoribus paria. *Flores* non memorantur. *V. icon. tab. æn.* 4.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXXVI.

Tribulus aquaticus.

Tribulus τρίβολος qu. τρίβιλος ex τρὶς & βίλος, quod tres cuſpides aut plures *fructus* habeat; & hinc inſtrumentum ferreum, huic pene conforme, in bello uſitatum, è quatuor ſpicis compoſitum, quod manu emiſſum, unum ſemper habet aculeum erectum, ad equorum hoſtium pedes nocendos aptum, *Tribulus* etiam nominatur.

1. Tribulus *aquaticus major, Park.* 1248. *Tribulus aquaticus, C. B. P. J. B.* 775. *Ger.* 824. *Tribulus aquaticus, Dod.* 581. Lutoſis lacubus & ſtagnantibus aquis gignitur, in *Italia, Germania &c. Folia* pediculis propriis inſidentia, ſuræ humanæ in modum, medio tumentibus, & fungoſis, è quadrangulari forma ſubrotunda, duos pollices lata, ſuperiore parte dentata, ac pediculum verſus plana, è *radice* comata, limo hærente oriuntur. *Flores* parvi albi; *Fructus* ſpinulis craſſis armati, ex fuſco nigricantes, *Caſtaneis* ſimiles, duriuſculi, pulpaque nucleove non diſſimiles donantur, qui edules, foris vehales proſtant.

2. Tribulus *aquaticus major Indicus caulibus genitulatis, foliis amplis numeroſis in roſæ figuram congregatis. Ponover Tsjeruva, Hort. Mal. Part.* 11. *Tab.* 33.

PLAN-

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXXVII.

UMbilicus *aquaticus maximus Chinenſis*. Planta hæc rariſſima *Chinenſis* eſt, cujus *radix boa*, i. e. τῆς *Ho*, *Flos*; 4 aut 5. pedes longa & valde craſſa, edilis eſt. Planta autem naſcitur in media aqua, ſupra quam ſurgit duos aut tres pedes alta, cum foliis quatuor pedes latis, *flore* uno pede per diametrum, optime ad integrum milliare redolente donata, coloris ſubrubri, aliiſque albi, & rariſſime flavi. *Fructum* edit viridem ſquamoſum 4 aut 5. unciarum diametrum habentem, quo includuntur 30 aut 40. globuli ediles, optimi ſaporis, magnitudine *Juglandium*.

Hanc plantam hiſce verbis exhibuit *D. D. Hyde Protobibliothecarius Bodleianus*, & figura ejuſdem in *Horto Chinenſi* exprimitur. Plura *Atlas Chinenſis* memoravit. *V. icon. tab. æn.* 4.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXXVIII.

Ros ſolis.

ROs ſolis Recentiorum quibuſdam δρόσιον, quod quamvis diu ſol fervidus æſtate eam illuſtret, tamen folia ſemper rore & humiditate madent, dicitur.

In paludibus putridis inter Muſcum *naſcens reperitur.*

1. Ros ſolis *folio ſubrotundo, C. B. P. J. B. 761. Ger. 1556. Park.* 1052. *Rorella ſive Ros ſolis*, *Eyſt. Roſa ſolis vulgo. Folia* Parva, rotunda, rubeſcentia, cava ſunt, quorum *pediculi* à radice ſtrata, radiatim provenientes, manubriola cochlearium quodammodo referunt: è qua cavitate pili rubeſcentes exeunt, tubuloſi, è quibus guttulæ viſcidæ cujuſdam materiæ lucidæ, tempore maxime æſtuante potiſſimum exudunt. *Flores* verſus unam partem ut plurimum ſpectantes, ex pluribus petalis albeſcentibus conſtructi, raro expanſi conſpiciuntur; quos *vaſcula ſemuncialia*, oblonga, *ſemina* tenuia, acuta, nigricantia, continentia, excipiunt.

Veteres Plantam hanc alexipharmacum eſſe exiſtimarunt: *Recentiores* vero ejus uſum internum vetant, quoniam cauſtica eſt, & cuti impoſita ipſam exulcerat: hinc Ovibus noxia cenſetur.

Cl. Raius ſpeciem alteram proponit, *rotundifoliam perennem*: à caulibus vero exſiccatis ſuperioris anni, ſæpe obſervatis, & rotundi, & longifolii generis, omnes perennes eſſe, quas unquam videre licuit, admodum veriſimile eſt.

2. Ros ſolis *folio oblongo, C. B. P. J. B. 761. Ger. 1556.*

Hujus *folia* in oblongum diducta, modice etiam concava, auriſcalpium exprimunt. Tota planta biuncialem altitudinem raro ſuperat. *V. icon. tab. æn.* 4.

3. Ros ſolis *majori longiore folio & erectiore, 5. Raii. Ros ſolis ſylveſtris longifolius, Park.* 1052. *Ubi icon bene convenit.* Omnibus partibus major eſt præcedenti: *Folia* ex anguſto principio dilatantur, & ad uncialem & ſeſcuncialem longitudinem protracta, pediculis longioribus recta aſcendunt, piliſque rectis ſupina parte pariter obſita ſunt. E paludibus Comitatus *Bercia* collectam habemus. Tribus etiam à *Carleolo* milliaribus *Scotiam* verſus, naſci, obſervata eſt hæc planta. Ex *Hibernia* quoque *D. D. Sherardus* attulit. *V. icon. tab. æn.* 4.

4. Ros Solis *Luſitanicus foliis Aſphodeli minoris, Tournefortii El. Bot. Chamæleontoides, Griſley. Folia* habet dodrantem longa, *Aſphodelina*, ſupina parte ſulcata & *Rorella* in modum piloſa, ac prona parte convexa. *Flores* caulium ſummitatibus inſidentes, aliis hujus familiæ majores ſunt. Rara hæc planta à *Cl. Tournefortio* in *Luſitania* collecta, & cum *D. D. Sherardo* communicata eſt, cujus in collectaneis, cum pluribus aliis rariſſimis obſervavimus. *V. icon. tab. æn.* 4.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XXXIX.

Equiſetum.

IΠπυρις, *Cauda equina & Equiſetum*, eo quod *folia* ſetis equinis ſimilia producat. In aquoſis & ſabuloſis locis ut, plurimum, naſcitur. *Radix* repit. *Caules* nodoſi, cavi, arundinacei, extus pyxidulis laciniatis coronuliſve ad ſingula genicula cincti ſunt. *Flores* in ſummis caulibus, julorum ad inſtar clavati, pulverulenti, apparent inutiles. Tota planta ſcabritie exaſperata eſt, ut Artificibus ligniſecis, & tornatoribus ad opera ſua expolienda, quædam ſpecies apte inſerviant.

1. *Majus*

Equiſetum

ſcapo ſetis veſtitum juliferum.

1. *Majus aquaticum, J. B. 729. Majus paluſtre, Park. 1200. Paluſtre longioribus ſetis, C. B. P. Majus, Ger. 1113. Ded. Hippuris major, Brunf.*
2. *Arvenſe longioribus ſetis, C. B. P. Pratenſe longiſſimis ſetis, Ejuſdem, J. B. 130. Segetale, Ger. & ſylvaticum ejuſdem, 1114. Hippuris minor, Trag. Dal. Lugd.* Caules tenuiores, procumbentes, & ſetas habet longiores geniculatas.
3. *Paluſtre minus, Park. 1200. Equiſetum paluſtre brevioribus ſetis, C. B. P. Equiſetum paluſtre Lob. icon. Ger. 1114.* A præcedenti differt capitulis ſeu julis floriferis ſummos caules foliatos terminantibus, quæ in illo ſeorſim veluti Aſparagi quidam vere exeunt, antequam caules folioſi oriuntur.
4. *Sive Hippuris tenuiſſima non aſpera, J. B. 730. Equiſetum ſylvaticum tenuiſſimis ſetis, C. B. P. Equiſetum omnium minus tenuifolium, Park. 1201. Hippuris minor altera, Trag.* Ad paludum margines naſcitur. Planta pedalis & ſeſquipedalis erecta eſt; folia tenuiora, pallida, in elegantes ramuſculos divaricata exeunt.
5. *Paluſtre minus polyſtachion, C. B. P. & Prod.* Ex ſingulorum ramuſculorum è geniculis provenientium ſummitatibus julus florifer exit. In aquoſis Michelfeldenſibus provenit.

ad nodos floridum

6. *Paluſtre brevioribus foliis polyſpermum, C. B. P. Equiſeti facie Polygonum fœmina, J. B. 732. Equiſetum alterum brevioribus foliis, Park. 1200. Polygonum fœmina, Matth. Cord. Polygonum fœmina ſemine vidua, Adv. Lob. icon. Cauda equina fœmina, Ger. 1114.* In rivulis & foſſis limoſis haud raro reperitur.
7. *Paluſtre ramoſum aquis immerſum, Ambroſin. Millefolium aquaticum minus, Park. 1256. J. B. 783. Millefolium aquaticum floſculis ad foliorum nodos, C. B. P. Myriophyllum aquaticum minus, Ger.* In ſtagnantibus & limoſis aquis naſcitur; ſingulo geniculo quinque radiatim provenientia adhærent foliola, è quorum ſinubus floſculi octopetali exeunt.
8. *Fœtidum ſub aqua repens, C. B. P. 5. Prod. 25. J. B. 731 Park. 1201.* In ſtagnantium aquarum fundo naſcitur: cauliculi tenues in ramuſculos diviſi ſunt: folia tenuia per intervalla diſpoſita. E limo cænoſum & fœtidum evulſum eſt.
9. *Fragile majus ſubcinereum aquis immerſum.* Ad bipedalem & ampliorem altitudinem, caulibus ſuis craſſiuſculis, geniculatis, & fragilibus aſſurgens in piſcina prope molendinum haud longe à villa *Beſorſleigh appellata, reperi.* Vid. icon. tab. æn 4.
10. *Sive Hippuris muſcoſus cauliculis ſpinulis crebrius exaſperatis ſub aquis repens, Sherardi. Hippuris muſcoſus ſub aqua repens, D. Pluk. Tab. 193.* Ex Hibernia Cl. Sherardus attulit. Planta hæc viridi-cinereo colore tincta, valde fragilis eſt.
11. *Nudum minus variegatum Braſilienſe, C. B. P. 4. Prod. Nudum minus variegatum, Park. An Hippuris coralloides, Ger. Emac. & Hippuris lacuſtris foliis manſu arenoſis, Geſn?* Quæ putridis & paludoſis canaliculis reperitur.

foliis deſtitutum

12. *Nudum non ramoſum ſive junceum, C. B. P. ἵππουρις ἄφυλλος, C. B. P. Equiſetum nudum, Ger. 1113. Equiſetum junceum ſive nudum, Park. 1201. J. B. 729. Hippuris ſine foliis & nuda. Tab.*
13. *Foliis nudum ramoſum, C. B. P. Equiſetum junceum nudum ramoſum, Park. 1201.*
14. *Junceum nigronodum, Cap. Bon. ſpei. Breyn.*
15. *Paluſtre Linariæ ſcopariæ foliis, C. B. P. 1. Prod. Quid?*

Polygonoides

16. *Bacciferum majus, Nobis. Uva marina minor, Ger. 1117. Park. 450. Polygonum maritimum bacciferum minus, C. B. P. Uva marina major, Ger. 1117. Polygonum bacciferum vel Uva marina major, Park. 450. Polygonum bacciferum maritimum majus, C. B. P.*
17. *Bacciferum minus, Nobis. Uva marina Monſpelienſium, Lob. Tab.* Ad litora maris haud longe à Monſpelio copioſe provenit.
18. *Montanum Creticum, Park. 1202. Proſp. Alp. Exot. 140.*
19. *Sive Polygonum maritimum Equiſeti folio, Tragos vel Uva marina minor ex Cap. Bon. Spei, Pluk. Tab. 311. 3.*
20. *Aquis innatans Potamogeitonis tenuifoliæ facie ad genicula vaſculiferum, Nobis. Potamogeito ſimilis Graminifolia ramoſa ad genicula polyceratos, D. Pluk. Tab. 102. Potamogeito affinis Graminifolia aquatica Raii,* In fluentis variis invenitur. Folia anguſta Graminea ſunt: cornicula brevia ſeſſilia recurva, ad exortum tumidiuſcula, è geniculis exeunt.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XL.

Millefolium aquaticum.

Millefolium aquaticum *Græcis* μυριόφυλλον & μαραθρόφυλλον, à foliis fœniculaceis tenuiter divisis, locoque natali, semper aquis immersis, dicitur.

1. Millefolium *aquaticum sive Viola aquatica caule nudo*, 4. *C. B. P. Viola aquatilis*, *Dod.* 584. *Millefolium aquaticum dictum Viola aquatica*; *J. B. Millefolium aquaticum floridum sive Viola aquatica*, *Park.* 1256. *Viola palustris*, *Ger.* Folia ei ampla, pennata, viridia aquis ut plurimum immersa sunt, in fossis: *caules* nudi, pedales, recti: *flores* pentapetaloides; è cæruleo albicantes, unguibus luteis speciosi, per intervalla orbiculato ambitu, pediculis insident.

2. Millefolium *aquaticum dictum Viola aquatica secundum J. B. Millefolium aquaticum Equiseti folio caule nudo* 5. *C. B. P. Violæ aquatilis altera icon*, *Dod. Lat.* 584. Sunt qui cum priore idem velint, at illud folio latiore, hoc vero angustiore multo est, *J. B.*

3. Millefolium *aquat. cornutum flore albo parvo tetrapetalo*, *Nobis*. *Millefolium aquaticum cornutum*, *C. B. P. & Prod.* 73. *J. B. Tom.* 3. 784. *Millefolium aquaticum cornutum majus*, *Park.* 1257.

4. Millefolium *palustre galericulatum*, *Ger. Emac. Aquaticum flore luteo galericulato*, *J. B. Tom* 3. 783. *Park.* 1258. *Millefol. aquat. Lenticulatum*, 11. *C. B. P.*

In stagnis & fossis limosis reperitur: Mensibus Julio & Augusto floret: Tota planta ramosa, geniculata est: *folia* ad nodos tenuia, brevia tamen ac ramosa, iis adhærent. E cauliculorum angulis nascentes *caules* supra aquas, dodrantem longi, eriguntur, qui *flores* luteos, satis amplos, cucullum referentes, 5. vel 6. numero, summitates versus sustinent.

5. Millefolium *palustre galericulatum minus flore minore*, *Raii*, 3. *Synopsi*. In Westmorlandicis fossis, aliisque palustribus deprehenditur, sed rarius. *Flores* iis præcedentis duplo sunt minores ac pallidiores.

6. Millefolium *aquaticum pennatum spicatum* 8. *C. B. P. & Prod.* 73. *Park.* 1257. *Millefolium pennatum aquaticum J. B.* 783. Aquis innatat: *folia* per intervalla nascentia, ut plurimum quatuor, pennata sunt: *flores* exigui rubedine permixti, spicam tenuem constituentes, cauliculos terminant.

7. Millefolium *aquaticum pennatum minus*, *foliolis singularibus latiusculis flosculis subjectis*, *donatum*. In fossa prope *Lodden-bridge*, haud longe à *Redinga* Oppido, invenimus. Tota planta palmaris, aut ad summum dodrantalis est: *folia* tenuia pennata, iis antecedentis multo minora, geniculis adhærent: *flosculi* staminulosi, è viridi colore luteoli, singulares, tres quatuorve, è folioli integri sinu, alternatim siti, summitates ornant, aquasque superant.

SECTIONIS XV.

PLANTARUM ANOMALARUM

Distributio Octava.

Plantas alias terrestres inferioris ordinis, continens, viz.

Lichenem Muscum, Musco-fungum, & Fungum.

CAPUT XLI.

Lichen *sive* Hepatica terrestris.

Λειχὼ *Lichen*, quia Lichenas, i. e. impetigines curat. *Hepatica* etiam & *Jecoraria* dicitur, quia herba hæc Hepati medeatur; vel quoniam *folio* lobum hepatis quodammodo æmulantur. *Bryon* etiam quibusdam appellatur quod *Musci* in modum petris adhæreat.

1. Sen

Lichen
- *acaulis*
  1. *Seu Hepatica vulgaris, Park.* 1315. *Lichen sive Hepatica fontana, J. B. Lichen petræus latifolius sive Hepatica latifolia fontana, 1. C. B. P. Lichen, Matth. Dod. Forte Hepatica petræa, Ger.* 1565. *& Hepatica* 1. *Tab.* 488.
  2. *Petræus latifolius foliorum superficie verrucosus, D. Pluk. Alm. Lichen verrucosus, D. Doody. Forte Hepatica terrestris, Ger.* 1565. Hujus folia omnium sunt latissima: Mensibus Maio & Junio verrucæ fuscæ superficie sparguntur.
  3. *Petræus minimus fructu Orobi, 7. C. B. P. Lichen alter acaulis* Πολυλόχαρπος, *Col.* 331. *Lichen sive Hepatica lunulata* Πολυλόχαρπος *D. Dale. Raii. Lichen Petræus minimus acaulis, Park. Lichen petræus acaulis foliorum plano calceatus.* Quære an hæc species à *stellato petræo C. B. P.* differat; primo enim vere folia lunulis seminiferis aspersa sunt, deinde (ni fallor) in æstate, stellæ pediculis insidentes, ex eadem planta eriguntur.
  4. *Parvus erectus foliolis profunde laciniatis, D. Pluk. Tab.* 42. 2. *An terrestris foliis angustioribus virescens, Raii Synopf. Et Lichen minimus foliis laciniatis Raii Hist?*
  5. *Minimus foliis venosis, bifariam vel trifariam se dividendo progredientibus, Raii Synopf.*
  6. *Terrestris supinus minimus dichotomos, oblongis segmentis, inter Muscos reptans, D. Sher. ex Hibernia.*
- *caulifer*
  7. *Petræus umbellatus, 3. C. B. P. Lichen sive Hepatica minor umbellata, Park.* 1314. *Hepatica umbellata, Ger.* 1565. 2. *Tab.* 488.
  8. *Petræus stellatus 2. C. B. P. Lichen sive Hepatica minor stellata, Park.* 1314. Cujus icones transpositæ sunt. *Hepatica stellata, Ger.* 1565. *Lichen sive Hepatica fontana, 3. Tab.* 488.
  9. *Petræus stellatus foliis plumaceis, Stellati C. B. P. Forte varietas perelegans D. Pluk. Alm.*
  10. *Petræus cauliculo calceato 6. C. B. P. Alter minor caule calceato* Ὑποδιδυμένος, *Col.* 331. *Lichen petræus pileatus, Park.* 1314.
  11. *Seminifera pyxide folio adnascente, julo pediculo longo insidente, Raii Synopf.*
  12. *Minimus albescens cauliculis reptans foliis pinnatis, capitulis nigris lucidis, Raii Synopf.*

12. *Minimus albescens cauliculis reptans foliis pinnatis, capitulis nigris lucidis, Raii Synopf.*

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XLII.

Muscus.

A Mucore seu lanugine, situ diutino contracta dici putatur *Muscus*, quem esse lanuginem mucidam quidam putarunt spectatores: inspectione vero acutiore, nec minus debita, adhibita, Plantam esse perfectam, ejusdemque complurimas varietates ac species, paginæ sequentes enunciant. *Muscus* esse omnis lanuginosa materia ex angustis partibus, (vix foliosis) composita, vel terræ superficiei adhærens, vel saxis, rupibus, arboribus, vel aquis marinis nascens, cuilibet primo intuitu videatur: ob tantam vero *foliorum* tenuitatem & similitudinem, & præsertim *seminum*, nudis oculis inconspicuorum, differentias variarumque specierum discriminationes exprimere perquam difficile est: *semina* enim certe inter minima numerantur, quæ vento agitata, aere fugiunt, minimoque pulvere in tecta, muros, locosque steriliores decidentia, humidoque aere ac rore irrigata, crescunt & augentur: quæ quanquam locis petrosis, opacis aridissimisque accidant, ubi frigoris rigorem, caloremque perurentem pati coguntur, & ubi aliæ plantæ nasci omnino respuunt, ad aeris propitii reditum hæ plantulæ mire revirescunt, legemque naturæ servantes, proprias suas species, quemadmodum aliæ plantæ, retinere, coactæ sunt.

Muscos vel *clavatos*, vel *terrestres repentes*: *magis*, *vel minus ramosos*; *acutioribus* vel *rotundioribus foliis* donatos; vel *Capillaribus affines*, *capitulis* vel *erectis*, vel *reflexis* præditos, quorum petioli capitula sustinentes, è lateribus inter foliola proveniunt: vel *Capillares* seu *Coronidiferos*, sive ex apice capitula emittentes, esse constituimus: de quibus jam dictis primo, & postea de *Fungo-Muscis* ordine dicemus.

§. 1. Musci *clavati* sunt, quorum *semina*, extremis cauliculis inter foliola nascentia, clavas imbricatas turgidiores oblongas conficiunt.

1. Muscus *clavatus sive Lycopodium, Ger.* 1562. *Park.* 1307. *Muscus terrestris repens sive clavatus, C. B. P. Muscus terrestris repens à Trago pictus, J. B.* 767. *Muscus terrestris* 2. *Dal. H. Lugd.* 1325. *Plicaria & Cingularia Polonis.* In varios *surculos* ramosos, humi diffusos, ramificatur, qui lenti & tenaces sunt, & *foliolis* acutis juniperinis quamplurimis obtecti. *Clavæ* pediculorum, ut plurimum trifidorum, folioforum, brevium, apicibus insident.

In ericetis & montosis locis humidioribus, inter gramina repens variis locis colligitur.

2. Muscus *terrestris repens pediculis foliaceis binis clavis in altum se erigentibus, Pluk. Tab.* 47. *Muscus alius terrestris Lycopodium Dod. Hist. Lugd.* 1325. Interdum simplicem, nonnunquam duplicem, & etiam triplicem, emittit clavam, & figuram *Musci terrestris ramosi pulchri, J. B.* 767. quodammodo refert. *V. icon. Tab. am.* 5.

3. Muſcus *clavatus juniperinis foliis reflexis, clavis ſingularibus ſine pediculis.* An *Lycopodii alia ſpecies Raii Hiſt. Lycopodium elatius Juniperinum clavis ſingularibus ſine pediculis R. Syn?* *Muſcus terreſtris foliis retro reflexis.* Tituli differentias indicant.

4. Muſcus *rupeſtris repens Virginianus, clavis folioſis erectis quadratis, D. Baniſter.* Humi ſparſa eſt hæc ſpecies minor, è cujus *flagellis* reptantibus, *clavi* quadrati, unciam longi, pediculis uncialibus inſidentes, eriguntur. Vid. icon. tab. æn. 5.

5. Muſcus *clavatus foliis Cupreſſi, C. B. P. Ger.* 1562. *Clavatus Cupreſſiformis, Park.* 1310. *Terreſtris ramoſus pulcher J. B.* 767. *Sabina ſylveſtris Trag. Selaginis Plinianæ prima ſpecies Thal.* Elegans hic *Muſcus* è *viticulis* tenuioribus, *folio'is* brevioribus amictis, ramulos rectos exinde naſcentes emittit, gradus varios efformantes; ac in ſinguli ſummitate *julus* tenuis, ſeſſilis, uncialis erigitur. Alia exemplaria habemus, quæ pediculos nudos palmares oſtendunt, quorum ſingulo quatuor *juli* inſident.

In montibus excelſis Cambriæ *aliiſque locis Alpeſtribus reperitur.*

6. Muſcus *Zeylanicus terreſtris clavatus erectus. Badal-wanaſſa, Hermanni. An Belam-patsja, Hort. Mal. Part.* 12. *Tab.* 39. Pedale & erectum eſt exemplar à *Cl. D. D. Hermanno* nobiſcum communicatum in varios ramuſculos divaricatum, qui rurſus in alios dividuntur; ad quorum ſingulam terminationem, *clava* parva ſublutea, quadrantem unciæ longitudine non ſuperans, adnata eſt. *Vid. icon. Tab. æn. 5.*

7. Muſcus *montanus flagellis longis tenuibus, Cupreſſinis, ut plurimum indiviſis, Nobis. Muſcus montanus gracilis ramoſus viticulis longioribus glabris, D. Pluk. Tab.* 47. 4. Hujus inferior pars ut plurimum luteſcit, & *flagella* tenuia, palmaria & longiora, nunc ſimplicia, nunc in unum aut alterum diviſa, *foliis* exiguis amicta, viridia ſunt, quæ Martio Menſe, ſummitatem verſus, foliolis paululum longioribus, *clavam* mentientibus intumeſcunt, inter quæ, *antheræ* quædam aureæ occultantur, minimoque fricta effugiunt.

In montoſis & umbroſis variis locis reperitur.

8. Muſcus *terreſtris aureus minor flagellis claviſque brevioribus.* E viridi & aureo colore commixto, in albedinem tendunt *foliola flagellaque* tenuia uncialia & ſeſcuncialia, aliquantulum diviſa, cortici arborum vetuſtarum crebrius adnaſcentia, quæ in uniuſcujuſque apice, *clavam* parvam auream gerunt, ac ea terminantur.

In ſylvis reperitur. Vid. icon. Tab. æn. 5.

§. 2. Sequuntur & Muſci alii non proprie clavati, ſed ex foliorum alis ſemina ad eundem modum ſeſſilia gerentes.

9. Muſcus *terreſtris Abietiformis, Raii Syn.* 17. *& Hiſt. cap.* 4. *Muſcus erectus ramoſus ſaturate viridis, C. B. P. Muſcus terreſtris rectus J. B. Selago* 3. *Thal.* Erectus ut plurimum naſcitur hic elegans *Muſcus*, qui altitudinem palmarem aut vix dodrantalem aſſequitur, *ramulis* iis antecedentis craſſioribus, & *foliis* rigidioribus, longioribus, viridibus, ſurſum ſpectantibus, denſe confertis donatus: ramuli ut plurimum dichotomam diviſionem ſervant, interdum vero in plures ſecantur: inter foliola *ſemina* Menſibus Maio & Junio apparent plurima rotunda ſeſſilia. *In montibus excelſis Walliæ, aliiſque Angliæ borealibus ſponte naſcitur.* Hujus elegans exhibetur icon in *Ephem. Germ. A.* 4. *& 5. Obſ.* 149. *Vid. icon. Tab. æn. 5.*

10. Muſcus *terreſtris erectus minor polyſpermos Raii Syn. & Hiſt.* Erecta ut plurimum etiam eſt hæc planta, imbecillior tamen, & vix ſe ſuſtentans, pallidioribus, longioribus, & paucioribus & magis extantibus *foliis* acutis veſtita; è quorum alis *ſemina*, aut ſeminum vaſcula viridia, per totam fere cauliculorum longitudinem naſcuntur.

In montoſis & humidis, una cum præcedenti occurrit. Vid. icon. Tab. æn. 5.

11. Muſcus *terreſtris repens humilior tenuiſſimis foliis, clavis folioſis erectis. An Muſcus erectus repens, clavis ſingularibus folioſis erectis, Pluk. Tab.* 205. 5? Huic *ſurculi* ſunt humi ſtrati biunciales, virides, duo vel tres, non ramoſi, qui ad extremam terminationem frequentes, radices agunt: in medio erigitur *cauliculus* biuncialis, *foliolis* tenuioribus viridibus, ex omni latere veſtitus, quæ in ſuperiore parte quodammodo longiora exeuntia, clavæ ſpeciem efformant, *ſeminibus* quoque onuſtæ.

In Montibus Walliæ *ad aquarum ſcaturigines, inter gramina provenit.* Vid. icon. Tab. æn. 5.

12. Muſcus *terreſtris repens Viginianus, humi diffuſus, viticulis longioribus, foliolis tenuibus veſtitus.* Hunc locum ſibi vindicat hic *Muſcus à D. J. Baniſter* prædicto tranſmiſſus, qui ad eundem plane modum ac præcedens, *flagellis* ſuis reptat, longioribus tamen ac majoribus, ex utraque cauliculi terminatione *radicibus* ſe terræ affigentibus: *folia* acuta juniperina, longiora ſunt & pallidiora, non adeo confertim ſurculis adnaſcentia. *V. icon. Tab. æn. 5.*

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XLIII.

Muſci terreſtres vulgares repentes, iiſque affines, capitulis e caulium lateribus exeuntibus donati.

MUſcus *terreſtris latioribus foliis major ſeu vulgaris. R. Muſcus terreſtris & hortenſis. J. B. Muſcus vulgatiſſimus,* 1. *C. B. P. Hortenſis Trag.* In ſylvis & ubique ad ſepes naſcitur hic *Muſcus*, *foliis* (inter Muſcos) latiuſculis, pallide virentibus, cauliculis ſuis ramoſis & procumbentibus, adnatis prædictus. *Capitula* Adianto ſimilia incurva rarius inventa ſunt.

2. Muſcus *terreſtris erectior foliis reflexis, R. Syn.* Surculis ſuis reptantibus, foliiſque pallidis, *vulgari Muſco* conve-

convenit, in eo vero conſtat differentia, quod cauliculi ſuperiore parte magis eriguntur, à quibus folia pallida reflectuntur. Ad ſepes & in ſylvis, plurimis locis reperitur. *V. icon. Tab. æn. 5.*

3. Muſcus *terreſtris vulgaris minor Adiantbi aurei capitulis* 2. *R. Hiſt. Terreſtris minor præcedenti ſimilis omnium vulgatiſſimus, R. Syn.* Ad eundem modum repit hic *Muſcus, ſurculis* tamen minoribus, ramoſis, *foliolis* multo minoribus, confertim veſtitis. *Capitula* ei ſunt *Adianto aureo* ſimilia, oblonga, pediculis uncialibus inſidentia, è cauliculorum lateribus provenientia, quemadmodum in cæteris hujus familiæ.
Locis ſylvoſis paſſim provenit.

4. Muſcus *paluſtris albicans, capitulis erectis brevibus, pediculis etiam breviſſimis inſidentibus,* 4. *Raii Syn. Muſcus paluſtris terreſtri ſimilis, R. Hiſt. Pluk. Tab.* 101. 1. *Muſcus paluſtris, Dod.* 472. *Terreſtris vulgatiſſimus, Park.* 1306. *Ger.* 1559. Locis udis ac ipſis paludibus naſcitur hic *Muſcus albicans,* nonnunquam vero & ſiccioribus locis, ad rubedinem vergens, *foliis* mollibus, præſertim verſus ſummitates, crebris onuſtus: inter quæ, *capitula* obrotunda, fuſca, pediculis brevibus prædita, vix quadrantem unciæ longitudine ſuperantibus, emergunt.

5. Muſcus *terreſtris repens, primæ ſpeciei ſimilis ſed multo minor* 8. *R. Syn.* Tertio noſtro convenit, minor tamen evadit, *foliaque* pallidiora minus crebra cauliculis apponuntur. *V. icon. Tab. æn. 5.*

6. Muſcus *terreſtris repens velut ſpicatus,* 4. *C. B. Prod.* Hic ad arborum radices, nigris radiculis terræ affigitur, viticulis craſſis & longis ſerpit, & de ſe copioſas veluti ſpicas oblongas, ex tenuiſſimis & leviſſimis *foliolis* compactas, ramulorum inſtar emittit. *Capitula* Plantæ jamjam nominatæ reflexa ſunt, oblonga, acumine filamentoſo exeunte. *V. icon. Tab. æn. 5.*

7. Muſcus *terreſtris vulgari ſimilis lanuginoſus D. Lhwyd, R. Syn. Muſcus Alpinus ramoſior erectus flagellis brevioribus lanuginoſis, D. Pluk. Tab.* 47. 5. Ex aliis viticulis reptantibus, alii ad palmarem altitudinem eriguntur, *foliolis* tenuiſſimis veſtiti, quorum ſingulum pilo argenteo ornatum eſt, adeo ut tota planta lanuginoſa appareat. Capitula nondum, quod ſcio, obſervata ſunt. Planta hæc gramini in montoſis *Cambriæ* noxia provenit: in Alpibus *Venedotiæ* etiam nimis frequens reperitur. *V. icon. Tab. æn. 5.*

8. Muſcus *criſtam caſtrenſem repræſentans flaveſcens nemoroſus ramoſus, Caſſubicus, Breyn. in Viridario ſuo Pruſſiæ.* Planta hoc titulo nobis accepta, in ſylvis variis noſtris oritur, *terreſtri vulgari minori* accedit, viridi aureo colore ſemper tincta eſt, veluti criſpata & quaſi arenoſa. *Capitula* emittit *Adianti,* pediculis longis ſuffulta. *V. icon. Tab. æn. 5.*

9. Muſcus *ſcorpioides paluſtris foliis criſpis pyramidalibus, R. Syn.* Pediculos habet aureos, corrugatos, *capitula* ſubrotunda geſtantes. *Surculi* ſummi caudæ ſcorpii in modum reflectuntur, *Raii.* Tota planta lutea eſt, & veluti punctulis eleganter criſpata.

10. Muſcus *terreſtris major ramulis compreſſis, foliis ſuperficie criſpis, D. Sher.* Hanc novam *Muſci* ſpeciem *Cl. D. Sherardus* ex *Hibernia* attulit, cujus ramuli, (quemadmodum in aliis) nunc repunt & nunc erecti ſunt, in alios minores diviſi, qui *foliis* latiuſculis, ſubrotundis, pallide virentibus, ſuperficie criſpatis & quaſi undulatis, non inſigniter crebre adnaſcentibus, veſtiuntur. *V. icon. Tab. æn. 5.*

11. Muſcus *terreſtris medius ſupinus & repens, foliolis crebris, in acutos mucrones productis,* 7. *R. Syn.* Hujus *folia* ſquamatim cauliculis incumbunt, pallida, & acuta: ramuſculi exeuntes, ad baſim longiores & gradatim breviores ſunt, & quodammodo pyramidem conſtituunt. Menſe *Novembri* pediculos emittit, *capitula* breviuſcula, nonnihil incurva, viridia ſuſtinentes.

12. Muſcus *terreſtris repens ſubflavus, foliolis criſpis minoribus ramuliſque denſius confertis.* Ad muros *Cœnobii Godſtow* dicti, bina milliaria ab *Oxonio* diſſiti, hanc Muſci ſpeciem naſcentem collegi, qui viticulis tenuibus copioſiſſimis reptat, perexiguis *foliolis* mollibus, ſericeis, ſubflavis & veluti criſpatis, amictis: capitula nondum vidi. *V. icon. Tab. æn. 5.*

13. Muſcus *terreſtris Virginianus minimus ſubflavus.* Hujus viticuli tenuiſſimi ſunt, Sartoris filum vix excedentes, ſublutei, haud multum ramoſi, ſed in ceſpitem denſum coacervati. *V. icon. Tab. æn. 5.*

14. Muſcus *terreſtris omnium minimus, capitulis majuſculis oblongis erectis.* Hujus capitula pro plantulæ modo magna, pallidè viridia, aliquantulum incurva, pediculis unciam fere longis pulchre rubentibus inſident. *Foliola* in ramulis prætenuibus ſupinis, adeo tenuia ſunt, ut viſum fere fugiant, *Raii.* In tectis naſcitur. *V. icon. Tab. æn. 5.*

15. Muſcus *terreſtris ſquamoſus elegans in humidis naſcens, ſurculis & foliis Thuyiæ inſtar compreſſis, R. Syn.* Ceſpitibus naſcitur & ramificatur, ſingulúſque ſurculus viridis latus & compreſſus eſt; ac *foliola* è binis tantum lateribus, & non undiquaque, ut in aliis, proveniunt. *Capitula* turgidiuſcula, pediculis vix uncialibus inſidentia, in mucronem acutum deſinunt. *V. icon. Tab. æn. 5.*
In ſylvis humidis & umbroſis legitur. Eſt & *major* & *minor*, unde

16. Muſcus *terreſtris ſurculis compreſſis tenuior & minor, R. Syn. Muſcus vulgaris minor cauliculis compreſſis. Dodei.*

17. Muſcus *paluſtris terreſtri ſimilis foliolis craſſis, obſcure virentibus, mucronibus aduncis, unam partem ſpectantibus, R. Synopſ.* Cum extra aquas creſcit, flavicat aut rufeſcit, foliolis minus craſſis. *Capitula* longis pediculis innituntur, è cauliculis exeuntibus, *Raii.*

18. Muſcus *ramoſus paluſtris major foliis membranaceis acutis, D. Vernon.* 19. *R. Syn.* Ex imis ſcapis pediculi exſurgunt longi, aurei, corniculis pileo recurvo auricomo tectis, *Adianto aureo majori* aliquatenus ſimili. Æſtate floret.

19. Muſcus *trichoides medius ramoſus, foliis albis mollibus denticulatim diſpoſitis* 20. *R. Syn.* Pediculi aurei longi ex imis exſurgunt caulibus: *Capitula* habet ſubrotunda. *In poſcuis provenit.*

20. Muſcus *Filicinus major, C. B. P. Filicinus, Ger.* 1561, *Park.* 1310. *J. B.* 765. In ſylvis umbroſis ſatis frequens reperitur, cujus ramuſculi late diffuſi, tenuiſſimis foliolis, *Filicis* in modum è binis lateribus elegánter ſeſe expandentibus deprehenduntur. *Capitula* profert, oblonga (rarius tamen viſa) incurva, pediculis uncialibus & ſeſcuncialibus inſidentia. *V. icon. Tab. æn. 5.*

21. Muſcus *Filicinus minor, C. B. P.* 2. *Prod.* Cauliculis tenuibus per terram ſerpit, in ſummo ramoſis

foliolis Filici similibus sed tenuissime dissectis, ornatis. *Pediculi* exeunt biunciales, *Capitula* exigua subrotunda, in apicem exiguum desinentia, sustinentes. Hunc *D. Jungermannus Bauhino* misit. *V. icon. Tab. an. 5.*

22. Muscus *terrestris surculis filamentosis tenuibus, abietinis, semel tantum divisis. Forte Muscus abietis facie, C. B. Prod.* Inter gramina repit hic *Muscus*, in montosis locis siccioribus nascens: *Viticuli* procumbentes tenues lenti & tenaces, palmares sunt, è quibus alii minores è fusco lutei ramificantur, simplicem vero, *Abietis* in modum, divisionem obtinent. *V. icon. Tab. an. 5.*

23. Muscus *aquaticus frutescens pennatus.* Hanc Musci speciem ex munificentia *D. D. Richardson* habemus, cujus viticuli pene lignosi, repentes, saxis adhærentes, & ut plurimum aquis immersi sunt; è quibus alii exsurgunt palmares, arbusculæ in modum ramificati, *foliis* pennatis ornati. *V. icon. Tab. an. 5.*

24. Muscus *repens major foliis & flagellis longis & tenuibus donatus, Sherardi.* Forte *Muscus terrest. repens Lycopodii ferme facie R. Syn. App.* In paludibus *Hybernicis* longe lateque serpunt hujus sarmenta, radices in reptatu nonnunquam demittentia, è quibus alia rarius ramificata, exeunt, uncialia & biuncialia, indivisa, foliis oblongis acutis, aliquantulum extantibus undiquaque amicta, è quorum sinubus petioli unciales *capitula* subrotunda suffulcientes exsurgunt. Tota planta pallide flavescit. *V. icon. Tab. an. 5.*

25. Muscus *terrestris luteo-viridis sericeus repens, Raii Syn. Muscus muralis repens sericeus foliis splendentibus, Mus. Pet.* Folia angusta oblonga, in tenuissimos mucrones producta, tactu mollia, creberrima, ramulos undique cingunt. Ramuli seu surculi in longum exerescunt, cumque nonnihil inaruerint, & *folia* se contraxerint, tum splendore tum mollitie sericum referunt. *Capitula* erecta oblonga, incurva, pediculis brevibus insident. *V. icon. Tab. an. 5.*

In muris & tectis arcte adhærens & se diffundens, passim reperitur.

26. Muscus *repens Serici modo lucens viticulis longioribus erectis, R. Syn. App.* Vulgari sericeo quodammodo similis est, minus tamen repit. *Viticuli* erectiores sunt & crassiores, multumque viridiores: *folia* perangusta, cauli incumbunt, ut ipse teres appareat, lævis, mollis, ac splendens: *capitula* exinde eriguntur parvi, oblongi, erecti.

Ad radices arborum, locis in umbrosis variis, legitur. V. icon. Tab. an. 5.

27. Muscus *Cupressiformis ramosus, 9. C. B. Prod. Muscus terrestris Cupressi foliis, Mus. Pet.* Parvus est, ramosus, *foliolis* exiguis imbricatim cauliculis tenuibus dispositis, *Cupressi* in modum se erigentibus, atrovirentibus: inter quæ pedicellus exurgit, qui *capitula* exigua erecta sustinet.

In sylvis umbrosis, & ad radices arborum crescit.

28. Muscus *terrestris surculis Kali aut Illecebræ æmulis foliolis subrotundis squamatim incumbentibus, R. Syn.* Hujus *folia* subrotunda sunt, & cauliculos penitus contegunt: *capitula* parva, brevia, erecta.

29. Muscus *aquaticus pileis acutis, Mus. Pet. 74.* Ad eundem modum ac præcedens, *foliola* obtusa, sed prædictis angustiora, imbricatim disposita, surculos tenues in ramulos paucos diductos, obtegunt: inter foliola, *capitula* tumidiuscula, oblonga, in acutum mucronem abeuntia, petiolis uncialibus insidentia exeunt.

In fluentis *Derbiensibus*, inter saxa, D. *Jo. Scampton* primo reperit. *V. icon. Tab. an. 5.*

30. Muscus *dendroides sylvarum erectus, ramulis Kali æmulis, radice repente, R. Syn.* Cauliculum obtinet erectum, firmum, è rubro nigricantem, arbusculæ instar ramosum: è ramulis *pediculi* unciales exeunt, subrotunda *capitula* sustinentes.

In sylvis humidis ad arborum dejectarum stipites & radices, D. Raio recte monente, reperitur. Vid. icon. Tab. an. 5.

31. Muscus *dendroides elatior, ramulis crebris, minus surculosis, capitulis pediculis brevibus insidentibus, R. Syn.* Erecte assurgit cauliculus, ut plurimum nudus, foliis spoliatus, palmaris, in summitate plurimi surculi unciales, foliati, non ramosi, veluti in capitulum congesti sunt, *foliis* tenuissimis amicti; inter quæ, *capitula* ex rotundo acuminata, pediculis brevibus insidentia, orinntur. *V. icon. Tab. an. 5.*

Musci terrestres, minus ramosi, acutis foliolis.

32. Muscus *aquaticus viticulis longis minus ramosis, lucidis foliis acutis triangularibus cinctis, Nobis. Muscus aquaticus terrestri vulgari similis sed major, Raii. Muscus aquaticus folio expanso, 14. C. B. Prod. Fontalis minor lucens, J. B. 778.* E pontium muris & saxorum rimis, plurimis in locis dependet hæc *Musci* species, quæ *viticulis* longis aquis interdum innatat, haud multum ramosis, tenuibus, flexilibus, per totam longitudinem *foliis Musci*, satis latis, lata basi sessilibus, in acutum mucronem abeuntibus, quasi pellucidis, denteque imitantibus, vestitis. *Capitula* seu vascula seminalia oblonga, recta, crebra exeunt, nullis fere pediculis in foliorum alis insidentia, monente *D. Dale*, quæ mihi nunquam videre contigisse fateor. *V. icon. Tab. an. 6.*

33. Muscus *denticulatus lucens fluviatilis maximus, ad ramulorum apices Adianti capitulis ornatus, D. Pluk. Alm. Muscus Adianthi capitulis, Lycopodii in modum per terram se spargens, D. Richardson*, à quo accepimus. Consimili ordine denticulato hujus folia viridiora, crebrius disposita, viticulis longis repentibus nascuntur, qui in ramusculos etiam paucos divaricati sunt: *capitula* titulus exprimit. *V. icon. Tab. an. 6.*

34. Muscus *repens foliolis alternis subrotundis, per siccitatem falcatis, Nobis. Muscus denticulatus minor, C. B. P. Park. 1307. Ger. 1562. Terrestris Lusitanicus J. B.* Per terram strati sunt viticuli tenues, unde radiculas hic Muscus reptatu suo emittit; *folia* eleganti ordine ramulis apposita, omnia pari longitudine denticulorum non contiguorum, seriem referunt. *V. icon. Tab. an. 6.*

35. Muscus *denticulatus minor sericeus nostras capitulis Adianti. Muscus punctus pulcher repens, C. B. P. Park. 1307. Ger. 1561. Terrestris denticulatus, Lob.* Fossarum latera locosque uliginosos sericeis suis *foliis* viridibus & splendentibus, sed non pellucidis, viticulis repentibus, confertissimis, acutis, adnatis, convestit hic *Muscus*, cujus *capitula* brevia subrotunda, pediculis uncialibus erectis insidentia, conspiciuntur. *Vid. icon. Tab. an. 6.*

36. Muscus *pennatus capitulis Adianthi.* Præcedenti convenit; caulículi vero breviores, *foliis* pennas avium

avium referentibus oblongis, ſeu ex nervo medio foliolis ex utroque latere enaſcentibus donati ſunt.
In ſylvis & umbroſis humidis reperitur. Vid. icon. tab. æn. 6.

37. Muſcus *Filici-folius ſive pennatus minor, pinnulis plurimis ad mediam coſtam latiuſculis crebris, R. Syn.* Pinnulæ ad mediam folii cujuſvis coſtam ſeu rachin ſibi invicem proximæ & contiguæ in acutos mucrones deſinunt. *Pediculi* vix ſemunciales è radice exeunt, *capitula* parva, brevia, incurva, nutantia, ſeu deorſum flexa, ſuſtinentes. Variat *foliis*, nunc *latioribus*, nunc *anguſtioribus*, ideoque hanc plantam *Muſcum Mimoſæ foliis* vocat *D. Richardſon.*

38. Muſcus *pennatus ſive denticulatus minimus repens, terreſtri vulgari accedens.* Hujus *foliola* lucida tenuia, & ſerici in modum ſplendentia, anguſta, & acuta, iis præcedentis minora, cauliculis repentibus denticulatim crebrius adhærent, hilari virore tincti. *Pediculi* longiores erecti *capitula* etiam longiora ſuſtinent.
In foſſis umbroſis, fictili præſertim ſolo, provenit.

Muſci terreſtres minus ramoſi, rotundioribus foliis pellucidis.

39. Muſcus *polytrichoides paluſtris major, Serpylli latioris folio pellucido, Nobis. Muſcus trichoides foliis ſerpylli rotundi, R. Synopſ.* Hujus cauliculi erecti, raro ramoſi, è limo putrido naſcentes, palmares ſunt, qui gradus & incrementum plurimorum annorum oſtendunt: Hos *folia* ex anguſto principio ſubrotunda, è rubeſcenti colore viridia, latitudinem *Serpylli citrati* obtinentia, membranacea & pellucida, conveſtiunt. Hunc *Muſcum* ex paludibus *Hybernicis* collectum, *D. Lhwyd* primo attulit, dein in udis, putrido ſolo, haud longe ab Oppido *Spinæ* vulgo *Newbury*, Comitatu *Bertiæ*, copioſe naſcentem, collegi: capitula vero nondum acquiſivimus. *Vid. icon. tab. æn. 6.*

40. Muſcus *Polytrichoides humilior alternis foliis pellucidis ſubrotundis, Nobis. Muſcus polytrichoides humilior foliis latis ſubrotundis, D. Pluk. Tab. 45. 7. Raii Synopſ. Adiantum aureum humilius foliis latis ſubrotundis, Raii. C. Ang.* In dumetis humidioribus, nunc erectis, nunc procumbentibus cauliculis ſe ſpargens, reperitur; *folia* latiuſcula, oblonga & obtuſa, membranacea, & pellucida, ſparſim & per intervalla, è duobus ſaltem lateribus proveniunt: cauliculique in ramulos ſe non dividentes obſervantur, ut plurimum erecti. *V. icon. tab. æn. 6.*

41. Muſcus *Trichomanis facie foliis utrinque ſplendentibus rotundis Jungermanni. Muſcus Trichomanoides ſupinus noſter elegans, Pluk. Alm.* Cauliculi repentes, palmares, plus minus ſunt, in ramuſculos nonnunquam diducti; quibus per totam longitudinem, *folia* alterno ſitu, vix contigua, pellucida, illis præcedentis rotundiora, & minora affiguntur. De capitulis nihil adhuc nobis dicendum eſt.
Ad foſſarum humidarum aggeres, locis umbroſis, non raro provenit. Vid. icon. tab. æn. 6.

42. Muſcus *Trichomanoides foliis rotundioribus pellucidis ſquamatim conjunctè ſibi incumbentibus. An Lichen parvus in corticibus arborum humidis repens foliolis ſubrotundis ſquamatim incumbentibus, 10. Raii Syn?* Præcedenti pluribus convenit; cauliculi vero repentes, in ramulos interdum diviſi, copioſiori incremento ceſpitem conſtituunt, terramque operiunt: *folia* etiam oblongo-rotunda viridiora ſunt, adeoque conferta, ut è binis lateribus naſcentia, eleganti ordine compreſſa, ſibi invicem ſint contigua; quibus præcipue dignoſcitur.
Locis ſylvaticis & umbroſis, v.g. in aſcenſu montis, via publica à Villa Wickham *dicta, ad* Oxonium *ducente, ad arborum radices, copioſe reperitur. V. icon. tab. æn. 6.*

43. Muſcus *Trichomanis facie ſpecies minima, foliis criſpis, rupium fiſſuris denſo ceſpite proveniens, D. Richardſon.* Hujus *foliola* compreſſa & ſubrotunda, cæteris hujus ſortis minora ſunt, ſcapis tenuibus crebre adnaſcentia, denſiori creſcendi modo, ceſpitem conſtituentibus; quibus à reliquis differt.

44. Muſcus *muralis floridus foliis ſubrotundis creberrime imbricatim diſpoſitis, ſive Muſcus muralis platyphyllos.* Super murorum vetuſtorum *Oxonienſium*, aliorumque projecturas, ſatis copioſe exit hic *Muſcus* elegans, qui ſarmentis ſuis, in breves ramuſculos diviſis, compreſſis & expanſis, denſe confertis, naſcitur: hi complurimis *foliolis* obrotundis, è fuſco-viridibus teguntur, adeo denſe, ut ſemiunciali longitudine, pluſquam viginti, imbricatim diſpoſita ſint: *flores*, aliis perfectiores, Menſe *Martio* profert, ſeſſiles, ex quatuor aut quinque petalis ſubviridibus conſtructos, apice flavo è medio ſe erigente donatos, qui ſummitatibus, æque ac geniculis inſident. *V. icon. tab. æn. 6.*

45. Muſcus *Lichenoides foliis cauli ſquamatim incumbentibus anguſtior. Raii Synopſ. App.* Speciei 41. antecedenti proxime accedit, divaricationes tamen duplo vel triplo anguſtiores ſunt.

46. Muſcus *Lichenoides foliis pennatis bifidis major.* Hæc ſpeciem 40. jam deſcriptam, quodammodo refert: *folia* vero ſubrotunda, pallida & pellucida, crena in apice dentata ſunt.
In foſſis humidis, umbra tectis, variis locis reperitur.

47. Muſcus *Lichenoides foliis pennatis bifidis minor, Raii ibid.* Parvula hæc planta foliolis bifidis, alternatim poſitis, minoribus, viticulis ſuis, magis ramoſis, ornata eſt: Huic forte accedit *Muſcus odoratus fontanus*, qui in fonte *D. Winifredæ* apud *Salopienſes* reperitur.

48. Muſcus *aquaticus Cornubienſis, plurimum capillaceus, foliolis exiguis alternis per totam capillorum longitudinem adnatis.* Subviridis coloris eſt hæc ſpecies, filamentis tenuiſſimis donata, quibus *foliola* perexigua ſubrotunda, alternatim & per intervalla poſita inſident, & *Confervam geniculatam maritimam D. Pluk. Tab.* 84. quodammodo refert.

E ſtagno Dartmore D. Stevens *legit, & ex humanitate ſolita ad nos miſit.* Talem ſed erectiorem, nomine *Muſci trichomanoidis purpurei Alpini*, rivulis adnaſcentis, *D. Lhwyd* attulit, qui è fluentis montium *Cambriæ* altiſſimorum evulſit. *V. icon. Tab. æn. 6.*

49. Muſcus *paluſtris Anglicus foliis integris, bifidis, & trifidis ſparſim naſcentibus, Nobis. Adiantum petræum perpuſillum Anglicum foliis bifidis vel trifidis Newtoni, R. Hiſt. Adiantum radicoſum humi-ſparſum, ſive Filicula pellucida noſtras Coriandri foliolis mollicellis globuliferum, Pluk. Tab.* 3. 5. E radice tenui capillacea (ut mihi videtur

videtur, ait *D. Raius*) repente, *folia* edit uncialia & paulò longiora, quorum pediculi & nervi medii tenuiſſimi, pariter & plane capillacei, tribus quatuorve & pluribus hinc inde adnaſcentibus foliis integris, bifidis & trifidis, ſeu potius foliorum pinnularumve anguſtarum, oblongarum, obſcurius virentium, paribus aut terni-onibus, non ex adverſo binis, ſed alternatim poſitis, alati; extrema coſta in folium terminantur. *Vid. icon. Tab. æn. 7.*

In rupibus quibuſdam udis, prope ſummas partes montium altiorum Hardknot & Wrenoſe *dictis* D. Newton *legit. Et* D. Daire *Pharmacop. Londinenſ. prope* Tunbrigiam Cantii *oppidum, hanc Plantam quoque invenit.*

D. Pluknet M. D. in averſa foliorum parte veſiculas quaſdam adnaſcentes microſcopio detexit, quæ vaſcula ſeminalia eſſe videntur.

50. Muſcus *terreſtris Indicus platyceros Filicem referens. Muſcus Filicinus elegans, βρύον ἄλφιτος, Putterjoory Hottentottorum D. Pluk. Tab.* 100. 3. Palmarem altitudinem & ampliorem aſſequitur hæc planta ramoſa, quæ inter *Muſcum* & *Filicem* mediæ eſſe naturæ videtur. *Caules* è radice emittit teretes duros, & à foliolis deciduis veluti ſquamatos binas uncias à radice nudos; poſtea in ramulos latiuſculos compreſſos, muſcoſis foliolis viridibus ſupina parte, prona vero è viridi aureis & quaſi ſericeis, obtectos, donatos, ſe dividit: quorum extremitates *Filicis* pullulantis in modum, in noſtris exemplaribus ſiccis à *Cl. D. Ent* nomine *Putterjoory*, comparatis, & ex humanitate nobiſcum communicatis, incurvatæ & inflexæ ſunt. *V. icon. Tab. æn. 7.*

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XLIII.

§. 3. *Muſci erecti, capillaribus affines, capitulis erectis, pediculis longioribus inſidentibus.*

Hi genuini Muſci capitula quoque e lateribus produnt.

MUſcus *erectus hirſutus capitulis longis acutis, unguiculis avicularum ſimilibus vulgatiſſimus. Muſcus capillaris minor vulgaris ſive Polytrichum aureum minus, C. B. P. Polytrichum Apuleii minus quorundam, J. B.* 760. *Muſcus capillaris minor capitulis erectis vulgatiſſimus, R. Syn.* Multa ſimul congeſta ſunt flagella tenuia uncialia & biuncialia, *foliis* anguſtis plurimis in pilum caneſcentem definentibus amicta; inter quæ annoſiora, ad latera, exeunt pediculi unciales, *capitula* longa acuta, ſua curvitate unguiculæ avicularum ſatis æmula ſuſtinentes.

In muris & tectis vulgatiſſimus exit, & hyemalibus & vernalibus menſibus capitula prodit. Vid. icon. Tab. æn. 6.

2. Muſcus *tectorum denſis ceſpitibus, capitulis oblongis foliis latiuſculis in pilum deſinentibus.* Præcedenti convenit; *folia* tamen latiora ſunt & ſubrotunda; capitulum longum acutum, ſed non adeo incurvatum eſt.

In tegulis ædium & murorum ceſpitibus denſis, paſſim occurrit. Vid. icon. Tab. æn. 6.

3. Muſcus *tricholdes humilis ramoſus, capitulis oblongis tumidiuſculis, donatus.* Folia hujus Plantulæ à *Cl. D. Dyer*, bonarum literarum Fautore inſigni, ex agro *Devon.* allatæ, uncialem altitudinem non ſuperant; *Cauliculi* in ramuſculos varios diviſi ſunt: *foliola* exigua & tenuiſſima ſunt, ut ramuſculos veluti pennatos efficiant; è quibus pediculi ſemiunciam longi, capitula oblonga parva & obtuſa, quodammodo cernua ſuſtinent. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

4. Muſcus *tricholdes parvus foliis Muſci vulgaris capitulis longis acutis D. Doody R. Syn. Ed.* 2. *App.* Humilis hic *Muſcus foliis* habet & viticula, illis vulgaris terreſtris minoris pene ſimilia, tenuiora tamen & erectiora: *capitula* parva erecta, tenuia & acuta, pediculis tenuibus, ut plurimum rubeſcentibus, ſemuncialibus inſident.

In arvis ſiccioribus, & muris, menſibus vernalibus cum capitulis reperitur. Vid. icon. Tab. æn. 6.

5. Muſcus *tricholdes foliis capillaceis, capitulis minoribus oblongis Doodei, R. Syn. App. Ed.* 2. Locis humidis & ſylvaticis, fictili & arenaceo ſolo naſcitur hic *Muſcus* uncialis, *foliolis* ſuis tenuiſſimis & capillaceis, mollis, viridis. *Capitula* ſunt oblonga, parva, obtuſa, pediculis ſemuncialibus inſidentia. *V. icon. Tab. æn. 6.*

6. Muſcus *tricholdes minimus ſericeus capillaceus, capitulis ſphæricis. Muſcus Tricholdes medius capitulis ſphæricis Doodei, Raii Syn.* Ceſpitibus ſericeis è viridi luteolis, naſcitur: tota planta cum ſuis capitulis rotundis uncialem altitudinem non ſuperat: *folia* tenuiſſima, illis præcedentis breviora ſunt.

Humidis, & arenoſis locis & Ericetis gaudet. Vid. icon. Tab. æn. 6.

7. Muſcus *terreſtris repens parvus, capitulis brevibus, tumidis, nonnihil incurvis & nutantibus*, 10. *R. Syn.* Tenuis eſt hæc plantula erecta, è viridi flava: *folia* pertenuia non adeo conferta ſunt, ac præcedentia; pediculi longiores v. g. unciam ac dimidiam alti: *capitula* parva oblonga, aliquantulum cernua. *V. icon. Tab. æn. 6.*

8. Muſcus *tricholdes paluſtris erectus coronatus capitulis ſphæricis amplioribus. Muſcus ſtellaris ramoſus paluſtris, pediculo aureo erecto, capitulo magno ſphærico* 28. *R. Syn.* Aquoſis paludibus & putridis variis, circa *Oxonium*, æque ac aliis Comitatibus, ſed non admodum frequens, oritur hic *Muſcus* elegans, cujus *cauliculi* erecti, biunciales & triunciales, frequenter non ramoſi, at quandoque in unum aut alterum diviſi, tenues, *foliolis* ſuis perbrevibus onuſti, fili tenuis craſſitiem vix excedentes, aſſurgunt: in quorum ſingulorum ſummitate, *coronula* ex breviuſculis veluti ramuſculis radiatim diſpoſitis, compoſita eſt: *pedicelli* è caulicolorum lateribus proveniunt biunciales & triunciales, qui Menſibus *Junio & Julio capitula* erecta gerunt rotunda, lucida, *Coriandri* ſemine majora. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

9. Muſcus *paluſtris flagellis erectis luteolis raro diviſis capitulis oblongis Adianthi. Ex Hybernia Cl. D. Sherardus* attulit, & in paludibus haud longe à *Reding*æ Oppido, inveni. & *Muſco, Adianto aureo medio foliis tenuiſſimis*, vulgo dicto, quodammodo ſimilis eſt: folia tamen breviora ſunt, non tantum extantia, flavicantia, cauliculis palmaribus apponuntur. *Capitula* operculo tecta, acuta ſunt, quo decidente, obtuſa ſunt vaſcula ſeminalia erecta, oblonga. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

10. Muſcus *aureus capillaris minor capitulis geminatis erectis mutuo incubitu adnatis, Pluk. Alm.* Cauliculi exigui cum foliolis ſuis tenuiſſimis adnatis, pollicarem altitudinem non ſuperant: pediculi aurei ſeſquiuncia-les, *capitella* ab omnibus diverſa erecte ſuffulciunt: ex anguſto enim principio, urnæ facie in latum craſſeſcit, è cujus vertice, loco flammæ ex urnis provenientis depictæ, quaſi alterum minus oblongum erigitur; quibus facile dignoſcitur. *Cl. D. D. Sherardus* in palude haud longe ab Oppido *Hamptonienſi meridionali*, collegit, & munifice nobiſcum communicavit. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

11. Muſcus *polytrichoides exiguis capitulis in ſummis ſurculis, ſeu foliis ſubrotundis erectis*, 4. *R. Syn.* Uncialis plantula eſt: *folia* exigua anguſta, non adeo conferta, quibuſdam aliis magis diſtincta apparent: *capitula* inter minima numerentur, oblonga, erecta, pediculis aureis erecte inſidentia. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

12. Muſcus *muralis minimus roſeus ſive ſtellaris, capitulis longiuſculis acutis erectis.* Paſſim provenit hic *Muſcus*, qui muris & ædium tectis copioſe adhæreſcit. *Cauliculi* cum *foliis* ſuis ſemiuncialem altitudinem vix attingunt, frequenter vero breviores, quæ folia in ſummis naſcentia, ſtellulas veluti efformant: *capitula* tenuia, pediculis ſemiuncialibus inſtant, acuta primo exoriuntia, & quando operculo ſuo tecta ſunt; hoc vero elapſo, obtuſa apparent. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

§. 4. Muſci erectiores capitulis erectis, pediculis brevioribus inſidentibus.

13. Muſcus *humilis tectorum ſubfuſcus capitulis brevibus pileatis erectis, pediculis curtis, Nobis. Adiantum aureum acaulon pileis ſtriatis*, 24. *Muſ. Pet. Raii Syn. App.* Ædium tegulis & muris, rotundis ceſpitibus tumidis, reperitur hic *Muſcus*, qui ſubfuſci coloris eſt, in ramuſculos breves ac plurimos ſimul naſcentes, diviſus; unde *capitula* brevia, villoſo pileolo craſſiuſculo in mucronem abeunte tecto, pediculo breviſſimo inſident. *Martio & Aprili matureſcit.* Vid. icon. Tab. æn. 1.

14. Muſcus *trichoides minimis capillaceis foliis, capitulis exiguis erectis, pediculis brevibus inſidentibus. Adiantum aureum minimum foliis capillaceis pediculis brevibus, Raii Syn. App. 25. Muſ. Pet.* Foliis ſuis capillaceis longioribus viridibus, & capitulis oblongis lævibus, à præcedenti dignoſcitur. *In humidis. V. icon. Tab. æn. 6.*

§. 5. Muſci erecti minores capitulis reflexis, pediculis longioribus inſidentibus.

15. Muſcus *trichoides capitulo parvo reflexo, pediculo ima medietate rubro, ſumma luteo viridi. 2. Raii Syn.* Inter humillimos numeretur hic *Muſcus*, muris & locis ficcioribus vernali tempore naſcens. *Foliola* minima, tenuiſſima, ſtellam in ſummitate quodammodo efformant. *Pediculi* tenuiſſimi, unciales, erecti, ad radicem rubri, & aſſurgentes pallidiores, *capitula* parva oblonga, reflexa, ſuſtinent. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

16. Muſcus *trichoides terreſtris minimus capitulis recurvis. An Muſcus paluſtris Adianto aureo affinis ſcapis tenuibus, foliolis brevibus*, 9. *R. Hiſt. Cap.* 8? Hujus ſcapi tenuiſſimi oblongi, & veluti repentes eſſe videntur: *capitula* nutantia, primo acutiora, dein in obtuſum tranſmutantur.
In muris & tectis, ſed non admodum frequens. Vid. icon. Tab. æn. 6.

17. Muſcus *minimus è viridi argenteus capitulis oblongis cernuis. Muſcus argenteus capitulis reflexis*, 2. *Raii Synopſ.* Cauliculi pertenues argenteo colore ſplendent: pediculi ſemiunciales ſunt: *capitula* oblonga parva reflexa. *Gibboſis ceſpitibus, ædium tegulis, lociſque ſterilioribus, multis in locis verno adventante, naſcens, reperitur.* Vid. icon. Tab. æn. 6.

18. Muſcus *minor pallidus foliis anguſtiſſimis acutis corniculis tenuiſſimis*, 9. *Raii Synopſ.* Scapi hujus *Muſci*, præcedentibus ſunt longiores, qui terreſtrium repentium ſimilitudinem quandam obtinent: pediculi ſunt unciales & altiores, *capitula* nutantia, primo acuta, poſtea obtuſiora, geſtantes. *V. icon. Tab. æn. 6.*

19. Muſcus *capillaris foliolis latiuſculis congeſtis, capitulis longis reflexis, Raii Synopſ.* Hujus *foliola* non adeo ſunt tenuia ac in cæteris; pediculi unciales, aurei, *capitula* gerunt longa, ex anguſto principio tumidiuſcula, recta inter ſe, ſed à petiolo cernua.
In petroſis & ficcioribus locis colligitur. Vid. icon. Tab. æn. 6.

20. Muſcus *capillaris major & elatior, capitulis longis obtuſis, deorſum flexis & veluti pendulis, prælitis pediculis rubris*, 6. *Raii Syn. Muſcus* hic genuinus præcedenti convenit: pediculi vero altiores, duas pollices longi, erecti, *capitula* etiam longa gerunt, non ſolum cernua, ſed ad radicem ſpectantia & reflexa, quorum flexurâ angulum acutiorem conſtituunt. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

§. 6. Muſci erecti minores, capitulis reflexis. pediculis brevioribus inſidentibus.

21. Muſcus *trichoides hirſutie caneſcens capitulis ſubrotundis reflexis, in perbrevibus pediculis, 3. Raii Syn. Muſcus trichoides hirſutus capitulis oblongis reflexis, pediculis brevibus inſidentibus, D. Doody.* Globulis fibularum inſtar caneſcentibus & hirſutis, tegulis incumbit, & muris, vernali tempore erumpunt *capitula* parva, oblonga, aurea, reflexa, pediculis curtis, tenuiſſimis ſuſtenta.

22. Muſcus *trichoides montanus albidus fragilis, D. Doody, Raii Syn. App.* In ericetis & paludibus montoſis, ceſpitibus naſcens, reperitur hic *Muſcus*, qui *Amomi veri* in modum humilis eſt, *ſcapi* fragiles unciales, interdum ſe dividentes, foliolis anguſtis, longis, acutis & lariceis albidis, onuſti ſunt. *Capitula* nondum ſunt obſervata. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

23. Muſcus *trichoides parvus capitulo conglomerato ſeu botryoide Doodii* 31. *R. Syn.* Locis ficcioribus & apertis provenit: *ſcapi* ſunt breviſſimi, *foliola* etiam minima & anguſtiſſima, ſtellatim in ſummo naſcuntur.

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XLIV.

§. 8. Muſci coroniferi, ſive ex apicibus capitula producentes.

MUſcus *ad Polytrichoidem accedens, ramoſus foliis longis lucidis & veluti criſpis, Nobis. Arbuſculam referens foliis longis 6. R. Syn. Muſcus polytrichoides anguſtifolius pellucidus, ramoſus noſter, D. Pluk. Muſcus trichoides ramoſus foliis longis lucidis & veluti criſpis, D. Doody.* Repente facultate donantur flagelli inferiores, unde alii cauliculi eriguntur palmares, in ramuſculos unciales diviſi, ad radicem nudi, ſuperius vero *folia*, (non adeo conferta ac in aliis) oblonga, anguſta, compreſſa, membranacea, & veluti pellucida, aliquantulum criſpa: in ramuſculorum terminationibus, (ſed raro proveniunt) pediculi unciales & longiores, *capitula Adianthi* ſubrotunda ſuffulciunt.

Locis humidis & umbroſis ſylvaticis variis reperitur. Vid. icon. Tab. æn. *6.*

2. Muſcus *polytrichoides elatior foliis anguſtis pellucidis & fere membranaceis,* 20. *R. Syn. Pluk. Tab.* 44. 7. Præcedenti ſimilis eſt, ſi non idem; longi ſunt cauliculi, raro ramoſi, foliis, per totam longitudinem onuſti. *Vid. icon. Tab. æn. 6.*

3. Muſcus *polytrichoides humilius foliis brevioribus raris, pallide viridantibus & vix pellucidis.* Planta præcedentibus congener eſt, & humilior, cujus cauliculis, folia breviora & latiora, rarius apponuntur. A *Cl. D. D. Richardſon* reperta & nobiſcum communicata eſt.

In paludibus cum Rore ſolis naſcitur. Vid. icon. Tab. æn. *6.*

4. Muſcus *polytrichoides anguſtifolius caule folioſo tenui reclinante.* Ordinem pectinatum ſervare, videntur hujus *folia* anguſta, pallida, acuta, cauliculo reclinanti & incurvato, unciam & ſeſcunciam longo, appoſita. A *D. D. Richardſon* etiam hanc plantam acceptam habemus. *Vid. icon. Tab. æn,* 11.

5. Muſcus *coronatus major pileolo villoſo aureo, Nobis. Adiantum aureum majus, Ger.* 1559. Et *Muſcus ſcoparius Ejuſd. Polytrichum aureum majus, Park.* 1052. Et *Muſcus ſcoparius Ejuſdem* 1307. *Polytrichum Apulei & majus quibuſdam, J. B.* In paludibus ſpongioſis paſſim occurrit hic *Muſcus* dodrantalis non ramoſus, dimidia parte *foliolis* anguſtis undiquaque veſtitus; altera nudus, erectus, lævis; pediculus erigitur lævis, biuncialis & triuncialis, in cujus ſummitate *capitulum* aſſurgit, operculo villoſo, mucronato, aureo tectum, quo menſibus autumnalibus decidente, vaſculum ſeminale obtuſum apparet.

6. Muſcus *coronatus medius pileolo villoſo tenuiore, Nobis. Adiantum pileolo villoſo medium* 2. *R. Syn. Adiantum aureum medium in Ericetis proveniens, Muſ. Pet.* Cauliculis aſſurgit hic Muſcus biuncialibus & triuncialibus, partim foliatus, partim nudus, capitulo longiore, tenuiore, ſed non adeo villoſo aureo, coronatus. *V. icon. Tab. æn. 6.*

7. Muſcus *coronatus rigidus minor & humilior capitulis villoſis brevioribus, Nobis. Adiantum pileolo villoſo minimum,* 3. *R. Syn.* Folia anguſta rigida, non ultra quadrantem unciæ longitudine cauliculum conveſtiunt; unde pediculi oriuntur unciales, *capitula* brevia, villoſa, aurea, aſt pro plantæ modulo ſatis magna ſunt.

In paludibus circa Newbury *copioſe naſcentem invenimus.* Vid. icon. Tab. æn. *7.*

8. Muſcus *coronatus humilis rigidior, capitulis longis acutis ſeſſilibus erectis, Nobis. Muſcus trichoides parvus capitula creberrima oblonga erecta habitiora, per ſiccitatem atro-rubentia producens, D. Vernon.* 30. *R. Syn.* Cauliculi unciales foliis anguſtis rigidis veſtiuntur, unde *capitula* ſemiunciam fere longa, anguſta acuta, pediculis nudis deſtituta, oriuntur. Hunc *D. Vernon* invenit, & libere nobiſcum communicavit. *V. icon. Tab. æn. 7.*

9. Muſcus *coronatus humilis foliolis latioribus ſtellatim naſcentibus donatus, Nobis. Muſcus parvus ſtellaris, Ger.* 1563. *Park.* 1308. Folia huic latiora ſunt mucronata, quæ cauliculum uncialem ambiunt, ac in ſuperiore parte ſtellam veluti conficiunt, & interdum ea duorum annorum, gradus efformant: pediculis uncialibus inſident *capitula* aurea aliquantulum recurva.

In ericetis humidis & dumetis haud raro reperitur. Vid. icon. Tab. æn. *7.*

10. Muſcus *coronatus Norwegicus pedicule longiſſimo umbraculo amplo capitatus. Muſcus Norwegicus umbraculo ruberrimo inſignitus, Muſ. Pet.* 70. Notitia ſpecioſiſſimi hujus *Muſci D. Petiver*, (qui ex aſſueta induſtria è *Norwegia* acquiſivit,) debita eſt. *Folia* ei anguſta, præcedentibus ſimilia, per uncialem longitudinem cauliculum conveſtiunt: è quorum medio erigitur pediculus nudus, gracilis, lævis, 4 aut 5. pollices altus, qui *umbraculum* rotundum, ſemiunciali diametro, compreſſum, ruberrimo colore infectum, in ſummo ſuffulcit. *Vid. icon. Tab. æn. 7.*

11. Muſcus *coronatus medius foliis tenuiſſimis pallidis longioribus, capitulis erectis, acutis, Nobis. Polytrichum aureum medium,* 3. *R. Hiſt.* Folia longa tenuiora pallida è viridi colore flaveſcentia, magiſque ut plurimum extantia, cauliculos biunciales nonnunquam in unum aut alterum divaricatos, ambiunt: pediculi ſeſquiunciales *capitula* acuta, longa, tenuia, ſuſtinent.

Ex ericetis humidis legitur. Vid. icon. Tab. æn. *7.*

12. Muſcus *coronatus humilis, tenuifolius, pileolo magno acuto, infra aperto, extinctorium referente. Adian-*

tum aureum perpuſillum, foliis congeſtis acutis, pileolo extinctorii forma æmulo 24. *Raii Syn.* Foliola minima ſunt, cauliculos ſemiunciales veſtientia: pediculi ſemiunciales *capitula* longa, acuta, pallida, extinctorii in modum dependentia, aperta, geſtant.

In ficcioribus, & muris, v. g. apud Godſtow, *aliisque locis aridis, vernali tempore reperitur.* V. icon. Tab. æn. 7.

13. Muſcus *coronatus humilis, corniculis longiſſimis & acutiſſimis. Muſcus capillaris corniculis longiſſimis incurvis,* 3. *R. Syn.* Folia inter minima numerentur: pediculi unciales erecti aurei; *capitula* primum erecta, deinde paululum incurvata, primo vere, locis humidis exeunt. *Vid. icon. Tab. æn.* 7.

14. Muſcus *coronatus erectus minor, foliis longis tenuiſſimis, capitulis oblongis erectis. Muſcus capillaris ſurculis erectis, foliis oblongis tenuiſſimis acutis cinctis* 4. *R. Syn.* Foliola huic ſecundum cauliculos crebra, peranguſta, oblonga, acuta exeunt. Pediculi ſemiunciales, pertenues rubentes, *capitula* ſuſtinent oblonga, erecta, operculo tecta, in roſtellum acutum ſubrubrum, nonnihil incurvum, deſinentes: quæ *Novembri* menſe aut etiam *Decembri* & *Januario* emergunt. *In ædium tectis oritur.*

15. Muſcus *capillaris majuſculus, foliis longis cum aliqua latitudine acutis, rugoſis,* 6. *R. Syn. Folia* graminea obſcure viridia ſunt, rugis è medio nervo ad margines utrinque productis, ut in *Phyllitide. Capitula* oblonga, erecta, nonnihil incurva, in pediculis uncialibus nigricantia, Novembri menſe exeunt, *Raii.*

In aggeribus umbroſis invenitur ſatis frequens.

16. Muſcus *coronatus humilis ſtellaris, foliis latiuſculis capitulis pyriformibus erectis turgidiuſculis. Muſcus capillaris parvus capitulis pyriformibus erectis, in pediculis brevibus,* 7. *R. Syn.* In quibuſdam foſſarum humidarum aggeribus, locis præſertim umbroſis, ſatis copioſe naſcens, reperitur. *Folia* latiuſcula, pallide viridia, humi fere ſtrata, ſtellam componunt. Pediculi tenues, trientem unciæ alti, *capitula* ſatis turgida, è rotundo oblonga & pyriformia, in ſummis gerunt. Menſibus Martio & Aprili provenit. *V. icon. Tab. æn.* 7.

17. Muſcus *coronatus minor foliolis latiuſculis ad caulem convolutis, capitulis cernuis & obtuſis aureis. Muſcus capillaris pediculis bulboſis uncialibus pallidis capitula oblonga reflexa ſuſtinentibus,* 4. *Raii Syn.* Item *Adiantum aureum minus foliis bulbi in modum diſpoſitis, D. Vernon* 29. *R. Syn. Muſcus trichoides minoribus foliis ad caulem convolutis, capitulis ſubrotundis reflexis, D. Doody. Folia* humidiori aere irrigata, aut umbra naſcentia, ſtellatim expanduntur; tunc per ſiccitatem contracta, bulbum æmulantia, convolvuntur: capitulum primum erumpens, acuto operculo tectum eſt, quod caducum, obtuſum manet capitulum reflexum aureum. Aprili & Maio menſibus provenit. *V. icon. Tab. æn.* 7.

Et hinc fortaſſe Adiantum *aureum medium paluſtre, foliis bulbi in modum ſe amplexantibus capitulis erectis D. Davies,* 25. *Raii Syn.*

18. Muſcus *coronatus minimus, foliolis & capitulis oblongis, in pediculis breviſſimis.* An *Muſcus capillaris minimus, capitulis ſubrotundis erectis in pediculis breviſſimis,* 8. *R. Syn*? Hujus foliola perexigua ſunt, ſurculique minimi; pediculi breves; *capitula* parva fuſca, ovali figura. Tota planta ſemiuncialem altitudinem raro ſuperat. In muris ficcioribus, quibus terra è viis adponitur. Menſe Martio provenit. *V. icon. Tab. æn.* 7.

19. Muſcus *coronatus minimus capillaceis foliis, capitulis oblongis. Muſcus trichoides minor, vulgaris facie, foliis capillaceis. Muſ. Pet.* Surculi vix ſemiunciales, foliolis tenuiſſimis parvis capillaceis cincti ſunt; pediculi conſimili longitudine: *capitula* iis præcedentis paululum ſunt longiora, turgidiuſcula tamen. *V. icon. Tab. æn.* 7.

20. Muſcus *coronatus minimus, foliolis, pediculis, & capitulis minimis erectis. Muſcus capillaris omnium minimis foliis, pediculis, & capitulis,* 10. *R. Syn.* In denſis ceſpitibus oritur. *Folia* acuta capillaceæ tenuitatis, pro plantulæ modulo ſatis longis: pediculi pallidi ramulis egrediuntur, pilo tenuiores, trientem unciæ longi, *capitula* rotunda minutiſſima geſtantes, ut mera puncta videantur.

In arborum truncis, ut etiam muris, Novembri menſe capitula edit.

PLANTARUM ANOMALARUM

Diſtributio nona.

De Plantis minus perfectis.

Muſco-fungus Fungus, & Conferva.

CAPUT XLV.

Muſco-fungus.

MUſci (ut ante dictum) *Plantæ ſunt perfectæ, vaſculas ſeminiferas & ſemina producentes;* quibus jam tractatis, Alias minus proprias, aut minus cognitas, inter *Muſcos* & *Fungos* errantes, hoc Capite exhibendas eſſe proponimus, quas *Muſco-Fungos* appellare libuit. *Muſcos* enim eas plantas eſſe, vix proprias, quarum capſulæ ſeminales & ſemina nondum detecta ſunt, & idcirco eæ quæ *Fungis* genuinis propius aſſimilantur, eo nomine pronunciare nequimus, quanquam omnes de iis hactenus ſcribentes, *Muſcos* appellavere: quæ ex excrementitia materia, terræ, petris & arboribus adhærentes, naſci videntur: Oculatiſſimus vero *Tournefortius*, microſcopiorum auxilio, in quibuſdam ſpeciebus, è corticibus arborum dependentibus, *ſemina* ſe obſervaſſe ſcribit, & *Lichenes*

appellavit: quam ſententiam damnare, nec ſingulari mea audacia affirmare, minime neceſſarium (cum propter exiguitatem (ſi quædam ſint) ad ſpecies diſtinguendas, inepta ſint ſemina) jam exiſtimamus: ſed è tenebris eruere, earumque inexploratas facultates inveſtigare, aliis minus ocupatis, aut quando nobis liberi temporis facultas tributa ſit, in præſentiis relinquimus, & quantum ab externa forma, invariabili putata, colligere licet, ſequenti ordine nobis dividendæ veniunt.

Sunt *autem* vel *ſubſtantia ſicca folioſa* (vix folia enim dicantur ejus partes) *ut plurimum cinericeo colore infectæ*, vel *è terra eminentes*; vel *cruſtæ modo petris aut arboribus adnaſcentes*; vel *ex arboribus laxius dependentes.*

§. 1. Muſco-fungi e terra prominentes, latiores.

MUſco-fungus *terreſtris latifolius cinereus Hepaticæ facie, Nobis. Lichen terreſtris cinereus Raii Hiſt. & Syn. Muſcus terreſtris Hepaticæ facie vulgo. Lichenis terreſtris* in modum, radiculis ſub ipſis foliis latis, cinereis, compreſſis, veluti coriaceis, terram apprehendit, & in latum expanditur; & extremis partibus ſe erigentibus, nonnunquam obſervantur, in apicibus foliorum, peltæ ſeu maculæ ferruginei coloris, quibus fortaſſe ſemina continentur. In paſcuis nunc ſiccioribus, nunc humidiore ſolo, ſatis frequens occurrit, & nec forma nec colore, aliquo anni menſe mutatur. Reperitur etiam *fuſci coloris*, an varietas? *Adverſus morſum Canis rabidi egregium eſt medicamentum.* Vid. icon. tab. æn. 7.

2. Muſco-fungus *terreſtris ſuperne cinereus Iſlandicus. Muſcus Iſlandicus Bartholini. Sibbald. Prod. Hiſt. Nat. Scot.* De hoc *Tho. Bartholinus Act. Med. An. 1671. 1672. Obſ. 66.* Ex obſervatione *Borrichii* hæc habet. Fert *Iſlandia Muſcum*, nulli hactenus Botanicorum, ſed jam & Pharmacopolis noſtris cognitum: Terreſtris eſt & firmus, colore ſubalbidus, ramoſus, lato ungue vix latior, ſed qui in longum varie proſerpit, coſtis hinc inde ſpinoſis horridulus.

Eo Inſulæ coloni primo vere utuntur ad expurgandos humores corporis noxios; reliquo æſtatis ſiccatum in farinam comminuunt, & pulmentariis admiſcent, expirante demum vi purgatrice & ſuccedente alimentaria, *Raii Hiſt. Ex adverſar. D. Tancredi Robinſon.*

3. Muſco-fungus *terreſtris minor criſpus foliis ſuperne è flavo vireſcentibus, ſubtus albicantibus. Muſcus foliis criſpis Licheniformis, ſuperne è flavo virideſcens, ſubtus albicans, D. Vernon. 7. Raii Syn.* Præcedentibus multo tenuior eſt, inter Gramina, ſiccioribus & montoſis locis variis ſe diffundens, reperitur. *Vid. icon. Tab. æn. 7.*

4. Muſco-fungus *terreſtris minor fuſcus foliis é latitudine crenatis, Muſco innaſcens. Lichen terreſtris minimus fuſcus, Raii Syn. App.* In montoſis ſiccioribus, inter Muſcos & Gramina ſe ſpargentem, legimus. Folia parva ſunt membranacea, tenuia, fuſca, ad extremitates nonnunquam crenata. *Vid. icon. Tab. æn. 7.*

5. Muſco-fungus *purpureus Derbienſis tinctorius. Lichen purpureus Derbienſis, Park. Muſcus tinctorius cruſtæ modo petris adnaſcens, Raii Hiſt.* Lichenis in modum ſe petris diffundit, colore obſcure purpureo aut cinereo. A petris ruſtici deradunt, & in pulverem comminutum, in maſſam humidam cogunt, & in doliis recondunt, quæ pannis purpuraſcente colore tingendis inſervit. Melitenſes *Vercellam* vocitant, annotante *Jo. Franciſc. Abela.* Noſtratibus *Cork* & *Archol. Kenkerig* etiam *Wallis* appellatur.

§. 2. Muſco-fungi pyxidati.

1. Muſco-fungus *pyxidatus vulgatior minor. Muſcus pyxidatus, J. B. 767. Park. 1308. Ger. 1560. Muſcus pyxoides terreſtris 13. C. B. P. Lichenis* in modum *foliis* terræ inſtratis ſe diffundit, granulatus, fungoſæ ſubſtantiæ; ſurgentibus hinc inde uncialibus aut ſemuncialibus pyxidulis, craſſis, cinerei coloris, ſuperius in acetabuli formam patulis, pede anguſto nixis.

In aridioribus è corio terreo ſaxis inſtrato, inque colliculis à Talpis ejectis oritur.

2. Muſco-fungus *pyxidatus muralis major & rugoſior. An Muſcus terreſtris tubulis majoribus & candidioribus, C. B. Prod? Muſcus terreſtris pyxidatus alabaſtriculos imitans, Lob. Belg?*

3. Muſco-fungus *pyxidatus ſaxatilis, J. B. C. B. Prod.* Tubulis eſt longe minoribus, nec ita candidis, qui petris ſaxiſve latiſſimis innaſcitur, eaque obtegit, *C. B.*

4. Muſco-fungus *pyxidatus calyce altero alteri innato apicibus nonnunquam coccineis. Muſcus multiformiter pyxidatus, apicibus coccineis D. Plot. Nat. Hiſt, Stafford, R. Syn.* E calycis inferioris, primive oris, alii oriuntur calyces, & ex iis alii, ad quartum vel quintum uſque gradum, qui tandem apicibus coccineis coronati, interdum reperiuntur. *Vid. icon. tab. æn. 7.*

5. Muſco-fungus *pyxidatus Norwegicus tubulo longiore.* Colore & textura vulgarem refert; erectus vero eſt & gracilis, in biuncialem altitudinem ſe attollens. E *Norwegia* beneficio *D. Wheeler, D. Petiver* comparavit, & ex humanitate nobiſcum communicavit.

6. Muſco-fungus *pyxidatus gracilior ramoſus calycibus ſerratis.* Gracilitatem fili obtinet, ad biuncialem altitudinem aſſurgit, cauliculis ex cinereo fuſcis, qui nonnunquam ramoſi, æque ac tubulorum margines, denticulati ſunt. *In montoſis & petroſis locis colligitur Vid. icon. Tab. æn. 7.*

§. 3. Muſco-fungi corniculati.

1. Muſco-fungus *montanus corniculatus. Nobis. Muſcus corniculatus, J. B. Park. 1308. Muſcus coralloides major & minor, 12. C. B. P.* Aut potius *Muſcus montanus ſive coralloides cornutus, 3. C. B. P.* Variat hæc ſpecies, *C. B.* recte annotante, nunc erecta, nunc procumbens; major colore rubente, unde *Muſcus terreſtris coralloides erectus, cornubus ruſeſcentibus, 2. C. B. P. 12. Prod. Park.* Minor colore *cinereo*, ac nonnunquam *fuſco* mixtus, Muſcus *coralloides ſaxatilis cervi cornua referens 4. C. B. P. Lithobryon coralloides, Col. in montoſis ſiccioribus.* Vid. icon. Tab. æn. 7.

2. Muſco

2. Muſco-fungus *montanus corniculatus minor erectus apicibus coccineis. Muſcus coralloides apicibus coccineis Raii Syn. & Hiſt.* In montoſis non adeo ſiccis, & ad radices arborum ſponte oritur.

3. Muſco-fungus *ceranoides albus tuberculatus, apicibus nigris, Nobis. Muſcus ceranoides albus fungoſus apicibus nigris, D. Pluk. Tab.* 205. 6. Cornua plurima pene erecta, albicantia, biuncialia, in ramuſculos paucos ſe dividunt, è quorum lateribus tubercula nonnunquam erumpunt, & cornua acuta in nigredinem deſinunt.

4. Muſco-fungus *petræus corniculatus cornibus indiviſis & incurvatis.* Biuncialis quoque eſt planta, cujus cornua albeſcentia, ab eodem exortu plurima exeuntia, curvitate ſua uno verſu ſpectant, è quibus etiam tubercula aliquando exeunt. *Petris Alpium Britannicarum adhæret, unde* D. Lhwyd *eruit. V. icon. Tab. æn.* 7.

5. Muſco-fungus *ceranoides ſegmentis latioribus compreſſis eburneo nitens. Muſcus clavatus ceranoides,* 12. *Raii Syn. Muſcus ceranoides fungoſus ſegmentis latioribus compreſſis eburneo nitens, Pluk. Tab.* 47. 2. Cornu cervi diviſura donatur.

6. Muſco-fungus *ceranoides erectus raro ramoſus nigredine ſplendens. Muſcus clavatus ceranoides gagateus nigredine ſplendens,* 14. *Raii Syn. Pluk. Tab.* 47. 3. Ad radicem gracilior eſt, & clavæ in modum poſtea turgeſcit.

7. Muſco fungus *ceranoides mollior & elatior albidus tubuloſus.* An *Muſcus terreſtris coralloides erectus incanus,* 1. *C. B. P.* 11. *Prod. & Muſcus ceranoides Mentz. Pugill. Muſcus terreſtris ceranoides villoſus, Alm. Bot?* Recte ut plurimum aſſurgunt ſurculi palmares & altiores, molles, albidi, craſſiuſculi, cavi, in cornua pauca diviſi, quorum ſingulum in bifurcatum apicem, ut plurimum, terminatur. In *ericetis humidis* quibuſdam ſeptentrionalibus exit, & mollitie à congeneribus ſatis differt. *Vid. icon. Tab. æn.* 7.

8. Muſco-fungus *corniculatus major cinereus ramulis latioribus & veluti verrucoſis. Muſcus montanus coriaceus, ramulis inordinate diſpoſitis D. Vernon. 6. Raii Syn.* Humilis eſt, craſſus, rigidus, corniculis latiuſculis varie reflexis, & per totos ramulos verrucis parvis inſignitus.

9. Muſco-fungus *coralloides montanus ramoſiſſimus cinereus vulgaris. Muſcus coralloides ſive Corallina montana, Ger. Muſcus corallinus montanus, Park.* 1310. *Muſcus tubuloſus ramoſiſſimus fruticuli ſpecie, Raii Hiſt. 5. Syn.* Omnino cinerei coloris eſt, in plurimos ramuſculos tubuloſos divaricatus, hi iterum in quamplurima cornicula ramificati & intertexti, ut arbuſculam, copioſiſſimis ſuis ramulis ad minimum contractis, referat.
In montoſis ſiccioribus ut plurimum gaudet: humidioribus tamen locis nonnunquam reperitur. Vid. icon. Tab. æn. 7.

10. Muſco-fungus *coralloides montanus ramoſiſſimus fuſcus. Muſcus corallinus minor ramoſiſſimus fuſcus,* 77. *Muſ. Pet.* In cornicula plurima acutiora ramificatur, fuſci coloris; ramuſculi iis præcedentis aliquantulum craſſiores, tubuloſi, magiſque ad terram reflexi ſunt.
In montoſis ſiccis, ſed non admodum frequens occurrit.

11. Muſco-fungus *coralloides montanus tenuis, ramoſiſſimus non tubuloſus. Muſcus montanus fuſcus ramoſiſſimus non tubuloſus D. Vernon,* 7. *Raii Syn.* In globulis flocculiſve ſolicis nigricantis, ramuſculis ſuis quamplurimis tenniſſimis, veluti lignoſis, lentis, coagmentatus eſt: præcedenti tenuior eſt, & nigrior.
In ericetis ſiccioribus invenitur. Vid. icon. Tab. æn. 7.

12. Muſco-fungus *coralloides fruticoſior & lignoſior. Corallina montana fruticoſior* 8. *Raii Syn.* In fruticulum biuncialem, ramulis majoribus lignoſis, & verrucoſa cruſta veluti criſpata tectis, ſe ſpargit. Ad ſummitatem montis *Snowdon*, loco *Carnedd Lhewellyn* dicto, in *Avornia, D. Lhwyd* hanc ſpeciem copioſe naſcentem invenit, & inde attulit. *Vid. icon. Tab. æn.* 7.

13. Muſco-fungus *coralloides terreſtris denſe ramificatus cinereus & veluti incruſtatus Norwegicus. Muſcus coralloides criſpatus Norwegicus. D. Petiver* hæc planta debita eſt, quæ præcedenti valde convenit; ramuſculi tamen lignoſi, in tenuiores partes & veluti criſpatas cinereas ſe dividit.

14. Muſco-fungus *coralloides fruticoſior tenuior nodulis aſperſus. Muſcus coralloides terreſtris quaſi ſcutellatus, D, Petiver.* Cinerei coloris eſt, & denſe ramificatus, & ſecundum ſurculos, noduli parvi ſe extuberantes adnati ſunt. *A. D. Petiver habemus.* Vid. icon. Tab. æn. 7.

15. Muſco-fungus *trichoides è nigredine cinereus, jubæ ad inſtar ſaxis & arboribus dependens, D. Richardſon,* è cujus munificentia hanc ſpeciem habemus, quæ capillaceo cæſpite, inter alios Muſcos petris innaſcitur, ac interdum pedali cæſarie ab arborum ramis dependet.

§. 4. Muſco-fungi cruſtæ modo adnaſcentes.

1. Muſco-fungus *Lichenoides cruſtæ modo adnaſcens major cinereus. Briſtoliam* verſus tranſiens, lapidibus & herciis adhærentem, hanc ſpeciem cum vulgari minore paſſim naſcentem obſervavi: quæ circinatam formam affectare videtur, & foliolis latiuſculis, inæqualibus marginibus ſectis, palmarem & bipalmarem latitudinem acquirit. *Vid. icon. Tab. æn.* 7.

2. Muſco-fungus *Lichenoides arborum, latiſſimus è viridi flaveſcens Norwegicus. Lichen arborum è viridi flaveſcens ſive ochroleucos Norwegicus, D. Petiver.* Quoad foliorum latitudinem, noſtro *vulgari cinereo Hepaticæ facie,* primo hoc capite memorato, ſimilis eſt, colore vero ſulphureo, & adhærenti ſua facultate, potiſſimum differre videtur.

3. Muſco-fungus *Lichenoides arborum Hybernicus ſcutellatus.* In *Fraxinos* nata eſt hæc ſpecies, & ex *Hybernia à Cl. & laudato D. D. Sherard* allata, quæ latitudinem præcedentis non attingit; in ſuperficie vero cinerei coloris, peltæ maculæve rotundæ, ſatis amplæ, ſparguntur, fuſci coloris, marginibus ſe quodammodo prominentibus. *Vid. icon. Tab. æn.* 7.

4. Muſco-fungus *Lichenoides arborum criſpus cinereus ſubtus nigricans, Nobis. Lichen arborum criſpus ſubtus nigricans glaber, D. Pet.* Præcedentibus quodammodo minor eſt, in latum vero diffuſus, foliis (ſi ita dicam) ſuperne cinereis ad plumbeum cæruleumve colorem vergentibus, glabris, adverſa parte nigricantibus, corticibus arborum, plurimis locis, ſe ſpargentibus, donatus. *Vid. icon. Tab. æn.* 7.

5. Muſco-fungus *Lichenoides arborum anguſtior foliis ſuperne cinereis ſubtus nigricantibus villoſis, Nobis. Lichen Norwegicus perlatus ſubtus villoſus aterrimus, Pet. Muſcus arboreus Leucomelanius ramulis altera parte anthracinis, altera candidiſſimis, Pluk. Alm. Bot.* Corticibus arborum compreſſus, anguſtioribus ſuis foliis, prona parte rugoſis & veluti radiculatis. E *Norwegia* prædictus *D. Petiver* acquiſivit, haud dubio inter nos etiam reperiatur.

6. Muſco-fungus *Lichenoides minor cinereus vulgatiſſimus. Muſcus cruſtæ modo adnaſcens cinereus, Raii. Lichen Dioſcoridis & Plinii 2. Col. 330. fig. 331. Muſcus aridus cruſtatus, Park. 1313. Muſcus cruſtæ modo arboribus adnaſcens, 8. C. B. P.* Muris & arboribus, arcte adnaſcens, ubique provenit. *V. icon. Tab. æn. 7.*

7. Muſco-fungus *Lichenoides cruſtæ modo adnaſcens cinereus mollior, & in anguſtiores lacinias diviſus. Muſcus cruſtæ modo arboribus adnaſcens &c. Raii.* Ut plurimum, præcedenti magis extat, cætera titulus exprimere ſufficiet. An *Muſcus Licheniformis albidus pulverulentus, R. Syn. App?*

8. Muſco-fungus *Lichenoides minor vulgatiſſimus flavus. Muſcus cruſtaceus bracteolatus flavus, D. Pet.* Arboribus, muris, petris & tectis adhæreſcens ubique obvius eſt, & ſatis frequenter; cum bene nutritus ſit, peltis ſcutelliſve rotundis concoloribus, aliquantulum cavis, conſperſus, reperitur.

9. Muſco-fungus *Lichenoides minor vulgaris pullus. Muſcus cruſtæ modo adnaſcens pullus, Raii.* Paſſim cum cæteris minoribus provenit, quibus tenuior apparet, magiſque criſpatus.

10. Muſco fungus *tartaricus leproſus ſcutellaris cinereus. Muſcus cruſtaceus leproſus ſcutellaris cinereus, Muſ. Pet. 79.* Tatari in modum, cruſtacea lapidea materia conſtat, cujus ſuperficiem ſcutæ rotundæ, rugoſæ, cavitate donatæ, ſibi invicem contiguæ, obtegunt. Petris & ſaxis adhæreſcens, variis locis invenitur.

11. Muſco-fungus *tartaricus albeſcens rugoſus farinaceus. Lichen cruſtaceus albeſcens ſcutis farinaceis, D. Pet.* Lapidea materia ſe ſpargit, quapropter hi duo poſtremi, cruſtacei, rectius cenſentur. Superficie donatur ex albo cinerea, dura, tuberculis parvis rotundiuſculis, farinacea ſubſtantia aſperſis.

Arboribus & ſaxis naſcitur.

§. 5. Muſco-fungi e corticibus arborum dependentes. Sunt vel *latiores* vel *tenuiores.*

1. Muſco-fungus *arboreus platyphyllos ramoſus è viridi fuſcus, Nobis. Muſcus arboreus pulmonarius, C. B. P. Muſcus pulmonarius ſive Lichen arborum, Park. 1313. Lichen arborum Ger. Lichen arboreus ſive Pulmonaria arborea, J. B. Pulmonaria Tab. 536.* Item *Lichen arborum ejuſdem, 813.* In ſylvis & opacis, è caudicibus arborum vetuſtarum, ac ramulis, oritur & dependet. Lichenis vulgaris in modum in plures lacinias ſine ordine diſſecta ſunt *folia* latiuſcula, compreſſa, inferne è viridi colore fuſca, ſuperne ad cinereum vergentia, palmum longa, inæqualibus cavitatibus rugoſa. *V. icon. Tab. æn. 7.*

Adverſus morbos pectoris inſignis eſt. Syrrupus *ejuſdem contra tuſſim, aſthmata, alioſque pulmonum morbos, cum ſucceſſu adhibetur.* Pulvis *etiam ejuſdem optimi eſt uſus: exſiccandi & aſtringendi facultate præditus, ſanguinis profluvia vel externa vel interna ſiſtit. Adverſus icterum mire commendatur, de quo plura lege in Ephem. German. Ann. 3. Obſ. 290.*

Hujus alteram accepimus varietatem, *foliis triplo latioribus*, quæ *Pulmonaria ſaxatilis appellata eſt.*

2. Muſco fungus *quernus latifolius cinereus.* Paſſim reperitur, & ſcutis concavis hinc inde aſperſus eſt.

3. Muſco-fungus *arborum anguſtior peltatus & ſcutellatus. Muſcus arboreus peltatus & ſcutellatus, J. B. Muſcus arboreus cum orbiculis 3. C. B. P.* E latitudine compreſſis ex anguſtioribus foliolis compoſitus eſt, quibus ſcutellæ copioſiores adnatæ ſunt. *V. icon. Tab. æn. 7.*

4. Muſco-fungus *arboreus tenuior ſcutellis vel capitulis cavis. Muſcus arboreus Anglicus capitulis cavis, D. Pet. Muſcus arboreus capitulis cavis, 4. C. B. P. Muſcus quernus fruticoſus capitulis cavis, Park. 1312. Muſcus alter πλατυπυκνοδασύφυλλον Col. 334.* Vid. icon. Tab. æn. 7.

5. Muſco-fungus *arboreus capitulis roſtratis. Muſcus alter quernus latifolius coralloides, Park. Muſcus arboreus coralloides 5. C. B. P. Muſcus alter quernus coralloides ἄφυλλον Col. 334. Vid. icon. Tab. æn. 7.*

6. Muſco-fungus *arboreus cinereus ſcutellatus, marginibus piloſis. Muſcus arboreus ſupinus marginibus piloſis, Raii Syn. & Hiſt.* Hujus laciniarum margines & extremitates pilis fimbriatæ ſunt. Scutæ rotundæ, concavæ, marginibus veluti dentatæ, piliſque longis exeuntibus ornatæ ſunt. *V. icon. Tab. æn. 7.*

7. Muſco-fungus *arborum vulgatiſſimus cinereus, cornu cervi diviſura. An Muſcus amarus Abſinthii folio, J. B. vel potius Muſcus arboreus ramoſus Ejuſd. Foglio diramato Imp?*

8. Muſco-fungus *arborum tenuior, ſcutis in marginibus foliorum donatus. Muſcus arborum anguſtifolius ſcutis in marginibus foliorum, Pet.* In tenuia cornua cinerea ſe dividit hæc ſpecies, è quorum lateribus ſcutellæ ſeu extuberantiæ parvæ provenientes apparent.

9. Muſco-fungus *arboreus cinereus minor marginibus piloſis. Lichen cruſtaceus marginibus piloſis minor, D. Pet.* Parvula hæc planta, è cortice *Pruni ſylveſtris* ut plurimum naſcens, ſemiuncialem longitudinem vix excedit, in tenues lacinias varie diffuſa, & ſcutellis longis veluti tubuloſis donata.

10. Muſco-fungus *Norwegicus arborum ceratoides ſegmentis anguſtioribus albidis ſubtus nigricantibus. Lichen Norwegicus ſegmentis anguſtioribus albidis ſubtus nigricantibus, D. Pet. An Lithobryon coralloides, Col. Part. alt. 84.* Huic cornua ſunt tenuia uncialia & biuncialia, in roſam expanſa, è rotundo compreſſa, ac in ramuſculos diviſa, altera parte albido, altera nigricante colore infecta. *D. Petiver* primum comparavit, è cujus liberalitate accepimus.

11. Muſco-fungus *arborum nodoſus ſive geniculatus, Nobis. Muſcus arboreus, 6. C. B. P. Nodoſus ſive geniculatus, Park. 1312. Dendrobryon geniculatum, Col. Part. alt, p. 83.* Ex arborum ramulis pedali & ſeſquipedali longitudine dependet, cinerei coloris, filamentis geniculis nunc brevioribus nunc longioribus diviſis, filo albo tomentoſo per mediumdecurrente, ut armillas quodammodo referant; interdum tamen plana ſunt, tenuia, comata,

comata. *E Fagorum ramulis naſcentem, Sylva ad villam* Stokenchurch *dictam attinente, collegi, aliiſque Angliæ invenitur arboribus, ſed rarius occurrit.* Vide icon. Tab. æn. 7.

12. Muſco-fungus *arboreus Canarienſis ex ſtaminibus craſſioribus geniculatis in tenuiſſima & longiſſima fila ramuloſus. Muſcus cinereus è ramis arborum dependens Canarienſis, ex ſtaminibus craſſioribus geniculatis, in tenuiſſima & longiſſima fila ramuloſus, D. Pluk. Alm.* Hujus filamenta longa cinerea, in ramulos paucos ſe dividentia, ac geniculis longis veluti diſtincta ſunt: ſecundum quæ pili longi concolores, ramuſculive tenuiores exeunt. *In collectaneis D. Petiver obſervavi.*

13. Muſco-fungus *arboreus vulgaris comoſus cinereus, Nobis. Muſcus arboreus Uſnea officinarum* 1. *C. B. P. Muſcus vulgaris & quercinus, Park.* 1312. *Muſcus quernus Ger.* 1558. *Lob. Muſcus arboreus villoſus, J. B. Muſcus arboreus, Trag. Matth. Dod. Lugd.* Palmaris eſt & cinereus, è lignoſo principio in ramuſculos tenues capillaceos comatus.

14. Muſco-fungus *arborum capillaceus ſcutis amplis per ambitum pilis radiatis, Nobis. Muſcus quercinus faniculaceus, Park.* 1312. *Ramoſus floridus, Ger.* 1560. *Tab. icon.* 808. *Muſcus quernus τριχόφυλλον atque σκιαδοειδὲς δασυκλωνοειδὲς, Col.* 334. Præcedenti convenit; cacuminibus vero ſcutas ſeu umbellulas latas, cavas, læves, interdum ſemiuncialis latitudinis, per ambitum pilis longis radiatas, habet.
Quercinis ramulis exoritur, ſed non admodum frequens. Vid. icon. tab. æn. 7.

15. Muſco-fungus *arboreus Norwegicus cinereus foliis capillaceis tenuiſſimis. Muſcus arboreus Norwegicus foliis capillaceis tenuiſſimis D. Pet.* A quo accepimus. Capilli longi ſunt, aliquantulum ramificati, ex fuſco cinerei, omnium tenuiſſime cæſareati.

16. Muſco-fungus *arboreus Canarienſis capillaceus aurantiacus. Muſcus arboreus aurantiacus Staminibus tenuiſſimis, ex inſulis Fortunatis, D. Pluk. Alm. Tab.* 309. 1. In fruticulum palmarem ramificata eſt hæc ſpecioſiſſima ſpecies, quæ ex filamentis tenuiſſimis, elegantis aurantii coloris, lendibuſque paucis rarius aſperſis, compoſita eſt. *Forte Muſcus arboreus rutilans, C. B. P. Idem ſit.*

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XLVI.

Fungus.

Fungus à fugiendo dicitur, quia ob qualitates pernicioſas vitandæ ſunt plurimæ ſpecies; vel à funere, quia ad funus agunt & interimunt. Hinc *Fungi* noxii putantur; ad quam ſententiam confirmandam nimia ſunt exempla; imo de *Boletis* à *Cluſio* dictis, *Fungis* maxime celebratis; de quibus *Plinius* ſcripſit, Infamis autem & immenſo exemplo in crimen adductus fuit, quod olim *Tib. Claudium Cæſarem* (qui *Boletorum* ésu impenſe delectabatur) conjux *Agrippina Boleto* veneno illito ſuſtulerit, ut *Neronem* filium ipſi ſucceſſorem imperio daret. Hinc *Juvenal. Satyr.* 5.

Vilibus ancipites (inquit) Fungi ponentur amicis;
Boletus Domino, ſed qualem Claudius edit
Ante illum Uxoris, poſt quem nil amplius edit.

Item Satyra 6.

——— *Minus ergo nocens erit Agrippinæ*
Boletus; ſiquidem unius præcordia preſſit
Ille ſenis, tremulumque caput deſcendere juſſit.
in cælum ———

Martial etiam talia tradidit, ex Horatio perſpicua fuit facultas, In Bacchidibus *Fungum* reddit hominem ſtolidum & inconſideratum.

Adeo me fuiſſe Fungum ut qui illi crederem.

Et paulo poſt

Tanti eſt quanti eſt Fungus putridus.

Scaliger Exercit. 140.

Lauta decent nitidæ Boleti fercula cænæ
Sed niſi percoctis virus ineſſe puta:
Cui pituita placet, vel inani frigida ſucco
Pectora, Fungorum millia multa voret.

Tho. Bartholin. in Act. Med. A. 1673. *Obſ.* 116. Hiſtoriolam pernicioſæ *Fungorum* qualitatis ſcripſit; aliæque plurimæ numerentur. Regionibus tamen calidioribus, inter delicias recipiuntur *Fungi*, ac menſis afferuntur, & ſtomacho gratos eſſe, alvum movere, multumque alere, ſcribit *Diphilus*. In cibos idoneos eſſe & ſuaves, & nihilominus majore copia ſumptos, nocere, refert *Dioſcorides*. Etiam *Ruellius* ait, quod *Fungorum* non malus eſt cibus, niſi temere mandantur. *Fungi* qui quanto craſſiores ſunt & glutinoſiores, tanto magis malum efficiunt, ægrius concocti ſtrangulant, & vi narcotica, ſanguis torpidior redditur, ac Apoplexia cito ſequitur. *Remedio eſt Meri potio. aut lixivium cum acido Muria, aut fervefactæ Satureiæ aut Origani juſculum.*

Fungi inter Plantas imperfectas, à plurimis, & forte non immerito, numerantur, cum neque *radice*, *foliis*, *caule*

caule, *flore*, nec *fructu* conſtant; perfectas enim, nullo ſemine prævio oriri, vix concedimus: ſed ſi cum doctiſſimo *Cæſalpino* loquar, ex incompoſita quadam materia videtur, naturæ addiſcentis Plantas conſtituere. Atque oculatiſſimus *Malpighius* referre videtur, quòd pilorum inſtar concreta contextum probabiliter efficiunt: unde ulteriore ſubſequente fermentatione & quaſi vegetatione, (urgente exterioris aeris elaſtica vi) congeſta ſurſum in caulem eriguntur, & deficiente vi effluviorum prementeque aeris gravitate, quaſi reflexa in capitulum definunt. *Porphyrius Filios Deorum Fungos* vocabat, quia ſine ſemine provenire videbantur. *Filioſque terræ*, quorum pater ignotus eſt. Alii affirmant quod aqua in qua *Fungi* infuſi vel decocti ſunt, terra pingui, humente & calente inſperſa, vel fruſtulæ eorum inſtratæ, *Fungos* copioſe producent. E ſale putridoque humore viſcido generari videntur, cito orientes, & celeriter putreſcentes; pubes enim & canities, carnibus, caſeis, terræ, ſaxis, ſeneſcentium caudicibus arborum, tectis, lignis putridis, locis ſtercoratis & fimetis, & quamplurimis ad putrefactionem tendentibus, ubi eorum ſemen decidiſſe non ſuſpicatur, in *Fungos* naſci cernitur. *Fungorum* tamen plurimæ ſpecies propriam ſibi formam quotannis retinere reperiuntur.



§. 1. Fungi terreſtres eſculenti lamellati.

1. Fungus *pileolo lato orbiculari candicante*, 14. *C. B. P. Fungi eſculenti* 18. *genus*, *Cluſ. Hiſt.* 267. *Pradelli ſive Fungus* 3. *Sterbeeck*, *Tab.* 2. *C.* Gallis *Champignon.* Germanis *Pfifferling.* In tres ſpecies variare, refert *Cluſius.* Prima, duas fere uncias lata, orbiculata, plana, alba, intus lamellata· 2. Quatuor aut plures uncias lata, ſuperne alba, maculis flaveſcentibus inſperſa, intus flaveſcens, & ſtriis ſeu lamellis profundioribus, à pediculo craſſiore ductis, donata. 3. Adhuc amplior eſt, longiore graciloreque pediculo ſuffulta, ſuperne & inferne colore ex fuſco ſubrubente tincta: quæ non adeo frequens comeditur ac priores.

2. Fungus *pileolo lato & rotundo* 12. *C. B. P. Fungi eſculenti nonum genus*, *Cluſ. Hiſt.* & *Fungus amplus nemorum Ejuſdem* 293. *Fungus piperatus albus lacteo ſucco turgens*, *J. B.* 825. Hujus quatuor ſunt differentiæ. 1. *Supina parte candicans*, *inferne magis fuſcus*, *evidentibus ſtriis donatus.* 2. *Superne albicans*, *craſſis ſtriis inſignitus.* 3. *Superne in albedine magis fuſcus*, *pediculo craſſiore nigricante.* 4. *Rufeſcit*, & *pediculo eſt albo.*

3. Fungus *magnus totus albus ſive ſucco lacteo edulis*, *Columbettes Montbelgardi*, *J. B.* 826. 60. *Sterbeeck*, *Tab.* 9. *B.* Magnus eſt, tam ſubtus quam ſupra albus.

4. Fungus *pileolo in plano orbiculari villoſo*, 14. *C. B. P. Fungi eſculenti* 10. *genus*, *Cluſ. Hiſt.* 268. *Fungi ſylveſtres cervini.* 1. *Fungus villoſus puniceus*, 2. *Glaber ex rufo fuſcus*, *J. B.* 812. 14. *Sterb. Tab.* 6. *C.*

5. Fungus *major pediculo longo*, *modice craſſo*, *lamellis albis creberrimis ſuperne ad margines apparentibus.* Pediculus in majoribus ſeſquipalmari eſt altitudine, minimi digiti propemodum craſſitie; *Pileus* palmum latus, non admodum craſſus, lamellis ſubtus candidis, creberrimis, quæ hoc peculiare habent, quod a margine ad pediculum omnes extendantur, ut non plures ſunt ad marginem quam ad pediculum. Lamellæ etiam ad margines ſuperne apparent, ita ut margo ſtriata ſeu pectinata videatur. *In ſylvis* D. Dale *invenit* & D. Raio *attulit*, *qui ad hunc modum in Faſciculo*, *Synopſin præcedenti*, *deſcripſit.*

6. Fungus *pileolo lato & rotundo livido*, 13. *P. B. P. Fungi vulgatiſſimi eſculenti*, *Lob. icon. Vulgares edules Fungi Cluſ. Hiſt.* 292. *Fungi vulgares Amanitæ vel Boleti. Trag. Eſculenti*, 12. *Park. Sterbeeck*, *Tab.* 1. *Ad* 9. *Cuſii referri poteſt. Fungus campeſtris albus ſuperne*, *inferne rubens*, *J. B.* 824. *Forte etiam Fungi varii Mouceron dicti odori*, & *Fungi eſculenti*, *Ejuſdem*, 22. *Sterb. Tab.* 3. *A.*

7. Fungus *bulboſus fuſcus duplici pileolo*, 25. *C.B.P. Fungus quercinus dipſacoides*, *Col.* 336. 51. *Sterb. Tab.* 8. *A.* Radix rotunda veluti tuberoſa, medio petioli labrum ineſt, ut *Dipſaci* folia circa genicula hærentia, cava, (unde nomen) pileus pyramidalis, albus, ſuperficie caſtaneo colore aſperſa. *Octobri* menſe in quercetis humentibus naſcitur.

8. Fungus *pileolo lato longiſſimo pediculo variegato*, 24. *C. B. P. Fungus longiſſimo pediculo candicante*, *J. B.* 826. *Fungus eſculentus* 18. *genus Cluſ. Hiſt.* 274. 46. *Sterb. Tab.* 7. *A.* In octo vel novem unciarum altitudinem porrectus eſt pediculus, rectus, verſicolor; ipſum vero *Fungi* corpus pilei aut galeri formam quodammodo refert, valde laxis oris, orarum diametro uncias fere octo occupante, candicanti colore ſuperna pars, aut maculis ex fuſco rufeſcentibus infecta; inferne cava, admodum camerata, candicans: infra pediculi longi faſtigium, corolla digitalis circiter latitudinis ipſum amplectitur.

In Hungaricis, *Germanicis*, & *etiam Anglicis arvis provenit.*

9. Fungus *pileolo magno plano orbiculari venis aſperato*, 15. *C. B. P. Fungi eſculenti*, 2. *Spec. Cluſ. Hiſt.* 275. *Fungi Abietini eſculenti*, *J. B.* 830. *Figura vero eſt alterius*, 43. *Sterb. Tab.* 6. *E.* Variat. 1. *Rubens.* 2. *Mixti coloris inferne candicans.* 3. *Mixti quoque rubeſcens.*

10. Fungus *umbilicum referens variegatus*, 8. *C. B. P. Fungi* 13. *Cluſ. Hiſt. Fungi* 5. *Sylvarum aſperi eſculenti*, *J. B.*

J. B. 827. 36. Sterb. Tab. 5. C. 1. Ex albo virescens. 2. Ex caruleo virescens. 3. Purpureus, 4. Flavescens, inferna parte alba. 5. Ex albo fuscus.

11. Fungus *albus dictus Montbelgardensibus & vicinis, Bißette, 7. J. B.*

12. Fungus *orbicularis exalbidus pratensis, 4. C. B. P. Fungi esculenti 3. genus vel Sancti Georgii, Clus. Hist. 274. Fungi D. Georgii coloris exalbidi, cum pauca flavitie esculenti pratenses, 3. J. B. 824. 6. Sterb. Tab. 1.*

13. Fungi *tuberosi esculenti albi fusco permixti vel maculis distincti, 16. J. B. 829. Fungus orbicularis sulcatus albus fusco permixtus, 9. C. B. 7. Clus. Hist. 277. 40. Sterb. Tab. 6. B.*

14. Fungus *pileolo plano subfusco oris laceris 16. C. B. P. Fungi esculenti 11. genus, Clus. Hist. 269. Fungi laceri sylvestres esculenti subfusci coloris inferne candicantes, 22. J. B. 831. 58. Sterb. Tab. 9. A.*

15. Fungus *pileatus major, superne coloris castanei, lamellis candidis, caule maculato, D. Sher. 5. Raii Syn.* Ex Hibernia Cl. Sherardus attulit.

16. Fungus *pileolo lato orbiculari flavescente, 11. C. B. P. Fungi esculenti, 12. Clus. Hist. 4. Trag. Fungus pallidus 26. J. B. 32. Sterb. Tab. 4. C.*

17. Fungus *pileolo lato puniceo lacteum & dulcem succum fundens, 17. C. B. P. Fungus 6. quem aliqui crudum devorant, Trag. Fungi punicei lacte dulci manentes pratensibus similes edules, 17. J. B. 829.*

18. Fungus *planus orbicularis aureus, 23. C. B. P. Fungi esculenti, 17. genus Clus. 273. Fungi lutei magni dicti Iaseran speciosi, J. B. 831.*

19. Fungus *latus sanguinei coloris, 19. C. B. P. Lingua in caudicibus Castanearum Cæs. 33. R. Hist.*

20. Fungus *orbicularis oris intus reflexis, 21. C. B. P. Fungi esculenti, 15. genus Clus. sive Suilli.* Duplex est 1. *Utrinque subalbidus veluti fuligine infectus:* at superne aliquot maculæ albæ asperguntur; inferne striis crassis nigricantibus notatur, 2. *Major* cujus pars superior coloris est purpurei rubro saturo commixti, secundum oras maculis albis aspersa: inferior ex albo fuscus est, striis tenuioribus excurrentibus notata.

Suillos vulgo *Porcinos dictos, Boletis crassiores*, superne subfulvos, inferne cinereos, interne candidos habet Cæsalp.

21. Fungus *major rubescens pediculo brevi crasso, lamellis crebris albentibus, 7. Raii Syn.* Colore est exterius vel rubenti, vel fulvo, pulpa candidissima. Sub Quercibus mense Augusto provenit.

22. Fungus *lamellatus pileolo lato tenui coriaceo compresso umbilicato, D. T. Robinson, 9. Raii Syn.*

23. Fungus *minor, pileolo lato superne candido lamellis subtus creberrimis, pallide rubentibus seu incarnati, ut vocant coloris, D. Dale.* Pediculus huic brevis est & modice crassus. In Sylvosis locis nascitur, *Raii Fascic.*

24. Fungus *minimus odoratus capitulo donatus cinereus, 28. C. B. P. Prunuli vulgo, Cæs. Fungus sphæricus parvus cineraceus, 25. Sterb. Tab. 3. D.*

25. Fungi *plures simul albi ad arborum radices esculenti, J. B. 834. Fungi umbilicum exprimentes plures simul albi, 7. C. B. P. Fungi esculenti. 6. Clus. Hist. 266. Fungi in Populo alba, Matth. 80. Sterb. Tab. 12. B.*

26. Fungus *anguloſus & velut in lacinias sectus, 20. C. B. P. Fungi esculenti, 14. genus, vel Fungus leporinus, Clus. Hist. 270. Fungus luteus sive pallidus, Chanterelle dictus, se contorquens Esculentus, 27. J. B. Croceus parvus, 34. Sterb. Tab. 4. B.* Duplex est. 1. Superne pallidus flavis maculis variegatus, inferne flavescens, fuscis striis distinctus. 2. Duplo major, superne flavus, inferne striis distinctus, croceoque colore infectus.

27. Fungus *in metam fastigiatus albus fusco tinctus, 3. C. B. P. Fungi esculenti, 4. genus Clus. Hist. 265. Fungi in metam fastigiati esculenti coloris albicantis, fusco tincti, 15. J. B. 829. 63. Sterb. Tab. 9. E.*

28. Fungus *apice pyramidali & angusto, 2. C. B. P. Fungi delicatissimi saporis, 42. J. B. Alter primi generis, Clus. Hist.*

§. 2. Fungi esculenti non lamellati.

1. Fungus *candidus odoratissimus orbe magno, 18. C. B. P. Fungus candidus regius odoratissimus, 5. J. B. Et Fungus Richione, quasi magnum Fungorum Regem dicas, Portæ.* Esui tam suavis est, ut crudus edatur, & ægris innoxie præbeatur.

2. Fungus *maximus Ungaricus multis laciniis squamatim incumbentibus, 32. C. B. P. 21. Sive Monstrosus, Clus. Bokros gomba Ungaris.* Monstrosum dixit *Clusius*, quia adeo vastæ interdum amplitudinis, ut integram familiam explere & satiare possit; & alio loco, ut bigam facile impleret. Ipse Cl. Auctor se in bipedalem aut majorem latitudinem diffusum est ait, qui semipedalis altitudinis pediculum habebat, multis veluti amplis & laciniatis foliis squamatim vel imbricatim sibi invicem incumbentibus, constans; quorum etiam nonnulla Quercus sinuosa folia imitarentur, coloris ex fusco nigricantis, vel ex albo nigri, aut multis maculis nigris in albo consperfis, notata.

Ipse Auctor quærit an 5. genus suum ab hoc differat, qui *Fungus* est *anguloſus pediculo exiguo, 5. C. B. P. Septembri* mense crescit. Fortasse inter *fungos lignosos seu arboreos*, potiori jure locum teneret.

3. Fungus *pene candidus prona parte erinaceus, 14. J. B. 3. Raii Hist. & 3. Synopſ.*

4. Fungus *autumnalis bisulcus velut apex flaminis Plinii, Mentz. Tab. 6.* Externe planus est, & mitram Episcopalem sulcata divisione, referens, apparet. In pinastretis *March Bandenberg* collegit Auctor.

5. Fungus *rotundus cancellatus, 43. C. B. P. Fungus coralloides cancellatus, 44. J. B. 839. Clus. App. alt. Fungus Lupi crepitus vulgi efflorescens, Col. 336. Park. 1322. 9. Raii Hist. Fungus. 3. sive orbicularis, Ger. 144. Sterbeeck, Tab. 30. N.*

6. Fungus *porosus, 1. C. B. P. Fungus rugosus vel cavernosus sive Merulius niger & albus, 37. J. B. 836. 1. Clus. Hist. 274. Fungi faviginosi sive Fungi rugosi favis mellis similes, Lob. Fungus faviginosus, Park. 1317. Sterbeeck, Tab. 10.*

7. Fungus *porosus magnus nostras, 2. Raii, Hist. An Fungi esculenti 16. genus 3. Clus.* Augusto mense exit.

Ab omnibus aliis *Fungis* facile diſtinguitur, ſubſtantia inferiore foraminulenta ſeu poris creberrimis pertuſa, ejuſque colore ex luteo virente, & interdum plane luteo.

8. Fungus *rugoſus in longitudinem excreſcens metæ inſtar aut pilei ſive petaſi Germanici longioris, quo limbo caret, 69. Sterbeeck, Tab. 10. D.*

9. Fungus *rugoſus compreßus, radicem Ariſtolochiæ rotundæ referens ſive tuberans, 70. Sterb. Tab. 9. E.*

10. Fungus *cavernoſus niger major, 71. Sterb. Tab. 10. F.*

11. Fungus *cavernoſus ſphærocephalus aureus, 72. Sterb. Tab. 10. G. An Coralloides cancellatus flaveſcens, D. Sher. Aut magnus noſter, Raii?*

12. Fungus *cavernoſus anguſtior pyramidalis acutus, 73. Sterb. Tab. 10. H.*

§. 3. Fungi ſubterranei Tubera dicti.

1. Fungus *in ſaxis proveniens, 33. C. B. P. Fungi ſupra lapides, 36. J. B. E lapidibus Matth. Tartufi fungari ſive Fungus petroſus Imp. Tubera ſpecialiter dicta Lauremberg, p. 129.* Tanta interceſſit quondam gratia *Fungis* cum menſis in *Italia*, ubi eorum frequentiſſimus eſt uſus, ut *Neapoli* inventi ſint lapides, qui defoſſi, & in cellas vinarias tranſlati, terra aliquantulum operti, & ſubinde tepida aqua inſperſi, intra quatriduum *Fungos* non ingratos procrearint, & *Lapides fungiferi* appellati ſunt. Magnitudo horum multiplex, & ſunt qui centenarum librarum pondo ſuperant. Ex his *Fungos* toto anno enaſci, ſi aqua irrigentur, etiam domi aſſervatis, creſcereque in dies continua fertilitate, pediculis in lapidem induratis, atteſtatur quoque *Cæſalpinus*.

2. Tubera 1. *C. B. P. Matth. Tab. J. B. Tubera terræ Ger. Tubera terræ edulia, Park.* 1319. Nihil aliud ſunt quam ſine caule, ſine foliis radices, magnitudine varia, pugillari interdum, alias juglandis Caſtaneæ aut Avellanæ, tuberculis extantibus inæquales, externa ſuperficie rugoſa, & nigra, ſubſtantia alba, conſiſtentia carnis caſtanearum, guſtu fatuo, odore nonnihil gravi & hircino, *J. B.*

Imperato *Tubera* è genere vegetabilium ſunt, ſub terra cortice latentia, figura inæqualiter globoſa; ſubſtantia eorum calloſa eſt, tenera, nutritioni apta. Creſcunt locis arenoſis & inter ſtirpes, in *Italia*.

3. Tubera *cervina 2. C. B. P. Tuberum genus quibuſdam Cervi Boletus, J. B. Boleti cervini orbiculati, Thal. Fungi cervini Boleti officinarum Cord. in Dioſc.* Cervina dicuntur quia reperiuntur iis in locis ubi cervi libidinem ſuam exercent: Magnitudine eſt juglandis, interdum Avellanæ & minore, tuberoſum & inæquale, ſubſtantia inter duritiem & mollitiem media, cortice intectum, ex cineraceo ad fulvum colorem nonnihil inclinante, ſuperficie, granulata, cui callus ſubeſt atropurpureus, ea quam diximus conſtſtentia, qui recentior ſubaſtringit, exſiccatus adſtrictione amiſſa, dulcedinem leviuſculam linguæ offert.

4. Tubera *ſubterranea teſticulorum forma, March. Brand. Mentz. Tab. 6.* Menſe Auguſto & Septembris initio proxime urbem *Furſtenwaldiam*, & alibi, ſub ceſpitibus arenoſis, hæc *Tubera*, teſticulos humanos, ſcroto denudatos, forma, magnitudine & colore, exacte referentia, Cl. Auctor reperit, qui primo Porcos ſe cum proboſcidibus ſubvertentia, obſervabat.

§. 4. Fungi terreſtres noxii, pileati, molles, pediculis donati, lamellati majores.

1. Fungus *latus orbicularis oris intus converſis, 21. C. B. P. Fungi duo à Sue appellati albi, ſed maculati ſylveſtres perniciosi, 62. J. B. Fungorum noxiorum 14. genus, Cluſ. Hiſt.*

2. Fungus *pediculo in bulbi formam excreſcente, 22. C. B. P. Fungi duo bulboſo pediculo, 1. Pallidus maculatus, 2. Tetri coloris, 59. J. B. 843. Fungorum noxiorum, 15. genus, Cluſ. Hiſt. 281.*

3. Fungus *omnium ampliſſimus purpureus, 32. C. B. P. Fungorum noxiorum, 19. generis ſpecies, 3. Cluſ. Fungus purpureus maculatus ſtriis nigris, 61. Sterb. Tab. 21. G.*

4. Fungus *birſutus marmoreus ruber perniciosus, 71. Sterb. Tab. 23. A.* Ex rubro & albo colore, marmoris inſtar ſtriatus & variegatus eſt, & caput amplum rotundum convexum, ſubtus lamellis liratum gerit.

5. Fungus *coriaceus pileolo latiſſimo atrorubente, pediculo breviſſimo D. Dale, 2. Raii Syn.*

6. Fungus *umbilicoſus ruber perniciosus, 66. Sterb. Tab. 22. F. Latus eſt, & in medio umbilici in modum depreßus, ſubtuſque lamellatus.*

7. Fungus *muſcas interficiens, 19. C. B. P. Fungi venenati, 5. Muſcarii dicti, 51. J. B. 841. Fungorum noxiorum, 12. genus Cluſ. Fungi muſcarii, 63. Sterb. Tab. 22. A.*

8. Fungus *muſcarius turbinatus miniatus, 64. Sterb. Tab. 22. B. C.*

9. Fungus *muſcarius ſubrufus pediculo craſſo, 65. Sterb. Tab. 22. D. E.* In conum erigitur, ad oras profunde laciniatus eſt, craſſus, carnoſus, intus lamellatus, ſubrufo aut colore ad aurantium vergente tinctus. *In Agro Northampt. Collegi.*

10. Fungus *rotundus ſulfureus, 79. Sterb. Tab. 23. I.* Latus eſt & compreſſus, ſulfurei coloris, margine circinato donatus.

11. Fungus *fimetarius in plano orbicularis candidus, 11. C. B. P. Fungi ſterquilini albi perniciosi, 63. J. B. Fungorum noxiorum, 3. genus Cluſ.*

12. Fungus *major pediculo brevi craßo lamellis crebris albentibus, 9. Raii Hiſt.*

13. Fungus *mediæ magnitudinis pileolo ſuperne è ruffo flavicante, lamellis ſubtus ſordide virentibus, D. Dale 5. Raii Syn.*

14. Fungus *fœcundus colore lateritio perniciosus, 56. Sterb. Tab. 21. B.*

15. Fungus *maternus rufus perniciosus*, 60. *Sterb. Tab.* 21. *F.* Fungus magnus est orbicularis nigricans, inferne lamellatus.

16. Fungus *perniciosus inversus pustulatus*, 58. *Sterb. Tab.* 21. *D.* Superficie planus est, pustulis vero signitus, & ad pediculum convexus, & lamellatus.

17. Fungus *latus orbicularis candidus*, 20. *C. B. P. Fungi ranarum albi perniciosi*, 65. *J. B. Fungorum noxiorum*, 13. *genus Clus.*

18. Fungus *coryleus orbicularis*, 13. *C. B. P. Fungi sub Corylis orbicularis figuræ*, 55. *J. B. Fungorum noxiorum*, 6. *genus, Clus.*

19. Fungus *buffonius orbicularis*, 14. *C. B. P. Fungi tres buffonii perniciosi*, 64. *J. B. Fungorum noxiorum*, 7. *genus, Clus.*

20. Fungus *betulaceus orbicularis albus*, 16. *C. B. P. Fungi Betularum albi maculuti pernicioſi*, 52. *J. B. Fungorum noxiorum*, 8. *genus, Clus.*

21. Fungus *orbicularis ex atro rufescens*, 17. *C. B. P. Fungi stultorum Boleto similes pernicioſi*, 25. *J. B. Et Fungi quodammodo orbiculati atro rufescentes pernicioſi*, 66. *Ejusd. Fungorum noxiorum*, 9. *genus, Clus.*

22. Fungus *orbicularis in palustribus*, 37. *C. B. P. Fungi veluti in nodum collecti, varii coloris pernicioſi*, 58. *J. B.* 842. *Et Fungi duo pernicioſi, prior rubri perelegantis coloris, rufus alter*, 67. *Ejusdem. Fungorum noxiorum generis*, 23. *species*, 3. *Clus. Nodosus pediculo tornato, Sterb.* 62. Capite donatur orbiculari, pediculo satis crasso, recto, in genicula veluti tornato.

23. Fungus *croceus*, 74. *Sterb. Tab.* 23. *D.* Pediculus uncialis est, capitulum unciale, quodammodo reflexum, subtus lamellatum, omnino crocei coloris.

24. Fungus *abietinus oris reflexis substantia rubra*, 34. *C. B. P. Fungorum noxiorum*, 21. *genus, Clus. Hist. Fungi hirsuti interna parte, pernicioſi, J. B.*

25. Fungus *fatuus candidus pileolo in metam assurgente*, 15. *C. B. P. Fungorum noxiorum*, 11. *genus, Clus.*

26. Fungus *sordidè fulvus capitulo in conum fastigiato, pediculo longissimo firmo striato Raii Fascic. & 23. Synopſ.*

27. Fungus *pascuorum majusculus capitulo conico, lamellis subtus creberrimis, inferiore seu exteriore medietate rubentibus, superiore nigris, Raii Fascic.*

28. Fungus *crassus in metam surrectus*, 33. *C. B. P. Fungorum pernicioſorum*, 20. *genus, Clus.* 284. *Fungi in metæ formam surrecti pernicioſi*, 30. *J. B. An Fungus vaccinus*, 57. *Sterb. Tab.* 21. *C?*

29. Fungus *rufus lacerus fœtens*, 59. *Sterb. Tab.* 21. *E.* Nigricantis est coloris, in metam assurgit, & laciniis seu foraminibus longitudinaliter sectus est.

30. Fungus *latus oris laceris*, 25. *C. B. P. Fungi duo lati oris laceris pernicioſi*, 57. *J. B. Fungorum noxiorum*, 17. *genus, Clus.* 282. 90. *Sterb. Tab.* 24. *G.*

31. Fungus *oris laceris & in lacinias divisis*, 26. *C. B. P. Fungi tres fœtidi sub Corylis serpentini dicti pernicioſi*, 43. *J. B.* Figuræ tres ejusdem falso donantur. *Cap.* 19. *Fungorum noxiorum*, 16. *genus, Clus.* 282. *Fungus comatus coma fœditia rufa*, 69. *Sterb. Tab.* 22. *I. K.*

32. Fungus *molaris gracilis cinereus, utrinque lamellatus*, 83. *Sterb. Tab.* 24. *A.* Pediculus gracilis, tenuis, altus, umbellulam sustinet circinatam, cinerei coloris, aut grisei, utrinque lamellatam & teneram, striis à centro decurrentibus, donatam.

33. Fungi *albi venenati viscidi, J. B.* 8. *Raii Hist.* 2. *Synopſ.*

34. Fungus *clypeiformis major*, 23. *C. B. P. Fungi multi ex uno pede clypeiformes lutei & rubri*, 35. *J. B.* 835. *Fungus alius clypeiformis pernicioſus, Ad. Lob. Belg. Clus. Hist.* 294. 85. *Sterb. Tab.* 24. *Et Fungus luteus foliaceus pernicioſus. Ejusd.*

35. Fungus *clypeiformis minor*, 24. *C. B. P. Fungi parvi lutei, & clypeiformes albi lethales*, 70. *J. B.* 847. *Fungus pernicioſus vulgaris, Clus.*

36. Fungi *dumetorum ex uno pede prodeuntium*, 35. *C. B. P. Fungorum noxiorum*, 22. *genus, Clus.* 285. *Fungi multi ex uno pede pernicioſi*, 33. *J. B.* 835.

37. Fungus *trunco humi jacentibus innatus pluribus ex uno pede prodeuntibus, C. B. P.* 36. *Fungorum noxiorum generis*, 22. *species*, 3. & 4.

38. Fungi *magni fasciculosi*, 106. *Sterb. Tab.* 25. *F.*

39. Fungi *buxei fasciculosi*, 104. *Sterb. Tab.* 25. *E.*

40. Fungi *fasciculosi lethales subfulvi digitabuli figuram exprimentes. Fungi exiles pernicioſi, Clus. Hist.* 293. *D. Park.* 1321. 92. *Sterb. Tab.* 24. *I.* Ab eodem exortu plures proveniunt, à pediculis palmaribus dependentes. Passim reperiuntur.

41. Fungi *plures ex uno pede à Prunorum radicibus enati*, 32. *Raii Hist.* 24. *Syn.*

42. Fungi *albi lucentes ex uno principio pluves, ex radicibus arborum, J. B.* 30. *Raii Hist.*

§. 5. Fungi terrestres noxii pileati molles, lamellati minores.

1. Fungus *parvus parvi galeri formam exprimens rufus*, 27. *C. B. P. Fungorum noxiorum*, 18. *genus, Clus. Hist.*

2. Fungus *parvus galericulatus alter flavus*, 28. *C. B. P. Fungus exilis pernicioſus vulgaris, Clus.*

3. Fungi *luteoli dicti colorem mutantes maligni*, 28. *J. B.*

4. Fungus *parvus galericulatus ſtriis lividis aut nigris*, 22. *Raii Hiſt. An Fungus noxius*, 3. *Cluſ.*?

5. Fungus *pratenſis minor externe viſcidus capitulo hemiſphærico, ſtriis ſubtus fulvis vel croceis*, *Raii Faſcic.*

6. Fungus *terreſtris pediculo oblongo pileolo hemiſphærico ex albo ſubluteus*, 13. *Raii Syn.* 21. *Hiſt.*

7. Fungus *terreſtris pediculo ſtriato & cavernoſo capitello plicatili ſubtus plano, D. Doody*, *Raii Faſcic.*

8. Fungi *pratenſes minores externe viſcidi, albi & lutei pediculis brevibus*, 10. *Raii Syn.*

9. Fungi *pratenſes minores externe viſcidi rubentes*, 11. *Raii Syn.*

10. Fungus *puſillus pileolo tenui utrinque ſtriato, ſeu plicatilis, plicaturis utrinque demonſtrantibus*, 23. *Raii Hiſt.*

11. Fungus *albus pileolo inverſo, J. B.* 847. 24. *Raii Hiſt.*

12. Fungus *parvus lamellatus pectunculi forma Alno adnaſcens, D. Sher.* 27. *Raii Syn.*

13. Fungus *parvus candidiſſimus lamellatus pediculo longo gracili, D. Vernon*, 29. *Raii Syn.*

14. Fungus *parvus pediculo tenui longo firmo lento, pileolo in medio faſtigiato, ſtriis exterius apparentibus*, 25. *Raii Hiſt.*

15. Fungus *minor tenerrimus farina reſperſus, pileolo ſuperne cinereo, lamellis tenuiſſimis nigris*, 26. *Raii Hiſt.*

16. Fungus *minimus ſcutellatus coloris aurantii, D. Sher.* 26. *Raii Syn.*

17. Fungus *minimus pediculo longo tenuiſſimo lacteſcens*, 27. *Raii Hiſt.* 17. *Synopſ.*

18. Fungus *perpuſillus pediculo oblongo, pileolo tenui utrinque ſtriato, ſeu ſtabelli in modum plicatili*, 16. *Raii Syn.*

19. Fungus *minimus capitulo conico rufeſcens, lamellis ſubtus paucis*, 18. *Raii Syn.*

20. Fungus *minimus è cinereo albicans tenui & prælongo pediculo, paucis ſubtus ſtriis, D. Dale*, 19. *Raii Syn.*

21. Fungi *minimi plurimi ſimul naſcentes turbinati, exterius cinerei aut ſubflavi, ſtriis nigricantibus*, 35. *Raii Hiſt.* 25. *Synopſ.*

22. Fungus *minimus flaveſcens infundibuli forma*, 18. *C. B. P. Fungi infundibulum referentes flaveſcentes pernicioſi*, 72. *J. B.* 847. *Fungorum noxiorum*, 10. *Spec. Cluſ.*

§. 6. Fungi pernicioſi non lamellati majores.

1. Fungus *orbicularis ſecundum vias & in Quercetis Autumno naſcens*, 29. *C. B. P. Fungi* 7. *pernicioſi forma ad Fungum poroſum multum accedentes*, 31. *J. B.* 834. *Fungorum noxiorum*, 19. *genus, Cluſ.* 283. *Fungus pernicioſus quercetus niger*, 21. *Sterb. Tab.* 21. *A.*

2. Fungus *Tuberis figura*, 30. *C. B. P. Fungorum noxiorum*, 19. *ſpec.* 5. *Cluſ. Hiſt.* 284.

3. Fungus *Cyclaminis radicem colore & forma referens, C. B. P.* 31. *Fungorum noxiorum*, 19. *generis*, 6. *Cluſ.*

4. Fungus *craſſus rugoſus buſonites*, 76. *Sterb. Tab.* 22. *F.* Pediculus eſt biuncialis craſſus: capitulum magnum craſſum, ex protuberantiis globoſum, ſuperne maculis ad inſtar Lapidis buſonitis inſignitum.

5. Fungus *aquilo-cineraceus tuberoſus pernicioſus*, 77. *Sterb. Tab.* 23. *G.*

6. Fungus *ovatus ſulfureus fœtidus.* 80. *Sterb. Tab.* 23. *K.* Pediculus ei eſt biuncialis & triuncialis, membranulis dupliciter quaſi ochreatus: capitulum erigitur ovale, ovis Anſerini magnitudine, fœtidum.

7. Fungus *geminus purpureus*, 67. *Sterb. Tab.* 22. *G.* Brevis eſt & orbicularis, at ex pediculo alter minor exſurgit.

8. Fungus *parvus violaceus marmoreus pernicioſus*, 72. *Sterb. Tab.* 23. *B.* Capitulum habet tuberculoſum, inæqualiter globoſum, juglandis magnitudine, ſtriis marmoreis à pediculo ad medium uſque maculatum.

9. Fungus *ſive Pradellus parvus ſulfureus pernicioſus*, 73. *Sterb. Tab.* 23. *C.*

10. Fungus *poroſus magnus craſſus*, 29. *J. B.* 833. *Fungi Auguſti menſis*, 22. *C. B. P.*

11. Fungus *fœtidus penis imaginem referens*, 38. *C. B. P. Fungus phalloides*, 60. *J. B.* 843. *Fungorum pernicioſorum*, 23. *generis ſpecies*, 5. *Cluſ. Hiſt.* 286. & 295. *Fungus virilis penis effigie, Ger.* 140. *Sterb. Tab.* 30.

12. Fungus *phalloides Batavus pileo laciniato & veluti criſpo*, 140. *Sterb. Tab.* 30. *E. & F. Phallus Hollandicus, Park.* 1323. Ovatus fere aut pyriformis, primo ſe erigit, poſtea ſe aperit, & pediculus aſſurgit glandem ſuſtinens.

13. Fungus *phalloides Gallicus pileo rugoſo*, 141. *Sterb. Tab.* 30. *H. I.*

14. Fungus *phalloides major Germanicus pileo corrugato*, 143. *Sterb. Tab.* 30. *Forte. Fungus phalloides Virginianus glande teſſulato, D. Pluk. Alm.*

15. Fungus *phalloides parvus ſive Penis caninus Virginianus, D. Baniſt. D. Pluk. Tab.* 184. 6.

16. Fungi *cavi faſciculoſi* 100. *Sterb. Tab.* 25. *A.* In faſciculum congeſti ſunt: capitulorum longorum, margines laxe dependent, ſubſtantia tenui.

17. Fungi *faſciculoſi fuſci*, 100. *Sterb. Tab.* 25. *B.* Capitula rotunda fuſca ſunt.

18. Fungi *faſciculoſi colore carneo & luteo miſto*, 102. *Sterb. Tab.* 25. *C.* Præcedentis in modum rotundi ſunt.

19. Fungi *faſciculoſi rufi coloris*, 143. *Sterb. Tab.* 25. *D.* Globulares etiam ſunt, ſed non aperti.

20. Fungi *faſciculoſi ſtultorum cucullos referentes*, 108. *Sterb. Tab.* 25. *H.*

§. 7. Fungi

§. 7. Fungi pernicioſi non lamellati minores.

1. Fungus *minimus candidus abſque lamellis* 50. *Raii Synopſ.*

2. Funguli *incarnati coloris minuti Muſco innati. Pugill. Mentz. Tab.* 6. Humiles ſunt & exigui, nec altitudine nec latitudine pileorum quadrantem unciæ ſuperantes, è cruſtacea veluti materia aſſurgentes cernuntur. *E paluſtribus & ericetis locis borealibus, quibus obvii ſunt, collegit* D. D. Richardſon.

3. Fungus *niveus aqueus lignis cellarum vinariarum adhærens, D. T. Robinſon* 38. *Raii Synopſ.*

4. Fungus *minimus Adianti aurei capitulis, An Mithridaceus Mentz?* 49. *Raii Syn. Fungus ſtipitibus plantarum putridis adnaſcens, D. Pluk. Alm.*

5. Fungus *Virginianus è ſtercore equino capillaceus canus, capitulo roridо nigro, punctulo in ſummitate notato, D. Baniſt. D. Pluk. Tab.* 116. 7.

6. Fungus *bombycinus murini coloris è fimo felino tenuiſſimis capillis, D. Pluk. Alm.*

§. 8. Fungi terreſtres molliores pediculis carentes.

1. Fungi *ex eodem pede ſed non conſpicuo numeroſi,* 10. *C. B. P. Fungi prunorum commixti coloris pernicioſi,* 53. *J. B. Fungorum pernicioſorum* 2. *genus Cluſ.*

2. Fungus *acetabulorum modo cavus radice carens,* 5. *C. B. P. Fungus Peziсæ, Park. Fungus Peziсæ Plinii, Col.* 336. 23. *Raii Syn.*

3. Fungus *Hepaticæ ſaxatilis forma,* 6. *C. B. P. Fungus Peziсæ altera ſpecies, Col.* 336. 24. *Raii Syn.*

4. Fungus *fugax membranaceus pinguis, Magnol.*

§. 9. Fungi ramoſi.

1. Fungus *ramoſus eſculentus elegans. Fungus ramoſus Imp.* 29. *C. B. P. Fungus ramoſus flavus & albidus, J. B.* 837. *Fungorum eſculent.* 19. *genus, Cluſ.* 274. *Barba Caprina,* 11. *Sterb. Tab.* 11. *A.* Hic non ſolum colore, ſed forma etiam quodammodo variat. Hinc *prima ſpecies à Cluſio exhibita*, colore ex albo in flavum colorem vergens eſt, croceis maculis inſperſa. 2. Brevior eſt, vix binas uncias ſuperans, & prorſus rubeſcentis coloris: *Barba caprina minor, 77. Sterb. Tab.* 11. *C.* 3. Coloris ex albo flaveſcentis, ramulis longioribus & craſſioribus donata. Forte *Barba caprina major, 78. Sterb. Tab.* 11. *D. Cl. D. D. Sherardus varietates* etiam ſe inveniſſe refert, quarum prima *Fungum ramoſum comoſum nominavit.* 2. *Criſpum violaceum.* 3. *Coralloidem purpureum,* qui forte *Fungus* ſit *coralloides aſper, 76. Sterb. Tab.* 11. *B.*

In ſylva inter Oppida Henley & Redingam dicta, *Septembri menſe, aliiſque locis umbroſis, præſertim ſub* Corylis, *provenit.*

2. Fungus *ramoſus candidus,* 40. *C. B. P. Fungi ramoſi argentei,* 40. *J. B. Fungorum noxiorum,* 25. *genus, Cluſ. Hiſt. At icon habetur, Hiſt. App. alt.* 121. *Sterb.* 27. *G.*

3. Fungus *ramoſus coriaceus,* 41. *C. B. P. Fungus borſaro Imp. Hujus ad ignem concipiendum, apud Neapolitanos uſus eſt.*

4. Fungus *ramoſus minor colore ſordide flavicante, D. Dale,* 7. *Raii Syn.*

5. Fungus *parvus luteus ramoſus macem referens. Fungus parvus luteus ramoſus, D. Sher.* 8. *Raii Syn.* Locis montoſis & ficcioribus circa *Oxonium* provenit, & inter gramina breviora, menſibus æſtivalibus ſe ſpargit.

6. Fungus *ramoſus minimus coloris aurantii, D. Sher.* 9. *Raii Syn.* E cortice fagino naſcens *D. Sherardus* invenit.

7. Fungus *ramoſus candidiſſimus ceranoides, ſeu digitatus minimus D. Plot.* 10. *Raii Syn.*

8. Fungus *digitatus major,* 30. *C. B. P. Fungus terreſtris digitatus dictus, Park.* 1318.

9. Fungus *candidus digitatus minor,* 31. *C. B. P.*

10. Fungus *ophioglоſſoides niger,* 13. *Raii Hiſt.* 12. *Syn.* 16. *Merret. Pin. Brit.* In montoſis pratis agri *Weſtmorlandici* copioſe provenit. Color ei niger eſt, magnitudo & figura Spicæ *Ophioglоſſi.*

11. Fungus *parvus denticulatus, Park.* 1321. 22. *Raii Synopſ.*

§. 10. Fungi pulverulenti.

1. Fungus *rotundus orbicularis,* 42. *C. B. P. Fungus pulverulentus dictus Crepitus lupi,* 74. *J. B.* 848. *Fungorum noxiorum generis,* 26. *Spec.* 3. *Cluſ. Hiſt.* 288. *Crepitus lupi ſive Fungus ovatus, Park. Orbicularis, Ger.* In ericetitis & paſcuis ficcioribus montoſis paſſim occurrit.

2. Fungus *maximus rotundus pulverulentus dictus, Germanis Pfoſiſt. J. B.* Caput humanum magnitudine interdum æquat.

3. Fungus *pulverulentus Alpinus maximus. Lycoperdon Alpinum maximum. Tournefortii. El. Bot.*

4. Fungus *pulverulentus pyriformis fundo ſpongioſo, à Virginia, D. Baniſt. D. Pluk. Phyt. Tab.* 184. 8.

5. Fungus *ſpongioſus Crepitus Lupi dictus ſemiplanus,* 136. *Sterb. Tab.* 29. *G.*

6. Fungus *orbicularis major, extus protuberantiis rugoſus,* 144. *Sterb, Tab.* 28. *E.*

7. Fungus *pulverulentus Crepitus Lupi dictus major pediculo longiore ventricoso, D. Sher.* 16. *Raii Syn.* Pediculus ei crassus est, medio tumidus, semipedalis. *Ex Hiberniæ boreali parte D. D. Sherard attulit.*

8. Fungus *pulverulentus minor Parisiensis pediculo donatus, Lycoperdon Parisiense minimum pediculo donatum, El. Bot. Tab. 331. Forte Fungus pulverulentus minimus pediculo longo insidens, D. T. Robinson,* 18. *Raii Synopſ.*

9. Fungus *Crepitus Lupi dictus pediculo longiore scabro,* 17. *Raii Syn. Prædictus D. Sherard. in Hibernia legit.*

10. Fungus *Crepitus Lupi dictus Virginianus trifidus, D. Banist.* Ex eodem principio, pediculi tres sesquiunciales, tria capita gerentes, vulgaris magnitudine, oriuntur.

11. Fungus *Crepitus Lupi dictus pileatus parvus,* 137. *Sterb. Tab.* 29. *H.* Omnino orbicularis est, cujus diameter unciam vix superat.

12. Fungus *pulverulentus cute membranacea, substantia intus spongiosa, pediculo brevi crassiore, in oras fere ducto, D. Plot. Nat. Hist. Stafford,* 20. *Raii Syn.*

13. Fungus *pulverulentus Virginianus, caudice Corallino, topiario opere contorto, D. Banist. D. Pluk. Tab.* 184. 5.

14. Fungus *pulverulentus granulatus Virginianus, D. Banist. D. Pluk. Tab.* 184. 7.

15. Fungus *pulverulentus Crepitus Lupi dictus coronatus & inferne stellatus,* 19. *Raii Syn.* Parvus est hic Fungulus elegans rotundus, operculo membranaceo seu coriaceo tectus, quod à superiore parte in quinque vel sex partes se dividit, & in stellam humi stratam se expandit.

16. Fungus *monstrosus multifidus elatior,* 138. *Sterb. Tab.* 29. *A.*

17. Fungus *anthropomorphas,* 139. *Sterb. Tab.* 29. *B.* An microscopii ope *Georgius Segerus*, primus ejusdem Auctor, vel *Francisc. Sterbeeck*, iconem composuit, nobis latet. Sex enim corpora, veluti lintre sedentia, humana ad medium repræsentantia, cum capitibus uncialibus, faciebusque rite formatis, apparent

18. Fungus *substantia spongiosa racemosa candida florum fasciculum repræsentans,* 130. *Sterb. Tab.* 28. *A.* In latum se diffundit, & à pediculo crasso, brevi, in varias multiformesque lacinias, eleganti spectaculo se spargit.

19. Fungus *spongiosus croceus holosericum referens. Muscus croceus saxigenus, holosericum referens sive Byssus petræus, D. Lhwyd* 2. *Raii Syn. An Muscus saxatilis serico similis Commelin. Cat. Plant. Holland?* Globulatim nascentem, mollem, tegumento membranaceo coopertum, in cameratis *Arvoniæ rupibus D. Lhwyd*, collegit.

20. Fungus *spongiosus niger reticulatus, doliolis vinosis adnascens, D. Doody,* 37. *Raii Syn. Fungus spongiosus niger, pannum laneum textura simulans, doliolis, vinosis adnascens, D. Pluk. Alm.* Mollis est substantiæ, & suscitabulum igniariumve quodammodo refert.

21. Fungus *Siculus subcæruleo pulpa arillis flavis refertus, Bocc. Tab.* 12. Edilem esse refert Auctor.

22. Fungus *Malicorii facie, Bocc. Tab.* 12. Mespili facie lævis est, nigricantis coloris, terræ cohærens.

§. 11. Fungi cavi seu calyciformes.

1. Fungus *magnus calyciformis, Mentz. Tab.* 6. Poculum duas uncias latum, fundo suo rotundo, oreque aperto, quodammodo refert hæc species, & ex genere *Fungi Lupi Crepitus* dicti, esse, qui vetustate diruptus, calyce *semen* suum continere, refert Auctor.

2. Fungillus *Cyathiformis externe fuscus, infra margaritæ coloris glaber, oris pilosis.* Digitabulum parvum mulierculum refert, fundo suo globulari, & in margine pilis fimbriatus est. *In sylva* Murley *dicta, haud longe ab* Oxonio *reperitur.*

3. Fungus *parvus pyxiodes fungulorum fœtura, multis quasi seminibus prægnans cineracei coloris, D. Pluk. Alm. Fungi calyciformes seminiferi, Mentz. Tab.* 6. *Fungus minimus anonymos, Clus. An Fungus minimus ligneis tabellis areolorum hortorum adnascens,* 39. *C. B. P. Fungus minimus sine petiolo perniciosus,* 71. *J. B.?*

4. Fungus *minimus infundibuliformis, superne nigris punctis notatus,* 25. *Raii Syn. In stercore vetusto vaccino nascentem, D. Richardson & D. Sherardus, observavere.*

5. Fungus *minimus scutellatus coloris aurantii,* 26. *Raii Syn.*

§. 12. Fungi arborei aridiores & quasi lignosi, foliacei.

1. Fungus *membranaceus auriculam referens,* 1. *C. B. P. Fungus auriculæ Judæ, coloris ex cinereo nigricantis perniciosus in Sambuci caudice nascens, J. B.* 840. *Fungorum pernitiosorum,* 1. *Genus, Clus.* 276. *Fungus Sambucinus sive Auriculæ Judæ, Ger. Park.*

2. Fungus *auritus Juglandium albicans, J. B.*

3. Fungus *arboreus lobis tabellis diversimodo figuratis, D. T. Robinson* 52. *Raii Syn.*

4. Fungus *coriaceus quercinus hæmatodes Breynii, Hybernis Oak-leather dictus,* 42. *Raii Syn. In Hybernia in fissuris Quercuum putredarum reperitur, D. Sher.*

5. Fungus *lignosus aureus sive Querci fungus,* 116. *Sterb. Tab.* 27. *B.* Non solum è Quercuum truncis enascitur, sed quercus aut Lichenis in modum divisus est.

6. Fungus *intybaceus.* 45. *J. B.* 839. *Arborum Fungus Auriculæ Judæ facie, Clus. Hist.* 294. *Muscus pulmonarius & Lichen arborum, Park.* 1313. *Et Fungus alius interaneis vituli similis cinereus, J. B.* 6. *Sterbeeck, Tab.* 15. *E.*

7. Fungi *cerasorum imbricatim alter alteri innatus variegatus,* 8. *C. B. P.* 5. *Sterb. D. Fungus holosericus Iridi-*

Iridiformis quaſi colorum alteratione variegatus, Cat. Altdorf. 31. *Raii Syn. Fungus Ceraſorum coloris varii,* 56. *J. B.* 842. *Fungorum noxiorum,* 5. *Genus, Cluſ. Hiſt.* 277.

8. Fungus *meſentericus,* 124. *Sterb. Tab.* 27. *I.* Ex arboribus putridis frequens naſcitur, rotundus, durus ligneus eſt, interdum ex fuſco ſubluteo & ſub puraſcente colore variegatus, altero alteri incumbens & meſenterium ſatis repræſentat.

9. Fungus *criſpus lignoſus,* 125. *Sterb. Tab.* 27. *L.* Præcedenti convenit, magis vero criſpatus eſt.

10. Fungus *membranaceus parvus aureus,* 113. *Sterb. Tab.* 26. *E. Fungi pernicioſi genus,* 24. *ſpecies,* 3. *Cluſ.* 40. *Raii Syn.*

11. Fungus *Salignus Lichenis forma variegatus,* 109. *Sterb. Tab.* 26. *A.*

12. Fungus *lignoſus coriaceus cruſtæ modo late ſe ſpargens pullus.* Ad inſtar corticis, Quercui ſeneſcenti & pene putridæ, arcte adhærentem, hunc Fungum reperi.

13. Fungus *lignoſus campanulatus,* 123. *Sterb. Tab.* 27. *I.* Pediculo adnaſcitur unciali, cui infidet capitulum ſatis magnum, campanam ore ſurrecto, referens, quodammodo rugoſum.

14. Fungus *membranaceus ſive coriaceus acetabuli modo concavus, colore intus coccineo ſive cremoſino ſaturo - D. Dale,* 24. *Genus,* 2. *ſpec. Cluſ. Parva concha marina colore coccineo,* 112. *Sterb. Tab.* 26. *D.* 39. *Raii Syn.*

15. Fungus *arboreus acetabuli modo concavus coccineus marginibus piloſis, D. Sher.*

16. Fungus *arboreus pyxidatus coloris intus ferruginei, D. Sher.* 47. *Raii Syn.*

17. Fungus *ſcutellatus niger punctatus, D. Sher.* 48. *Raii Syn.* Corticibus Salicum ſeneſcentium paſſim adhæret.

18. Fungus *Alno adnaſcens pectunculi forma lamellatus parvus.* Parvus eſt, unguis humani latitudinem non excedit, ſuperne fuſcus, planus, coriaceus, inferne lamellis exiguis ſtriatus eſt.

19. Fungus *Virginianus barbatus fœtidus, D. Baniſt. D. Pluk. Tab.* 184 10.

20. Fungus *ramoſus niger compreſſus apicibus albidis.*

21. Fungus *cornu Dorcadis facie, Breyn. in Ephem. Germ. An.* 4. *&* 5. *Obſ.* 152. *Forte Fungus arboreus Virginianus platyceros parvus, D. Pluk. Tab.* 184. 4.

22. Fungus *ramoſiſſimus niger compreſſus, in cribrum veluti formatus.* Intra corticem exolutum & lignum *Ulmi* vetuſti, in Horti ſolitudine *Sancti Jacobi* prope *Londinum, Chariſſimus Frater Tillemanus hunc Fungum naſcentem collegit.*

§. 13. Fungi lignoſi ſolidiores, ſubſtantiæ integræ.

1. Fungi *arborei ad ellychnia,* 48. *J. B. Fungus durus arborum ſive igniarius, Park. Fungus Agarico ſimilis Lob.* 7. *Raii Hiſt.* 30. *Synopſ.*

2. Fungus *fraxineus niger durus orbiculatus,* 11. *Raii Hiſt.* 35. *Synopſ.*

3. Fungus *quercinus niger,* 12. *Raii Hiſt.* 36. *Synopſ.*

4. Fungus *villoſus arboreus coloris Ochræ tinctorius, J. B.* 6. *Raii Hiſt.*

5. Fungus *in caudicibus arborum naſcens unguis Equini figura,* 3. *C. B. P. Agaricus pedis equini facie, El. Bot.*

6. Fungus *putridus arborum ramis inhærens plurimis ſimul cohærentibus,* 2. *C. B. P. Fungi tres dicti ſpongiæ lignorum pernicioſi,* 50. *J. B. Fungorum noxiorum,* 24. *genus, Cluſ.* 8. *Raii Hiſt.*

7. Fungus *arboreus albus durus lamellis inſtar lapidis hæmatitis,* 28. *Raii Syn.*

8. Fungus *ad cutim extergendam aptus,* 4. *C. B. P. Fungus lignoſus arboreus ad furfures, genus,* 47. *ſpec.* 3. *J. B. Fungorum noxiorum* 4. *genus, Cluſ. Hiſt.* 5. *Raii Hiſt.*

9. Fungus *rotundus planus ligno putrido adnaſcens galetinæ inſtar, D. Sher.* 54. *Raii Synopſ.*

10. Fungus *ſemiorbicularis niger, D. Sher.* 46. *Raii Synopſ.*

11. Fungus *albus Saligneus odore Iridis,* 118. *Sterb. Tab.* 27. *D.*

12. Fungus *arboreus holoſericus inferne lamellatus,* 26. *Raii Syn.*

13. Fungus *Lariceus aurei coloris,* 26. *C. B. P. Fungi Laricum maximi Eſculenti lutei,* 47. *J. B.* 3. *Raii Hiſt.*

14. Agaricus *ſive Fungus Laricis,* 1. *C. B. P. Agaricum, J. B. Agaricus ex Larice, Park.* 3. *Raii Hiſt.*

15. Fungus *ſpongioſus maximus aqueus è Fraxinorum truncis exſudans, D. T. Robinſon,* 44. *Raii Syn.*

16. Fungus *arboreus villoſus albus inferne lamellatus, D. Doody,* 32. *Raii Syn.*

17. Fungus *arboreus inferne foraminibus longis & rotundis inſculptus, D. Doody,* 33. *Raii Syn.*

18. Fungus *digitatus niger Laurinus. Hypoxylum excrementum ligni putridi fungoſum digitatum, Mentz. Tab.* 6. *Cui figura apprime reſpondet.* E Lauro-Ceraſo putrido naſcentem collegi.

19. Fungus *ramoſus niger compreſſus apicibus albis,* 11. *Raii Syn. An Fungus digitatus niger velut cornua exprimens, J. B.?* 12. *Raii Hiſt.*

20. Fungus *Piperi Æthiopico ſimilis, vel digitatus niger Merret. Pin.* Palis & ſubliciis putridis, terræ infixis innaſcitur hic Fungus, cujus Styli nigricantes, plurimi ſimul juncti, apicibus albicantibus coronati ſunt.

PLAN-

PLANTARUM ANOMALARUM

CAPUT XLVII.

Conferva, *ſive* Alga fluviatilis.

C*Onferva* à conferruminando dicta, nam ad oſſium fracturas præſtantiſſimum eſt medicamentum. *Filum aquaticum* & *Linum aquaticum* à partium tenuitate etiam nominatur.

1. Conferva, *Ger.* 1570. *Conferva Plinii, Lob. Obſ.* 654. *Alga viridis capillaceo folio.* 1. *C. B. P. Alga aquatilis capillaceo folio ſive Conferva Plinii, aliis Linum aquaticum, Park. Linum marinum Imp.* Duplex eſt, alia in maritimis quæ *Muſcus tomentoſus ſive Conferva*, alia in aquis ſtagnantibus, quæ *Linum aquat. Imp.* dicitur.

2. Conferva *viridis capillacea brevioribus ſetis ramoſior, ſive Conferva minor ramoſa. Alga fontana trichodes*, 3. *C. B. P. Alga ſive Conferva fontalis trichodes, Park. Conferva trichodes, ſive Trichomanes aquaticum, Dal. Hiſt. Lugd.* 1022. Vid. icon. Tab. æn. 4.

3. Conferva *geniculata minima noſtras, D. Pluk. Tab.* 84. Vid. icon. Tab. æn. 4.

4. Conferva *reticulata, Raii Hiſt. App. Reticulata Criſpa D. Doody, D. Pluk. Tab.* 24. In foſſis prope *Weſt. monaſterium*, & rivulis in ericeto *Hounſleiano* collegit prædictus, *D. Doody.* Vid. icon. Tab. æn. 4.

5. Conferva *platyphyllos*, 5. *Raii Synopſ.* In foſſis aquarum, locisque ſtagnantibus variis reperitur.

SECTIONIS XV.

Sive PLANTARUM ANOMALARUM

Diſtributio decima.

De Plantis ſubmarinis.

Fucus ſive *Alga, Muſcus marinus, Corallina & Frutex Corallum referens, Corallum, Porus, Spongia, Alcyonium, &c.*

P*Ervagata telluris ſuperficie, tam mira Herbarum varietate depicta & ornata; nunc demum ad maris litora greſſus promovemus, & relictis* Veſtæ *ſedibus, in* Neptuni *viridaria deſcendimus. Nam reſtant aliæ nonnullæ ſpecies, quas ſummus rerum* Opifex *ſub aquis marinis creavit, & divino ſuo conſilio in locis iis ſolummodo congruentibus, diſpoſuit. Sintne vero* Plantæ Perfectæ, *vel* Imperfectæ, *ob difficilem partium detectionem* (Flores *enim quis exploratos habuit?*) *anceps eſt controverſia. Siquis autem è ſemine, aut ei analogo, oriundas affirmet, ego equidem non repugno: nam in quibuſdam, quid craſſum & extuberans cernitur, foliis ipſis adhærens; in aliis* vaſcula *apparent à foliis cæteriſque partibus diverſa; quæ tamen ſemina ſicca & indurata, inſtar terreſtrium, non continent; ſed probabile eſt, quod viſcoſus viſciduſque humor (ſi tantum ſit humor) vi ſeminali præditus, in illis naſcitur, qui ſponte ſua deciduus, vel maris agitatione thecis continentibus elutus, huc illuc fertur ſeu diſſeminatur; atque inde mucilagine ſua ſcopulis, ſaxis, teſtis, calculiſque, quos obvias habet, adhæret, & commodam ſibi nactus matricem, futuræ Plantæ ideam explicat. Planta vero efformata per fibrillas emiſſas alimentum ad ſe rapit, quo continuo nutrita, juſtam magnitudinem acquirit; & vix dubium ſit, quin cum maturitate potentiam ſibi ſimilem generandi accipiat. Cum enim* Fuci *tenelli & noviter quaſi pullulantes, in litore ejecti ſunt, qui conchis lapilliſque agglutinantur, & æſtu recedente, ſimiles viſantur duris cautibus affixi; longe veriſimilius eſt, illos hoc modo produci, quam ut è ſolidiſſimis corporibus, quibus adhærent, enaſcantur.*

CAPUT

CAPUT XLVIII.

Fucus *sive* Alga marina.

Fuci dicuntur Plantæ marinæ, ut plurimum foliaceæ, quarum quædam ſpecies ad lanas aliaque rubeſcenti vel purpuraſcenti colore tingendas adaptantur; & quibus mulieres, adhibita diligentia, ad ruborem conciliandum facies fucant, & amatores attrahunt, unde color ipſe extractus, & pigmentum in genere, *Fucus* vocitatur; & exinde *Fuci* tingentes, & iis conſimiles, quanquam non tingentes, *Fuci* appellantur.

Alga ab algore aquæ quo lætatur, dicta eſt; vel quia ligulis ſuis lentis ac tenacibus prætereuntes alligat, ut quidam volunt: Hinc *Fucos* ſive *Algas* plantas flexiles & lentas, vel foliaceas, vel non foliaceas eſſe colligimus, ejuſque variæ ſpecies ſecundum diſtributionem Tabulæ ſuccedentis dividendæ veniunt.

Fuci ſunt vel
- *acaules*
  - *foliis ſubrotundis*
  - *foliacei*
    - *latiores*
    - *anguſtiores*

  inæqualiter diviſi.
- *vel cauliferi*
  - *foliis rectis & indiviſis*
    - *latioribus,*
    - *anguſtioribus,*
  - *foliacei*
    - *bullati*
    - *non bullati*

    ordinem dichotomum ſervantes.
  - *viticulis foliis nudi.*

§. 1. Fuci acaules ſubrotundi.

1. Fucus *marinus umbilicatus, Nobis. Fucus Umbilicus marinus dictus*, 3. *C. B. P. Umbilicus marinus, Imp.* Ex foliis circinatis ac umbilicatis, aquarum ſuperficiem occupantibus, facile dignoſcatur, *Imperanto* notante.

2. Fucus *Lichenis facie maritimus. Lichen marinus*, 2. *Cluſ.* 2. *C. B. P. Lob.* 247. *Tab. J. B.* 817. Ad modum præcedentis naſcitur, *folia* vero rotunditatem non ſervant, ſed inæqualiter ſunt ſinuata, ut plurimum tamen umbilicata.

3. Fucus *Fungis affinis*, 4. *C. B. P. Fucus fungularis Imperati, Fucus fungiformis, J. B.* Folio quaſi circinato donatur & orbiculato, non ſine impreſſis lineamentis, itidem in orbem contortis. Adhæret rebus quibus innaſcitur, ea parte quæ invicem eſt centri. Accedit colore & figura ad *Fungos* quoſdam qui ſupra arbores creſcunt. *Eſt & major & minor.*

§. 2. Fuci acaules latiores inæqualiter diviſi.

1. Fucus *ſive Alga latifolia chartæ ſimilis coſta carens*, 6. *P. B. P. & Alga latifolia coriacea*, 7. *Ejuſdem. Alga Mederenſis grandifolia, J. B. Fucus giganteus ſive Alga lata, Imp. Fuci genus lato folio Dioſc. Folium grande ex Algæ genere quod ex Medera advehitur cum ſaccharo, Cæſ.* Admirabili magnitudine creſcit, ſubſtantia tenaci & coriacea, & loco Chartæ eodem utuntur incolæ. *Ex Oceano Atlantico adfertur.*

2. Fucus *marinus Lactucæ folio*, 1. *C. B. P. Fucus marinus Lactuca marina dictus, Park.* 1293. *Lactuca marina ſive intybacea, J. B.* 801. *Lactuca marina Imperati. Bryon Lactucæ foliis Plin. Lichen marinus, Ger.* 1567. *Muſcus intybaceus criſpus marinus, Lob. Obſ.* 647. *Muſcus marinus latifolius, Dod. Pempt.* 477. Oyſter green. Quam appellationem quanquam vulgo acquiſivit, folia tamen rubeſcenti aut purpuraſcenti colore tincta frequenter inveniuntur.

3. Fucus *ſive Alga Intybacea, Park.* 1293. *Fucus Linza dictus, Imp. Fucus Linza dictus Lactucæ marinæ ſimilis, J. B. Muſcus Lactucæ marinæ ſimilis*, 2. *C. B. P.*

4. Fucus *ſive Lactuca marina tubuloſa*, 4. *Raii Hiſt.* Hanc in foſſis paluſtribus majoribus & fluviis quos mare ſingulis acceſſibus æſtuum influit, obſervavimus: eſt autem prælonga, concava ſeu tubuloſa, velut in cellulas diviſa, coli inteſtini exacuati æmula.

5. Fucus *ſive Alga membranacea purpurea parva*, 5. *Raii Synopſ. & Hiſt.* Altitudine eſt palmari: *foliis* planis, tenuibus, & membranaceis, ramoſis, donata, diviſione ſua plerumque dichotomiam obſervantibus. Per ſiccitatem purpureo colore tingitur, eſtque pellucida Pergameni fere inſtar. *Variat foliis latioribus & anguſtioribus, ac veluti criſpis.*

6. Fucus *ſive Alga folio membranaceo purpureo Lapathi ſanguinei figura & magnitudine*, 8. *Raii Syn.* Hujus folia tres uncias longa, pollicem lata, plana ſunt & rubeſcentia, venis obliquis à nervo medio decurrentibus inſignita; & brevi, parvo folio Lapathi ſatis æmulantur. Ab Oceano Britannico Orientali nobis advehitur. *Vid. icon. Tab. æn.* 8.

7. Fucus *maritimus Gallopavonis pennas referens*, 9. *C. B. P.* 7. *Prod. Et Fungus auricularis, Cæſ.* 11. *C. B. P. Et Muſcus ſaxatilis, aliquibus Alcyonium*, 5. *Dioſc. Imp.* Idem eſſe ſuſpicatur. Elegans hic *Fucus* vix palmaris, membranaceus eſt, qui ex tribus, quatuor aut quinque foliis ex anguſtia in uncialem & biuncialem latitudinem, & ſemicirculari inſcriptione æquali, ſe diffundentibus conſtat: quorum ſingulum ſemicircularibus

cularibus ſtriis aut lineis, nunc albis, nunc ſubviridibus & purpuraſcentibus, eleganti ſpectaculo, quali in Gallo-pavonis cauda expanſa cernitur, depictum eſt. *Vid. icon. Tab. æn.* 8.

Ex Inſula Angleſey; *etiam è littore* Cornubienſi *collectum habemus.*

§. 3. Fuci foliacei acaules anguſtiores.

1. Fucus *foliaceus humilis palmam humanam referens.* Mollis & herbaceæ ſubſtantiæ, viridiſque coloris eſt hic *Fucus*, palmarem altitudinem non ſuperans, ad radicem anguſtus, in latum ſe dilatans, ac in tres aut quatuor, aliquando quinque digitos, humanæ palmæ ad inſtar diviſus terminatur. *Ex Inſula* Mona Taciti *vulgo* Angleſey, à *Rev. D.* Humfreys *acceptum habemus, qui hunc cum variis aliis libere nobiſcum communicavit.* Vid. icon. Tab. æn. 8.

2. Fucus *membranaceus acaulos anguſtior foliis palmæ fere in modum diviſis marginibus laciniatis & veluti criſpis.* Vid. icon. Tab. æn. 8.

3. Fucus *marinus foliis criſpis ſubrotundis in ſummitate bifidis, Pluk. Alm. Fucus membranaceus ceranoides, 6. C. B. Prod. Alga membranacea ceranoides,* 8. *C. B. P. Dils Scotis. Duleſch Hibernis.* Hujus *folia* dodrantem longa, latiuſcula, nunc ſubviridis, nunc rubeſcentis coloris, margine inæqualiter ſinuata & diſſecta, & in acutos mucrones definentia, *Violæ* odorem ſpirantia, tenuia, membranacea ſunt; quæ exſiccata & convoluta *Hyberni* frequenter maſticantes in ore retinent, non quod vim ullam ſalutarem iis ineſſe exiſtiment, ſed animi tantum cauſa, quod more receptum ſit. Fortaſſe huic addatur *Alga criſpa Scabioſa rubra & pallida, J. B.* 795. Folia vero Bauhiniana anguſtiora apparent.

4. Fucus *membranaceus rubens anguſtifolius marginibus ligulis armatis, Raii Syn. App.* Palmaris eſt altitudinis, latitudinis ſemiuncialis.

5. Fucus *membranaceus rubens foliolis latiuſculis ad extremitates dentatis. An Muſcus foliolis latiuſculis ambitu dentatis,* 3. *C. B. P.*? Vid. icon. Tab. æn. 8.

6. Fucus *ſive Alga membranacea candida ſegmentis plurimum laciniatis, D. Pluk. Alm.* Vid. icon. Tab. æn. 8.

7. Alga *tinctoria, J. B.* 796. *Fucus minor Rocella tinctorum,* 1. *C. B. P. Herba Cretica quæ tinctoribus Rubella, Imp.* 650.

8. Fucus *capillaris tinctorius, J. B.* 796. *Fucus capillaceus Rocella,* 2. *C. B. P. Imp.* 648.

9. Fucus *verrucoſus tinctorius, J. B.* 797. *Rocella tertia, C. B. P. Fucus verrucoſus. Imp.*

10. Fucus *humilis membranaceus acaulos elegantiſſimus ruber capillis longis fimbriatus.*

11. Fucus *dichotomos membranaceus é viridi flaveſcens ceranoides angulos rotundiolos efformans. Fucus Kali Arabum diviſura angulis ad divaricationes rotundiuſculis, D. Pluk. Alm. An Fucus Kali geniculato ſimilis non tamen geniculatus, Raii?* Folia cauliculos mentientia, ad radicem anguſtiora, colore nonnunquam è ſordido viridi in ſubluteum & aliquando rubeſcentem variantia, numeroſis corniculis divaricata, ordinem dichotomum ſervantia, cæteris ſpiſſiora, cornea ac lenta ſunt, palmaria & dodrantalia. Hujus varietas eſt *humilior, quæ in acutiora cornicula, crebrius conferta* diviſa eſt. *V. icon. Tab. æn.* 8.

12. Fucus *ceranoides ramoſus tenuiſſime diviſus, Raii Syn. App.* Palmaris eſt, corneus, tenax, albus, per ſiccitatem rigidus, ubique conſimilis fere craſſitudinis, quæ filum parvum ſuperat.

13. Fucus *humilis dichotomos membranaceus ceranoides latioribus foliis, ut plurimum verrucoſis.* Antecedenti convenit. *V. icon. Tab. æn.* 8.

14. Fucus *purpureus humilis tenuiter diviſus geniculatus, D. Stevens.* V. icon. Tab. æn. 8.

15. Fucus *purpureus tenuiter diviſus non geniculatus.* Hunc *Fucum* cum à præcedenti Rev. Viro *D. Stevens* Theologo & Botanico haud minoris notæ, accepimus.

16. Fucus *marinus ſcrupoſus albidus telam ſericeam textura ſua æmulans, Nobis. Alga marina platyceros poroſa, J. B.* 809. *Fucus Corallio affinis ſive Porus cervinus Imp. Corallinæ affinis platyphyllos telam ſericeam textura æmulans, D. Pluk. Alm.* V. icon. Tab. æn. 8.

17. Fucus *marinus ſcrupoſus albidus anguſtior compreſſus extremitatibus quaſi abſciſſis.* V. icon. Tab. æn. 8.

18. Alga *ſpiralis maritima major, Raii Syn. Fucus maritimus noſtras foliis in modum ſpiræ convolutis, D. Pluk. Alm.* In littoribus noſtris orientalibus ſatis frequens invenitur; ramoſa eſt dodrantalis & pedalis.

19. Alga *ſpiralis maritima Bocc. Tab.* 38. *D. Grew, Muſ. Reg. Soc.* 248. *R. Hiſt.* Tenuis eſt hæc Planta, & anguſta membrana in modum ſpiræ convoluta, duas aut tres uncias longa, cujus extremitates minutiſſime inciſæ ſunt, ſive fimbriatæ: ſimplex eſt, in plures quandoque ramos diviſa, totaque ſubnigro fuſco colore nitet.

20. Alga *marina Iſlandica ex qua calore ſolis ſaccharum extrahitur. T. Bartholin. Act. Med.* 1671. 72. & 74. *lib.* 2. *lin.* 24. *R. Hiſt.*

§. 4. Fuci cauliferi longiſſimis foliis rectis & indiviſis, latioribus.

1. Fucus *latiſſimo craſſoque folio,* 3. *C. B. Prod. Fucus marinus latifolius craſſus, Park.*

2. Fucus *folio ſingulari longiſſimo lato in medio rugoſo,* 1. *Raii Hiſt.*

3. Fucus *latiſſimus & longiſſimus oris criſpis.* **The curl'd ſea belt.**

4. Fucus *longiſſimo latiſſimo tenuique folio,* 4. *C. B. Prod. Park.*

5. Fucus *alatus ſive Phaſganoides,* 2. *C. B. P. &* 1. *Prod. Park. An Fucus Scoticus latiſſimus edulis dulcis, Sibbaldi?*

6. Fucus

6. Fucus *arboreus polyſchides edulis*, 1. *C. B. P.* 2. *Prod. Fucus maximus polyſcides, Park.* 1292. *Phaſganoides & polyſchides, Ger.* 1570.

§. 5: Fuci cauliferi foliis longiſſimis rectis anguſtioribus.

1. Fucus *marinus ſive Alga marina graminea, Park.* 1292. *Alga anguſtifolia vitriariorum*, 5. *C. B. P. J. B.* 794. *Alga, Ger.* 1596. *Alga marina graminea, Lugd. Alga marina Batavis & Zelandis, Lob. Adv. App.* 471. Reverendus & admodum ingenioſus *D. L. Stevens* partes ſeminiferas hujus plantæ detexit & nobis miſit, quæ nervi ad inſtar geniculati, per medium folii, longitudinaliter decurrunt.

2. Fucus *marinus ſive Alga marina graminea minor, D. Dale*, 8. *Raii Synopſ. An Alga gramineo folio*, 7. *C. B. P. Alga minimum genus, Cæſ?*

3. Fucus *ſive Alga marina anguſtifolia ſeminifera ramoſior*, 9. *Raii Synopſ.*

4. Fucus *chordam referens teres prælongus*, 4. *Raii Syn. An Fucus anguſtifolius ligulas referens*, 4. *C. B. P?*

5. Fucus *longus anguſto craſſoque, folio, C. B. P. Fucus marinus*, 2. *Dod. Pempt.* 479. *Quercus marina*, 2. *Ger.* 1569. *Park.* 1293.

6. Fucus *marinus purpuraſcens parvus caule & ramulis ſeu foliolis teretibus*, 5. *Raii Syn.*

7. Fucus *ſpongioſus teres ramoſior viridis erectus, D. Stevens. An Fucus marinus teretifolius ramoſus parvus olivaceus*, 6. *Raii Syn. Et Fucus teretifolius ſpongioſus parvus*, 9. *Raii Hiſt?* Vid. icon. tab. æn. 5.

8. Fucus *ſpongioſus teres viridis elatior minuſque ramoſus, D. Stevens.* Ad binarum cubitarum altitudinem, ſpongioſis ſuis teretibus foliolis anguſtis, in ramuſculos paucos diductis, aſſurgit.

9. Fucus *teretifolius humilis fiſtuloſus, D. Stevens. An Fucus cavus*, 5. *C. B. P. J. B. Herba cava Imp?* Plurimi ſurculi ex radice vel primo exortu proveniunt, biunciales, & triunciales, in roſam expanſi, tenues, indiviſi, & fiſtuloſi.

§. 6. Fuci foliacei bullati ordinem dichotomum ſervantes.

1. Fucus *marinus vulgatiſſimus latifolius foliis quercinis, veſiculis donatis, Nobis. Fucus maritimus vel Quercus maritima veſiculas habens*, 3. *C. B. P. Quercus marina*, 2. *Cluſ. Hiſt.* 21. *Ger.* 1567. *Quercus marina herbacea, Park.* 1293.

2. Fucus *marinus veſiculis majoribus ſingularibus per intervalla diſpoſitis, Nobis. Fucus maritimus medio caule ad intervalla nodoſus flagellis plurimis è latere confertim prodeuntibus, folliculo bullato terminatis, D. Pluk. Alm. Latior & anguſtior eſt, unde Fucus marinus alter tuberculis pauciſſimis*, 2. *C. B. P.* Vide icon. Tab. æn. 8. Idem *flagellis ſingularibus ima parte barbatis & in ſummo veſiculis bullatis donatis. An Fucus maritimus foliis tumidis barbatis.* 5. *C. B. P. Quercus maritima barbata*, 3. *C. B. Prod?*

3. Fucus *ſive Quercus marina anguſtiore folio raro veſiculas habens, Raii Syn. App.* Hujus folia & tubercula graciliora ſunt quam ea vulgaris.

4. Fucus *ſive Quercus marina minima anguſtifolia, Raii Syn. App.* Hæc ſpecies perraro bullas habet, ſummitates autem ſeminiferas quemadmodum in reliquis ſuæ ſortis. Palmaris plerumque, raro dodrantalis eſt longitudinis, latitudine quadrantem unciæ haud æquat. *Inter oſtreas doliolis invenitur.*

5. Fucus *bullatus fruticeſcens caule nudo foliis rectis compreſſis bifidis.* Erecto aſſurgit caule ſemipedale & altiore, ex cujus ſummitate, in orbem diſpoſita, naſcuntur *folia* anguſta, compreſſa, palmaria & ſeſquipalmaria, in ordinem dichotomum partita, & bullis veſiculiſve paucis hinc inde aſperſis, donata. *Rev. D. Humfreys* è litoribus *Inſulæ Angleſey* hanc ſpeciem collegit, & una cum plurimis aliis maris ejectamentis tranſmiſit. *Vid. icon. Tab. æn.* 8.

6. Fucus *ſive Alga marina anguſtifolia veſiculas habens*, 3. *Raii Syn. Quercus marina tertia, Ger.* 1568. *Fucus marinus*, 3. *Dod.* 480. *Park.* 1293. *Fucus maritimus nodoſus*, 1. *C. B. P.* 365.

7. Fucus *anguſtifolius veſiculis longis ſiliquarum æmulis*, 17. *Raii Syn. & Hiſt.* Longitudo ei ſeſquicubitalis: veſiculæ crebris diaphragmatis interceptæ, ſummitatibus naſcuntur.

8. Fucus *folio tenuiſſimo diviſo ſiliquatus*, 18. *Raii Syn.*

9. Fucus *marinus humilior & fruticoſior, vel Quercus marina erecta ceratophylla ramoſa veſiculas habens.* Ad cubiti altitudinem circa littus æquoris excreſcit, in cornua plurima & acuta ramificata eſt hæc planta, quibuſdam cooperta veſiculis, quæ compreſſæ non rumpuntur, ac ventoſitate plenæ elaſtica virtute ſpongioſæ quaſi apparent, nec adeo fungoſas radices emittere poteſt.
In ſinu vulgo nuncupato Udſen-Soright *reperta eſt, & à Generoſo Turcico nobiſcum communicata.* Vid. icon. Tab. æn. 8.

10 Fucus *palmaris latioribus foliis in binas ternaſve veſiculas verrucoſas terminatis. An Fucus maritimus vel Quercus maritima foliorum extremis tumidis, quam aliqui glandiferam vocant*, 4. *C. B. P.? Quercus maritima* 2. *C. B. Prod? Forte Fucus pumilus dichotomos ſegmentis ex una parte gibboſis, altera excavatis, Raii Syn. App.* Vid. icon. Tab. æn. 8.

11. Fucus *palmaris platyphyllos bidigitatus in veſiculas longas ventricoſas conjunctas ſe terminans.* Hanc ſpeciem *D. Newton* collegit, & ex humanitate nobiſcum communicavit.

12. Fucus *palmaris anguſtifolius ad extrema veſiculis rugoſis bifurcatus, Nobis. Fucus marinus ſive Alga veſicaria minor polyſpermos, D. Pluk. Alm. Et Fucus minor ſegmentis anguſtioribus veſiculis bipartito & tripartito diviſis, Ejuſd. Roſa marina, J. B.* 800. Vid. icon. Tab. æn. 8.

13. Fucus *folliculaceus ſerrato folio*, 10. *C. B. P. Lenticula marina ſerratis foliis Lob. Obſ.* 256. *Hiſt. Lugd.*

1397. *Ger.* 1615. *Park.* 1281. *Sargazo Hiſpanorum, Piſ.* 266. *Sargoſſo, ſpecies Lenticulæ marinæ Joan. Iſrael de Bry, Acinariæ marinæ, 3. ſpec. Imp.*

14. Lenticula *marina foliis latis brevibus ſerratis, D. Sloan, Cat. Jam. An Fucus racemoſus vel racemus marinus, 9. C. B. P. Acinaria marina, 1. Imp?*

15. Lenticula *marina foliis latis breviſſimiſque, D. Sloan, Cat. Iam.*

16. Fucus *folliculaceus Linariæ folio, 12. C. B. P. Lenticula marina Serapionis, & Uva marina quorundam, Lob. Lugd. Tab. Acinariæ marinæ altera ſpecies Imp. Lenticula marina vulgaris, Park.* 1281.

17. Fucus *Abrotonoides veſiculis parvis rotundis ornatus.* Ex lento & veluti lignoſo principio, in varios cauliculos pedales hi rurſus in alios, ramificatus eſt hic *Fucus*, & foliolis quamplurimis *Abrotoni maris* tenuitatem obtinentibus, veſtitos & terminatos; inter quæ *veſiculæ* parvæ rotundæ, *Lentis* magnitudinis, arcte adhærent. *Hunc* Rev. D. Stevens *collegit & nobis miſit.* Vid. icon. Tab. æn. 8.

§. 7. Fuci foliacei non bullati ordinem dichotomum ſervantes.

1. Fucus *ſive Alga latifolia major dentata, 3. Raii Hiſt. 2. Synopſ.* Pollicem fere lata ſunt folia, marginibus dentata & ſerrata; Summitatibus vetuſtiorum verrucoſis & veluti ſeminiferis ſparſa. *Vid. icon. Tab. æn.* 9.

2. Fucus *fruticeſcens foliis ex anguſtis ſe ſenſim ad extrema dilatantibus.* Plurimi lenti ſurculi, teretes, ex eodem pede oriuntur, qui in varias erectas ramificationes ſe dividunt, & ſecundum incrementum compreſſi, & magis compreſſi ſunt, denique in *folia* tenuia, ramuſculi finguli terminantur. *V. icon. Tab. æn.* 9.

3. Fucus *marinus erectus non ramoſus, foliis craſſis carnoſis ad extremitatem diviſis.* Groſſitudinem gerit *Arundinis Indicæ*, ſubrubicundi coloris; radices habet ſatis carnoſas, & inſipido ſucco plenas, ut & tota planta, quæ cortice ſpoliata, quodam virgato colore albo, ut fere viperina pellis apparet: ad ſummum eminent *folia* numero fere duodecim, teretia, craſſitudinis apud truncum anguſtioris, ad extremitatem paululum ampliantur, ac in tres quatuorve mucrones acutos dividuntur. Ad hominis altitudinem, erecto caule excreſcit.

A quibuſdam hæc planta inflammationibus admota eſt, mirabili cum ſucceſſu, cum ſit tenuiſſimæ frigiditatis. A generoſo Turcico accepta eſt, quæ in ſinu Udſen-Soright *vulgo nuncupato reperta eſt.* Vid. icon. Tab. æn. 9.

4. Fucus *tenuifolius foliis dentatis, 4. Raii Hiſt. & Synopſ. An Fucus membranaceus dichotomus gramineus, Raii Syn. App?* In quamplurimas ramificationes tenues, longas, diſtributa eſt hæc planta, *foliis* anguſtis & veluti gramineis, tenuibus, veſtita, laciniis ſeu denticulationibus paucis, per ſiccitatem fere inviſibilibus, acutis, ſurſum ſpectantibus, ſparſa. Vid. icon. Tab. æn. 9.

5. Fucus *gramineus foliis minoribus, majoribus adnatis, D. Newton.* Pedalis eſt hæc planta pallide virens, quæ caulis loco, compreſſum habet *folium* gramineum, culmumque latum, è cujus lateribus, alia folia, veluti primis adhærentia enata ſunt, palmæ longitudinis, & ex horum lateribus alia etiam minora, uncialia, & ſemiuncialia excreſcunt.

6. Fucus *marinus Salicem & foliis & julis æmulans. Salix marina, J. B. 805. Salix maritima, 16. C. B. P. Park.* 1303.

§. 8. Fuci aphylli, viticulis foliis nudis, ſeu chordas muſicas referentibus, donati.

1. Fucus *marinus ceranoides cornu cervi diviſura globulis verrucoſis ſignatus. Folia* habet pyramidaliter rotunda, ſed aliqualiter compreſſa, & quibuſdam fignita globulis, in quorum medio punctum apparet. In extremitate inferioris trunci adeſt convexitas mollis, ad inſtar *Fungi* materiæ, ac infra minutiſſimæ ſerpunt radices, quales in aliis Plantis ſubmarinis obſervantur. Ad hominis altitudinem excreſcit, & in mucronata cornua, cervi æmula, terminantur. *V. icon. Tab. æn.* 9.

A prædicto Generoſo Turcico accepta eſt hæc planta ſubmarina, quæ in ſinu Udſen-Soright *vulgo nuncupato reperta eſt.*

2. Fucus *parvus aphyllos ramoſus ſubflavus, ramulis chordas muſicas majores referentibus.* Icon *Quercus marinæ Theophraſti Cluſio, Parkinſoni, p.* 1298. Huic noſtræ plantæ, obtuſis ſuis terminationibus, bene reſpondet.

3. Fucus *parvus aphyllos in orbem expanſus, in tenuiora flagella ramuloſve divaricatus.* Hæc ſpecies ex oris *Barbadienſibus* allata, *Coralloidi lentæ fæniculaceæ, J. B.* 797. Satis convenit, qui ex variis coloribus tinctam eſſe refert; noſtras vero ſubviridis eſt.

4. Fucus *parvus ſegmentis prælongis teretibus acutis,* 10. *Raii Hiſt.* 14. *Synopſ. Fucus forcellata Lumbricalis ſpecies,* 8. *C. B. P. Forcellata Imp. Fucus marinus Forcellata Lumbricariæ ſpecies, J. B.* In Roſam expanſi ſunt cauliculi tenues, qui ter dividuntur, dichotomam diviſionem obſervantes, quarum ſuperior craſſior eſt, uncialis, in mucronem acutum terminans. Per ſiccitatem nigreſcit. Vid. icon. Tab. æn. 9.

5. Fucus *teres rubens ramoſiſſimus, Raii Syn. App.* Caulis fili emporetici craſſitudinis eſt, qui diviſus & ſubdiviſus, in capillaceos ramulos tandem definit, & palmarem vel dodrantalem altitudinem aſſequitur.

6. Fucus *teres albus tenuiſſime diviſus, Raii Syn. App.* Caulis teres ad pedem extenditur, fili emporetici majoris craſſitudine, ex quo undique ramulos emittit, crebris diviſionibus, in capillaceos tandem extremitates deſinentes.

7. Pinus *maritima, ſive Fucus teres, cujus ramuli ſetis ſurſum tendentibus ſunt obſiti, Raii Syn. App.* Dodrantalis eſt, ramoſus, ſetis ſemiuncialibus, verſus unam partem, ſurſum ſcil. tendentibus; ex omni parte teres & tenax, per ſiccitatem fulvi vel nigreſcentis coloris.

8. Fucus

8. Fucus *coralloides erectus, Raii Syn. App.* Palmaris eſt erectus, albidus, corneus & tenax. Ramuli craſſitiem fili minoris æquant, hinc inde nullo ordine ſiti, ejuſdem ſubſtantiæ & fere craſſitudinis cum ramulis.

9. Fucus *palmaris tenuis in orbem expanſus in ſegmenta bifida, vel trifida breviora teretia diviſus, Nobis. Fucus parvus plurimis ab eadem radice cauliculis, ſegmentis teretibus, in ſummo apice bifidis vel trifidis, D. Pluk. Alm.* Vid. icon. Tab. æn. 9.

10. Fucus *trichoides noſtras aurei coloris, ramulorum apicibus furcatis, D. Pluk. Tab.* 184. *An Fucus Radicella dictus ſive Vermicularis albus, J. B? Fucus Radicella ſive Vermicularis, 6. C. B. P. Radicella Imp?*

11. Fucus *ſive Alga lenta capillacea pallida flagellis ramoſis chordas muſicas minores referentibus. An Alga exigua dichotomos arenacei coloris, Raii?*

12. Fucus *Indicus teres ſetam piſcatoriam referens longiſſimus, D. Pluk. Tab.* 184. 3. *An Toncon herba Braſilienſium, qua ad piſcandum utuntur incolæ, Lerio deſcript. Braſil?*

13. Fucus *ſetaceus niger longiſſimus non romoſus. An Fucus Capillara dictus, J. B. Et Filum marinum Germanicum, 8. C. B. Prod. Alga nigra capillaceo folio, 2. C. B. P.*

14. Fucus *marinus ferulaceus in longiora capillamenta ramificatus, Nobis. Muſcus marinus ferulaceus foliis Fœniculo longioribus, 6. C. B. P.*

15. Fucus *marinus ferulaceus in breviora capillamenta diviſus. Muſcus marinus ſive Alga tinctoria, Park.* 1289.

16. Fucus *fruticoſior filamentis ramulis craſſiuſculis adhærentibus.* Huic noſtræ Plantæ, quam ex oris *Britannicis* aut *Inſulæ Angleſey* acceptam habemus, Figura *Fuci marini tenuifolii, 6. Ger. p.* 1573. bene convenit. *Muſcus marinus Abrotonoides, Park.* 1290. *Fucus folliculaceus foliis Abrotoni, 8. C. B. P. An Cremenii Iſtris Abrotoni vel Thymi foliis, J. B.* 798. *Muſcus marinus, foliis Abrotoni, Hiſt. Lugd?*

17. Fucus *Cupreſſinus Imperati, J. B. Fucus Cupreſſo ſimilis, 15. C. B. P.*

18. Fucus *Tamaraciola ſive Tamariſcifolia marina, J. B.* 800. *Tamariſco ſimilis maritima, 14. C. B. P.*

19. Fucus *foliis Ericæ, Erica marina quibuſdam, J. B.* 799. *Myrica marina Batavica, Cluſ. 14. C. B. P.*

20. Fucus *radicibus arborum fibroſis ſimilis, 19. Raii Syn.* Longitudinis eſt palmaris, aut ſemipedalis, caulibus craſſis, teretibus, ramulos hinc inde nullo ordine creberrimos emittentibus, in alios ſubinde minores diviſos & ſubdiviſos, donec ad capillares velut fibras ventum ſit. Summæ comæ ſeu ſurculi extremi ſæpius teretes, nonnunquam etiam plani & compreſſi, in quibus non raro veſiculæ tumidæ concavæ, quales in aliis *Algis* cernuntur, *Raii.*

21. Fucus *confervioides lendiginoſus ſeu Cuſcuta marina, Raii Syn. App.* Capillaceus & ramoſus eſt, crebris nodulis lendium figura interſtinctus. *Fucos* majores implicat ad inſtar *Cuſcutæ.*

22. Fucus *minimus hirſutus fibrillis herbaceis ſimiles, Raii Syn. App.* Ad uncias duas aſſurgit, parum ramoſus, hirſutus. Inter oſtreas frequenter invenitur.

PLANTARUM ANOMALARUM

Seu Submarinarum.

CAPUT XLIX.

Muſcus marinus.

Muſci marini dicuntur eæ Plantæ quas ſicut & terreſtres, à tenuibus ſuis foliis multiplicataque caulium divisione, eo nomine appellari, quis primo intuitu pronunciabit. Sunt vel, *Capillis longioribus, vel brevioribus. Pennati non ſcrupoſi, vel ſcrupoſi. Scrupoſi non pennati nec geniculati. Vel Corallinis affines geniculati.*

§. 1. Muſci marini capillis longioribus.

1. Muſcus *marinus capillaceus multifidus niger, 2. C. B. P. Et Alga bombycina, C. B. P. & Prod. Muſcus marinus niger capillaceus ramoſiſſimus, Raii Syn. App.*

2. Muſcus *maritimus Goſſypio ſimilis, 9. C. B. P. Goſſypium Muſcus, Imp. An Conferva paluſtris marina ſive Filum marinum Anglicum, 27. Raii Hiſt.*

3. Muſcus *marinus capillaceus Dioſcoridis, Park.* 1289. *Muſcus marinus verus Antonii Donati.*

4. Muſcus *marinus capillaceus alter parvus Venetus, Park.* 1289.

5. Muſcus *marinus Venetus Coſti Indici radicis effigie Ponæ, Park.* 1290.

6. Muſcus *maximus ceratoides maritimus Triumfetti, Raii Hiſt. App.*

§. 2. Muſci marini capillis brevioribus.

1. Muſcus *maritimus viridis multifido folio, 3. C. B. P. Muſcus marinus Cluſio, Ger. 1537. Muſcus marinus, Cluſ. Hiſt. Muſcus marinus Neapolitanus, Park. 1289. Palma marina quibuſdam, J. B. Imp.* Hujus aliæ ſunt varietates, quas *C. B.* confundit.

2. Muſcus *marinus capillaris brevior aliis adhærens albus. Muſcus marinus 3. Dod. Ger. Emac. 1574. Fucus capillaris dictus, J. B. Muſcus coralloides pumilus ramoſus, Raii Syn. App.*

3. Muſcus *marinus capillaris brevior aliis adhærens niger.* Colore præſertim à præcedenti differt.

4. Muſcus *marinus virens fæniculaceus, Park. 1289. Fucus tenuifolius alter, Ger. 1573. Fucus folliculaceus foliis Fæniculi brevioribus, 7. C. B. P.*

5. Muſcus *ruberrimus marinus Mentz.*

6. Muſcus *marinus hirſutus flagellis longis ramoſis ſubviridibus. Fucus teres villis quaquaverſum obductis, R. Syn. App.* In orbem expanduntur flagelli tenues palmares, in ramulos paucos diviſi, qui medio filo nigro tenaci conſtant, & muſcoſa veluti materia brevi, per totum obtecti ſunt, ſubviridis coloris. *A Prædicto* D. Stevens, *in litore* Cornubienſi *à ſe collectam, tranſmiſſam habemus.* V. icon. Tab. æn. 9.

7. Muſcus *marinus hirſutus flagellis longioribus rarius diviſis ruber.* Hanc Plantam à Viro prædicto digniſſimo quoque recepimus, cujus viticuli muſcoſa quaſi lanugine brevi rubeſcenti omnino tecti ſunt. *Vid. icon. Tab. æn. 9.*

§. 3. Muſci marini pennati, non ſcrupoſi.

1. Muſcus *pennæ ſimilis, 5. C. B. P. Penna marina, Imp. J. B. Forte Penna marina aurea Donati, Park. 1290. An Fucus ſcopara ſive Pennachio marino, J. B. ab ea differat? Pluma marina Ponæ Ital. 146.*

2. Muſcus *Pelagicus pennatus rubens ramulis numeroſis mollibus latius ſe ſpargentibus, D. Pluk. Alm. Phyt. Tab. 88. 2. Forte Muſcus marinus rubens pennatus, Raii Hiſt. 1. Synopſ. Et Muſcus marinus purpureus parvus foliis oblongis, Millefolii fere diviſura, Ejuſd. Muſcus maritimus tenuiſſime diſſectus, ruber, 4. C. B. P.*

3. Muſcus *marinus plurimiformis ramulis & foliis denſiſſimis capillaceis, D. Sloan. 6.*

4. Muſcus *marinus Adianto affinis, 7. C. B. P. Pennaria marina, Imp. J. B.*

5. Muſcus *marinus Adianto ſimilis alter, 8. C. B. P. Polypodium marinum, Imp. J. B.*

6. Muſcus *marinus plumiformis Donati, Park. 1290.*

§. 4. Muſci marini ſcrupoſi *ſive* coralloides, pennati.

1. Muſcus *maritimus Filicis folio, C. B. P. Corallina plumata ſive Myriophyllum Pelagicum Cortuſi, Park. 1298. Myriophyllum Pelagicum, J. B. 802.* Vid. icon. Tab. æn. 9.

2. Muſcus *maritimus pennatus ramulis & capillamentis falcatis, Raii Hiſt. Corallina muſcoſa pennata ramulis & capillamentis falcatis, D. Pluk. Tab. 47. 12.* Vid. icon. Tab. æn. 9.

3. Muſcus *marinus ſcrupoſus ſive coralloides Abietis facie. Abies marina Belgica, Cluſ. Hiſt. 35. Ger. emac. 1574. Abies marina, Park. 1302. Abieti ſimilis maritima, 13. C. B. P. Muſci marini genus foliis pinnatis, & Abies Cluſii Belgica, J. B. Muſcus coralloides marinus denticulatus major, 2. Raii Synopſ.*

4. Muſcus *marinus minor denticulis alternis, Raii Hiſt. & Synopſ. Corallina muſcoſa alterna vice denticulata ramulis in creberrima capillamenta ſparſis. D. Pluk. Alm, & Phyt. Tab. 48. 3.* Vid. icon. Tab. æn. 9.

5. Muſcus *marinus denticulatus denticulis bijugis unum latus ſpectantibus, Raii Hiſt. Corallina muſcoſa denticulis bijugis unum latus ſpectantibus, D. Pluk. Alm.*

§. 5. Muſci marini ſcrupoſi non pennati.

1. Muſcus *marinus major argute denticulatus, 16. Raii Hiſt.* Nonnunquam conchis adhæret, & alias caulículo calami ſcriptorii craſſitie, tres quatuorve uncias longo aſſurgit, ac in muſcoſos ramuſculos exinde ſe dividit.

2. Muſcus *marinus lendiginoſus minimus arenacei coloris. Coralloides lenta fæniculacea, J. B. Fucus fæniculaceus colore livido, Raii Syn.* Vid. icon. Tab. æn. 9.

3. Muſcus *marinus denticulatus procumbens caule tenuiſſimo denticellis bijugis, Raii Hiſt. Corallina muſcoſa denticulata procumbens caule tenuiſſimo denticellis adverſo ſitis, D. Pluk. Alm. Phyt. Tab. 47. 11.* V. icon. Tab. æn. 9.

4. Muſcus *marinus minimus ſcrupoſus capillaceus. Corallium minimum capillaceum, 6. D. Sloan. Cat. Iam.*

5. Muſcus *marinus Equiſetiformis non ramoſus, Raii Hiſt. 6. Syn. Corallinæ affinis non ramoſa arenacei coloris Aſtacorum corniculi inſtar geniculata, D. Pluk. Alm. Muſcus marinus coralloides, D. Pluk. Phyt. Tab. 48, 6.* Scapi ſetis equinis craſſiores, intus concavi, creberrimis geniculis intercepti ſunt.

§. 6.

§. 6. Muſci marini Corallinis affines geniculati, vel *rotundiores* vel *longiores* ſunt.

1. Corallina *opuntioides ramulis denſioribus & foliis magis ſinuatis atque corrugatis*, D. Sloan. Cat. Iam. 4. *Sertolaria Imp.* 651. *Scutellaria & Opuntia marina*, J. B. 802. D. Pluk. Alm. Et Phyt. Tab. 26. 1. *Opuntia marina*, Park. 1294. *Lichen marinus rotundifolius*, Ger. 1567. *Lichen marinus*, Dod. Pempt. 250. *An Corallina latifolia & Opuntia marina, Cortuſi? Fucus folio rotundo*, 1. C. B. P?

2. Corallina *ſcutellaris alba Roſarii inſtar perforata, ex Inſula Jamaicenſi*, D. Pluk. Alm.

3. Corallina *Opuntia Jamaicenſis cum orbiculis plurimis filo pendulis per ſiccitatem nigris*, D. Pluk. Alm.

4. Muſcus *maritimus ſive Corallina officinarum*, C. B. P. *Muſcus marinus ſive Corallina officinarum*, Park. 1295. Cujus figura eſt *Muſci marini ſive Corallinæ albæ*, Ger. Et *Corallina Anglica*, Ger. 1571. *Muſcus marinus ſive Corallina*, Dod. *Hiſt. Lugd.* 1368. *Corallina* J. B. 800. Dod. 477. Lob. Obſ. 649.

5. Muſcus *marinus candidus coralloides*, *Hiſt. Lugd.* 1368. *Muſcus capillaceus multifido folio albidus*, 1. C. B. P. *Muſcus marinus albidus*, Ger. 1571. *Muſcus marinus*, 2. Dod. Belg. Pempt. 475. *Muſcus albus marinus*, Imp. *Muſcus marinus vulgatiſſimus*, Lob. Obſ. 648. *Corallinæ affinis ſive Muſcus marinus tenui capillo*, J. B. *Muſcus marinus rubens ſive corallina rubens*, Park. 1296. *Corallinæ affinis candida multifido capillaceo folio, Palmites*, D. Pluk. Tab. 47. 10. *Lit. a.* Variat colore nunc albidiore, nunc ad rubedinem vergente.

6. Corallinæ *affinis ſive Muſcus coralloides multifido capillaceo folio palmites pelagica nigra*, D. Pluk. Alm. & Phyt. Tab. 47. 10.

7. Muſcus *Corallinæ in modum articulatus ex albo rubeſcens*, Raii Hiſt. An à priore differt, quærendum.

8. Muſcus *candidus coralloides ſquamulis loricatus*, 2. C. B. P. Lob. *Muſcus marinus ſquamoſus ſive Corallina ſquamata*, Park. 1296. *Muſcus marinus candidus coralloides*, Lugd.

9. Corallina *muſcoſa ſive Muſcus marinus tenui capillo ſpermophoros, Petiverii*, D. Pluk. Alm. & Phyt Tab. 168. 3. Vid. icon. Tab. æn. 9.

10. Corallium *maritimum calcariis rupibus adnaſcens*, D. Lhwyd, 2. Raii Synopſ.

11. Corallina *marina capillacea*, D. Sloan.

12. Corallina *viridis tenuiſſima & ramoſiſſima mollis*, Raii Syn. App.

13. Corallina *fiſtuloſa fragilis poſterior*, J. B. 811 *Corallina fuſtuloſa fragilis internodiis prælongis lævibus albis Farciminum modo catenatis*, D. Pluk. Alm. & Phyt. Tab. 26. 2. *Corallina nervo tenuiori fragiliorique internodia longiora nectente*, D. Sloan. 4.

14. Corallina *major nervo craſſiori fuciformi internodia breviora nectente*, D. Sloan. 4. Cat. Iam. *An Corallina fiſtuloſa Jamaicenſis candida cum internodiis breviſſimis & quaſi filo trajectis, Noſtratibus* White bead bandſtrings, D. Pluk. Alm.

15. Corallina *fiſtuloſa flexilis ſive Corallina geniculata mollis Americana ſegmentis latis & compreſſis*, D. Pluk. Tab. 168. 4.

16. Corallina *aut potius Alga nodoſa Vitriariorum æmula ſegmentis tubuloſis.* The Manitee graſs *Jamaicenſibus dicta*, D. Pluk. Alm. *Alga juncea ſive Juncus marinus radice alba geniculata*, D. Sloan. Cat. Iam.

17. Corallinæ *affinis nodularia*, 10. C. B. P. J. B. *Nodularia Imp.*

PLANTARUM ANOMALARUM

Seu ſubmarinarum.

CAPUT L.

Coralloides frutices lignoſæ, non reticulatæ.

Coralloides *fruticoſa planta marina rectior*, J. B. 797. *Corallina fruticoſa recta alba*, 1. C. B. P. *Quercus marina Theophraſti Cluſii Exot.* 121. Park. 1298. Baſ. Beſler. Faſcic. Rariorum. *Quercus marina cum ſua baſi*, Cluſ. Cur. poſt, 47. *Corallii frutex*, Hiſt. Lugd. 1374. *Coralloides albicans & rubens*, Ger. 1577. *Lithophyton marinum albicans*, Geſn. Foſſ. *Coralliis ſimiles frutices*, Cæſ. *Corallina fruticoſior humilior & craſſior ramis quaquaverſum expanſis ſuperficie tuberculata*, D. Sloan.

Forte etiam *Corallina lutea punctata*, 2. C. B. P. & *Purpurea*, 3. *Ejuſdem, ſolo colore differunt.*

2. Corallinæ *facie grumoſo cortice*, C. B. P. *Arbuſcula marina coralloides rubra*, Cluſ. Exot. L. 6. 119. J. B. 809. *Corallina fruticans rubra*, Park. 1297.

3. Corallina *alba nodoſa*, 12. C. B. P. 1. Prod. Park.

4. Corallina *cinerea rugoſa*, 13. C. B. P. 2. Prod. Eſt duplex, *altera* cruſta cinerea rugoſa, & utraque non ſecus quam ſequens, intus lignum habet ſpadicei coloris, durum, medulla carens & cruſta obductum. *Altera* magis albicante minuſque rugoſa obducitur.

5. Fruticulus *marinus ramulis longis teretibus Geniſtam Hiſpanicam æmulantibus, cruſta pallideflavicante obductus. Forte Corallina pallide flaveſcens lævis*, 16. *C. B. P.* 3. *Prod.*

6. Fruticulus *marinus cauliculis craſſiuſculis teretibus rigidis pennatus, Raii Hiſt. Corallina ſcrupoſa pennata cauliculis craſſiuſculis rigidis, D. Pluk. Alm.*

7. Fruticulus *elegans geniculatus cirrhis obſitus, Raii Syn. App.*

8. Coralloides *fruticoſa recta ligno intus lapidoſo nigro, lanugine cremeſino incruſtata, D. Pluk.*

9. Coralloides *granuloſa alba, J. B.* 808.

10. Corallina *marina carnea Palmæformis. Corallina marina Piniformis Courteniana, Raii Hiſt. Corallium foliatum Antipathes facie nigrum*, 3. *D. Pluk. Alm. An Corallina nigra ſetacea*, 7. *C. B. P. Nigra altera, Park.* 1298. *Antiphates ſive Corallina tertia Ponæ, Ital.* 228? Vid. icon. Tab. æn. 10.

11. Corallina *nigra ſetacea hirſuta*, 6. *C. B. Antiphates* 2. *Ponæ, ſive Corallum nigrum hirſutum.*

12. Eadem *ligno ſuo cruſta lanuginoſa alba incruſtata, D. Pluk. Alm.*

13. Corallina *nigra ſetacea circumvoluta*, 8. *C. B. P. Antiphatis ſive Corallinæ*, 3. *altera ſpecies Ponæ.*

14. Corallina *fruticoſa elatior ramis quaquaverſum expanſis teretibus*, 3. *D. Sloan. Cat. Iam. Forte Frutex corneoligneus major erectior ſolutis ramulis D. Grew, Muſ. Reg. Soc.* 243.

15. Corallina *marina ſive Fruticulus marinus lignoſus erectus & elatior ſetis longis nudis lobatim diſpoſitis. Tamariſco nonnihil ſimilis duobus ex adverſo ordinibus ramulorum chordas muſicas referentium, Muſ. Oxon.*

Rupibus ſubſtantia quædam fungoſa, ſtriata, ligneæ proxima, partem fere dimidiam *Nucis Cocao* per latitudinem ſectæ referens, adnaſcitur: exinde *caules* quatuor, (in aliis forſan plures aut pauciores) aſſurgunt, tripedales, nonnihil compreſſi, per longitudinem ſtriati, colore caſtaneo: ex hiſce binæ ramulorum ſeries, ex adverſo poſitæ, à radice uſque ad ſummitates porrectæ, prodeunt: hi ramuli indiviſi ſetacei, chordulas muſicas quam proxime referentes, coloris punicei, æquali fere diſtantia à ſe invicem collocantur.

16. Fruticulus *marinus tenuior Ericæ in modum ramoſus non geniculatus, Ericæ ſimilis maritima*, 17. *C. B. P. Ericæ facie frutex marinus, Cluſ. Exot.* 122. *J. B.* 807. *Corallina lignoſa ruſeſcens Ericæ facie, Park.* 1297. *Erica marina, Baſ. Beſler. Faſcic. Rariorum.*

17. Fruticulus *marinus ceranoides lignoſus humilis nodoſus, in cornua brevia & tenuia, Corallinæ montanæ æmula creberrime divaricatus*, 2. *Muſ. Oxon. An Coralloides tenuifolia obſequioſa minima, J. B?* Vel *Fruticoſa marina planta, quibuſdam Conferva lignoſa, J. B.* 758. Cujus icon non admodum diſſimilis eſt. Fruticulus hic dodrantalis, lignoſus, è caulibus nodoſis, in ramuſculos ceranoides denſiſſime complicatus, & in quamplurima cornua brevia, tenuia & lenta creberrime ramificatus exit. *Vid. icon. Tab. æn.* 10.

18. Fruticulus *marinus aſperiuſculus ramulis ferulaceis ſpinulis exeuntibus donatus. Fruticulus marinus aſperiuſculus flabelli formis ferulaceus*, 9. *Muſ. Oxon. An Corallina ſetacea, veluti ſpinis exaſperata*, 5. *C. B. P. Et Frutex marinus ligneus expanſis ramulis coeuntibus, D. Grew. Muſ. Reg. Soc. Deſcript. p.* 245. *icon. Tab.* 8? Fruticulus hic elegans in quamplurimos ramuſculos tenues, lentos, ferulaceos, lignoſos, dodrantales, diductus eſt, horum unuſquiſque, ramulum compreſſum efformat, ex plurimis furculis tenuibus lateraliter alternatim oriuntibus, ſpinulis quaſi terminatis compoſitum. Tota planta *Ferulæ* folium quodammodo refert. Ramuli majores nonnunquam, (raro tamen) ſibi invicem hinc inde coeunt & junguntur, nigricantes, & alii minores excreſcentes, non junguntur. *Vid. icon. Tab. æn.* 10.

19. Fruticulus *marinus flabelliformis longis capillis ad radicem inſignis*, 8. *Muſ. Oxon.* Caudex & ramuli, compreſſi potius dicantur, quam rotundi vel teretes, dodrantales, crebrius ramoſi, qui cruſtacea veluti tartarica materia, quemadmodum & aliæ plurimæ ſubmarinæ plantæ, tecti ſunt.

20. Fruticulus *Africanus marinus Equiſeto junceo ſimilis nodis candicantibus. Equiſeto junceo nigronodo Breynii affinis, Raii Hiſt. App. Equiſetum junceum Africanum fruteſcens nodis candicantibus, D. Pluk. Alm.*

PLANTARUM ANOMALARUM *Seu* ſubmarinarum.

CAPUT LI.

Coralloides frutices flabelliformes, reticulati.

COrallina *reticulata plana purpuraſcens, Park.* 1298. *Corallina cortice reticulato maculoſo purpuraſcente, C. B. P. Frutex marinus elegantiſſimus, Cluſ. Exot.* 120. *Frutex marinus elegantiſſimus albus Corallium Nautis, J. B.* 807. *Frutex marinus reticulatus, Ger. Emac.* 1616. *Frutex marinus elegantiſſimus, Palma, marina Theophraſti quibuſdam, Chab.* 579. *Planta retiformis, Baſ. Beſler. Faſcic. rariorum*, 1. *Muſ. Oxon.* Nulla nititur radice, ſed lata baſi compreſſa ſaxis adhæret, quemadmodum marinæ aliæ. Harum nonnullæ in varias lacinias diviſæ ſunt; quædam etiam in flabellulas, aliis præ aliis extantibus ramificantur; ut plurimum vero planæ ſunt.

2. Frutex *flabelliformis cortice verrucoſo obductus, Raii Syn. App.* Tuberculoſa cruſta rugoſa, totus obtegitur.

3. Reticulum *marinum, J. B.* 809. *An Rete marinum, Imp. l.* 28. *c.* 1?

4. Corallina *retiformis purpurea ramoſa nervis tenuiſſimis*, 2. *D. Pluk. Alm.*

5. Reticulatum *tophaceum marinum, J. B.* 810. *An Porus in figura di Mataſſa, filo concavo quamvis ſubtilis Imp?*

PLAN-

PLANTARUM ANOMALARUM

Seu ſubmarinarum.

CAPUT LII.

Spongia.

Spongia eſt (notante *Imperato*) de Vegetabilium marinorum genere, *Fungis* proxima, cujus ſubſtantia velut ex lana compacta, fiſtuloſa, foraminata, & undique macagine quadam membranacea veſtita. *Spongiis* proprium eſt, facile conſtringi, ac elaſtica vi innata in priſtinam amplitudinem dilatari: ad hæc humoris eſſe ſitibundas, quem facile imbibant, & compreſſæ emittant. Scopulis, teſtaceis & arenæ radice ſua affixæ ſunt *Spongiæ*, quæ à radice avulſæ, nihilominus repullulant, ut aliæ Plantæ recreſcunt. Hæ autem ſunt Vel *non ramoſæ*, vel *ramoſæ*.

1. Spongia *marina uſualis*, *Park.* 1304. *Spongia compreſſa magna*, 3. *C. B. P. Spongia marina alba*, *Ger.* 1577. *Spongia compreſſa ſchiacciata Oceani latiſſima*, *Imp. J. B.*

2. Spongia *compreſſa Imp.* 2. *C. B. P. Spongia compreſſa ſchiacciata*, *J. B.*

3. Spongia *globoſa Imp.* 1. *C. B. P. J. B.*

4. Spongia *villoſa*, *D. Grew. Muſ. Reg. Soc. Cat.*

5. Spongia *reticulata maculata lumen tranſmittens Courteniana*, *Raii Hiſt. App.*

6. Spongia *forma infundibuli*, 9. *C. B. P. Park.* 1304. *Spongia elegans*, *Cluſ. Exot. Cap.* 11. *p.* 125. *Spongia infundibulum imitata*, *J. B.* 802.

7. Spongia *dura ſive ſpuria major alba fiſtuloſa fibris craſſioribus*, *D. Sloan.*

8. Spongia *dura ſive ſpuria ſuperficie apicibus acutis extantibus aſpera intus cavernoſa*, *D. Sloan. An Spongia hircina*, *Imp.* 4. *C. B. P?* *Spongia marina fiſtuloſa maxima muricata. An Spongia ramoſa fiſtuloſa*, *C. B. P. D. Pluk. Tab.* 112. 4?

9. Spongia *Novi orbis textura laxa cincinnata, cylindri cavi figura lignicula circumnaſcens*, *D. Pluk. Alm. & Phyt. Tab.* 322. 3.

10. Spongia *ramoſa Britannica*, *Park.* 1304. *Spongia ramoſa*, *Ger.* 1577. *C. B. P. Arboreſcens Imp.* 638. *Conferva marinæ genus*, *Lob.*

11. Spongia *ramoſa fluviatilis Newtoni*, 8. *Raii Hiſt.* Colore eſt per ſiccitatem magis cinereo quam præcedens, ramulis digitum minimum craſſis; nonnullis diviſione ſua digitos imitantibus, aliis in extremo dichotomis & velut cornutis, aliis varie & nullo ordine diviſis, *Raii.*

12. Spongia *ramoſa altera Anglica, & ſpongioſa marina Planta nodoſa*, *Park.* 1304. *Fucus ſpongioſus nodoſus*, *Ger.* 1570. *Raii Syn. An Spongioſus Fucus Imp. C. B. P?* The Sea ragged Staff.

13. Spongiæ *ramoſæ varietas*, *Bocc. Tab.* 50.

14. Spongia *dura ſeu ſpuria ramoſa altiſſima D. Sloan. Cat. Iam.*

15. Spongia *ramoſa tuberculata Courteniana*, *Raii Hiſt. App.*

16. Spongia *ramoſa coniformis*, *Bocc. Tab.* 40. Humilis eſt, & ramuſculis ſuis complicatis, coniformis, & figuram *Fungi canaliculati* quadammodo refert.

17. Spongia *fluviatilis ramoſa fragilis. An Spongia fluviat. anfractuoſa perfragilis ramoſiſſima noſt. D. Pluk. Tab.* 112?

18. Spongia *dura ſive ſpuria maxima ramoſa fiſtuloſa*, *D. Sloan. Qui Alcyonium monſtroſum*, *Cluſ. Exot.* 126. *Et Cbirotbecæ facie Ejuſdem*, 10. *C. B. P. Et Cornu cervi diviſura cum cranii parte referens*, 9. *C. B. P. Et Spongia velaris*, *Imp.* 5. *C. B. P. J. B. Eandem eſſe Plantam opinatur.*

19. Arbuſcula *marina ſpongioſa coralloides*, *Park.* 1305.

PLANTARUM ANOMALARUM *ſeu* Submarinarum.

CAPUT LIII.

Alcyonium.

DE *Alcyonio* veteres imperfectam tantum Hiſtoriam nobis reliquerunt, & ſatis fabuloſam, oblivioni potius tradendam, quam recenſendam. Doctiſſimus *Cæſalp.* ſtatuit quod *Spuma maris* velut ex ampullis conſtans, ad ſpumæ ſimilitudinem ſit, modo candida, modo rubens, aliquando flaveſcens: adhæret ſaxis, *Spongiarum* more: conſtituitur ex numeroſis foliolis membranaceis, ſibi invicem inſidentibus, inferne convexis, nunc figura vermiculorum, nunc unguis, qui in oculo adnaſci ſolet, nunc alia figura: obducitur in quibuſdam, cruſta exterius, interius autem ſpongioſa conſtant ſubſtantia, quod genus denſius & durius eſt, cinerei coloris: quoddam eſt ex foliis conſtans, auriculæ figura, pluribus lineis circumductis, colore cinereo, mollibus, ſpecie *Fungi*, guſtu mordaci. Unde *Spongiæ* proxima, à mollitie exiſtimatur, ſed ea differentia integra, magis intus compacta, quacunque exteriori forma donata ſit.

1. Alcyonium *ſpongioſum officinarum, J. B.* 803. *Alcyonium durum ſive* 1. *Dioſc. Imp.* 638. *C. B. P. Alcyonium album, Baſ. Beſleri. faſcic. rarior. Alcyonium ſpongioſum Dioſc. Favum marinum di Antonio Donati.*

2. Alcyonium *ingens, & ad* 3. *quod ad* 5. *Dioſc. referri poteſt, Cluſ. Exot.* 8. *C. B. P. An Muſcus petroſus Imperati*, 600?

3. Alcyonium *tuberoſum J. B.* 817. *Alcyonii alia ſpecies, Baſ. Beſler. Faſcic?*

4. Alcyonium *ſtuppoſum vel* 4. *Dioſc. Imp.* 640. 5. *C. B. P. Alcyonium ſtuppoſum Imperati, J. B.* 803.

5. Alcyonium *ſtuppoſum rubrum perforatum, P. Bocc. Epiſt. Raii Hiſt.*

6. Alcyonium *rubrum majus & minus D. Courtene.*

7. Alcyonium *forma fructus alicujus ficus*, 7. *C. B. P. Alcyonium tuberoſum forma Ficus, Imp.* 641.

8. Alcyonium *foraminoſum vel* 4. *Dioſc.* 5. *Imp.* 641. 6. *C. B. P. An Fucus marinus noſter medulla panis ſimilis Donati. Et Spongia ramoſa fiſtuloſa Veneta, Park.* 1305. Ab hoc Alcyonio differat, *D. Sloan.* quærit, & *Spongiam minorem & molliorem medullæ panis ſimilem fibris tenuiſſimis appellavit.*

9. Alcyonium *vermiculare Imp.* 639. 3. *C. B. P. Alcyonium* 3. *Dioſc. Cæſ.*

10. Alcyonium *molle Imperati*, 940. *J. B.* 817. *Molle vel* 4. *Dioſc. Imp.*

11. Alcyonii *genus* 4. *Cæſ. Burſa marina* 12. *C. B. P. Algæ pomum Monſpelienſe, J. B.*

12. Roſa *marina ad Alcyonii* 5. *genus referenda, Cæſ.* 13. *C. B. P.*

11. Palma *ſeu Manus marina quibuſdam, J. B.* 803. *Fucus aliquibus Palma marina duplex, vel cortice rugoſo, vel lævi*, 17. *C. B. P. Et Manus marina Geſn.* 8. *C. B. P.*

PLANTARUM ANOMALARUM Seu Submarinarum.

CAPUT LIV.

Androſaſe *ſive* Fungus petræus marinus.

INter *Lithophyta* numeretur *Androſace*, quæ à verbo græco ἀνδρεῖος forte dicitur, quod ſignificat virilis, humanus, & σάκος ſcutum, clypeus, hinc *Androſaces* herba, id eſt virile ſcutum, ob figuram folii; nam folium ſcutum quodammodo refert & aliquando ὑδρόσακος, id eſt ſcutum aquaticum: vel ab effectu quod Hydropicorum aquas ducat.

1. Androſaces *petræ innaſcens vel major, C. B. P. Androſaces, Matth. Lugd. Muſci marini genus, Guil.* Hanc ex *Iſtria C. Bauh.* accepit, & à ſequenti cirrhis longioribus folliculis ſive clypeolis, (ſed ſemine carentibus) in cacumine minoribus, differt.

2. Androſaces *Chamæconchæ innaſcens minor*, 2. *C. B. P. Androſace, Hiſt. Lugd.* 1362. *Androſaces Matth. ſive Fungus petræus marinus, ſive Umbilicus marinus, J. B. Androſaces, Cotyledon folioſum marinum, Lob. Adv. & Icon.*

Icon. p. 387. *Obſ.* 210. *Fungus marinus minimus*, *Cæſ.* Vitam agit ſub aquis, concharum ſtriatarum gibbis, ſcopuliſve innaſcens: ſtaminibus fili inſtar tenuibus, uncialibus & ſeſcuncialibus, quorum ſingulorum extremum excipit umbilicus clypeoli circinatæ rotunditatis, lineolis à centro creberrimis productis: ſtriatus color cinereus: ſapor ſalſuginoſus.

Communiter conchæ, rarius petræ innaſcentem in ſtagnis circa Magalonam & Frontignarum, *obſervavit C. B. Notiſſimum inquit, Lob. Illic piſcatoribus ſtagni* Magalonenſis & Lateræ *accolis:* Frontignianæ *etiam refluæ, ſtagnanteſque aquæ falſæ innumeras plantas obruunt. Circa montem* Cetium *in ſtagno ſæpiſſime petræ & conchæ innaſcentem, collegit* Cl. Magnol.

PLANTARUM ANOMALARUM

Seu Submarinarum.

CAPUT LV.

Corallum *ſive* Corallium.

Corallum vel *Corallium*, Græcis κοράλλιον, à κορὰ tonſura, ὅτι ἐν ἁλὶ κορεῖται ut quidam volunt; quia non poſſit haberi niſi per tonſuram. Vel nomen impoſitum ἀπὸ τῦ κοσμεῖν καὶ τὸ ἅλος, quod ſit ornamentum & pulchritudo maris. *Lithodendron* etiam, à creſcendi modo, in ramulos craſſiuſculos, arbuſculæ ad inſtar, ſe diffundens, haud immerito appellatur. Scopulis & ſaxis ſub undis adhærens, non ſolum maris mediterranei, ſed & variis in locis alibi, arbori ſimile, foliis ſpoliatum, ſine radice, flore vel fructu, cubitum plus minus altum, reperitur; cruſta tartarea, ſcabroſa, ut plurimum, obtectum: de quo *Ovid. Met. l.* 15. ait

Sit & Coralium, quo primum contigit auras
Tempore dureſcit, mollis fuit herba ſub undis.

Quam Poetæ ſententiam, ab antiquis acceptam, hoc ævo inſtructiori, non temere comprobamus: Ex urinatoribus enim fide dignis, lapidea duritie *Corallum* conſtare, compertum eſt, & quod cortice deraſo perpolite niteſcit, idque non minus in nativa ſede mariſque profundo deliteſcens, quam cum in auras athereas evehitur.

An Planta ſit propria, vel lapis fruticiformis, quidam contendunt. *Cornarius* & *Amatus*, baccas eam ferre, *Corna ſativa*, ſpecie & magnitudine, referentia perhibent; quorum fides mihi ſuſpecta eſt, *Lege Hiſt. Lugd. p.* 1375. *P. Boccone* ait ſe obſervaſſe ſummitates ſubrotundas eſſe, & inflatas, teneras, lacteum ſuccum continentes, quæ cum ob fragilitatem, facile abrumpantur, minime à Piſcatoribus (ut ſe ipſos appellant) notata ſunt. *D. Guiſon* Vir culti ingenii aſſerit *Corallum* purum eſſe minerale, ex multo ſale & pauca terra potiſſimum compoſitum. Exiſtimo quidem variorum ſalium cum terra aliiſque mixtionis principiis arietantium occurſu atque præcipitatione tam nobile mixtum emergere, non ſecus ac famigeratam illam incrementi tantum non extemporanei Chymicorum arborem metallicam, quæ Mercurii & argenti cupellati, in aqua Stygia prius diſſolutorum, & aquæ communi dein innatantium ſubſidentia, atque nexu per appoſitionem partis ad partem accreſcit, &c. Nobis nondum ſatisfactum eſt, ait *D. Raius*.

1. Corallum *rubrum, C. B. P. J. B. Imp. Ger.* 1575. *Corallium rubrum majus, Park.* 1299. *Corallium album & rubrum, Lob. H. Lugd.* 1375.

2. Corallium *rubicundiſſimum, Baſil. Beſler. Faſcic. Animal. Plant. &c.*

3. Corallium *extra rubens intus nigrum, C. B. P. Cæſ. Corallina rubra corde nigro, Park.*

4. Corall *interſtincto rubro & albo colore, Baſ. Beſler Faſcic.*

5. Pſeudo-Corallium *rubrum fiſtuloſum, Raii Hiſt. App.*

6. Corallium *nigrum, C. B. P. Imp. Nigrum ſive Antipathes, J. B.* 804. *Ger.* 1575. *Park.* 1300. *Lob. Obſ. H. Lugd.* 1376.

Imperatus Corallium nigrum ſubſtantia omnino ſimile, vult eſſe rubro, & colore tantum nigro, atque raritate diſtinguit.

7. Corallium *nigrum anguinum Ambonicum, Acarbarum Incolis dictum, R. H. App. Corallii nigri genus Acarbaricum anguinum Rumphii in Ambona, Mentz. Ephem. Germ. Ano.* 11. *Obſ.* 21.

8. Corallium *nigrum hirſutum. Park.* 1301. *Antipathes hirſutum ſive Corallium foliatum, J. B.* 805. *Forte Corallina nigra ſetacea hirſuta,* 6. *C. B. P.*

9. Planta *hirſuta forma Coral. Baſ. Beſler. Faſcic.*

10. Pſeudo-corallium *nigrum, J. B.* 805.

11. Corallium *immaturum cinerei coloris, Baſ. Beſler. Faſcic.*

12. Pſeudo-corallium *croceum articulatum punctatum ramoſum, P. Boccon. Epiſt.*

13. Corallina *luteopallida Courtiniana, Raii Hiſt. App.*

14. Corallium *album, C. B. P. J. B.* 805. *Ger.* 1576. *Album majus, Park.* 1300. *& Minus ejuſdem. Corallina alba, Lob. Obſ.* 630. *Imp.* 626.

15. Corallium *album officinarum oculatum, J. B. 805. Corall. alb. Indicum, Baſ. Beſler. Faſcic.*

16. Corall *albiſſimum, Baſ. Beſler. Faſcic.*

17. Corallum *album ramoſum, C. B. P. Album fiſtuloſum, Imp. 627.*

18. Corallum *album ramoſum, C. B. P. Corallii albi varietas ſtellata, J. B. 806. Corallium album alterum, Ger. 1576. Park. 1300. Coralloides ſive Corallii albi varietas, Lob. Obſ. 651. H. Lugd. 1376.*

19. Corallium *album pumilum noſtras, Raii Hiſt. Album minus, Park. Album, Ger.* Qui cum albo *Lob.* perperam illud confundit.

20. Corallum *Mexicanum Argillæ coloris, punctis è nigro rubentibus, Amacpatli Recchi, 340.*

21. Corallum *album articulatum, C. B. P. Geniculatum album, J. B. 806. Articulatum ex Majorca, Imp. 628. Hippuris ſaxea, Baſ. Beſler. Faſcic.*

22. Corallum *album ſtellatum, C. B. P. Corallium ſtellatum albi puri coloris, J. B. 806. Imp. 627.*

23. Corallum *alterum ſive album ſtellatum minus, C. B. P. Corallium ſtellatum minus album, J. B. 806.*

24. Corallium *album fragile polyſchides ramuſculis æqualibus contiguis dumoſum, 46. Muſ. Aſhmol, Oxon.* Vid. icon. Tab. æn. 10.

25. Corallium *Courtenianum manum humanam apprime referens, R. H. App.*

26. Corallium *albidum latum & compreſſum ad extrema tantum ramoſum, ſive Corallium ſpurium ex variis quaſi tegumentis ſibi invicem incumbentibus conflatum. Corallium foliatum, D. Tournefort. 42. Muſ. Aſhmol. Oxon. Corallina maxima compreſſa Courteniana, Raii Hiſt. App.* Vid. icon. Tab. æn. 10.

27. Corallium *albidum digitatum, ramis hinc inde contiguis ad latitudinem diſpoſitis. 14. Muſ. Aſhmol. Oxon. An Corallium aſperum candicans adulterinum. J. B. 806?* Vid. icon. Tab. æn. 10.

28. Corallium *album verrucoſum punctatum, 7. C. B. P. Candicans verrucoſum punctatum, J. B. Album punctatum, Imp.*

29. Corallium *aſperum candicans adulterinum, J. B. 806. Raii Hiſt. Gypſum quod Coralloides cognominari poteſt, Geſn. Lap. 10. Corallium aſperum candicans, An Geſneri Gypſum coralloides Chab. p. 573?*

PLANTARUM ANOMALARUM

Seu Submarinarum.

CAPUT LVI.

Pori Coralliis affines, *ſive* Corallia poroſa.

PLinius *lib. 26. Cap. 17. Pori* lapidis ſervandis corporibus idonei meminit: Pario ſimilis candore & duritia, minus tamen ponderoſus quis *Porus* vocatur. Cum *Plinus* ita brevis ſit, an de his locutus ignoramus. *Pori* autem hi à crebris poris ſeu foraminibus quibus pertuſi ſeu intercepti ſunt, dicuntur. Sunt autem ſubſtantia *Coralliis* proxima, & poroſitate tantùm ab iis differunt. Hactenus *C. B.* Horum alii proprius ad *Coralla* accedunt, alii longius diſtant. Qui candidiores, denſioreſque ſunt, ii *Coralliis* ſimiliores & eundem ramorum divaricationis modum ſervant. Omnes autem communiter albi ſunt. Qui rugoſi ſunt, lineas habent ſtriatas ſecundum longitudinem, tum truncorum, tum ramorum, ad extrema uſque. Sed & meatus interna ſua ſubſtantia poroſa habent per ramorum longitudinem procurrentes, medio quodam atque communi filo interpoſito. Quorum ſuperficies punctata eſt, meatus habent quos radii à centro à medio filo conſtituto, ad ambitum ducti intercipiunt. Quandoquidem *Jo. Bauhinus* verbis jam citatis *Poros* recte ſtatuit, innovationes inducere nequaquam judicavimus.

1. Porus *magnus Corallo affinis, 1. C. B. P. Porus magnus, J. B. Imp. Coral. maximus truncatus, Baſ. Beſler. Faſcic. Corallium album poroſum maximum muricatum D. Sloan. Cat. Iam.* Brachialis craſſitudinis cubitaliſque altitudinis eſt hic *Porus*, extus lineis ſubtilibus per longitudinem decurrentibus, notatus, nodiſque veluti verrucoſis extantibus hinc inde ſparſis; & extus & intus albus. *V. icon. Tab. æn. 10.*

2. Porus *ramoſus Imp. Corallo affinis Porus ramoſus, 2. C. B. P. J. B. Minor eſt hæc ſpecies, magiſque ramoſa.*

3. Porus *albus erectior ramoſus tuberculis crebris ſurſum ſpectantibus.* Truncus elegans eſt ſubſtantiæ lapideæ fruticem *Corallii albi* repræſentans, minutiſſimis punctis & petroſitatibus ſcatens, conum in ſummitate triplicem producens, *Mich. Rupert. Beſler. Gazyophyllac. Rerum natural Porus albus erectior omnino fiſtuloſus apicibus dextrorſum & ſiniſtrorſum ramoſus, Muſ. Aſh. Oxon. 34. 35. Coral maximus truncatus, Baſ. Beſler. Faſcic. V. icon. Tab. æm. 10.*

4. Corallium *poroſum album latiſſimum muricatum, D. Sloan. Cat. Iam.*

5. Corallium *poroſum album minus muricatum, D. Sloan. Abrotono ſimilis ſaxea, C. B. P. Abrotonoides Planta ſaxea, J. B. 808. Cluſ. Exot. 123. Chab. 574. Abrotonoides ſaxea ſive Abrotoni fœminæ ſimilis Planta ſaxea, Park. 1302. Planta ſaxea alba, Baſ. Beſler. Faſcic. Corallina pulcherrima Courteniana ſive Arbuſcula marina Coralloides ramoſiſſima foliis teretibus Abrotoni fœm. ad inſtar verrucoſis, D. Pluk. Alm.*

6. Porus *facie Sabinæ, Imp. C. B. P. Porus ſimilis Sabinæ, J. B.*

7. Reſedæ

7. Reſedæ *ſimilis maritima*, 18. *C. B. P. Reſedæ facie Planta marina, J. B.* 808. *Cluſ. Exot.* 122. *Reſeda marina, Baſ. Beſler. Faſcic.*

8. Amaranthus *ſaxeus cum ſuo ſaxo annato, Raii Hiſt. App.*

9. Porus *albus Cupreſſiformis, ſive Porus albus ramulis capreoli cornua quodammodo referentibus, tuberculis fiſtuloſis denſe admodum refertus*, 36. *Muſ. Aſhmol. Oxon.* Fruticulus hic dodrantalis Corallii ſubſtantia, ex pollicari craſſitie in ramuſculos craſſiuſculos, at in acutum definentes, erigitur: ramuli non contigui ſunt: totuſque rugoſus eſt, tuberculaque ſurſum ſpectant, qua foraminibus ſtellatis & quaſi lamellatis terminantur. *Vid. icon. Tab. æn.* 10.

10. Porus *albidus compreßus Frondiporæ ad inſtar cribriformis*, 37. *Muſ. Aſhmol. Oxon.* Elegantiſſimus hic frutex dodrantalis ſive *Corallii* ſpecies, ex craſſiuſcula lataque baſi, ſtatim in ramuſculos breves diſpartitur, qui ſibi invicem frequenter contigui innaſcuntur; ut luci objectus, cribrum, ramulis ſuis conjunctis, quodammodo referat. Totus tuberculis parvis extantibus, crebrius exaſperatus eſt, & frequentioribus poris ſeu foraminulis minoribus adornatur: unuſquiſque ramuſculus in foramen ſtellatum definit: corpus vero foraminulis non ſtellatis crebrius punctatum eſt. Palmæ unius aut alterius in latitudinem dilatatur, ejuſque craſſitiem, cum tuberculis, non ſuperat. *V. icon. Tab. æn.* 10.

11. Porus *ſive Corallium aſtroites humilius verrucoſum, ramis alias latis & compreſſis, alias incertæ figuræ*, 38. *Muſ. Aſhmol. Oxon.* Humilis ſed craſſus lateque expanſus eſt hic *Porus albus*, cujus ramuli breves, nunc teretem, nunc latam formam affectant, qui obtuſe definunt, protuberantiis brevibus & acutis, cornua pullulantia referentibus, ſparſim & inordinate diſpoſitis, donati ſunt: totaque ſuperficies foraminibus ſtellatis creberrimis poriſve obſita eſt. *V. icon. Tab. æn.* 10.

12. Porus *albus ramoſior pumilus creberrime ſtellatus*, 22. & 24. *Muſ. Aſhmol. Oxon. An Corallium album punctatum, creberrimis punctulis Courtenianum, Raii Hiſt. App?* Vid. icon. Tab. æn. 10.

13. Hippuris *ſaxea, Cluſ. Exot.* 124. *J. B.* 808. *Equiſeto ſimilis ſaxea*, 19. *C. B. P.*

14. Hippuris *ſaxea fulvorubra Courteniana, Raii Hiſt. App.*

15. Porus *reticulatus & Eſchara marina ſive Retepora prima, Imp.* 630. *Cluſ. Exot. l.* 6. *c.* 9. *Eſchara, J. B.* 791. *Roſa marina, Cæſ.*

16. Eſchara *marina Frondipora, J. B.* 809. *Imp. deſcrip.* 625. *Fig.* 630. *Frondipora* 2. *Imperati*, 9. *C. B. P.*

17. Porus *anguinis Imp.* 632. *C. B. P. J. B.* 809.

18. Porus *tubularis*, 10. *C. B. P. Imp. Porus tubularis, J. B.*

19. Corallium *adulterinum poroſum, J. B. Cujus icon. Coralliis affinis Madreporæ titulo, pagina* 807. *primo loco exhibetur. Millepora Imperati*, 628. *C. B. P.*

20. Coralliis *affinis Madrepora, Icon.* 2. *J. B.* 807. *Madrepora Imp.* 629. *Coralliis affinis Madrepora, ſtellata, C. B. P.*

21. Coralliis *affinis Madrepora ramoſa, C. B. P. J. B.* 907. *Madrepora ramoſa con le Shemita terminante in piano &c. Imp.* 629. 29. *Muſ. Aſhmol. Oxon.* Hæ *Corallii* ſpecies *Madreporæ* dictæ, veluti tubuloſæ ſunt, ſubſtantia oſſi ſpongioſo ſimili intus confertæ, in quarum extremis cavitas apparet, radiis à centro ad ambitum protenſis.

22. Coralliis *affine Alcyonium fiſtuloſum rubrum, J. B.* 808. *Coralliis affine Alcyonium*, 12. *C. B. P. Tubularia purpurea, Imp.* 631. *Alcyonium Milleſium ſecundum, Alcuni.* Vid. icon. Tab. æn. 10.

Subvereor *me à nonnullis, præſertim* Lithographis, *reprehenſum iri, quod ſcientiæ noſtræ fines tranſilire, & in alienam provinciam diſcurrere viſus ſim; nempe quod in duobus vel tribus ultimis hiſce capitibus de* Coralliis Poris *& ſimilibus è lapidea ſubſtantia concretis egerim, cum quibus opus hoc Botanicum claudo: ſed cum in partibus formatis, frutificandi modo conformia ſint Vegetabilibus, quibus & omnes ante me Scriptores enumerarunt, ſpero me veniam facile impetraturum. Quod vero attinet ad excreſcentias lapideas, quales ſunt* Fungi lapidei *&* cerebriformes, *aliique* Lapides fungiformes marini, *nondum cum prioribus Lithophytis locum invenerunt, atque illos omnes Lithographis deſcribendos reliqui. Quinetiam* Urtica marina, Aurantia marina, Malum granatum Aldrovand. *& id genus* Zoophyta *dicta, non ad Vegetabile regnum, ſed ad Animale potius ſpectant. Porro* Veſicaria marina, Favago Ariſtot. Uva marina Rond. *& his ſimilia corpora marina, pro partium Animalium natantium exuviis habenda ſunt: & ut à quibuſdam auctoribus ad Plantas referantur, mihi tamen ſatius viſum fuit hæc omnia Tabulis Phytologicis excludere, quam ut res natura diſpares connectendo Botanicen ultra juſtos ſuos limites extenderem.*

Soli Deo triuni Gloria.

PLAN-

PLANTARUM

Hoc Volumine Contentarum.

INDEX.

A.

Pag.

ABrotonum ejuſque ſpecies. 11
Abrotonum campeſtre, *vid Artemiſia* 4. 6
Abrotonoides ſaxea, *v. Corallium poroſum.* 565
Abſinthium ejuſque ſpecies. 7
Abſinthium Alpinum umbelliferum, C. B. &c. *vid. Dracunculus.* 40 & 41
Abſinthium minus odorat. Gangeticum Pluk. *eſt Chamæmelum 6. p. 34.* & Abſinthium Chamæmeli flore, *eſt Chamæmelum* 4. 34
Acanthium. 151
Acanthus ſive Branca urſina. 603
Acanthoides. 604
Acanus Anguil. Lugd. *eſt Carduus* 9. 155
Acarna flo. luteo patulo, C. B. *eſt Carduus* 7. 163
Acarna flo. purpurorubente patulo, C. B. *eſt Carduus* 1. 162
Acarna major caule folioſo, C. B. *eſt Carduus* 16. 154
Acarna Theophraſti Imp. *eſt Carduus* 16. 154
Acatsjavalli, Hort. Mal. *v. Cuſcuta* 5. 615
Acaxacan Potamogeiton Mex. *v. Ephemerum* 11. 606
Achilea Dod, *eſt Millefolium* 6. 38
Achoavan Alpin. *eſt Matricaria* 5. 32
Acinos ejuſque ſpecies. 404
Acinos latifol. C. B. & Urtichella Col. *eſt Ocimum* 12. 407
Acocotli Recchi, *eſt Libanotis* 3. 310
Aconitum ejuſque ſpecies. 462
Aconitum helianth. Canadenſe Corn. *v. Chryſanth.* 55. 22
Aconitum bifolium Mentz. *eſt Solano congener.* 10. 533
Aconitum hyemale Lob. Ger. *eſt Helleborus Ranuncul.* 4. 459
Aconitum pardalianches Dod. *eſt Doronicum.* 127
Acopa Dioſcoridis. 604
Acorus verus officin. *eſt Typha* 4. 246
Adakodein Hort. Mal. *eſt Apocynum* 44. 610
Adenes Lauremberg. *eſt Chryſanth.* 59. 23
Adiantum album Tab. *eſt Filicula* 22. p. 585. Nigrum ramoſum p. 586. Nigrum non ramoſum p. 590. Album floridum Raii, *eſt Filix botryitis* 4. p. 593. Saxoſum floridum, C. Plumier, *eſt Lunaria*, 6. p. 595. Foliis integris, p. 592. Aureum, *eſt Muſcus coronatus.* 630, 631
Admirabilis Peruviana. 569
Adonis ejuſque ſpecies. 26, & 27
Ægilops ejuſque ſpecies. 211
Ageratum ejuſque ſpecies. 42
Ageratum Afric. fol. laciniat. inodorum Raii. *eſt Bellis* 23. p. 30. Ferulaceum Dal. J. B. *eſt Chryſanth.* 40. p. 20. Minus, & Foliis ſerratis, *eſt Balſamita.* p. 3. Purpureum, *eſt Hyſſopoides.* 613
Agerato affinis Peruv. P. B. Pl. *eſt Pſeudo-elichryſum.* 90
Aguape Braſilienſ. *eſt Nymphæa.* 512
Aguara-guiya Piſ. *eſt Solanum* 6. 520
Agutiguepo-obi Braſil. *eſt Arundo Indica* 5. 250
Aizoon Lob. *eſt Sedum.* 471
Aizoides Indica arboreſcens Breyn. 344
Albara & Pacivira Braſil. Piſ. *eſt Arundo Indica*, 6. 250
Alcyonium ejuſque ſpecies. 654
Alectorolophus, *eſt Pedicularis.* 426
Alga aquatilis ſive Conferva. 644
Alga marina ſive Fucus. 646, 647
Algæ pomum Monſpelienſ. J. B. *eſt Alcyonium* 11. 654
Aliſma Monſp. vel Doria, *eſt Hæga aurea.* p. 123. Aliſma quorundam Cordi, *eſt Helleborine* 12. p. 488. Matthioli ſive Plantago montana J. B. *eſt Doronicum* 5. 127
Alkakengi Lon. *eſt Solanum veſicarium.* 526
Allium ſive Moly Virgin. C. B. P. App. *eſt Ephemerum* 11. 606

Aloe paluſt. ſive Stratiotes. 618
Alopecuros ejuſque ſpecies. 190
Alſinanthemum Thalii, *eſt Pyrola* 6. 505
Alſine aquis innatans, *eſt Stellaria aquat.* 608
Alſine hederula alt. Ger. *eſt Lamium* 12. 386
Alſine paluſtris C. B. *eſt Plantaginella.* 605
Alypum Matth. Chab. 343
Alyſſum foliis crenatis, C. B. *eſt Marrubium* 11. p. 377. Galeni Cluſ. *eſt Marrubium* 12. p. 377. Germanicum Echioides Lob. *eſt Buglоſſum* 13. 439
Amaçpatli Recchi, *Vid. Corallium* 20. 656
Amalago H. Mal. *eſt Piper* 8. 602
Amaranthus ſaxeus. 657
Ambel Hort. Mal. *eſt Nymphæ* 8. 513
Ambrette & Amberboi, *eſt Cyanus Turcicus.* 135
Ambroſia. 4
Amellus Fuchſii Lugd. *eſt Aſter* 18. 119
Amellus montanus Æquicolorum Col. *eſt Conyza* 24. 114
Aminga Braſil. Piſ. *eſt Arum* 29. 546
Ammi ejuſque ſpecies. 294
Amomum Plinii, *eſt Solanum* 15. 525
Amomum verum quorundam. 617
Amoris pomum, *eſt Solanum* 7. 520
Anacampſeros ſive Faba craſſa, *eſt Telephium.* 467
Ananas J. B. 169
Ana-ſchorigenam Hort. Mal. *eſt Urtica* 8. 435
Anaſchunda Hort. Mal. *eſt Solanum* 12. 525
Anchoa ſive Zinziber mas Recchi. 252
Anchuſa ejuſque ſpecies. 442
Degener, Lob. Ger. *eſt Litheſperm.* 7. 447
Minor lignoſior J. B. *eſt Buglоſſum* 7. 439
Puniceis floribus C. B. *eſt Buglоſſ.* 5. 438
Androſaces Matth. 654
Anemone affinis Æthiop. *Vid. Chryſanthem.* 18, 19
Anethum ejuſque ſpecies. 311
Minus C. B. *eſt Ammi* 9. p. 295. Sylveſt. ſem. exiguo Ammeos, *eſt Ammi* 8. 295
Angelica ejuſque ſpecies. 280
Angeli-maravera Hort. Mal. *eſt Pſeudo-orchis.* 501
Aninga-iba Piſ. *eſt Arum* 11. 544
Aniſum ejuſque ſpecies. 297
Philipinarum Inſularum. 616
Anonymos Lini folio Cluſ. *eſt Seſamoides* 3. 601
Anteuphorbium. 345
Anthemis, *vid. Chamæmelum.* 35
Anthora & Antithora, *eſt Aconitum ſalutiferum.* 463
Anthriſcus Plinii Lugd. *eſt Myrrhis* 7. 302
Anthyllis alt. Italorum Lob. *eſt Camphorata* 4. 614
Antipathes Corallii ſpecies. 655
Aparine ejuſque ſpecies. 331
Major Plinii, *eſt Buglоſſum* 13. 439
Aphyllantes 4. Dod. *eſt Jacea* 16. 140
Apios vera Lob. ſive Iſchas, *eſt Tithymalus* 12. 342
Apium ejuſque ſpecies. 292
Montan. fol. tenuiore C. B. *eſt Saxifraga* 5. 273
Mont. fol. ampliore C. B. *eſt Oreoſelinum.* 317
Peregrinum Cicutæ folio C. B. 4. 317
Sylveſtre lacteo ſucco turgens C. B. *eſt Thyſſelinum.* 317
Apocynum erectum latifolium. 620
Erectum anguſtifolium. 610
Scandens. 610, 610
Apoyomatli ſeu Phatfiranda Recchi, *eſt Cyperus* 4. 236
Aquilegia & Aquilina ejuſque ſpecies. 457

INDEX.

Arbuſcula marina coralloides. 652
Spongioſa. 653
Ardabar Zanoni, *eſt Arum.* 58. 549
Argentea Proſp. Alp. *eſt Centaurium* 6. 132
Argyrocome, *eſt Chryſocome.* 87
Ariſarum. 544
Ariſtolochia ejuſque ſpecies. 508
Artemiſia ejuſque ſpecies. 5
Arthanita ſive Cyclamen. 550
Artifi, *eſt Tragopogon* 5. 80
Arum ejuſque ſpecies. 542
Polyphyllum ejuſque ſpecies. 548
Arundo ejuſque ſpecies. 218
Indica ſive florida. 250
Vulpina Recchi. 251
Aſarina galeata. 432
Aſarum ejuſque ſpecies. 511
Aſclepias, p. 611. Aizoides. ibid.
Flore nigro, *eſt Apocynum* 66. 611
Aſperula cærulea arvenſis, C. B. 332
Odorata alba Dod. 331
Verticillata luteola C. B. *eſt Cruciata* 6. 328
Aſplenium ſive Ceterach. 561
Aſter ejuſque ſpecies. 117
Annuus odorat. Cret. Zan. *eſt Chryſanth.* 30. 18
Atticus foliis circa florem rigidis C. B. P. & mollibus. *vid. Chryſanth.* 26, & 27. 18
De Raguſa fol. Verbaſci Zan. *eſt Chryſanth.* 28. 18
Luteus alatus Cornuti, *eſt Chryſanth.* 82. 24
Luteus radice odora C. B. *eſt Conyza* 6. 113
Luteus ſupinus, C. B. *eſt Chryſanth.* 29. 18
Montanus lut. Salicis folio, C. B. *eſt Chryſanth.* 53. 21
Virginianus luteus latifolius repens Park. *eſt Chryſanth.* 63. 23
Virgin. lut. membranaceo caule Park. *eſt Chryſanth.* 83. 25
Atepocapatli Recchi, *eſt Chryſanth.* 54. 21
Athanaſia Lacunæ, *eſt Tanacetum.* 2
Atractylis lutea C. B. *eſt Carduus* 2. 160
Atzoyatl Recchi, *eſt Mirabile Peruv.* 599
Avena ejuſque ſpecies. 209
Auricula muris, *eſt Piloſella.* 77
Auricula leporis. *eſt Bupleurum.* 300

B.

BAdalmanaſſa Hermanni. *eſt Muſcus* 6. 624
Balſamita. 3
Bangue Cannabi ſimilis J. B. *eſt Cannabis* 2. 433
Barba hirci *eſt Tragopogon.* 79
Capræ, *eſt Ulmaria.* 323
Bardana major. 146
Minor ſive Xanthium. 604
Baſaala-poulou-maravara Hort. Mal. *eſt Pſeudo-orchis* 3. 500
Baſilicum, *eſt Ocymum.* 406
Bati-ſchorigenam Hort. Mal. *eſt Urtica* 3. 453
Battatas de Canada Park. *eſt Chryſanth.* 55. 23
Virginenſis, *eſt Solanum* 19. 522
Bechium Hermolai, *eſt Tuſſilago.* 130
Beera-cuida Hort. Mal. *eſt Cyperus* 20. 237
Beetla-codi Hort. Mal. *eſt Betle, Betre, & Betelle, ſive Piper* 13. 603
Behen album Rawolfii J. B. 84
Beidelſar & Beidel-oſſar, *eſt Apocynum* 6. 609
Belampatsja Hort. Mal. *eſt Muſcus* 6. 624
Belladonna Cluſ. *eſt Solano congener* 5. 532
Bellis ejuſque ſpecies. 28, 29, 30, 31
Cærulea C. B. *eſt Scabioſa.* 43, 44, 45, 46 50
Ramoſa umbellifera Corn. *eſt Aſter* 48. 122
Belutta-Kaka-Kodi Hort Mal. *eſt Apocynum* 17. 609
Bengieri Hort. Mal. *Ricinus* 17. 349
Benpala Hort. Mal. *eſt Tithymalus* 13. 336
Bentamara Hort. Mal. *eſt Nymphææ affinis* 4. 514
Betonica ejuſque ſpecies. 364-376
Bifolium ſive Ophris. 489
Bignonia Tournefort. *eſt Pſeudo-Apocynum* 1. 612
Biſſingua, *eſt Hippogloſſum.* 540
Bitimaram-maravara Hort. Mal. *eſt Pseudo-Orchis* 7. 501
Boletus, *vid. Fungus.* 636, 638
Bombax, *eſt Goſſipium.* 517
Borago ejuſque ſpecies. 487
Botrys Chamædryoides, C. B. *eſt Chamædrys* 18. 423
Branca urſina. *eſt Acanthus.* 603
Braſſica Braſil. fol. Nymphææ C. B. *eſt Arum* 40. 547
Britannica vera Dal. Lugd. *eſt Conyza* 8. 113
Briza ſive Zea. 204
Bromos ejuſque ſpecies. 211
Brunella ſive Prunella. 363
Bruſcus ſive Ruſcus. 540
Bugloſſum ejuſque ſpecies. 438
Bugula ejuſque ſpecies. 390
Bulbocaſtanum. 247
Bunium Dal. J. B. *eſt Saxifrago* 16. 274
Bupleurum ejuſque ſpecies. 300
Bupthalmum album Triumfetti, *eſt Chryſanth.* 42. 20
Cotulæ folio. *eſt Chryſanth.* 43. 20
Dioſc. C. B. *eſt Chryſanth.* 41. 20
Dodonæi, *eſt Adonis.* 26
Burſa marina 12. C. B. P. *eſt Alcyonium* 11. 655

C.

CAetimay Braſil. *eſt Senecio* 12. 106
Cacalia ejuſque ſpecies. 94
Cacavitzpatli Recchi. 345
Caceras Garziæ. *eſt Cyperus* 11. 236
Cachos Indorum Monardi. *eſt Solanum* 8. 525
Cachrys ejuſque ſpecies. 267
Cadel-avanacu Hort. Mal. *eſt Ricinus* 18. 349
Cajenneam H. Mal. *eſt Bellis* 17. 29
Calamus aromat. Syriacus C. B. *eſt Arundo* 31. 221
Officinarum, *eſt Typha* 4. 246
Calamintha ejuſque ſpecies. 412
Calceolus Mariæ, *eſt Helleborine* 14. 488
Calendula Chryſanthemoides ſem. lanuginoſo Breyn. *eſt Jacobæa* 36. 111
Caltha ſive Calendula ejuſque ſpecies. 13
Paluſtris, C. B. P. *eſt Pſeudo-Helleborus.* 461
Camambaya Braſil. Marcg. *eſt Cuſcuta* 3. 615
Camara herba Marcg. *eſt Solanum* 24. 527
Camarajago Marcgr. *eſt Eupatorium* 12. 98
Camaratinga Piſ. & Marcg. *eſt Periclymeno accedens planta* 7. 535
Camaravuba Piſ. & Marcg. *eſt Chryſanth.* 75. 24
Camphorata ejuſque ſpecies. 614
Camphoroſma. 366
Canan-tez coquenſis Recchi. *eſt Apocynum* 9. 609
Cannabina fæm. ſeptentrional. *eſt Chryſanthemum* 22. 17
Canna viva ſpinoſa Peruv. Zan. *eſt Arundo* 10. 251
Cannabis ejuſque ſpecies. 433
Spuria Park. Ger. *eſt Lamium.* 385
Capillus Veneris verus, *eſt Adiantum* 6. 587
Vulgaris ſive Trichomanes. 591
Capitatinea aliis Jacarecatinga Piſ. *eſt Typha* 6. 246
Capraria Curaſſavica Cabritta vulgo. 607
Capſicum ejuſque ſpecies. 528
Cardamomum. 254
Cardiaca Matth. Dod. *eſt Marrubium* 18. 378
Africana ſive Leonuros. 383
Carduus caulibus alatis. 151
Braſilienſis foliis Aloes C. B. 109
Chryſanthemos, *vid. Cichoreum* 7. 55
Floribus luteis. 160
Violaceis. 157
Rubentibus. 154
Carduus mollis C. B. *eſt Cirſium.* 149
Sphærocephalus ſive globoſus. 163
Stellatus Dod. *eſt Jacea* 21. 144
Sellatus foliis Cyani, *eſt Jacea* 27. 145
Stellatus Leucoii folio Dodart. *eſt Stœbe* 3. 136
Carduncellus montis Lupi J. B. *eſt Carduus* 13. 159
Careloevegan H. Mal. *eſt Ariſtolochia* 9. 509
Carimtumba H. Mal. *eſt Nepeta* 9. 415
Carlina acaulos gummifera C. B. *eſt Carduus* 11. 158
Acaulos magno flore C. B. *eſt Carduus* 3. 162
Acaulis minor C. B. *eſt Carduus* 12. 156
Carthamus ſive Cnicus. 145
Perennis. *eſt Carduus* 17. 159
Carum. 296
Caryophyllus marinus, & montanus, *eſt Limonium gramineum.* 600
Caryophyllus Mexicanus, *eſt Chryſanthemum.* 16
Caſſava Barbadienſ. *eſt Ricinus* 12. 348
Caſſida, *eſt Scutellaria.* 416
Caſſutha ſive Cuſcuta. 615
Catachichit ſive Herba amara Recch. *eſt Conyza* 18. 113
Catananche affinis Seſamoides parvum, *eſt Cichoreum* 5. 55
Catapuna major ſive Ricinus. 246
Minor Lob. *eſt Tythimalus.* 339
Caticaa ſive Polypodium Piſ. *eſt Hemionitis* 6. 560
Catu-molago Hort. Mal. *eſt Piper* 15. 603

INDEX.

Cattu-tirpali H. Mal. *eſt Piper* 4. 602
Cattu-tirtava H. Mal. *eſt Ocimum* 4. 406
Catu-Schiragam H. Mal. *eſt Serratula* 5. 134
Caucalis ejuſque ſpecies. 307
Major & minor ſemine pulchro, & minus pulchro C. B. & J. B. *eſt Tordylium.* 316
Peregrina ſem. rugoſo C. B. *eſt Cicuta* 3. 291
Peucedani folio C. B. *eſt Saxifraga* 13. 274
Tenuifolia montana C. B. *eſt Saxifraga* 14. 274
Ceanthos Theophraſti, *eſt Carduus* 14. 156
Cembul Indi eſt Nardus Ind. 6. 256
Cenanam-tezcoquenſi ſive Mater Spicæ Maizii, *eſt Apocyn.* 28. 610
Centaurium majus ejuſque ſpecies. 131
Centunculus Turneri, *eſt Gnaphalium* 10. 92
Cepæa Matthioli C. B. *eſt Sedum* 37. 473
Pancii Cluſ. *eſt Sedum* 46. 474
Cerefolium ejuſque ſpecies. 303
Cerinthe ejuſque ſpecies. 445
Ceterach ſive Aſplenium. 561
Chamæciſſos, *eſt Hedera terreſtris.* 409
Chamæciſtus Friſicus C. B. *eſt Sedum bicorne* 5. 477
Chamædrys ejuſque ſpecies. 421
Montis Sumani J. B. *eſt Euphraſia* 2. 430
Unicaulis ſpicata C. B. *eſt Pedicularis* 8. 427
Chamæfilix. 575
Chamæjaſme Alpina J. B. *eſt Sedum* 33. 473
Chamæleon Dioſc. Maranthæ J. B. *eſt Carduus* 17. 156
Niger Salmant. Cluſ. *eſt Carduus* 16. 154
Chamæleontoides Griſley. *eſt Ros ſolis.* 620
Chamæmelum ejuſque ſpecies. 35
Chamæmelum Chryſanthemum quorundam J. B. *eſt Chryſanthemum* 41. 20
Chamæmelum maritimum J. B. *eſt Matricaria* 4. 32
Chamæorchis lilifolia C. B. *eſt Pſeudo-orchis.* 500
Chamæpeuce Anguil. *eſt Camphorata.* 614
Proſp. Alp. *eſt Stœbe* 8. 137
Chamæpitys ejuſque ſpecies. 425
Cærulea Auſt. C. B. *eſt Prunella* 9. 364
Chamæſyce, *Vid. Tithymalus* 340
Chiapparazza amara Panormitanis, *eſt Apocynum* 57. 611
Chilli Recchi, *eſt Zinziber.* 251
Chilli ſive Piper Indicum, *eſt Capſicum.* 528
Chimalatl Peruv. Recchi. *eſt Chryſanth.* 38. 19
Chondrilla ejuſque ſpecies. 72
Alt. Dioſc. *eſt Scorzonera* 16. 83
Cærulea Cyani capit. *eſt Cichoreum* 4. 55
Cærulea laciniata C. B. *eſt Lactuca* 24, & 25. 59
Folio glabro, C. B. *eſt Hieracium* 8. 64
Maritima bulboſa Lob. *eſt Dens Leonis* 10. 75
Tingitana H. L. B. *eſt Sonchus* 4. 60
Verrucaria C. B. *eſt Intybus* 4. 53
Viminea Cluſ. *eſt Lactuca* 21. 58
Viſcoſa caule foliis obducto C. B. *eſt Lactuca* 20. 58
Viſcoſa humilis C. B. *eſt Lactuca* 18. 58
Chryſanth. Alpin. 1. Cluſ. *eſt Jacobæa* 11. 109
Aizoides ejuſque ſpecies. 506
Amer. Ciceris folio glabro, D. Pluk. *eſt Bellis* 22. 30
Amer. Doronici folio. *eſt Dracunculus.* 42
Cannabinum. 17
Cap. Bon. Spei repens flo. aphyllo, Breyn. *eſt Bellis* 24. 30
Conyzoides. 18
Corymbiferum Afric. Triumfetti, *eſt Bellis* 23. 30
Foliis longis tenuiter inciſis, *eſt Jacobæa.* 109
Segetum &c. 15, 16
Vel potius Bupthalmum Breyn. Prod. *eſt Xeranthemoides.* 44
Chryſocome ejuſque ſpecies. 86
Chunda Hort. Mal. *eſt Solanum* 6. 524
Cichoreum ejuſque ſpecies. 54
Dulce Park. *eſt Hieracium* 20. 65
Globulare Imp. *eſt Limonium* 26. 600
Montan. anguſt. hirſutie aſperum C. B. *eſt Hieracium* 48. 69
Sylv. veſicarium, Col. *eſt Hieracium* 21. 65
Verrucarium B. *eſt Intybus* 4. 53
Cicuta ejuſque ſpecies. 290
Bulboſa C. B. *eſt Myrrhis* 8. 302
Cicutaria Latifolia alb. & rub. C. B. *eſt Cerefolium* 6. 304
Odorata, C. B. *eſt Myrrhis* 1. 301
Vulgaris J. B. *eſt Cerefolium* 5. 303
Cinara ejuſque ſpecies. 157
Cineraria Dod. *eſt Jacobæa marina.* 109
Cirſium ejuſque ſpecies. 148
Cit Ambel Hort. Mal. *eſt Nymphæa* 6. 513
Civapatl Recchi, *eſt Eupatorium* 9. 97
Clematis Amer. Digitalis flore, & Tetraphylla Amer. *eſt Pſeudo Apocynum* 3. 612
Cruciata Ponæ. 616
Daphnoides. 613
Hederacea, *eſt Pſeudo-Apocynum* 1. 612
Mexicana. 616
Pannonica. 616
Quadrifolia, C. Plum. & Myrſinites Pluk. *eſt Pſeudo-Apocynum* 2. 612
Sive Flamula Jovis. 616
Clinopodium ejuſque ſpecies. 374
Alpinum Ponæ, *eſt Pedicularis* 15. 428
Arvenſe C. B. *eſt Acinos.* 404
Cnicus ſive Carthamus. 145
Cæruleus aſperior, C. B. *eſt Carduus* 17. 159
Coalquiltic Recchi, *eſt Siſarum Mex.* 283
Coapatli Aſphodelina Recchi. 252
Coapatlis 4. Recch. *eſt Senecio* 14. 107
Codi-avanacu H. Mal. *eſt Ricinus.* 23. 349
Cohayelli ſive Cachica hoazton Recchi, *eſt Dipſacus* 6. 169
Coilophyllum. 533
Coix Theophraſti, J. B. *eſt Lithoſperm. arundinac.* 249
Coletta-veetla Hort. Mal. *eſt Melampyrum* 7. 429
Colocaſia, *eſt Arum* 31. 546
Conferva. 642
Conſiligo tenuifolia J. B. *eſt Adonis.* 26
Conſolida aurea nemorum Limonii folio, Lob. *eſt Aſter* 4. 118
Major *ſive Symphytum.* 443
Media *ſive Bugula.* 391
Regalis *ſive Delphinium.* 465
Conyza ejuſque ſpecies. 113
Capite nutante J. B. *eſt Chryſanth.* 27. 18
Helenitis, *eſt Jacobæa* 23. 110
Melitenſis retuſis foliis Bocc. *eſt Pſeudo-elychryſum.* 90
Minor flo. globoſo, C. B. *eſt Chryſanth.* 31. 19
Paluſtris ſerratifolia, C. B. *eſt Jacobæa* 22. 110
Corallina montana, *Vid. Muſco-Fungus.* 633
Corallum ſive Corallium. 655
Coriandrum ejuſque ſpecies. 296
Coris cærulea maritima C. B. 362
Monſpel. lutea J. B. *eſt Euphraſia* 16. 432
Corona Regia, *eſt Chryſanthemum* 38. 19
Coronopus ſive Cornu Cervinum. 261
Sive Holoſtei varietas. 260
Cos Turcarum, *eſt Lactuca* 6. 57
Coſtus ejuſque ſpecies. 255
Cotonaria, Bombax humilis Tab. *eſt Chryſanth.* 48. 21
Cotyledon Cluſii, *eſt Sedum* 19. 472
Folioſum marinum, *eſt Androſace.* 654
Hirſuta Raii, *eſt Sedum bicorne* 13. 478
Major C. B. *eſt Sedum* 4. 470
Matth. *eſt Sedum bicorne* 17. 478
Stellata C. B. *eſt Sedum* 49. 475
Craſſula ſive Telephium. 467
Crateogonum Euphraſine Ger. *eſt Euphraſia* 10. 431
Foliis brevibus Weſtmorlandiæ Raii, *eſt Euphraſia* 9. 431
Crater Jovis, *eſt Chryſanthemum* 38. 19
Crepis Dal. *eſt Hieracium* 32. 67
Criſta galli, *eſt Pedicularis.* 426
Crithmum Chryſanthemum Dod. *eſt Aſter* 17. 119
Marinum. 289
Spinoſum C. B. 268
Crocodylium Monſpel. Dal. *eſt Carduus globoſus* 3. 163
Crocus Indicus, *eſt Curcuma.* 253
Cruciata ejuſque ſpecies. 328
Crupina Belgarum Lob. *eſt Centaurium majus* 3. 131
Culitamara H. Mal. *eſt Sagittaria* 5. 618
Cunila Plinii, *eſt Satureia.* 411
Cuminum ejuſque ſpecies. 271
Dulſe Melitenſe, *eſt Aniſum* 2. 297
Globoſum C. B. 265
Curcuma. 253
Cuſcuta. 615
Cyanus ejuſque ſpecies. 134
Fruticoſ. Cret. Ponæ. *eſt Stœbe* 6. 136
Repens latifol. C. B. Amarus Lob. *eſt Jacea* 2. 139
Spinoſus Cret. P. Alp. *eſt Stœbe* 2. 136
Tomentoſus P. Alp. *eſt Jacea* 5. 139
Cyclamen & Cyclaminus ejuſque ſpecies. 550
Cynogloſſum ejuſque ſpecies. 448
Cyperus ejuſque ſpecies. 234, 235

D.

Damaſonium J. B. *eſt Helleborine.* 487
Stellatum Dal. *eſt Plantago-aquatica* 3. 618

INDEX.

Datura ejuſque ſpecies, ſive Stramonium. 607
Daucus Alſaticus C. B. 317
Campeſt. Apii folio, C. B. *eſt Pimpinella Saxifraga* 4. 284
Creticus nodoſus C. B. *eſt Seſeli* 9. 287
Creticus verus Dioſc. Lob. *eſt Myrrhis* 9. 302
Glauco folio J. B. *eſt Saxifraga* 3. 273
Montanus Apii folio albicans, C. B. *eſt Seſeli* 4. 286
Montanus Apii folio flo. luteo, C. B. *eſt Apium* 7. 293
Montanus Apii folio minor, C. B. *eſt Pimpinella Saxifraga* 10. 285
Pratenſis Millefolii paluſtris folio, C. B. *eſt Oenanthe* 289
Siculus Sophiæ folio Zan. *eſt Apium* 11. 293
Siculus Paſtinacæ folio Zan. *eſt Angelica* 14. 281
Vulg. Officinarum, *eſt Paſtinaca tenuifolia ſylveſt.* 305
Delphinium ejuſque ſpecies. 465
Dentaria Matth. *eſt Orobanche* 11. 503
Dentariæ affinis monopetalos. 599
Dentillaria ſive Plumbago. 599
Dictamnus ejuſque ſpecies. 357
Digitalis Amer. purp. Dodart, *eſt Dracocephalus.* 417
Dipſacus ejuſque ſpecies. 168
Dorea, & Herba Doriæ, *eſt Virga aurea.* 123
Doronicum ejuſque ſpecies. 127
Amer. C. B. *eſt Chryſanthem* 55. 22
Dracocephalus ejuſque ſpecies. 407
Draco herba ſive Tarchon. 3
Dracunculus ſive Ptarmica ejuſque ſpec. 40
Biſtortæ folio, *eſt Arum* 25. 545
Major eſt Dracontium. 548
Paluſtris ſive aquatilis. 545
Dryopteris Penæ & Lob. *eſt Filix* 17. 580
Drypis Lugd. *eſt Carduus* 16. 155

E.

EBulus Dod. 534
Ecbolii Indici æmula Pluk. *eſt Acanthoides.* 604
Echinomelocactos J. B. 170
Echinophora Col. *eſt Caucalis.* 307
Echinopus Geſneri, *eſt Carduus globoſus.* 163
Echioides lutea Apula Col. *eſt Lithoſperm.* 8. 447
Echium ejuſque ſpecies. 440
Marinum Phyt. Brit. *eſt Cynogloſſ* 12. 450
Pullo flore Cluſ. *eſt Buglosſum* 6. 438
Ela-calli Hort. Mal. 344
Elichryſum ejuſque ſpecies. 88
Foliis Abrotoni C. B. *eſt Abſinth.* 14. 8
Inodorum glabrum Coronopi folio, H. L. B. *eſt Bellis* 23. 30
Elichryſo affinis, *eſt Pſeudo-elichryſum.* 90
Elleborus, *vid. Helleborus.*
Endivia ejuſque ſpecies. 53
Ephemerum ejuſque ſpecies. 605, 606
Epipactis Cam. Eyſt. *eſt Helleborine.* 486
Epithymum, *vid. Cuſcuta.* 615
Eranthemum Dod. *eſt Adonis.* 27
Ericæ facie polygonoides Afric. Pluk. *eſt Limonium* 23. 600
Ericu Hort. Mal. *eſt Apocynum* 4. 609
Erigerum ſive Senecio. 106
Eruca Naſturtio cognata, *eſt Reſeda.* 615
Eryngium ejuſque ſpecies. 164 ~~206~~
Arvenſe fol. ſerræ ſimilibus C. B. *eſt Ammi perenne.* 294
Montan. mitius capit. magno. C. B. *eſt Carduus* 13. 159
Eſcara marina. 657
Eſula exigua Tragi, *eſt Tithymalus* 5. 339
Dulcis Tragi, *eſt Tithymalus* 10. 342
Indica Bontii. 345
Major Dod. *eſt Tithymalus* 1. 341
Minor Dod. *eſt Tithymalus* 27. 337
Eupatorium ejuſque ſpecies. 97
Cannabinum, *vid. Chryſanth.* 20. 17
Cannabin. Amer. anguſtifol. *eſt Conyza* 29. 114
Euphorbium. 345
Euphraſia ſive Euphragia. 430

F.

FAba Ægyptiaca Dioſc. *eſt Nymphæa affinis.* 514
Farfara Cæſ. *eſt Tuſſilago.* 130
Favum marinum. *vid. Alcyonium* 1. 654
Fedagoza Marcgr. *eſt Heliotropium* 1. 451
Ferula ſive Ferulago. 309
Ferula Fruticoſa ſemper virens, C. B. P. *eſt Aniſum* 3. 297
Feſtuca ejuſque ſpecies. 211
Ficoides ejuſque ſpecies. 506
Filago, *eſt Gnaphalium.* 91
Filipendula aquatica, *eſt Oenanthe.* 288
Vulgaris. 322
Filix Botryoitis ſive Florida ejuſque ſpecies. 593
Non ramoſa aliis integris. 570
Ad nervum uſque diſſectis. 577
Non ad nervum uſque diſſectis. 577
Ramoſa ejuſque ſpecies. 592
Flamula Jovis, *vid. Clematis.* 616
Flos Adonis. 27
Africanus, *eſt Chryſanthemum.* 16
Solis Farneſianus Col. & Pyramidalis Ger. *eſt Chryſanth.* 59. 23
Solis major, *eſt Chryſanth,* 38, & 39. 19
Fockii Fockii Javanenſ. Bontii, *eſt Solanum* 3. 524
Fœniculum ejuſque ſpecies. 270
Fraxinella. 456
Fritillaria craſſa, *eſt Aſclepias* 4. 611
Frondipora Imperati. 657
Fructus peregrinus Cluſ. *eſt Nymphææ affinis.* 514
Fungus eſculentus lamellatus. 636
Non lamellatus. 637
Lignoſus. 641
Noxius. 638
Petræus marinus, *eſt Androſace.* 654
Phalloides. 640
Pulverulentus. 641
Ramoſus. 641
Subterraneus *Tuber* dictus. 638

G.

GAlanga. 255
Galeopſis anguſtifolia fœtida, *eſt Stachys* 16. 383
Legitima Dioſc. Cluſ. *eſt Stachys* 10. 382
Galitricum, *eſt Horminum.* 392
Gallium ejuſque ſpecies. 327
Album paluſtre, C. B. *eſt Mollugo* 6. 331
Latifolium glabrum C. B. *eſt Cruciata* 3. 328
Rubrum C. B. 332
Gelſeminum hederaceum Indicum, *eſt Pſeudo-apocynum* 1. 612
Gentiana major ejuſque ſpecies. 484
Minor ſive Gentianella. 481
Gingidium foliis Fœniculi C. B. *eſt Thapſia* 11. 319
Foliis Paſtinacæ latifoliæ C. B. *eſt Tordylium* 7. 317
Sive Viſnaga. 275
Gladiolus paluſtris Cordi, *eſt Sedo affinis juncoides.* 468
Glaſtividua alt. Belli, *eſt Tithymalus* 8. 342
Glaux maritima. 607
Gnaphalium ejuſque ſpecies. 91
Aureum Æthiop. Pluk. *eſt Helichryſum* 25. 88
Latifol. Amer. *eſt Helichryſum* 23. 88
Luſitanicum D. Pluk. *eſt Helichryſum* 21. 88
Majus lato oblongo folio. *eſt Helichryſum* 20. 88
Maritimum C. B. P. *eſt Chryſanth.* 48. 21
Montanum ſive Pes cati, *eſt Chryſocome* 32. 89
Goſſypium herba ſive Xylon. 577
Gramen aculeatum. 194
Alopecuroides. 190
Amoris & Filiceum. 204
Aromaticum Syriacum. 229
Avenaceum. 211
Brizæ ſpica. 204
Bulboſum C. B. *eſt Sagittaria* 2. 618
Caninum. 277
Caryophyllatum. 243
Criſtatum. 194
Cyperoides. 241
Cyperoides miliaceum, *eſt Cyperus* 15. 237
Et alia Gramina Cyperoidea variorum Authorum, quorum flores umbellatim proveniunt, inter Cyperos quærenda ſunt.
Dactylum. 183
Echinatum. 194
Hirſutum. 224
Hordeaceum. 206. & 179
Junceum. 226
Loliaceum. 182
Luzulæ. 225
Luzulæ affinis flo. albo J. B. *eſt Cyperus* 39. 238
Marinum Park. *eſt Limonium* 32. 601
Miliaceum. 167

Gramen Paniceum. 188
Paniculatum. 198
Parnaſſi, C. B. *eſt Pyrola* 3. 505
Phalaroides. 186
Secalinum. 179
Sparteum. 216
Tomentoſum. 223
Tremulum. 203
Tribuloides. 194
Triticeum. 177
Typhoides. 193
Graminifolia paluſtris repens &c. 608
Gatiola anguſtifolia, *ſive Hyſſopifolia.* 613
Latifolia, *ſive Scutellaria.* 8. 416
Gratiolæ affinis fruteſcens, *eſt Capraria Curaßavica.* 607
Gypſum Geſneri, Corallii ſpec. 656

H.

HAlicacabum, *eſt Solanum veſicarium.* 526
Hayhalem Elmaora, *eſt Stratiotes Ægypt.* 619
Hedera terreſtris. 409
Hederula aquat. *eſt Lenticula triſulca.* 619
Helleborine ejuſque ſpecies. 486
Helleborus albus. 485
Niger ejuſque ſpecies. 459
Niger ferulaceus C. B. *eſt Adonis* 1. 26
Niger Saniculæ folio, C. B. *eſt Aſtrantia.* 279
Ranunculoides præcox tuberoſ. 459
Helenium Canadenſ. altiſſ. Voſacan dict. H. R. P. *eſt Chryſanth.* 69. 23
Helichryſum ejuſque ſpecies. 86
Hemionitis ejuſque ſpecies. 560
Aſari folio, D. Sloan. *eſt Adiantum* 1. 592
Multifida, C. B. P. *eſt Filix* 16. 572
Profunde lacinatum, Plumier, *eſt Adiantum* 2. 592
Henojo Canarienſibus, *eſt Pſeudo-apocynum* 12. 612
Hepatica terreſtis ſive Lichen. 623
Herba de la Rotta J. B. *eſt Ageratum* 4. 42
Felina, *eſt Cattaria.* 414
Gerardi Dod. Ger. *eſt Angelica ſylveſtris repens.* 281
Impia Cæſ. *eſt Gnaphalium* 10. 92
Lutea Dal. *eſt Luteola.* 616
Maxima, *eſt Chryſanthemum* 38, 19
Paris, *eſt Solano congener.* 532
Sacra, *eſt Verbena.* 418
S. Jacobi, *eſt Jacobæa.* 108
S. Petri, *eſt Crithmum marinum.* 289
Tauri, *eſt Origanum.* 502
Trientalis J. B. *eſt Pyrola* 6. 505
Venti Monſp. *eſt Marrubium* 16. 378
Herbatum Canadenſe Cornuti. 315
Hieracium ejuſque ſpecies. 63. ad 71
Alpinum pumilum fol. lanuginoſis, C. B. *eſt Pilo-ſella* 5. 78
Capit. inclinans, C. B. *eſt Intybus* 6. 53
Dentis leonis fol. C. B. *eſt Dens Leonis.* 76
Majus fol. Sonchi C. B. *eſt Sonchus* 13. 61
Minus fol. ſubrotundo, *eſt Intybus* 8. 53
Montan. 6. Cluſ. *eſt Scorzonera* 12. 82
Stellatum J. B. *eſt Intybus* 5. 53
Hippogloſſum. 50
Hippomarathrum Cret. C. B. *eſt Cachrys.* 3. 267
Hippophaes. 344
Hippoſelinum ſive Smyrnium. 277
Hippuris ſaxea. 656
Hirculus veterum Cluſ. *eſt Valeriana* 26. 103
Qui Chamæciſti genus Cluſ. *eſt Sedum bifurcatum* 5. 477
Holoſteum Matth. *eſt Gramen* 14. 228
Holoſteum ſive Leontopodium. 260
Hordeum ejuſque ſpecies. 206
Horminum ejuſque ſpecies 392
Hucipochatl Huxacenſi Recchi. *eſt Ricinus* 7. 347
Hydrophyllum Morini, *eſt Dentariæ facie planta.* 599
Hypochæris porcelia Tab. *eſt Hieracium 7.* 64
Hypociſtus, *eſt Orobanche* 7. 502
Hyſſopifolia. 613
Hyſſopifolia ex Inſulis Fortunatis, *eſt Acanthoides.* 604
Hyſſopus ejuſque ſpecies. 360

I.

JAcea ejuſque ſpecies. 139
Fruticans Pini folio, *eſt Stœbe* 1. 137
Jacea Incana Cyani capitulo C. B. *eſt Stœbe* 5. 137
Minor &c. Pluk. *vid. Stœbe* 9, 11, 12. 137
Oleæ folio C. B. *eſt Xeranthemum.* 43
Jacobæa ejuſque ſpecies. 108
Jacua-acanga Braſil. Piſ. *eſt Heliotropium* 1. 451
Jalap Plumier, *eſt Mirabile Peruv.* 599
Jaſminum rubrum Dal. & Jaſminum Mexicanum, *eſt Mirab. Per.* ib.
Illecebra minor acris Ger. *eſt Sedum* 12. 471
Illy-mullu Hort. Mal. *eſt Gramen ſparteum* 6. 217
Imperatoria ejuſque ſpecies. 278
Nigra Tab. *eſt Aſtrantia.* 279
Ranunculoides Pluk. *eſt Aſtrantia* 4. 279
Imperatoriæ affinis umbellifera Sibbaldi, *eſt Siler* 4. 276
Inguinaria & Inguinalis, *eſt Aſter* 18. 119
Inſchi-Kua Hort. Mal. *eſt Zinziber.* 251
Intybus vel Intybum ejuſque ſpecies. 53
Ira Hort. Mal. *eſt Cyperus* 17. 237
Iſchæmon, *eſt Gramen dactylum.* 184
Juncaria Salmanticenſis Cluſ. 601
Juncus ejuſque ſpecies. 230
Aromaticus C. B. *eſt Gramen* 25. 229
Floridus C. B. *eſt Sedo affinis juncoides.* 468
Odoratus aquatilis Dod. *eſt Oenanthe* 8. 289
Juripeba Braſilienſ. Marcgr. *eſt Solanum* 12. 252

K.

KAden pullu Hort. Mal. *eſt Gramen paniceum* 20. 189
Kaida Hort. Mal. *eſt Pinea ſive Ananas.* 170
Kaka-Kodi Hort. Mal. *eſt Apocynum* 18. 609
Kakapu Hort. Mal. *eſt Aſarina* 2. 432
Kali floridum Neapol Col. *eſt Ficoides* 8. 507
Kal-panna maravara Hort. Mal. *eſt Filix* 17. 584
Kamatli valli, H. Mal. *eſt Pſeudo-apocyn.* 10. 612
Kapatsjacca, H. Mal. *eſt Ananas.* 169
Karin-pola, H. Mal. *eſt Arum* 27. 544
Karinta-Kali, H. Mal. *eſt Periclymeno accedens planta* 6. 535
Katou-kayda-maravara, H. Mal. *eſt Pſeudo-orchis* 4. 500
Katou-ponnam-maravara, H. Mal. *eſt Pſeudo-orchis* 2. 500
Katu-bala, H. Mal. *eſt Arundo Indica.* 250
Katu-curca, Hort. Mal. *eſt Nepeta* 7. 415
Katu-palvalli, H. Mal. *eſt Apocynum* 51. 610
Katu-peetſianga- puſpam, H. Mal. *eſt Euphraſia* 3. 431
Katu-ſchena, H. Mal. *eſt Arum* 51. 548
Katu-tſetti-pu, H. Mal. *eſt Ambroſia* 3. 4
Katu-tumba, H. Mal. *eſt Nepeta* 8. 415
Kirindi walli, Hermanni, *eſt Pſeudo-apocyn.* 9. 612
Kodi-pullu, H. Mal. *eſt Arundo* 25. 221
Kol-pullu, H. Mal. *eſt Cyperus* 26. 238
Kouda-pullu, H. Mal. *eſt Gramen dactylum* 15. 185
Kua, H. Mal. *eſt Zinziber ſylveſtre,* 251
Kudici-kodi, H. Mal. *eſt Apocynum* 50. 610
Kudira-pullu, H. Mal. *eſt Gramen tomentoſum* 4. 224
Kyoknophane Japonenſ. *eſt Matricaria* 7. 33

L.

LAbrum Veneris, *eſt Dipſacus.* 168
Lachryma Job. & Lachryma Chriſti. 249
Lactuca ejuſque ſpecies. 57
Agnina, *eſt Pſeudo-Valeriana.* 104
Leporina Apulei, *eſt Sonchus* 1. 60
Lada aliis Molanga, *eſt piper* 1. 602
Ladanum ſegetum Plin. *eſt Lamium* 18. 386
Lamium ejuſque ſpecies. 384
Aſtragaloides, *eſt Scutellaria.* 416
Fruticoſum Cret. Zan. *eſt Meliſſa* 3. 408
Maximum ſylvat. fœtid. C. B. *eſt Stachys* 10. 382
Lampſana Ger. *vid. Intybus* 9. 54
Lappa major. 146
Minor ſive Xanthium. 604
Canaria, J. B. *Caucalis.* 307
Lapathum Ægypt. lacteſcens C. B. *eſt Apocynum* 1. 609
Laſerpitium ejuſque ſpecies. 320
Germanicum Matth. *eſt Leviſticum.* 275
Lathyris major, C. B. P. *eſt Tithymalus* 1. 339
Lavando Sinenſibus Linſchot. *eſt Galanga,* 255
Lavendula ejuſque ſpecies. 352
Laurus Alexandrina. 540
Lemma Theophraſti Lugd. *eſt Lenticula quadrifolia.* 619
Lens paluſtris & Lenticula. 619
Leontopodium. *eſt Gnaphalium* 4, & 5. 92
Sive Holoſteum ejuſque ſpecies. 260
Leonurus Africanus. 383

INDEX.

Lepidium Dentillaria dictum. *eſt Plumbago.* 599
Leucanthemum Alpin. Cluſ. *eſt Chamæmelum* 5. 35
Leviſticum. 275
Libanotis ejuſque ſpecies. 310
Aquilegiæ folio, C. B. *eſt Siler* 3. 276
Cachryophoros. 267
Latifolia C. B. *eſt Laſerpitium.* 320
Nigra & Apii folio C. B. 319
Lichen ejuſque ſpecies. 623
Arborum, *eſt Muſco-fungus.* 633
Terreſtris cinereus, *eſt Muſco-fungus.* 632
Liguſticum alt. Belgarum Lob. *eſt Seſeli* 1. 286
Quod Seſeli officinarum C. B. *eſt Siler montanum.* 276
Quorundam fol. Angelicæ J. B. *eſt Angelica* 4. 280
Lilium Convallium. 539
Limodoron, *eſt Orobanche.* 502
Limonio congener Cluſ. *eſt Coilophyllon.* 533
Limonium ejuſque ſpecies. 600
Gramineum Globoſum. 601
Linaria adulterina Ger. & Linaria montana, *eſt Seſamoides.* 601
Linaria aurea Trag. Lob. *eſt Virga aurea* 29. 125
Et Folioſo capite C. B. *ibid.*
Lingua avis Dal. *eſt Jacobæa.* 22. 110
Cervina ejuſque ſpecies. 556
Serpentina, *eſt Ophioglosſum.* 595
Linum umbilicatum Park. *eſt Cynogloſſ.* 11. 449
Lithoſpermum ejuſque ſpecies. 446
Lobus aromaticus, Vanilias Hiſpan. *eſt Volubilis Americana.* 613
Lolium. 181
Lonchitis ejuſque ſpecies. 565
Aſpera Iluenſis, *eſt Filix* 23. 576
Aſpera Maranthæ, J. B. *eſt Filix* 22. *ibid.*
Hirſuta florida C. Plum. *eſt Lunaria* 8. 595
Lotus Ægypt. P. Alp. *eſt Nymphæa* 7. 513
Lunaria botrytis. 594
Racemoſa multifido folio C. B. *Filicula* 26. 585
Lutea maxima Cretica Belli *vid.* 615
Luteola. 616
Lycopodium. 623
Lycopſis C. B. *eſt Echium.* 441
Lyſimachia gelericulata, *eſt Scutellaria* 6. 416
Lyſimachiæ purpureæ affinis Agerati foliis, *eſt Hyſſopoides,* 613
Lyſimachiæ purpureæ affinis Americana, *eſt Capraria Curaſſavica.* 607

M.

MAdrepora. 657
Magiſtrantia, *eſt Imperatoria.* 278
Majorana ejuſque ſpecies. 355
Syriaca vel Cretica C. B. *eſt Marum Cortuſi.* 420
Mala Æthiopica Dod. Ger. *eſt Solanum* 14. 525
Inſana Dod. *eſt Solanum* 1. 524
Malago-codi Hort. Mal. *eſt Piper.* 1. 602
Malaguetta Garz. *eſt Cardamomum.* 254
Mambu Piſ. *eſt Arundo Tabaxifera.* 219
Mandragora. 531
Manjella-kua Hort. Mal. *eſt Curcuma.* 253
Manihot Indorum, C. B. *eſt Ricinus* 12. 348
Manuba & Manduba Braſil. cujus radix Mandihoca Piſ. & Marcgr. 348
Marum vulgare Maſtick Gallorum. 372
Cortuſi ſive Syriacum. 420
Marrubium ejuſque ſpecies. 376
Matlaxochitl. Recchi, *eſt Melliſſa* 5. 408
Matricaria ejuſque ſpecies. 32
Alpina Chamæmeli folio, *eſt Millefolium* 9. 38
Foliis Abrotoni C. B. *eſt Millefolium* 8. 38
Matzatli ſive Pinea Indica, *eſt Ananas.* 169
Mayzum Monardi, *eſt Frument Ind.* 248
Melampyrum ejuſque ſpecies. 428
Melanthium, *eſt Nigella.* 515
Melanzana Eyſt. *eſt Solanum* 1. 524
Melianthos. 517
Meliſſa ejuſque ſpecies. 408
Moluccana, ſive Conſtantinopol. *eſt Molucca.* 380
Meliſſophyllum Fuchſii. *eſt Lamium* 8. 385
Melo carduus ejuſque ſpecies. 170
Melongena Matth. *eſt Solanum* 1. 524
Menianthes, *eſt Acopa Dioſc. ſive Trifolium paluſtre.* 604
Mentha ejuſque ſpecies. p. 367. Et Mentaſtrum, ad pag. 370
Mentha Cattaria. *eſt Nepeta.* 414
Mentha Corymbifera anguſt. C. B. *eſt Agreſtium* 3. 42
Saracenica & Corymbifera, *eſt Balſamita.* 3
Meſambrianthemum, *eſt Ficoides.* 507
Metlalxochitl Recch. *vid. Vulneraria alata.* 605
Meum adulterin. C. B. *eſt Saxifraga* 1. 272
Alexatericum P. Alp. *eſt Saxif.* 10. 273
Alpinum umbella purpuraſcente, *eſt Seſeli* 13. 287
Annuum acre Luſit. *eſt Saxif.* 6. 273
Dauci facie, C. B. J. B. *eſt Saxif.* 273
Matth. Dod. ſive Athamanticum. 270
Micuacanica diuretica amara Recchi. *eſt Apocynum* 46. 610
Millefolium ejuſque ſpecies. 38
Aquaticum. 622
Aquat. ſtellatum, *eſt Stellaria.* 608
Millepora Imp. 657
Militaris aizoides, ſive Stratiotes. 618
Milium ejuſque ſpecies. 195
Indicum ſive Mayz. 248
Solis Bontii, *eſt Lachryma Job.* 249
Solis ſive Lithoſpermum. 446
Miltomatl Recchi, *eſt Solanum* 27. 527
Mirabile Peruvianum. 568
Molucca ejuſque ſpecies. 380
Mollugo ejuſque ſpecies. 330
Molybdæna ſive Plumbago. 599
Monophyllum Lob. 539
Monorchis. 497
Morſus Diaboli, *eſt Scabioſa* 7. 45
Galinæ Lob. *eſt Lamium* 12. 386
Ranæ Dod. *eſt Nymphæa* 10. 513
Motta-pullu Hort. Mal. *eſt Gramen junceum* 9. 227
Mottenga Hort. Mal. *eſt Cyperus* 7. 236
Moyotliayacatli Recch. *eſt Pſeudo-apocynum* 11. 612
Mulen pullu Hort. Mal. *eſt Gramen junceum* 8. 227
Mulen-ſchena Hort. Mal. *eſt Arum* 56. 549
Mundui-guacu Braſil. Piſ. & Marcgr. *eſt Ricinus* 15. 348
Muſcipula Salmantica Park. *eſt Seſamoides.* 601
Muſcus Abietiformis 9. 624
Arborum. 634
Aureus capillaris Pluk. *eſt Graminifolia paluſt.* 608
Capillaris. 630, 631
Geranoides, coralloides & corniculatus, *eſt Muſco-fungus.* 632, 633
Clavatus. 623
Coronifer Adiant. aureum dictus. 630
Cruſtæ modo adnaſcens, *eſt Muſco-fungus.* 633
Cupreſſiformis 5. 624
Dendroides. 626
Marinus. 649, 650
Pyxidatus. 632
Polyſpermos, 10. 624
Terreſtris ejuſque ſpecies. 624, 625, 626
Trichoides ſive Capillaribus affinis. 628
Muſco-fungus ejuſque ſpecies. 632, 633
Mutellina J. B. *eſt Seſeli* 13. 287
Myoſotis ſcorpioides. 450
Myrrhis ejuſque ſpecies. 301

N.

NAagadante Hort. Mal. *eſt Ricinus* 20. 349
Naincanna Hort. Mal. *eſt Arundo* 14. 220
Nanſiera-patsja Hort. Mal. *eſt Apocynum* 52. 610
Nardus Americana procerior, *eſt Cacalia* 7. 94
Celtica ſive Valeriana. 103
Montana. *ibid.*
Indica ſive Spica Nardi. 256
Naviytepuzt quadrilatera Recchi, *eſt Coryſanthemum* 87. 25
Nedel-Ambel Hort. Mal. *eſt Nymphæa* 9. 513
Neicotlalpatli Recch. *Apocynum* 67. 611
Nelampata Hort. Mal. *eſt Senecio* 6. 106
Nelampullu H. Mal. *eſt Ephemerum* 7. 606
Nelenſchena H. Mal. *eſt Arum* 13. 544
Nelen-tsjunda H. Mal. *eſt Solanum* 4. 520
Nelumbo Zeylonenſibus, *eſt Nymphææ affinis* 5. 514
Nenuphar Brunf. *eſt Nymphæa.* 512
Nepeta ſive Cattaria ejuſque ſpecies. 414
Nhandu Maregr. *eſt Piper* 7. 602
Nidus avis Lob. *eſt Orobanche* 18. 503
Nigella ejuſque ſpecies. 515
Nila-barudena H. Mal. *eſt Solanum* 1. 524
Nila-hummatu, *vid. Stramonium.* 607
Njota-njodien-valli, H. Mal. *eſt Apocynum* 70. 611
Nic-cottam-pala H. Mal. *eſt Tithymalus* 14. 340

Nir-pullu H. Mal. Et Nir-valli-pullu, *vid. Ephemerum.* 606
Nir-usjenbu H. Mal. *eſt Ariſarum* 17. 544
Nucula terreſtris ſive Bulbocaſtanum. 274
Nux methel Matth. *eſt Stramonium.* 607
Nymphæa ejuſque ſpecies. 512
Nymphææ affinis. 514

O.

Ocimaſtrum Valent. Cluſ. *eſt Marrubium* 15. 377
Ocimum ejuſque ſpecies. 406
Ocopiaztli Scorpii ſpina Recchi, *eſt Eryngium* 22. 167
Oculus bovis, *eſt Bellis major* 1. 28
Oenanthe, ejuſque ſpecies. 288
Oloxihuitl Recchi, *eſt Heliotropium* 5. 452
Onopyxos Park. *eſt Carduus* 11. 151
Ophioglosſum. 595
Orchis radice teſticulata. 490
Palmata. 497, 498
Repente, *eſt Helleborine* 9. 487
Orchis abortiva, *eſt Orobanche* 18. 503
Spiralis, *eſt Triorchis.* 496
Oreoſelinum Cluſ. 317
Origanum ejuſque ſpecies. 358
Montis Sipyli Wheeleri, *eſt Dictamnus* 2. 357
Orobanche ejuſque ſpecies. 501
Orvalla Dod. *eſt Horminum* 392
Oryza. 208
Oſmunda Regalis, *eſt Filix* 1. 593
Foliis lunatis Tournefortii, *eſt Lunaria.* 594

P.

Paco-caatinga Piſ. *eſt Arundo Indica* 8. 251
Paco-ceroca Braſil. *eſt Canna Indica* 9. 251
Pagatowr Virginenſ. *eſt Frument. Ind.* 248
Palega-pajanelli Hort Mal. *eſt Pſeudo-apocyn.* 6. 612
Palma Chriſti Tab. Cæſ. *eſt Ricinus.* 346
Mas &c. Park. *eſt Orchis palmata.* 398
Palma ſeu manus marina. 564
Palvalli Hort. Mal. *eſt Apocynum* 49. 610
Paludapium, *eſt Apium paluſtre ſive Officinarum.* 293
Panax Aſclepium Dod. *eſt Libanotis* 1. 310
Chironum Theophraſti, *eſt Virga aurea* 2. 123
Coloni Ger. *eſt Stachys* 16. 383
Heracleum Ger. Peregrinum Dod. 315
Siculum ſemine hirſuto, *eſt Cachrys* 4. 267
Sphondylii folio, C. B. *eſt Sphondylium* 3. 313
Panicum ejuſque ſpecies. 187
Panna-kalego-maravara, Hort. Mal. *eſt Polypodium* 13. 564
Panna-mara-maravara. Hort. Mal. *eſt Filix* 6. 571
Panover-tsjerava Hort. Mal. *eſt Tribulus aquaticus* 2. 619
Papas Peruanorum Cluſ. Eyſt. *eſt Solanum* 19. 522
Papyrus Niloticus J. B. *eſt Cyperus* 41. 239
Parietaria ſylveſtris, *eſt Melampyrum.* 429
Paronychia rutaceo folio Ger. Lob. *eſt Sedum bicorne* 31. 479
Paronychiæ facie Planta Virginiana. 614
Parthenium, *eſt Matricaria.* 32
Alpinum Cluſ. *eſt Millefolium* 9. 38
Nobile, *eſt Chamæmelum* 1. 35
Σωμεροδων Myconi Lugd. *eſt Millefolium* 8. 38
Paſſerina Tragi, *eſt Lithoſpermum.* 447
Paſtinaca latifolia ejuſque ſpecies. 314
Tenuifolia ejuſque ſpecies. 305
Marina, quibuſdam Secacul, J. B. *eſt Crithmum ſpinoſum.* 268
Peſten Veneris ſive Scandix. 304
Pedicularis ejuſque ſpecies. 426
Cordi, *eſt Staphis agria.* 465
Peecajenneam H. Mal. *eſt Chryſanth.* 33. 19
Pee-inota-modein, H. Mal. *eſt Solanum* 23. 526
Pee-motenga H. Mal. *eſt Cyperus* 28. 238
Peet-janga-pulpam, H. Mal. *eſt Euphraſia* 4. 431
Peplis & Peplus Matth. *eſt Tithymalus* 11. 339
Peplus minor J. B. 340
Perfoliata ejuſque ſpecies. 299
Periclymeno accedens planta ſive Chamæpericlymenum. 525
Periploca ſcandens, *eſt Apocynum* 64. 611
Perſonata, *eſt Lappa major.* 146
Pervinca ſive Clematis daphnoides. 613
Pes Cati, *eſt Chryſocome* 32. 89
Petaſites. 95
Petroſelinum, *eſt Apium hortenſe.* 292
Peucedanum ejuſque ſpecies. 312
Peucedani facie puſilla planta Lob. *eſt Saxifraga* 15. 274
Phalangium Ephemerum & ſpicatum. *eſt Ephemerum.* 606
Phalaris. 186
Phellandrium Dod. *eſt Cicuta aquatica.* 291
Phœnix, *eſt Gramen loliaceum.* 182
Phleos Dal. *eſt Sagittaria.* 618
Pyllitis ſive Lingua cervina. 556
Ramoſa Alpini, *eſt Filix* 16. 572
Phyteuma minor, Scabioſa parva, *vid. Scabioſa* 22. 48
Monſpelienſium, *eſt Reſeda* 3. 615
Piloſella ejuſque ſpecies. 77
Major quibuſdam J. B. *eſt Hieracium* 58. 70
Pimpinella ejuſque ſpecies. 263
Saxifraga. 284
Spicata maxima Bartholini, *eſt Melianthus.* 517
Piper ejuſque ſpecies. 602
Indicum ſive Capſicum. 528
Piſtolochia. 510
Pityuſa C. B. P. *eſt Tithymalus* 27. 337
Planta Bantanica Cluſ. Exot. *eſt Conyza* 21. 113
Plantago ejuſque ſpecies. 258
Aquatica. 618
Aquat. minima ſive Plantiginella. 605
Plicaria & Cingularia Polonis, *eſt Muſcus clavatus* 623
Plumbago. 599
Pneumonanthe, *eſt Gentianella.* 481
Podagraria Lob. *eſt Angelica repens J. B.* 281
Pœonia ejuſque ſpecies. 454
Polemonium Tournefort, *eſt Vulneraria alata.* 605
Polium ejuſque ſpecies 354
Polygonatum ejuſque ſpecies. 536
Polypodium ejuſque ſpecies. 562
Polytrichum aureum, *vid. Muſcus.* 630
Officinarum, *eſt Trichomanes.* 591
Pomum amoris, *eſt Solanum* 7. 520
Hieraconticum Imp. *eſt Solanum* 6. 524
Pannampou-maravara Hort. Mal. *eſt Orchis abortiva* 8. 501
Porus ejuſque ſpecies. 656
Potapullu H. Mal. *eſt Cyperus* 15. 237
Potamogeiton fol. bullatis Com. *eſt Ephemerum* 8. 606
Poterion quibuſdam Belli, *eſt Pimpinella ſpinoſa.* 263
Praſium, *eſt Marrubium alb.* 376
Prunella ejuſque ſpecies. 363
Pſeud-apocynum ejuſque ſpecies. 612
Pſeudo-corallium. 655
Pſeudo-coſtus Virginian. Raii. *eſt Dracunculus* 9. 41
Pſeudo dictamnus. 379
Pſeudo-digitalis, *eſt Dracocephalus.* 417
Pſeudo-helichryſum. 90
Pſeudo helleborus Ranunculoides. 461
Pſeudo-linaria montana alba, Park. *eſt Seſamoides.* 601
Pſeudo-marrubium. 378
Pſeudo-nardus ſive Spica, *eſt Lavendula.* 352
Pſeudo-orchis ejuſque ſpecies. 500
Caſp. B. *eſt Helleborine* 9. 487
Pſeudo-rubia. 333
Pſeudo-Salvia. 397
Pſeudo-ſtruthium Matth. *eſt Lutcola.* 616
Pſeudo-valeriana. 104
Pſyllium ejuſque ſpecies. 262
Ptarmica ejuſque ſpecies. 40
Alpin. Matricariæ fol. Triumf. *eſt Bellis* 20. 30
Auſtriaca Cluſ. *eſt Xeranthemum.* 43
Raphani aquat. fol. H. L. B. *eſt Dracunculus.* 42
Virginiana Scabioſæ folio Pluk. *eſt Dracunculus* 9. 41
Pulegium ejuſque ſpecies. 371
Virginianum quibuſdam, *eſt Calamintha* 6. 413
Pulmonaria arborum, *eſt Muſco fungus.* 634
Gallorum Lob. *eſt Hieracium* 58. 70
Maculoſa. 444
Pyrethrum corymbiferum. 33
Umbelliferum. 296
Pyrola ejuſque ſpecies. 504

Q.

Quaquahutzontic Recchi, *eſt Apocynum* 8. 609
Quauhayohuatli Recchi, *eſt Ricinus* 15. 348

R.

Radix Bezardica, Contra yerva, & Drakena, *eſt Cyperus* 44. 240
Radix S. Helenæ Monardi, *eſt Cyperus* 4. 236
Ranunculus globoſus Dod, *eſt Pſeudo-Helleborus.* 461
Hederaceus aquat. *eſt Lenticula triſulca.* 619
Mont. Aconiti folio, *eſt Pſeudo-Helleborus.* 461

INDEX.

Rapum Genistæ, *est Orobanche.* 501
Reseda ejusque species. 615
Alba minor C. B. & Linariæ folio, *vid. Resedæ similis maritima.* 601
Resedæ similis maritima, & Resedæ marina. 617
Retepora. 657
Rhaponticum folio Helenii C. B. *est Centaurium 7.* 132
Rhodia radix, C. B. J. B. *est Telephium 8.* 468
Ribes verum Arabum J. B. 617
Ricinus ejusque species. 346
Ros solis sive Rorella ejusque species. 620
Rosa Hiericuntis Trag. *est Chrysanth. 38.* 19
Marina. 654
Rosmarinus. 410
Rubia flo. luteo ejusque species. 326
Angulosa aspera J. B. *est Mollugo 1.* 330
Argentea Cretica P. Alp. *est Cruciata 5.* 328
Floribus albis. 329
Lini folio aspera, *est Juncaria.* 601
Maritima C. B. *est Pseudo-rubia.* 333
Montana angustifol. C. B. *est Mollugo 4.* 331
Spicata, *est Pseudo-rubia.* 333
Rumphal Zan. *est Arum 57.* 549
Ruscus sive Bruscus 540
Ruta muraria C. B. *est Filicula.* 585
Pratensis, *est Thalictrum.* 324

S.

Sagittaria ejusque species. 618
Salvia ejusque species. 398
Agrestis Trag. *est Chamædrys 14.* 423
Fruticosa, *est Pseudo-salvia.* 397
Sambucus humilis sive Ebulus. 534
Sanguisorba Dod. *est Pimpinella.* 263
Sanicula montana C. B. *est Sedum bicorne 10.* 477
Santolina Dod. *vid. Abrotonum fœm.* 12
Saxifica, *est Tragopogon 5.* 80
Satureia ejusque species. 411
Lutea, *est Melampyrum.* 429
Satyrium, *est Orchis palmata.* 498
Saururus. 602, 603
Saxifraga alba Dod. Ger. *est Sedum bicorne 23.* 479
Alba petræa Ponæ. *est Sedum bicorne 28.* 479
Autumnalis angust. Broyn. *est Sedum 6.* 477
Hircina J. B. *est Pimpinella saxifraga.* 284
Montana ejusque species. 272
Scabiosa ejusque species. 44
Major squamatis capitulis C. B. *est Jacea 10.* 140
Scammonea Valentina &c. *vid. Apocynum.* 611
Scandix sive Pecten Veneris. 304
Schena H. Mal. *est Arum 54.* 548
Schorigenam H. Mal. *est Urtica 7.* 435
Sclarea, *est Horminum.* 392
Scœnanthos J. B. & Squinanthum, *est Gramen 25.* 229
Scolopendria sive Asplenium. 561
Scolymus Chrysanthemus, *est Cichoreum 7.* 55
Sylvestris, *est Cinara.* 158
Scordium, *est Chamædrys 14, & 15.* 423
Scorodonia Ger. *est Chamædrys 14.* 423
Scorodotis Plinii Belli, *est Marrubium 7.* 377
Scorpiurus. 450
Scorzonera ejusque species. 81
Scorzoneræ affinis Behen album dicta. 84
Scutellaria ejusque species. 416
Secacul Arabum, *est Apium 6.* 292
Secale. 179
Sedum multicapsulare ejusque species. 469
Bicorne ejusque species. 476
Sedo affinis juncoides umbellata. 468
Selagi Plinii, *est Camphorata.* 614
Selaginis Plinianæ 1. Spec. Thal. *est Muscus 5.* 624
Selinum montanum pumilum Clus. *est Saxifraga 15.* 274
Segetale Park. *est Sium 6.* 283
Sempervivum Matth. *est Sedum.* 470
Senecio ejusque species. 106
Amer. Lamii folio Hort. Par. *est Eupatorium 24.* 98
Fruticens Halimi folio, *est Pseudo-helichrys 5.* 90
Senecionis genus Myconi, *est Jacobæa 28.* 110
Serapias, *est Orchis palmata.* 498
Seriola & Seris, *est Endivia.* 53
Serpentaria major, *est Asarum 3.* 511
Virginiana sive Pistolochia. 510
Serpentina Matth. Dod. Holostei species. 260
Serpyllum ejusque species. 402
Serratula. 133
Sesamoides ejusque species. 601
Parvum Matth. *est Cichoreum 4.* 55
Siderum vel album Zan. *est Lithospermum* [illegible]
dream.
Silili ejusque species. 249
Æthiopicum frutex. 286
Creticum, *est Tordylium.* 298
Massilienſe Dioſc. *est Saxifraga 11.* 316
Palust. lacteſcens, C. B. *est Libanotis 4.* 273
Peloponesiacum Matth. *est Cicuta 5.* 310
Sideritis ejusque species. 291
Arvensis rubra, *est Lamium 18.* 387
Sigillum Salomonis. 386
Siler Montanum. 536
Siligo Obs. Lob. *est Triticum.* 276
Siliqua Thymiamatis odore J. B. *est Volubilis Amer.* 613
Sisarum. 283
Sison Dioſc. 283
Sium ejusque species. 282
Smyrnium ejusque species. 277
Solanum polycoccon ejusque species. 520
Monococcon ejusque species. 523
Fœtidum, *est Stramonium.* 607
Lethale Dod. 532
Mexicanum, *est Mirab. Peruvian.* 599
Quadrifolium bacciferum C. B. sive Herba Paris. *est Solano congener. 6.* 533
Vesicarium ejusque species. 526
Urens sive Capsicum. 528
Sonchus ejusque species. 60
Lævis angustifol. Clus. *vid. Lactuca 32.* 67
Purp. flore Clus. C. B. *vid. Lactuca 22, & 23.* 59
Villosus luteus, C. B. *est Chondrilla 2.* 72
Sparganium. 247
Spartum herba Plinii &c. 216
Maritimum nostras Park. *est Gramen Secalinum* 14. 180
Pennatum Clus. *est Avena 9.* 210
Sphacelus Theophrasti, *est Salvia.* 398
Sphondylium ejusque species. 313
Spina alba, *est Acanthium.* 151
Lutea J. B. *est Cichoreum 7.* 55
Solstitialis Dod. *est Jacea 27.* 145
Spongia ejusque species. 673
Stachys ejusque species. 381
Staphis agria. 465
Statice, *vid. Limonium gramineum globosum.* 601
Stellaria aquatica. 608
Stœbe ejusque species. 136
Major calyce splendente, & non splendente. C. B. *vid. Jacea 14, & 15.* 140
Salmantica Clus. *ibid.*
Squamis asperis, C. B. *est Jacea 12.* 143
Stœchas ejusque species. 353
Citrina, *vid. Helichrysum.* 86
Rorismarini facie Cret. Park. *est Rosmarin. 3.* 410
Stramonium ejusque species. 607
Stratiotes millefolia. *vid. Millefolium 6.* 38, & 18, 39
Stratiotes sive Militaris arzoides. 618
Strychnodendron Eyst, *est Solanum 15.* 525
Succisa, est Scabiosa 7. 45
Sylibum minus Beticum Park. *est Carduus 5.* 135
Symphytum maculosum sive Pulmonaria. 444
Parvum Boraginis facie C. B. *est Borago 3.* 437
Sive Consolida major. 444
Synanchicæ species Clus. Dal. Lugd. *est Juncaria.* 601

T.

Tagadi H. Mal. *est Gramen plumosum 8.* 224
Tegetes J. B. *vid. Chrysanthemum.* 16
Tamara H. Mal. *est Nymphææ affinis 3.* 514
Tanacetum vulgare. 2
Inodorum, J. B. Clus. *est Bellis 18.* 30
Minus album odore Camphoræ, *est Millefolium* 4. 38
Africanum C. B. *est Chrysanthemum.* 16
Tancapatz Recchi, *est Adiantum 5.* 558
Taragon sive Tarchon. 3
Taraxacon, *est Dens Leonis.* 74
Tartaria Ungarica, *est Cachrys 4.* 267
Tecomaxochitl Recchi, *vid. Pseudo-apocynum 5.* 613
Telephium ejusque species. 467
Repens folio deciduo, *est Sedum 46.* 478
Tenna Hort. Mal. *est Panicum 3.* 988
Tepecenpoal Xochitl Recchi, *est Chrysanthemum Africanum* 17. 17
Tepe-

INDEX.

Tepezentle ſive ſpica Maizii montana Recchi, *eſt Apocynum* 7. 609
Teretapullu H. Mal. *eſt Gramen dactylum* 10. 185
Terlatia arbor urens Recchi, *eſt Tithymalus* 15. 336
Tetrahit Lugd. *eſt Lamium* 18. 386
Teucrium ejuſque ſpecies. 421
Alpinum flore purpuro-cæruleo, C. B. *eſt Pedicularis* 15. 428
Aſtragaloides, *eſt Scutellaria.* 416
Teucrii facie. 423
Thapſia ejuſque ſpecies. 318
Thymbra, *vid. Satureia.* 412
Thymus ſive Thymum ejuſque ſpecies. 401
Capillaceo folio Tournefort, *eſt Hyſſopus* 13 362
Capitus Dioſc. C. B. *eſt Hyſſopus* 15. 362
Thyſſelinum Plinii 317
Tirocalli H. Mal. *eſt Tithymalus* 18. 337
Tithymalus capſula ſeminali lævi perennis. 334
Annuus. 338
Verrucoſa perennis 341
Annuus. 343
Africanus arboreſcens ſquamato caule ſpinoſo. 344
Africanus Cerei effigie. 345
Portoricenſis foliis craſſis P. B. P. *eſt Apocynum* 19. 610
Tithymalo affinis Alypum. 343
Tlachichinoa Patlahoac, ſive Herba uſta latifolia Recchi, *eſt Heliotropium* 4. 452
Tlalatochichitl Recchi, *eſt Pulegium* 6. 371
Tlalipulla H. Mal. *eſt Ephemerum* 6. 606
Tlally yetl Recchi, *eſt Bellis* 16. 29
Tlalpanxihuitl Recchi, *eſt Aſter* 39. 121
Tlalpatl, Hernandez, *eſt Stramonium* 6. 607
Tlalquequetzal Recchi, *eſt Millefolium* 2. 38
Tlaolli ſive Mayz. Recchi. 248
Tlaquilin Recchi, *eſt Mirab. Peruvian.* 599
Tlatlantlacvacvitlapilli Recchi, *eſt Apocyn.* 47. 610
Tlixochitl Recchi, *eſt Volubilis Amer.* 613
Tomahuactlacopatli Recchi, *eſt Ariſtolochia* 7. 509
Tordylium ejuſque ſpecies. 316
Toſcuitlapil Indorum Piſ. *eſt Arundo Indica* 5. 250
Totecyxochiuh Recchi, *eſt Heliotropium* 9. 452
Tragopogon ejuſque ſpecies. 79
Graminis folio, C. B. *eſt Scorzonera* 22. 83
Hirſutum, C. B. *eſt Scorzonera* 13. 82
Tragoriganum. 373
Trali Italorum, *eſt Cyperus* 10. 236
Tribulus aquaticus. 619
Trichomanes. 591
Trifolium fibrinum, & paluſtre, *eſt Acopa Dioſc.* 604
Triorchis. 496
Tripolium altiſſimum Amer. H. L. B. *eſt Aſter* 32. 121
Tripolium majus & minus C. B. *eſt Aſter* 37, & 38. 121
Triſago & Trixago Matth. *eſt Chamædrys.* 422
Triticum ejuſque ſpecies. 175
Indicum. 248
Vaccinum, *eſt Melampyrum.* 428
Tsjana-kua H. Mal. *eſt Coſtus.* 255
Tsjeli H. Mal. *eſt Juncus* 3. 231
Tsjetti H. Mal. *eſt Matricaria* 8. 33
Tsjetti-pullu H. Mal. *eſt Gramen dact.* 20. 186
Tsjeria-kuren-pullu, H. Mal. *eſt Alopecuros* 5. 191
Tsjeria-kotsjiletti-pullu, H. Mal. *eſt Gramen junceum* 10. 227
Tsjeroea-cit ambel, H. Mal. *eſt Nymphæa* 3. 513
Tsjeru-valli-panna H. Mal. *eſt Lonchitis* 15. 568
Tsjola-pullu H. Mal. *eſt Gramen cyperoides* 7. 242
Tubera terræ, *vid. Fungus.* 638
Tubularia purpurea. 657
Tuſſilago ejuſque ſpecies. 130
Alpina folio oblongo, *eſt Doronicum* 18. 128
Typha ejuſque ſpecies. 246
Cerealis Dod. *eſt Triticum* 3. 175
Tzanochitl Recchi, *eſt Pſeudo-orchis* 5. 501
Tzicatzonte comattl, Recchi, *eſt Conyza* 23. 114
Tzitziqui Recchi, *eſt Aſter* 40. 121
Tzocuipatli Recchi, *eſt Eupatorium* 16. 98
Tzonpotonis Recchi, *eſt Chryſocome* 30. 89

V.

Valeriana ejuſque ſpecies. 100
Græca, *eſt Vulneraria.* 605
Valeriana Urticæ folio Canadenſis Cornuti, *eſt Eupatorium* 11. 98
Valerianella *ſive Pſeudo-valeriana.* 104
Vaynillas Hiſpanis & Vanilias, *eſt Volubilis Americana capreolata.* 613
Veetla-caitu Hort. Mal. *eſt Ephemerum* 12. 606
Veratrum album Dod. *eſt Helleb. albus.* 485
Nigrum Dioſc. *eſt Aſtrantia.* 279
Nigrum Dod. *eſt Heleb. niger.* 459
Verbaſcum ſalvifolium, *eſt Pſeudo-ſalvia.* 397
Verbena ejuſque ſpecies. 418
Verbeſina ſive Cannabina aquatica, J. B. *vid. Chryſanthemum* 20. 17
Vermicularis, *eſt Sedum minus.* 472
Viba Piſ. & Vuba Braſil. Marcgr. *eſt Arundo* 19. 220
Vinca pervinca ſive Clematis daphnoides. 613
Vincetoxicum ſive Aſclepias. 611
Viperaria, *eſt Scorzonera.* 81
Virga aurea ejuſque ſpecies. 123
Magno flore C. B. *eſt Aſter* 4. 118
Virginiana annua Zan. *eſt Conyza* 29. 114
Virga paſtoris, *eſt Dipſacus minor.* 168
Viſnaga ſive Gingidium. 275
Ulmaria ejuſque ſpecies. 323
Umbellifera Aſiatica magna J. B. 5. 317
Umbelliferis affinis capit. globoſis. 265
Umbilicus aquaticus Chinenſis. 620
Veneris Matth. *eſt Sedum* 4. 470
Ungula caballina & Aſinina, *eſt Tuſſilago.* 130
Unifolium. 539
Unifolium Amati, *eſt Ophioglosſum.* 595
Volubilis Americana capreolata. 613
Voſacan, *vid. Chryſanthemum* 69. 23
Urinaria, *eſt Dens Leonis.* 434
Urtica ejuſque ſpecies. 434
Aculeata foliis ſerratis, C. B. *eſt Lamium,* 386
Indica pentaphyllea Ciaſſi, *eſt Ricinus* 13. 348
Iners ſive mortua, *eſt Lamium.* 385
Vulneraria alata ſive Valeriana Græca. 605

W.

WAlinghuru Zeylan, *eſt Zinziber ſylv.* 251
Waraghaha Zeylonenſ. *eſt Apocynum* 4. 609
Warapullu H. Mal. *eſt Cyperus* 19. 237
Wata-kaka-kodi H. Mal. *eſt Apocynum* 53. 611
Wattouvalli Hort. Mal. *eſt Apocynum* 60. 611
Weli-ila Hort. Mal. *eſt Arum* 35. 546
Welli-panna-kalengu-maravara, Hort. Mal. *eſt Polypodium* 16. 564

X.

XAltomatl ſive Tomatl arenoſum Recchi, *eſt Solanum* 20. 522
Xanthium. 604
Xeranthemum ejuſque ſpecies. 43

Y.

YOcotzochitl Recchi, *eſt Apocynum* 63. 611
Yucca Braſiliana, *eſt Ricinus* 12. 448
Yzpatli Recchi, *eſt Apocynum* 65. 611
Yzpatli Recchi, alt. *eſt Virga aurea* 17. 125
Yztac-cococtlacotli Recchi, *eſt Eupatorium* 17. 98
Yztacpatli manaliſmi dictum Recchi, *eſt Telephium* 5. 468
Yztomiſt ſive Lanuginoſa herba Recchi, *eſt Senecio* 13. 107

Z.

ZAcintha, *eſt Intybus* 4. 53
Zaterhendi, *eſt Origanum* 17. 360
Zea ſive Briza 204
Zedoaria. 252
Zingi fructus ſtellatus, *eſt Aniſum Philipinarum Inſularum.* 616
Zinziber ejuſque ſpecies. 251
Zeopyrum J. B. *eſt Triticum* 11. 176
Zerumbet Garziæ, *eſt Zinziber ſylveſt.* 251

FINIS.

INDEX

1. Tanacetum vulgare Matth. Ger. et foliis crispis C.B.P.

1. Balsamita major, Brunf. Costus Hortorum Lob.

2. Balsamita minor Dod. sem. Ger. hirsutum 3. foliis serratis et non serratis, C.B.P.

Draco herba Dod. Dracunculus hortensis, C.B.P. Taschon Arabum

Ambrosia hortensis lanuginosa nobis. Ambrosia Artemisia forsan spec. Gesn. H

4. Ambrosia Virginiana Platani Orientalis folio. V. pag. 4.

1. Artemisia latifol. vulgaris major, nob. vulgaris Clus. Mater herbarum Lob. V. pag. 5.

4. Artemisia tenuifolia Dod. Abrotanum campestre, C.B.P.

1. Absinthium vulgare, Trag. Lob. latifolium, Dod. Ger.

3. Absinthium arborescens, I.B. Lob. Lugd. V. pag. 7.

5. Absinth. maritimum Lavendulæ folio, C.B.P. V. pag. 7.

9. Absinthium tenuifolium Syriacum sive Santonicum spurium, semine tenuissima. V. pag. 9.

14

P. H. Van Hove fecit.

6. *Absinthium tenuifolium odoratissimum Monomotapense, Breynii.* v. pag. 7.

15. *Absinthium tenuifolium incanum, C.B.P. Absinth. Ponticum, Matth.* v. pag. 8.

16. *Absinthium tenuifolium Austriacum, C.B.P.* v. pag. 8.

19. *Absinthium Seriphium Germanicum C.B.P. Belgico simile, Clus.* v. pag. 9.



20. *Absinthium Seriphium Belgicum, I.B. Seriphium s. marinum Anglicum, Park.* v. pag. 9.

21. *Absinthium Seriphium Gallicum, C.B.P. tenuifolium Narbonense I.B.* v. pag. 9.

7. *Absinthium Santonicum Allexandrinum, C.B.P. Semen sanctum s. Sementina, Matth.* v. pag. 7.

13. *Absinthium Santonicum Ægyptiacum, C.B.P.* v. pag. 8.



2. *Abrotanum magnum Camphoratum quibusdam Incensaria, Cam.* v. pag. 11.

1. *Abrotanum mas angustifolium majus, C.B.P. mas vulgare, Park.* v. pag. 11.

3. *Abrotanum mas angustifolium incanum, C.B.P.* v. pag. 11.

8. *Abrotanum mas angustifolium minus, C.B.P.* v. pag. 11.



F. H. van. Houe. Sculp:

12 Abrotonum fœmina folijs teretibus, C.B.P. Chamæcyparissus, Ger. V. pag. 12.

17. Abrotonum fœmina folijs Ericæ. C.B.P. Unguentaria Lutetianorum. V. pag. 12.

22. Abrotonum fœm. folijs longis viridibus, nobis. Ronsmarini folijs. C.B.P. V. pag. 12.

8. Caltha Africana petalis externe ex aureo plumbei, interne albi coloris. pag. 14.

Chrysanth. Ragusanum folio Verbasci, nobis. Aster de Ragusa folijs Verbasci, Zan. v. pag. 18.

48 Chrysanth. Conyzoides Æthiop. capite nudo folijs Majoranæ Breyn. v. pag. 22.

43 Chrysanth. Ericoides capitis Bonæ Spei, Breyn. v. pag. 21.

44 Chrysanth. trifoliatum Virgin: folio acutiore lævi. v. pag. 21.

45 Chrysanth. trifoliatum minus Virgin. folijs obtusioribus, hirsutis. v. pag. 21.

Chrysanth. Americanum folijs aspetis sine pediculis caulibus oppositis. v. pag. 23.

68. Chrysanth. Virgin. folijs asperis tribus ad genicula sitis. v. pag. 24.

69. Chrysanth. Virgin. folijs glabris Scrophulariæ vulgaris æmulis. pag. 24.

56. Chrysanth. arborescens. Æthiopicum Populi albæ folijs, Breyn. v. pag. 23.

MBurghers sculp.

1. Caltha vulgaris, C.B.P. Matth. fuch. Lugd. Calendula Simplici flore, Eyst. v. pag. 13.

3. Caltha polyanthos maxima, C.B.P. multiflora maxima, Tab. Ger.

4. Caltha floribus reflexis, C.B.P. Calendula multiflora orbiculata, Tab. Ger. v. pag. 14.

5. Caltha, Calendula prolifera, nobis. Chrysanthemum proliferum, Lob. Icon.

6. Caltha arvensis, C.B.P. Tab. Ger. v. pag. 14.

1. Chrysanthemum annuum, minus, glaucum segetum, nobis. Chrysanthemum segetum, Tab. Ger. v. pag. 16.

2. Chrysanthemum Creticum annuum majus, foliis in minores lacinias divisis, nobis. Creticum 2. Clus. hist.

3. Chrysanthemum Creticum annuum flore partim candido partim luteo, foliis profundiùs laciniatis, nobis. Creticum mixtum, Eyst.

11. Iacobea Alpina humilis Absinthii umbelliferi foliis incanis, nobis. Chrysanthemum Alpinum incanum foliis laciniatis, C.B.P. Alpinum Clus. hist. 1.

39. Chrysanthemum alpinum, foliis Abrotani multifidis, C.B.P. Alpinum 2. Clus. hist.

42. Chrysanthemum marinum, Gnaphaloïdes, nobis. Gnaphalium marinum tomentosum, Lugd. pag. 22.

7. Chrysanthemum sive Buphthalmum foliis Millefolij fere I.B. v. pag. 16.

v. Caput 20. Sect. 7. pag. 109.

V. pag. 21.

Auspiciis honoratissimi viri, D. Iosephi Sheldon Equitis aurati & Civitatis Londinensis Prætoris dignissimi. anno 167

21. Chrysanthemum cannabinum bidens Amer. caule erecto firmo subrubente. v pag. 18.

20. Chrysanth. cannabin. bidens vulgare, nobis. Eupatorium cannabinum fœm, Ger. pag. 18.

22. Chrysanth. cannabin. bidens foliis integris, nobis. bidens foliis non dissectis, Cæsalp. v. pag. 18.

26. Chrysanthem. Conyzoides cernuum foliis circa florem mollibus, nobis. pag. 19.



25. Chrysanth. Conyzoides foliis circa florem rigidis, nobis. pag. 18.

28. Chrysanth. Conyzoides supinum Monspeliense, nobis Aster Atticus v. pag. 19. 2^m. Clus.

9. Chrysanth. African. Tanaceti folio flo. simplici et pleno majore, nobis. Flos Africanus major flore simplici et flo. pleno, Lob. Ger. v. pag. 17.

12. Chrysanth. Africanum Tanaceti folio procumbens flore simplici et pleno minore, nobis. Tanacetum Africanum siue Flos Africanus minor simplex et multiplex, C.B.P v pag. 17.

14. Chrysanth. Africanum Tanaceti folio flo. simp. et pleno fistuloso, nobis. pag. 17.

16. Chrysanth. Tanaceti fol. foliis tenuissime divisis, nobis. pag. 17.

F. H. van. Houe. sculp:

PLANTÆ CORYMBIFERÆ seu CORYMBOSÆ Chrysanthemæ.

38. Chrysanthemum Alpinum foliis longis tenuiter incisis, C. B. P. v. pag. 21.

41. Chrysanth. perenne minus foliis incanis et alatis. nobis. Bupthalmum vulgare. Clus. Hist. pag. 21.

34. Chrysanth. parvum Bellidis folio, nob. Chrysanth. parvum f. Bellis lutea, I. B. Chab. pag. 19.

74. Chrysanth. Amer. caule alato fol. angusto glabro, nobis. Aster lut. alatus Cornuti. v. pag. 24.

54. Chrysanth. Amer. majus foliis magis dissectis, nobis. v. pag. 22.

53. Chrysanth. Amer. perenne foliis minus dissectis, nobis. Doronicum Americanum, Park. v. pag. 22.

61. Chrysanth. Amer. latifol. radice repente minus. nobis, Aster Virgin. luteus repens, Park. pag. 24.

57. Chrysanth. Amer. tuberosum, nobis. Adenes Laurembergii. Battatas de Canad. Park. v. pag. 23.

36. Chrysanth. Indicum max. annuum non ramosum, nobis. Flos solis Ger. Eyst. v. pag. 20.

37. Chrysanth. Indicum max. annuum ramosum, nobis. Flos solis prolifer, Eyst. v. pag. 20.

52. Chrysanth. perenne minus salicis folio glabro, nobis. pag. 22.

Bellis annua. capitulo aphyllo luteo, nobis.

Chrysanth. African. minimum flosculo nudo cernuo. v. Bellis, 24. Cap. 12. pag. 30.

F. H. van. Houe. Sculp.

23. Chrysanthemum cannabinum Virginianum Cicutariæ folio. v. pag. 18.

55. Chrysanth: perenne Virgin: majus Platani Orientalis folio. v. pag. 22.

59. Chrysanth: Amer: Floris solis folijs et flore. s. Flos solis perennis. v. pag. 23.

60. Chrysanth: Virgin: latifol: radice repente majus. v. pag. 24.

66. Chrysanth: Virgin: elatius angustifolium viride. v. pag. 24.

67. Chrysanth: Virgin: elatius fol: angustionibus et caulibus ferrugineis. v. pag. 24.

75. Chrysanth: caule alato Virgin: majus flore minore aureo. non ramosum. v. pag. 25.

76. Chrysanth: caule alato Virgin: ramosum flo: minore aureo. v. pag. 25.

J. Savage Sculp.

1. Adonis hortensis flore minore atroribente, C.B.P. V.Capu.

1. Bellis sylvestris major caule folioso, C.B.P. V.pag. 28.

4. Bellis Alpina major rigido folio; C.B.P. V.pag. 28.

9. Bellis montana major folio acuto, C.B.P. V.pag. 29.

18. Bellis Tanaceti folio major perennis flo. minore. Tanacetum inodorum Dal: V.pag. 30.

17. Bellis Tanaceti folio minor perennis flore majore. V.pag. 29.

11. Chamæmelum annuum flore maximo capitulis spinosis. V.pag. 36.

26. Bellis sylvestris media monoclonos. V.pag. 30

29. Bellis sylvestris minor monoclonos. C.B.P. V.pag. 30.

30. Bellis hortensis flore pleno. V.pag. 31.

31. Bellis hortensis prolifera. C.B.P. V.pag. 31.

33. Bellis hortensis pediculis foliosis. C.B. Prod. V.pag. 31.



S. sculp.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ.

Section. 6. Tab. 9.

Adonis perennis præcox flore luteo majore, nobis Helleborus Hippocratis, Tab. v. Cap. 10.

Adonis præcox flor. luteo maj. caule geniculato, nobis Helleborus ferulaceus caule geniculato, Mentz. v. pag. 26.

Adonis annua flore majore phœniceo. v. pag. 27.

Adonis annua flo. minimo spicâ tenui longissimâ. v. pag. 27.

16. Bellis major spinosa petalis carens siue nuda, nobis. Bellis spinosa Prosp. Alp. v. pag. 29.

12. Chamæmelum annuum ramosius lanuginosum capitulis hispidis nobis Bupthalmum Cotulæ facie Breynei v. pag. 36.

11. Bellis major elatior fruticescens acutis foliis. radice repente. v. pag. 29.

25. Bellis monoclonos caule bipedali nudo foliis latis, floribus rubris et albis Mentzelij. v. pag. 30.

28. Bellis minima caule procero nudo flore albo Mentzelij. v. pag. 30.

Draconculus Virginianus latifolius petalis florum longissimis purascentibus. v. pag. 42.

4. Sonchus Africanus flore luteo amplo fundo purpureo. v. pag. 61.

11. Sonchus paludosus altissimus hastato folio, nobis. Sonchus arborescens palustris, C.B.P. v. pag. 61.

1 Hieracium glabrum annuum tenuifol. caule sub capite fistuloso re. v. pag. 63.

F. H. van. Hove. sculp:

PLANTÆ CORYMBIFERÆ seu CORYMBOSÆ Leucanthemæ.

5. Dracunculus Alpinus argenteus folijs Absinthij latioribus. HLB Absinthium umbelliferum, C.B.P. V. pag. 40.

6. Dracunculus Alpinus argenteus tenuioribus folijs, nobis. Absinth. 2.dus Alpinum Pona. V. pag. 41.

7. Dracunculus Alpinus argenteus alatis folijs; nobis. Absinth. Alpinum umbellif. 3. Pona.

4. Chamæmelum montanum lanuginosum flo. magno, nobis. Absinth. mont. Abrot. fœm. flore. C.B. in Phyt. V. pag. 35

9. Millefolium Alpinum hirsutum IB Matricaria Alpina Chamæmeli fol. C.B.P. Parthenium Alpinum, Clus. V. pag. 38.

8. Millefolium folijs Abrotoni, nobis. Matricaria fol. Abrotoni, C.B.P. Parthenium θυικόφυλλον Myconi, Lugd. V. pag. 38.

1. Matricaria latifolia vulgaris, C.B.P. Parthenium, Matth. V. pag. 32.

Matricaria vulgaris flore pleno. V. pag. 32.

Matricaria latifolia petalis fistulosis. V. pag. 32.

2. Matricaria flore nudo ſ. petalis carens. V. pag. 32.

Pyrethrum flore Bellidis, C.B.P. Pyrethrum officin. Lob. Ger. Eyst. V. Cap. 14.

5. Matricaria latifolia inodora, C.B.P. Achoavan, P. Alp. V. pag. 32.

4. Matricaria marina ſ. Parthenium marinum, Lob. V. pag. 32.

F. H. Van. Houe. Sculp:

PLANTÆ CORYMBIFERÆ seu CORYMBOSÆ Leucanthemæ. Cap. 16.

Section. 6. Tab. 11.

5. Millefolium maximum umbella alba, C.B.P. et Prod. pag. 38.

14. Millefolium purpureum majus, C.B.P. & Prod. v. pag. 39.

6. Millefolium terrestre vulgare sive minus, C.B.P. v. pag. 38.

16. Millefolium terrestre flore luteo nob. tomentosum luteum, C.B.P. v. pag. 39.



4. Millefolium nobile sive Stratiotes vera Trag. Achilæa s. Millefol. nobile Ger. v. pag. 38.

3. Millefolium Tanaceti, folio. v. pag. 38.

11. Millefolium Alpinum incanum speciosoflore, I.B. v. pag. 39.

12. Millefolium Creticum Stratiotes Millefolia Cretica Prosp. Alp. de Exot. v. pag. 39.

18. Millefolium aquaticum umbellatum Coriandri folio, C.B.P. v. pag. 39.

19. Millefolium aquat. umbellatum capillaceo brevig. folio, C.B.P. v. pag. 40.



F. H. Van. Houe. sculp.

PLANTÆ CORYMBIFERÆ seu CORYMBOSÆ Leucanthemæ, Cap. 15.

7. Chamæmelum vulgare Leucanthemum Dioscoridis, C.B.P. vulgare, Dod. V. pag. 36.

1. Chamæmelum nobile seu odoratius, C.B.P. Idem flore pleno. V. pag. 35.

3. Chamæmelum capitulo aphyllo C.B.P. nudum odoratum, Ger. V. pag. 35.

14. Chamæmelum Æthiopicum lanuginosum, Breynii, V. pag. 36.

8. Chamæmelum annuum serotinum fol. obscure virentibus, nobis. Cotula non fœtida. Dod. Lugd. V. pag. 36.

10. Chamæmelum annuum præcox fœtidum, nobis. Cotula fœtida Dod. Lugd. V. pag. 36.

15. Chamæmelum annuum ramosum Coronopi fol. flore mixto. V. pag. 36.

5. Chamæmelum Alpinum inodorum foliis crassis sinuatis, nobis. Leucanthemum Alpinum, Clus. Hist. V. pag. 35.

1. Dracunculus pratensis serrato folio s. Ptarmica, nobis. Ptarmica Matth. Lob. V. pag. 40.

1. Ageratum flo. candidis Lob. 2. Matth. V. pag. 42.

1. Xeranthemum incanum fœtens flo. minore, nobis. Ptarmicæ Aust. spec. Clus. V. pag. 43.

2. Xeranthemum incanum non fœtens flo. majore. nobis Iacea Oleæ fol. capitulis simplicibus. C.B.P. V. pag. 43.

4. Xeranthemum capitulis Compactis. nobis. Iacea Oleæ folio capitulis compactis C.B.P. V. pag. 44.

F. H. Van. Houe. Sculp:

1. Scabiosa pratensis hirsuta quæ officinarum, C.B.P. vulgaris major Dod. v pag. 45.

5. Scabiosa montana latifolia non laciniata rubra, C.B.P. v pag. 45.

6. Scabiosa Pannonica rubra laciniata. v pag. 45.

7. Scabiosa pratensis nostras S. Morsus Diaboli, nobis. Succisa glabra, C.B.P. v pag. 45.

22. Scabiosa Erucæ-folia odora floribus globosis, nobis. Phyteuma minus, Col. v pag. 48.

10. Scabiosa Alpina Centaurij majoris folio, C.B.P. v pag. 46.

12. Scabiosa fruticans angustifolia alba, C.B.P. v pag. 46.

23. Scabiosa multifido folio flore flavescente, C.B.P. v pag. 48.



16. Scabiosa Conyzoides Amer. lat. ifol. et angust. ifol. Par. Bat. Prod. V pag. 47.

13. Scabiosa annua procerior Agrimoniæ folio flo. albo globoso. v pag. 46.

14. Scabiosa maritima Rutæ Caninæ folio Bocconi. v pag. 48.

P. H. van Hove - Sculp.

11. Scabiosa glabra foliis rigidis viridibus, I.B. V. pag. 46.

14. Scabiosa fruticans latifolia alba, C.B.P. Nona s. æstivalis Clus. Hist. V. pag. 46.

20. Scabiosa major capitulo globoso, C.B.P. Columbaria. Lugd. V. pag. 47.

21. Scabiosa capitulo globoso minor C.B.P. Minor sive media, Ger. V. pag. 48.

26. Scabiosa peregrina rubra capitulo oblongo, C.B. Indica seu sexta Clus. V. pag. 48.

27. Scabiosa Indica prolifero flore Clusij. V. pag. 48.

28. Scabiosa Indica dupliciter prolifera Muntingij. V. pag. 48.

30. Scabiosa tenuifolia flore cinereo Eyst. V. pag. 49.

42. Scabiosa stellata minima C.B.P. et Prod. V. pag. 50.

S. sculp:

25. Scabiosa capitulo globoso foliis in tenuissimas lacinias diuisis. C.B.P. v. pag. 48.

31. Scabiosa stellata folio non dissecto. C.B. Arborea Cretica Pona. v. pag. 49.

36. Scabiosa stellata argentea angustifolia nobis. Argentea angustifol. C.B. Prod. v. pag. 49.



29. Scabiosa Stellata maritima tenuifolia nobis. maritima parua. I.B. Chab. v. pag. 48.

42. Scabiosa tenuifolia semine membranaceo nobis. minor cum pulchro semine I.B. Chab. V. pag. 50.

39. Scabiosa stellata major folio laciniato. C.B.P. Hispanica major Clus. 2. pag. 50.

40. Scabiosa Stellata folio laciniato minor C.B.P. Hispanica minor Clus. v. pag. 50.

43. Scabiosa Globularia dicta elatior caule nudo. nobis Bellis cærulea caule nudo. C.B.P. v. pag. 50.

46. Scabiosa cærulea globosa caule folioso nobis. Bellis cærulea caule folioso. C.B.P. Globularia Monspelien= sium. v. pag. 51.

44. Scabiosa globosa montana repens et frutescens nobis. montana re= pens siue 10. Clus. Hist. v. pag. 50.

Savage sculp.

1. Intybus sativa latifolia S. Endivia vulgaris, C.B.P. Intybum sativum, Dod. Intybus sativa, Ger. v. pag. 53.

1. Intybus sativa angustifolia C.B.P. Intybus Endivia minor angustifolia, Hist. Lugd. v. pag. 53.

3. Intybus crispa, Matth. Intybum crispum Lugd. J.B. v. pag. 53.

1. Cichorium sativum, C.B.P. Cichorium domesticum, Matth. v. pag. 55.

2. Cichorium silvestre seu officinarum, C.B.P. Silvestre, Dod. Park. v. pag. 55.

3. Cichorium spinosum, Matth. C.B.P. & Prod. Cichorium spinosum Creticum, Bell. Pona. v. pag. 55.

Endivia Verrucaria Nobis.
4. Cichorium Verracarium, Matth. Clus. Hist. Chondrilla Verrucaria foliis intybaceis viridibus, C.B.P. v. pag. 53.

9. Endivia Rapifolia Lampsana dicta vulgo nobis. Malè Sonchus affinis C.B.P. Lampsana, Dod. Ad Lob. Lugd. v. pag. 54.

6. Endivia capitulum inclinans semine adunco nigro, nobis. Hieracium facie Hedypnoidis Lob. icon. Ragadiolus, Cas. v. pag. 53.

5. Endivia siliquis falcatis seu stellata nobis. Hieracium falcatum Ger. v. pag. 53.

4. Cichorium Coronopi foliis incanis, nobis. Sesamoides parvum, Matth. Tab. Ger. Chondrilla Cyani capitulo C.B.P. v. pag. 55.

8. Endivia minima caule sub capite fistulosiore, nobis. Hieracium v. 9. fig. 11. dese. Clus. Hist. sine cap. po. v. pag. 53.

1 Lactuca florescens, Matth. Sativa, Dod. Lugd. V. pag. 57.

9. Lactuca Romana longa, dulcis, I.B. Lactuca folio obscurius virente, semine nigro, C.B.P. V. pag. 58.

7. Lactuca folio oblongo, acuto, C.B.P. & Prod. V. pag. 57.

3. Lactuca intybacea, Ger. Tab. folio Endiviæ, Matth. V. pag. 57.

4. Lactuca intybacea crispa, Tab. Ger. Matth. V. pag. 57.

2. Lactuca capitata, C.B.P. Matth. Dod. Tab. Ger. V. pag. 57.

5. Lactuca crispa, & tenuiter dissecta, I.B. V. pag. 57.

17. Lactuca syl. costâ spinosâ, C.B.P. folio dissecto et integro, nobis. V. pag. 58.

16. Lactuca syl. Hirsuta, odore viroso, opii simili, nobis. Agrestis, Lob. icon syl. lato folio, succo viroso, I.B. V. pag. 58.

12. Lactuca longo & valde angusto folio, I.B. V. pag. 58.

5. Sonchus asper, Dod. V. pag. 61.

8. Sonchus asper laciniatus, C. B. P. V. pag. 61.

1. Sonchus lævis laciniatus latifolius, C.B.P. Lævis Matth. V. pag. 80.

2. Sonchus lævis latifolius, Ger. Sonchus lævis paucioribus lacinijs, C.B.P. V. pag. 60.

19. Lactuca mont. laciniata minor, Nobis. Sonchus montanus lævis laciniatus minor, C.B.P. Prod. V. pag. 58.

32. Hieracium folijs inciso laciniatis, Nobis. Sonchus lævis angustifolius, C.B.P. Crepis Dalp. Lugd. V. pag. 67.

1. Hieracium Cichorij folijs, duas pinnas, Nobis. Sonchus latifolius lævitèr hirsutus, C.B.P. Cichorium syl. alterum ἀγκίστρις Seu Cichoreum dulce, Col. V. pag. 65.

9. Sonchus asper laciniatus Creticus, C.B.P. & Prod. Asper laciniatus Creticus semine curvo nobis. V. pag. 61.

14. Sonchus lævis laciniatus mu=ralis parvis floribus C.B.P. Lævis alter Math. V. pag. 62.

2. Chondrilla tomentosa flo. pallidiore, Nobis. Sonchus lanatus Dalp. Lugd. Villosus luteus major, C.B.P. V. pag. 72.

11. Lactuca montana purpura-cærulea major, C.B.P. Sonchus montanus purpureus τετραπέταλον, Col. V. pag. 59.

23. Lactuca montana purpurocærulea minor, Sonchus levior Pannonicus 4. purpureo flore, Clus. hist. V. pag. 59.

10. Sonchus dendroides Dalp. Lugd. V. pag. 61.

Auspiciis Reverendissimi in Christo Patris Jacobi Sharp Sancti Andreæ Archiepiscopi Scotiæ Primatis.

27. Hieracium majus Dentis Leonis folio obtuso. C.B.P. Longius radicatu Ger. V. pag. 66.

35. Hieracium minus Dentis Leonis fol. oblongo glabro, C.B.P. Hyoseris angustifolia, Tab. V. pag. 68.

5. Hierac. Dent. Leon. fol. laevi latiore nobis. Hypochaeris procellia Ger. V. pag. 64.

31. Hierac. minus flo. ex albo carneo, C.B.P. Parvum Cret. Clus. Hist. 499. V. pag. 68.

34. Hierac. medio nigrum Baeticum minus, Park. V. pag. 68.



3. Hierac. Dentis Leonis fol. flore suave-rubente, nob. Apulum flo. suave-rub. Col. V. pag. 64.

4. Hierac. flo. externe croceo Amygdalas amaras olens, nobis. Odore Castorei Magnol V. pag. 64.

32. Hierac. proliferum falcatum C.B.P. Calyce barbato Col. V. pag. 68.

46. Hierac. max. asperum Chondrillae folio C.B.P. et Prod. Park. V. pag. 69.



45. Hieracium asperum Ger. Cichoreum mont. angustifol. hirsutie asperum. C.B.P. V. pag. 69.

19. Hieracium pratense hirsutum vesicarium, nobis. Cichoreum sylvestre vesicarium pratense Col. V. pag. 65.

11. Hieracium Pyrenaicum Blattariae folio minus hirsutum, Schol. Bot. Par. V. pag. 64.

F. H. Van. Houe. Sculp.

38.
Hieracium capitulis Cardui benedicti, C.B.P. Buglossum luteum, Ger. V. pag. 68.

39. Hieracium Alpinum latifolium, hirsutie incanum, flore magno, C.B.P. Latifolium 1. Clusii Ger. V. pag. 69.

37. Hieracium montanum alterum λεοντοδοντοειδες, Col. V. pag. 68.

13. Hieracium pulchrum, I.B. V. pag. 65.

14. Hieracium Erucæfolium hirsutum, I.B. V. pag. 65.

15. Hieracium pulchrum ramosum, Sprengerianum V. pag. 65.

47. Hieracium montanum latifolium, foliis Conyzæ maj. Monspessulanæ, radice tuberosa nobis. Montan. latifol. Genevense foliis Conyzæ maj. Monspessulanæ I.B. V. pag. 69.

54. Hieracium murorum folio pilosissimo, C.B.P. Pulmonaria aurea latifolia 5. Gallica, Ger. Angustifoliæ folium Ger. et majoris folium magis Lacinatum I.B. V. pag. 70.

66.

59. Hieracium fruticosum latifolium hirsutum, C.B.P. Latifolium, Eyst. V. pag. 70.

Hieracium fruticosum angustifolium, C.B.P. Sabaudum, Lugd. Col. V. pag. 71.

62. Hieracii Sabaudi Varietas altera, et Erinus Matth. Sabaudi Varietas I.B. V. pag. 70.

58. Hieracium Alpinum latifolium villosum, magno flore, C.B.P. Villosum 5. Clus. hist. V. pag. 70.

PLANTÆ LACTESCENTES PAPPESCENTES.

18. Lactuca Sylvestris annua folio angustissimo glauco, nobis. Chondrilla viscosa humilis, C.B.P. & Prod. V.pag.58

15. Sonchus lævis laciniatus cæruleus vel Sonchus Alpinus, cæruleus, C.B.P. Sonchus cæruleus S. Sonchocichoreum Cam.ep. V.pag.62.

12. Sonchus hieracites S. Hieracium maj. repens inter segetes et vitis nobis. Hieracium maj. Matth. V.pag.61.

21. Chondrilla juncea viscosa arvensis Dioscdis C.B.P. Chondrilla viminalib⁹ virgis Clus. hist. juncea, flor. V.pag.59.

17.

16. Scorzonera humilis tuberosa Syriaca, Nobis.

20. Lactuca perennis caule foliis obducto, Nob. Chondrilla saxatilis viscosa caule κυημιδοφοδε, Col. V.pag.58.

9. Chondrilla bulbosa s. Chondrilla 2. Dioscdis C.B.P. Pusilla marina lutea bulbosa, Lob. V.pag.73.

Chondrillæ aliud Genus Dioscdis Lugd. V.pag.83.

Chondrilla bulbosa Conyzæ facie, foliis angustioribus, C.B.P. Chondrilla Dioscdis altera Lugd. V. Scorzonerâ, 17. pag.83.

1. Chondrilla foliis Cichorei tomentosis C.B.P. Legitima Clus. hist. prior, Lugd. V.pag.72.

5. Chondrilla purpurascens fœtida, C.B.P. Rubra fœtida Eyst. V.pag.73.

24. Lactuca [illegible] perennis purpuro-cærulea laciniato longo folio, Nobis. Chondrilla cærulea latifolia laciniata, C.B.P. Latifolia cærulea, Ger. V.pag.59.

7. Chondrilla Sicula Tragopogonoides maritima, Bocc. V.pag.73.

13. Dens leonis pumilus saxatilis asper radice fibrosa, Nobis. V. pag. 76.

14. Dens leonis pannis hirsutus caule aphyllo, crispus quando exsiccatus, nobis. Hieracium parvum hirsutum caule aphyllo crispum ubi exsiccatum, I.B. V. pag. 76.

7. Dens leonis foliis profunde laciniatis virore splendentibus, nobis. Hieracium fœtidum 3. Col. V. pag. 75.

5. Piloſella Alpina minima lanugenoſa, nobis. Hieracium pumilum 2. Col. V. pag. 78.

6. Dens leonis Alpinus minimus glaber flore croceo, nobis. Hieracium pumilum 4. Col. V. pag. 75.

2. Hieracium alterum minimum lævius, Col. V. pag. 63.

12. Dens leonis montanus saxatilis calyce longiore, nobis Hieracium montanum saxatile, Col. V. pag. 75.

12. Scorzonera montana angustifolia nonnihil incana, nobis. Hieracium &c. Clus. Hist. V. pag. 82.

43. Hieracium montanum latifolium glabrum, majus & idem minus, C.B.P. Hieracium montanum latifolium majus, Tab.

HIERACIA

44. Hieracium montanum latifol. glabrum minus, C.B.P. V. pag. 69.

29. Hieracium Chondrilla folio glabrum, C.B.P. 5. seu Aphacoides, Tab. Ger. V. pag. 67.

6. Hieracium minus præmorsa radice Park. Lob. 5. Dod. V. pag. 64.

Pilosella major repens hirsuta, C.B.P. Pilosella repens, Ger. V. pag. 77.

3 Pilosella major repens minùs hirsuta, C.B.P. Pilosella maj. Cam. ep. V. pag. 77.

10 Pilosella major erecta, C.B.P. Major, Ger. V. pag. 78.

11. Pilosella montana hispida parvo flore, C.B.P. Maj. umbellifera, μακρόκαυλος, Col. V. pag. 78.

Pilosella atronubens Syriaca, nobis. Indica odorata, Corn. Filosella maj. S. Hieracium hortense latifolium, Ger. V. pag. 78.

1. Dens Leonis, Matth. Dod. V. pag. 74.

9. Dens Leonis Asphodeli radicibus pluribus, in apicem congestis, nobis. Bulbosus Ger. V. pag. 75.

Dens Leonis asper foliis & floribus dentis Leonis bulbosi, nobis. Hieracium, Lob. & cæt.

1. Dens Leonis laciniatus incano folio, nobis. Hieracium 8. folio Hedypnoidis, Clus. hist. V. pag. 75.

13. Dens Leonis saxatilis, pumilus, asper, radice præmorsâ, nobis. Hieracium & cæt. C.B. Prod. V. pag. 76.

12. Dens Leonis montanus hirsutus minor, nobis. Hieracium & cæt. Park. V. pag. 76.

4. Dens Leonis Narbonensis rotundifolius caule aphyllo, nobis. Hieracium & cæt. I.B. V. pag. 75.

Auspicijs Nobilissimi viri, Georgij Gordon, Marchionis de Huntley, Comitis Aznaq, Baronis Gordon, Badenoch et Lochabriæ, &c.

1. Tragopogon pratense luteum majus, C.B.P. V. pag. 79.

3. Tragopogon laciniatum luteum majus, nobis. V. pag. 79.

4. Tragopogon laciniatum luteum minus, nobis. V. pag. 80.

5. Tragopogon purpurocæruleum perri folio, Artifi. vulgo, C.B.P. V. pag. 80.

6. Tragopogon purpurocæruleum crocifolium, C.B.P. Gramineis foliis hirsutis, nobis. V. pag. 80.

7. Tragopogon Gramineis foliis flore suaverubenti, Col. V. pag. 80.

1. Scorzonera latifolia sinuata, C. B. P. major hispanica, Clus. V. pag. 81.

2. Scorzonera latifolia Germanica, Eyst. Pannonica 1. Clus. hist. V. pag. 82.

4. Scorzonera latifolia humilis nervosa. C.B.P. Humilis latifolia S. 2. Pannonica, Clus. hist. V. pag. 82.

10. Scorzonera folijs nervosis, C. B. P. Viperaria humilis, Ger. V. pag. 82.

7. Scorzonera humilis lutea hirsuta, et hirsuto semine, nobis. Tragopogon Apulum humile luteum hirsutum, Col. V. pag. 82.

20. Scorzonera angustifolia subcærulea, C.B.P. Pannonica, 4. Clus. hist. V. pag. 83.

Auspiciis Nobiliß. Archibaldi Com. Argathelie, D. Kintyre, Campbell, & Lorne, Hered. Iusticiarii Generul. S.D.N.R. et Vicec. Argath. Insul. Dharum. & Magni Hospitii, Hereditarii Magistri.

PLANTÆ PAPPESCENTES non Lactescentes.

26. Chrysocome Æthiopica Plantaginis folio, Breynei. V. pag. 88.

23. Chrysocome repens flore ex aureo rutilante siue igneſcente. V. pag. 88.

11. Chrysocome siue Helichrysum Abrotoni fœminæ foliis, Zan. V. Abrotonum, 11. pag. 12.

16. Helichrysum sylvestre majus capit. simplicibus, nob. Helichrisso sylvest. fol. oblongo similis, C. B. Prod. V. pag. 88.

19. Helichrysum annuum majus erectum Virginianum. V. pag. 88.

4. Petasites minor Tussilaginis folio. V. pag. 95.

8. Erigerum Americanum elatius Cichorij folio odore Carotæ. V. pag. 106.

4. Erigerum riscosum Æthiopicum flore purpureo Breynei. V. pag. 106

5. Erigerum Zeylanicum Lampsanæ foliis, Breynei. V. pag. 106.

4. Pseudo-elichrysum Virginianum Halimi foliis. V. pag. 90.

1. Pseudo-elichrysum African. retusis fol. viridibus. V. pag. 90.

1. Helichrysum latifolium flore toto aureo. V. pag. 86.

M. Burghers sculpt. Univ. Oxon.

7. Helichrysum seu Chrysocome angustifolia vulgaris, Clus. Hist. V. pag. 87.

14. Absinthium tenuifolium corymbis compactis, Nobis. Elichrysson foliis Abrotoni, C.B.P. V. pag. 8.

21. Gnaphalium latifolium Americanum, C.B.P. Gnaphalium latifolium peregrinum Eyst. V. pag. 88.

14. Gnaphalium vulgare medium, C.B.P. vulgare, Matth. Filago, Dod. et Ger. V. pag. 92.

3. Gnaphalium minimum erectum, nobis. (perperam repens, C.B.P.) Filago minor, Ger. V. pag. 92.

11. Gnaphalium minus latioribus foliis, C.B.P. Gnaphalium 3. Plateau, Clus. Hist. V. pag. 92.

Gnaphalium majus lato oblongo folio, C.B.P. Gnaphalium 2. Plateau, Clus. Hist. V. Helichrysum ... 18. pag. 88.

1. Gnaphalium majus elatius lato oblongo folio, nobis. Gnaphalium Anglicum, Tab. Ger. V. pag. 91.

10. Gnaphalium Vulgare majus, C.B.P. Filago seu Herba impia Ger. V. pag. 92.

Gnaphalium montanum folio rotundiore, C.B.P. montanum & suaverubens, Ger. V. Chrysocome 29. pag. 89.

5. Gnaphalium Alpinum magno flore, folio brevi, C.B.P. Leontopodium seu Pes leoninus, Ger. V. pag. 92.

17. Gnaphalium roseum hortense, C.B.P. & Prod. V. pag. 93.

Auspicijs Arthuri Champernowne Equitis Aurati de Dartington, Com. Devon.

PLANTÆ PAPPESCENTES non LACTESCENTES.

Tussilago, Petasites, Cacalia, Iacobæa.

1. Tussilago, vulgaris, C.B.P. Tussilago, Matth. Dod. Ungula Caballina, Trag. V. pag. 130.

Tussilago Alpina rotundifolia, canescens, C.B.P. V. pag. 130.

1. Petasites major vulgaris, C.B.P. Petasites Alpina, Clus. Hist. V. pag. 95.

3. Petasites minor, C.B.P. Petasites fl. albo, Cam. ep. Eyst. V. pag. 9[illegible]

1. Cacalia foliis crassis hirsutis, C.B.P. Cacalia minima incano folio, Clus. Hist. Lugd. V. pag. 94.

6. Cacalia foliis cutaneis acutioribus & glabris, C.B.P. Cacalia glabro folio, Clus. Hist. V. pag. 94.

2. Iacobæa incana segmentis acutioribus. V. pag. 108.

8. Iacobæa marina tenuiore folio. V. pag. 109.

20. Iacobæa Alpina rotundifolia laciniata flore Bupthalmi, C.B.P. Pannonica 3. Clus. Hist. V. pag. 110.

28. Iacobæa montana angustifolia lanuginosa non laciniata, C.B.P. Pannonica 2. Clus. Hist. V. pag. 111.

15. Iacobæa Sicula Chrysanthemi facie, Bocconi. V. pag. 109.

13. Iacobæa multifida umbellata annua, Bocconi V. pag. 109.

PLANTÆ PAPPESCENTES non Lactescentes.

Section. 7. Tab. 13.

12. Virga aurea Virginiana folio serrato parvis floribus. V. pag. 125.

27. Virga aurea Virginiana folio angusto non serrato parvis floribus speciosis. V. pag. 125.

17. Virga aurea Limonij folio perforato, panicula uno versu disposita, nob. V. pag. 124.

29. Virga aurea Linariæ folio nobis. Linaria aurea Tragi. V. pag. 125.

1. Eupatorium Matthioli. Cannabinum CB. P. V. pag. 97.

4. Eupatorium Enulæ folio, Cornuti. V. pag. 97.

Serratula vulg. V. pag. 133.

8. Gnaphalium Polij sapore, Polium Gnaphaloides, Prosp. Alp. V. pag. 92.

4. Gnaphalium Alpin. mag. flo. folio oblongo CB. P. Leontopodium parvum Ger. V. pag. 92.

6. Gnaphalium Alpinum Ger. Leontopodium parvum Lob. V. pag. 92.

25. Leontopodium Creticum Clus. Hist. V. pag. 260.

26. Leontopodium Creticum aliud Clus. Hist. V. pag. 260.

F. H. Van. Houe. Sculp.

Valerianæ.

1 Valeriana hortensis Phu folio Olus atri Dioscoridis, C.B.P. Valeriana hortensis, Dod. Ger. V. pag. 101.



2 Valeriana major silvestris, C.B.P. Ger. V. pag. 101.

7 Valeriana foliis Calcitrapæ, C.B.P. Valeriana annua seu æstiva, Clus. Hist. V. pag. 101.

5 Valeriana palustris minor, C.B.P. Valeriana minima seu palustris, Ger. V. pag. 101.

10. Valeriana silvestris Alpina 1.ª latifolia, Clus. Hist. V. pag. 102.



Valeriana montana fol. subrotundo, C.B.P. Valeriana montana, Lugd.

7. Valeriana Alpina Nardo Celticæ similis, C.B.P. silvestris Alpina 2.ª saxatilis, Clus. Hist. V. pag. 102.

15. Valeriana marina latifolia major, nobis. Valeriana rubra, Dod. V. pag. 102.

16. Valeriana marina angustifolia nobis. Valeriana rubra angustifolia, I.B. 7.ma in Prod. C.B. V. pag. 102.

11. Valeriana Alpina Scrophulariæ folio. C. B. P. et Prod. V. pag. 102.

19. Valeriana tuberosa rotunda nobis. bulbosa. J. B. V. pag. 103.

7. Cacalia Virginiana glabra, foliis subtus glaucis. V. pag. 94.

4. Valeriana Œnanthes radice, nob. Nardus Cretica Filipendula radice. C. B. P. V. pag. 101.

21. Valeriana tuberosa longa, nobis. V. pag. 103.

Nardus montana radice subrotunda. nobis.

20. Nardus montana radice olivari. C. B. P. V. pag. 103.

22. Nardus Celtica Dioscoridis. C. B. P. V. pag. 103.

25. Nardus Celtica repens Ger. Celtica altera. C. B. P. V. pag. 103.

24. Nardus sive Saliunca Neapolitana. C. B. P. V. pag. 103.

26. Nardo Celtica similis. Hirculus. J. B. V. pag. 103.

Joh.s Savage sculpt.

VALERIANELLÆ.

27. Valerianella peregrina cornucopoides Siciliana vel Indica, nobis. Valeriana Indica, Clus. Hist. V. pag. 104.

28. Valerianella cornucopoides echinata alba, Col. V. pag. 104.



29. Valerianella Scabiosæ semine major Lusitanica, nobis. V. pag. 104.

30. Valerianella Scabiosæ semine minor Blæsensis, nobis. V. pag. 104.

32. Valerianella semine umbilicato nudo rotundo, nobis. Valerianella altera nudo umbilicato & brevi semine, Col. V. pag. 104.

31. Valerianella semine umbilicato nudo oblongo, nobis. V. pag. 104.

33. Valerianella major semine umbilicato hirsuto, nobis. V. pag. 104.

35. Valerianella minor semine umbilicato hirsuto, nobis. V. pag. 104.

37. Valerianella serotina elatior fl. albo, semine turgidiore, nobis. V. pag. 105.

36. Valerianella arvensis præcox humilis flore dilute cæruleo semine compresso, nobis. Lactuca agnina, Ger. Olus album. Dod.



PLANTÆ PAPPESCENTES non LACTESCENTES.

Iacobæa, Senecio, Elichrysum, Stæchas.

7 Iacobæa maritima latifolia C.B.P. & Prod. Iacobæa maritima altera, S. minor. Park.
V pag. 109.

21. Iacobæa foliis rotundis serratis, C.B.P. & Prod. Iacobæa rotundifolia incana, Park.
V pag. 110.

18. Iacobæa follis longis glabris profunde serratis, nobis. Iacobæa latifolia. I.B.
V pag. 110.

10. Iacobæa silvatica tomentosa Cichorii sylvestris folio nobis. Erigerum tomentosum. Lob. Icon. Park.
V pag. 109.

25 Iacobæa folio serrato sed non laciniato, nobis. Senecionis genus Myconi, Lugd.
V. pag. 110.

1. Senecio minor vulgaris C.B.P. Erigerum, I.B. Park. Erigerum tomentosum alterum, Ger.
V. pag. 106.

2. Senecio viscidus major & odoratus, foliis Iacobææ nobis. Erigerum tomentosum, Ger.

7. Senecio Indicus Atriplicis folio glabro.
V. pag. 106.

8. Elichrysum sive Stæchas citrina altera Italica I.B. 155.
V. pag. 17.

22. Helichrysum German. caulibus deciduis latiore folio Nob.
V. pag. 17.

4. Stæchas citrina Cretica amplo flore, Park.
V. pag. 86.

15 Helichrys. sylvest. flo. oblongo, C.B.P.
V. pag. 87.

16 Helichrys. capit. singular. brevioribus, Nob.
V. pag. 90.

4 Pseudo-Elich. Virgin. Halimi folio.
V. pag. 90.

Savage sculp.

PLANTÆ Pappescentes non Lactescentes.

1. Iacobæa vulgaris laciniata, C.B.P. Iacobæa vulgaris, Clus. V. pag. 108.

7. Iacobæa maritima siue Cineraria latifolia, C.B.P. V. pag. 109.

29. Iacobæa Æthiopica Lavendulæ folio, Breyn. V. pag. 111.

31. Iacobæa Æthiopica Laricis folio, Breynei. V. pag. 111.

32. Iacobæa spicata Monomotapensis, Breynei. V. pag. 111.

33. Iacobæa latifolia tuberosa Cap. Bon. Spei. Breynei. V. pag. 111.

23. Conyza nodiflora Mexicana Tzicatzon tecomatl. dict. Hernand. V. pag. 115.

38. Aster Mexicanus Erini folio. Tlanpanxihuitl dict. Hernand. V. pag. 121.

11. Eupatorium Schrophulariæ folio flo. albo, nob. Valeriana Urticæ folio Cornuti. V. pag. 98.

13. Valeriana Urticæ folio Canadensis flo. violaceo, Cornuti. V. pag. 102.

7. Eupatorium Amer. folio molli Althææ ad instar flo. carneo. V. pag. 97.

3. Eupatorium Amer. fol. rugosis latioribus flo. purpurascente. V. pag. 97.

10. Eupatorium Ericoides Cap. Bon. Spei. Breyn. V. pag. 97.

P. H. van Roue. sculp:

11. Conyza major vera, Lob. V. pag. 114.

23. Conyza major vulgaris, C.B.P. Baccharis Monſpelienſium, Ger. Vid. Eupatorium, pag. 99.

5. Conyza major altera, C.B.P. Baccharis Dioſc. Raiwolf. V. Chryſocome 5. pag. 87.

1. Conyza Pannonica lanuginoſa, C.B.P. 3ª Clus. Hiſt. V. pag. 113.

3 Jacobæa longifolia integra pedicutis donata. Conyza Helenitis Melita incana, Lob. V. pag. 110.

2. Conyza Helenitis piloſa, Lob. V. pag. 113.

24 Jacobæa aquatfol. magis diſſectis Conyza paluſtris folijs laciniatis, C.B.P. V. pag. 110.

4. Conyza montana lutea oblongis folijs, C.B.P. V. pag. 113.

8. Conyzis affinis, C.B.P. Britannica Geſneri, Lob. V. pag. 113.

22 Jacobæa folijs longis integris et mucronatis Conyza paluſtris ſerrati-folia. C.B.P. V. pag. 110.

26. Conyzis affinis Germanica, C.B.P. V. Eupatorium pag. 99.

7. Conyza media Asteris flore luteo C.B.P. V. pag. 113.

20. Conyza marina, Lugd. Park. V. pag. 114.

19. Conyza montana folijs glutinoſis piloſis. C.B.P. V. pag. 114.

22. Conyza Virgin. lutea Lini folio acutiore. V. pag. 114.

F. H. Van. Houe. Sculp.

Conyza.

14. Conyzà capitata seu globosa, Boccon. V. pag. 114.

28. Conyza Sicula annua lutea foliis atroviridibus caule nutante, Bocc. V. pag. 115.

1. Pseudohelichrysum fruteſcens rotundis foliis. Conyza Melitensis rotundis foliis, Boccon. V. pag. 90.

11. Aster multiflorus &c. Nobis. Conyzæ media Monspeliens affinis multiflora, I.B. V. pag. 119.

9. Conyzæ mediæ ſpecies foliis Virgæ aureæ, I.B. V. pag. 113.

8. Conyza Syriæ quibusdam, I.B. Conyza Syria Lugd. App. V. pag. 114.

12. Conyza minor vera, Lob. Icon. V. pag. 114.

30. Chryſanthemum conyzoides palustre. Conyza minor flore globoso C.B.P. Conyza minima, Dod. Lob. Lugd. V. pag. 19.

25. Conyza perennis acris cærulea, nobis. Acris cærulea, C.B.P. Erigenum 4. Dod. V. pag. 115.

29. Conyza annua acris alba Linaria foliis, nobis. & Boccon. V. pag. 115.

15. Conyza marina tuberoſa, nobis. Conyza marina, I.B. V. pag. 114.

32. Conyza Helichryſoides capit. argenti. Africana. V. pag. 115.

1. Aster luteus major fol. Succisæ, C.B.P. V.pag.117.

2. Aster lut. hirsut salicis folio, C.B.P. V.pag.118.

10. Aster mont. lut. salicis folio glabro, C.B.P. V.pag.118.

15. Aster lut. Linariæ rigido folio glabro, C.B.P. V.pag.119.

12. Aster mont. lut. magno flore, C.B.P. V.pag.119.

Folijs hirsutis variat Aster hirsutus quartus, Ger.

42. Aster Virginianus albus ramosus serotinus parvis floribus, Trade. scanti V.pag.121.

6. Aster conyzoides odoratus lut. Eyst. V.pag.118

6. Aster luteus rad. odora, C.B.P. V.pag.113.

16. Aster marit. s. littoreus spisso folio angusto. Crithmum Chrysanthemum, Dod. V.pag.119.

10. Aster tomentos. lut. Verbasci folio Bocconi. V.pag.119.

F. H. Van. Houe. Sculp:

17. Aster Atticus cæruleus vulgaris, C.B.P. Cæruleus Italicus Clus. Hist. V.pag.119.

22. Aster montanus cæruleus magno flore folijs oblongis, C.B.P. V.pag.120.

18. Aster Atticus Alpinus alter, C.B.P. V.pag.118.

30. Aster Tripolij flore Linariæfolio medio purpureo, Lob. V.pag.120.

26. Aster Salicis folio flore cæruleo radice repente. V.pag.120.

34. Aster cæruleus humilior ramosus parvis floribus, nobis. Asteriscus autumnalis, Corn. V.pag.121.

36. Aster littoreus pinguis major, nobis. Tripolium majus cæruleum, C.B.P. V.pag.121.

37. Aster littoreus pinguis minor, nob. Tripolium minus C.B.P. Lob.

24. Aster hirsutus flore pallide-cæruleo majore folijs multis angustis, serratis. V.pag.120.

47. Aster albus ramosus latifolius annuus Canadensis, nob. Bellis ramosa umbellifera, Cornuti. V.pag.122.

7. Aster Conyzoides Gesneri Park. Ger. emac. V.pag.118.

8. Aster Conyzoides supinus Africanus, Park. V.pag.118.

F. H. Van. Houe. Sculp.

Virga Aurea.

2. Virga aurea major vel Dorea, CBP. Dorea Narbonensis, quasi aurea Eyst. V. pag. 123.

11. Virga aurea seu Herba dorea minor, Park.

3. Virga aurea angustifolia serrata CBP. Solidago Saracenica Dod. Consolida Saracenica Eyst. V. pag. 104.

4. Virga aurea latifolia serrata CBP. Virga aurea margine crenato, Dod. Virga aurea Cam. Ep. V. pag. 104.

20. Virga aurea longifolia minus serrata, CBP. Virga aurea, folijs non serratis Cam. Ep. V. pag. 125.

4. Aster flos lutmagno Limonii folio, nobis Consolida aurea nemorum Limonii folio, Lob. Icon. V. pag. 118.

16. Virga aurea Canadensis amplo flore, foliis latioribus non serratis, nobis. V. pag. 124.

15. Virga aurea Canadensis amplo flore foliis angustioribus non serratis, nobis. V. pag. 124.

26. Virga aurea flore minus amplo, folijs latioribus non serratis, Nobis. V. pag. 125.

22. Virga aurea flore minus amplo, folijs latioribus serratis, Nobis. V. pag. 125.

23. Virga aurea floribus fistulosis Senecionis instar foliis latioribus serratis, nobis.

27. Virga aurea floribus fistulosis Senecionis instar foliis angustioribus non serratis, nobis. V. pag. 125

8. Doronicum radice dulci. C.B.P. 3. Austriacum, 2. Clus. Hist. V. pag. 128.

3. Doronicum brachiatâ radice. Lob. Icon, Park. V. pag. 127.

1. Doronicum radice Scorpij, C.B.P. Majus officinarum, Ger. V. pag. 127.

2. Doronicum radice Scorpij repente, Nobis. Aconitum radice Scorpij, Dal. Lugd.

9. Doronicum Plantaginis, folio. C.B.P. Minus officinarum, Ger. V. pag. 128.

10. Doronicum Helveticum humile crassis folijs, C.B.P. V. pag. 128.

6. Doronicum Germanicum Clus. Hist. Calendula Alpina, Ger. V. pag. 127.

7. Doronicum longifolium hirsutie asperum. C.B.P. Angustifolium Austriacum, Ger. V. pag. 128



13. Doronicum latifolium flore magno, C.B.P. 4. Stiriacum, Clus. Hist. V. pag. 128.

4. Doronicum maximum folijs caulem amplexantibus, C.B.P. Austriacum, 3. Clus. Hist. V. pag. 127.

Helenium vulgare. C.B.P. Enula Campana, Gesneri. V. pag. 129.

F. sculp.

PLANTÆ Pappescentes Capitatæ non Spinosæ.

Section 7. Tab. 25.

1. Cyanus montanus perennis latifolius flore grandi nobis. Major. Matth. Dod. V. pag. 134.

2. Lacea peren: supina latiore folio capitule squarroso, Nob. Cyanus repens latifolius. Park. V. pag. 139.

3. Lacea peren. supina angusti-fol: capit. squamoso nob. V. pag. 139.

2. Stœbe Spinosa Cretica, Park. Cyanus peren: spinosus Creticus. Pona V. pag. 136.

4. Cyanus segetum C. B. P. Arvensis cæruleus Fust. V. pag. 134.

5. Cyanus Orientalis foliis magis dissectis flo. rubro et albo. Park. V. pag. 135.

9. Cyanus Orient: fol. minus dissectis flore luteo.

1. Centaurium majus foliis in plures lacinias divisis. C. B. P. V. pag. 131.

9. Centaurium majus foliis non dissectis. C. B. P. V. pag. 132.

5. Centaurium majus luteum, Cornuti. V. pag. 132.

2. Centaurium foliis Cinaræ, Cornuti: V. pag. 131.

7. Centaurium ſ: Rha. capitatum foliis Enulæ. Lugd. V. pag. 132.

3. Centaurium ciliare annuum fol. laciniatis serratis nobis Crupina Belgarum. V. pag. 131.

I. Savage sculp.

PLANTÆ Pappescentes Capitatæ.

6. Iacea capitulis hirsutis Boelij, Ger. V. pag. 142.

18. Iacea folio trifido vel quinquifido, Nob. sive Iacea cyanoides echinato capite, C.B.P. Stœbe salamant. 2. Clus. V. pag. 143.

19. Iacea incana montana Capite Rni. C. B. P. V. pag. 141.

11. Iacea montana incana odora, C.B.P. Montana Narbonens, Lob. V. pag. 140.

20. Iacea montana candidissima Stœbes folio, C.B.P. V. pag. 141.

5. Stœbe capit. minoribus hirsutior Nobis. Iacea incana Cijani capitulis, C.B.P. Stœbe incana alt. &c. Lob. icon. V. pag. 137.

14. Iacea major foliis cichoraceis mollibus, Nobis. Stœbe Salamant.ti Clus. V. pag. 140.

16. Iacea elatior calyculis argenteis Nob. Stœbe caliculis argenteis. C.B.P. Salamant. 3.ª Clus. Hist. V. pag. 140.

4. Stœbe Plantaginis folio Park. Prosp. Alp. de Exot. V. pag. 136.

20. Iacea peregrina Napifolia capit. hirsutis alata. V. pag. 144.

6. Stœbe fruticosa latifolia, Park. Pros. Alp. de Exot. V. pag. 137.

8. Stœbe fruticosa Cretica Piciæ angustis foliis V. pag. 137.

F. H. van. Houe. sculp:

29. Eupatorio affinis Zeylanica foliis Ulmi Breynei V. pag. 99.

5. Centaurium majus Afric. flore aureo odorato Breynei V. pag. 133.

22. Iacea argentea Ragusiana Zanoni. V. pag. 144.

7. Stæbe incana Cyani majoris folio in aculeum desinente. V. pag. 137.

10. Stæbe Virgin. tuberosa capitulis sessilibus squamis foliaceis, acutis. V. pag. 137.

9. Iacea sphærocephalos Tingitana. V. pag. 143.

15. Iacea spinosa Cretica Cichorij fol. nob. Spinosa Cretica Zan. V. pag. 143.

4. Iacea latifol. capitulis spinos. purchris flo. purp. I. B. V. pag. 142.

12. Iacea laciniata incana capitulis Cirsij I. B. V. pag. 140.

7. Iacea Sonchi folio, C. B. P. et Prod. V. pag. 142.

10. Cirsium foljs non dentatis viridibus Cirsium, Basinense. V. pag. 149.

Cnicus sativus siue Carthamus officinarum, C. B. P. V. pag. 145

P. H. Van. Hove. Sculp:

Plantæ Pappescentes capitatæ.

10. Iacea nigra laciniata Park. Nigra, Tab. V. pag. 140.

1. Stæbe capitata Rorismarini folio, Ponæ. Iacea fruticans Pini folio C.B.P. V. pag. 136.

1. Iacea latifolia capite hirsuto, C.B.P. V. pag. 142.

9. Iacea Lusitanica semper virens, Hort. Reg. Blef. V. pag. 139.

10 Centaurium majus incanum Helenij folio flore luteo, Nobis. V. pag. 132.

28. Iacea Melitensis capitulis conglobatis, Bocc. V. pag. 145.

15. Iacea elatior capitulis non splendentibus. Stæbe, C.B.P. V. pag. 140.

1. Iacea nigra pratensis latifolia C.B.P. V. pag. 144.

25. Iacea laciniata lutea, C.B.P. V. pag. 144.

18. Iacea humilis Hieracij folio, Lugd. C.B.P. V. pag. 140.

23. Iacea lutea spinosa Centauroides, C. B. P. V. pag. 144.

24. Iacea lutea major, Lob. Ger. Lutea capite spinoso, C.B.P. V. pag. 144.

26. Iacea Sicula Cichorij folio flore luteo, Bocc. V. pag. 144.



P. H. van. Houe. Sculp.

Plantæ Pappescentes capitatæ molliores.

20 Cirsium fibros. fol. latioribus et angustioribus viridibus.
Carduus pratensis latifolius, C.B.P. pratensis Tragi. Lob.
V. pag. 150.

Carduus pratensis foliis tenuibus, C.B.P. Erisithales Lugd.
V. pag. 150.

11 Cirsium polyanth. hastato folio Nob.
Carduus mollis foliis Heleni, C.B.P. Carduus mollis, Cam.
V. pag. 148.

6. Cirsium fibrosum foliis sinuatis, nob. Carduus mollis fol. Heleni C.B.P.
V. pag. 149.

9. Cirsium singularibus capitulis parvis, C.B.P. 3. montanū. Clus.
V. pag. 149.

13. Cirsium angustifolium non laciniatum. C.B.P. Pan. 1. Clus.
V. pag. 150.

8. Cirsium montanum capitulis compactis. Park. Agri Pisani Cæs.
V. pag. 149.

18. Cirsium majus singulari capitulo C. B. P.
V. pag. 150.

12. Cirsium majus singulari capitulo magno vel incanum variediffect. C.B.P. Anglicum Lob.
V. pag. 149.

19. Carduus mollis laciniato folio, C.B.P. V. Cirsium, 19. pag. 150.

27. Carduus pratensis Asphodeli radice latifolius, C.B.P. Bulbosus Monsp.
V. Cirsium, 27. pag. 151.

28. Carduus pratensis Asphodeli radice foliis profunde laciniatis, C.B.P.
V. Cirsium, 28. pag. 151.

23. Cirsium max. fol. carnosis viridibus latis Asphodeli radicibus.
V. pag. 150.

11. Cirsium Britan. repens nodosum, nobis Anglicum 2. Clus.
V. pag. 149.

P. H. van. Hove. Sculp:

Auspicijs Iohannis Illustrissimi Comitis de Melford, Vicecomitis de Forth, Baronis Drummond de Rickartone, Castlemain & Golstone, Regij Secretarij Principalis pro Regno Scotiæ & Regi a Consilijs pro utroq; Regno Anglicæ & Scotiæ

Plantæ Pappescentes capitatæ spinosæ.

Section 7. Tab 30.

2. *Acanthium Syriacum capitulis majoribus.* V. pag. 152.

1. *Acanthium siue Spina alba* 2.da *Matth. ed. Bauh. Acanthium vulgare primi anni.*

3. *Acanthium Illiricum, Ad. Lob.* V. pag. 152.



1. *Acanthium vulgare, Tab. Park* V. pag. 152.

11. *Carduus alatus capitulis pluribus nutantibus ramosior, nobis. Onopyxus Lugd.* V. pag. 153.

9. *Carduus latifol. echinos purp. obsoletæ ferens. C.B.P. Acanus, Park.* V. pag. 155.

1. *Carduus albis maculis notatus. C.B.P. Mariæ, Trag.* V. pag. 155.



5. *Carduus lacteus Syriacus. Cam.* V. pag. 155.

17. *Carduus minor pulchrior galactites. I. B.* V. pag. 154.

6. *Carduus minimus lacteus, Hacub. quibusdam Sylibum, I.B.* V. pag. 154.



F. H. Van. Houe. Sculp:

Auspicijs Honoratissimi D.ni Iacobi Comitis de Perth D.ni Drummond & Stobhall &c. Magni Cancellarij Scotiæ & e Consilijs Regijs

Plantæ Pappescentes capitatæ spinosæ.

6. Carduus moschatus major capite nutante, nobis. Carduus moschatus, Ger.
V. pag. 152.

8. Carduus lanceatus superficie folij spinosa, nobis. Lanceatus ferocior, I.B.
V. pag. 153.

7. Carduus lanceatus latifolius, C. B. P.
V. pag. 153.

9. Carduus tomentosus capitulo rotundo, C.B.P. Corona fratrum, Park.
V. pag. 155.

10. Carduus tomentosus capitulo minore, C.B.P.
V. pag. 155.

Carduus tomentosus capitulis minimè aculeatis, I.B. Vid. Cirsium
V. pag. 150.

11. Carduus tomentosus capitulis echinatis, C.B.P.
V. pag. 156.

13. Carduus alatus capit. longiusculo, foliis pallide virentibus, nobis. Polyacanthus, 2.dus Ger.
V. pag. 153.

6. Carduus flore luteo sive Acarna capitulis parvis in umbella, C.B.P.
V. pag. 162.

5. Carduus luteus sive Acarna flore luteo pa= tulo, C.B.P. Carlina sylvestris minor, Ger.
V. pag. 162.

1. Melo-carduus aphijllos spinis ad angulos ap= positis, nobis. Melo-carduus echinatus Ger.
V. pag. 170

F. H. Van. Houe. Sculp:

Auspicijs Honoratissimi Ricardi Domini de Maitland, Serenissº Regi Carolo 2º pro Regno Scotiæ Iusticiarij Clerici Capitalis & a Secretioribus Consilijs, Caroli Comitis de Lau= derdale filij natu maximi.

Plantæ Pappescentes capitatæ spinosæ.

Section 7. Tab. 32.

16. Carduus caule alato spinis longioribus flavis, Nobis. Chamæleon niger Salmanticensis. Clus.
V. pag. 154.

13. Carduus caule alato erectus angustifol. in humidis, Nobis. Carduus polyacanthus tertius Ger. emac.
V. pag. 153.

16. Carduus spinosissimus segetibus frequens. C. B. P. Avenarius Park.
V. pag. 156.

14. Carduus vulgatissimus vlarum Ger. Vinearum repens foliis Sonchi. C. B. P.
V. pag. 156.

8. Carduus totus spinosus ad instar Iuniperi, Nobis. Drypis Theoph.
V. pag. 161.



12. Carduus sive Carlina acaulos flore minore purpureo, Nobis. Carlina acaulos Septentrionalis Lob.
V. pag. 156.

22 Iacea stellata foliis minus divisis Carduus stellatus latifolius caulescens, C. B. P.
V. pag. 144.

21 Iacea ramosissima stellata, Nobis. Carduus stellatus foliis Papaveris erratici, C. B. P. Stellatus sive Calcitrapa, I. B.
V. pag. 144.

3. Stœbe Leucoij foliis subtus incanis, Nob. Carduus stellatus Leucoij folio flosculis, conniventibus.
V. pag. 136.

4. Lappa montana altera lanuginosa, C. B. P. Arctium quorundam, Lugd.
V. pag. 147.

1. Lappa sive Bardana major vulgaris Arctium Dioscoridis. C. B. P.
V. pag. 146.

2. Lappa major capitulis tomentosis, C. B. P.
V. pag. 147.

F. H. Van. Houe. Sculp.

Auspicijs Honoratissimi D.ni Caroli Comitis de Middeltone D.ni Clairmont & Fittercairne & pro utroq. regno Angliæ & Scotiæ Regiæ Majestati Secretarij principalis

PLANTÆ Pappescentes capitatæ spinosæ.

1. Carduus non aculeatus Matth. Cinara hortensis non aculeata, C.B.P. V. pag. 157.

7. Cinara spinosa cujus pediculi esitantur, C.B.P. V. pag. 158.

8. Cinara sylv. Cretica, C.B.P. Agriocinara Cret. Ponæ, Ital. V. pag. 158.

3. Carduus Xeranthemos acaulos albus, Nobis. Carlina acaulos magno flore, C.B.P. V. pag. 162.

4. Carduus Xeranthemos caulescens, Nob. Carlina caulescens magno flore, C. B. P. V. pag. 162.

11. Carduus violaceus humilis gummifer, Nob. Carlina acaulos Gummifera, C.B.P. V. pag. 158.

17. Carduus capitulis plurimis violaceis corymbatim dispositis, Nobis. Chamæleon niger umbellatus flo. cæruleo hyacinthino. C.B.P. V. pag. 159.

16. Carduus cæruleus spinis ternis. Polyacanthus Cassabonæ Acarnæ similis I.B. Acarna The. Imp. V. pag. 159.

18. Carduus Cnicci facie foliis dissectioribus, Nob. Cnicus cæruleus asperior, C.B.P. alter Clus. Hist. V. pag. 159.

13. Carduus Eryngioides sive Carduncellus montis Lupi Lob. icon, Eryngium montan. minimum capitulo magno, C.B. V. pag. 158.

9. Carduus humilis Tingitanus cæruleus. V. pag. 159.

20. Cardus Creticus minimus, Park. V. pag. 159.

15. Carduus Eryngioides capite spinoso, Prosp. Alp. de Exot. V. pag. 159.

F. H. Van. Houe. Sculp.

Auspicijs D.ni Georgij Mackenzi a Valle Rosarum Advocati Regij apud Scotos.

Plantæ Pappescentes capitatæ.

1. Carduus sudorificus et amarus luteus, Nobis. Carduus benedictus, Ger.
V. pag. 160.



1. Cnicus singularis, Prosp. Alp. Atractylis vera flore luteo I. Bauh.
V. pag. 146.

6. Acarna flore luteo, I. Bauh. Acarna Valerandi Dourez, Ger.
V. pag. 161.

19. Carduus Cnici facie cæruleus major, Tingitanus
V. pag. 159.

1. Carduus Xeranthemos flore purpuro rubente patulo.
V. pag. 163.

29. Lacea lutea Sabauda, Nobis. Carduus stellatus major luteus foliis Cyani
V. pag. 145.

7. Carduus Xeranthemos Hispanicus, perennis. Carlina sijlvestris minor Hisp. Clus. Hist.
V. pag. 163.

27. Lacea lutea foliis Cyani Nob. Carduus stellatus minor foliis Cyani, C.B.P. Carduus solstitialis, Dod.
V. pag. 145.

2 Carduus luteus ramulis fusum, referentibus. Atractylis lutea, C.B.P.
V. pag. 160.

5. Acarna minor caule non folioso. C.B.P. Leo Cardus ferox. Ger.
V. pag. 160.

12. Carduus Pinea sive Ixine Theophrasti, Park.
V. pag. 159.

M. Burghers sculp.

Auspicijs Georgij Morison de Bogny, Scoti qui à Morosinorum familia Venetijs (vt fertur) ortus, hujus Cognominis in Borealj nostra Regione. facile princeps et Dux.

1. Carduus sphærocephalus latifolius major & vulgaris flore albo, nobis. Carduus Globosus Ger. V. pag. 163.

3. Carduus sphærocephalus minor cæruleus, C.B.P. Crocodilium Monspelienſium, Dal. Lugd. V. pag. 163.

4. Carduus sphærocephalus capitulo spinis longis armato, C.B.P. sphærocephalus aculeatus Dod. Lugd. V. pag. 163.

6. Carduus sphærocephalus annuus Beticus minor, nobis. sphærocephalus annuus, Cam. hort. V. pag. 164.

8. Carduus tomentosus capitulo latiore, nobis. Spina Arabica Dios. & Plinii Matth. emendat. V. pag. 155.

Scolymus Chrysanthemus perennis, lacteſcens, albis maculis notatus, nobis. Carduus Chrysanthemus Narbonenſis Lob. V. Cichorium 7. pag. 55.

Scolymus Chrysanthemus annuus, lacteſcens, albis maculis notatus, Nobis. Carduus Chrysanthemus Hispanicus Ger. V. Cichor. 9. pag. 55.

2. Eryngium montanum amethystinum, C.B.P. Eryngium totum Cæruleum, Eyst. montanum Cæruleum Col. V. pag. 165.

15. Eryngium montanum pumilum, C.B.P. Pumilum Hispanicum, Clus. hist. Tab. Dod. Ger. V. pag. 166.

10. Eryngium Alpinum planum Capitulis Dipsaci fl. cæruleo & albo, nobis. planum, Matth. Dod. V. pag. 166.

9. Eryngium latifolium planum, C.B.P. Pannonicum latifolium, Eyst. Pannonicum latifolium I. Clus. hist. V. pag. 165.

VINCERE VEL MORI

Sub Auſpiciis Generoſi Viri Andreæ Macdonall ex inclyta Antiquâ Gartlandiæ familia Macdonallorum Gentis principe ſonundi, ſocietatis Scotorum Londini, Magiſtri anno 1675

CARDUI impropriè dicti, quorum semina non sunt Papposa, sed solida.

11. *Eryngium planum minus, C.B.P. Pusillum planum Mutonj, Clus. hist. Lob. Lugd.* V. pag. 166.

12. *Eryngium capitulis Psyllii, flore cæruleo, Bocconi.* V. pag. 166.

Eryngium trifolium Alpinum, Park. Trifolium, Prosp. Alpin. V. pag. 167.

16. *Eryngium parvum foliis serratis, Nobis. Cardus parvus, I.B.* V. pag. 166.

6. *Eryngium maritimum, C.B.P. Marinum, Clus. hist. Matth. Dod.* V. pag. 165.

1. *Eryngium vulgare, C.B.P. Campestre, Dod.* V. pag. 165.

1. *Dipsacus sativus flore albo, spinis capitum aduncis, Nobis. Dipsacus sativus fullonum, Ad Lob.* V. pag. 168.

3. *Dipsacus syl. aut Virga pastoris major, C.B.P. Labrum Veneris sponte proveniens, Lob. Icon. & obser.* V. pag. 168.

4. *Dipsacus syl. folio laciniato, I.B.* V. pag. 168.

5. *Dipsacus sylvestris capitulo minore, vel Virga pastoris minor, Clus. hist.* V. pag. 168.

Auspiciis D. Christophori Irvin, a Bon-shaw Medici Regii castrensis.

Plantæ spinosæ Carduis affines.

12. Erijngium Syriacum ramosum capitulis minoribus cæruleis V. pag. 166.

21. Erijngium Virgin. Yuccæ foliis spinis raris tenellis et inutilibus. V. pag. 167.

22. Erijngium Mexicanum foliis longis dentatis, Scorpij spina, Hernand. Nobis.

5. Melo-carduus Mexicanus flo. rubente et Te[illegible]pene Xocamitl. Hernand. V. pag. 171.

6. Melo-carduus folioſus Pitahaÿa dictus

7. Melo carduus ovalis spinis longiſſimis armatus Tradeſcanti. V. pag. 171.

Carduus caule ſtellato Perux. C. B. P. Calamus Perux. ſpinoſus. Ger.

Euphorbij arbor Cerei effigie ſiue Peruvianus Cereus vulgi. Lob.

9. Euphorbio affinis planta Mexicana flore caruleo. V. pag. 345.

6. Euphorbium. C. B. P. Dod. Lob. V. pag. 345.

Anteuphorbium, C. B. P. Dod. Lob.

1. Carduo affinis capitatus Braſilianus foliis longis ſerratis, Nobis. Ananas Acoſtæ Lugd. V. pag. 169.

4. Ananas ſilveſtris folio Aloes fructu Cupreſſino. I. B

9. Cardui capitulum ex Inſula Madagaſcar. V. pag. 170.

F. H. van. Houe. sculp.

Auspicijs D. Andreæ Ramsay Baronetti Regi a ſecretioribus Conſilijs Collegij Juſticiæ ſenatorij Civitatis Edinburgensis præfecti.



PLANTÆ CULMIFERÆ SPICATÆ, CEREALIA DICTÆ GRANIS LÆVIBUS, ijsq; affines. Sect. 8. Tab. 1.

1. Triticum hybernum aristis carens, C.B.P. Vid. Pag. 175.

Triticum aristis munitum, Park.

2. Triticum lucidum, Ger. Park.

3. Triticum typhinum simplici folliculo, C.B. V. pag. 175.

4. Triticum Tripolitanum, Park. V. pag. 175.

7. Triticum spica multiplici, C.B. V. pag. 175.

8. Triticum Polonicæ.

10. Triticum trimestre, Port. Park. V. pag. 175.

11. Triticum æstivum spicâ hordeaceâ, Nobis.

13. Triticum spicâ villosâ longiore, Nobis.

14. Triticum spicâ villosâ breviore, Nobis.

9. Triticum sylvestre Creticum, C.B.P. V. pag. 175.

V. pag. 176.

1. Gramen latifol: spica tritica compacta C.B. V. pag. 177.

5. Gramen angust. spica Tritici muticæ simile, C.B. V. pag. 177.

6. Gram. triticeum palustre humilius spica breviore. V. pag. 177.

8. Gramen caninum vulgatius, Park.

2. Gramen canin. aristatum radice non repente.

9. Gram. caninum supinum Monspeliense, Park. V. pag. 178.

Auspiciis Reverendi Decani et Capituli Ecclesiæ Cathedralis et Metropoliticæ Cantuariensis

Burg. delin. et sculp.

PLANTÆ CULMIFERÆ SPICATÆ GRANIS LÆVIBUS et Gramina iis similia.

11 Gramen caninum maritimum spicatum folijs longioribus. V. pag. 178.

12 Gr. caninum marit. spicâ foliaceâ, C. B.

7 Gramen caninum maritimum spicatum folijs brevioribus V. pag. 178.

4 Gramen caninum maritimum asperum, C. B. V. pag. 177.

1 Secale hybernum sive majus, C. B. V. pag. 179.

3 Gramen Secalinum, Virginianum maximum

6 Gr. Secalinum minus arvense

8 Gr. Secalinum minimum distachyophorum. V. pag. 180.

V. pag. 179.

Lolium verum. Gesneri. V. pag. 181.

2 Gr. Loliaceum spicâ simplici vulgare.

Variat spicis rarius dispositis

spicis brevioribus compressis

et multiplici spicâ paniculâ, &c.

8 Gramen Loliac. maritimum spicis articulatis

4 Gr. Lol. foliis rigidis sitis maritimum

8 Gr. parvum marinum spicâ foliaceâ Ger.

Vid. pag. 182.

3 Gr. Loliaceum minus spicis tenuissimis

V. pag. 182.

10 Gramen minimum unciale aut biunciale V. pag. 182.

9 Gr. Lol. murorum duriusculum spicâ erectâ rigidâ

18 Gr. enode spicatum sive triglochin.

Vide pag. 228

19 Gr. enode spicatum pericarpijs parvis rotundis

15 Gr. Lol. spicâ multiplici pratense majus. V. pag. 183.

J. Burghers delin. et sculp.

12 Gramen loliaceum paniculâ ramosâ lutea. Magnol.

V. pag. 184.

10 Gr. loliaceum foliolis junceis oblongis radice albâ.

V. pag. 200.

13 Gr. loliaceum foliis junceis brevibus minus.

V. pag. 182.

16 Gr. loliaceum fluviatile longissimâ paniculâ.

V. pag. 183.

17 Gr. loliac. palustre paniculâ foliaceâ laxa; foliis tenuibus oblongis Virginianum.

2 Gramen dactylum folio tatarico, C. B.

V. pag. 184.

1 Gramen dactylum esculentum, C. B.

V. pag. 184.

7 Gr. dactylum Ægyptiacum Prosp. Alp.

V. pag. 184.

4 Gr. dact. folio arundinaceo minus, C. B.

V. pag. 184.

5 Gramen dactylum aquaticum, C. B.

V. pag. 185.

6 Gr. dact. sive Canarium Ischæmi paniculis, Park.

11 Gr. dact. Indicum spicâ articulatâ, Ambrosini, Phyt.

V. pag. 185.

12 Gr. dact. rium Ischæmi Park.

Scopa-paniculis

15 Gramen dact. spicis villosis, subrubescentibus

V. pag. 185.

1 Phalaris major semine albo, C. B.

1. 2. nigro.

V. pag. 187.

6 Gramen phalaroides Lusitanicum

8 Panicum Brasilianum spuamosa spica Pis.

V. pag. 182.

1 Panicum Germanicum sive paniculâ minore C. B.

2 Panicum Italicum sive paniculâ majore C. B.

5 Panicum Indicum spicâ obtusâ cærulea C. B.

6 Panicum Indicum spicâ longissimâ, Park.

7 Panicum Ind. spicâ longiore villosa et interrupta.

V. pag. 188.

V. pag. 188.

Mburg. delin. et sculp.

PLANTÆ CULMIFERÆ SPICATÆ GRANIS LÆVIBUS, et Gramina ijs similia.

11. Gramen caninum maritimum spicatum foliis longioribus. V. pag. 178.

12. Gr. caninum marit. spicâ foliaceâ, C. B.

7. Gramen caninum maritimum spicatum foliis brevioribus V. pag. 178.

4. Gramen caninum maritimum asperum, C. B. V. pag. 177.

1. Secale hybernum sive majus, C. B. V. pag. 179.

10. Gramen Secalinum Virginianum maximum

6. Gr. Secalinum minus pratense.

8. Gr. Secalinum montanum distachyophorum. V. pag. 180.

V. pag. 179.

Lolium verum. Gesneri. V. pag. 181.

2. Gr. Loliaceum spicâ simplici vulgare

Variat spicis rarius dispositis

spicis brevioribus compressis

et multiplici spicatâ paniculâ, P.

8. Gramen Loliac. marit. spicis articulatis

4. Gr. Lol. foliis è regione sitis maritimum.

6. Gr. parvum marinum spicâ loliaceâ. Ger.

3. Gr. Loliaceum minus spicis tenuissimis

Vid. pag. 182.

V. pag. 182

10. Gramen minimum unciale aut biunciale V. pag. 182.

9. Gr. Lol. murorum duriusculum spicâ erectâ rigidâ.

18. Gr. enode spicatum sive triglochin.

Vide pag. 228.

19. Gr. enode spicatum pericarpijs parvis rotundis

15. Gr. Lol. spicâ multiplici pratense majus.

V. pag. 183.

Gr. loliacea pa- -cula ramosa ma- -mum, C. B.

V. pag. 182.

J. Burghers delin. et sculp.

12.Gramen loliaceum paniculâ ramosâ lutea. Magnol. V.pag.184.

10.Gr.loliaceum foliolis junceis oblongis radice albâ V.pag.200.

13.Gr. loli= aceum fo= lio junceis brevi= bus mi= nus. V.pag.182.

16.Gr.loliaceum fluviatile lon= giſsimâ pani= culâ V.pag.183.

17.Gr.loliac pani= cula foliacea locus= tris tenuibus oblongis Virginianum.

2.Gramen dac= tylum folio la= tiore, C. B. V. pag.184.

1.Gramen dacty= lum eſculentum, C.B.

7.Gr. dactylum Ægyptiacum Prosp. Alp. V.pag.184.

V. pag.184.

4.Gr.dact. folio arundinaceo minus, C.B. V.pag.184.

5.Gramen dacty= lum aquaticum, C.B. V.pag.185.

6.Gr.dact.ſiue Canari= um Ischæmi paniculis, Park.

11.Gr.dact.Indicum spicâ articulatâ, Ambroſini, Phyt.

V. pag. 185.

12.Gr. dact. Scopa= rium Ischæmi Park.

15.Gramen dact. spicis villoſis, ſubrubeſ= centibus

V.pag.185.

1.Phalaris major semine albo, C.B.

2. nigro. V.pag.187.

6.Gramen phala= roides Lusitani= cum

8.Panicum Braſilia= num squa= mosa spica. Piſ. V.pag.188.

1.Panicum Germanicum ſiue panicula minore C.B.

2.Panicum Italicum ſiue panicula ma= jore C.B

5.Panicum Indicum spicâ obtuſâ cæruleâ C.B.

6.Panicum Indicum spicâ longiſsimâ, Park.

7.Panicum Ind. spicâ lon= giore villoſa et interrupta.

V.pag.188.

V.pag.188.

MBurg. delin et ſculp.

GRAMEN PANICEUM, ALOPECUROS, GRAMEN ALOPECUROIDES. TYPHOIDES, ET SPARTEUM.

10. Gramen Paniceum f. Panicum sylvestre spicâ simplici, C.B.

11. Gr. Paniceum spicâ asperâ simplici C.B.

13. Gr. Paniceum spicâ asperâ latiore Nob. Alopecu… roides spicâ aspe… rd, C.B.

15. Gr. Paniceum, f. Panicum sylvestre spicâ di… visâ, C.B.

16. Gr. Paniceum spicâ divisâ aristis longis arma… tâ, C.B.

1. Alopecuros spicâ rotundiore, C.B.

2. Alopecuros altera Anglica sive Flandrica, Park.

4. Alopecuros maritima repens spicâ longiore.

V. pag. 189.

V. pag. 189.

V. pag. 191.

3. Alopecuros maxima Anglica paludosa, Ger.

25. Gramen Alopecuroides spicâ brevi flavescente, sive Anthoxanthon, I.B.

19. Gramen Alopec. spicâ brevi purpureâ ex utriculo prodeunte, C. B.

21. Gr. Alopec. spicâ brevi nodosâ radice.

23. Gr. Alopec. rubens minus spicâ brevi bulbulis donatum.

8. Gr. Alopecu… spicâ longiore medium vul… gare folio… gi… nosa.

12. Gr. Alopec. spicâ longâ tenuiore, nobis… typ… hoi… des spicâ an… gust. C.B.

15. Gr. Alopec. fluviatile geniculatum procumbens.

6. Gr. Alopec. f. tomentosum spicatum, C. B.

V. pag. 191.

V. pag. 192.

V. pag. 192.

V. pag. 193.

V. pag. 191.

V. pag. 191.

V. pag. 192.

1. Gramen Typhoides maximum spicâ lon… gissimâ, C.B.

V. pag. 193.

2. Gr. Typhoides me… dium, sive vul… gatissimum, Park.

3. Gramen Typhoides minus nodosum.

7. Gr. spicâ cirsiatâ sub… hirsutum, C.B.

6. Gr. pratense cirsutatum lævе, C.B.

16. Gr. Sparteum juncifolium non aristatum spicâ Secalinâ.

V. pag. 180.

14. Gr. Sparteum juncifolium spicatum foliis mucronatis brevioribus, C.B.

9. Gr. Secalin Indi… spicâ gracili, ari… longi… se… invicem intortis, D… M…

V. pag. 194.

M. Burghers delin. et sculp.

GRAMINA SPARTEA, ET GRAMINA ECHINATA.

13. Gramen sparteum latifolium spicatum, C.B. V. pag. 180.

2. Gramen sparteum aristatum paniculâ comosâ, C.B. V. pag. 216.

3. Gramen sparteum panicula brevi folliculo inclusa, C.B. V. pag. 216.

1. Gramen echinatum spicâ subrotundâ, C.B.

Sive Gr. echinatum spicâ aculeis maioribus præditâ, nobis Tribuloides, V. pag. 194.

4. Gramen echinatum Virginianum spicâ divisa V. pag. 195.

3. Gramen album capitulis aculeatis Italicum, C.B. V. pag. 195.

CEREALIA JUBIS SPARSIS, GRANIS LÆVIBUS, Graminaq; affinia.

2. Milium semine nigro, C.B. V. pag. 196.

6. Milium majus Sabæum, C.B. V. pag. 196.

7. Milium Arundinaceum sive Indicum seminis subrotundo, C.B.

10. Gramen sylvaticum paniculâ Miliaceâ sparsâ, C.B. V. pag. 196.

4. Milium Virginianum latifolium longifolio.

1. Gr. Segetum altissimum paniculâ parvâ, C.B.

3. Gr. paniculatum paniculâ spadiceâ delicatiore, C.B. Vid. pag. 199.

8. Gramen montanum paniculatum odoratum, C.B. V. pag. 200.

11. Gramen paniculatum argenteum locustis parvis annuum V. pag. 200.

14. Gramen arvense panicula crispa, C.B.

17. Gr. agrorum latiore Arundinacea comosa panicula, Lob.

18. Gr. pratense vulgatius majus, Lob. Park. Vid. pag. 201.

19. Gr. paniculatum pratense maius, tenuius longiore folio, C.B.

22. Gr. pratense serotinum paniculâ longa purpurascente, R.

21. Gramen pratense minimum album, Ger.

16. Gramen minimum elegantissimis paniculis elegantissimis, C.B. V. pag. 200.

12. Gr. montanum paniculâ foliaceâ majus, V. pag. 200.

M. Burghers delin. et sculp.

GRAMINA PANICULATA, ET TREMULA.

25 Gramen paniculatum aquaticum latifolium, C.B.P.

26 Gr. paniculat. arundinaceum Syriacum.

27 Gr. palustre panicula speciosa, C.B.P. Vid. pag. 201.

33 Gr. paniculat. Virginianum locustis minimis.

34 Gr. paniculâ torosâ pratense molle, 1. C.B.P.

37 Gramen panicula pendulâ aureâ, C. B. P.

Vid pag. 202.

38 Gr. paniculâ torosâ pratense asperum. Gramen asperum, Ger.

41 Gr. arundinaceum acerosa gluma nostras, Park.

43 Gr. paniculâ torosâ folio variegato. Striatum, Ger.

V. pag. 203.

45 Gramen tremulum vulgare minus Phalaris minor, Lob.

46 Gr. tremulum minus panicula parva, C.B.P.

47 Gr. trem. minus Loesel. Acetum deltoides.

48 Gramen tremulum maximum, C.B.P.

Vid. pag. 203.

52 Gr. filicinum sive paniculis elegantissimis ἐφεδρικὸν dictum.

V. pag. 204.

53 Gr. filiceum paniculis integris Bocc.

CEREALIA SPICATA GRANIS TUNICATIS ASPERIS, Cap. 3.

1 Zea spica mutica dicoccos vel major, C.B.

2 Zea spica barbata Briza dicta monococcos Germanica, C.B.

3 Zea Amylea, vel Zeopyrum, C.B. sive Olyra, C.B.P.

4 Gramen spica simplici majus C.B. Vulgo. Gramen spica geminata Mitchedroni simile C.B.

1 Hordeum vulgare distichon, C.B.

2 Hordeum spica compressa Zeocrithon, C.B.

5 Hordeum Cauticum, C. B.

3 Hordeum polystichum hibernum, C.B.P.

7 Gr. Secalinum Chalepense radice tuberosa.

4 Gr. Secalinum vulgatius variarum.

5 Gr. Secalinum maritimum minus.

V. pag. 204.

V. pag. 179.

V. pag. 206.

J. Burg. delin. et sculp.

CEREALIA JUBIS SPARSIS GRANIS TUNICATIS, ipsa, coitsimilia.

1. Avena sativa vulgaris alba, vel nigra, C.B.
V pag. 209.
4. Avena nuda, C. B.
5. Avena erratica glabra aristis intortis Avena pilosa I.B.
16. Gramen Avenaceum segetale majus glumâ gibbiore.
18. Gr. Avenaceum pratense glumâ longiore, fibre nigro squamosa et villosa.
V pag. 213.
19. Gramen Avenaceum pratense squamosa glumâ glabra.
10. Festuca graminea annua hirsuta, Lagopi capitulis duris, C.B.
Sect. 8. Tab. 7.
V pag. 212.

11. Festuca graminea annua sterilis spicis deorsum dentibus, Dioscoridi C.B. S. Bromos
V pag. 212.
13. Festuca graminea annua spicis erectis
21. Gramen Avenaceum humilius erectis sol. quibusdam glabris.
37. Gramen Avenaceum elatius juba argentea longiore
38. Gr. Avenaceum elatius radice tuberculis prædita.
27. Gramen Avenac. diuturnorum juba longiore spicata
48. Gramen Avenaceum glumis mutica montanum locustis rubris.
11. Gramen majus Avenaceum gluma [illegible] riore
40. Gr. Avenaceum spica mutica glumis rariore gluma.
V pag. 215.
Vide pag. 216.

7. Gr. locustis argenteis diffunctis, V. Cap. 8.
25. Gr. Anthoxanthon spicatum, I.B. V. Cap. 80.
42. Gr. Avenac. spica sparsa flavescente locustis parvis.
V pag. 215.
43. Gr. Avenac. murorum spica longissima nutante aristata.
9. Avena capillacea Austriaca aristis longissimis pennatis. Spartum Austriacum Clus.
Vid. pag. 220.
8. Gr. Sparteum caninus erectum pillaceo folio Batavicum
V pag. 217.
et Anglicum.
1. Oryza Italica, C.B.
V pag. 208.
9. Gr. nemorosum paniculis capillaceo folio. V pag. 200.

MBurg. delin. et sculp.

GRAMINA PANICULATA, ET TREMULA.

25. Gramen paniculatum aquaticum latifolium, C.B.P.

26. Gr. paniculat. arundinaceum Syriacum.

27. Gr. palustre panicula speciosa C.B.P.

Vid. pag. 201.

33. Gr. paniculat. Virginianum locustis minimis.

34. Gr. paniculâ torosâ pratense molle, 1. C.B.P.

V. pag. 202.

37. Gramen panicula pendulâ aureâ, C. B. P.

Vid. pag. 202.

38. Gr. paniculâ torosâ pratense asperum. Gramen asperum, Ger.

41. Gr. arundinaceum aceroſa gluma noſtras, Park.

43. Gr. paniculâ torosâ folio variegato. Striatum, Ger.

V. pag. 203.

45. Gramen tremulum vulgare minus Phalaris minor, Lob.

46. Gr. tremulum minus paniculâ parva, C.B.P.

47. Gr. tremulum minus Lonicera acuta deltoides.

48. Gramen tremulum maximum, C.B.P.

52. Gr. filicinum ſive paniculis elegantiſſimis ἰσοζυγωσις dictum.

V. pag. 204.

53. Gr. filiceum paniculis integris Bocc.

Vid. pag. 203.

CEREALIA SPICATA GRANIS TUNICATIS ASPERIS, Cap. 3.

1. Zea ſpica mutica dicoccos vel major, C.B.

2. Zea ſpica barbata Briza dicta monococcos Germanica, C.B.

3. Zea Amylea, vel Zeopyrum, C.B. ſive Olyra, C.B.T.

4. Gramen ſpica Briza major, C.B.

1. Hordeum vulgare ſimplici diſtichum, C.B.

2. Hordeum diſtichon ſpica plata compreſſa Zeocrithon, C.B.

5. Hordeum cauſticum, C. B.

3. Hordeum polyſtichum hyber- num, C.B.P.

7. Gr. Secale- num Chalepense radice tuberoſa.

4. Gr. Secalinum vulgatiſs viarum.

5. Gr. Secalinum maritimum minus.

V. pag. 204.

V. pag. 206.

V. pag. 179.

V. pag. 195.

ABurg. delin. et sculp.

CEREALIA JUBIS SPARSIS GRANIS TUNICATIS, ijsq; coëmilia.

Sect. 8. Tab. 7.

1. Avena sativa vulgaris alba, vel nigra, C.B.

V. pag. 209.

4. Avena nuda, C.B.

5. Avena erratica glabra aristis intortis Avena pilosa I.B.

10. Gramen Avenaceum segetale majus glumâ fusc. & latiore

18. Gr. Avenaceum pratense glumâ fusc. & latiore squamosa & villosa.

19. Gramen Avenaceum pratense squamosa glumâ longiore glabra.

V. pag. 213.

10. Festuca graminea annua spica Lagopi capitulis duris, C.B.

V. pag. 212.

11. Festuca graminea annua sterilis spicis deorsum dentibus Dioscoridis, C.B.

13. Festuca graminea annua spicis erectis

21. Gramen Avenaceum humilius erectum sol. quibusdam glabris.

37. Gramen Avenaceum elatius juba argentea longiore

38. Gr. Avenaceum elatius radice tuberculis prædita.

27. Gramen Avenac. diutius torum juba longiore spicata divisa.

48. Gramen Avenaceum glumis mutica montanum locustis rubris.

11. Gramen majus Avenaceum gluma [illegible] riore

40. Gr. Avenaceum spica mutica glumis [illegible] riore

V. pag. 215.

Vide pag. 216.

V. pag. 212.

Gr. locustis argenteis disjunctis, V. Cap. 8.

25. Gr. Anthoxanthon spicatum, I.B. V. Cap. 8.

43. Gr. Avenac. murorum spica longissima nutante aristata.

42. Gr. Avenac. spica sparsa flavescente locustis parvis.

V. pag. 215.

9. Avena capillacea Austriaca aristis longissimis pennatis. Spartum Austriac. Clus.

Vide pag. 210.

8. Gr. Sparteum capillaceo folio manus erectum Batavicum et Anglicum.

V. pag. 217.

1. Oryza Italica, C.B.

V. pag. 208.

9. Gr. remotè ramosum panicatum capillaceo folio. V. pag. 200.

Burg. delin. et sculp.

PLANTÆ CALAMIFERÆ ET CULMIFERÆ MAIORES ARUNDINES DICTÆ

Sect. 8. Tab. 3.

5. Arundo sativa, quæ Sorgo & Dioscoridis, C.B.

9. Arundo Laconica versicolor, Park.

10. Arundo sive Papyrus quibusdam folio latissimo denticulato, I.B.

1. Arundo vulgaris palustris, I.B.

2. Arundo sylvatica paniculâ molli candidâ et sèrici modo lucenti Gr. plumosum, Lob.

Vid. pag. 219.

4. Arundo montana radice major, nob. Gr. arundinacea enode majus mont. C.B.

32. Arundo Bononiensis. Canna fissa di Bologna, Zanoni.

Arundo cava de Razan.

6. Arundo scriptoria atro rubens, C.B.

31. Arundo Syriaca aromatica foliis ex adverso cuilibet

29. Arundo graminea aculeata, Park.

Vid. pag. 220.

11. Arundo arbor Tabaxifera, C.B.

Vid. pag. 219.

15. Arundo farcta maxima atro-rubens, C.B.

19. Arundo farcta geniculata, f. sagittalis, C.B.

21. Arundo saccharifera, C. B.

V. pag. 220.

23. Arundo nartos toxica gracilis et plicatilis, I.B.

30. Arundo Iaponica equiseti culmo.

V. pag. 221.

28. Arundo ramosa sive Epigeios Lugd. Park.

M. Burg. del. et sculp.

GRAMINA HIRSUTA, JUNCEA, ET TOEMENTOSA.

Gramen hirsutum capitulo globoso, C.B.

4. Gramen hirsutum capitulis Psyllii, C.B.

1. Gr. hirsutum latifolium majus, C.B.

2. Gr. hirsut. latifolium majus juncea paniculata, C.B.

Gr. hirsut. latifolium minus, C.B.

Vid pag. 225

3. Gr. hirsutum angustifolium majus. C.B.

39. Cyperus palustris hirsutus minor paniculis albis, V pag. 239.

1. Gr. junceum articulatum palustre erectum et elatius.

2. Gr. junceum articulatum palust. humilius frequenter, utriculis donatum.

Vid pag. 227

3. Gr. junceum capitulis triandris minimum V pag. 127.

4. Gr. junceum minimum paniculis foliaceis,

5. Gr. junceum montanum capite squamoso, C.B.

6. Gr. junceum maritimum capite squamoso foliaceo

7. Gr. junceum pericarpijs rotundis, vulgare Park.

13. Gr. junceum palustre humilius foliis et spica junci V pag. 228.

6. Gr. junceum montanum subcærulea spica, Cambro Britan. Park. V pag. 224.

14. Gr. junceum vulgare caliculis paleaceis, siue Holosteum Matthioli.

V pag. 228.

25. Gr. junc. aromaticum maius Syriacum, Juncus odoratus, Lob.

30. Juncus Africanus pectinato capite.

V. pag. 233.

28. Gr. junc Brasiliense floridum lupicai dictum, Pison.

Vid pag. 229.

1. Gramen tomentosum præcox minusculum sparsa C.B.

2. Gr. tomentos. Virgin. capitulo foliaceo fusco.

V. pag. 224.

6. Gr. junceum latum alterum Danicum, Park.

7. Gramen junceum latum minus, Park.

6. Gramen junceum s. Juncus Alpinus capitulo lanuginoso C.B.

V pag. 224.

30. Gr. junc. min. capit. longiss. filamentis donat.

J. Burghers delin. et sculp.

PLANTÆ ENODES FUNGOSÆ, CAULIBUS AUT FOLIIS TERETIBUS, IUNCI.

1. Iuncus lævis maximus, Lob. Park. Ger. Vid. pag. 231.

2. Iuncus siue Scirpus medius, CBP.

4. Iuncus lævis paniculæ sparsa major, CB

7. Iuncus lævis paniculæ non sparsa, C. B.

13. Iuncus acutus vulgaris Park. Acutus paniculæ sparsa CB

14. Iuncus acutus maritimus Anglicus Park. V. pag. 132.

15. Iuncus pungens siue acutus capitulis Sorghi, CB.

17. Iuncus capitulis rotundis, C.B.

20. Iuncus maritimus caule triangulo, CBH.

25. Iuncus acumine reflexo major, C.B.

27. Iuncus acumine reflexo minor vel trifidus, C.B.

31. Gr. junc. clavat. repens foliis et capit. Psyllii.

Vid. pag. 132.

23. Iuncellus omnium minimus, Ad. Lob.

Vid. pag. 233.

8. Iuncus maritimus Narbonensis, Lob. Park. Vid. pag. 231.

28. Iuncus capitatus Lithospermi semine, V. pag. 233.

32. Iuncus capitulis Equiseti major CB. Clavatus, I. B.

33. Iuncus capitulis Equiseti longioribus,

Iuncus Equiseti clavatus minor,

capitulis seu mi- C.B. I.B.

34. Iuncus clavatus minor capitulis rotundioribus.

35. Iuncus parvus montanus cum parvis capitulis luteis, I.B.

Vid. pag. 233.

37. Iuncellus minimus capituli Equiseti Bocc.

29. Gramen Hubon. Thlaspi dict. Sherardi.

Burg. delin. et sculp.

PLANTÆ GRAMINEÆ CAULIBUS TRIQUETRIS PANICULIS UMBELLATIM DISPOSITIS CYPERI DICTÆ. Sect. 8. Tab. 11.

1.Cyperus rotundus odoratus vulgaris, C.B. V. pag. 235.

2.Cyperus rotundus odoratus Orientalis major, C.B. V. pag. 236.

8.Cyperus rotundus inodorus littoreus, I.B. Anglicus, C.B.

9.Cyperus rotundus inodorus aquaticus septentrionalis, Lob. I.B.

4.Cyperus rotund. Amer. caulibus articulatis seu Cyperus Americanus Recchi.

10.Cyperus rotund. inodorus esculentus, sive Trasi Italorum, Ger.

Vid. pag. 236.

15.Cyp. long. Miliaceus inodorus locustis plurimis brevioribus, nob. Gr. Cyp. Miliaceum, C.B.

16.Cyperus maximus Americanus Lithospermi semine.

25.Cyperus longus inodorus latifolius spicis tumidioribus, nobis. Gr. Cyp. paniculâ sparsa major, C.B.

13.Cyperus longus odoratus major paniculâ sparsâ speciosa, I.B. Officinarum, C.B.

Vid. pag. 237.

Vid. pag. 237.

V. pag. 238.

14.Cyperus longus major inodorus Germanicus C.B. Sylvaticus Lob. I.B. V. pag. 237.

Cyperus longus major et elatior foliis et carina serratis.

33.Cyperus longus minor pulcher panicula lata compressa subflavescente nigricante.

38.Cyperus longus minimus pulcher panicula compressa

Vid. pag. 239.

41.Cyperus longus umbellatus Niloticus papyraceus nobis. Papyrus Nilotica. I.B.

42.Cyperus longus odoratus Peruanus, C.B. Contrayerva Hispan. f. Drakena radix, Clus. Park.

V. pag. 240.

29.Cyperus minor palustris capitulis fuscis paleaceis. V. pag. 239.

Mburg. delin. et sculp.

GRAMINA CYPEROIDEA POLYSTACHIA.

1. Gramen cyperoides majus latifolium spicâ rufâ caule triangulo, C.B.T.

3 Gr. Cyp. angustifolium spicis longis erectis, C.B. Vid pag. 242.

4 Gr. Cyp. spica pendula longiore, C. B.

5 Gr. Cyp. spica pendula breviore, C.B.

6 Gr. Cyp. medium præcox spicis teretibus flavescentibus.

10 Gr. Cyp. polystachion lanuginosum, R.

11 Gr. Cyp. caryophyllatum spicâ varid montanum, C. B. Vid pag. 243.

12 Gr. Cyp. spicatum Ger.

19 Gr. Cyp. palustre aculeatum Germanicum, C.B.

18 Gr. Cyp. palustre spicis teretibus subrotundis vix aculeatis, spicis distantibus

12 Gr. Cyp. nemorarum spica subnigra recurva, C.B.

8 Gr. Cyp. angustifolium spicis erectis luteolis erectis

9 Gr. Cyp. sylvaticum tenuius spicatum, Park.

16 Gr. Cyp. flaviscens spicis gracilibus prope summitatem caulis, R. Vid pag. 243.

17 Gr. Cyp. paniculis pilulis reflexis in foliorum alis.

GRAMINA

23 Gr. Cyp. palustre [illegible] spicis longiore laxâ, R.

CYPEROIDIA MONOSTACHEA.

29 Gr. Cyp. palustre majus spica divisa, C. B. Vpag 244.

32 Gr. Cyp. spica subfusca molli minor

27 Gr. [illegible] sylvaticum [illegible] rigidulus [illegible] 1B

26 Gr. Cyp. nemorosum spicis parvis aristatis, C.B.

26 Gr. Cyp. minus Ranunculi calyculo rotundo.

24 Gr. Cyp. min. Caryophylli proliferi capitulis

22 Gr. Cyp. minimum spica cassa simplici, R.

22 Gr. Cyp. palustre majus spicis compactâ, C.B.

21 Gr. Cyp. pulicare, R.

23 Gr. Cyp. palustre min. spicis albicantibus

MBurg. delin. et sculp.

PLANTÆ CULMIFERÆ HETEROCLITÆ VARIÆ.

1. Frumentum Indicum Mays dictum, C.B. Frumentum Turcicum, Trag. Dod. Gesn.

Vide pag. 248.

2. Frumentum Indicum majus granis irregularibus, grano avellanæ magnitudine C.B. IB.

1. Frum. Indicum Mays dictum spicâ divisâ sive polystachites Bocc.

Sesamum arundinaceum nudo subcæruleo, nob. Lachryma Iobi Park.

1. Sparganium ramosum Sparganium quibusdam I.B.

2. Sparganium majus sive ramosum Virginianum Park.

3. Sparganium non ramosum C.B. Park. Sparganium alterum I.B.

Vid. pag. 247.

Vid. pag. 249.

1. Typha palustris major C.B. IB. maxima Park.

2. Typha palustris media I.B. Clus. elatâ clavâ gracilior C.B. Tab.

3. Typha palustris minima duplici clavâ Typha minor Typhula.

4. Typha aromatica clavâ rugosâ, nob. Acorus verus C.B. Calamus aromaticus.

Nardus Indica, Park. Spica Nardi Indica et officinis, C. B.

Nardus Gangitis spuria Narbonensis, C.B. Park.

Nardo Gangitidi spuriæ Narbonensi similis planta Park.

Vide pag. 296.

Vide pag. 256.

Murg. delin. et sculp.

PLANTÆ CULMIFERÆ RADICIBUS TUBEROSIS

Sect. 8. Tab. 14.

1. Arundo Indica florida latifolia, siue Canna Indica.

6. Arundo Indica florida angustifolia, Albara et Paçivira Brasilien sium. Pisonis.

7. Arundo Indica florida flore campanulato, Arundo vulpina, Recchi.

8. Arundo Indica conifera latifolia Brasiliensis Paco-caatinga Pison.

Vide pag. 250.

Vide pag. 251.

10. Arundo conifera squamoso capite Peruviana folijs serratis.

Galanga major Acostæ.

Grana Paradisi siue Cardamomum majus.

9. Arundo Indica latifolia inferius racemosa, Paco-ceroba Brasil. Pis.

Zedoaria longa et rotunda, C.B.T.

Curcuma, C.B.T.

Vide pag. 253.

V. pag. 252.

Vid. pag. 251.

Vid. pag. 254.

Cardamomum medium Ad. Lob.

Vid. pag. 251.

Cardamomum minus, Matth.

Galanga minor officinarum, C.B.

1. Zinziber C.B.T.

Vid. pag. 251.

2. Zinziber sylvestre, Hort. Lugd. Bat.

6. Zinziberis Mechini rara varietas, I.B.

Galanga major Matth. C.B.

Vid. pag. 255.

3. Costus dulcis officinarum, C.B.

1. Costus Arabicus Zinziberi similis, C.B.

Costus Iridem olens, C.B.

4. Costus Corticosus, C.B.

5. Costus lignosus, C.B.

2. Costus amarus officinarum, C.B.

Vid. pag. 256.

Burghers delin. et sculp.

PLANTÆ NERVOSÆ SPICATÆ.

Section. 8. Tab. 15.

1. Plantago maxima Hispanica, Cornuti.

2. Plantago latifolia glabra vulgaris, Nobis. Latifolia sinuata, C. B. P.

Vid. pag. 258.

3. Plantago latifolia rosea flo. expanso. C. B. P. Spicatim variat.

Vid. pag. 258.

4. Plantago latifolia spicâ multiplici sparsâ. C. B. P.

5. Plantago peregrina sinuosa, C. B. P. Umbilicata et convoluta, Lob.

6. Plantago latifolia incana, C. B. P.

Vide pag. 258.

Vid. pag. 257.

7. Plantago latifolia incana spicis varijs, C. B. P.

8. Plantago media Virginiana serratis folijs.

9. Plantago angustifolia major seu vulgaris Lanceolata. I. B.

10. Variat folijs in sumitate congestis unde rosea dicitur.

Vide pag. 259.

Vid. pag. 259.

J. Burghers sculp.

10. Plantago angustifolia prolifera, C.B.P.

12. Plantago angustifolia minor. C.B.P.

Vide pag. 259.

13. Plantago angustifolia paniculis Lagopi, C.B.P.

17. Plantaginella aurea Alopecuroides Brasiliana fol. graminéis, Breijnei.

Vide pag. 259.

19. Plantago bulbosa laciniata Apula, Col.

21. Plantago trinervia montana, C.B.P.

23. Plantago mollis siue Holosteum hirsutum albicans majus, C.B.P.

11. Plantago angustifolia Alpina, I.B.

Vid. pag. 260.

25. Holosteum siue Leontopodium Creticum, C. B. P.

26. Holosteum Cret. alterum C.B.P. Leontopodium Cret. Clus.

27. Plantago mollis siue Holosteum strictissimo folio majus, C. B. P.

30. Holosteum strictissimo folio minus, C.B.P. Coronopus siue Serpentina minima, Ger.

Vid. pag. 260.

32. Coronopus maritimus tenuifolius lævis, C.B.P.

F. H. van Houe. Sculp.

28 Plantago mollis siue Holosteum lævve Massiliense C.B.P. Coronopus siue Serpentina minor, Ger.

29. Holosteum siue Serpentaria omnium minima, I.B.

31 Plantago cerato-phyllos siue Coronopus hirsutus hortensis C.B.P.

36 Coronopus Scutus fructosus platyphyllos, Bocc.

Vide pag. 260.

Vide pag. 261.

34 Plantago marina siue Coronopus maritimus major, C.B.P.

1 Psyllium perenne majus supinum, C.B.P. semper virens, Lob.

2 Psyllium annuum majus erectum, C.B.P.

35 Coronopus maritimus roseus. Bocc.

Vide pag. 262.

Vide pag. 262.

4 Psyllium annuum folijs crenatis, C.B.P. Psyllium laciniatis folijs, Bocc.

3 Psyllium minus, C.B.P. Psyllio accedens Gotne rubrum, I.B.

Plantagini siue Holosteo affinis Cauda muris, C.B.P.

Vid. pag. 262.

F. H. van. Houe. Sculp.

PLANTÆ SPICATÆ FOLIIS ALATIS.

PIMPINELLÆ SPICATÆ SEU SANGUISORBÆ.

12. Pimpinella sanguisorba Canadensis spica longiore alba, Nobis. Pimpinella Canadensis alba, Corn.

8. Pimpinella Canadensis major spica breviore rubra foliis lævibus, Nobis.

Vide pag. 264.

1. Pimpinella sanguisorba major, Matth. Pimpinella Italica major, Clus. Hist.

1. Pimpinella minor spica minore rubrâ foliis hirsutis, Nobis.

2. Pimpinella minor spica minore rubrâ foliis glabris, Nobis.

Vid. pag. 264.



9. Pimpinella Agrimoniæ foliis, & odore seu Agrimonoides seminibus striatis, Nobis.

Vid. pag. 264.

4. Pimpinella Tingitana semine rugoso majore & minore foliisq; magis incisis Nobis.

Vid. pag. 263.

5. Pimpinella spinosa & semperviens spica breviore foliis serratis lævibus, Nobis. Pimpinella spinosa, Clus. Hisp.

Vid. pag. 263.

3. Cachrys semine fungoso sulcato aspero minore, foliis Peucedani, Nobis. Vide pag. 267.

Utriusq; folium Peucedani instar.

6. Cachrys sem. fungoso sulcato plano minore, foliis Peucedani, Nobis. Vide pag. 268.

Ejusdem folia sub exortum.

4. Cachrys Sicula semine fungoso striato lanuginoso, exteriùs candido, foliis Pastinacæ latifoliæ, Nobis. Panax Siculum &cæt. Boccon.

Ejusdem folia adulta.

Vide pag. 267.



1. Crithmum maritimum spinosum, C.B.P. Spinosum, Dod. Tab. Ger. Pastinaca marina, Lob. Lugd.

2. Crithmum Apulum spinoso seminis involucro, foliis mingribus Pastinacæ tenuifoliæ, Nobis. Pastinaca Echinophora Apula Col.

Vide pag. 268.



Auspiciis Clariss. viri D. Henrici Clarke Universitatis OXON. Vicecancellarii anno 1677. M.D. & Collegii Divæ Mariæ Mag. Salonæ Præsidis.

UMBELLÆ FOLIIS FŒNICULACEIS Semine striato majore donatæ.

1. Fœniculum vulgare, Ger. Commune, Gesn. Hort. & 2.dum Fœniculum dulce, C.B.P. Matth. Vide pag. 270.

Meum Athamanticum Dioscoridis, & Meum vulgare tenuifolium, Clus. Hist.

Cuminum semine longiore, C.B.P. Cuminum sativum, Matth. Trag. Lugd. Dod. Vulgare, Park.

Umbellæ foliis fœniculaceis semine striato minore donatæ.

1. Meum spurium s. adulterinum latifolium, C.B.P. Meum spurium Italicum Lugd. Lob. Vid. pag. 272.

1. Bulbocastanum majus tuberosum, Nobis. Nucula terrestris septentrionalium, Lob.

4. Saxifraga Pannonica Clus. Hist. Saxifraga montana multifido brevi. folio, perperam Daucus montanus &c. C.B.P.

15. Saxifraga montana pumila, Nobis. Selinum montanum pumilum, Clus. Hist.

16. Saxifraga Petroselini vel Coriandri folio, Nobis. Bunium Dalp.pii Lugd. perperam Daucus, &c. C.B.P.

Gingidium umbellâ oblongâ C.B.P. Visnaga, Matth. Cam. ep. Gingidium foliis latioribus, Matth.ti Lugd.



MBurg. sculp.

Auspiciis Clariss. viri Iohannis Nicholas Universitatis OXON. Vicecancellarii Anno D. 78 & 79 nec non Collegii novi Guardiani.

1. Levisticum vulgare, Matth. Park. Ligusticum vulgare, Dod.

Vid. pag. 275.

1. Siler montanum seu Ligusticum latifolium, Nobis. Siler montanum. Ad. Lob. Clus. Hist. & Pan.

Vide pag. 276.

2. Siler montanum seu Ligusticum angustifolium, Nobis. C.B.P. & Prod. desc.

3. Siler Aquilegiæ foliis, Nobis. Ligusticum Rauwolfii foliis Aquilegiæ, I.B. Libanotis latifolia, Aquilegiæ foliis. C.B.P.

Vid. pag. 276.

1. Angelica sativa, Trag. Matth. Lugd. Ger. Angelica major, Dod.

Vid. pag. 280.

2. Angelica silvestris major, C.B.P. Angelica, Trag. Matth. Dod. Lob. Lugd. Ger.

5. Angelica silvestris montana, C.B.P. Archangelica, Clus. Hist.

8. Angelica Lucida Canadensis, Cornuti.

Vide pag. 281.

9. Angelica Canadensis atropurpurea, Cornuti.

MBurg. sculp.

Auspiciis insignissimi Viri D. Timothei Halton Universitatis Oxoniensis Vicecancellarii annis 1680 & 81. Collegii Reginensis Præpositi, nec non diœcesios Oxoniensis Archidiaconi.

UMBELLÆ LOBATÆ MAIORES semine striato majore donatæ.

11. *Angelica silvestris minor repens seu erratica, Nobis. Herba Gerardi, Dod. Podagraria, Lob.*

Vide pag. 281.

1. *Astrantia nigra major, Nobis. Astrantia nigra, Lob. Helleborus niger major Saniculæ folio, C.B.P.*

1. *Imperatoria major, C.B.P. Imperatoria, Matth. Astrantia, Dod.*

Vide pag. 278.

2. *Astrantia nigra minor, Nobis. Helleborus niger minor Saniculæ folio, C.B.P. & Prod. Park.*

4. *Imperatoria minor, C.B.P. Imperatoria Alpina, Matth. ed Bauh. Cam, Ep.*

1. *Smyrnium semine magno nigro curvo Nobis. Smyrnium, Matth. Lugd. Petroselinum Alexandrinum, Trag.*

Vide pag. 279.

Vide pag. 277.

Umbellæ lobatæ minores semine striato minore donatæ.

2. *Smyrnium Creticum perfoliatum, Nobis. Smyrnium montis Amani, Dod. Perfoliata, Lugd.*

Vide pag. 277.



8. *Sisarum Germanorum, C.B.P. Sisarum, Trag. Dod. Lob. Siser, Matth. Siser, sativum, Fuch.*

Sisarum Syriacum, C.B.P. Secacul Arabum & Maurorum seu Pastinaca Syriaca Rauwolfii, Lugd. app.

Vide pag. 283.

Vid. Apium pag. 292.

MBurg. sculp.

Auspiciis Clariss. viri D. Thomæ Clayt[on] Equitis aurati & Collegii Mertonensis Guardiani

UMBELLÆ LOBATÆ minores semine striato minore donatæ. Sect.9.Tab.5.

1. Pimpinella saxifraga umbellâ candidâ, C.B.P. & 3. Pimpinella saxifraga major degener, fol. dissectis, Nobis.

6. Pimpinella saxifraga minor, C.B.P. Lugd. Tragoselinum minus, Tab. & 7. Pimpinella saxifraga minor degener, fol. dissectis, Nobis. Tragoselinum, Petræum minus, Tab.

7. Sison, Lugd. Tab. Sison seu Amomum officinarum, Trag.

Vide pag. 285.

Vid. pag. 283.

6. Sium terrestre seu segetale, Nobis. Sium terrestre, Ger.

1. Sium aquaticum majus erectum latifolium, Nobis. Sium majus latifolium, Ger.

2. Sium aquaticum humilius foliis profunde serratis, Nobis. Sium majus angustifolium, Dod.

Vide pag. 282.

Vide pag. 283.

3. Sium aquaticum repens & procumbens ad alas floridum seu umbellis candidis ad genicula dispositis Nobis.

Vide pag. 283.

4. Sium foliis rugosis trifidis seu multifidis dentatis, Nobis. Sium alterum Olusatri facie, Lob. Ger.

5. Sium aquaticum pumilum foliis inferne fiiculaceis superne lobatis, Nobis.

MBurg sculp.

Auspiciis Clariss. viri D. Guilielmi Levyns M.D. & Collegii Divi Iohannis Baptistæ Præsidis, nec non Linguæ Græcæ Professoris Regii apud Oxonienses.

UMBELLÆ Foliis plurifariam Divisis semine striato majore donatæ. Sect. 9. Tab. 6.

Seseli frutex Æthiopicum, Dod. Ger. Park.

Vide pag. 298.

11. Seseli pratense Monspelien-sium, Park.

Vide pag. 287.

2. Seseli Massiliense Fœniculi folio. C.B.P.

Vide pag. 310.

7. Seseli Massiliense foliis magis dissectis & densius dispositis, Nobis. Seseli Massiliense, Matth.ⁱ Lugd. ed. B.

Vide pag. 287.

10. Seseli pratense nostras Park Saxifraga Anglorum, &cæt. Lob.

1. Seseli montanum Pannonicum 1. Clus. Hist. Liguisticum alterum Belgarum, Lob. Lugd.

Vid. pag. 286.

3. Seseli montanum majus Apii folio, C.B.P. Seseli montanum Pannonicum, 2. Clus. Hist.

Vide pag. 286.

5. Cicuta latifolia fœtidissima, Ger.

1. Cicuta major, C.B.P. Cicuta vulgaris, Clus. Hist.

Vide pag. 290.

Burghers sculp

Auspiciis Clariss. viri D. Henrici Beeston L.L.D. nec non Collegii B.tæ Mariæ Vinton in OXON Guardiani.

UMBELLÆ foliis plurifariam divisis semine striato majore donatæ.

2. Cicuta minor Petrosellino similis, C.B.P. Cicutaria fatua, Lob.

Vide pag. 290.

7. Cicutaria paluſtris tenuifolia, C.B.P. Phellandrium, Dod. Lugd.

Vide pag. 291.

1. Crithmum seu Fæniculum marinum minus, C.B.P. I.B. Crithmum & Herba, S.ti Petri, Dod. Ger.

Vide pag. 289.

2. Crithmum s. Fæniculum majus odore Apii, C.B.P. Crithmum, 2. Matth.i Ed. B.

2. Œnanthe maxima succo viroso Cicutæ facie, Lob. I.B. Siser paluſtre, Lugd.

Vid. pag. 288.

1. Œnanthe max. Virgin. Pæniæ fæm. folijs.

3. Œnanthe Apii folio, minor. caule firmiore.

7. Œnanthe aquatica recta angustifolia, Nobis. Œnanthe aquatica, Lob.

Vide pag. 289.

8. Œnanthe aquatica triflora caulibus fistulosis, Nobis. Iuncus odoratus aquatilis, Dod.

5. Œnanthe prolifera Apula C.B.P. Œnanthe Cretica, Ponæ.

Vide pag. 289.

10. Œnanthe Millefolii paluſtris foliis, Nobis. Daucus pratensis Dalp.i Lugd.

9. Œnanthe altera minor Africana Park.

MBurg. sculp.

UMBELLÆ. FOLIIS PLURIFARIAM divisis: semine striato minore & breviore donata.

4. Ammi annuum latiore folio, Nobis. Ammi vulgatius, Lob. Park.

1. Ammi perenne repens foliis longioribus et angustioribus serratis, Nobis. Ammi quorundam Dal.ni Lugd. Crithmum 4 Matth.

6. Ammi Matth.li Lugd. Ammi Creticum, Ger. Park.



7. Ammi parvum foliis Fœniculi, C.B.P. Matth.li Ed. Bauh. Park. Ammi pumilum, Lob. Lugd. Ger.

8. Ammi luteum sylvestre majus foliis Anethi.

Apium montanum folio tenuiore, C.B.P. Apium folio perquam tenui, I.B. Petroselinum montanum Dal.ni Lugd.



2. Apium hortense seu Petroselinum vulgo, C.B.P. Apium hortense Matth. Dod. Ger.

4. Apium degener foliis longis dissectis, Nobis.

3. Apium vel Petroselinum crispum C.B.P. Apium crispum vel multifolium, Tab.

Auspicijs Reverendi et Doctissimi Viri D. Ionathan Edwards S.S.T.D. Collegij Iesu apud Oxonienses Principalis, Operis hujus Fautoris singularis

1. Apium hortense latifolium, C.B.P. majus Virginianum, Park.

Vide pag. 292.

8. Apium palustre & Apium officinarum, C.B.P. Eleoselinum, Dod. Lob. Ger.

Vide pag. 293.

12 Apium Macedonicum, C.B.P. Petroselinum Macedonicum, Matth. Dod. Lugd. Tab. Ger.

2. Carui Alpinum radice nigricante, C.B.P. et Prod.

12 Apium peregrinum foliis subrotundis, C.B.P. Apium peregrinum semine hirsuto, I.B.

Vid. pag. 292.

1. Cuminum pratense Carui officinarum, C.B.P. Carum, Matth. Lob. Dod. Tab. Ger.

Vid. pag. 296.

Vide pag. 297.

1. Anisum Herbarijs, C.B.P. Anisum, Tab. Ger. Park. Lugd. Lob. Dod.

Vide pag. 297.

3. Saxifraga montana minor tenuissimis et longissimis foliis.

Vid. pag. 273.

1. Pyrethrum umbelliferum, C.B.P. Pyrethrum verum, Matth. Lugd.

Vid. pag. 296.

2. Pyrethrum foliis Anethi, C.B.P. Pyrethrum Gesneri, I.B.

10 Apium Siculum tenuifolium floribus odore Rosæ moschatæ redolentibus.

MBurg. sculp.

4. Cerefolium annuum nodoſum semine aspero oblongo.

Vide pag. 303.

2. Cerefolium ſilvestre annuum semine villoſo brevi. Nobis. Mijrrhis nova æquicolorum, Col.

6. Pastinaca ſilvestris Daucoides Apula Col.

Vid. pag. 306

9. Mijrrhis annua semine villoſo breviore, Nobis. Daucus Creticus, Cam. Ep.

Vide pag. 302.

8. Mijrrhis annua erecta nodoſa tuberoſa, Nobis. Cicutaria Pannonica, Clus. Hist.

7. Mijrrhis annua vulgaris ſemileviter striatis caule fuſco, Nobis Anthriſcus Plinij, Lugd.

6. Cerefolium latifol. hirſut. album et rubrū, Nob. Cicutaria palustris latifolia alba et rubra C.B.P.

Vid. pag. 30

1. Myrrhis perennis alba odorata.

2. Myrrhis alba minor folijs hirſutis, Nobis. Myrrhis altera parva Lob. Lugd.

Vide pag. 301.

6. Myrrhis lutea Daucoides.

Vid. pag. 302.

F. H. van. Houe. Sculp:

Auſpicijs Reverendi et Clariſſimi Viri Arthuri Charlet S.T.D. Collegij Vniverſitatis Oxoniæ Magiſtri, Operis hujus Fautoris ſingularis.

UMBELLÆ SEMINE ROSTRATO, PLANO, et sem. testiculato.

7. Cerefolium latifolium Canadense Cornuti.

1. Cerefolium sativum, Trag. Chærophyllum sativum, C.B.P.

5. Cerefolium sylvestre perenne seminibus lævibus nigris, C.B.P. Cicutaria vulgaris, I.B.

Vide pag. 304.

Vide pag. 303.

1. Scandix vulgaris semine rostrato, C.B.P.

4. Scandix Cretica minor, C.B.P. Anthriscus Plinij, Clus.

2. Scandix Cretica major, C.B.P. & Prod.

Vide pag. 304.

3. Scandix Italica semine rostrato, C.B.P. Prod.

4. Myrrhis Canadensis trilobata.

Vid. pag. 301.

1. Coriandrum majus seu Sativum Coriandrum, Matth. Lob.

2. Coriandrum minus testiculatum C.B.P.

Coriandrum sylvestre fœtidissimum. C.B.P.

Vide pag. 269.

3. Cerefolium Virginianum minus Fumariæ foliis.

UMBELLÆ FOLIIS *integris semine striato donata.*

1. Perfoliata vulgatissima seu arvensis, C.B.P. Perfoliata vulgaris, Ger.

Vide pag. 299.

2. Perfoliata annua longioribus foliis, I.B.

7. Perfoliata minor angustifolia Bupleuri folio, Col.

5. Perfoliata montana latifolia C.B.P. Perfoliata montana Lugd.

4. Perfoliata Alpina magna longifolia, I.B.

6. Perfoliata Alpina minor foliis gramineis. I.B.

Vide pag. 299.

2. Bupleurum perenne folio rigido latiore, Nobis. Bupleurum latifolium alterum, Dod.

3. Bupleurum annuum angusti-=folium, Nobis. Bupleurum angustifolium Dod. Tab.

4. Bupleurum angustissimo folio C.B.P. Bupleurum minimum Col. Auriaula leporis minima, I.B.



Vide pag. 300.

Auspiciis Cl. Viri D. Hugonis Chamberlen M.D. Car. 2. Med. Reg. Dignissimi

1. Pastinaca tenuifolia sativa radice lutea vel alba, C.B. P. Staphilinus & Daucus domesticus, Galeni.

Pastinaca tenuifolia sativa radice atrorubenti, C.B.P. Pastinaca sativa rubens, Dod. Carota Matth.

2. Pastinaca silvestris genuina Dioscoridis, Lob. Daucus vulgaris, Clus. Hist. & Lucidus

Vide pag. 305.

4. Pastinaca tenuifolia umbellæ radiis Gingidij longioribus, Nobis.

10. Pastinaca tenuifolia Œnanthes folio, Boccon

5. Pastinaca tenuifolia λασιόκαυλος (id est hirsuto caule) Thal. & semine longiore rad. & umbellâ luteâ, Nobis.

Vide pag. 306.

3 Pastinaca tenuifolia Sicula hirsuta crispa, Boccon.

Vide pag. 305.

Umbelliferis affinis capitulis globosis et villosis, Nobis. Cuminum silvestre globosum, Tab.

Vide pag. 265.

M. Burghers sculp

Auspicijs Rev. Viri D. Iohan. Bargraue I. V. D. Eccleſiæ Cathe= dralis Cantuarienſ. Canonici.

1. Caucalis lato Apij folio, C.B.P.

Caucalis arvensis echinata latifolia, C.B.P. Echinophora, πλατύφυλλος Col.

Vide pag. 307.

2. Caucalis Monspeliaca echinato magno fructu, C.B.P. Echinophora πλατύκαρπος Col.

Vide pag. 308.

6. Caucalis arvensis echinata parvo flore, C.B.P.

3. Caucalis arvensis echinata magno flore. C.B.P. Echinophora πυκνόκαρπος Col.

4. Caucalis Daucoides Tingitana.

Echinophora tertia λεπτόφυλλος, Col.

10. Caucalis nodosa echinato semine C.B.P.

Vide pag. 308.

8. Caucalis arvensis echinata parvo flore et fructu, C.B.P.

11. Caucalis peregrina sem. rugoso, C.B.P. C. Hispan. sem. rugoso, I.B.

7. Caucalis pumila maritima, C.B.P. Lappula canaria siue Caucalis maritima, I.B.

Vide pag. 308.

9. Caucalis prætervr Chalepen[sis] [illegible]

F. H. van. Houe. Sculp.

UMBELLÆ SEMINE FOLIACEO subrotundo foliis fœniculaceis.

3. Ferula tenuiore folio, Park.

Vide pag. 309.

1. Ferula latiore folio, Park.

4. Ferula tenuiore folio humi=lior et tenuior.

Vide pag. 310.

1. Libanotis Ferulæ folio et semine, C.B.P. Panax Asclepium, Dod.

Vide pag. 310.

5. Panaces Asclepium alterum, Dal. I.B.

6. Panaces Asclepium Guilandino flo. albo folio tenuiore I.B.

Vide pag. 311.

Anethum vulgare.

1. Peucedanum majus Italicum. C.B.P.

Vide pag. 312.

2. Peucedanum majus German. C.B.P.

2. Ferula Tingitana lucida foliis Laserpitij.

Vide pag. 309.

Auspicijs, D. Iohannis Hollings, M. D. Coll. S.ti Mariæ Magdalen. apud Canta=brigienses non ita pridem Soc.

UMBELLÆ. *Semine foliaceo subrotundo foliis lobatis donatæ.*

4. *Sphondylium Alpinum glabrum, C. B. P. & Prod.*

1. *Sphondylium vulgare hirsutum, C. B. P. Sphondylium Matth. Dod.*

1. *Pastinaca latifolia sativa, C. B. P. Ger. Park. Trag.*

Vide pag. 313.

Vide pag. 314.

2. *Pastinaca latifolia silvestris, Dod. Park. Elephaboscum, Matth.*

1. *Tordylium majus seminis limbo minus granulato, Nobis. Seseli Cret. majus, C.B.P.*

7. *Tordylium minus Syriacum seminis limbo granulato, Nobis Tordylium Creticum, Cast. Gingidium Syriacum, Lob. Luga.*

6 *Tordylium minimum Apulum, Col. Seseli Creticum minimum, C. B. P.*

Vide pag. 316.

3. *Tordylium Creticum majus, Nobis. Caucalis major, Clus. I B.*

5. *Tordylium Creticum minus, Nobis. Seseli Creticum, Lob. Dod. Tab. Ger.*

4. *Tordylium majus alterum luteum λειοκάρπον, Col. Seseli Creticum fructu majore, C. B. P.*

Vide pag. 316.

Auspicijs Viri admodum generosi Iehoschuæ Le Febre, Med. Doct.

1. Panax Pastinacæ folio, an Syriacum, C.B.P. Panaces peregrinum, Dod.

Vide pag.215.

Panax costinum, C.B.P. Pseudocostus flore luteo, I.B.

3. Panax Sphondylij folio siue Heracleum, C.B.P.

Vide pag.313.

1. Oreoselinum majus, Clus. Apium montanum nigrum, C.B.P.

Vide pag.317.

6. Daucus montanus Apij folio major, C.B.P. Saxifraga Venetorum, Lob.

Vide pag.318.

2. Thijsselinum, Dod.

Vide pag.317.

Libanotis latifolia major, C.B.P.

6. Libanotis foliis lobatis non ramosis, Nobis. Libanotidis 2. quorundam siue Cervariæ nigræ species, I.B.

Vide pag.318.

7. Libanotis minor Apij folio, C.B.P.

F. H. Von. Houe. Sculp.

Auspicijs D. Phin. Fowke M.D. Coll. Regi=-nal. apud Cantabrigienses Soc.

Octavum Genus umbelliferarum.

1. Thapsia maxima latissimo folio, C.B.P. Thapsia 3. Clus. hist. 3. Thapsia latifolia villosa, C.B.P. Thapsia 1. Clus. h

Vide pag. 318.

Vide pag. 319.

7. Thapsia Carotæ folio, C.B.P. Thapsia vulgaris Carotæ effigie, Lob. Adv.

10. Thapsia Fœniculi folio, C.B.P. Thapsia Lob. Lu

Vide pag. 319.

9. Thapsia Apula foliis Millefolii s. polytrichophylla, Nobis. Panax Asclepium Apulum, Col.

11. Thapsia foliis Anethi, semine fimbriato, Nobis. Gi
dium Dioscoridis Rauwolfii, Lugd. Anetho similis planta
lato laciniato I.B.

Vide pag. 319.

Auspiciis Honoratissimi Viri D. Georgy Wakma
Barometti, Serenissimæ Catharinæ Reginæ V
duæ Medici Ordinarij

1. *Laserpitium lobis latioribus, semi-crispo, & verrucoso.*

Vide pag. 320.

3 2 1

6. *Laserpitium lobis latioribus, semiplano, Seseli Æthiopicum, Dod.*

Vide pag. 321.

8. *Laserpitium lobis angustioribus, saturatè virentibus.*

Vide pag. 321.

9. *Laserpitium angustifol. segmentis indivisis*

UMBELLÆ IMPROPRIE DICTÆ.

Filipendula vulgaris, 2. Barba Capræ floribus oblongis, C.B.P.

1. Barba Capræ floribus compactis, C.B.P. Ulmaria vulgaris, Park.

Vide pag. 322.

Vide pag. 323.

16. Thalictrum majus florum staminulis purpurascentibus, C.B.P.

1. Thalictrum majus vulgare Park.

3. Thalictrum majus foliis rugosis trifidis.

Vide pag. 324.

8. Thalictrum angustissimo folio, C.B.P. et Prod.

12. Thalictrum minus Dod. C.B.P.

15. Thalictrum sem. triquetro folijs Aquilegiæ, Nobis. Thalict. Canadense, Cornuti.

13. Thalictrum minus fœtidissimum, C.B.P. et Prod.

14. Thalictrum minimum præcox folijs splendentibus.

Vide pag. 325.

F. H. Van. Houe Sculp

1. Rubia tinctorum sativa, C.B.P. Vide pag. 326.

2. Rubia sylvestris aspera, C.B.P.

5. Cruciata argentea Cretica, Nobis.

6. Asperula verticillata muralis minima. Col. Vide pag. 328.

1. Gallium luteum, C.B.P. Ger. Vide pag. 327.

3. Gallium montanum Creticum, Park.

1. Cruciata hirsuta, C.B.P.

2. Cruciata muralis minima, Col. Vide pag. 328.

1. Rubia quadrifolia vel latifolia lævis, C.B.P. Vide pag. 329.

4. Rubia quadrifolia lævis semine duplici hispido, Chab.

5. Rubia quadrifolia foliis et seminibus hispidis, Nobis. Rubia semine hispido latis et hirsutis foliis, Bocc.

1. Rubia maritima, C.B.P. Vide pag. 333.

F. H. van. Houe. Sculp.

PLANTÆ FOLIIS Umbellatim dispositis, seu stellatæ. Section. 9. Tab. 22

7. Rubia erecta quadrifolia ... I.B.

Vid pag. 329.

10. Rubia cynanchica, saxatilis B.P. et Prod.

1. Mollugo vulgatior Park.

Asperula odorata, Dod.

Vide pag. 331.

1. Aparine vulgaris semine hirsuto.

Vide pag. 331.

1. Rubeola arvensis cærulea, C.B.P. Rubia minima Ger,

Vide pag. 332.

2. Asperula cærulea arvensis, C.B.P.

3. Gallium rubrum, C.B.P.

9. Rubia Cynanchica, C.B.P. I.B.

Gallium τετραφύλλον montanum cruciatum, Col.

Vide pag. 330.

Rubia Linifolia aspera, C.B.P. Luncaria Salmant. Clus.

2. & 3. Pseudo-rubia spicata latifolia et angustifolia, Nobis. Rubia latifolia spicata et angustifolia, C.B.P.

Vide pag. 333.

8. Rubia minor alba angustifol. ramosissima, montana.



M. Burghers sculp.

Vide pag. 329.

PLANTÆ TRIBUS SEMINIBUS DONATÆ PURGATRICES. Section.10.Tab.1.

1.Tithijmalus characias Amygdaloi-des, C.B.P.

3.Tithijmalus sylvaticus lunato flore, C.B.P. Tith. lunato flore, Col.

Vid.pag.335.

6.Tithijmalus Characias folio serrato, C.B.P.

7.Tithijmalus characias angustifolius, C.B.P.

Vid.pag.336.

11.Tithijmalus dendroides ex Codice Cæsareo, C.B.P.

Vid.pag.336.

12.Tithijmalus arbo-rescens Cæs. Dendroides, Matth.

21.Tithijmalus myrsi-nites latifolius, C.B.P.

Vid.pag.337.

24.Tithijmalus mari-timus, C.B.P. Paralius, Ger.

8.Tithijmalus maritimus spinosus Creticus, Park.

Vid.pag.342.

Tithijmalo affinis purpu-rascentibus floribus, Nobis. Esula rara è Lio Venetorum Insula, Ad Lob.

27.Tithijmalus foliis Pini, forte Dioscoridis, C.B.P. Esula minor, Dod.

25.Tithijmalus maritimus Iuniperi folio, Bocconi.

Vid.pag.337.

MBurg. sculp.

Auspicijs Honoratissimi D.ni D.ni Stephani Fox Ba-ronetti unius E.D.ti Commissionarijs ad ex-ercendum officium summi Angliæ Thesaurary

28.Tithijmalus folijs brevibus aculeatis, C.B.P. Cyparissias vulgaris, Park.

29.Tithijmalus cijpariſſias repens, Nobis. Tith. Cupreſſinus, Ger.

Vid.pag.338.

1.Tithijmalis major annuus glaucifolius, Nobis. Cataputia minor, Trag.

9.Tithijmalus helioſcopius, C.B.P. Matth.

Vid.pag.339.

3.Tithijmalus ſiue Peplijs annua folijs acutis, Bocc.

12.Tithijmalus Siculus polijcoccos Portulacæ folio, Bocc.

11.Tithijmalus annuus ſiue Eſula rotunda Peplijs, Ger.

19.Tithijmalus minimus procumbens, Chamæſijce, Matth. Dod.

18.Tithijmalus ſiue Peplijs marit. folio obtuſo, C.B.P.

Vid.pag.340.

Vid.pag.343.

Vid.pag. 340.

3.Tithijmalus Linariæ folio longiore.

Vid.pag.339.

2.Tithijmalus latifolius Hiſpanicus, C.B.P. Platijphijllos, Ger.

Vid.pag.341

1.Tithijmalus paluſtris fruticoſus. C.B.P. Eſula major. Dod.

5.Tithijmalus minimus angust. C.B.P. Eſula exigua. Tragi.

Vid.pag.339.

F. H. Van. Houe. Sculp.

Auſpicijs Generoſi viri Ezikielis Pargiter filij natu 4ti Gulielmi Pargiter Armigeri, de Greetworth in agro Northamptoniensi.

10. Tithymalus montanus non acris, C.B.P. Esula dulcis, Tragi.

Vid. pag. 342.

3. Tithymalus verrucosus J. Bauh.

12. Tithymalus radice tuberosa pyriformi, C.B.P.

Vid. pag. 342.

13. Tithymalus radice tuberosa oblonga. C.B.P.

1. Tithymalus arvensis annuus latifolius Germanicus, C.B.P.

Vid. pag. 341.

4. Tithymalus Epithymi fructu Col.

Tithymalis affinis Alypum Matth. Chab.

Hippophaes quibusdam ακανθα ναπαφαγισν C.B.P.

Vid. pag. 344.

Vid. pag. 343.

1. Ricinus vulgaris, C.B.P.

Vid. pag. 347.

15. Ricinus Amer. major semine nigro, C.B.P.

16. Ricinus minor Indicus Solani folijs, Breijnei.

Vid. pag. 348.

11. Ricino affinis tenuiter diviso folio.

F. H. van. Houe. Sculp.

Auspicijs viri prænobilis Edwardi Burdet juris nostri municipalis Professoris integerrimi Antiquæ Burdettorum inagro Warwicensi; Prosapiæ Surculi verius Regem fidelissimi Authorisq; hujus Operis amici et Fautoris singularis.



2.
Hyssopus umbellata, C.B. Prod. Spicâ brevi lata. I.B.

1. Hyssopus Vulgaris, Clus. hist. Utrinq; florifera. Dod.

Hyssopus fl. rubro, Eyst.

7. Hyssopus parva angustifolia, I.B.

8. Hyssopus angustifolia, spicato flore, Clus. hist.

Vide pag. 361.

Vide pag. 361.

1. et 2.

4. Hyssopus folio Origani, Lugd.

Lavendula latifolia, C.B.P. & Lavendula fl. albo & cæruleo, Eyst.

3. Lavendula angustifolia, C.B.P. Spica vulgaris fl. cæruleo et albo, Eyst.

4. Lavendula multifido folio, Clus. hist.

Vide pag. 361.

Vide pag. 352.

1. Stœchas purpurea, C.B.P. Brevioribus ligulis, Clus. hist.

2. Stœchas caulibus non foliatis, C.B.P. Longioribus ligulis, Clus. hist.

6. Stœchas folio serrato, Dod. Ger. Crispo folio, Clus. hist.

7. Stœchadi serratæ affinis, C.B.P. Tragium Alterum Dioscoridis. Secudus et Sucudus Rauwolf. Lugd. App.

Vide pag. 353.

Gul. Sonmans delin. Burnford sculp.

Auspicijs Reverendissimi in Christo Patris Gilberti Sheldon, Archiepiscopi Cantuariensis, totius Angliæ Primatis, & Metrop. &c.

Polium Montanum

1. Polium montanum luteum, C.B.P. Tab. Ger.

3. Polium montanum album, C.B.P. Montanum Clus. hist.

4. Polium alterum cauliculis erectis, foliis angustioribus, capitulis longioribus, C.B.P. Montanum 3. & 12. flore albo, Clus. hist.

21. Polium montanum supinum flore albo, Nobis Montanum minimum supinum 8. Lob. Lugd. & Clus. hist.

Vide pag. 355.

Vide pag. 356.

17. Polium Lavendulæ folio, C.B.P. Foliis et facie Lavendulæ, Eyst.

18. Polium Lavendulæ folio latiore sine floribus, Ger.

16. Polium montanum pusillum tenuifolium, Africum, Park.

15. Polium angustifolium Creticum, C.B.P. Polium erectum Creticum et forte frutescens Dioscor. Ponæ Ital.

Vide pag. 356.

Polium Maritimum.

5. Polium maritimum erectum Monspeliacum, C.B.P. Polium montanum, Matth. Lugd.

6. Polium 2. Matth. Lugd.

12. Polium maritimum supinum Venetum, C.B.P. 5. Purpureum, Clus Hist. Hyssopus Apulis Dioscor. & Serapionis & Col.

7. Polium latifol. flo. ex albo pallescente, 4. Clus. Hist.

Vide pag. 355.

Auspiciis Reverendissimi in Christo Patris Richardi Stern Archiepiscopi Eboracensis.

3. Majorana tenuifolia, C.B.P. Tenuior et minor, Dod.

1. Majorana vulgaris annua Nobis. Vulgaris C.B.P. Amaracus vulgatior, Eyst. & Majorana latifolia, Eyst.

5. Majorana ſyl. perennis, C.B.P. Sylveſtris, Trag.

9. Majorana ſyl. latifolia, C.B.P. Majorana latifolia, Eyst.

Vide pag. 359.

12. Origanum vulgare, Eyst. Matth. Lugd. Sylveſtre, Dod. Anglicum, Ger.

14. Origanum Heracleoticum, Matth. Lugd.

15. Origanum Creticum C.B.P.

4. Origanum Onites floribus albicantibus C.B.P. Origanum Onites dictum, Eyst.

Vide pag. 360.

16. Origanum folio ſubrotundo, C.B.P. Monſpeliacum, Cam. ep. et Matth.

1. Dictamnus Creticus, C.B.P. Dictamnum verum, Dod Lugd.

Vide pag. 357.

17. Origano cognata Zatarhendi Origanum Indicum, Ioh. Veslingii in Proſp. Alpin. de plantis Ægypt.

Vide pag. 360.

Auſpiciis Reverendiſſimi in Chriſto Patris Humphredi Henchman, Epiſcopi Londinenſis & Sereniſſimo D. Carolo 2.do Sanctioribus conſiliis.

PLANTÆ GALEATÆ VERTICILLATÆ SPICATÆ. Section. 11. Tab. 4.

13. Polium purpureum folio Chamædryos.

14. Polium saxatile Chamædryoides flore rubello. Vide pag. 356.

23. Polium pumilum rubrum Stachados folio caule tomentoso.

24. Polium pumilum rubrum angusto viridi folio. Vide pag. 356.

2. Dictamnus Sipyleus Majoranæ foliis. Vide pag. 357.

11. Betonica Virginiana elatior Scrophularia folio flore ochroleuco. Vide pag. 365.

1. Dracocephalus angustifol. folio glabro serrato, Nobis. Pseudo digitalis, Bocc. Vide pag. 407.

6. Pulegium Mexicanum foliis crenatis Rechi. Vid. pag. 371.



PLANTÆ GALEATÆ VERTICILLIS per intervalla dispositis.

17. Sideritis Cretica viscosa bitumen olens. Zan.

12. Sideritis montana parvo variogs flore. C. B. P.

6. Sideritis montana. Lob. Valerandi Doures. I. B.

12. Sideritis odorata Persica. Zan. Vid. Lamium pag. 386.

7. Sideritis Salviæ folio Anguillaræ.

9. Sideritis Hispan. longifol. frutescens sive lignosior. C. B. P. Vide pag. 388.

Vide pag. 388.

Savage sculp.

Betonica, Prunella, Bugula, Coris.

1. Betonica Vulgaris, Clus. hist. Dod.

5. Betonica major Danica, Park. Theat.

4. Betonica minima Alpina Helvetica, Park.

1. Prunella major folio integro S. non dissecto, C.B.P. Prunella 3. sive potius Brunella officinarum Eyst.

Vide pag. 363.

Vide pag. 365.

4. Prunella major folio non dissecto, cæruleo magno flore, C.B.P. Cæruleo magno flore, Eyst.

7. Prunella angustifolia hirsuta, Nobis. Angustifolia, I.B.

6. Prunella laciniata, flore magno purpureo, I.B.

2. Prunella folio laciniato, flore albo parvo, I.B.

Vide pag. 364.

9. Prunella Hyssopi folio, amplo flore cæruleo, Nobis.

8. Bugula odorata Lusitanica Corn.

1. Bugula media pratensis Cærulea Nobis. Media Eyst. Consolida media pratensis cærulea C.B.P.

3. Bugula hirsuta Genevensis, Nobis. Consolida media Genevensis, I.B.

Coris Monspeliaca, Ad. Lob. Coris quorundam, Clus. hist.

Vide pag. 391.

Vide pag. 362.

Auspiciis Nobilissimi Viri, Reverendissimi in Christo Patris D. Henrici Compton, Episcopi Londinensis, Sacelli Regii Decani, Regi a Secretionibus Conciliis

1. Mentha angustifolia spicata, C.B.P. Mentha sativa vel hortensis 4. Dod.

4. Mentha rotundifolia, crispa spicata, C.B.P. Mentha sativa altera, Matth. Dod.

5. Mentha crispa Danica, Park.

3. Mentha rotundifolia spicata, altera, C.B.P. Sisymbrium hortense, Matth. Mentha rotundifolia hirsuta palustris, Nob. Sisymbrium campestre, Ang.

Vide pag. 367.

Vide pag. 369.

6. Mentha sylvestris longiore folio, C.B.P. Mentastrum vulgare, Lugd. Sylvestre, Eyst. & Sylvestre niveum, Eyst.

4. Nepeta sive Mentha cattaria latifolia, C.B.P.

1. Nepeta s. Mentha cattaria vulgaris C.B.P. Mentha felina,

3. Nepeta s. Mentha cattaria minor Alpina C.B.P. Nepetella, Eyst.

Vide pag. 368.

Vide pag. 414.

5. Mentha cattaria major angustifolia, C.B.P. Cataria folio longiori, Dod.

6. Nepeta Pannonica elatior, Nobis. Mentastrum Pannonicum, Clus.

10. Menthastrum tuberosa radice, Clus. hist.

7. Nepeta Indica rotundiore folio Katu-Kurka Hort. Mal.

Vide pag. 414.

Vide pag. 368.

Vide pag. 415.

Auspiciis Reverendissimi in Christo Patris, Nathanielis Cicestrensis Episcopi, Portelmensis, et ibidem Comitis Palatini.

PLANTÆ GALEATÆ VERTICILLATÆ.

Sect. II. Tab. 7.

1. Mentha hortensis verticillata Ocimi odore, C.B. Mentha Cardiaca, Cam.

2. Mentha crispa verticillata, C.B.P. Mentha cruciata, Lob.

6. Mentha rotundifol. palustris s. aquatica major Sisymbrium, Matth.

4. Mentha palustris folio oblongo. C.B.

Vide pag. 369.

3. Mentha arvensis verticillata versicolor.

5. Mentha arvensis verticillata procumbens, Nobis. Calamintha aquat, Ger.

1. Pulegium latifolium Regium, Eyst. Mas Plinij, I.B.

Vide pag. 371.

2. Pulegium latifolium vulgare, Park. siue minus.

7. Pulegium angustifolium siue Cervinum odoratius, Lob.

Vide pag. 371.

8. Pulegium erectum folijs longissimis floribus pallidis in cimis dispositis.

7. Calamintha erecta Virginiana folio latiore mucronato & glabro.

5. Pulegium tomentosum minimum, Bocconi.

Vide pag. 371.

Vide pag. 412.

M. Burghers delin. et sculp.

Auspictis Reverendissimi in Christo Patris Georgii Morley Episcopi Vintoniensis, Perischelidis Præsulis. Regi D. Carolo a sanctioribus Consi-/

PLANTÆ GALEATÆ verticillis per intervalla dispositis.

1. Clinopodium Origano simile, C.B.P. Vulgare, Matth.

2. Clinopodium majus Canadense floribus fistulosis, Nobis. Origanum, Can: fistulos. Corn:

4. Clinopod: max. Virgin: verticillis majoribus floribus minoribus Carneis.

5. Clinopodium humile Chalep: purp: breviori folio, Ziziforum dictum.

Vide pag. 374.

Vide pag. 374.

15. Pedicularis Alpina Teucrij folio Clinopodium Alpinum Ponæ. Ger.

Vide pag. 428.

8. Clinopodium angustifolium Lamij flore luteo maculato.

Vide pag. 375.

18. Sideritis annua lutea utriculis et folijs longioribus.

Vide pag. 389.

1. Marum verum vulgo Mastic. Lugd.

Vide pag. 372.

1. Tragoriganum Serpylli folium, C.B.P. Tragoriganum, Lobelij

Vide pag. 373.

6. Clinopodium non ramosum flore cæruleo labio trifido atro purpureis maculis notato.

Vide pag. 374.

2. Tragoriganum angustiore folio, C.B.P.

Vid pag. 373.

3. Marum repens verticillatum, C.B.P.

Vide pag. 372.

7. Clinopodium glabrum flo. albo ramosius Virgin.

Vide pag. 374.

F. H. Van. Houe. Sculp.

1. Pseudodictamnus verticillatus inodorus, C.B.P. Pseudodictamnum, Matth. Lugd.

Vide pag.379.

18. Marrubium Cardiaca dictum, C.B.P. Cardiaca, Matth. Lob. Lugd. & crispifolium,

Vide pag.378.

14. Marrubium fœtidum Ballote Dioscoridis C.B.P. Ballote Matth, Dod.

15. Marrubium nigrum rotundifolium C.B.P. Oimastrum Valentium, Clus. hist. Lugd.

20. Pseudo-marrubium aquaticum, vulgare, Nobis. Marrubium aquatile, Dod. Lugd.

21. Pseudo-marrubium aquaticum, foliis dissectis, Nobis.

16. Marrubium nigrum longifolium, C.B.P. Herba venti. Monspeliensium, Lob. Lugd.


Vide pag.378.
Vide pag.378.

1. Marrubium album vulgare, C.B.P. Candidum, Trag. Vulgare, Clus. hist. Eyst.

8. Marrubium album latifolium peregrinum, C.B.P. Candidum, Dod. Ger.

6. Marrubium album peregrinum brevibus et obtusis foliis, C.B. et Creticum modorum angustis foliis, Eyst.


Vide pag.376.

Auspiciis Reverendissimi in Christo Patris, Edvardi Rainbow Episcopi Carleolensis.

12. Marrubium purpureum, rugosis foliis profundè incisis, verticillis spinosis, Nobis. Alyssum, Clus. Dod. Ger. Lob.

11. Marrubium hirsutum foliis crenatis Nobis. Alyssum foliis crenatis, C.B.P. Alyssum Antonii Coi ex Galeno, Col.

Vide pag. 377.

2. Stachys minor Italica, C.B.P.

1. Stachys major Germanica, C.B.P.

Vide pag. 381.

11. Stachys minor foliis obscurè virentibus, flore ferrugineo, Nobis.

16. Stachys palustris fœtida, radice nodosa repente, Nobis. Clymenum minus, Lugd. Panax Coloni, Ger.

8. Stachys Lusitanica quorundam, Lob. Lugd. Lusitanica, Park.

Vide pag. 382.

4. Stachys angustifolia Alpina Nobis. Alpina, Tab. Ger. Pseudostathys Alpina, C.B.P.

Vide pag. 381.

9. Stachys Spinosa Cretica, C.B.P. Gaidarothymum, Pon. Ital. Gaidarothymum Creticum, Stachys Spinosa et Gaidarothymo id est Thymum asininum, Clus. app. 1.

12. Stachys hirsuta, flore partim rubro partim albo, calyce hirsuto Nobis.

Vide pag. 382.

Auspicijs Reverendissimi in Christo Patris Johannis Dolben Episcopi Roffensis, Serenissimi D. Regis Elemosynarij magni, Collegij Westmonasteriensis Decani.

prima duo sunt. Lamia annua

Cætera sequentia sunt perennia.

9. Lamium purpureum fœtidum folio subrotundo, C.B.P. Lamium Trag. Urtica iners altera Dod.

Vide pag. 385.

11. Lamium foliis caulem ambientibus minus C.B.P. Ballote crispa minor Lugd. Morsus Gallinæ alter, folio Hederulæ Lob. Icon.

1. Lamium purpureum vel album non fœtens, fol. oblongo C.B.P. Lamium rubrum, Ger.

Vide pag. 384.

7. Lamium luteum folio oblongo, C.B.P. Luteum, Ger. Tab.

2. Lamium purpureum foliis lineâ albâ notatis, C.B.P. Lamium Plinii montanum Campoclarense, Col.

6. Lamium luteum foliis maculis albis notatis Nobis. Urtica mortua maculis albis fol. aspersis, Col. Urtica fatua λευκόξυκτος, Thal.

10. Stachys fœtida sepium flagellis reptatricibus, Nobis. Lamium maximum sylvaticum fœtidum, C.B.P. Galeopsis legitima vel vera Dioscoridis Clus. hist.

Vide pag. 382.

3. Lamium maximum sylvaticum, folio obscurius virenti, flore rubro variegato, Nobis. Galeopsis maxima Pannonica, Clus. hist.

8. Lamium montanum Melissæ folio, C.B.P. Melissophyllum verum Fuch. Lamium Pannonicum 1. versicolore albo flore, Clus. hist.

4. Lamium perenne album Parietariæ facie Virginianum, Nobis.

Vide pag. 185.

Camphorosma. Vide pag. 366

Sideritis vulgaris hirsuta erecta, C.B.P. Vulgaris Cam. in Matth.

Sideritis hirsuta procumbens, C.B.P. Heraclea 3. Clus. hist.

Sideritis foliis hirsutis profundè crenatis, C.B.P. Scordioides Monspeliaca, Ad. Lob.

Sideritis hirsuta pallido flor. C.B.P. 6. Clus. hist.

Vide pag. 387.

Vide pag. 388.

7. Sideritis salviæ folio Anguillaræ

8. Sideritis Alpina Hyssopifolia C.B.P. 7. Clus. hist.

Sideritis Heraclea, Col.

12. Sideritis querno folio, Dal. Lugd.

14. Sideritis arvensis latifolia glabra, C.B.P. Sideritis 2. Matth.

Vide pag. 388.

Vide pag. 389.

18. Lamium arvense angustifol. rubrum verticillis spinosis Nobis. Ladanum segetum Plinii & Tetrahit alüs, Lugd.

5. Sideritis verticillis spinosis minor procumbens, Nobis. Verticillis spinosis I.B.

17. Lamium annuum medium elatius foliis non serratis, Nobis. Cannabis Sylvestris spuria 3. Lob.

13. Lamium annuum procerius Urticæ folio, verticillis spinosis, Nobis. Cannabis spuria Fuch.

Vide pag. 388.

Vide pag. 386.

Vide pag. 386.

10. Sideritis humilior Pyrenaica Hyssopi folio procumbens, Schol. Bot. Par.

PLANTÆ GALEATÆ verticillis per intervalla disposítis.

4. Horminum Æthiopicum incanum fol. latis sinuosis, Nobis Æthiopis, Dod.

Vide pag. 392.

6. Horminum annuum cerato=phyllum rugosum flore sulphureo.

Vide pag. 393.

7. Horminum comâ puro violaceâ C.B.P. Creticum, P. Alp.

18. Horminum luteum glutinosum, C.B.P. Colus Ioris, Ad. Lob.

16. Horminum hirsutum flore violaceo punctis aureis notato.

10. Horminum pratense folijs serratis, C.B.P.

27. Horminum Virgin. caule aphyllo tubuloso longo flore.

19. Horminum alato folio Chalepense flore hiante rubicundo.

Vide pag. 394.

Vid. pag. 395.

28. Horminum tenui Coronopi folio flore rubro amplo Virginianum.

31. Horminum Virgin: erectum Urticæ folio flo. minore.

22. Pseudo-Marrubium nigrum palustre glabrum Virginianum majus.

17. Marrubium nigrum Creticum Prosp. Alp. Park.

Vide pag. 395.

Vide pag. 378.

17. Horminum Canarien: tomentosum hastato folio.

F. H. Van. Houe. Sculp.

20. *Horminum syl. sativi folium majus vel maculatum, C.B.P. Horminum sylvestre Matth. Lugd.*

Vide pag. 394.

21. *Horminum syl. sativi folium minùs C.B.P. Hormini syl. 4ta species 1ma Clus. hist.*

15. *Horminum sanguineum Asphodeli radice Triumfetti.*

Vide pag. 394.

32. *Horminum syl. elatiùs Lavendulæ flore majore saturatè cæruleo, Nobis. Hormini syl. 4. species 5ta Clus. hist.*

Vide pag. 395.

29. *Horminum syl. latifolium serratum, hirsutum densiùs verticillatum, flore Lavendulæ, Nobis. sylvestre 3. Clus. hist.*

33. *Horminum syl. minùs, supinum, flore minore, dilutè cæruleo, Nobis.*

Vide pag. 396.

35. *Horminum spicatum Lavendulæ flore et odore, Bocconi.*

2. *Melissa Moluccana fœtida, C.B.P. Molucca odorata spinosa, Eyst.*

Vide pag. 380.

1. *Melissa Moluccana odorata, C.B.P. Molucca Lævis, inodora, Eyst.*



3. *Pseudodictamnus de Cerigo seu Dictamnus 2. Theoph. Ponæ Ital.*

Vide pag. 379.

4. *Pseudo-dictamnus Hispan. fol. rugosiore, Schol. Bot. Par.*

1. *Salvia major latifolia cærulea, Eyst. Major, Matth. Dod.*

3. *Salvia Absynthium redolens, I.B.*

7. *Salvia major crispa folia subrotundo, Nobis Serrata crispa folio latiore, I.B.*

11. *Salvia minor non aurita, C.B.P. Minor, Matth. Angustifolia, Clus. hist. Et Aurita.*

Vide pag. 399.

14. *Salvia minor tenuifolia, I.B.*

15. *Salvia folio tenuiore, C.B.P. Hispanica fl. albo, Eyst.*

16. *Salvia angustifolia serrata, C.B.P. Cretica angustifolia, Clus. hist.*

4. *Salvia Cretica non pomifera, Clus. hist.*



Vide pag. 400.

4. *Salvia Cretica pomifera S. Baccifera, Cam. ep. Matth. Baccifera, C.B.P.*

1. *Pseudo-salvia major lutea vulgatior latifolia Nobis Verbascum latis salviæfolijs, C.B.P. et Verbascum syl. Clus. hist.*

6. *Pseudo-salvia frutic. purp. Verbasci angust. folijs rugosis.*

Vide pag. 399.

Vide pag. 397.

* 5. *Salvia folio subrotundo, C.B.P.*

PLANTÆ GALEATÆ verticillis per intervalla dispositis. Sectio. II. Tab. 16.

1. Tragoriganum Creticum, C.B.P. Prosp. Alp. de exot. Trag. 2. alt. Spec. Clus.

1. Rosmarinus hortensis angustiore folio C.B.P. Rosmarinum coronarium, Matth.

Vide pag. 410

2. Rosmarinum latifolium, Park.

3. Rosmarinus Scardadi facie, P. Alp. de exot.

10. Salvia minor Æthiopica foliis Chamælæagni asperis, Breynei.

9. Salvia Amer. flo. coccineo, Recchi.

5. Pseudo-Salvia minor lutea Cretica, Park.

2. Salvia fruticosa Chalepensis lutea ampliori folio cordiformi.

Vide pag. 399.

Vide pag. 397.



1. Horminum vulgare Sclarea dictum, C.B.P. Galitricum sativum, I.B.

2. Horminum Syriacum Eyst.

3. Horminum Salviæ folio lanuginoso, Nobis. Marum Ægyptiacum, P. Alp.

11. Horminum pratense niveum foliis incanis, C.B.P.

Vide pag. 493.

Vide pag. 392.

Horminum Africanum fruticescens Cisti fœm. foliis subrotundis, non descript.

F. H. Van. Houe. Sculp.

PLANTÆ GALEATÆ VERTICILLIS PER INTERVALLA, RARIUS, DISPOSITIS. Section. u. Tab. 17.

1. Serpyllum vulgare minus, C.B.P. Vulgare repens. Clus. Hist.

2. Serpyllum vulgare majus, C.B.P.

3. Serpyllum angustifolium hirsutum vel montanum hirsutum. C.B.P.

Vide pag. 403.



7. Thymus Narbon. Zygis dictus, Nobis. Serpyllum folio Thymi C.B.P. Zygis Dioscoridis. Clus. Hist.

1. Satureia annua Cunila dicta vulgaris, Nobis. Hortensis æstiva, Ger.

3. Satureia perennis hortensis vulgaris, Nobis. Satureia dumior. I.B.



Vid. pag. 402.

Vide pag. 411.

4. Satureia spicata C.B.P. Thymbra s.ti Juliani. Ger. Lugd.

6. Satureia Cretica C.B.P. Legitima Dioscoridis. Ponæ.

4. Serpyllum foliis odore citri fruticescens facie Mari Mastichini, Schol. Bot. Par.

2. Satureia Orientalis tenuior ad singulos nodos florifera.

Vide pag. 412.

Vid. pag. 403.

Vid. pag. 411.

I. S. sculp.

1. Acinos s. Ocimum sylvestre Dod. Ger. Clinopodium vulgare Lob. Clus. hist.

Vide pag. 404.

8. Thymus latiore folio, Nobis. et vulgatior tenuiore folio, Eyst. s. Thymum vulgare, rigidius, fol. cinereo, I.B.

Vide pag. 402.

3. Serpyllum foliis Citri odore, C.B.P. Citratum, Eyst.

Vide pag. 403.

8. Acinos s. Austriaca, Nobis. Clinopodium Austriacum Clus. hist.

14. Hyssopus capitatus minor Thymi odore. Thymus capitatus & Dioscor. C.B.P. Thymum cephaloton, Dod.

Vide pag. 362.

6. Serpillum foliis Amaraci, Ger. Serpyllum Matth. Lugd. cum Globulis suis tomentosis.

12. Ocimum caryophyllatum Monach. Acinos Col. I.B. Acinos urticellæ foliis, Col.



Vide pag. 407.

Marum Cortusi, I.B. Marjorana syriaca vel Cretica C.B.P. Marum syriacum Lugd. Tab.

Vide pag. 420.

1. Thymum durius, Dod. Ger.

Vide pag. 401.

9. Serpyllum latifol. hirsutum, C.B.P.

Vide pag. 403.

5. Serpyllum angustifolium glabrum C.B.P.

PLANTÆ GALEATÆ verticillis per intervalla disposítis.

5. Stachys Cretica latifolia, C. B. P.

Vide pag. 381.

Stachys Cretica angustifolia, C. B. P.

17. Stachys Africana fruticescens flo. hiante hirsuto phœniceo, Nobis. Leonurus Cap. Bon. Spei. Breynei.

Vide pag. 383.

2. Acinos Syriac. fol. mucronato capsulis lævibus.

Vide pag. 404.

3. Acinos Syriac. folio mucronato capsulis hirsutis.

4. Acinos Syriac. folio tenuiore capsulis hirtis.

9. Acinos Syriaca rotundifolia, crenata.

7. Acinos major frutescens Sampsuci fólijs, Nobis. Quanknacensi, Recchi.

Vide pag. 404.

6. Acinos Thymi folio annuus floribus inexpansis.

Vide pag. 404.

5. Calamintha Pulegij odore siue Nepeta. C. B. P.

7. Calamintha erecta Virginiana mucronato folio glabro.

Vide pag. 404.

2. 3. Scutellaria Virginiana folijs rectis. et folijs dentatis.

Vide pag. 416.

5. Scutellaria humilis Teucrij facie Nob. Teucrium astragaloides, Hort. Reg. Par.

Vide pag. 413.

P. H. Van. Houe. Sculp.

PLANTÆ GALEATÆ VERTICILLIS per intervalla dispositis.

Section II. Tab. 20

3. Ocimum latifolium maculatum vel crispum, C.B.P.

6. Ocimum viride folijs bullatis, C.B.P.

8. Ocimum crispum subrubens brevi congestâ spicâ.

5. Ocimum folijs fimbriatis viridibus, C.B.P.



Vide pag. 406.

10. Ocimum Citri odore, C.B.P.

1. Ocimum caryophyllatum majus, C.B.P.

9. Ocimum vulgatius, C.B.P. Medium, Eyst.

17. Ocimum minimum, C.B.P.

Vide pag. 406.



Vide pag. 407.

PLANTÆ GALEATÆ SCUTELLATÆ.

1. Scutellaria spicata rubra Lamij folio, Nobis. Cassida, Fab. Col.

6. Scutellaria palustris repens cærulea, Nobis. Lysimachia galericulata, Lob.

8. Scutellaria minor repens flo. rubente, Nob. Gratiola latifolia, Ger.

15. Chamædrys elatior Salviæ folio flore ochroleuco, Nobis. Scorodonia, Ger.

Vide pag. 416.

Vide pag. 423.



MBurghers sculp.

2 Dracocephalus latifolius glaber Lysimachiæ luteæ foliis.
Vide pag. 417.

2 Chamæpitys spuria multifido folio, Lamii flore, C.B.P. Chamæpitys spuria altera, Dod. Alia, Cam. ep.
Vide pag. 425.

3 Dracocephalus hirsutus Lysimachiæ foliis latioribus ferratis.
Vide pag. 417.

4 Calamintha Cretica parvo flore acutioribus foliis odore Pulegij, Nobis.
Vide pag. 413.

3 Calamintha vulgaris vel officinarum, Germaniæ, C.B.P. Montana vulgaris, Eyst.
Vide pag. 412.

1 Calamintha magno flore C.B.P. Montana præstantior Lugd. Eyst. Dod. Eyst. Apiastrum Matth. Citrago, Gesn. hort.

1 Melissa hortensis, C.B.P. Melissa, Dod. Eyst. Apiastrum Matth. Citrago, Gesn. hort.

2 Melissa Romana altior et hirsutior, Nobis.
Vide pag. 408.



4 Melissa Moldavica flore cæruleo et albo, Eyst. Moldavica, Matth.
Vide pag. 408.

1 Hedera terrestris vulgaris, C.B.P. Terrestris Matth. Dod. Chamæcissus, Trag. Fuch.
Vid. pag. 409.

2 Hedera terrestris Montana, C.B.P. Terrestris species montana, Cam. ep.

1 Asarina s. Hederula salicifolia Lob. Icon.
Vide pag. 432.

3 Melissa frutticosa Cretica Teucrij facie flore albo.
Vide pag. 408.

Chamædrys fruteſcens major, floribus ochroleucis, Nobis. Chamædrys Altera ſeu aſſurgens, Dod.

Vide pag. 421.

7. Chamædrys fruteſcens floribus violaceis, fol. ſubtùs incanis Nobis. Teucrium Bæticum fruticans, Clus hiſt.

Vide pag. 422.

11. Chamædrys major repens C.B.P. Dod. Triſſago ſeu Chamædrys Matth. Lugd. Major et latifolia Ger.

10. Chamædrys minor repens, C.B.P. Dod. Vulgaris 2. Clus. hiſt.

Vide pag. 422.

17. Chamædrys ſpinoſa, C.B.P. & Prod. Matth. ed. Bauh.

Vide pag. 423.

Chamedrys montis Sumani I.B. 2. Euphraſia Chamædryos foliis montis Sumani, Nobis.

Vide pag. 430.

18. Chamædrys minor annua laciniatis, hirſutis foliis, Nobis. Chamædrys altera, Matth. Lugd. Chamæpitys [illegible] altera, Matth. [illegible]

Vide pag. 423.

14. Chamædrys paluſtris ſcordium s. Allium redolens, Nobis. Scordium Matth. Dod. Eyst.

7. Marrubium Creticum ſupinum album odore Allij, Nobis. Scorodonis 2. Plinij. Ponæ, Park.

Vide pag. 378.

5. Chamæpitys incana exiguo folio, C.B.P. 3. Dod. Altera, Matth.

3. Chamæpitys moſchata fol. ſerratis, C.B.P. Iva moſchata Monſpelienſium. Tab. Ger.

1. Chamæpitys lutea vulgaris s. foli. trifido, C.B.P. Chamæpitys major Ey

Vid. pag. 425.

19. Chamædrys annua multiflora tenuifol. Hiſpan. Tournefort.

Vide pag. 423.

PLANTÆ GALEATÆ, VERTICILLATIS AFFINES Semina incerto numero producentes. Sect. II. Tab. 23.

1. Melampyrum læve purpurascente coma. C.B.P.

2. Melampyrum villosum Spica purpurea quadrata. Nobis. Cristatum flo. purpureo. I.B.

3. Melampyrum luteum latifolium. C.B.P. Parietaria sylvest. Clus.

Vide pag. 428

Vide pag. 429.

5. Melampyrum cærulea coma C.B.P. Melampyro affinis Parietaria cærulea quorundam I.B.

1. Pedicularis lutea pratensis vel Crista galli. C.B.P. Vide pag. 426.

10. Pedicularis Alpina lutea. C.B.P. Vide pag. 427.

11. Pedicularis Alpina Filicis folio major. C.B.P.

12. Pedicularis Alpina major radice Anantes seu Asphodeli. Nob. Alectorolophus primus. Clus. Hist.

13. Pedicularis purpurea palustris seu pratensis humilior. Nob. Pedicularis pratensis purpurea. C.B.P.

Vide pag. 427.

7. Melampyro cognata Madraspatens. spinis horrida. D. Pluk. Tab. 119.

John Savage sculp.

PLANTÆ GALEATÆ verticillatis affines capsulis multis granulis refertis.

1. Euphrasia alba officinarum, C.B.P.

Vide pag. 430.

6. Euphrasia foliis Lini angustioribus, C.B.P.

10. Euphrasia pratensis rubra, C. B. P. Euphrasine Crateogonum Ger.

16. Euphrasia sylvestris major major lutea angustifolia, Col.

Vide pag. 431.

8. Euphrasia pratensis Italica latifolia, C.B.P.

8. Euphrasia purpurea minor Magnol.

13. Euphrasia lutea radice squammata, C. B. P. Anonyma Fran. Gregorij, Col.

8. Pedicularis lutea viscosa magno flore, Nobis. Trixago Apula, Col.

Vide pag. 426.

14. Euphrasia lutea flo. caput Elephantis referente, Nobis. Elephas Campoclarens. -sium, Col.

9. Euphrasia purpurea erecta foliis Veronica brevibus. Westmorlandiæ

Vide pag. 431.

Vide pag. 431.

3. Urtica major Indica racemosa pediculis florum longioribus donata.

7. Urtica pilifera Indica tricarpos folio mucronato.

8. Urtica major Indica pilulis racematim nascentibus.

Vide pag. 435.

F. H. van. Hove sculp.

Auspicijs Reverendissimi in Christo Patris, Artium, bonarum Fautoris insignis, Academiæ eximiæ decoris, Iohannis Fell, Episcopi Oxon. nec non Coll. Æ. dis Christi Decani diginissimi.

PLANTÆ VERTICILLATIS AFFINES HERBACEO FLORE PRÆDITÆ.

1. Cannabis sativa C.B.P. Fœcunda siue mas Dod.

Cannabis erratica C.B.P. Cannabis sterilis. Dod.

Vide pag. 433.

3. Cannabis lutea fertilis Contareni Prosp. Alp. de exot.

4. Cannabis lutea sterilis Contareni Prosp. Alp. de exot.

Vide pag 433

1. Urtica urens maxima C.B.P. Maxima urens perennis, Nobis.

4. Urtica urens minor annua, Nobis. Urtica urens minor. C.B.P.

Vide pag. 434.

2. Urtica Virginiana major racemosa mitior seu minus urens. Nobis.

5. Urtica urens pilulas ferens semine Lini. C. B.P. Romana Trag. Eyst.

3. Verbena recta Canadensis siue Virginiana maxima. Urticæ folijs. Nobis.

1. Verbena communis siue vulgaris Clus. Lugd. Recta. Dod.

7. Verbena tenuifolia supina flo. cærul. Nobis. Supina. Dod.

8. Verbena nodiflora Math. ed. Bauh. C.B.P. Prod.

Vid. pag. 408.

Vide pag. 409.

1. Verbena nodiflora Curassavica folijs Menthæ.

Savage sculp.

1. Bugloſſum latifolium ſiue Borrago. C.B.P. Borago hortenſis Ger.

2. Bugloſſum latifolium ſemper virens. C.B.P. Borago ſemper virens. Ger.

3. Borrago minima Herbariorum. Lob. Symphytum minus Borraginis facie. C.B.P.

1. Bugloſſum angustifolium majus. C.B.P. Vulgare. Matth.

Vide pag. 437.

Vide pag. 438.

5. Bugloſſum minus puniceis floribus, Nobis. Anchuſa puniceis floribus. C.B.P. Anchuſa Alcibiadion. Dod. Ger.

3. Bugloſſum ſylveſtre majus nigrum, C.B.P.

4. Bugloſſum anguſti=folium minus, C.B.P. I.B.

8. Bugloſſum ſylveſtre minus. C.B.P. Annuum. Lob.

Vide pag. 438.

Vide pag. 439.

10. Bugloſſum Cret. annuum folijs bullatis flore variegato.

11. Bugloſſum annuum pullo minimo flore. Echium pullo flore. Cluſ.

13. Bugloſſum ſylveſtre caulibus procumbent. C.B.P. Borrago minor ſylveſtris. Col.

Vide pag. 438.

S. ſculp. Ox.

PLANTÆ ASPERÆ GALEATIS AFFINES Τετράκλαστου. Sect. u. Tab. 27.

1. Anchusa major lutea, C. B. P.

Vide pag. 442.

5. Bugloſsum minus puniceis floribus, Nobis.

Vide pag. 438.

4. Anchusa purpurea minor Patavina C. B. P.

7. Anchusa angustifolia lignosior, Ad. Lob.

Vid. Bugloſsum pag. 439.

7. Bugloſsum minus lignosius, Nobis. Anchusa arborea, Prosp. Alp. de exot.

Vide pag. 439.

3. Anchusa purpurea humilis, P. Alp. exot.

Vide pag. 442.

6. Echium ramosius flore suave-ru=bente. Lycopsis Anglica, Lob. Echij altera species, Dod.

Vide pag. 441.

7. Lycopsis Ægyptiaca, C. B. P.

5. Echium Tingitanum altissimum flore variegato

1. Echium vulgare, Clus. Bug=loſsum agreste, Lob.

2. Echium rubro flore, Clus.

Vide pag. 440.

2. Anchusa echioides lutea Cerinthæ flore montana, Col.

5. Anchusa angustifolia verti=cillis longis aculeis armata D. Pluk.

F. H. van. Hove. sculp.

PLANTÆ ASPERÆ GALEATIS AFFINES τετραχάρπαι.

2. Buglossum Syriacum bullatis foliis floribus albican=
=tibus.

Vide pag. 438.

9. Buglossum sylvestre Creticum annuum flore azureo Zanoni.

6. Echium sylvester lanugi=
=nosum, C.B.P.

Vid. Buglossum 6. pag. 438.

12. Buglossum Creticum flore luteo minus, Nobis.

12. Cynoglossum Britannicum glauci=
=folium procumbens perenne.

Vide pag. 450.

3. Echium majus et asperius flore albo, C.B.P.

Vide pag. 440.

4. Lithospermum Virginia=
=num flore luteo dupli ci.

Vide pag. 447.

7. Lithospermum arvense annuum radice rubente, C.B.P.

8. Lithospermum luteum annuum hirsuto folio, Nob. Echioides lutea mi=
=nima, Col.

Vide pag. 447.

3. Lithospermum perenne Virginianum latifolium flore albicante longiore

1. Heliotropium maximum foliis Hormini, H. R. P.

3. Scorpiurus humilis Virgi=
=nianus foliis rutaceis.

Vide pag. 451.

6. Heliotropium gnaphaloides litoreum frutescens Americanum, D. Pluk.

Vide pag. 452.

F. H. Van. Hove. sculp.

PLANTÆ GALEATIS AFFINES MONOPETALÆ. Section. u. Tab. 27.

1. Symphytum sive Consolida major, C.B.P.

2. Symphytum majus tuberosa radice, C.B.P.

3. Symphytum minus tuberosa radice, C.B.P.

8. Symphytum maculosum sive Pulmonaria maculosa latifolia, C. B.P.

Vide pag. 444.

9. Symphytum maculosum sive Pulmonaria Batavica maxima maculis majoribus conspersa

10. Pulmonaria angustifolia rubente cæruleo flore, C.B.P. 5.ta Pan. Clus. Hist.

5. Pulmonaria angustifolia cærulea, C. B. P.

1. Cerinthe sive Cynoglossum montanum majus, C.B.P.

Vide pag. 444.

Vide pag. 445.

2. Cerinthe flore flavo asperior, C.B.P.

3. Cerinthe flore ex rubro purpurascente, C.B.P.

5. Cerinthe minor, C.B.P. Maru herba minor, Dod.

Vide pag. 445.

7. Cerinthe perennis Virginiana flo. luteo

PLANTÆ GALEATIS AFFINES ΤΕΤΡΑΚΑΥΠΑΙ.

2. Cynogloſſum maximum Belgicum, C. B. P. Vide pag. 448.

1. Cynogloſſum majus vulgare, C. B. P.

Cynogloſſum ſylvaticum rubente caule, C. B. P.

8. Cynogloſſa media virente folio rubro flore, Col.

5. Cynogloſſa media incana angustifolia flore globoſo, Col.

7. Cynogloſſum fructu umbilicato, C.B.P. Fructu κοτυλώδες, Col.

9. Cynogloſs. Virgin. virenti folio floribus et ſeminibus minoribus.

Vide pag. 449.

6. Cynogloſſum Creticum folio argenteo angusto, C. B. P.

4. Cynogloſſum Creticum latifolium fœtidum, C.B.P.

10. Cynogloſſum minus vineale floſculis minimis cæruleis, Nob. Cynogl. off. minus, C.B.P.

11. Cynogloſſum minus glaucum flore albo ſemine umbilicato, Nobis. Linum umbellatum, Park.

Vide pag. 449.

P. H. van Hove. Sculp.

PLANTÆ GALEATIS AFFINES MONOPETALÆ.

1. Lithospermum majus erectum perenne flore ochroleuco, Nobis. Millium solis, I.B.

2. Lithospermum perenne procumbens flore purpuro cæruleo, Nobis. Lithospermum majus repens Col.

7. Lithospermum annuum τετρακόκκον semine nigro angulosо, Nob. Lithosp. arvense radice rubra, C. B. P.

9. Lithosp. annuum μονοκόκκον spicatum Linariæ folio, Nob. Passerina Linaria, Ger.

Vide pag. 447.

5. Lithospermum umbellatum latifolium, et 6. Angustifolium, Bocc.

1. Scorpiurus arvense hirsutus annuus, Nobis. Myosotis hirsuta reptans, Lob.

4. Scorpiurus palustris, Nobis. Echium Scorpioides palustre, C. B. P.

Vide pag. 450.

7. Heliotropium medium siue majus, Dioscor. C. B. P.

Vid. pag. 452.

5. Ricinus humilis fructu verrucoso rotundo, Nobis. Heliotropium tricoccum, C. B. P.

8. Heliotropium Siculum flore amplo odorato, Bocc.

10. Heliotropium minus supinum, C. B. P.

Vide pag. 452.

Vide pag. 349.

12. Heliotropium Curassavicum foliis Lini umbilicati, P. B. P.

MBurg. sculp.

2. Cynogloſſum maximum Belgicum, C. B. P. Vide pag. 448.

1. Cynogloſſum majus vulgare, C. B. P.

Cynogloſſum ſylvaticum rubente caule, C. B. P.

8. Cynogloſſa media virente folio rubro flore, Col.

5. Cynogloſſa media incana angustifolia flore globoſo, Col.

7. Cynogloſſum fructu umbilicato, C.B.P. Fructu κοτυλώδες, Col.

9. Cynogloſs. Virgin. virenti folio floribus et ſeminibus minoribus.

Vide pag. 449.

6. Cynogloſſum Creticum folio argenteo angusto, C. B. P.

4. Cynogloſſum Creticum latifolium fœtidum, C.B.P.

10. Cynogloſſum minus vineale floſculis minimis cæruleis, Nob. Cynogl. off. minus, C.B.P.

11. Cynogloſſum minus glaucum flore albo semine umbilicato, Nobis. Linum umbellatum, Park.

Vide pag. 449.

P. H. van Hove. Sculp:

PLANTÆ GALEATIS AFFINES MONOPETALÆ.

1. Lithospermum majus erectum perenne flore ochroleuco, Nobis. Millium solis, I. B.

2. Lithospermum perenne procumbens flore purpuro cæruleo, Nobis. Lithospermum majus repens Col.

7. Lithospermum annuum τετρακόκκον semine nigro angulosо, Nob. Lithosp. arvense radice rubra, C. B. P.

9. Lithosp. annuum μονοκόκκον spicatum Linariæ folio, Nob. Passerina Linaria, Ger.

Vide pag. 447.

5. Lithospermum umbellatum latifolium, et 6. Angustifolium, Bocc.

1. Scorpiurus arvense hirsutus annuus, Nobis. Myosotis hirsuta reptans, Lob.

4. Scorpiurus palustris, Nobis. Echium Scorpioides palustre, C. B. P.

Vide pag. 450.

7. Heliotropium medium sive majus, Dioscor. C. B. P.

Vid. pag. 452.

5. Ricinus humilis fructu verrucoso rotundo, Nobis. Heliotropium tricoccum, C. B. P.

Vide pag. 349.

8. Heliotropium Siculum flore amplo odorato, Bocc.

10. Heliotropium minus supinum, C. B. P.

Vide pag. 452.

12. Heliotropium Curassavicum foliis Lini umbilicati, P. R. P.

M. Burg. sculp.

PLANTÆ MULTICAPSULARES capsulis disjunctis. Section 12. Tab. 1.

1. Pæonia flore simplici latiore folio, quæ mas, C.B.P.

3. Pæonia promiscua Volmarij, I. B.

Vide pag. 454.

6. Pæonia fœmina vel communis, C.B.P.

7. Pæonia fœm. folio strictiore, I.B.

8. Pæonia fœmina Hispanica pumila, Park.

11. Pæonia Byzantina prior, Clus. Hist.

Vide pag. 455.

13. Pæonia fœmina flore pleno rubro majore. C.B.P.

Vide pag. 455.

15. Pæonia flore pleno incarnato Eyst

17. Pæonia flore papaverino pleno purpureo.

Fraxinella flore rubro vel albo, Nobis. Dictamnus albus siue Fraxinella, C.B.P.

Vide pag. 456.

1. Aquilegia sylvestris flore simplici, C.B.P.

Vide pag. 457.

5. Aquilegia parvo flore Thalictri folio, C. B. P.

Mierghens sculp.

Auspicijs Nobilissimi et Illustrissimi Dni Joannis Comitis de Errol, Reguli Hay de Slane &c. Iure Hæreditario, Summi Scotiæ Constabularij

4 Aquilegia Canadensis flore externe rubicundo, medio luteo.

6 Aquilegia hortensis flore, pleno.

Vide pag. 458.

8 Aquilegia hortensis multiplex flore inverso, C.B.P.

9 Aquilegia flore roseo sive stellato, C.B.P.

10 Aquilegia petalis brevioribus planis, sive degener.

Vide pag. 458.

1 Pseudo-helleborus ranunculoides pratensis rotundifolius, Nobis. Caltha palustris simplex et multiplex, Clus.

Vide pag. 461.

4 Helleborus ranunculoides præcox unifolius tuberosus, Nobis. Aconitum hyemale, Lob.

Vide pag. 459.

2 Pseudo-helleb. ranunculoides luteus flore globoso, Nobis. Ranunculus globosus, Dod.

Vide pag. 461.

3 Pseudo-helleborus ranunculoides albus flore simplici et pleno majore, Nob. Ranunc. montanus, 4. Clus.

5 Aconitum ranunc. album flore simplici minore, Nobis. Ranunculus flore albo, Dod.

1 Aconitum Lycoctonum luteum majus, Dod.

Vide pag. 463.

7 Aconitum luteum tenuifol. salutiferum sive, Anthora.

Vide pag. 461.



P. H. Van. Houe. Sculp.

Auspicijs Nobilissimi et Illustrissimi D. Gulielmi Comitis Marescalli, Reguli Keith de Altrie Klure Hereditarij, Magni Scotiæ Marescalli

19. Aconitum Lycoctonum flore Delphinij, Dod.

Vide pag. 464.

9. Aconitum Lycoctonum cæruleum siue Napellus vulgaris, Clus.

Vide pag. 463.

10. Aconitum Lycoctonum præcox Tauricum, Col.

11. Aconitum Lycoctonum Neubergense, Clus.

12. Aconitum cæruleo purpureo flore maximo, C.B.P. Iudenbergense, Clus.

17. Aconitum inflexâ comâ maxima, C.B.P. comâ nutante, Clus.

Vide pag. 464.

15. Aconitum cæruleum minus siue Napellus minor, C.B.P.

20. Aconitum cæruleum hirsutum flore Consolidæ Regalis, C.B.P.

Vide pag. 464.

Staphis agria. C.B.P. Matth. Trag.

Vide pag. 465.

1. Consolida Regalis arvensis, C.B.P. Delphinium sylvestre Clus. Hist.

6. Consolida Regalis hortensis flore majore simplici, C.B.P.

7. Consolida Regalis hortensis elatior flore, duplici.

Vide pag. 466.

F. H. Van. Hove. Sculp.

Auspicijs Nobilissimi et Illustrissimi D. Georgij Comitis de Dunbritton Baronis Douglas de Ettrick &c. Capitanei Regiarum in utroque Regno Ducis et præfecti.

2. Consolida Regalis vulgaris flore multiplici. C. B. P.
Vide pag. 456.

8. Consolida Regalis flore majore multiplici, C.B. P. Delphinium elatius pleno flore, Clus. Hist.

3. Consolida Regalis latifolia parvo flore, C. B. P.

6. Helleborus niger fœtidus, C.B.P. Helleboraster maximus, Ger.
Vide pag. 459.

7. Helleborus niger trifoliatus Aldini. & Muntingij.

5. Helleborus niger sylvestris latiore folio flore viridi, Nobis. Helleborastrum, Ger.
Vide pag. 459.

1. Helleborus niger non ramosus flore roseo, Nob. Niger verus, Ger.

1. Helleborus albus flore subviride, C. B. P.
Vide pag. 485.

2. Helleborus albus flore atro rubente, C.B.P.

1. Gentiana major lutea, C. B. P.

2. Gentiana major flore punctato, C.B.P.

3. Gentiana major purpurea, C.B. P.



Vide pag. 485.

Vide pag. 484.

P. H. van. Houe. sculp.

Auspicijs Nobilissimi D. Iacobi Reguli Drummond de S... hall, filij primogeniti et Hæredis Illustrissimi D. Iacobi Comitis de Per...

PLANTÆ MULTICAPSULARES CAPSULIS disjunctis. Section. 12. Tab. 5

11. Gentiana major flore cæruleo punctato. C.B.P. Vide pag. 482.

4. Gentiana major Virginiana flore cæruleo longiore Vide pag. 484.

16. Gentiana major foliis cruciatim nascentibus Nob. Gentiana crutiata. C.B.P.

3. Gentianella Alpina astiva Centaurij minoris folio. C.B.P.

Vide pag. 482.

12. Gentianella Alpina verna major. C.B.P.

9. Gentianella Alpina verna minor. C.B.P.

14. Gentianella verna major. Clus.

Vide pag. 483.

10. Gentianella cærulea oris pilosis. C.B.P.

9. Gentianella altera purpurea minima. Col.

Vide pag. 483.

12. Gentiana angustifolia autumnalis major. C.B. P. Pneumonanthe Lob.

Sedo affinis juncoides palustris major, Nobis. Juncus floridus major. C.B.P.

Vide pag. 468.

6. Gentianella cærulea cordata. C.B.P.

Vide pag. 482.

J. Savage sculp.

Auspicijs Nobilissimi D. Joannis Regalis de Graystock primogeniti et Hæredis Illustrissimi D. Joannis Comitis de Tweedale, &c.

1. Sedum majus arboreſcens. J.B.

13. Ficoides Afric. annua latifolia flo. amplo Nobis. Chrysanth. Aizoid. Afric. 1. Breyn.

11. Ficoides majus Afric. triangulari folio, Nobis. Chrysanth. Aizoides 3 Breyn.

12. Ficoides maj. Af. terretifolium Nobis. Chrysanth. Afric. 2 dum Breyn.

Vide pag. 470.

Vide pag. 508.

Vide pag. 508.

3. Ficoides Af. fruticeſcens folio triang. breviore glauco.

4. Ficoides Af. fol. triangulari viridi minore flore croceo.

6. Sedum minus luteum folio acuto, C.B.P.

7. Sedum minus luteum ramulis reflexis C.B.P.

3. Sedum Alpinum flore pallido. C.B.P.

Vide pag. 508.

Vide pag. 471.

Vide pag. 477.

12. Semper-vivum minus vermiculatum acre, C.B.P. Illecebra, Dod.

5. Sedum Alpinum anguſtiſſimo folio flore carneo, C.B.P.

4. Sedum Alpinum exiguis folijs, C.B.P.

15. Sedum minus teretifolium luteum. C.B.P. Minus æstivum Lob. Ger.

16. Sedum echinatum flore luteo J.B. Chab.

14. Sedum montanum perpuſillum luteolis floribus, Park.

Vide pag. 471.

Vide pag. 480.

Vide pag. 471.

Vide pag. 471.

Vide pag. 471.

Auſpicijs Honoratiſſimi viri D. Thomæ Murray a Glendoick Baronetti.

P. H. van Hove Sculp.

PLANTÆ MULTICAPSULARES CAPSULIS DISJUNCTIS.

Section. 12. Tab. 7.

41. Sedum majus vulgare, C. B. P. Vid. pag. 474.

21. Sedum Africanum umbel= =latum album Hort. Lugd. Bat. Vide pag. 472.

23. Sedum minus teretifolium album, C.B.P. Minus officinarum, Ger. Vide pag. 472.

24. Sedum medium teretifolium Ad. Lob.

32. Sedum Alpinum album foliolis com= pactis, C.B.P. Vide pag. 473.

33. Sedum Alpinum hirsutum lacteo flore, C.B.P.

35. Sedum minus folio circinato, C.B.P. Aizoon dasi= phyll= =um, Lugd.

37. Sedum minus annuum Portulacæ minoris folio, Nob. Cepæa Matth. C.B.P. Clus. Vide pag. 473.

49. Sedum æstivum stellatum rotundifol. Nob. Portulaca Cretica Park. Vid. pag. 475.

SEDA FLORIBUS RUBENTIBUS.

39. Sedum African. frutescens incanum foliis orbiculatis. Hort. Lugd. Bat.

40. Sedum African. tere= =tifolium flore Hemero= =callidis. Vide pag. 474.

1. Ficoides major Afric. folio triangulari glauco majori, Nobis. Chrysanth. aizoid. Afric. 3 generis 3 specie 5. Breyn. Vide pag. 506.

18. Sedum majus vulgari simile globulis decidenti= =bus. Vide pag. 472.

M. Burghers sculp.

Auspicijs Honoratissimi viri D. Andreæ Forresteri Equitis Aurati, No= =bilissimi et Antiquissimi Ordinis Equitum S. Andreæ a Cardine, Secretarij

PLANTÆ MULTICAPSULARES CAPSULIS DISJUNCTIS.

6. Ficoides Afric. fruticescens folio triangulari minore flore suave ru= =bent.

Vide pag. 507.

44. Sedum montanum tomentosum, C.B.P. Mont. γναφαλ. ῶιδες, Col.

Vide pag. 474.

46. Sedum procumbens rotundifolium flore purpurascente, Nob. Telephi= =um semper virens, Ger.

48. Sedum palus= =tre subhirsutum purpureum, C.B.P.

Vide pag. 445.

SEDA CAPSULIS BIFURCATIS.

5. Sedum palustre Nardi Celticæ foliis flo. luteo, Nobis. Hirculus qui Chamæ= =cisti genus Clus.

Vide pag. 477.

6. Sedum angustifolium au= =tumnale flo. luteo guttato, Nob. Saxifraga autumnalis, Breyn.

3. Sedum Alpinum hirsutum luteum, C.B.P. Petræum, Ger.

Vide pag. 480.

1. Sedum minimum Syriacum luteolo flore Saxifragæ albæ, J.B. Chab.

Vide pag. 476.

7. Sedum palustre rotundifolium flore luteo, Nob. Saxifraga aurea Ger.

Vide pag. 477.

8. Sedum rotundifolium palustre folys pediculis longis insidentibus, Nobis. Saxifraga aurea Dal. Lugd.

10. Sedum flore albo guttato sive Sanicula montana rotundifolia major, C.B.P.

Vide pag. 477.

50. Sedum annuum minimum stellatum, Magnol.

Vide pag. 475.

P. H. van. Houe. Sculp.

Auspicijs Honoratissimi viri D. Thomæ Wallace Baronetti, Iusticiarii pro Clero Collegij Iustitiæ Senatoris, et Regi Carolo II a Sanctioribus Consilijs.

12 Sedum rotundifolium hirsutum flore albo guttato. Nobis. Sanicula montana minor. Clus.

Vide pag. 478.

13 Sedum hirsutum acuminato folio Nob. Cotyledon hirsuta.

16 Sedum serratum flore albo punctis rubris notato Nobis.

17 Sedum serratum folio pallido flore eleganter punctato. Nobis.

Vide pag. 478.

19 Sedum serratum folio breviore marginibus argenteis. Nobis.

20 Sedum serratum longiore folio marginibus argenteis.

23 Sedum rotundifolium erectum radice granulata, Nobis.

24 Sedum rotundifolium erectum soboliferum. Nobis.

Vide pag. 478.

Vide pag. 479.

28 Sedum tridactylites Alpinum majus. C.B.P.

26 Sedum Alpinum trifido folio. C.B.P.

2 Sedum Alpinū 3. Col.

31 Sedum tridactylites tectorum. C.B.P.

6 Sedum maritimū flore albo, villoso semine. Bocc.

Vide pag. 479.

Vide pag. 476.

Vide pag. 478.

Vide pag. 481.

S. Sculp.

Auspicijs Davidis Gregory de Kinardy in Vice Comitatu Banfiæ, ad ripam Celnij Fluminis, in Scotia.

25. Sedum Alpinum hispidum fere spinosum flo. pallido Chab.

Vide pag. 479.

36. Sedum Alpinum ericoides purpurascens, C. B. P.

Vide pag. 480.

2. Telephium purpureum majus, C.B.P.

Vide pag. 467.

1. Telephium vulgare, C.B.P. Crassula major Dod.

6. Telephium latifolium peregrinum, C.B.P. Telep Hispanicum, Clus.

Vide pag. 468

8. Telephium radice Rosam redolente, Nobis. Rhodia radix, C.B.P. Matth. Dod.

Vide pag. 468.

4. Sedum murale tuberosum umbilicato folio, Nobis. Cotyledon major, C.B.P. Umbelicus Veneris, Matth.

Vide pag. 470.

1. Pyrola vulgatior, Clus. Hist.

Vide pag. 504.

2. Pyrola rotundifolia minor, C.B.P. Minima, Clus.

3. Pyrola palustris nostras flore ampliore simplici, et duplici, Nobis. Gramen Parnassi, C.B.P. Dod.

4. Pyrola folio mucronato serrato. C. B. P.

Vide pag. 405.

5. Pyrola fruticans Arbuti folio, C.B.P.

6. Pyrola Alsines flore Europæa, C.B.P. et Prod.

MBurg. sculp. Ultiv. Oxon.

Auspicijs Honoratissimi viri D. Gulielmi Areskin, Illustrissimi D. Ioannis Comitis Marriæ Filij natu Secundi, Domûs Carthu- sianorum Suttonianæ apud Londinenses Magistr

PLANTÆ MULTICAPSULARIS Polyſpermæ. Section. 12. Tab. 11.

1. Pseudo orchis bifolia radice fibrosa major. Nobis. Ophris bifolia C.B.P.

Vide pag. 489.

4. Pseudo orchis minima bifolia floribus pur- puro croceis. Nobis. Ophris minima floribus purp- ureo croceis. Mentz.

1. Pseudo orchis bulbosa li- =lifolia palustris flore sub= =viridi. Nobis. Bifolium bulbosum, Dod.

Vid. pag. 488.

15. Helleborine flore majore luteo Virginiana siue Calceolus.

Vide pag. 488.

14. Helleborine flore rotundo siue Calceolus, Marianus.

16. Helleborine siue Calceolus flo. luteo concavo longiore tenuiore folio.

Vide pag. 488.

17. Helleborine siue Calceolus Marianus hirsutior flore maximo purpurascente.

12. Helleborine flore albo, Tab. Damasonium Al= =pinum siue Elleborine floribus albis, I.B.

1. Helleborine latifolia mon= =tana, C.B.P.

Vide pag. 486.

4. Helleborine montana angustifolia spicata, C.B.P. 4ta Clus. Pan. 5. Hist.

7. Helleborine angus= =tifolia palustris siue pratensis. C.B.P.

Vide pag. 487.

10. Helleborine palustris radice repente tessulatis folijs, Nob. Orchis radice reperte, Breynei.

5. Helleborine angustifolia spicata, C.B.P. 4ta Clus. Pan.

F. H. van Hove sculp.

Auspicijs Doctissimi Viri Roberti Gray M.D Collegij Medicorum Londinensium Socij.

1. Cynosorchis latifolia hiante cucullo major, C.B.P.

Vide pag. 490.

2. Cynosorchis latifolia spica compacta, C.B.P. Cynosorchis palustris, Ger.

6. Cynosorchis militaris major, C.B.P. Orchis strateum latica major, 3. Gemmæ.

Vide pag. 494.

20. Cynosorchis militaris pratensis humilior, C.B.P.

Vide pag. 422.

11. Orchis è Guinea delata flue Satyrium, Swert. du Bry.

Vid. pag. 491.

3. Orchis morio mas foliis maculatis, C. B. P. Park.

Vide pag. 490.

5. Orchis morio fœmina, C.B.P. Testiculus morionis fœmina, Dod.

1. Orchis flore nudi hominis effigiem repræsentans mas, C. B. P.

Vide pag. 493.

2. Orchis flore nudi hominis effigiem repræsentans fœmina, C. B. P.

3. Orchis flore Simiam referens, C. B. P.

9. Orchis barbata odore Hirci breviore latioreq; folio, C. B. P.

Vide pag. 491.

10. Orchis odore hirci minor. C. B. P.

17. Orchis Ornithophora, Ger. C. Gemmæ.

Vide pag. 495.

18. Orchis alba bifolia minor calcari oblongo, C.B.P.

17. Orchis Batrachites, C. Gem. Lob. I.B.

Vide pag. 492.

Auspicijs Celeberrimi Viri Archibaldi Pitcairne M.D. et in Illustri Academia Lugd-Batav. Medicinæ Practicæ Professoris.

PLANTÆ MULTICAPS. POLYSPERMÆ RADICIBUS testiculatis. Section 12. Tab. 13.

6. Cynosorchis morio minor foliis maculatis, Park.

Vide pag. 491.

5. Orchis strateumatica minor, Ger.

Vide pag. 494.

4. Orchis Cercopithecum exprimens Lusitanica Breyn. prima, et altera.

9. Orchis Apem referens Lusitanica, Breyn.

22. Orchis cum aviculis Ephem. Germ.
Vide pag. 496.

Vide pag. 494.

7. Orchis Melitias, I.B. Apifera, Park.

Vide pag. 494.

11. Orchis muscam majorem cæruleam repræsentans, Breyn.

14. Orchis muscam referens lutea, C.B.P.

Vide pag. 495.

10. Orchis Scarabæum exprimens sive Myodes flore fusco, Breyn.

Vide pag. 494.

15. Orchis Myodes lutea Lusitanica Breyn.

Vide pag 495.

18. Orchis angustifolia, C. B. P. Ger.

Vide pag. 492.

18. Orchis Hermaphrodita Ger. Orch. Bychodes diphylla, Lob. Obs.

Vide pag. 495.

19. Orchis trifolia minor, C.B.P. Ger. I.B.

22. Tragorchis minor Batavica, I.B. Ger.

Vide pag. 492.

F. H. Van. Houe. Sculp.

Auspicijs Reverendi Viri Ludovici Burnet S.T.B. Eclesiæ Cathedralis Exoniensis Prebendarij.

18. Orchis abortiva fusca, C.B.P. Nidus avis, Dod.

1. Orobanche major garyophyllum olens, C.B.P. Rapum genistæ. Dod.

Vide pag. 502.

20. Orobanche flore obsoleto breviore Verbasculi odore

9. Orobanche Virginiana lignosior pertotum caulem floribus onusta.

2. Orobanche flore obsoleto majore, C.B.P.

Vide pag. 502.

4. Orobanche magna purpurea Monspessulana, C.B.P.

8. Orobanche ramosa, C.B.P.

11. Orobanche radice dentata major, C.B.P. Dentaria major, Matth.

14. Orobanche radice dentata altius radicata foliis et floribus ex albo purpureis, Mentz.

5. Orobanche monanthos Virginiana flore majore.

Vide pag. 502.

Vide pag. 503.

13. Orobanche hypopytis lutea. Mentz.

21. Orobanche radice Coralloide. C.B.P.

Orobanche Buguloides radice rotunda squamulis myontoideis Alpina, Mentz.

15. Orobunche sue Dentaria aphyllos purpurea cespite denso, Raij Planta clandestina vel Madrona, Lugd.

Vide pag. 503.

Vide pag. 503.

22. Orobanche Virgin. humil. caule foliis subrotundis.

P. H. van Houe. sculp.

PLANTÆ MULTICIPS, POLYSPERMÆ TESTICULO SIMPLICI, et radicibus palmatis Section. 12. Tab. 15.

7. Monorchis bifolia flore viridi Moschum olens Alpina, Mentz.

9. Monorchis angustifolia flore luteo Ceram olens, Mentz.

8. Monorchis bifolia floribus pallide virentibus Prussiæ, Mentz.

10. Monorchis Ophioglossoides cum altero foliolo adnato, Mentz.

11. Monorchis Ophioglossoides unifolia, Prussiæ, Mentz.

Vide pag. 497.

ORCHIDES PALMATÆ.

8. Orchis palmata palustris tenuifolia, P.

9. Orchis palm. angustifolia minor odoratissima, C.B. P. Prod.

10. Orchis palmata Sambuci odore, C. B. P.

6. Orchis palmata palustris maculata, C. B. P.

3. Orchis palmata palustris latifolia, C.B.P.

Vide pag. 499.

Vide pag. 498.

13. Orchis palmata montana maculata, C.B.P. Palma Christi palustris, Ger.

16. Orchis palmata caryophyllata, C. B. P.

12. Orchis pulmata montana maxima, C. B. P.

22. Orchis siue Serapias castrata, Ger. Park.

Vide pag. 499.

Vide pag. 496.

P. H. van. Hove. Sculp:

PRIMUS

Auspicijs Nobilissimi et Illustrissimi D. Roberti Comitis de Elgin et Ailsbury, Vice-Comitis Bruce de Ampthill, Baronis Bruce de Kinloss, Wharton, Skelton &c

8. Orchis fucum referens major fol. superioribus candidis et purpurascentibus, C.B.P.

Vide pag. 494

12. Orchis Muscam referens major, C. B. P.

Vide pag. 495.

14. Orchis Muscam referens lutea, C.B.P.

7. Orchis arariculum referens, C.B.P.

21. Orchis montana Italica linguâ oblongâ altera, C.B.P. Orchis macrophylla, Col.

Vide pag. 495

16. Orchis Papilionem referens foliis maculatis, C.B.P.

5. Orchis spicata lutea hirsuto folio, C.B.P.

Vide pag. 496.

1. Triorchis vel Tetrorchis alba odorata major, C.B.P.

9. Helleborine palustris repens Plantaginis folio, Nob. Pseudo-orchis, C.B.P.

Vide pag. 487.

3. Triorchis lutea radice oblongâ, C.B.P.

Vide pag. 497

ORCHIDES PALMATÆ

1. Orchis palmata pratensis longis calcaribus, C.B.P.

2. Orchis palmata angustifolia major, C. B. P. Prod.

5. Orchis palmata pratensis maculata, C. B. P.

Vide pag. 498.

4. Orchis palmata pratensis maxima, C.B.P. Satyrium Basilicum Græcorum, Ruellij.

14. Orchis palmata minor Calcaribus oblongis, C.B.P.

Vide pag. 499

P. H. Van Houe. Sculp.

Auspicijs Nobilissimi et Illustrissimi D. Patricij Comitis de Strathmore et King-horn, Reguli Lyon de Glammis.

PLANTÆ MULTICAPSULARES capsulis conjunctis. Section. 12. Tab. 17.

3. Aristolochia radice longa vera, C.B.P. Arist. longa, Dod. Vide pag. 509.

7. Aristolochia Mexicana flore acutiore, Nobis. Aristol. Mexicana, Recchi.

8. Aristolochia clematitis Mexican. fructu tripartito, Nobis. Mex. 2.ª longa, NA. Recchi.

11. Aristolochia peregrina foliis auriculatis, Nobis. Rhasut et Rumigi. Rauolfij.

Vide pag. 510.

5. Aristolochia clematitis recta, C.B.P. Saracenica, Dod. Vide pag. 509.

6. Aristolochia clematitis serpens, C. B. P. Altera, Clus.

12. Aristolochia polyrhizos siue Pistolochia, Ad. Lob.

14. Aristolochia polyrhizos Virgin. fructu pentangulari, Nob. Serpentaria minor, vulgo. Vide pag. 510.

16. Pistolochia Cretica semper virens, Clus. Hist. Vide pag. 510.

1. Gossipium herba semine albo, Nob. Xylon siue Gossipium, Matth.

2. Gossipium herba flore campanulato, Nobis. Bombax ex Pharnambuc, Zan.

3. Bombax Indicum spinosum, Park. Ponæ. Vide pag. 517.

Vide pag. 517.

Auspicijs Nobilissimi et Illustrissimi D. Iacobi Marchionis Montis Rosarum, Comitis de Kincardin, Baronis Graham de Mugdock, &c.

F. A. Van. Hove. Sculp.

1. Nigella arvensis cornuta, C. B. P. Vide pag. 515.

2. Nigella Cretica, C. B. P.

4. Nigella flore minore simplici candido, C.B.P.

5. Nigella flore minore pleno et albo, C.B.P.

Vide pag. 516.

6. Nigella Cretica folio Fæniculi, C.B.P.

9. Nigella Hispanica flore amplo, Ger.

Vide pag. 516.

10. Nigella Chalepensis lutea corniculis longioribus.

7. Nigella Romana sativa floribus foliosis, Park.

8. Nigella Romana sativa flore multiplici folioso. Vide pag. 516.

11. Nigella Cretica odorata foliis Lini seminibus biformibus, Park.

1. Aristolochia rotunda, vera Trag.

2. Aristolochia rotunda minor pediculis longioribus, Nobis. Rotunda altera, Bocc. Vide pag. 509.

Aristolochia Maderaspatana folio cordiformi longius producto.

F. H. Van. Hove. Sculp.

PLANTÆ BACCIFERÆ RACEMOSÆ.

22. Solanum racemosum magnum Virginianum rubrum Park.

19. Solanum tuberosum esculentum, C.B.P. Papas Peruan. Eyst.

Vide pag. 522.

15. Solanum pomiferum foliis Quercus utrinq. spinosis flore Borraginis.

1. Solanum vulgare sive officinarum, C.B.P.

Vide pag. 520.

Vide pag. 521.

6. Solanum Indicum, vulgaris fructu, foliis Capsici.

7. Solanum pomif. fructu rotundo molli, C.B.P. Poma amoris, Dod. Ger.

Vide pag. 520.

1. Sambucus herba repens vulgaris sive Ebulus, Nobis.

2. Sambucus herba sive Ebulus foliis laciniatis.

Vide pag. 534.

8. Periclymeno affinis planta Virginiana flore ochroleuco.

Vide pag. 535.

1. Polygonatum vulgare, C.B.P. Sigillum Salomonis, Brunf. Ges.

6. Polygonatum Hellebori albi foliis, C.B.P. πλατύφυλλον 2. Clus. Pan.

4. Polygonatum flore majore, C.B.P. 2 Latiore folio Clus. Hist.

Vide pag. 537.

Auspicijs Honoratiss. D.D. Georgij Coventrye Baronis de Coventrye de Allesborough, et Custodis Rotulorum in Com. Vigorniæ.

1. Solanum pomiferum ακαύλον radice bifurcata, fructu rotundo et Pyriformi, Nobis. Mandragora mas, & fœmina.

1. Solanum pomiferum fructu oblongo, C.B.P. Mala insana, Dod. Ger. Vide pag. 524.

14. Solanum pomiferum fructu rotundo striato duro, C.B.P. Mala Æthiopica, Dod. Vide pag. 525.

2. Solanum pomiferum fructu nigro spinoso, C.B.P. Vide pag. 524.

Vide pag. 531.

12. Solanum pomiferum fructu rotundo hirsuto, foliis utrinq. spinosis, flore albo, Nobis. Vide pag. 525.

1. Solanum urens siliquâ propendente rubrâ, Nobis. Capsicum Monardi, Clusio.

6. Solanum urens s. Capsicum recurvis siliquis, fructu lato rugoso fructu cordato et olivari.

Vide. pag. 529.

9. Solanum urens siliquâ propendente rotundâ, et fructu aculeato &c.

20. Solanum urens siue Piper Indicum siliquâ erectâ longa, breviore, rotundâ majore, et minore, et cordatâ, et siliquâ bifurcatâ &c

Vide pag. 529.

Vide pag. 530.

P. H. van. Heue. Sculp.

Auspicio D. Caſaris Wood alias Sommer de Alwood-Berry alias Eaſtwood-Berry in Com. Buck. et de Aula Londinenſi aliiſq. Abbiis in Com. Salopiæ Baronetti.

16. Solanum vesicarium perenne repens, Nob. Alkakengi, Lon.

Vide pag.526.

17. Solanum vesicarium Mexicanum folio cordato, Nobis. Coztomatl, Recchi.

18. Solanum vesicar. Mexican folio sinuato, Nobi. Vesicaria Mexicana, Recchi.

27. Solan. vesicar. Mexicanum folio Stramoniæ minore.

Vide pag.527.

21. Solanum vesicar. fructu erecto minore Mexican, Nobis. Alkakengi Mexicanum, Recchi.

Vide pag. 526.

20. Solanum vesicarium verticillatum, Nob. Somniferum verticillatum. CBP.

22. Solanum vesicarium annuum Indicum erectum, Nobis.

24. Solanum vesicarium annuum procumbens folio lanuginoso, Nobis

Vide pag.527.

4. Solano congener flore campanulato, Nobis. Solanum lethale, Dod.

5. Solanum perenne somniferum bacciferum, C.B.P.

Vide pag.532.

6. Solano congener non ramosum tetraphyllum, Nobis. Herba paris. Matth. Ger.

7. Solanum triphyllum Canadense Cornuti.

Vide pag.532.

P.H. Van. Houe. Sculp.

Auspicijs Doctiss. Viri Petri Hotton Medicinæ et Botanices in Academia Lugd-Batav. Professoris.

5. Polygonatum flore pleno. Muntingij.

8. Polygonatum Virginianum spicatum flo. stellato sterile. Nob. Spicatum sterile. Corn.

7. Polygonatum erectum flo. stellato fertile, Nobis. Polyg. spicatum fertile. Corn.

Vide pag. 537.

14. Polygonatum angustifolium non ramosum. C. B. P.

15. Polygonatum angustifolium ramosum. C. B. P.

Vide pag. 538.

11. Polygonatum latifolium ramosum. C. B. P. Puartum ramosum. Clus. Hist.

9. Polygonatum Amer. ramosum et race- mosum Nob. Ramosum. Cornuti.

Vide pag. 537.

12. Polygonatum ramosum perfoliatum flore luteo. Cornuti.

Vide pag. 538.

1. Lilium convallium album, et flore rubente. C. B. P.

7. Lilium convallium minus. C. B. P. Monophyllum. Lob. Ger.

Vide pag. 539.

12. Polygonatum ramosum flore luteo minus, Cornuti.

J. Savage Sculp.

PLANTÆ BACCIFERÆ SIMPLICIBUS ACINIS.

2. Laurus Alexandrina cum foliolo folio insidente, Nobis. Hippoglossum mas. Ger.

Vide pag. 540.

3. Laurus Alexandrina fructu folio insidente, C.B.P. Hippoglossum, Matth. Ger.

Vide pag. 541.

4. Laurus Alexandrina angustifolia ramosa.

1. Ruscus Matth. Ruscus sive Bruscus, Ger.

Vide pag. 540.

Equiseti facie racemosa planta, Ad. Lob. Uva marina Monspelliensium, Tab.

46. Dracontium majus. Dod, Ger. Dracunculus polyphyllus, C.B.P.

Vide pag. 548.

27. Dracunculus pentaphyllus minor Indicus, Nob. Romphal Planta Orientalis, Zan.

Vide pag. 549.

43. Arum triphyllum sive Dracunculus triphyllus Virginianus

Vide pag. 547.



1. Arum vulgare maculatum, Tab.

Vide pag. 543.

23. Dracunculus aquaticus, Eyst. Dod. Ger.

56. Arum polyphyllum Paeoniæ instar ramosum caule aspero.

Vide pag. 545.

P. H. van. Hove. sculp.

PLANTÆ BACCIFERÆ FOLIIS DECIDVIS. Sect. 13. Tab. 6.

2. Arum non maculatum latifolium Eyst. Vide pag. 543.

8. Arum montanum P. Alpini, de exot. Vide pag. 544.

12. Arum minus Matth. C.B.P. Vide pag. 544.

5. Aro affine Indicum Ardabar. Lon. Vide pag. 549.

31. Arum maximum Ægyptiacum C.B.P. Arum ῥοδοκολοκάσιον. Prosp. Alp. Vide pag. 546.

32. Arum μακροῤῥίζον. P. Alp. de Plant. Ægypt. Vide pag. 546.

15. Arisarum latifolium majus C.B.P. Vide pag. 544.

19. Arisarum rotundifol. siue Potamogeiti folio. Bocc. Vide pag. 544.

21. Arisarum angustifolium Dioſc. C.B.P. Vide pag. 545.

Arisarum angustifo-lium minimum. Bocc. 26. Cyclamen vernum spuri-um, Cluſ. Hiſt. App. alt. auct.

28. Arum hederaceum amplis foliis per-foratis, Plumier. Vide pag. 545.



Savage ſculp.

2. Cyclamen vernum folio orbiculato flore minore ruberrimo.

1. Cyclamen radice maxima foliis inferne rubentibus, C.B.P. Romanum, Eyst.

7. Cyclamen vernum folio angulofo, C.B.P.

17. Cyclamen odoratum æstivum folio maculato, C.B.P.

Vide pag. 551.



Vide pag. 552.

22. Cyclamen antumnale Herderæ folio, C.B.P. Serotinum foliis Hederaceis, Eyst.

25. Cyclamen folio Hederaceo polyanthos, C.B.P. Cyclaminus Byzantinus alter, Clus.

4. Cyclamen oblongâ radice. C.B.P. Odoratum μακρόριζον, Clus. Hist.

3. Cyclamen Orientale Cornuti.

Vide pag. 552.

Vide pag. 551.

24. Cyclamen antumnale angusto et oblongo folio, Nobis. Angustifolium, Park. Par.

1. Asarum vulgare rotundifolium, Nobis. Asarum, C.B.P. Trag.

2. Asarum Canadense mucronato folio, Nobis. Canadense Cornuti.

3. Asarum Virgin. cordato folio maculato, Serpentaria major officinarum.

Vide pag. 511.

Vide pag. 552.



37. Colocasia hederacea sterilis et laciniata, C. Plumier. Vide pag. 546.

P. H. Van. Houe. Sculp.



PLANTÆ CAPILLARES FOLIIS INTEGRIS.

Section 14. Tab. 1.

1. Lingua cervina siue Phyllitis vulgaris, Clus.

2. Lingua cervina siue Phyllitis multifida, C. B. P.

5. Ling. cerv. maxima unduz lato folio

9. Ling. cerv. medio folij nervo in aculeum. desinente.

11. Ling. cerv. angust. lucidis angustis axat. da fere cuspa. per summitates foliorum prolifera.

Vide pag. 557.

16. Filix Cretica minor non ramosa Nobis.

Lingua cervina siue Phyllitis ramosa, Alpino Clus.

Vide pag. 572.

1. Hemionitis vulgaris, C.B.P. Major, Dod. Ger.

Vide pag. 560.

5. Hemionitis aurea hirsuta Car. Plumier.

8. Lingua cervina ramosa minor crispa uno pediculo trifolia, H.R.P.

Vide pag. 557.

2. Hemionitis dupliciter auriculata, Nobis. Hemionitis minus vulgaris. C. B. P. Peregrina, Dod. Ger.

Vide pag. 560.

15. Phyllitis Ind. latissimus fol. Musæ facie Nob. Polypodium Indicum seu Scolopendria Musæ facie Breyn.

Vide pag. 558.

17. Phyllitis Ind. fol. mucronat. et obtusioribus Nob. Polypodium Indicum Scolopendriæ facie foliis acutis, fol. Limonij, et foliis mucronatis modo tripartitis Breyn.

15. Polypodium Indicum folio Quercus, C.B.P.

Vide pag. 564

P. H. Van. Hove. Sculp.

Auspiciis Honoratissimi et Doctissimi D.D. Caroli Hatton. Filij Domini Hatton Baronis Liberi Angliæ, Scientiæ Naturalis Cultoris et Fautoris eximij, Authoris olim in Botanicis Discipuli.

PLANTÆ CAPILLARES FOLIIS LOBATIS.

1. Polypodium vulgare. C.B.P.
Vide pag. 562.



3. Polypodium minus Virgin. foliis obtusioribus.
Vide pag. 563.



5. Polypodium minus Virginianum foliis pinnis alternis brevibus subtus argenteis.



12. Lonchitis Virgin. minor pinnis utrinq; auriculatis
Vide pag. 567.

6. Polypodium Virginianum foliis minutim serratis.
Vide pag. 563.

8. Polypodium Cambro Britannicum foliorum lobis profunde dentatis.
Vide pag. 563.

10. Polypodium Virgin. Ofmundæ facie, Nobis. Filix Indica Polypodij facie, Mentz.

22. Filicula Alpina tenerior/ alis latiusculis profunde/ dentatis. Polypod. Ilu=dum, conjunctis.

24. Lonchitis major Virgin. foliis variorum Polypodij in modum latis, I.B.
Vide pag. 569.

25. Lonchitis Virgin. folijs longioribus acutis et diſjunctis, varijs.

23. Lonchitis minor altera folijs Polypodij, I.B. Aspera, Ger.
Vide pag. 569.

1. Lonchitis aspera major, Matth. Ger.
Vide pag. 566.

Ceterach officinarum, C.B.P. Asplenium, Matth.

Vide pag. 561.

16. Lonchitis juxta nervum pulverulenta, C. Plum
Vide pag. 568.

F. H. van. Hove. Sculp:

PLANTÆ CAPILLARES FOLIIS LOBATIS SIMPLICI DIVISURA. Section. 14. Tab. 3.

10. Trichomanes siue Polytricum officinarum. C. B. P.

11. Trichomanes minus et tenerius, C.B.P. Ramosum, I.B.

Vide pag. 591.

13. Trichomanes foliis mucronatis profunde incisis. D.R. Sibbaldi.

25. Chamæ filix marina Anglica, Lob.

Vide pag. 573.

PLANTÆ CAPILLARES FOLIIS PINNATIS, SIUE SUBDIVISIS.

6. Filix mas non ramosa dentata, C.B.P. Mas vulgaris, Ger.

11. Filix mas pinnulis crista tis, Nobis. Mas ramosa pinnulis dentatis, Ger. emac.

7. Filix mollis vulgari mari accedens non ramosa. I.B.

10. Filix bacciſera Cornuti.

Vide pag. 579.

15. Filix mas non ramosa pinnulis latis auriculatis spinosis. Ger. & emac.

Vide pag. 580.

8. Filix mas non ramosa pinnulis angustis raris profunde dentatis. Ger.

15. Lonchitis scandens & Filix scandens perpulchra Brasiliana, Breyn.

Vide pag. 568.

22. Filix minor Iluensis alis Asplenij, Nobis.

Vide pag 576.

23. Filicula Alpina alis latiusculis brevior, integris.



MBurg. sculpt. Unix. Oxon.

17. Filix palustris repens pinnulis non dentatis. Nob. Dryopteris Penæ et Lobelij Adversaria. Ger.

Vide pag. 580.

28. Filix saxatilis non ramosa nigris maculis punctata. C.B.P.

Vide pag. 581.

17. Filicula fontana major. C.B.P. Dryopt. candida. Dod.

Vide pag. 575.

5. Adiant. nig. Amer. alis longioribus serratis Tancapaz, Recchi.

Vide pag. 591.



3. Filix ramosa major repens vulgatissima Nob. Filix fœmina. Matth. Ger.

Vide pag. 583.

FILICES RAMOSÆ.

19. Filix ramosa minor pinnulis dentatis. C.B.P.

Vide pag. 585.

27. Filicula Alpina crispa. Ponæ. Park.

Vide pag. 581.

3. Filix florida major Virginiana per totam caulis longitudinem florescens.

Vide pag. 593.

17. Filix florida major non dentata. C.B.P. Florida s. Osmunda Regalis. Ger.

Vide pag. 593.

5. Lunaria Americana foliis Cicutariæ modo plurifariam divisis eleganter divisis.

Vide pag. 595.

4. Filicula petræa florida Anglica foliis, Nob. Filicula montana florida perelegans Raij.

Vide pag. 593.

16. Adiantum nigrum officinarum. IB. Dryopteris nigra. Dod.

Vide pag. 588.

9. Trichomanes Amer. radiatum. V. pag. 591.



PLANTÆ CAPILLARES FOLIIS PLURIFARIAM DIVISIS.

Sectio 14. Tab. 5.

6. Adiantum foliis Coriandri, C. B. P. Capillus Veneris verus, Ger. et Adiantum Syriac, Tab.

Vide pag. 587.

12. Adiantum nigrum Amer. foliis superne dentatis, Nob. Adiantum fruticos. Brasilianum Corniuti.

Vide pag. 588.

22. Filicula petrea foliis rutaceis Nob. Ruta muraria C. B. P. Ger.

Vide pag. 585.

25. Adiantum foliis in oblongum sciffis pediculo viridi. C. B. P.

26. Filicula fol. inferioribus Coriandri &. Lunaria minor multifido folio, C. B. P.

Vide pag. 585.

PLANTÆ CAPILLARIBUS AFFINES.

23. Adiantum ἀκρόστιχον sive furcatum. Thalij.

1. Lunaria minor, Matth. Dod.

2. Lunaria minor Adianti folio, Breyn.

Vide pag. 594.

3. Lunaria minor Matricariæ folio, Breyn.

Ophioglossum vulgatum, C. B. P. Lingua Serpentina, Cæs.

Ophioglossum abortivum, Ger.

Ophioglossum bilingue et trilingue majus, Mentz.

Vide pag. 595. et 596.

Ophioglossum bilingue medium, Mentz.

Ophioglossa minima, Mentz.

6. Lunaria elatior Adianti folio duplici spica, D. Sloane.

Vide pag. 595.

P. H. van. Houe. Sculp.

PLANTÆ HETEROCLITÆ *siue* ANOMALÆ MONOPETALÆ MONOPYRENÆ.

Section. 15. Tab. 1.

Dentariæ facie planta monopetalos fructu rotundo monopyreno.

1 *Mirabile Peruvianum, Ger.*
Vid. pag. 598.

Plumbago Plinij. Ger.
Vid. pag. 599.

Vid. pag. 599.

1 *Limonium maritimum majus.*
C.B.P. *Vide pag. 600.*

23 *Limonium ferulaceo folio Grisley.*
Vide pag. 600.

18 *Limonium Hispanicum Portulacæ marinæ foliis Tournefort.*
Vide pag. 600.

29 *Limonium gramineum flore globoso majus Nob. Statice Lugd.*
Vid. pag. 601.

4 *Sesamoides Linariæ folio glauco Pyrenaica flore stamineo*
Vid. pag. 601.

3 *Sesamoides procumbens nostras Linariæ foliis, floribus albicantibus.*
Vid. pag. 601.

1 *Piper rotundum nigrum. C.B.P. 1.B. 182. Ger. 1538.*
Vid. pag. 602.

10 *Piper long. racemosum malvaceum, D. Sloan. Sau= =rurus arborescens. Plumier*
Vid. pag. 603.

13 *Piper longum mitius Betle dictum Nobis. Betre siue Tembul. C.B.P.*
Vid. pag. 603.

Amomum Dal. Lugd. Amomum verum quorun= =dam. I.B. 208. *Vid. pag. 617.*

MBurg. delin. et sculp.

Auspicijs Clarissimi Viri Gulielmi Cockburn M.D. e Collegio Medicorum Londinensium, Classis Britannicæ Medici et Societatis Regiæ Socij.

PLANTÆ ANOMALÆ BICAPSULARES, TRICAPSULARES, ET QUADRICAPSULARES.

Section. 15. Tab. 2

1. Clematis daphnoides siue Pervinca major. Park. Vid. pag. 613.

2. Acanthus medius rarioribus et brevioribus aculeis donatus. Vid. pag. 604.

2. Xanthium majus Amer. fructu spinulis aduncis armato. Vid. pag. 604.

3. Xanthium spinosum Atri-plicis folio. Vid. pag. 604.

Acopa Dioscoridis. Trifolium paludosum. Ger. Park. Vid. pag. 604.

Plantaginella palustris. C.B.P. Vid. pag. 605.

1. Phalangium Virgin. flosculis arbuteis bullatis aureis. Vid. pag. 606.

3. Ephemerum African. annu-um flore dipetalo. H.L.B. Vid. pag. 606.

4. Ephemerum phalangioi-des tripetalon Virginianum gramineum. Vid. pag. 606.

4. Stramonium pomo crassioribus et robustioribus spinis armato. H.L.B. Vid. pag. 607.

9. Stramonium siue Datura Ægypt. flore pleno. Pon. Vid. pag. 607.

7. Stramonium s. Datura Indica folijs Malabathri. Breyn. Vid. pag. 607.

Clematis Alpina Geranij folio. C.B.P. Cruciata Pon. Vid. pag. 616.

MBurg. delin. et sculp.

PLANTÆ ANOMALÆ PENTAPETALOIDES SILIQUIFERÆ.

Section. 15. Tab. 7.

14. Apocynum Canadense ramosum flo. è viridi albi = =cante siliqua tenuissima.
Vid. pag. 609.

16. Apocynum Canad. folijs Androsæmi majoris. Bocc.
Vid. pag. 609.

23. Apocyn. angustifol. African. Salicis folio latiore flore niveo.
Vid. pag. 610.

27. Apocynum non ramosum Rorismarini foliis umbellis florum candidis.
Vid. pag. 613.

32. Apocyn. tuberosum floribus ex luteo virescent. folli = culis pubescentibus Africanum.
Vid. pag. 610.

35. Apocyn. Afric. tuberos. latiori Salicis folio, flore pallide puni = =cante.
Vid. pag. 610.

37. Apocyn. Afric. angustis folijs undulatis.
Vid. pag. 610.

58. Apocynum Scammoniæ facie fol. ad basim cordatis in cuspidem longum prodeuntibus.
Vid. pag. 611.

61. Apocyn. scandens Virgin. rugosum pullis amplis floribus, capsulis alatis.
Vid. pag. 611.

62. Apocyn. Indic. minus Nummulariæ foliis. Breyn.
Vid. pag. 611.

1. Pseudo-apocynum hederaceum Amer. tubuloso flore phœniceo Fraxini foliis.
Vid. pag. 612.

16. Pseudo-apocyn. folliculis maximis obtusis semin. amplis albis.
Vid. pag. 613.

4. Asclepias Aizoides aphylla, flore Fritillariæ. Fritillaria crassa Stapelij.
Vid. pag. 611.

7. Pseudo-apoc. Barb. ad. Lignum alb. dict.
Vid. pag. 612.

MBurg delet sculp.

PLANTÆ TRIPETALE et ALIÆ AQUATICÆ.

6. Sagittaria Virginiana obtuſiore lato folio floribus minoribus albis
Vid. pag. 618.

7. Sagittariæ quodam modo ſimilis planta Madraſpatana floribus medio caule quaſi ex utriculo prorumpentibus. D. Plat.
Vid. pag. 618.

8. Sagittariæ ſimilis planta paluſtris Virginiana ſpica florum cærulea.
Vid. pag. 618.

Section. 15. Tab. 9.
Ros ſolis major longiore folio et erectiore.
Vid. pag. 620.

Paronychiæ facie planta tetrapetaloides Virginia flore cærulea

Vid. pag. 619.

2 Ros ſolis folio oblongo C.B.P.

Vid. pag. 620

4. Ros ſolis Luſitanicus folijs Aſphodeli minoris, Tournefort.
Vid. pag. 620.

5. Lens paluſtris quadrifolia, J.B. Park.
Vid. pag. 619.

Stratiotes Ægyptiaca. J.B.
Vid. pag. 619.

Umbilicus aquat. maximus Chinenſis.
Vid. pag. 620.

7. Millefolium aquat. minus foliolis latiuſculis integris floſculis ſubjectis.
Vid. pag. 622.

2. Conferva minor ramoſa.
Vid. pag. 644.

9. Equiſetum majus ſubterreum aquis immerſum.
Vid. pag. 621.

3. Conferva geniculata minima noſtras.
Vid. pag. 644.

4. Conferva reticulata criſpa D. Doody.
Vid. pag. 644.

MBurg. delin. et ſcul. p.

Auſpicijs Richardi Dyce A.M. Coll. Oriel. Socij Bonarum literarum Fautoris Inſignissimi.

PLANTÆ ANOMALÆ TERESTRES INFERIORIS ORDINIS MUSCI. Sect. 15. Tab. 5.



PLANTÆ ANOMALÆ TERESTRES INFERIORIS ORDINIS, MUSCI. Sectio. 15. Tab. 6.



PLANTÆ ANOMALÆ INFERIORIS ORDINIS, MUSCI ET MUSCO-FUNGI.

Section. 15. Tab. 7.

Fig. 6. pag. 630.

Fig. 8. pag. 630.

Fig. 11. pag. 630.

Fig. 13. pag. 630.

Fig. 12. pag. 630.

Fig. 17. pag. 631.

Fig. 50.

Fig. 18. p. 631.

Fig. 10. pag. 630.

Fig. 9. pag. 630.

Fig. 19. p. 631.

Fig. 7. pag. 630.

Fig. 16. pag. 631.

Fig. 20. p. 631.

Fig. 29. pag. 608.

Fig. 51. p. 628.

MUSCO-FUNGI VARIÆ SPECIES

Fig. 3. p. 632.

Fig. 4. pag. 632.

Fig. 1. pag. 632.

Fig. 4. pag. 633.

Fig. 6. pag. 632.

Fig. 1. pag. 632.

Fig. 4. p. 633.

Fig. 7. pag. 633.

Fig. 9. pag. 633.

Fig. 11. pag. 633.

Fig. 14. pag. 633.

Fig. 12. pag. 633.

Fig. 6. pag. 634.

Fig. 6. p. 634.

Fig. 1. pag. 633.

Fig. 3. pag. 633.

Fig. 4. p. 633.

Fig. 1. pag. 634.

Fig. 11. pag. 634.

Fig. 5. pag. 634.

Fig. 3. pag. 634.

Fig. 4. pag. 634.

Fig. 14. pag. 635.

Auspicijs

MARIÆ Ducissæ de Beaufort &c.

PLANTÆ SUBMARINÆ FUCI DICTÆ.

6. Fucus siue Alga folio membranaceo purpureo Lapathi sanguinei figura. Vid. pag. 645.

7. Fucus maritimus Gallopavonis pennas referens. C. B. P. Vid. pag. 645.

5. Fucus membranaceus rubens foliolis latiusculis ad extrema dentatis. Vid. pag. 646.

13. Fucus humilis membranaceus ceranoides latifolius ut plurimum verrucosus. Vid. pag. 646.

1. Fucus foliaceus humilis palmam referens. Vid. pag. 646.

14. Fucus purpureus humilis tenuiter divisus geniculatus. Vid. pag. 646.

6. Fucus siue Alga membranacea candida segmentis plurimum laciniatis. Vid. pag. 646.

2. Fucus membranaceus angustis fol. palmæ in modum divisis veluti crispis. Vide pag. 646.

11. Fucus dichotomos ceranoides angulos rotundiolos efformans. Vid. pag. 646.

16. Fucus marin. scrupos. alb. telam sericeam textura sua æmulans. Vid. pag. 646.

17. Fucus marin. scrupos. angustior compressus, extremitatibus quasi abscissis Vid. pag. 646.

7. Fucus spongiosus teres ramosior viridis erectus. Vid. pag. 646.

2. Fucus marinus vesiculis majoribus per intervalla dispositis. Vid. pag. 647.

5. Fucus bullatus fruticescens caule nudo foliis rectis compressis bifidis. Vid. pag. 647.

9. Fucus marinus humilior et fruticosior ceratophyllos vesiculas habens. Vid. pag. 647.

10. Fucus palmaris latioribus foliis in binas ternasve vesiculas verrucosas terminatis. Vid. pag. 647.

12. Fucus angust. vesiculis rugosis bifureatus. Vid. pag. 647.

17. Fucus Abrotonoides vesiculis parvis rotundis ornatus. Vid. pag. 648.

Burg. delin. et sculp.

PLANTÆ ANOMALÆ SUBMARINÆ, FUCI ET MUSCI.

Section. 15. Tab. 9.

1. Fucus siue Alga lati-folia major dentata. R. Vid. pag. 648.

2. Fucus fruticescens fol. angustis sensim ad extrema dilatantibus. Vid. pag. 648.

3. Fucus erectus non ramosus foliis crassis carnosis ad extremitatem divisis. Vid. pag. 648.

4. Fucus parvus segmentis prælongis teretibus acutis. Vid. pag. 648.

4. Fucus tenuifolius foliis dentatis. R. Vide pag. 648.

9. Fucus parvus in orbem expansus in segmenta bifida vel trifida breviora, & teratia divisus.

Fucus coranoides globulis cerruscosis signatis. Vide pag. 648.

6. Muscus marinus hirsutus flagellis ramosis subviridibus. V. pag. 650.

Muscus marinus [illegible] Vid. pag. 650.

2. Muscus pennatus marinus ramulis et capillamentis falcatis. R. Vid. pag. 650.

4. Muscus marinus minor denticulis alternis. R. Vid. pag. 650.

Vid. pag. 649.

7. Muscus marinus hirsutus flagellis longiaribus rarius divisis ruber. Vide pag. 650.

2. Mucus marinus lendiginosus minimus arenacei coloris. Vid. pag. 650.

3. Muscus marinus procumbens caule tenuissimo denticellis bijugis Vid. pag. 650.

9. Corallina siue Muscus marinus tenui capillo spermophoros, Pet. Vid. pag. 651.

8. Muscus aquat. Cornubiensis foliolis subrotundis alternis [illegible] adnatis.

Vid. pag. 627.

FORTH FORTUNE AND FILL THE FETTERS

Auspicijs Nobilissimi et Illustrissimi D. Ioannis Comitis de Tullibardin, Vicecomitis de Glenalmond, Baronis Murray, & Illustrissimi Atholiæ Marchionis filij natu Maximi S. D. N. R. ad Scotos summi Commissionarij, et pro Scotiæ Regno Secretarij Principalis.

Delin. Burg. sculpt. Univ. Oxon.

16. Corallina marina carnea Palmæ formis. Piniformis Courteniana.
Vid. pag. 652.



17. Fruticulus marinus ceranoides lignosus humilis nodosus.
Vid. pag. 652.

18. Fruticulus marinus asperiusculus ramulis ferulaceis spinulis exeuntibus.
Vid. pag. 652.



24. Corallum album fragile polyschides ramusculis contiguis dumosum.
Vid. pag. 656.

26. Corallium albidum latum et compressum ad extrema tantum ramosum.

Vid. pag. 656.

27. Corallum albidum digitatum ramis contiguis in latitudinem dispositis.

Vid. pag. 656.

1. Porus magnus Corallo affinis. 1. C. B. P.
Vid. pag. 656.

3. Porus albus erectior ramosus tuberculis crebris sursum spectantibus.
Vid. pag. 656.

9. Porus albus Cupressi formis.
Vid. pag. 657.



11. Porus sive Corallium astroites humilius ramis alias latis et compressis alias in varias certæ figuræ.
Vid. pag. 657.

12. Porus albus pumilus ramosior creberrime stellatus.
Vid. pag. 657.

10. Porus albidus compressus Frondiporæ ad [illegible] instar cribriformis.
Vid. pag. 657.

22. Corallijs affine Alcyonium fistulosum rubrum. I. B.
Vid. pag. 657.

Delin. M. Burg. sculp. Univ. Oxon.